{BnF

gallica
BIBLIOTHÈQUE
NUMÉRIQUE

Grégoire 01 (pape ; 0540?-0604). Sancti Gregorii papae I, cognomento Magni, Opera omnia ad manuscriptos codices romanos, gallicanos, anglicanos emendata, aucta, et illustrata notis. Studio et labore monachorum ordinis Sancti Benedicti, e congregatione San.... 1849.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE BIBLIOTHÈQUE LILLE

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LXXIX.

SANCTI GREGORII MAGNI

TOMUS QUINTUS ET ULTIMUS.

VENEUNT QUINQUE TOMI 35 FRANCIS GALLICIS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM;
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM VULGO D'*ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1849

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SANCTI

GREGORII PAPÆ I

COGNOMENTO MAGNI,

OPERA OMNIA.

AD MANUSCRIPTOS CODICES ROMANOS, GALLICANOS, ANGLICANOS EMENDATA, AUCTA, ET ILLUSTRATA NOTIS.

STUDIO ET LABORE MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI, E CONGREGATIONE SANCTI MAURI.

EDITIO MEMORATISSIMA QUÆ PARISIIS PRODIIT ANNO DOMINI MDCCV, NUNC AUTEM ACCURATIOR ET AUCTIOR REVIVISCIT

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS QUINTUS.

VENEUNT QUINQUE TOMI 35 FRANCIS GALLICIS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1849

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO LXXIX CONTINENTUR.

Commentarii in librum I Regum.	col.	9
Expositio super Cantica Canticorum.		471
Expositio in psalmos pœnitentiales.		549
Concordia testimoniorum S. Scripturæ.		659
De expositione utriusque Testamenti, auctore Paterio		683
Expositio Novi Testamenti, auctore Alulfo.		1137

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

[a] PRÆFATIO

DE COMMENTARIO S. GREGORII MAGNI IN LIBRUM PRIMUM REGUM.

Cum insigne hoc opus abjudicandum sanctissimo Doctori censuerit Petrus Gussanvillæus, idemque visum sit nonnullis viris eruditis, nostram de eo sententiam promere debemus, antequam denuo in lucem edatur.

I. De auctore Commentarii hujus tres omnino sunt sententiæ. Prima est, Gregorium magnum pro vero indubitatoque ipsius parente habendum esse. Hanc secuti sunt quotquot in edendis Doctoris eximii operibus a centum et quinquaginta fere annis, excepto duntaxat uno Gussanvillæo omnium novissimo, desudarunt. A prioribus enim editoribus hic Commentarius in Gregorianorum scriptorum censum relatus est tanquam genuinus tanti Patris fœtus. Eorum judicio adstipulantur eruditi fere omnes non solum ex nostris, sed etiam ex heterodoxis, qui operum sancti Doctoris indicem texuerunt; ex quibus potissimum commemorandus venit Guilielmus Cave in historia litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum non ita pridem in lucem emissa.

II. Secunda sententia, huic omni ex parte contraria, est Petri Gussanvillæi, Commentarium hunc ex Gregorianorum operum censu prorsus expungentis, licet ipsius nomen in Gussanvillæana editione, quod hic non dissimulandum, adhuc retinuerit. Fatetur tamen vir æquissimus dignissimam esse Gregorio commentationem hanc in librum I Regum, quod satis innuit his verbis, quibus ejus *judicium* censoriumque decretum absolvitur : *utinam tam pium, tam sanctum opus sancto Gregorio vindicare possemus, salva veritate.*

III. Tertia sententia inter utramque fere media, est laudatum Commentarium ex homiliis a sancto Gregorio habitis de libro I Regum, collectum et consarcinatum esse a Claudio ejus discipulo, postea monasterii Classensis abbate. In hanc sententiam propendent plerique viri docti, maxime Thomassinus disciplinæ Eccl. parte II, lib. II, c. 28, n. 2, et Ludovicus Ellies du Pin, Biblioth. novæ Script. Eccles. tomo IV, seu sæculo VI, in Gregorio magno. Hac media via tutissimi ibimus, duce præsertim ipsomet Gregorio, qui scilicet lib. XII, indict. 5, ep. 24, hæc Joanni subdiacono scribit : *Præterea quia idem charissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, et de Heptateucho audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, et emendatius dictarentur. (Quæ cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde inutilius fuisse permutatum.) Unde necesse est ut tua experientia, omni excusatione atque mora cessante, ad ejus monasterium accedat, convenire fratres faciat, et sub omni veritate quantascunque de diversis scripturis chartulas detulit, ad medium deducant : quas tu suscipe, et mihi celerrime transmitte.* Ex his liquet sanctum Gregorium aliqua ex libris Regum non scripto, sed viva voce exposuisse; Claudium hæc tum excepisse, tum digessisse, sed non ubique magistri sui Gregorii sensum assecutum esse, imo nec stylum; et sanctum Doctorem hæc, ne in publicam lucem prodirent, quantum potuit obstitisse, ac omnia exemplaria ad se deferri, ut in otio emendarentur præcepisse; quod utrum præstiterit suo loco aperiemus.

IV. Ex his facile intelligitur qui characteres, quæve notæ Claudianæ collectioni conveniant, ex quibus eam dignoscere, et a quavis alia lucubratione discernere operosum non sit : nempe cum ex ipsis Gregorii verbis ac sententiis contexta sit, ejus stylum redolere debet, ejus doctrinam et sacræ Scripturæ interpretandæ modum, atque ad morales allegoricosque sensus inflectendæ repræsentare : ita tamen ut quandoque, labente forte memoria, Claudius de suo quædam supplere coactus sit; quod satis fuit nostro Gregorio ut fœtum hunc pene repudiaret.

Fingamus celeberrimum aliquem divini verbi præconem, elegantem de pœnitentia orationem habuisse, quam a notario cursim excerptam audit postea typis mandatam et publica luce donatam. Hanc legit, et cum autographo confert. Observat quidem orationis idem esse argumentum, eamdem in varia membra partitionem, easdem sive ex sacris Litteris, sive ex ratione depromptas probationes, transitiones non dissimiles; eadem pene ubique verba, idem fere dicendi genus : nonnullis tamen in locis observat luxatam esse orationem, et minus cohærentem. Hic occurrit vox obsoleta, hic offendit in Scripturæ sacræ locum perperam explicatum; hic unus ex sanctis Patribus pro alio laudatur; hic obscurioribus coloribus rudiorique penicillo delineata virtus. Quæ sane sufficiunt huic Oratori talem ut reprobet fœtum tanquam suppositititium, palamque corruptam et adulteratam fuisse queratur orationem a se elucubratam. Eodem pene modo Gregorius de suis in librum primum Regum aliasque Scripturæ divinæ partes Homiliis minus accurate exceptis loquitur. Nunc vero perspiciamus utrum Commentarius in librum I Regum de quo hic agitur, notas et signa quæ in Claudii collectione deprehendenda diximus præ se ferat.

V. Certe stylum sermonemque Gregorii redolere hoc opus non inficiabitur, qui ipsum non oscitanter legerit, et cum libris Moralium potissimum contulerit; quod quia negat Gussanvillæus, nunc demonstrandum.

Familiare est Gregorio Scripturæ sacræ quam exponit sententias mira varietate enucleare, et modo litteralem sensum, modo typicum, allegoricum, moralem exhibere; quod qui non observabit hoc in commentario, cæcutire dicendus est. In eo sane ut in cæteris Gregorii tractatibus exegeticis, eadem prorsus methodo singuli versus libri sacri exponendi sic torquentur, retorquentur, et premuntur, ut quidquid succi continent ac saporis omnino exprimatur.

VI. Ad ipsam dictionem aut orationis constructionem quod spectat, delectatur Gregorius quodam præpostero vocabulorum contextu, frequentibus transpositionibus ac veluti hyperbatis, quorum exempla plurima exhibuimus in Præfatione ad libros Moralium, ex quibus pauca selegimus huc adducenda. Lib. XXXI Moral. num. 4 : *Scimus enim rhinoceros ille, terrenus videlicet princeps, quanta prius contra Dominum crudelitate sævierit.* Pro, *scimus enim quanta prius crudelitate rhinoceros ille*, etc. Hom. 8 in Ezechielem, num. 27 : *In*

(a) Vide monitum quod præfiximus tomo præcedenti. EDIT.

quo verbo beati Jacob mens ostenditur quomodo Jesu desiderio ardebat. Pro : *in quo verbo quomodo beati Jacob mens Jesu desiderio ardebat, ostenditur.* Homilia 32 in Evang. : *Dum enim cœlorum regnum constat quia reproborum*, etc. Pro, *dum enim constat quia*, etc. Lib. II, Dialog. c. 2 : *Quatenus..... agnoscerent Benedictus puer conversationis gratiam a quanta perfectione cœpisset.* Pro, *a quanta perfectione Benedictus puer*, etc. Quis autem neget his exemplis omnino similia esse quæ legimus lib. I Comment. c. 2, n. 10 : *Videamus jam sancta Ecclesia quibus fecunditatis suæ laudibus in Annæ voce glorietur.* Ubi alius diceret : *Videamus jam quibus fecunditatis suæ laudibus sancta Ecclesia*, etc. Et num. 12 : *Sed ubi eos robur induit, libet intueri quam fortes fecit.* Cum dicendum videretur : *Sed libet intueri quam fortes eos fecit, ubi*, etc. Vide etiam lib. V, c. 2, num. 18 : *Colligite omnipotentem Deum, quam terribiliter metuere, et quam devote ei semper servire debeatis.* Pluribus referendis supersedemus.

Gregorius fere semper graditur periodis bimembribus et quasi bipedibus similiter cadentibus, quod etiam in nostro libri I Regum commentatore observare licet, ejus lucubrationem vel a primo limine salutanti.

VII. Gregorius non raro verba deponentia, ut loquuntur Grammatici, in significatione passiva usurpat, maxime verbum, *venerari*, quod abunde in præfatione generali demonstratum. Idem vero in Commentario deprehendimus, uti lib. IV, c. 4, num. 35 : *Quo tardius aspicitur* (Pastor in publico) *devotius veneratur*, hoc est colitur et honoratur. Et num. 51 : *Verbo itaque sapientiæ aut prophetiæ spiritu se pollere asserunt, non ut venerentur, sed ut audiantur.*

Sanctus Doctor per verbum *innotescere* passim significat notum facere, ut homil. 1 in Evangelia num. 1 : *Appropinquantem ejus* (mundi) *terminum quantæ percussiones præveniant, innotescit*, hoc est ostendit ; quod eodem sensu legitur centies in Dialogis et sæpius in Epistolis. At hoc sensu quoque non raro adhibetur a Commentarii scriptore, v. g. lib. I, cap. 2, num. 16 : *Quod etiam conceptum parit, quando proximis..... innotescit.* Et cap. 3, num. 8 : *Hoc namque insigne fortitudinis nec Moyses, nec Helias habere potuit, ut dum incomparabilia signa innotescerent*, etc. Vide quoque lib. II, c. 2, num. 11 : *Tamen tunc suis benedixisse sic innotuit.*

Gregorius modo sibi fere peculiari utitur verbo *debere*, quod exemplis quibusdam palam fiet. Lib. XI, ep. 33, scribit Mariniano : *Et ideo videtur mihi..... ut tua fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire* ; id est veniat. Ibidem : *Et ego qui me proximum morti video..... inter tuas manus transire debeam* ; hoc est, transeam. Ep. 34 ejusdem libri : *Id est, quadringenti solidi seorsim fieri debuissent*, ac paulo post : *Volumus ut..... fraternitas vestra debeat erogare*, pro *eroget.* Hom. 17 in Evangelia : *Ut ex eadem salis petra lambere debeant.* In eadem significatione accipiendum est verbum *debere* lib. I Commentarii c. 3, num. 14 : *Quia omnes Scripturas acceperant, ut in eis Sacramenta divinæ Incarnationis invenire debuissent* : hoc est, invenirent. Et lib. II, c. 2, num. 20 : *Ut ipsi punire neminem deberent ; quod idem est* ac punirent.

Adversitatem sæpe Gregorius accipit non in passivo sed in activo sensu, seu pro adversantium nobis actione ; qua de re consule lib. II Moral. n. 51, et notam ad hunc locum, ubi multis testimoniis id confirmamus. Addi potuisset quod legimus Libro Reg. Pastor. part. III, admon. 16, seu cap. 15 : *Quid per nubes quæ moventur a vento, nisi adversitates pravorum hominum designantur?* Hoc est, pravorum nobis adversantium impugnationes et impetus. Nec dissimili sensu occurrit lib. V Commentarii c. 1, num. 15 : *Quia sancti prædicatores nostri majori victoria coronantur, cum adversa proximorum* (id est adversa a proximis illata) *tolerant.*

Qui Gregoriano stilo assueverunt, non ignorant quam frequenter de Christo loquens, utatur antithesi adverbiorum *super* et *inter* ; ut l. XV Moral. num. 20 : *Summi Patris unigenitus cum sit Deus super omnia, homo est factus inter omnia.* Similia extant lib. XVI, num. 37 ; homil. 7 in Ezech., num. 19 ; homil. 25 in Evang. et passim. Eademque ratione auctor Commentarii lib. I, c. 1, num. 4 : *Quia*, inquit, *qui inter omnes natus est, supra omnes enituit.* Ab aliis exemplis proferendis abstineo. Qui in Gregorianis operibus evolvendis et legendis non sunt peregrini, norunt ibi frequenter verbum *reformare*, significatum habere aliis pene scriptoribus incognitum, aut saltem a paucis usurpatum. Lib. XXII Moral. capite et num. 1 : *Ne..... in desperationem mens corruat, hanc per virtutum suarum memoriam ad spem reformat.* Et num. 9 ejusdem libri : *Ei quam amiserat intelligentiam reformat.* Bis eodem sensu occurrit pene in ipso Moralium limine, et lib. II in Ezech., Hom. 7, num. ultimo : *ad spem animum reformat.* In Commentario vero non procul ab initio, scilicet lib. I, c. 1, num. 20 : *Surrexit namque, quia ad prædicationis instantiam animum reformavit.*

In Gregorianis scriptis, maxime in Dialogis, ad nauseam usque legitur : *sanctæ conversationis habitus.* Idemque familiare habet qui Commentarium scripsit. Lege præsertim lib. IV, c. IV, num. 18.

VIII. Solet Gregorius auctorem libri Ecclesiastici designare nomine *cujusdam sapientis* : ut lib. XXVII Moral., num. 53 : *Per quemdam sapientem dicitur : sicut glacies in sereno*, etc. Et lib. XXXIII, num. 23 : *Hinc enim per quemdam sapientem dicitur : Ne dixeris, Miserationes Domini multæ sunt* : Vide quoque lib. VII, num. 45, et lib. XX, num. 51. Eodemque prorsus modo libri primi Regum Commentator et Interpres lib. V, c. 4, num. 2, laudans Ecclesiastici cap. 2, ait : *Unde bene per quemdam sapientem dicitur : Fili, accedens ad servitutem.*

Denique S. Gregorius ex Regula S. Benedicti verba et sententias integras proferre solet, ut demonstravimus lib. I ejus Vitæ c. 3, num. 6 ; quod etiam convenire auctori Commentarii statim ostendemus.

IX. Quod spectat ad doctrinam, eadem pene est ac ipsius Gregorii. (a) Christi divinitas egregie asseritur lib. I, cap. 3, num. 4, 5, etc. Incarnationis mysterium optime explicatur lib. I, c. 1, num. 5. De reali corporis et sanguinis Christi præsentia in Eucharistia, de incruento novæ Legis sacrificio, et de Christianæ religionis sacerdotio lege lib. II, cap. 1, num. 14, et lib. III, cap. 4, num. 31. De visione Dei solis cœli civibus concessa (quod sæpe probat sanctus Gregorius) vide lib. I, cap. 1, num. 4. De Pœnitentia, Confessione peccatorum, Satisfactione, atque Absolutione Sacerdotali consule lib. III, cap. 5, num. 13 et 14.

More Gregorii ex tribus sanctis feminis unicam Mariam Magdalenam conflat lib. IV, cap. 4, num. 13. Quod Gregorius asserit de solo Christo inter homines a diaboli servitute libero, docet hic Scriptor lib. III, cap 5, num. 9 : *Quæ est igitur manus Philisthiim, nisi potestas illa dæmonum qua mortuus in peccato animas ad æterna tormenta perducunt? Ab ista Philisthiim manu solus liber fuerat qui dicebat : venit Princeps mundi hujus, et in me*, etc.

(a) Hæc omnia doctrinæ capita in Gregorianis operibus adstrui demonstravit præfatio generalis.

Hæc sane pene demonstrare videntur, non alium Commentarii de quo disserimus, parentem esse, quam ipsummet Gregorium. Attamen occurrunt quædam sive in dicendi genere, sive in doctrina quæ Gregorium minime sapiunt et indicant.

X. 1° Commentarii procemium a Gregoriana simplicitate deviat; figuris enim turgere videtur ac supramodum luxuriare.

2° Commentarius ipse quibusdam vocibus inspergitur, quæ nullibi leguntur in genuinis sancti Doctoris operibus, ut : *terrenitas*, lib. II, cap. 2, num. 27; *sonoritas* prædicationis, lib. IV, cap. 4, num. 27; *carnalitas*, lib. IV, cap, 5, num. 40, et lib. V, cap. 4, num. 14; *horribilitas* lib. III, cap. 5, num. 9; *vaneglorius* lib. V, cap. 4, num. 8; *granditudo*, lib. VI, cap. 2, num. 25.

3° Quod præcipue observandum, a doctrina Gregorii aliquando exorbitare videtur qui Commentarium contexuit, maxime de libero arbitrio, cui nimis tribuit. Quasi enim a Deo sola essent initia fidei et sanctitatis, et a nobis cætera, ait lib. III, cap. 5, num. 20 : *Quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur; sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus.* At sibi non constat : nam lib. IV, cap. 2, num. 9, in aliud extremum declinans docet aliquando peccatores, etiam quando volunt, a peccato surgere non posse : *Quia*, inquit, *per imitationem Pastoris, reprobi in peccati servitutem incidunt, etiam ab ejus jugo quando volunt, solvi non possunt.* Quod adhuc paulo infra confirmat num. 10 : *In notitiam pravæ imitationis, ejus paulatim defluitis : sed pravitatis ejus exempla, quibus vos sponte submittitis, relinquere sponte minime potestis. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 35). *Quibus ergo peccata dominantur per se, ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam sæpe ad Dominum cum precibus veniunt; liberari petunt, sed exaudiri non possunt. Divino siquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare, cum possent, non possint vitare, cum volunt : et qui sponte incurrunt mala præcognita, fugere non possunt experta.* Non minus dure loquitur lib. VI, cap. 2, n. 5, quamquam difiiteri non possimus eadem legi Pastoralis part. III, cap. 15, sive admonit. 16. Et quidem possunt optimo sensu explicari de peccatoribus, qui prava consuetudine vincti, vix ejus vincula disrumpere possunt, etsi velle profiteantur.

Præterea lib. II, cap. 1, num. 6, videtur tantum concedere sanctis post mortem, requiem et securitatem, non gloriam; quod pugnat adversus Gregorium, maxime lib. IV Dialog. cap. 25.

Inter Commentarii hujus nævos notare licet quod docet lib. V, cap. 2, num. 15, et alibi, olim, hoc est in antiqua lege, non solum licitum fuisse odisse inimicos, sed etiam præceptum. Id enim non de populis quibusdam quos Deus internecione delere ob idololatriam aliaque scelera præceperat, intelligit, sed de quibuslibet inimicis, male interpretatus ista Christi verba : *Dictum est antiquis, diliges*, etc., *et odio habebis inimicum tuum* (*Matth.* V, 27); quod non de præcepto legis veteris intelligit, sed de falsa legis interpretatione a Judæorum doctoribus qui verbum Dei adulterabantur, excogitata.

Igitur etsi fatendum videatur Commentarium de quo agimus, Gregorii opus esse, minime tamen est negandum hoc a Claudio ejus discipulo interpolatum esse, et aliqua ex parte vitiatum, nec a sancto Doctore postea emendatum, qui videlicet nævos istos non relicturus fuisset. Certe post scriptam supra laudatam epistolam (*Lib.* XII, 24), Gregorio tot morbis afflicto, tot distracto et cruciato curis, vix integrum fuit opus hoc tantæ molis recognoscere, et ad incudem revocare. Hinc ejus consilium fuit illud perpetuis tenebris opprimere. Neque vero ea de causa contemnendum videatur : si enim a paucis quas indicamus maculis expurgetur, cum optimis tanti magistri lucubrationibus de præstantia certare poterit.

XI. Cur ergo, inquies, illud reprobare cogitavit primus ejus parens, et ne publicam in lucem prodiret, quantum potuit, obstitit?

Respondemus, sufficientem ut repudiaretur causam fuisse ipsius interpolationem. Præcipua tamen ratio petenda est a summa Gregorii modestia et animi demissione, quæ sane tanta erat, ut ægre ferret opera sua, quæcunque forent, legi et publicari. Qua de re legenda ex integro epistola mox laudata. Certe in Vita P. Virgilii Maronis auctore Tib. Donato, legimus poetam hunc, *cum gravari morbo se sentiret, scrinia sæpe et magna instantia petiisse, crematurum Æneida : quibus negatis, testamento comburi jussisse ut rem inemendatam et imperfectam.* Quis ideo de Æneide adeo male sentiat ut flammis addicendam judicet? Idem porro de nostro Commentario dicendum. De isto igitur opere hoc esto judicium.

Illud censemus ex Homiliis a sancto Gregorio habitis in lib. I Regum a Claudio ejus discipulo collectis coaluisse, et cum nonnullis mendis memoriæ lapsui præsertim adscribendis prodiisse. Jam vero quibus machinis opinionem hanc evertere conetur P. Gussanvillæus optima fide referendum.

XII. 1° Gregorius qui genuina sua opera passim indicat, de hoc ubique silet. 2° Altum de illo silentium apud scriptores omnes aut æquales aut suppares, aut etiam ævi longe inferioris.

Imo vero Gregorius, de Homiliis a se habitis et a Claudio exceptis, posteaque in Commentarii modum digestis clare loquitur loco jam indicato. Nec mirum si qui ex Gregorianis sententiis fasciculos quodammodo contexuerunt, Paterius, Tajus, Alulfus, aut qui sancti Doctoris opera recensuerunt, hujus Commentarii non meminerint. Primo enim rarissima semper fuerunt ejus exemplaria, proindeque minus nota. Fatetur ipse Gussanvillæus omnem a se, sed frustra, adhibitam diligentiam, ut aliquod nanciscerctur in Gallia, Belgio, Anglia, Romæ, Venetiis, ubi tamen primo excusum esse putat an. 1537, et Argentorati, ubi teste Gesnero in Bibliotheca prodiit cum Pastorali an. 1496. Secundo etiamsi nonnulli ex commemoratis scriptoribus copiam alicujus exemplaris habuerint, Gregorio illud minime probanti morem gerentes, ex ipso nihil decerpendum duxerunt, prætereundumque in Gregorianorum operum indice censuerunt.

Attamen Ratherius monachus Lobiensis, et postea Veronensis episcopus, qui circa an. 928 floruit, scribens De Contemptu Canonum (*Spicilegii Acheriani, Tom.* II), part. I, paulo ante finem, aliquid ex hoc Commentario laudat his verbis : *Gregorium audiat : causa, inquit, ruinæ populi, Sacerdotes mali;* quæ leguntur lib. II, cap. 2, ad versum : *Et ait ad eos : quare facitis rem hujuscemodi?* Dissimulare quidem non debemus eadem fere occurrere lib. Regulæ Pastor. part. I, cap. 2. At pro *causa ruinæ*, etc., legitur in Pastorali, *laqueus ruinæ;* unde liquet Ratherium ad priorem locum potius attendisse quam ad posteriorem. Nec dubium quin si bibliothecarum omnium forulos diligenter explorare liceret, ac libros ineditos legere, multa alia de hoc Commentario testimonia nobis adessent. Sane Expositionem in Cantica canticorum quæ Gregorio adscribitur, ab omnibus quoque scriptoribus, et præsertim a Paterio silentio prætermissam contendit Gussanvillæus. In germano tamen et sincero Paterio quem edituri sumus invenitur insignis locus hujus Expositionis, ut in admonitione sumus aliquando demonstraturi (*Vid. infra*). Sed in Gussanvillæi objectis diluendis pergamus.

XIII. Contendit vir doctus Commentarii auctorem Vulgata sacræ Scripturæ versione uti, Gregorium vero Italica et Hieronymiana, quod ad utriusque scriptoris discrimen probandum sufficere credit. Infeliciter cessit

viro alioquin erudito id probationis genus : nam quatuor duntaxat vicibus ait prolatum a sancto Doctore testimonium istud lib. I Reg. cap. 15: *Nonne cum parvulus esses*, etc. At in nullo ex assignatis a Gussanvillæo locis legitur. Præterea solis oculis opus est ut intelligatur non semper usum esse Vulgata versione scriptorem nostrum; imo sæpissime ab illa recedit. Ipso in limine legitur : *fuit vir unus de Ramatha*. In Vulgata, *de Ramathaïm*. In Commentario, *filius Hieroboam;* in Vulgata, *filius Jeroam*. In Commentario, *filii Thau;* in Vulgata, *filii Tohu*. In Commentario versu 4, *deditque Phenennæ et filiis et filiabus ejus;* in Vulgata, *deditque Phenennæ uxori suæ et cunctis filiis ejus et filiabus partes*. Cætera prosequi superfluum videtur. Ex Habacuc cap. III hæc laudantur in Commentario lib. I, cap. 3, num. 4: *Domine Deus virtus mea, constitue pedes meos in consummatione, et super excelsa statue me; ut vincam in claritate ipsius;* quæ omnino a Vulgata versione discrepant. Infra ex ps. XCVII multa proferuntur prorsus aliter, quam legantur in Vulgata. Lib. I, c. 1, n. 10, legitur ex ps. LXXXV: *Et adorabunt coram te, Domine, et honorificabunt nomen tuum*, Vulgata habente, *et glorificabunt*. Cap. 2, num. 47, pro, *et calix meus inebrians*, quod habet Vulgata ps. XXII, exstat, *et poculum meum inebrians*. Verum in re tam clara frustra tempus tereremus. Neque tamen inficior aliqua ex sacris Litteris, aliter hic legi quam in aliis Gregorianis. Nimirum Claudius hæc cursim excipiens non potuit tanta fide reddere, ut in repræsentandis Scripturæ testimoniis ne unam quidem syllabam peccaret. Contra vero multa observavimus in hoc Commentario prolata secus ac legi debeant; quod fortasse movit sanctum Gregorium ut hoc opus tanquam adulterinum respueret. De iis autem hoc loco monere operæ pretium est, ne errandi occasionem præbeant.

In fine libri I, cap. 1, vers. 28 capitis I lib. I Regum ita legitur : *Commendavi eum Domino;* et legendum, *commodavi*. Lib. II, cap. 4, hic versus 3 cap. III. *Oculi ejus (Heli) caligaverant, nec poterat videre. Lucerna Dei antequam exstingueretur, Samuel*, etc. Ita effertur corrupte : *nec poterat videre lucernam Dei antequam exstingueretur;* cui lectioni nullæ suffragantur versiones. Ita tamen legerunt Beda, Rabanus Maurus, Angelomus, falsus Eucherius; auctoritate forte Gregorii, cujus nomen huic præfixum commentario legerant, abrepti. Et hoc sane validissimum est argumentum, laudatis scriptoribus notum fuisse hoc opus : a quo enim antiquiori scriptore hanc Scripturæ lectionem vitiosam desumpsissent? Lib. V, col. 506, legitur : *apparuit itaque stationi;* ubi legi debet ut in Vulgata, *Apparuit uterque stationi*. Verum vitium librariorum est, non auctoris; nam in explicatione hujus versus ait : *Quidnam est quod apparere Jonathas Philisthæis cum armigero dicitur?* Ergo legit : *Apparuit uterque*. Infra etiam legitur : *apparuit itaque uterque*, etc. Reliquas Gussanvillæi objectiones prosequamur.

XIV. *Neque vero*, inquit, *stylus ipse Gregorianum sapit, licet in quibusdam eum imitari conatus sit auctor; quod fortasse erroris occasionem præbuit. Verum quantum stylo Gregorii sit dissimilis, sola Homiliarum in Ezechielem lectio comprobabit*. Brevis quidem probatio, sed imbellis, cum solius adversarii testimonio nullis exemplis roborato nitatur; maxime si quæ in contrarium protulimus relegantur.

Sed quid plura, inquit Gussanvillæus? *Si auctoris verba expendantur, luce meridiana clarius apparebit fuisse monachum aliquem; qui frequenter de monachis monasteriorumque regimine ac disciplina sermonem habet;* quod pluribus probat.

XV. Rationum ponderi non inviti cedimus. At quid ex his contra sententiam quam tuemur, militat? Negatne Gussanvillæus Gregorium fuisse monachum, et monachorum abbatem, cui proinde incumbebat frequenter de disciplina monastica sermonem habere? Si vero quæ de monastica vita dicit hic scriptor, cum Regula sancti Benedicti conferantur, vix suberit dubitandi locus, quin ejusdem Regulæ observationi fuerit addictus. Etenim col. 78 legimus, *fervore novitio;* quod invenitur S. Benedicti Regulæ cap. 1. Sub initium col. 93 occurrit, *in malo inobedientiæ mors prævaluit;* quibus verbis alluditur ad hæc Regulæ S. Benedicti cap. 2, *tunc demum inobedientibus pœna sit eis prævalens ipsa mors*. Col. 95, de obedientia disserens auctor, ob oculos habere videtur quæ de eadem virtute docet sanctus Benedictus tum cap. 5 Reg. tum c. 7. Lib. IV, cap. 4, num. 17, legitur : *Qui arctissimam conversationis viam noviter accedentibus facile non impendant;* quæ fere ad verbum ex Regula S. Bened. cap. 58 eruuntur. Imo S. Benedictum laudare minime dubitandum est quando ait? *Quare et ejusdem arctissimæ vitæ magister optimus summæ veritatis discipulus eruditus præcipit, dicens : Probate spiritus, si ex Deo sint*. Et item : *Nuntientur ei dura et aspera, per quæ itur ad Deum, ut sciat ad quod intrat;* quæ capite 58 Reg. totidem fere verbis exstant.

Et his non levis suboritur conjectura, Gregorium non ad populum, ut gratis fingit Gussanvillæus, Homilias de lib. Regum habuisse, sed ad monachos sibi subditos, eo duntaxat tempore, quo post reditum ab urbe regia, majori otio in monasterio fruebatur : quas ejus *filius*, seu alumnus et discipulus Claudius excipere curavit.

XVI. Composita quæ de Commentarii auctore erat controversia, de ipso opere quædam, etsi pauca, supersunt observanda. Mutilum illud esse, aliqua licet minima ex parte liquet, quod lib. I, cap. 2, num. 3, meminerit scriptor explicationis nominis Helcanæ supra allatæ, quæ nullibi tamen legitur. Lacunam suspicamur esse inter num. 4 et 8 cap. 1 lib. I, ubi ab explicatione verborum illorum : *De Ramatha Sophim, de monte Ephraim*, transitur ad ista : *Qui habebat duas uxores;* omissis illis, *et nomen ejus Helcana filii Hieroboam, filii Heliu, filii Thau, filii Sup*. de quibus ne minimum quid in Commentario delibatur.

Multa occurrunt de nominibus Hebr. quæ notis illustrari potuissent. At vero quæ de iis dicenda sese offerebant intra metas his in notis nobis præscriptas, contineri vix potuissent. Præterea qui de his eruditi volent, nunquam Commentarium hunc lecturi sunt, sed potius consulent Origenem et Hieronymum, præsertim in libris de nominibus Hebraicis et de situ ac nominibus locorum Hebr. Cæterum, loquendo de Hieronymo in nota b ad procœmium, col. 2, incaute nobis excidit quod diximus de libro Samuelis ab ipso exposito; nam qui ex nostris edendo huic sancto Doctori strenuam navant operam, Expositionem libri Samuelis Hieronymo abjudicant. At hæc nondum vulgata erant quando ad novam Gregorianorum operum editionem schedas nostras disposuimus.

XVII. Quid vero nostræ operæ hac in editione collocatum sit nunc breviter aperiendum. Cum alicujus codicis manuscripti, in quo contineretur hic Commentarius copiam habere nobis non fuerit integrum, quavis licet adhibita diligentia, illum tantum recensuimus ad meliores editiones, Gilotianam præsertim et Vaticanam, quarum ope non paucos errores expunximus, omissaque nonnulla restituimus. Aliquando quoque ubi editi omnes vitiosi sunt, non dubitavimus eos emendare. Sic lib. I, c. 1, n. 1, legebatur prius : *hunc..... per manus iniquorum affligentes;* ubi procul dubio legendum, *affigentes*, quam lectionem amplexi sumus. Libro quoque II, c. 1, num. 2, prius legebatur, *ejus se oculis inhæsisse;* at series sermonis ostendit legendum, *osculis* pro, *oculis*; ut etiam nunc legitur. Quando vero solis conjecturis assecuti sumus qua ratione medendum corruptæ orationi foret, lectionem quæ nobis visa fuerit melior, inscribere margini satis habuimus.

Nostro quoque more capita, ut pote longiora, plures in articulos appositis notis numeralibus distinximus.

Notulis paginæ subjectis, vel varias lectiones exhibuimus, vel quædam Commentarii loca illustravimus. Utinam laboris nostri sane improbi optimos et jucundos fructus lector carpere possit et degustare.

De expositione in Cantica canticorum quæ excipiet hunc Commentarium, et de aliis operibus subsequentibus hic dicere nihil attinet, cum singulis præfationes, aut admonitiones præfixerimus. At in præfat. ad Expositionem Cantici non debuit omitti testimonium sancti Columbani, qui inter sancti Gregorii Opera eam recenset cum libro Regulæ Pastor. et Homiliis in Ezechielem, ut videre est in ejusdem Columbani epistola inter Gregorianas (*Lib.* IX, *epist. ultima*).

SANCTI GREGORII MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

IN LIBRUM PRIMUM REGUM,

QUI ET SAMUELIS DICITUR,

VARIARUM EXPOSITIONUM LIBRI SEX.

Proœmium.

1 Post Moysi et Jesu Nave libros, et Judicum, [a] octavus sive nonus in canone sanctarum Scripturarum primus liber Regum ostenditur. Qui profecto liber, sicut et pleraque volumina sacri eloquii, quod [b] a sanctæ Ecclesiæ doctoribus nondum sit expositus, nonnulli simpliciores hunc non esse mysticum arbitrantur, et eo sublimiora per spiritum nulla dicere, quo planiora per litteram videtur enarrare. Sed si ea, quæ in aliis explanationum libris doctores sancti locuti sunt legerent, hujus quoque historiæ quam sit immensa profunditas invenirent. Nam plerumque in illorum expositionibus quod hic planum per litteram dicitur valde esse arduum per spiritalem intelligentiam declaratur, et aperte insinuant quia longe sublimius de sacra historia intelligunt quam in ejus superficie foris legunt. Planum namque est quod Elcana vir Ephratæus uxores duas habuisse describitur (*I Reg.* I, 1, 2); quod Heli sacerdos, dum a censura correptionis filiorum affectione dissolvitur, de sella cadit, et fracta cervice interit (*Ibid.*, IV, 18); quod rex Saul obedire Deo in Amalecitarum demolitione noluit (*I Reg.* XV, 9), sed non multo post et vitam et regnum amisit (*I Reg.* XXXI, 5). Sed hæc nimirum plana, sicut placet 2 simplicioribus, doctores sancti, ut digna sublimitate perciperent, eorum intellectum non in simplicitate quæsierunt litteræ, sed in volatu allegoriæ. Hinc est enim quod cum sanctus Augustinus (*L.* XVII *de Civit. Dei*, *c.* 4) duas Elcanæ uxores per historiam legeret, in planitie lectionis spiritalem altitudinem intuens, Synagogæ typum una, altera vero quia figuram sanctæ Ecclesiæ haberet, exposuit. Sanctus quoque Hieronymus (*Advers. Pelag.*, *lib.* I, *c.* 8; *et contra Jovin. lib.* I, *c.* 10) Heli sacerdotis et Saul mortem, non ad hoc solum in sacra historia positam, ut inobedientes præpositos eorum terreret pœna, sed etiam ut, dum veterum et transgressorum rectorum repulsio legitur, antiquæ legis et sacerdotii interitus designetur. Sacra igitur Regum historia non idcirco spiritalibus sacramentis vacua credenda est, quia a venerabilibus patribus seriatim non est exposita, sed eo altior et profundior, quo, velut immensi vastitas fluminis, ex parte quavis exigua hauriri exponendo potuit, et repletis eorum vasculis, suæ plenitudinis impetu quotidie implendis aliis decurrit. Dum ergo quædam hujus sacræ historiæ ad robur suorum operum tollerent, plenitudinem vero illius in suæ sublimitatis secreto indiscussam præterirent, quid aliud agere visi sunt, quam de immenso amne aliquid capere, quod sitientibus fidelium 3 mentibus propinarent?

2. Quorum profecto morem nos quoque in præsenti opere sequimur, qui ad ingentem hanc historiam gratia aperiendæ intelligentiæ ejus accedimus, cujus tamen universitatem exponendam suscipere non audemus, hoc videlicet a præfatis venerabilibus Patribus distantes, quia non sparsim et de diversis locis eligimus quod exposituri sumus, cum illi non ex ordine aliquam sacræ hujus historiæ partem, sed

[a] Liber primus Regum, sive Samuelis, si liber Ruth a Judicum libro distinguatur, est nonus in Canone. Si vero historia Ruth pro appendice libri Judicum habeatur, est octavus.

[b] Mirum excidisse huic scriptori sanctum Hieronymum librum hunc Samuelis exposuisse. Intelligit fortasse, ut postea insinuare videtur, neminem sanctorum Patrum omnia libri hujus mysteria explicasse.

sparsim testimonia quædam susciperent, quæ ad eruditionem fidelium exponere [a] habuissent. Dei ergo omnipotentis adjutorio confisi, a principio voluminis usque ad David regis unctionem explanare proponimus, ut brevi isto, quod cernitur, experiri possimus si ultra progredi exponendo debeamus. Plerique etenim dum immoderata proponunt, exsecutores propositi sui fieri nunquam possunt, maxime cum tractator sacri eloquii morem gerat viri in alta specula consistentis, Scriptura vero sacra silvæ vastioris similitudinem. Qui profecto vir in alto situs, etsi acuta visione nemoris vastitatem considerat, tamen dum summa montium, dum extrema collium, dum arborum celsa, in quadam æqualitate sibi convenientia respicit, quam magnæ valles, quam distentæ planities in medio lateant, non attendit. Sed si perambulare quod ei breve videtur cœperit, repente cognoscit quia qui se totum vidisse putaverat, valde plura remanserant quæ non viderat. Unde et sæpe immoderatus viator decipitur, ut tanto periculosius iter expleat, quanto et eum in via, expleto die, noctis error intercipit, qui velut in parvi itineris spatio nec diei partem se explere cogitavit. Sic sic nimirum, dum sacræ historiæ intellectum in quadam sensuum ejus summitate consideramus, omnipotentis Dei gratia, velut altos opacioris silvæ vertices de quadam sublimitate attendimus. Sed quia dum iidem sensus subtilius considerari et proferri cœperint, alios se multipliciores gignunt, velut in superficie, ut videtur, totius inspecti nemoris, at vallium concava et distenti [b] Matini latent spatia, quæ non videntur. Tutius ergo gradimur, si sic metimur ea quæ cernimus, ut etiam ea quæ procedendo visuri sumus percurrenda esse cogitemus. Itaque dum ingentis historiæ parvam partem explanare proponimus, pro modulo imbecillitatis nostræ cursum itineris in vicinio terminamus, tam videlicet ingenii tenuitate diffisi, quam sacri voluminis profunditate perterriti.

3. Sed et primum non tam instituere quam obsecrare lectorem censui, ut inanitate expositionis meæ pondus sacræ historiæ nequaquam penset, quia divina eloquia ex mensura tractatorum nunquam æstimanda sunt. Nam nec idcirco sunt vilipendenda, quia non subtiliter considerantur; nec celsa et venerabilia ideo, quia facunde et subtiliter exponuntur. Alia quippe virtus est quæ apud sæculi sapientes tanta habetur, quantum eam extollere possunt præclara ingenia. Sacra vero Scriptura, quia divinitus inspirata est, tanto sublimius etiam præclara hominum ingenia superat, quanto ipsi præclari homines Deo inferiores sunt, et nihil in illa spiritali sublimitate conspiciunt, nisi quod eis ipsius divinæ dignationis bonitate revelatur. Nemo igitur in ejus scientia ita perfectus est, ut proficere ultra non possit, quia inferior est omnis profectus hominis, divinitatis altitudine eam inspirantis. Unde et per Psalmistam de Domino dicitur: *Qui tegit in aquis superiora ejus* (*Ps.* CIII, 3). Si enim aquarum appellatione illæ supernæ designantur profundæ intelligentiæ angelorum, dum sacri eloquii altitudinem Deus in aquis tegere dicitur, constat nimirum quia homo semper illa sit inferior cui solum ejus inferiora revelantur. Hinc etiam per Moysen præcipitur ut agni residuum igne comburatur (*Exod.* XII, 10), quia videlicet Scripturæ sacræ, quæ ad cognoscendum Redemptorem sunt editæ, pro sublimitatis suæ dignitate venerandæ tunc etiam sunt cum non intelliguntur. Itaque etsi nihil pensatur quod a me dicitur, nihilominus pensandum est quia hæc sacra Scriptura, quæ a me indigne exponitur, ei cui omnipotens Deus secreta aperire voluerit bona et sublimia multa dicit. Scriptura etenim sacra tam mirabiliter ab omnipotente Deo condita est, ut etsi multipliciter videatur exposita, non desunt tamen ei secreta quibus servet occulta, quia fere nunquam sic exponitur, ut ei non plura remaneant quæ quotidie exponantur. Qua profecto ejus incomprehensibilitate omnipotens Deus humanæ mutabilitati magna dispensatione consuluit; nam, ut vilescere nota non possit, sic mire disposita est, ut cognita nesciatur, et eo legatur gratius, quo quotidie discitur; ac dum semper recentia intimat, suavius oblectet.

4. Historia ergo Regum, quia eo spiritu condita quo et cætera Scripturæ sanctæ volumina cognoscuntur, non debet credi eis esse minor sacramentis, quibus non est inferior titulo auctoritatis. Nam omnes scriptores ejus prophetæ fuisse referuntur, qui cum historica narrant, spiritualia signant; exteriora loquuntur, et intima innuunt; terrena proponunt, ut cœlestia exsequantur. Unde et hic liber primus et secundus ejusdem historiæ ad hoc prophetæ Samueli ascribitur, ut ex auctoris titulo sentiatur historia quam scribit, non tam historia quam prophetia; simplex veraque littera, sed alta nimis et multiplicitate occultorum sensuum profunda. Nos autem de tanto ejus pondere pro modo pusillitatis nostræ assumimus ferenda quæ possumus. Nam cum suavis sit in superficie litteræ, altior in typis allegoriæ, moribus instruendis utilis, lucida in exemplis exhibendis, in locis tamen singulis et historica asserere, et typica proferre, et conferre moralia, et proponere exempla refugio; quanquam alia sub uno intellectu, adjuvante Domino, sim expositurus, alia vero sub pluribus. Maxime cum his temporibus scribendi operam dare censuerim, in quibus dum cordibus quorumdam ecclesiasticorum virorum vetus sollicitudo mundanæ intentionis immergitur, nova scribendi studia eo esse superflua judicant, quo et doctorum venerabilium abundare vetera non ignorant. Qui nimirum ratione convincendi essent, nisi signum calumniæ, exposita fronte, prætenderent. Nam qui nova velut nova contemnunt, illa quæ probant vetera, curarum sæcularium saturitate fastidiunt. Quos sane plures sub unius denotatione Scriptura exponit, dicens: *Anima saturata calcabit favum* (*Prov.* XXVII, 7). Favus quippe mel

[a] Gilot., *debuissent.*

[b] Matinus mons est Calabriæ. *Horat., epod.* 16:

. . . . . quando
Padus Matina laverit cacumina.

novum continet. Quasi ergo dicat : Dum terrenarum rerum cura immoderatius pascitur, in ea 5 quæ valde placere solet recenti Scripturarum dulcedine non lætatur. Sed quia hujus sacræ historiæ commenta veterum nulla reperiunt, rectius agunt, si opus nostri laboris ea charitate qua ad utilitatem parvulorum sanctæ Ecclesiæ impenditur amplectantur, et pro reprehensionum molestia nobis in tanta Scripturæ profunditate velut altissimo pelago laborantibus præsidia orationum ferant. Hinc nimirum nostri sudoris fructum suum faciunt, quia dum ex benignitate diligunt, ad æternæ remunerationis sibi cumulum vertunt, et quod tantis temporibus tam clausa et inexposita Scriptura ad communem intelligentiam ducitur, et quod parvuli sanctæ Ecclesiæ dum in veteris Scripturæ tegminibus novæ religionis splendorem suscipiunt, in profectu suæ devotionis adjuvantur.

5. Sed quia in diversis sanctorum Patrum operibus diversa hujus historiæ testimonia inveniuntur exposita, notare lector debet quia aliquando eorum sensus tractando subsequor, aliquando autem enodare historiam aliter insudo, ut et opus quod spe divinæ inspirationis aggredior, et antiquorum patrum auctoritate sit validum, et lectori nequaquam fastidiosum, dum inter ea quæ novit vetera ea etiam ei quæ non novit nova repræsentat. Ad quam profecto sententiarum pronuntiationem aliquando ex necessitate ducor, quia et Patres venerabiles si seriatim cuncta exponerent quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis quam tenere visi sunt observare nequaquam potuissent. Dum igitur sanctorum Patrum intellectus prætereo, necessitate aliquando, aliquando commoditate utor, quia et fastidium lectori amoveo, et dum totum seriatim discutio, multa ex mediis contra me veniunt quæ illorum sequi sententias non permittunt. In quo sane opere lectorem flagito, ut non verba ex eloquentium oratorum sanctæ Ecclesiæ comparatione consideret, sed sententiarum intellectus ex ecclesiasticæ disciplinæ rationibus penset, quia etsi juxta Dei prohibitionem in ejus domo nemus plantare nescio (*Deut.* XVI, 21), regulam tamen, qua sancta Scriptura fideliter exponitur, in nullo derelinquo. Sed et ubi 6 minus placet quod peritus lector invenerit, consideret quod dum spiritalem historiam et altis sensibus profundam, velut magni pelagi procellas nauta peregrinus aggredior, reprehensibile valde non est si gubernaculum dicendi pulchre non ducitur, cum spumantes undarum vertices irruunt, qui peritissimum regimen sæpe solvere clavum cogunt. Sic sic nimirum nec silvosa colere devotus arator ingrediens rectas sulcorum disponit lineas, si ea prius reducto vomere sæpius non rescindat, quia artem facilitas nulla sequitur, si eamdem arandi peritiam consuetudo culturæ præire nulla videatur. Verum nec planitiem historiæ quis hac æstimatione consideret, quia plerumque tanto difficilius ad spiritalium sensuum secreta pertingimus, quanto in littera planiori secretorum adituum situm longius videmus; et eo ejus tangere summa non possumus, quo gradus est inferior unde tangere summa cogitamus. Quid enim est intellectus divinitatis, nisi ineffabilis quædam summa celsitudinis? Et quia omnipotens Deus per Scripturas agnoscitur, quid est eadem sacra Scriptura, nisi gradus quidam, qui conscenditur ut illa sublimitas contingatur? Quoties ergo historia planior est, sed altior intellectus, quid est aliud, nisi quia talem gradum illa sublimitas habet a quo facile contingi non potest? Si ergo aliquid indecens etiam in planioris historiæ explanatione lector inspexerit, tanto benignius dare veniam poterit, quanto rationabilius agnoscit quia, dum a plano quod cernitur ad illa sublimia ultra non tendimus, facile vacillamus. Priora igitur voluminis, quia tam sanctæ Ecclesiæ sacramenta continent, quam mores electi hominis demonstrant, positi in studio bonæ conversationis, sub utroque intellectu sigillatim edissero, ut cum in actibus veterum novæ fidei rationes agnoscimus, in eis etiam conversationis nostræ ædificationem capiamus. Sed et quia in salute fidelium fides operibus prior est, typicam significationem, velut solidum fundamentum, præmittimus, cui totius suscepti operis fabrica in morali vel historica expositione imponatur vel subsequatur.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

(I. Reg. I, 1.) *Fuit vir unus de Ramatha Sophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Helcana, filius Hieroboam, filii Heliu, filii Thau, filii Suph, Ephrathæus.*

1. Quem ergo vir iste nobis insinuat, nisi Dominum ac Redemptorem nostrum, qui et in infirmitate nostræ carnis apparuit, et tamen eamdem susceptæ naturæ infirmitatem vitæ remissioris blanditiis non subegit? Vir quippe a virtute nominatur : Homo autem in paradiso conditus, bellum cum apostata angelo habuit, cui tamen per conditionalem virtutem resistere non curavit. 6 Fortis ergo conditus, sed hosti enerviter subjugatus, vir non fuit ex congressione, qui fuit ex munere. Sic itaque factus est fortis, ut damnata humana natura, victori hosti prævalere non posset, si hanc ille non assumeret, qui supra homines exstitisset. Factus est itaque præliator noster, Conditor noster. Sed utrum vir fuerit, noscitur, si ex ostensa virtute consideretur. Assumpsit nostram naturam, quæ dum in ipso vinceret, nobilitatem conditam repararet, et fieret in Redemptore infirma valida, quæ in Adam facta fuerat fortis infirma (*Matth.* IV). Cui nimirum, dum jejunaret, in eremo tentator adfuit, antiquæ victoriæ suæ tela reparavit, gulæ, 7 elationis ac superbiæ jacula intorsit; sed eum sibi per omnia resistentem reperit. Vir ergo

claruit per victoriam, qui fortem jam victorem apostatam angelum superans, non ei potentiam suæ divinitatis exhibuit, sed infirmitatem humanitatis. Hunc virum propheta Jeremias considerans, ait : *Femina circumdabit virum* (*Jerem.* XXXI, 22). Hunc Zacharias monstrat, dicens : *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12). Hunc beatus Petrus apostolus Judæis prædicans, dicit : *Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis : hunc præfinito consilio, et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes, interemistis* (*Act.* II, 22 *et* 23). Hinc eidem Redemptori in via colloquens Cleophas, ait : *De Jesu Nazareno, qui fuit propheta, potens in opere et sermone* (*Luc.* XXIV, 19). Vir etenim fuit, qui et in hoc mundo ab Ecclesia expulit antiquum hostem, et in inferno, moriens, alligavit. Et quia qui moriens inferni vires comminuit, resurgens nobis aditum reseravit æternitatis, magnitudinem virtutis suæ non solum vivendo monstravit nobis, sed etiam moriendo et resurgendo. Quia ergo Redemptor noster per humanitatem, quam assumpsit, magnæ virtutis opera egisse cognoscitur, recte is qui eum typo significat vir fuisse perhibetur.

2. Sed quærendum est, cur dicatur *vir unus*. Nam si unitas hæc referatur ad numerum, superfluum videtur : unusquisque enim unus, et non duo, est. Et sanctus Samuel, a quo ista scribuntur, contra morem scriptorum sanctæ Ecclesiæ frustra inchoasse nullatenus credendus est. Nam scriptor illius voluminis, cum beati Job vitam ad exemplum fidelium duceret, sic exorsus est : *Vir erat in terra Hus, nomine Job* (*Job* I, 1). Evangelista etiam Lucas, cum in principio sui Evangelii justi sacerdotis præconia diceret, ait : *Fuit in diebus Herodis regis sacerdos nomine Zacharias* (*Luc.* I, 5). Nam nec ille ait : Vir unus; nec evangelista : Fuit sacerdos unus. Quid est ergo quod electus propheta contra usum scriptorum, scribendi tale cœpit exordium? Sed quia non solum scriptor erat, sed etiam propheta, noverat de quo historia diceret; et qui per historiam dicebatur, noverat quem signaret. Quod ergo de historia præter usum narrat historiæ, hoc ad usum catholicæ fidei, in intellectu loquitur allegoriæ. Unde et hac nova consuetudine, simul tota confitetur Ecclesia, [a] quia *Deus et homo unus est Christus*. Dicit ergo : *Fuit vir unus ;* quia de Deo homine loquebatur, ut deitatem, et humanitatem ejus assereret, et non aliam suscipientis verbi, et suscepti hominis personam, sed Dei et hominis unam, eamdemque esse apertius demonstraret : quæ tamen unitas, ad excellentiam dignitatis ejus referri convenienter potest. Nam etsi Redemptorem alium sancta Ecclesia non habuit, ex virtutis ostensione viros nonnullos habuit. Dum ergo unus dicitur, incomparabilis demonstratur.

3. Nam æqualem non habuit, qui dum humano generi excellenti vita, et verbo consuluit, singulari munere dare potuit dona Redemptionis. Unde et Paulus ait : *Abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes ; in vita regnabunt per unum Jesum Christum* (*Rom.* V, 17). Hanc excellentiæ suæ dignitatem per semetipsum Judæis improperans, ait : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 24). Excellentiam quoque pulchritudinis ejus Psalmista considerans dixit : *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (*Ps.* XLIV, 3). Singulare bonum Redemptionis Isaias in eo testificans, ait : *Vere languores nostros ipse tulit, et iniquitates nostras ipse portavit* (*Isa.* LIII, 4). Singularem quoque dignitatem ejus, æternus genitor ostendens, a magnifica gloria clamavit dicens : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (*Matth.* III, 17; XVII, 5; *I Pet.* II, 17). Unus vir erat, quem Petrus confitens, ait : *Non est aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* IV, 12). Hanc excellentiæ ejus magnitudinem Paulus asserit, dicens : *Dominus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Philip.* II, 9). Et quia excellentia virtutis ejus non solum electos homines, sed etiam cunctos beatos angelos superat, Hebræis hunc prædicans Paulus, dicit : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum : Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium* (*Hebr.* I, 3, 4, 5). Recte ergo vir unus dicitur, cui nemo comparatur. Sed quem tantum agnovimus, audiamus jam unde esset.

4. *De Ramatha Sophim, de monte Ephraim.* Ramatha, Sophim et Ephraim, Hebraica nomina sunt, quorum primum in lingua nostra sonat, Visio consummata, secundum vero, Specula; tertium denique, Frugifer, sive fructificans, interpretatur. Quæ autem est visio consummata, nisi Dei omnipotentis cognitio perfecta? Hanc profecto consummatam visionem doctor Gentium insinuat, dicens : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem ; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII, 12). Et quid specula, nisi illa angelorum sublimitas intelligitur? Specula quippe in sublimi, ad clariorem visionem eligitur. Ramatha autem Sophim recte dicitur : quia illa Conditoris nostri perfecta cognitio, a solis illis beatis civibus haberi potest, qui in superna illa sublimitate consistunt. Jubar quippe æterni luminis in sui plenitudine, non in imo præsentis exilii, sed de statu respicitur æternæ sublimitatis. Unde bene Ramatha Sophim in monte Ephraim sita perhibetur. Quis est enim mons Ephraim, nisi cœlum? Mons quippe est frugifer, qui æternæ pulchritudinis flores, et fructus indeficientis gaudii, semper profert. Bene autem, et Ramatha, et Sophim in Ephraim monte decantatur.

[a] Indicare videtur confessionem seu symbolum fidei sub Athanasii nomine editum, quod in Ecclesia

sita perhibetur, quia illa omnipotentis Dei æterna visio, et altitudo illa civium beatorum, non in terra habetur, sed in cœlo. De Ramatha namque se esse insinuans, ait : *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem* (*Joan.* x, 15). Hinc iterum dicit : *Nemo novit Filium nisi Pater, et Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* xi, 27; *Luc.* x, 22). De specula, hoc est sublimi fuit, qui et Judæos increpans, dicit : *Vos de deorsum estis, ego autem de supernis sum : vos de hoc mundo estis, ego autem non sum de hoc mundo* (*Joan.* viii, 23). De monte Ephraim fuit, qui dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* vi, 51). De monte Ephraim eum fuisse Joannes Baptista affirmans, ait : *Qui de cœlo venit, super omnes est* (*Joan.* iii, 31). Hinc Psalmista ait : *A summo cœlo egressio ejus* (*Ps.* xviii, 7). Hinc Gentium doctor ait : *Secundus homo de cœlo, cœlestis* (*I Cor.* xv, 47). Vir ergo, qui unus fuisse asseritur, de Ramatha Sophim de monte Ephraim exstitisse **9** perhibetur : quia qui inter omnes natus supra omnes enituit, inde tantus in terra apparuit, quia de cœlo venit. De Ramatha quippe Sophim fuit, quia etsi incomparabilis hic refulsit, magnitudo tamen excellentiæ ejus non capitur, nisi ubi ejus perfecta cognitio æternis civibus exhibetur. Nam hic eum in excellentia virtutis aspexerat, qui dicebat : *Quod vidimus, et audivimus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ* (*I Joan.* i, 1). Sed quia magnitudinem excellentiæ ejus non viderat, in Ramatha eam nobis repromittit, dicens : *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum; sicuti est* (*I Joan.* iii, 2).

5. Potest autem hujus montis nomine, beatissima semper virgo Maria Dei Genitrix designari : mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros, usque ad solium deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Isa.* ii, 2). Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons quippe et domus apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra angelorum altitudinem, hanc divina fecunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, si in ejus ventre, per assumptam humanitatem, verbi divinitas non jaceret. Sed recte mons frugifer dicitur, de qua optimus fructus, id est novus homo generatur, quam certe in fecunditatis suæ gloria pulchram, ornatamque propheta respiciens, ait : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* xi, 1). De hujus namque montis fructu, David Deo exsultans, ait : *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum* (*Ps.* lxvi, 6). Terra quippe fructum suum dedit, quia A quem Virgo peperit, non concepit materiali opere, sed sancti Spiritus obumbratione (*Luc.* i, 35). Hinc eidem regi et prophetæ a Domino dicitur : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* cxxxi, 11). Hinc Isaias ait : *Erit fructus terræ sublimis* (*Isa.* iv, 2). Nam quem Virgo genuit, non solum homo sanctus fuit, sed etiam potens Deus. De hoc fructu ad eamdem beatam Virginem, Elisabeth salutante, dicitur : *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui* (*Luc.* i, 42). Recte igitur mons Ephraim dicitur, quæ dum ineffabili dignitate divinæ generationis attollitur, in ejus fructu, arida humanæ conditionis germina revirescunt. Vir igitur de Ramatha Sophim factus est de monte Ephraim : quia qui per divinitatis suæ potentiam angelos condidit, de carne præcelsæ Virginis, formam suscepit humanitatis. Et B quia per humanitatem, quam assumpsit, non ex infidelibus, sed ex fidelibus nasci voluit, sequitur : *Filius Hieroboam, filii Heliu, filii Thau, filii Suph.*

6. Quatuor quippe patrum nomina assignantur : quia dum ex fideli populo Dominus carnem sumpsit, eos per humanitatem patres habuit, quos totidem principalium virtutum gloria illustravit. Unde et non ad infidelem aliquem, sed ad fidelem Abraham divina promissione dicitur : *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ* (*Gen.* xxii, 18). Hinc evangelista Matthæus **10** generationis ejus ordinem texens, ait : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham* (*Matth.* i, 1). Hinc per semetipsum Samaritanæ mulieri loquitur, dicens : *Salus ex Judæis est* (*Joan.* iv, 22). C Hinc Paulus ait : *Quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa : quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* ix, 4 *et* 5). Quibus profecto, quia et prudentia adfuit in cognitione rerum; justitia, qua cognita disponere recta cuperent; fortitudo, qua exequi quæ vellent, bona potuissent; temperantia, per quam discrete cuncta perficerent, apte quaternario numero designantur.

7. Sequitur : *Ephrathæus*. Qui autem de Ephraim monte asseritur, cur Ephrathæus esse perhibetur? Sed hoc ad litteram patet, quia videlicet de Ephraim monte esse aliquis potuit, qui de tribu Ephraim natus non fuit. Dicitur ergo Ephrathæus, ut qui ex loco D ostenditur, de stirpe etiam propaginis agnoscatur. Quia vero Ephrathæus fructificans dicitur, recte hoc personæ Redemptoris adscribitur, qui prophetæ vaticinio prædicatur : *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo* (*Psal.* i, 4). Nam in præfinita apparens plenitudine temporum, cœlestis doctrinæ flores, in poma vertit electorum; et quotquot sibi conjunxit ex humano genere, quasi tot fructus protulit ad æternitatem : quo in loco dum Redemptoris vita describitur, latenter etiam diaboli perditio demonstratur. Nam de monte Ephraim fuit, et tamen Ephrathæus non fuit : quia de cœlo quidem cecidit, sed arbor pessima bonum fructum non dedit.

(Vers. 2.) *Qui habebat duas uxores, nomen uni*

Anna, nomen secundæ Phenenna : fueruntque Phenennæ filii, Annæ vero non erant liberi.

8. Quid per Phenennam, nisi Synagoga exprimitur? Et quid per Annam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Phenennæ quippe filii fuisse referuntur : quia cum Redemptor noster in carne apparuit, per Legem, quam dederat, per prophetas, quos miserat, editos in fide synagogæ filios invenit. Annæ autem non erant liberi, quia novitia tunc, et cœlesti sponso nuper conjuncta sancta Ecclesia, prædicando adhuc nequaquam pariebat. Unde et ei ejusdem sponsi voce in Cantico dicitur : *Soror nostra parvula est, et ubera non habet* (*Cant.* VIII, 8). Vel certe non pro inæqualitate ætatis filios non habuisse dicitur, sed per infecunditatem sterilitatis. Quæ est ergo sterilitas Annæ, nisi obduratio Judææ? Quæ enim dura corda Judæorum ad Redemptoris fidem convertere non potuit, nimirum sterilis fuit. Sed notandum, quia Phenenna, quæ prius parere dicitur, uxor secunda nominatur. Prius quippe synagoga in fide filios edidit, sed tamen dignitate sanctæ Ecclesiæ minor fuit. Secunda igitur uxor exstitit, non tempore conjugalis copulæ, sed inæqualitate prærogativæ. Sequitur :

(Vers. 3.) *Et ascendebat vir ille statutis diebus de civitate sua, ut adoraret et immolaret Domino Deo exercituum in Silo.*

9. Quæ enim spiritalis civitas Redemptoris, nisi Scriptura sacra exstitit? Hæc nimirum civitas suis civibus tot defensionum munimina contulit, quot præcepta; tot arma eis præbuit, quot consilia salutis. Quid autem fuit Redemptori nostro ascendere, nisi in humanitatis forma, divinitatis suæ alta revelare? Et quia in sacra Scriptura cognoscitur, **11** de civitate sua recte ascendere perhibetur. Statuti vero dies sunt promissiones de se, in sanctis Scripturis positæ. Dies quippe sunt, quia ad cognoscendum eum, electis lucent. Statuti quoque dies sunt, quia ab antiquis Patribus in eodem sacro eloquio eos esse positos non ignoramus. Diem namque ascensus ejus præfigebat Moyses, cum dicebat : *Prophetam vobis suscitabit Dominus de filiis vestris, tanquam me ipsum audietis* (*Deut.* XVIII, 18). Diem quoque statuebat, qui dicebat : *Non deficiet sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Diem hujus ascensus statuens, ait Michæas : *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* (*Mich.* V, 2). Hinc Isaias ait : *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII, 14). Quotquot enim de illo Legis et prophetarum promissiones sunt, tot statutos dies ad ejus ascensum intuemur. Nam velut in statutis diebus ascendebat, cum Judæis dicebat : *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis æternam habere vitam, quia ipsæ sunt, quæ testimonium perhibent de me* (*Joan.* V, 39). Hinc iterum dicit : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit* (*Ibid.*, 46). Statutis ergo diebus ascendit, quia promissionum insignia, quæ in sanctis Scripturis posuit, apparendo monstravit. Possunt autem statuti dies intelligi promissi in adventu ejus splendores miraculorum. Quos nimirum dies propheta Isaias statutos intuens, ait : *Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere : ecce Deus noster ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient : tunc saliet, sicut cervus, claudus; et aperta erit lingua mutorum* (*Isai.* XXXV, 4-6). Sed qui dies statutos ad ascensum Redemptoris agnovimus, utrum in eis ascenderit, videamus. Requisitus namque a Joanne, si ipsum, an alium exspectarent, respondit missis discipulis, et ait : *Ite et dicite Joanni quæ vidistis et audistis : cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes evangelizantur; et beatus homo, qui non fuerit scandalizatus in me* (*Luc.* VII, 19). Statutis ergo diebus ascendit, qui ut ab electorum suorum cordibus vetusti erroris caliginem pelleret, tot promissorum miraculorum splendoribus radiavit. Sed ascendit, ut adoraret et immolaret, quia ad hoc cognosci voluit, ut moriendo redimeret, quos vivendo docuisset. Adoravit quippe, quia in exemplum electorum se Deo Patri totum humilem, et abjectum per obedientiam præbuit. Immolavit autem, quia qui nobis exempla humilitatis vivendo dedit, se Deo Patri in ara crucis oblationem et hostiam tradidit, et quos vivendo docuit, moriendo redemit. Utrumque enim nobis valde necessarium novit, et ideo alterum sine altero non impendit. Nam cum natus esset in Bethlehem Judæ, eum fraude Herodes ad interficiendum quæsivit (*Matth.* II, 13); sed si tunc Redemptor moreretur, immolaret utique, et non adoraret : quia victima moriendo fieret, sed quos morte debebat liberare, nequaquam vivendo docuisset. Et si vivendo nos docens, mori contemneret, profecto adoraret et non immolaret. Ut ergo adoraret, persequentem se regem in Ægyptum fugit, et ut immolaret, dissuadenti Petro exprobravit, dicens : *Vade retro, satana, non enim sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum* (*Matth.* XVI, 23). Adorare namque se insinuans, ait : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 38). Hinc item dicit : *Quæ ei sunt* **12** *placita, facio semper* (*Joan.* VIII, 29). Immolare etiam se insinuans, ait : *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, et iterum sumam eam : nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 17, 18). Et paulo ante : *Ego sum Pastor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis* (*Ibid.*, 11). Immolare eum Paulus intuens ait : *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* V, 2). Ascendit ergo, ut adoraret, et immolaret : quia ad hoc se tot miraculis ostendit, ut nos verbis et exemplis instrueret, et mortem nostram moriendo superaret.

10. Sed notandum, quia cum ad immolandum Ephrathæus ascendere dicitur, Deus omnipotens, cui immolat, Deus exercituum nominatur. Cur hoc fieri

cognoscitur nisi quia Redemptoris morte non unus Judaicus populus, sed omnes Gentes redimebantur? Quid enim sunt fideles multitudines nationum, nisi Dei omnipotentis exercitus? Hos nimirum exercitus ad regis sui triumphum Psalmista exsultare cohortans, ait : *Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis* (*Psal.* XLVI). Hos convenire item intuens, dixit : *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et honorificabunt nomen tuum* (*Psalm.* LXXXV, 9). Dicitur ergo Dominus exercituum, quia profecto per mortem Dominicam non solum electa Judæa colligitur, sed omnes gentes ad Dei omnipotentis servitium perducuntur; quæ dum contra occultos hostes fidèles acies virtutum armis robustas ducunt, per gloriam triumphi ad superna regna perveniunt.

11. Locus etiam immolationis declaratur, quia dicitur : *In Silo*. Silo enim missus, sive missio interpretatur. Quid namque per hanc missionem, nisi summi Patris injunctum unigenito præceptum obedientiæ designatur? quid est etiam quod in Silo immolare dicitur, nisi quia non aliter se morti dedit, quam a Patre mandatum habuit? Non quippe immolaret in Silo, si aliter moreretur, quam præceptum a Patre habuisset. Unde et per semetipsum dixit : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (*Joan.* XIV, 31). Hinc Paulus ait : *Factus obediens Patri usque ad mortem crucis* (*Philip.* II, 8). In Silo igitur et adoravit, et immolavit : quia tam vivendo, quam moriendo, Patris sui voluntatem fecit. Sequitur :

(Vers. 3.) *Erant ibi duo filii Heli, Ophni, et Phinees, sacerdotes Domini.*

12. De quibus recte quæritur, cur dicantur sacerdotes Domini, qui non valde inferius Belial filii esse [a] referantur? Sed si ad litteram simpliciter istud de Heli filiis quæritur, facile respondetur : quia eo tempore sacerdotes Domini dicti sunt, quando simulacrorum sacerdotes ex deorum falsorum nominibus censebantur. Cum ergo dicuntur sacerdotes Domini, per insignia fidei, a simulacrorum cultoribus discernuntur. His enim verbis eorum fides, et non vita prædicatur : quia et pravitatem exercebant operis, sed non errabant in fide Conditoris. Quod tamen et tempore divinæ incarnationis Judææ prælatis convenienter adscribitur. Qui nimirum sacerdotes duo esse referuntur, et hoc ipsum non refertur ad virtutis laudem, sed ad calliditatis reprehensionem. Unde et per semetipsum Dominus eis comminatur, dicens : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris videntur pulchra, intus sunt plena ossibus mortuorum* (*Matth.* XXIII, 27).

13. Sed quid est, quod ibi esse referuntur? Si enim Silo, id est missio, illam summi Patris præceptionem significat, quomodo prælati Judææ ibi fuerunt, qui eum, cui injuncta fuit, non recipiendo venerati sunt, sed expellendo peremerunt? Ibi tamen fuerunt, quia etsi crudeliter sævierunt in mortem Domini, ex illa tamen crudelitate non sunt consecuti, quod sæviendo statuerunt, sed æterni Patris consilium in ejus unigeniti morte complebant. Consilium namque eorum fuit, ut eum ideo morti traderent, ne in ipsum populus credere potuisset; sed qui persecutores suos injunctæ sibi paternæ præceptionis adjutores habebat, mortuus resurrexit, et omnis mundus in eum credidit. Ibi enim erant filii Heli, Ophni, et Phinees, id est in missione : quia Redemptor noster ad implendam Patris sui voluntatem, Judæorum prælatos fautores habuit; quamquam ipsi se ei nequaquam favere crederent, quem occidere non pavissent. Unde et sequitur :

(Vers. 4.) *Venit ergo dies, et immolavit Helcana, deditque Phenennæ, et filiis, et filiabus ejus partes.*

14. Quem diem istum esse credimus, nisi quem Scripturæ sacræ testimonio Isaias statuit, dicens : *Tanquam ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram se tondente* [b] *obmutescet, et non aperiet os suum* (*Isai.* LIII, 7)? Venit quippe dies, cum claritas promissi oraculi tempus ostendit Dominicæ passionis. Tunc immolavit Helcana, quia se Redemptor noster æterno Patri in sacrificio nostræ absolutionis per mortem crucis obtulit. Tunc Phenennæ et filiis et filiabus ejus dedit partes, quia nimirum electos Judææ, quos apud inferos reperit, ad paradisi gaudia reportavit. Partes quippe eorum, sunt dona gaudiorum perennium. Unde et Psalmista sortis suæ situm eligens, ait : *Portio mea, Domine, sit in terra viventium* (*Ps.* CXLI, 6). Bene autem seorsum Phenenna et filii et filiæ seorsum in accipiendis partibus nominantur. Phenenna quippe doctores Judææ significat, filii vero validiores auditores ejus, filiæ autem infirmiores, ipsius subditos designant. Seorsum ergo mater, et filii, et filiæ memorantur : quia propter disparia electorum veterum merita, æqualia eorum præmia non fuerunt. Sequitur :

(Vers. 5.) *Annæ autem dedit partem unam tristis : quia Annam diligebat.*

15. Quid est, quod cum partes Phenennæ, et filiis, et filiabus dedit, tristis nequaquam fuit : cum vero partem unam Annæ tribuit, tristis fuisse perhibetur? Sed quid est una pars Annæ, nisi temporalis afflictio sanctæ Ecclesiæ? Hanc namque ei partem dabat, cum dicebat : *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini* (*Joan.* XVI, 20). Hanc partem ei dabat, cum Ananiæ Paulum commendaret, dicens : *Vade, quia vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel : ego enim ostendam ei, quanta eum oporteat pro nomine meo pati* (*Act.* IX, 15 *et* 16). Unde in ejus acceptione idem doctor Gentium gloriatur, dicens : *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in corpore meo* (*Col.* I, 24). Hinc iterum dicit : *Ego stigmata Jesu in corpore meo*

[a] Al., *referuntur*.

[b] Al., *Tondente sine voce non aperiet os suum?*

porto (*Galat.* VI, 17). Hinc ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Ibid.*, 14). Unam quippe partem a sponso susceperat, qui gloriari in sola cruce disponebat. Cum ergo partes Phenennæ tribuit, Helcana tristis non fuit; quia Redemptor noster electos synagogæ, post mortis triumphum; **14** paradisi gaudiis jam lætus reddidit. Annæ autem partem tristis tribuit, quia non compati ei non poterat, quam mortis conjugem relinquebat, et crucis hæredem. Unde et patiente Stephano, apertis cœlis, Jesus stare perhibetur (*Act.* VII, 55). Stare enim ejus compati est.

16. Quod autem subditur, *quia Annam diligebat*, utriusque rei causa intelligi convenienter potest. Nam sive hunc ideo tristem esse quis accipiat, quia Annam diligebat, sive idcirco ei partem unam tribuisse, a bono intellectu non vacat. Si enim non diligeret, compati ejus passionibus nequaquam vellet. Nam cur illa de Ægypto educitur, nisi quia ad passionem invitatur? Sed ei lacte, et melle emanantia loca promittuntur. Bene igitur cum ei partem unam dare dicitur, diligere eam perhibetur: quia nimirum Redemptor noster sanctæ Ecclesiæ, etsi crucis suæ laborem credidit, excellentiora ei valde in cœlo constituit dona retributionis. Cujus nimirum passionis incrementa edisserens subdit, atque ait:

(Vers. 6 et 7.) *Dominus autem concluserat vulvam ejus. Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat in tantum, ut exprobraret ei, quia concluserat Dominus vulvam ejus.*

17. Vulvam quippe sanctæ Ecclesiæ Dominus clausit, quia summo ejus judicio repulsum Judæorum populum in Redemptoris nostri fide generare non potuit. Quam nimirum ejus æmula afflixit, quia contra eam synagoga minis atque exprobrationibus sævit. Sed ei quam nec minæ neque contumeliæ fregerant, etiam tormento pœnas inferebat. Bene itaque eam non solum affligere, sed vehementer angere perhibetur: quia repulsa Judæa contra electam Ecclesiam cum terrore minarum, movit, et plagis cædit. Unde et de persequente tunc Saulo, in Apostolorum Actibus dicitur: *Saulus adhuc spirans minarum, et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum, ut si quos inveniret hujus viæ viros, vinctos perduceret in Jerusalem* (*Act.* IX, 1 *et* 2). Qui enim minas et cædes spirabat, nimirum eam, quam non bene æmulabatur, Ecclesiam non solum affligebat, sed etiam angebat. Nam ejus æmulum se fuisse fatetur, dicens: *Audistis enim aliquando conversationem meam in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum* (*Galat.* I, 13, 14). Et quia in tantæ damnationis profundum Judæa cecidit, ut inde lætetur, quod æterna Dei animadversione projicitur, subjunctum est: *In tantum, ut exprobraret ei, quod dominus conclusisset vulvam ejus.* Adhuc quippe pro magno habebat, quod converti ad fidem non prævalebit. Quasi ergo magnitudinem cæcitatis ejus propheta admirans, ait: Tanta caligine erroris deprimitur, ut inde bonis insultet, quod ipsa bona fieri ultra non potest. Cui profecto pereunti quia sancta Ecclesia condoluit, sequitur:

(Vers. 7.) *Porro Anna flebat*

18. Nam et doloris sui lamenta protulit, dicens: *Tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo: optabam quidem et ipse anathema fieri pro fratribus meis a Christo, qui sunt cognati mei secundum carnem* (*Rom.* IX, 2, 3). Et quia de eorum conversione gaudium non recepit, subditur:

15 (Vers. 7.) *Et cibum non capiebat.*

Cibum denique caperet, si de Judææ integra conversione lætitiæ refectionem habuisset. Quæ ergo flevit cibum non accepit, quia quæ de pereunte Judæa doluit, de ejus salute gaudium non recepit. Sed cibus lætitiæ, qui de Judæorum conversione non datur sanctæ Ecclesiæ, per sponsi cohortationem porrigitur. Nam verba prædicationis ejus, etsi auditores non recipiunt reprobi, non tamen vacant a mercede retributionis. Omnipotens enim Deus, et hoc remunerat quod sine reproborum profectu reprobis impenditur; et quod electis prædicatoribus adversitatis ingerunt, per libram æqui examinis in lucro eis pensat retributionis. Unde apte subinfertur:

(Vers. 8.) *Dixit ergo ei Helcana vir suus: Anna, cur fles? Et quare non comedis? Et quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior sum tibi, quam decem filii?*

19. Quasi ergo per internæ inspirationis solatium menti doctoris Redemptor dicat: Frustra de amisso lucro prædicationis quereris, quæ eo abundantiorem fructum recipis, quo affectum charitatis etiam inimicis impendis. Inde igitur doles, unde gaudere debuisses. Et quia ipse est electorum præmium, interrogat dicens: *Numquid non ego melior sum tibi, quam decem filii?* Decem namque filios Anna pareret, si primitiva Ecclesia Judæorum populum sub decalogo Legis positum in fide genuisset. Et quia nonnulli prædicando prosunt aliis, qui per multa displicent Conditori, ratione ostenditur, quia melior vir suus Annæ, quam decem filii sunt. Potest autem et per hoc quod cur fleat, inquiritur, ipsius Judææ perditio designari. Quasi dicat: Otiose plangitur, cui justorum prece nequaquam indulgetur. Cum ergo subsequenter interrogat: *Quare non comedis?* Profecto ei gaudium de conversione gentilitatis intimatur. Quasi ergo dicat: Cum orbem universum parere debeas, frustra non gaudes, quod ea, quæ projecta est, erroris tenebras non relinquat. Sequitur:

(Vers. 9 et 10.) *Surrexit ergo Anna, postquam comederat, et biberat in Silo, Heli sacerdote sedente super sella ante postes templi Domini, et cum esset amaro animo oravit ad Dominum flens largiter.*

20. Quid enim fuit tunc sanctæ Ecclesiæ manducare, nisi cibum solatii divina cohortatione suscipere? Et bibere ei quid exstitit, nisi de infusa sibi internæ consolationis suavitate gaudere. Nam si cibus confortat, potus exhilarat; cibum ergo sumimus,

quando visis æternis præmiis, inter adversa roboramur. Et quasi post cibum bibimus : quia ubi se mens electi in æternorum bonorum [a] cogitatione roborat, eo copiosius gaudet inter magna adversa quæ sustinet, quo magnis laboribus ampliores repositas in cœlo retributiones videt. Audax quippe superna refectione tunc reddita, vires renovat, ut tanto fortius terrena despiciat, quanto eam supernorum amor exaltat. Bene itaque postquam manducavit et bibit, surgere Anna memoratur. Surrexit namque, quia ad prædicationis instantiam animum reformavit.

21. Et quia Judaicus populus adhuc sacrificiorum ritus, adhuc et honorem legalis magisterii, et sublimitatem pontificalis dignitatis habebat, super sellam Heli sacerdos sedere perhibetur. Quod tamen **16** Legis magisterium, quia non spiritaliter, sed carnaliter exhibere poterat, non intra templum, sed ante postes templi sedebat. Quid est enim templum Domini, nisi spiritalis intelligentia sanctarum Scripturarum ? Postes autem templi sunt Lex et Prophetia. Unde et in monte Dominus in medio Moysi et Heliæ transfiguratus apparuit (*Matth.* XVII, 3 ; *Luc.* IX, 30) : quia tunc divinitatis ejus splendor aspicitur, cum non in occidente littera (*II Petr.* I), sed in spiritalis Legis et prophetiæ significatione, ejus sacramenta requiruntur. Heli ergo sedebat ante postes templi, id est foris, quia doctores synagogæ a spiritali Scripturarum intelligentia expulsi erant, et tamen in subversione subjecti populi, auctoritatem habebant magisterii, et dignitatem prælationis. Anna autem amaro animo flevisse scribitur.

22. Et quia potum Annæ ad lætitiam retulimus sanctæ Ecclesiæ, quæ lætari ostenditur, amaro animo flevisse quomodo narratur ? Sed rationabiliter intelligi potest, quia ad lætandum hanc contemplatio supernæ retributionis extulerat, et compassio repulsæ Judææ in amaritudinem animi afficiendo concitavit. Inter turbines quippe magnæ persecutionis deprehensa, revelatis sibi supernis præmiis, exsultavit, sed in amaritudinem incidit, quia electum prius populum perire conspexit. Unde et orans largiter flere describitur, ut tantæ affectionis munere, populi sui salutem a Domino impetrare potuisset. Potest et hoc totum aliter intelligi. Nam in Silo, id est in ministerio, quo missa est, manducavit ; quia etsi omnem Judæorum populum lucrifacere non potuit, plures tamen ex eo ad Redemptoris fidem prædicando convertit. Unde et prædicante Petro, una die quinque millia hominum (*Act.* IV, 4), altera vero, tria millia crediderunt (*Act.* II, 4). [b] Et quia quod bibimus, facilius glutire possumus, quam quod manducamus : manducavit Anna et bibit, quia difficile alios, alios vero facile prædicando convertit. Nam et ad prædictam Petri prædicationem plura millia uno momento crediderunt, sed Paulus non ante credidit, quam ipsis prædicatoribus per minas et cædes vehementer obstitit. Postquam autem manducavit, et bibit in Silo Anna, surrexit : quia ut eos, qui erant prædestinati ad æternam vitam, de Judæa abstulit, sese ad prædicationem Gentium præparavit. Sed qualem gignere appetebat, ostenditur per hoc, quod additum est :

(Vers. 15.) *Et votum vovit, dicens : Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ, et novacula non ascendet super caput ejus.*

23. Quid est, quod Anna virilem sexum a Domino postulat, nisi quia eos, quos sancta Ecclesia parere prædicando appetit, Evangelica perfectione fortes esse concupiscit ? In comparatione quippe Evangelicæ perfectionis, opera illa Legis, quæ videbantur fortia, non fuerunt fortia, sed infirma. Ibi enim mandatum est : *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Levit.* XIX 18). In Evangelio autem Dominus præcipit, dicens : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* V, 44). Ibi [c] immunditia fornicationis a corpore reciditur, ut fortitudo conversationis, quasi virili sexu præcellat, etiam **17** a corde immunda cogitatio resecatur : *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V, 82). Synagoga igitur, quæ infirmitate præceptorum Judaicum populum genuit, non peperit sexum virilem, sed potius muliebrem. Anna itaque dum virilem sexum sibi dari a Domino postulat, quid aliud exoptare cernitur, nisi tales per Evangelium gignere, qui fortes appareant, et exteriori munditia corporis, et interna charitate ?

24. Et quia de conversione gentilium humanam gloriam prædicatorum ordo non appetit, subjectum est : *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ.* Domino namque filium dat qui de eo quem prædicando gignit aliquid suis laudibus non usurpat. Omnibus quoque diebus vitæ suæ hunc Domino tribuit, qui de virtutibus, in quibus subditus meliorando proficit, propriis favoribus nihil ascribit. Dies namque vitæ electi subditi sanctæ virtutes sunt, quæ ejus animam coruscando illuminant ne in via cœlestis patriæ vitiorum nocte tenebrescat.

25. Sed perfectus ordo prædicatoris, dum favores de lucro prædicationis habere despicit, subditorum temporalia bona ambiendo non tollit. Unde bene quoque illic subditur : *Et novacula non ascendet super caput ejus.* Novacula cum super caput ascendit, capillos radit. Quid enim per capillos, qui corpori superfluunt, nisi abundans terrenæ substantiæ copia designatur ? Et quid per novaculam, nisi malorum

[a] Gilot., *fructu roborat.*

[b] Eadem dicit Bernardus in Tract. de diligendo Deo, cap. 11, col. 597 et 598 novæ editionis.

[c] Quædam hic deficere videntur. Legendum fortasse : *Ibi immunditia fornicationis a corpore reciditur : hic, ut fortitudo*, etc., ut scilicet ostendatur Legis Evangelicæ ac Mosaicæ discrimen.

pastorum cupiditas exprimitur ? Qua novacula nati filii caput raditur, cum bona subditorum per prædicatorum cupiditatem rapiuntur. Hinc namque et delinquenti Judææ per prophetam dicitur : *Pastores tui lupi vespere non relinquentes in mane* (*Soph.* III, 3). Vespere namque pastores lupi fiunt, quia intenebrescente, atque decrescente in fine isto sæculo, rapere subditorum bona non metuunt. Qui in mane non relinquunt, quia dum temporalibus inhiant, inalbescente adventu futuri judicii, danda sibi præmia non reservant. Quos nimirum Michæas denotat, dicens : *Prophetæ qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem ; et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium* (*Mich.* III, 5). Prophetæ quippe populum Domini seducunt, cum prædicatores reprobi auditorum suorum judicia confundunt. Et mordentes dentibus pacem nuntiant, quia in appetitu suæ rapacitatis, dum terrena flagitiosorum dona suspiciunt, eis divinæ indulgentiæ securitatem pollicentur. Super ipsos autem prælium sanctificant, qui in ore eorum aliquid non dant, quia justos etiam districtis sententiis terrent, qui eis pro voto terrena non exhibent. Qui nimirum super caput filii novaculam ponunt, dum prætextu charitatis cœlestia prædicant, ut eis terrena per cupiditatem tollant. Hanc certe novaculam quod sancta Ecclesia in prædam subditorum non habeat, doctor egregius in semetipso ostendit, dicens : *Non quæro datum, sed quæro fructum* (*Philip.* IV, 77). Hinc item dicit: *Qui Evangelium annuntiat, de Evangelio vivat. Ego autem non sum usus hac potestate* (*I Cor.* IX, 14, 15). Qui enim necessaria non curat a subditis alimenta percipere, ostendit plane qua mundani contemptus sublimitate lucra turpia et illicita dona confutaret. Anna igitur dum novaculam non ascensuram super caput filii vovet, aperte mores sanctæ Ecclesiæ insinuat, quæ ad æternam vitam electos loquendo parturit, **18** sed temporalia bona eorum per avaritiam nunquam tollit. Sed quia hoc de Anna adhuc vovente, et non pariente dicitur, apte subinfertur :

(Vers. 12.) *Factum est autem, dum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus.*

26. Quid fuit sanctæ Ecclesiæ pro pariendi desiderio preces coram Domino multiplicare, nisi assiduis orationibus pro convertenda Synagoga insistere? Et quid Judaico sacerdotio os ejus observare, nisi prædicationi sanctæ Ecclesiæ insidiari? Os namque ejus observavit, quia rectam prædicationem fidei reprehendere vehementer studuit. Bene autem tunc os ejus observasse dicitur, cum illa preces multiplicaret, quia tanto callidius ei nocere studuit, quanto majora ejus desideria in prædicationis instantia recognovit. Denique os ejus non observaret, sed attenderet, si prædicationem fidei nostræ ad salutis suæ fructum audire voluisset. Sequitur :

(Vers. 13.) *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia ejus movebantur, et vox penitus non audiebatur.*

27. Quid est aliud cor sanctæ Ecclesiæ, nisi ea quæ intra se est devota et erudita beatitudo fidelium ? In corde autem suo Anna locuta est, quia sanctæ Ecclesiæ prædicatio eis tantum profuit qui vero lumine illustrandi erant ex divina prædestinatione. Quid vero est motus labiorum, nisi signorum promotio in sanctis prædicatoribus ? Qui profecto, etsi velut foris loquentia labia et in imo stare videbantur, dum cæcis visum, auditum surdis, vitam mortuis dabant, magnos utique meritorum motus exhibebant. Unde et illud ingens labium sanctæ Ecclesiæ, dum loquens velut in imo stare videretur, quia non solum verbo et conversatione humilis erat, sed et signorum potestate sublimis, ut motus sui, usque ad cœlum se extulit, dicens : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Heli itaque tantum Annæ labia mota conspexit, et vocem penitus non audivit, quia [a] Judaicum sacerdotium opera apostolorum miratum est, sed ex eorum prædicatione non est promotum in salutem. Vox itaque Annæ non audiebatur, quia etsi signorum ostensione sancta Ecclesia mirabilis erat, dum prædicationis verba protulit, ad amorem Redemptoris extraneos accendit. Sed quid de ea sentiat Heli, quam non intelligit ? Sequitur :

(Vers. 13.) *Æstimavit eam igitur Heli temulentam.*

28. Hoc nimirum etiam juxta historiam Actum apostolorum agnovimus, quia diebus Pentecostes sancti apostoli ebrii crediti sunt, cum, accepta sancti Spiritus plenitudine, Christi magnalia omni lingua loquerentur (*Act.* II, 4). Spiritualiter autem sancta Ecclesia ebria creditur, quam Judæa non æstimat vera asserere, sed hæretica, et falsa prædicare. Ebria tamen erat, non potatione erroris, sed repletione Spiritus sancti. Etenim mutare cor, mentem alienare consuevit ebrietas. Mutato autem corde pergebat, qui nuper domos intrans, fideles quosque minis terrens, cædibus lanians, jam eum quem persecutus Jesum fuerat verum esse omnipotentis Dei Filium prædicabat (*Act.* IX, 5, 20). Unde et superioris sensus insaniam sese perdidisse glorians, dicit : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (*I Tim.* I, 13). Aliud cor se accepisse testificans, ait : *Nos autem sensum Christi habemus* (*I Cor.* II, 16). Unde et tanto attentius prædicabat, quanto in sensu Christi vim majoris dilectionis acceperat. **19** Sed dum ardenter sancta Ecclesia diligeret, dum fiducialiter ea quæ diligebat prædicaret, Judæorum sacerdotium ejus verba in onere impatientiæ, non in suavitate devotionis, habuit. Quare et sequitur :

[a] In Editis, *Judaicum sacerdotium opera apostolorum miratus est, sed eorum prædicatione non est promotus*, etc., quod retinere non potuimus.

(Vers. 14.) *Dixitque ei : Usquequo ebria eris?*

Et quia ei silentium indicere tentavit, adjunxit :

(Vers. 14.) *Digere paulisper vinum, quo mades.*

29. Vinum quo madebat Anna digereret, si a fervore prædicationis sancta Ecclesia Judæorum minis victa tepuisset. Et quia ultro prædicationis sensum ei subtrahere nitebantur, vinum Anna paulisper digerere jubetur. An non digerere Annam Heli tunc jussit, cum Judæorum principes cæsis apostolis denuntiaverunt, dicentes ne ultra loquerentur in nomine Jesu ? [a] Sed quia illud quo madebant digerere vinum noluerunt, respondentes, dixerunt : *Obedire oportet magis Deo quam hominibus* (*Act.* v, 29). Et iterum : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui* (*Ibid.*, iv, 20). Sed quia sancta Ecclesia inter verba libertatis virtutem mansuetudinis custodivit, sequitur :

(Vers. 15.) *Nequaquam, Domine mi.*

30. Dominum namque vocavit, cui ministerium prædicationis exhibuit, sed Dominum vocans, ebriam se esse abnegat ; ut superiori ordini ex humilitate se subderet, et falsæ objectioni ex veritate contrairet. Dominum namque eum vocans, honoravit ; et ebriam se esse abnegans, quod non erat satis humiliter ostendit. Potest autem ebrietatis objectio erga sanctam Ecclesiam aliter accipi. Nam dum ministerio evangelicæ prædicationis insisteret, dum ex lucro credentium, in magnam populorum gloriam veniret, eam sacerdotes Judæorum non putabant æternorum bonorum culmen appetere, sed terrenæ sublimitatis gloriam desiderare. Dum ergo ebria vocatur, everso statu mentis, cœlestia postponere et appetere terrena reprehenditur.

31. Sed quæ labentia bona sæculi [b] despexit, dicit : *Nequaquam, Domine mi. Nam mulier infelix nimis ego sum.* Quasi dicat : Tu me labentis mundi felicitatem appetere cogitas, sed ego tanto infeliciorem me video, quanto felicitatis meæ gaudia hinc longius recognosco. Quia vero illic me futuram felicem credo, hic eo valde me infelicem arbitror, quo ad gloriam nullam concupisco. Mulier quippe sancta Ecclesia dicitur pro fecunditate, infelix nimis pro fortitudine, quia et orbem verbo paritura erat, et orbis gloriam non posset perfecte despicere, si non eam supernus amor mira fortitudine roboraret ; vel nimis infelix fuit, quia de perditione populi sui non parum doluit. Quam profecto sapiens Salomon vehementer admirans, ait : *Mulierem fortem quis inveniet* (*Prov.* xxxi, 10) ? Quo in loco etiam notandum est quia non dicit mulier infelix, sed nimis ego sum. Nimis namque infelix fuit, cui nullum de sæculo blandimentum placuit. Vel certe nimis infelicem se asserit, quæ se ab æternæ vitæ gaudiis expulsam per primæ culpæ meritum meminit, ad quæ redire non prævalet, nisi per multas vitæ hujus tribulationes. Non enim nimis infelix existeret, si ad perdita paradisi gaudia sine præsenti tribulatione reverti potuisset. Hinc namque Paulus, nimiæ hujus infelicitatis ærumnam inevitabilem ostendens, dicit : *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* (*Act.* xiv, 21). Ac si ergo detrahenti sibi Judaico sacerdotio sancta Ecclesia respondens dicat : Tu mihi regnum aseribis in felicitate temporis, sed meum illud est ad quod non pertingitur nisi ex afflictione multæ tribulationis, sequitur :

(Vers. 15.) *Vinum et omne quod inebriare potest non bibi.*

32. Vinum namque non bibit, quia de prædicationis officio temporalia lucra non petiit. Aliud quod inebriare potest non bibit, quam in lapsum vitiorum carnis concupiscentia non evertit. Juxta superiorem vero sententiam vinum non bibit, quæ aliquid pravitatis hæreticæ non habuit in refectione. Aliud quod inebriare potest biberet, si de verbi facundia decepta tumuisset. Quia vero recta intentione vera docuit, subdens, ait :

(Vers. 15.) *Sed effudi animam meam in conspectu Domini.*

33. In conspectu namque Domini animam effundere est conceptam in mente verbi Dei scientiam pro solo conditoris amore prædicare. Anima quippe effunditur, cum innatus verbi Dei intellectus ad utilitatem audientium divulgatur. Quisquis enim pro humanis favoribus, quisquis pro terreno commodo, verbum Dei prædicat, quia res alia de prædicatione attenditur, in conspectu Domini verbum illud animæ non profertur. Quare et doctor gentium asserit, dicens : *Non sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed sicut ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur* (*II Cor.* ii, 17). Anna ergo in conspectu Domini animam suam effudit, quia sancta Ecclesia in virtutum omnium culmine perfecta, in eruditione fidelium magna facundiæ verba protulit, sed ex vitæ verbis soli Deo placere desideravit. Cujus prædicationis etiam ministerium commendat, dicens :

(Vers. 16.) *Ne putes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens.*

34. Quasi dicat : Quæ tibi æternæ vitæ bona loquitur, velut [c] idololatra despici non meretur. Ancillam quoque suam se esse asserit, ut cognoscat ex nomine ministerii quia ad æterna ei appetit lucra famulari. Sequitur : *Quia ex multitudine mœroris et doloris locuta sum usque in præsens.* Quasi apertius loquatur, et dicat : Hinc agnosce quod nihil a malo spiritu habeam, quia ex multa pœna persecutionis ad loquendum venio, et prædicationis instantiam nullis pœnis victa derelinquo. Potest etiam dolor Annæ ad affectionem sanctæ Ecclesiæ, mœror ejus referri ad passionem. Ex multitudine quidem [d] doloris loquta est, quæ pereunti Judaico populo verbum

[a] Gilot., *sed qui.*
[b] Gilot., *despexerat.*
[c] Gilot. et Vatic., *idolatra.*
[d] Deest *doloris* in Editis. Requiri tamen ex sola lectione liquet.

prædicationis protulit ex affectu compassionis. Quod Paulus insinuat, dicens : *Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo : optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis a Christo, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ* (*Rom.* IX, 1, 2, *seq.*). Sed qui se ex multitudine doloris loqui insinuat, an ex multitudine loquatur dicat : *A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum* (*II Cor.* XI, 24). Sancta vero Ecclesia patienter adversa tolerans, humiliter innocentiæ, et veritatis suæ virtutem manifestans, quibusdam Judææ sacerdotibus bonum prædicationis suæ loquendo persuasit. Quare et subditur :

21 (Vers. 17.) *Tunc ait Heli : Vade in pace, det tibi Deus Israel petitionem quam rogasti eum.*

35. Prius quippe Heli oranti Annæ prolatis contumeliis contradixit, postea vero in ejus sibi devotione complacuit. Quid est hoc, nisi quod Judaicum sacerdotium, et per alios sui officii ministros prædicanti Ecclesiæ obstitit, et per alios cognitæ demum fidei nostræ veritati consensit? Nam de obsistentibus dicitur, qui cæsis denuntiaverunt apostolis, dicentes ne ultra loquerentur in nomine Jesu (*Act.* V, 40). De consentientibus autem idem Lucas meminit, dicens : *Plurima turba sacerdotum obediebat fidei* (*Ibid.*, VI, 7). Tunc ergo Heli pro voto fecunditatis Annæ precatus est, cum sacerdotum plurima illa turba, fidei obediens, per prædicationem sanctæ Ecclesiæ electorum numerum multiplicari desideravit. Quam certe in pace ire optavit, quia fructum prædicationis eam desideravit consequi, sine dolore passionis. Et quia in eorum voto sancta Ecclesia sibi complacuit, sequitur :

(Vers. 18.) *Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.*

Quasi dicat : Juxta intuitum desiderii tui opus ministerii mei subsequatur gratia divinæ dispensationis. Sequitur :

(Vers. 18.) *Et abiit mulier in viam suam, et comedit, et bibit, vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati.*

36. In viam suam mulier abiit, quia sancta Ecclesia verbum fidei gentibus prædicavit. Quod et apostoli Judæis comminantes dicunt : *Quia indignos* [a] *vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 46). Quæ bene mulier tunc dicitur, cum recedit, quia per prædicationem Redemptoris exhibitura erat in gentibus fructum magnæ fecunditatis. Comedit autem, et bibit, et tamen vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati, quia magna lucra de conversione gentium habuit, sed persecutionem quam in Judæa passa fuerat, etiam in gentibus invenit. Sed ordine quo abierit edisserens, ait :

(Vers. 19.) *Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino ; reversique sunt, et venerunt in domum suam, in Ramatha.*

37. Quid est autem quod supra de sola Anna singulariter dicitur : *Abiit mulier in viam suam*, nunc vero pluraliter : *Surrexerunt mane*, nisi ut cum viro descendere cognoscatur? Et quia vir sanctæ Ecclesiæ Redemptor humani generis est, qui jam ad cœlos ascenderat, cum ipsam Judæam incredulitatis suæ caligine obrutam relinquebat, quomodo de Anna et de viro suo Helcana intelligi in Christi et Ecclesiæ typo nunc potest quod simul mane surgerent, et in civitatem suam pariter redirent? Sed quia civitatem Ramatha, cœlestem patriam designare jam diximus, quomodo hoc sanctæ Ecclesiæ convenit, quæ statim ut a Judæorum prædicatione cessavit, ad cœlestem patriam [b] non ascendit? Verum quia resurgens a mortuis Dominus, missis in prædicatione doctoribus loquitur, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20), absurdum non est ut cum eo sancta Ecclesia surgere et reverti sentiatur. Qui enim electos suos per spiritalem præsentiam nunquam deserit, et cum stantibus permanet, et cum abeuntibus recedit. Ramatha vero cœlestem patriam designare diximus, sed quod nihil aliud significare possit non diximus. Quid ergo aliud hoc **22** in loco significat, nisi adimpletionem prophetiæ in gentium vocatione? Ramatha quippe visio consummata dicitur, ut jam diximus. Quid vero est gentium jam impleta vocatio, nisi prophetarum visio consummata? Nam visionem asserebat, sed non consummatam, qui de futuro adhuc quod viderat pronuntiabat, dicens : *Omnes gentes quascunque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine* (*Psal.* LXXXV, 9). Hinc item repromittit, dicens : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei* (*Psal.* LXXI, 15). Visio igitur consummata recte prophetarum promissio dicitur, quia nimirum, auctore Deo, juxta eorum oracula, in Redemptorem humani generis omnes gentes crediderunt. Mane autem cum viro suo Anna surgere dicitur, quia sancta Ecclesia in exortu interni luminis ad gentes transiit cum verbo prædicationis. Vel mane surgit, quod Judæam in nocte infidelitatis deseruit. Mane etiam surgit, quia prosperum iter in conversione gentium invenit. Et coram Domino adoravit, quia in repulsione Synagogæ incomprehensibile judicium venerata est omnipotentis Dei. Adoravit quippe, et recessit, quia cum a gentis suæ prædicatione pro sola Dei omnipotentis ordinatione recederet, divino judicio per obedientiam obsecuta est quod penetrare intelligendo non potuit. Adorans autem reversa est, quia ministerium prædicationis in vocatione gentium adimplere proposuit, sed tantum ejusdem prædicationis modum in superna contemplatione quæsivit. Reverti enim prædicatoribus est ad divinæ contemplationis lumen recurrere. Inde quippe lucem hauriunt, qua et ad venerationem fidelium luceant, et quam lo-

[a] Gilot., *vos fecistis.*

[b] Gilot. et Vatic., *non ascenditur.*

quendo auditorum suorum mentibus infundant. Hinc namque est quod prædicator egregius ante ad tertii cœli secreta sustollitur, et sic terrena disponere perhibetur, et paradisi secreta ingrediens verba percipit, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 2), ut discernere et loqui utiliter foris possit. Anna ergo reversa memoratur, quia sancta Ecclesia dum terrena disposuit, qualiter sint eadem terrena disponenda, in ea ad quam sæpe revertitur Dei contemplatione instruitur. Et tunc demum in domum suam venit, quia in auditorum devotione collocare se potuit, cum accedendi ad eos modum sursum revertendo cognovit. Domum namque sanctæ primitivæ Ecclesiæ gentium devotio exstruxit, quam, dum sibi in eis condidit, custodiæ sollicitudine inhabitavit. Quæ videlicet domus posita in visione consummata describitur, quia non ante condi potuit quam vocationis ejus prædictum a prophetis tempus advenit. Sequitur :

(Vers. 19 et 20.) *Cognovit autem Helcana Annam conjugem suam, et recordatus est* [a] *ejus Dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna et peperit filium.*

38. Helcana Annam conjugem suam tunc cognovit, cum Redemptor noster præfinitum tempus vocandæ gentilitatis aspexit, quo dum novæ sponsæ, sanctæ videlicet Ecclesiæ, gremio gratiam superni amoris infunderet, novam ex ea prolem fidelium generaret. Nam velut nondum cognoscebat eam, cum volentes transire in Asiam prædicatores a Spiritu sancto prohibiti sunt (*Act.* XVI, 6). Hinc est, quod cum ad prædicationem Judææ discipulos suos mitteret, per semetipsam Veritas prohibet dicens : *In viam gentium non abieritis, et in civitates Samaritanorum non intraveritis* (*Matth.* X, 5). Quando autem cognovit **23** Annam conjugem suam Helcana, tunc recordatus est ejus Dominus, quia gentilitas tunc venisse in Dei memoriam visa est, cum sancta Ecclesia, Verbo Dei per amoris gratiam conjuncta, in salute visitatur. Quid est hoc loco circulus dierum, nisi innumeris sancti Spiritus ostensa radiis manifestatio divinæ voluntatis? Quæ profecto dum prædicatorum suorum mentibus, in contemplatione suspensis, claritates supernæ dispositionis innumeras exhibet, nimirum, veluti plures dies, temporum circulus clausas tenet. Circulus quippe dierum Annæ conceptum prævenit, quia sanctæ Ecclesiæ Verbum Dei ad docendum non ante infunditur, quam ab ea supernæ dispositionis radii plenius agnoscantur. Quæ concipiens filium peperit, quia ii quos in fide Redemptoris parit nova conversatione robusti sunt.

(Vers. 20.) *Et vocavit nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum.*

39. Samuel interpretatur, nomen ejus Deus. Quem ergo nobis Samuel convenientius insinuat, quam prædicatorum ordinem, qui ad fidem vocatus est ex gentilitate? Quia enim fortis conversatione est, potestate sublimis, et dum in eo speciale signum gratiæ divinæ conspicitur, ad venerationem prædicationis ejus devotæ auditorum turbæ deducuntur, recte nomen ejus nuncupatione declaratur. Hinc est quod ad Moysen a Domino dicitur : *Posui te in deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1). Hinc item in lege prohibens, ait : *Diis non detrahes* (*Ibid.*, XXII, 28). Et notandum quia cujus nomen deus dicitur, filius, non filia fuit, quia certe pastoralis dignitas, cum infirma conversatione deprimitur, splendore tam celsi nominis non ornatur. Quia igitur ordo doctorum ad evangelizandi ministerium ex gentilitate promotus excellentiæ dignitatis suæ meritorum gratia impar non fuit, recte nunc dicitur : *Vocavit nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum*. Et notandum quia hoc loco postulare dicitur quod postulando promeruit. Apertis ergo verbis ostenditur cur Annæ primogenitus tanto nomine censeatur. Quod tale est ac si dicat : Idcirco ei tantum nomen imposuit, quia is qui superno munere nascitur meritorum gratia magnus fuit. Sed ut ostendatur quo studio eum provida mater foveat, sequitur :

(Vers. 21 et 22.) *Ascendit autem vir ejus Helcana, et omnis domus, ut immolaret hostiam solemnem, et votum suum; et Anna non ascendit. Dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactetur* [b] *infans.*

40. Quæ est autem immolatio solemnis hostiæ, nisi illa sanctæ Ecclesiæ amoris oblatio, qua conditori conjungitur in æterna contemplatione? Ad hanc autem Helcana tunc ascendit, cum Redemptor noster jam de morte triumphans, jam possibilitatis nostræ tenebras superans, carnem, quam pro nostra salute suscepit, ad cœlestia sublimavit. Cum quo et omnis domus ejus ascendit, quia priores electos Synagogæ in altitudinem immortalitatis extulit. Tunc immolavit solemnem hostiam, cum se æterno Patri per glorificatæ carnis materiam in cœlo exhibuit, et angelorum naturam, sicut de redemptione nostra, ita etiam de eorum reparatione lætificavit. Ad hanc solemnem hostiam Anna invitatur, quia sancta Ecclesia superni sponsi spirituali cohortatione ad æternam contemplationem divinæ claritatis per quotidiana desideria amoris accenditur. Quæ tamen ab ascensu suo abstinet, **24** ut filium lactet, quia ut prosit hic Christi parvulis, dilationem suæ gloriæ patienter sustinet. An non ad immolationem hujus solemnis hostiæ mater illa invitata fuerat, quæ dicebat : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Phil.* I, 23)? Sed quæ per amoris desideria ad sponsi speciem trahitur, an amet lactare filium, dicat : *In carne mihi manere necessarium est propter vos* (*Ibid.*, 24). Quo etiam cibo se Corinthios aluisse insinuat, dicens : *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III, 2). Lactare quippe parvulos sanctæ Ecclesiæ est pastoribus infirmorum sive simplicium auditorum corda planioris Scripturæ pabulo enutrire. Quibus profecto idem doctor egregius dicit : *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2).

[a] Deest *ejus* in Gilot. et Vatic. Omittitur quoque *Et factum est*, etc., qui versus infra explicatur unde eum attexendum esse judicavimus.

[b] Abest *infans*, a Gilot. et Vatic.

41. Ablactantur autem infantes, cum parvuli sanctæ Ecclesiæ tam spiritualis eruditionis quam bonæ conversationis incrementa suscipiunt, et jam non planiora sacri eloquii, sed alta ejus sacramenta requirunt. Et ablactatus infans ante conspectum Domini ut appareat ducitur, cum per adhortationem prædicatorum quisquis subjectus bene proficiens bonis operibus adornatur. Qui enim ad hoc ducitur ut appareat, non tantum ut videat defertur, sed etiam ut videatur. Quia enim in fine a Domino multi audituri sunt : *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12), apparere in conspectu Domini Samuel dicitur, quia electus, et humilis subditus, dum perfecte præsentia despicit, adveniente extremo judice nequaquam reprobatur. Quos autem sæculum in sui amore defixos retinet, in conspectu Domini non apparent. Qui enim in honore rerum transeuntium videri clatiores appetunt, hoc profecto superbiendo agunt, ut ab eo quo solo videri debent honorabiles nunquam videantur. Unde et rex electus, et in rerum culmine positus, ne in flore sæculi deciperetur obsecrat, dicens : *Ne projicias me, Domine, a facie tua* (*Psal.* L, 13). Anna ergo et ablactare filium repromittit, et ante conspectum Domini ut appareat ducere, quia sancta Ecclesia electos subditos quos erudit præsentia perfecte despicere docet, et bona agere, et ad æterna bona per humilitatem festinare. Et notandum quia ab ablactationis loco ductus asseritur, qui apparere debere in conspectu Domini perhibetur, quia videlicet, non parum interest spiritualis itineris, cum ab eo quod de cœlesti magisterio discimus in usum perfectæ tendimus operationis. Quia vero a studio ejusdem boni operis nunquam cessandum est, sequitur :

(Vers. 22.) *Et appareat ibi jugiter.*

42. Jugiter namque ibi apparemus unde nunquam discedimus. Jugiter ergo in conspectu Domini apparere est decorem bonæ conversationis nullis vitæ tenebris obscurare, quia qui ad illicita nulla defluit, a secreto divini intuitus nunquam exit; et quasi in luce positum hunc divina bonitas respicit quia eas quas damnavit peccatorum tenebras electione sui examinis non attendit. Donec igitur ablactetur infans, ad immolandam solemnem hostiam se non ascensuram Anna denuntiat, quia sancta Ecclesia tandiu custodire filios proponit, quandiu de eorum perfectione secura fieri valeat quia ipsi ab accepta bonitate ulterius non recedant. Potest tamen ascensus solemnis hostiæ ad altitudinem sanctæ prædicationis referri. Nam de ascensu viri ejus per Prophetam scriptum est : *Ascendit super cherubim, et volavit super pennas ventorum* (*Psal.* XVII, 11). Super cherubim quippe Dominus **25** ascendit, quia in sublimibus prædicatorum suorum mentibus ascendit, et scientiæ suæ altitudinem ponit. Et super pennas ventorum volat, quia coram spiritualibus eorum oculis in altitudinem miræ intelligentiæ se sancti Spiritus flatibus elevat. Et tenebras latibulum suum ponit (*Ibid.*, 12), quia majestatis suæ sublimitatem reprobis abscondit. Sed in circuitu ejus tabernaculum suum (*Ibid.*), quia quos per sublimia dona elevat, eis suæ Majestatis etiam gloriam manifestat.

43. Bene autem cum Helcanæ ascensus asseritur, omnis domus ejus ascendisse perhibetur, quia illos quorum mentibus eminet in altitudine suæ contemplationis velut domesticos et familiares tenet. Quæ est autem Helcanæ, id est Redemptoris nostri hostia solemnis, nisi sanctorum suorum cordibus ineffabilis illius internæ amor eruditionis? Nam eorum quisque sibi ineffabiliter complacet in eo, quod sè ostensa Redemptoris sublimitas tam sublimiter docet. Anna ergo se cum viro suo ascendere abnegat, donec filium lactat, quia sancta Ecclesia tandiu vitavit alta prædicando contingere, quandiu cognovit rudes auditores suos velut parvulos alta capere nequaquam posse. Hinc namque in ipsis sanctæ Ecclesiæ primordiis factum est ut, velut parvulo adhuc Annæ filio, per trium evangelistarum scripta, Matthæi scilicet, Lucæ et Marci, lac propinaretur, qui humanitatis Dominicæ historiam scribentes, pauca de ejus divinitate tractaverunt; sed cum parvulus Ecclesiæ populus crescere, et in mensuram ætatis plenitudinis Christi proficeret (*Ephes.* IV, 13), cui lactis potus non suffecerat, pasci cibo solido perquirebat. Compulsa itaque mater Ecclesia ascendere est, ut ipsa quoque cherubim fieret, volantique super se Redemptori appropinquaret, pennas assumeret, ambulantem super eas in sacramentorum altitudine teneret, atque ex ejus Majestate caperet quod poscenti unico alimentum daret. Unde factum est ut rogatus a fratribus evangelista Joannes, non solum humana sed etiam angelica superans, condita cuncta transcenderet, et quem videre meruit unigenitum in sinu Patris prædicaret, dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Tunc ergo Anna ascendit, cum sancta Ecclesia se in celsitudinem divinæ prædicationis tam sublimiter extulit. Tunc etiam immolavit solemnem hostiam, quia de cognitione divinitatis in auditorum suorum cordibus flammam miræ devotionis accendit. Solemnis quippe hostia fuit, de incomparabili eloquio, singularis oblatio devotionis. Tunc in conspectu Domini filium adduxit, cum auditorum suorum cordibus perfectam cognitionem summæ divinitatis intimavit. Quæ profecto Dei cognitio, quia non solum fide tenenda est, sed confessione, et quod credimus, et confitemur, nec ignorare ulterius, nec silere permittimur, puer ablactatus, qui ad domum Domini adducitur, jugiter in conspectu Domini manere declaratur. Sequitur :

(Vers. 23.) *Et dixit ei Helcana vir suus: Fac quod tibi bonum videtur; mane, donec ablactes eum.*

44. Quid est quod Annæ consilium viri sui auctoritate roboratur, nisi quia propositum sanctæ Ecclesiæ non ex humano præsumitur judicio, sed ex divino? Nam quidquid sancta Ecclesia in subjectis sibi nationibus disponere voluit, tunc demum id ratum habuit, cum ex internæ veritatis judicio quid disponendum esset agnovit. Et quia advocatum **26** habemus apud Patrem (*I Joan*, II, 1), qui interpellat pro nobis, subjungit, atque ait :

(Vers. 23.) *Precorque ut impleat Dominus verbum suum.*

45. Quod est verbum, quod implendum asseritur, nisi prædestinata conversio gentilitatis? Et quia per ejus sanguinem reconciliamur Deo, ipse pro implendo verbo precatur, cujus obtentu salus nostra perficitur. Precari etiam ei est se in humanitate assumpta pro salute nostra æterno Patri continue exhibere; quod dum sic se offerre non desinit, receptioni nostræ aditum ad vitam facit. Quia vero dispositionis suæ consilium exquirendo perfecit, apte subinfertur: *Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum donec amoveret eum a lacte.* Deinde sequitur:

(Vers. 24.) *Et adduxit cum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et amphora vini; et adduxit eum in domum Domini in Silo.*

46. Quid namque per vitulum hoc loco significatur, nisi propositum imitandæ vitæ perfectorum? Sed vitulus est cum in corde exoritur proficientis, bos autem cum per robur virtutis ad affectum perducitur magnæ conversationis. Quo in loco valde quærendum est cur non unus vitulus, sed tres ad tabernaculum adducti perhibentur. Sed in tribus vitulis infans delatus ostenditur, ut eorum formam insinuet qui ad prædicationis ministerium instruuntur. Perfectus etenim doctor, et peccatoribus convertendis, et custodiendis justis invigilat. Quasi enim colonus summi patrisfamilias utrumque bovem aratris inserit, ut non solum vigilare stantibus ne corruant, sed etiam lapsos possit erigere ut subsistant. Sed qui duos boves habet in subjectorum sollicitudine, ut esse perfectus valeat, bovem tertium jungat in divina contemplatione, ut et corda proximorum integro jugo, loquendo, velut arando, aperiat, et semetipsum per singularem amoris fortitudinem ad conditoris sui speciem semper extendat. Samuel ergo in vitulis tribus ad domum Domini ducitur, cum bene quisque proficiens proponit ut ex labore prædicationis prodesse valeat proximis, et ex secreto quietis inhærere intimæ visioni conditoris. Et quia id bene exhibere animus imperiti nunquam poterit, in tribus etiam farinæ modiis offertur. Ex farina quippe cum panes fiunt, præparatio refectionis perficitur. Quod vero non in panibus, sed in farinæ modiis offertur, bonam devotionem doctrinam proponere ostenditur, non ipsius doctrinæ commodum exhibere. Modius ergo farinæ sanctæ prædicationis præparationem significat. Sed in tribus modiis farinæ infans adducitur, quia dum prædicare proponimus, verbum scientiæ præparamus peccatoribus ad conversionem, justis ad statum perseverantiæ, et nobis ad supernam contemplationem; vel certe unus modius est, ut diximus, pro conversione peccatoris, alius pro disciplina conjugati, tertius vero pro excellenti puritate continentis. Et modii quidem dicuntur pro mensura discretionis. Unde et beatus Paulus perhibet, dicens: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3).

47. Quod profecto, qua prædicatorum ordo electus exigentibus [*Forte*, electus ex gentibus], non ex levitate vanitatis habuit, sed ex virtute bonæ intentionis, sequitur: *Et amphora vini.* Virtus vero bonæ intentionis est charitas Dei, quæ in electorum cordibus diffunditur, per donum Spiritus sancti. Quod nimirum charitatis donum recte vini appellatione figuratur, **27** quia mentem occupat, et a terrenis affectibus alienat, ut intentionem ad sæculum non habeat, quam ad appetenda sola cœlestia inflammat. Verum, ut hujus quoque virtutis non perfectio, sed initium designetur, amphora vini, et non poculum fuisse ostenditur. In amphoram quippe reponimus quod quandoque per poculum propinemus. Hinc est enim quod is qui supernæ charitatis perfectionem gustaverat, Deo omnipotenti confitebatur dicens: *Impinguasti in oleo caput meum, et poculum meum inebrians, quam præclarum est* (*Psal.* XXII, 5)! In amphora ergo vini Samuel oblatus ostenditur, quia electus quisque, cum ad evangelicæ prædicationis ministerium præparatur, ipsius prædicationis bonum proponit, non pro vana hujus sæculi ambitione, sed pro sola charitate impendere. In vitulis ergo adducitur pro proposito fortitudinis, in farinæ modiis pro doctrina verbi, in amphora vini pro intentione charitatis.

48. Quæ profecto virtutum initia, ubi sint perficienda edocet, cum subjungit: *Et adduxit in domum Domini in Silo.* Domus Domini sancta Ecclesia recte intelligitur, quæ nimirum in Silo sita esse perhibetur. Silo autem locus est in quo arca Dei mansisse perhibetur. Quid ergo aliud Silo isto in loco significat quam veteris legis traditionem? Nam velut arcam Dei continet, dum carnalem litteram foris exhibet, quæ in suis secretis spiritalem scientiam clausam tenet. Quid est ergo, quod domus Domini in Silo sita esse perhibetur, nisi quia sancta Ecclesia in sacramento Scripturarum velut in loco fundata cognoscitur? Illuc Samuel adductus asseritur, illic oblatus, quia præter sanctam Ecclesiam locus non est ubi merita virtutum crescant, et ad culmen perfectionis veniant. Sed cum ipse qui adductus est asseritur, ejus quoque dilationis causa memoratur, cum subditur:

(Vers. 24.) *Puer autem adhuc erat infantulus.*

Nam si infantulus tunc non esset, dum per se posset accedere, duci huc ab alio non oporteret. Sequitur:

(Vers. 25.) *Et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli.*

49. Superius de sola Anna dicebatur: *Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat.* Nunc autem de Helcana pariter, et de Anna subjungitur: *Et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli.* Tunc immolatus est vitulus, cum adductus est Samuel, et oblatus. Si ergo ibi erat tunc Helcana, et cum ducebatur, et cum offerebatur, quare non dictum est, adduxerunt eum secum, sicut dictum est, immolaverunt, et obtulerunt? Sed quia hæc ad Ecclesiam et ad Christum retulimus, illi lactare, illi adducere pertinet, offerre et immolare sibi et Christo. Ipsa quippe instituit verbo prædicationis, sed quibus doctrinam insinuat virtutem adimplendæ operationis nequaquam subministrat. Litteram quippe Scripturæ loquendo

exhibet, sed ipsum bonum se petentibus nonnisi cum sponso dare potest. Immolatur ergo vitulus cum divina gratia cordi bona petentis infunditur, ut bona quæ destinando deliberat studio boni operis hilariter impendat. Vitulus enim tunc immolatur, quia victima boni operis propositi ab omnipotenti Deo devotæ mentis oblatione suscipitur, si id quod ei vovendo mens exhibet, totum Deo mactatur per hilaritatem. De hac immolatione vituli Dominus in Evangelio ait : *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis* **28** *Pater meus cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se* (*Matth.* VII, 11; *Luc.* XI, 13)? Hinc Paulus ait : *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 6, 7). Quid namque est destinare in corde, nisi proponere ex deliberatione? Dum ergo destinavit dixit, quasi vitulum adductum asseruit. Sed dum addidit, non ex tristitia, aut ex necessitate, quia hilarem datorem diligit Deus, adductum vitulum qualiter immoletur exposuit. Adducuntur ergo vituli cum ad agenda fortia bene proponenda præparamur, sed vitulus immolatur cum deliberatio boni propositi Deo impenditur in oblatione magnæ devotionis. Uterque autem, id est vir et uxor, vitulum immolasse perhibentur, quia eadem hilaritas fidelibus subditis prædicatoris voce ostenditur, atque in eorum cordibus divina gratia propagatur. Pariter ergo vitulum immolant cum in corde bene proficientis subditi divina convenit cum humana prædicatione. Tres autem vituli adducuntur, quia cum auxilium lapsis et stantibus ferre, et nobis ipsis opem custodiæ proponimus, dum una bona intentione hæc attendimus, tria quidem sunt respectu operis, sed unum in munere oblationis. Tria quidem sunt, quia erga nos, et proximos nostros diverso respectu et diversis temporibus exhibentur, sed unus sunt vitulus, quia simul proponuntur, et pari devotione oblationis Deo impenduntur, et una in eis hilaritas, et alia non habetur.

50. Sequitur : *Et obtulerunt puerum Heli.* In Heli non solum personæ doctorum veterum, sed etiam doctrinæ figurantur. Quid est ergo quod puer Samuel Heli oblatus asseritur, nisi hoc, quod aperte cognoscitur, quia quisquis prædicando aliis prodesse nititur, non solum nova scribere debet, sed etiam vetera? Unde et Dominus in Evangelio per parabolam dicit : *Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52). Samuel ergo Heli tunc offertur, cum mens bene proficientis subditi legis et prophetarum scientia eruditur, ut in libris antiquorum occidentem litteram legat, sed etiam secundum spiritum vivificantem intelligat; et sic quod foris sonat accipiat, ut præter elementorum sonum, quod intus insonet spiritus recognoscat; et ad fidem nova habeat, sed, quoties necesse fuerit, ad Novi Testamenti confirmationem Scripturas veteres adducat. Tunc quippe defendere nova poterit, cum eorum rationem ex veteribus agnoscit. Aperte igitur Samuel Heli oblatus asseritur, quia solum sufficienter nova prædicat qui eam rationem qua intelligenda sunt vetera non ignorat. Et quia easdem Scripturas veteres intelligere sine præceptore non possumus, et doctor nihil in nobis docendo proficit, si quod ipse foris loquitur in cordibus nostris per divinam gratiam non infundatur, mater non sola puerum obtulit, sed cum viro. Ei autem cui filium tradit se cum verbo præconii Anna insinuavit, dicens :

(Vers. 26.) *Obsecro, mi Domine, vivit anima tua, ego sum illa mulier, quæ stetit coram te hic.*

51. Coram Heli Anna stetit, quia sancta Ecclesia doctorum synagogæ nullis persecutionibus corruit. Quod tale est ac si dicat Ecclesia glorians Synagogæ præpositis : Idcirco orbem parere per Evangelium Deo potui, quia adversa quæ mihi intulistis invicta toleravi. Nam si pœnis victa vetustati **29** me subderem, novam Redemptori tot nationum sobolem nequaquam genuissem. Et quia humiliter loquitur, obsecrando Dominum vocat. Quia vero ei vitæ æternæ pignus in fide Redemptoris dari appetit, dicit : *Vivit anima tua.* Sed quæ se stetisse gloriata est, magna de se protulit. Et quia eadem magna humiliter, non superbe, dixerat, ea protinus ad laudem omnipotentis Dei retulit, dicens :

(Vers. 27.) *Oravi, et dedit mihi Dominus petitionem, quam rogavi eum, idcirco et ego commendavi eum Domino.*

52. Divina gratia ad hoc sanctæ Ecclesiæ filios tribuit, ut eos doctrina veritatis instituat, bonis moribus exornet, pia super eos custodia vigilet, a malo declinare perfecte faciat, et ad æternam patriam sufficientem bonorum operum copiam præparare. Hæc profecto ministerii pastoralis sunt, sed electus prædicator ea suis viribus implere posse diffidit. Quia ergo nec sua virtute aliquos per Evangelium potest gignere, nec quos generat custodire, recte per Annam in Ecclesiæ typo nunc dicitur : *Oravi, et dedit mihi Dominus petitionem, quam rogavi eum. Idcirco et ego commendavi eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commendatus Domino.* Nam ut gignere possit obsecrat ; et ut hi quos orando obtinet in sancta conversatione permaneant, eos item omnipotenti Deo precibus commendat. Et quia ab eisdem precibus nunquam desinit, cunctis diebus se commendare filium Deo dicit. Cunctis namque diebus Domino filium commendare est ei pro eorum salute quos generat omni hujus vitæ tempore supplicare. Dies namque quibus Domino commendamur tempora præsentis vitæ significant. In quibus profecto diebus tanto validioribus divinæ protectionis auxiliis indigemus, quanto gravioribus spirituum malignorum tentamentis impetimur. Quia vero in plerisque Codicibus non *commendatus*, sed *commodatus* legitur, a bono intellectu non vacat. A matre quippe Ecclesia in hac vita filii commodantur. Quidquid vero commodamus, id reddi nobis in fide excipientis exspectamus. Dies vero virtutum spiritalium claritates sunt. Quibus profecto diebus Annæ

filius Domino commodatur, quia ei sancta Ecclesia electos offert in claritate virtutum, ut eos postmodum ad augmentum sui æterni gaudii sibi omnipotens Deus exhibeat in splendoribus præmiorum. Et notandum quia omnibus diebus commendatus asseritur, ut ei de eo quod habendum est de spirituali conversatione nihil desit, quem prædicator electus in æterna vita recipere tenebrosum ex aliqua parte non poterit. Sequitur :

(Vers. 28.) *Et adoraverunt ibi Dominum.*

Et nos membra sanctæ Ecclesiæ, cum per scripturas Testamenti Veteris, veneration, et præcepto conditoris [a] submittimur, ibi profecto Dominum adoramus, quia Patrum veterum fidem tenemus, et eamdem fidem per dilectionem in bono opere exercemus.

CAPUT II.

Hæc de principio typica expositione protulimus; nunc in ejusdem verbis historiæ eruditionem nostram per moralem significationem requiramus.

(I Reg. I, 1.) *Fuit vir unus*, inquit, *de Ramatha Sophim.*

1. In hoc viro uno quid rectius quam unusquisque **30** novus sæculi contemptor designatur? Vir namque dicitur, quia proposito fortis est; unus vero, quia amore singularis; vir namque est, quia ex magna virtute cuncta præsentia despicit; sed unus, quia sola omnipotentis Dei specie frui concupiscit. Quisquis enim perfecte terrena despicit, vir est ex fortitudine, sed si conditorem suum ardenter videre non cupiat, non est unus ex intentione. Perfectio igitur viri in præconio ponitur unitatis, ut qui sæculum potenter despicit mentem non dividat, solis supernis inhiet, ad ea tantum quæ de visione conditoris sunt æterna gaudia suspiret. Talis profecto erat qui Deo confitens ait : *Quid mihi restat in cœlo, et a te quid volui super terram* (*Psal.* LXXII, 25) ? Hinc item dicit : *Vultum tuum, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI, 8). Qui enim in terra nihil voluit, profecto vir fuit; sed qui neque in cœlo, neque in terra aliquid præter ipsum voluit, qui, spretis omnibus, solum ejus vultum quæsivit, non solum vir, sed etiam unus exstitit. De hac unitate Dominus in Evangelio Marthæ loquitur, dicens : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium* (*Luc.* X, 41, 42). Hinc Lucas de perfecto credentium numero loquens, ait : *Erat eis cor unum, et anima una* (*Act.* IV, 32). Unum quippe eis cor erat, quia per intentionem rationis solum conditorem aspexerant; unam animam habebant, quia per affectionem amoris solum ejus faciem videre desiderabant. Hinc est quod diligens Propheta secum reputat, dicens : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI, 2) ? Pro hac unitate obtinenda Veritas docens ait : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33).

2. Quæ etiam nostra sunt, quia hi qui, abrenuntiantes sæculo, remotioris vitæ secretum petivimus, monachi vocamur. *Monos* quidem Græce, Latine autem unus dicitur. Hoc quippe titulo appellationis inscribimur, ut vox nominis nostri nobis insinuet altitudinem dignitatis, et animus noster tanto ardentius ad conditoris visionem se erigat, quanto sublimitatem claritatis, in qua semper debet consistere, quasi in fronte prælatam portat. Sed divini amoris sublimitas in sola catholica Ecclesia veris electis impenditur. Bene ergo vir, qui unus dicitur, de Ramatha Sophim, de monte Ephraim fuisse perhibetur. Ramatha quippe, ut jam dixi, Hebræum nomen est, sed Latina locutione dicitur Visio consummata. Quæ profecto appellatio sanctæ Ecclesiæ convenit, quæ antiquitus a prophetis prævisa est, sed in finem sæculorum in Redemptoris fide disposita. Consummata ergo visio sancta Ecclesia dicitur, quia per Redemptorem humani generis erecta est in religionis culmine, quæ olim tantum prævisa erat spiritu prophetiæ. Hæc autem Sophim esse describitur in monte Ephraim ædificata (*Supra, initio expositionis allegoricæ*), quia contemplatione Dei celsissima est, et spiritalibus virtutibus fecunda. Sophim quippe specula dicitur, Ephraim fructificans. Quæ profecto vocabula situm sanctæ Ecclesiæ recte insinuant, quæ non solum intentione visionis alta est, sed excellentia conversationis. Quibus etiam vocabulis et hæreticorum dementia, et cæterorum improborum sterilitas reprobatur. Illi quidem, dum a rectitudine fidei deviant, speculationem sublimitatis non habent; isti vero, quia recta vident quæ agant, et ea facere semper dissimulant, speculam quidem habent, sed virtutum montem **31** excellenti vita non obtinent. Sancta vero Ecclesia quia in Sophim, id est in speculatione sublimis est, gloriatur, dicens : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Quia etiam in virtutum monte per boni operis fructum constituta est, elisam reproborum fidem reprobans, ait : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 20, 26). Hinc item prædicans dicit : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* VI, 10). Vir ergo qui unus dicitur de monte Ephraim esse memoratur, quia et terrena despicere, et superna desiderare, ei solum prodest qui per fidem catholicam intra sanctam Ecclesiam sese continet. Sequitur :

(Vers. 1.) *Et nomen ejus Helcana, filius Hieroboam, filii Heliu, filii Thau, filii Suph.*

3. Hoc etiam nomen superius [b] ostendimus, quia ab Hebræa lingua in nostram, Dei fervor, verteretur. Quod profecto nomen viri bene congruit ordini spiritalis expositionis. Qui enim vir unus dicitur, necesse est ut ex Dei fervore censeatur. Quis enim aut temporalia despicere, aut amare cœlestia sine divina gratia possit? Necesse quippe est ut hunc gratia divina præveniat, quatenus, Spiritus sancti igne succensus, quanto ardentius summa diligit, tanto fortius ima contemnat. Cui etiam in genealogiæ ordine

[a] In Guss. et Vatic. *submittitur.*

[b] *Superius nulla occurrit explicatio hujus nominis,*

quatuor patrum nomina perscribuntur, quia in fide Redemptoris eorum prædicatione genitus est qui in eumdem humani generis Redemptorem per quatuor Evangelistarum scripta de omni mundi parte credidere. Qui etiam Ephrathæus dicitur. De monte Ephraim et Ephrathæus est qui in fertili terra sterilis non est. Nam plerique intra sanctam Ecclesiam nomine censentur fidei, cujus nullos proferunt fructus actionis. Qui nimirum dum de Ecclesia prodeunt, velut de monte fructifero esse sentiuntur; sed quia ipsi bonorum operum non habent fructum, non sunt Ephrathæi. De monte ergo Ephraim est, et Ephrathæus non est, qui fidem catholicam in Ecclesia dedicit, sed opera digna fidei non impendit. Talibus profecto veritas in Evangelio comminatur, dicens : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus* (*Matth.* XXI, 34). Hinc sub ficulneæ specie, colono sanctæ Ecclesiæ repulsionem infructuosæ animæ imperans, ait : *Succide eam, ut quid terram occupat* (*Luc.* XIII, 7)? Hinc Joannes Baptista comminans, ait ; *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* III, 10; *Luc.* III, 9). De monte quoque Ephraim eos esse ostenderat, sed non Ephrathæos, de quibus Veritas in Evangelio per parabolam dicit : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis* (*Matth.* XXI, 41). Vir ergo de monte Ephraim, dicitur Ephrathæus, quia quicunque intra sanctam Ecclesiam fidem catholicam tenemus, dum per ardorem affectionis terrena abjicimus, cœlestia amamus, oportet et ut a terrenis quæ despicimus per boni operis laborem separemur, et ad ea quæ diligimus cœlestia præparemur. Esse ergo in Ecclesia, et opera bona non facere, quia ad acquirendæ æternæ salutis bonum non prodest, vir qui de monte Ephraim asseritur, etiam Ephrathæus fuisse memoratur.

4. Unde et duas uxores habere describitur, quia activæ vitæ per fecunditatem boni operis et contemplativæ vitæ conjungitur per amorem internæ delectationis. Quamobrem Phenennæ filii fuisse dicuntur, Annæ autem filii non fuisse. Quid enim sunt activæ vitæ filii, nisi bonorum operum fructus? **32** Et quid est quod Anna filios non habet, nisi quia rudis contemplatio ea quæ jam amare cœpit internæ contemplationis gaudia cito non obtinet? Filii quidem sunt contemplativæ vitæ gaudia internæ visionis. Sed mens, quæ contemplari æterna inchoat, ad eorum gaudia excipienda tanto difficilius pervenit, quanto etiam illorum pulchritudinem non attendit. Quis ergo in gloria ejus pulchritudinis gaudere prævalet quam non videt? Mens autem quæ in æternorum bonorum contemplatione se noviter elevat, ad ea tanto tardius assurgit, quanto humanitatis suæ familiares tenebras velociter non deponit, quia dum a se abjicere mundanas curas non prævalet, velut in oculis gestat pulverem, quo id quod cupit videre non potest. Prius ergo abjiciendus est pulvis ex oculo, deinde oculus refovendus. Pulvis quippe abjicitur cum ab intentione mentis cuncta rerum corporearum phantasmata removentur, et oculus refovetur, cum usu continuæ meditationis eadem mentis intentio ad æterna sustollitur. Quæ profecto cum diuturna consuetudine in supernis morari didicerit, eadem diuturnitate consuetudinis, puritatem obtinet, qua dum clarius æterna respicit, in eorum gloria exsultare plenius possit. Anna ergo non habuisse filios dicitur, ut non solum inchoantis imperfectio designetur, sed etiam vitæ contemplativæ celsitudo. Magno enim meritorum sita est culmine, quæ in fecunditatis suæ gaudio facile haberi non potest. Hinc est enim quod Jacob Rachelem conjugem habere desiderat (*Gen.* XXIX, 18, *seq.*), sed tamen ei prius Lia substernitur, ut pro obtinenda illius specie septenarius annorum numerus in soceri servitio geminetur, quia amator vitæ contemplativæ, hanc in ubertate æterni gaudii cito adipisci desiderat, sed tamen ei omnium donorum largitor Spiritus cito non tribuit, ne habitam quasi vilem despiciat, si facilitas ei hanc pro voto repræsentat; sed tanto ea fruatur dulcius, sollicitiusque custodiat, quanto hanc difficilius promeretur. Quare et sequitur :

(Vers. 3.) *Et ascendebat vir ille statutis diebus, ut adoraret, et immolaret Domino exercituum in Silo.*

5. Statutis quidem diebus ascendit, quia in splendoribus æternæ visionis paulatim proficit. Quid enim sunt illæ manifestationes interni luminis, nisi dies electæ mentis? et statuti namque dies sunt, quia in profectu spiritalis vitæ positis divina ordinatione disponuntur; statuti etiam dies sunt, quia in eorum claritate non possumus admitti cum volumus, sed cum divina dignatione sublevamur. Aliquando namque nos in contemplatione internæ lucis excipit, quandoque labi usque ad præferendas humanitatis tenebras relinquit. Quasi enim statutis diebus elevat, quibus amœnitatem internæ lucis non jugiter aperit, sed per tempora suæ dispositionis ostendit. Dies ergo nostri sunt, quia in magnis splendoribus excipimur, cum internæ gloriæ nobis pulchritudo revelatur. Statuti vero dies idcirco nominantur, quia ut intima luce fruamur, non est nostri conaminis, sed divinæ dignationis. Sæpe namque diuturno silentio, instantibus supplicationibus, crebris gemitibus, illam nobis internæ lucis gloriam aperiri flagitamus, et in ejus amœnitate recipi non meremur. Sæpe nil tale pro ejus desiderio agimus, sed subito nos divina gratia prævenit, ab imo nostræ infirmitatis erigit, in superna rapit, insperantibusque nobis gloriam suæ lucis ostendit. Diebus ergo statutis ascendimus, quia in contemplationem cœlestium **33** sublimari non possumus nostro conamine, sed divina dispositione. Ascensus quoque dies sunt, quia quando illa sublimi luce non fruimur, in imo sumus; et cum in illius alta visione assumimur, quam in imo jacuissemus ante assumptionis nostræ horam, cognoscimus. Displicemus nos tunc nobis, in quo fuimus, placemus autem in quo sumus, quia absorpta jam mens amore cœlestium, dum lætatur luce, qua fruitur, cuncta terrena horrore nimio dedignatur. Unde et beatus

Petrus, dum in montem assumitur, dum nube lucida obumbratur, dum ei transfigurati gloria Salvatoris ostenditur, dicit : *Bonum est nos hic esse, Domine* (*Matth.* XVII, 4). Nam quia jam Dei omnipotentis munere meretur [a] interesse sublimibus, incomparabile illic bonum ineffabiliter diligit, ex cujus pulchritudine cuncta quæ transeunt velut fœda reprehendit.

6. Sed quid est quod idem vir de civitate sua ascendere dicitur? Quid vero est aliud civitas, nisi cohabitantium munimentum? Quæ autem est hæc civitas, nisi muniti cordis perfecta custodia circumspectionis? Hæc nimirum velut cohabitantes cives altis mœnibus protegit, quia dum custodiendis virtutibus solerter invigilat, internam eorum pacem hostis callidus non conturbat. In hac certe civitate nos consistere sapiens ille præcepit, qui ait : *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23). Hinc etiam Dominus discipulis præcipit, dicens : *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). In civitate quippe sedemus cum per quotidianam sollicitudinem in internæ custodiæ defensione requiescimus. In qua sedentes virtute induimur ex alto, quia præparati jam in habitaculum sancti Spiritus per ejus gratiam in supernæ gloriæ contemplationem sublevamur. In hoc igitur quod vir Ephrathæus de civitate sua ascendere dicitur, quid aliud quam negligentiæ nostræ culpa indicatur? Nam per contemplationem rimari cælestia volumus, qui non solum cordis, sed etiam corporis custodiam non habemus. Et quidem sæpe indecenter aspicimus, otiosa audimus, superflua loquimur, somnum, cibum non ad refectionem corporis habemus, sed ad usum delectationis. Itaque cum discutere ambigua volumus, superna conspicere, tenebras nostras deserere, internæ dulcedinis saporem gustare, ab illius secreto tanto dignius repellimur, quanto munitionis nostræ fortitudines negligentius dissipamus; jamque nobis tanto est ascendere difficilius, quanto ad nosmetipsos relapsi in altitudinem custodiæ erigere non curavimus cordis munitiones. Ascendat ergo vir de civitate sua, ut qui per internam contemplationem appetit proficere, exteriores sensus ordinet, mentem regat, et quasi in altis receptus munitionibus exspectet, ubi eum superna illustratio visitet. Ad statutorum quippe dierum ascensum jam qui paratus invigilat, dignus custodia puritatis efficitur, ut sæpius divina dignatione visitetur. Sed dum ascendere dicitur, ascensionis etiam causa memoratur, cum subditur : *Ut adoraret, et immolaret Domino exercituum in Silo.*

7. Quisquis divinæ contemplationis arce sustollitur, in illa cuncta, illuminante luce, respicit, et quod se admirabiliter terreat, et quod ineffabiliter delectet. Nam illa summa visio, ut electæ menti se aperit, et imperscrutabilem abyssum judiciorum Dei et bonitatis ejus abundantiam misericorditer ostendit **34** ut videntem magno pavore dejiciat, et ingenti gaudio sustollat; et terrore quidem dejicitur ut statum mundanæ affectionis deserat, et mulcetur gaudio ut quod prægustare de conditoris bonitate inchoat ardentius concupiscat. Tunc quippe adorat, cum, considerata illa immensitate omnipotentiæ, sic conditori submittitur, ut contra spiritualem conversationem carnalis concupiscentiæ impulsibus non levetur. Adorans autem immolat, quia quo humilius divina veneratione prosternitur, summæ claritatis illius blandimento suavius refovetur. Adorare igitur ascendenti, est divinæ omnipotentiæ magna casti amoris veneratione submitti; immolare vero, divinæ lucis suavitate ineffabiliter delectari. Electa enim mens velut spirituali immolationi Deo se consecrat, dum in illa ineffabili elevationis suæ lætitia eam ignis divinæ charitatis ardentius inflammat. Deum ergo electi cujusque studium sub Ephrathæo viro ostenditur, et adorare dicitur, et immolare, quia sic mens electa appetit superna conspicere, ut spirituali visione proficiens, et omnem statum conterat carnalis vitæ, et plenitudinem capiat æternæ lætitiæ. Nam etsi ad hanc summæ contemplationis altitudinem carnalis aliquis non assumitur, quantum tamen ad illam spiritualem conversationem, in quam illo ascensu contemplationis prolicit, antequam proliciat, quodam modo carnalis est. Hoc enim ipsum quasi carnale est, per altitudinem visionis a corporearum rerum intentione separari non posse.

8. Sed, ut temeritas humanæ audaciæ comprimatur, prius adorare dicitur, postea immolare. Ordinatus quippe contemplantis ascensus est, si a timore inciplat. Timor autem ipse, quid est aliud quam electæ mentis ad divinam gloriam speculandam transeuntis præordinata purgatio? Eo enim purius divinæ lucis radios intueri [b] merebatur, quo, validiori timore dejecta, visioni Majestatis intimæ purgatior exhibetur. Sic ergo Ephrathæi hujus conversatio foris nobis ostenditur, ut ad perfectionem tendentibus quid intus agendum sit rationabiliter demonstretur. Igitur dum summæ gloriæ respergi claritate appetimus, præsumptionis nostræ ausum in hoc timoris transitu præfigamus, ut quo venerabilius omnipotentem Dominum metuimus, eo perspicacius benignitatis ejus gloriam videamus. Cujus etiam timoris magnitudo electæ menti aliquando post ostensionem lætæ visionis incutitur. Quod profecto dum fit, non fit ut mentem ad gloriæ visionem purificet, sed ut custodiat ab elatione. Unde et Petrus, et Jacobus, et Joannes prius transformati Domini gloriam viderunt, deinde incusso eis timore cecidere, ne elati perderent quod humiliter assumpti videre meruissent (*Matth.* XVII, 2, *seq.*). Aliquando ergo adoratio immolationem præcedit, aliquando immolatio adorationem, sed nimirum divina dispositione, non nostro conamine. Vir quippe Ephrathæus, ut prius adoraret, et postea immolaret, ascendisse describitur, quia profecto ordo ita perfectus est, ut a veneratione, quæ ex pavore divinæ districtionis nascitur, ad speculationem lætæ majesta-

[a] Gilot., *inesse.*

[b] Gilot., *merebitur.*

tis efferamur. Divina tamen clementia electas mentes aliquando sic suæ dulcedinis infusione exhilarat, ut eas in timoris magnitudinem non inducat. Unde et subditur :

(Vers. 4.) *Venit ergo dies, et immolavit Helcana.*

9. Quid est quod dicit : Venit dies, et immolavit; et non dixit : Adoravit, et immolavit, nisi **35** quia, ut superius dixi, sic sæpe divina dignatione ad videndum gloriam divinæ claritatis extollimur, ut nulla tunc judiciorum immista consideratione turbemur. Et quanquam sine magna veneratione omnipotenti Deo electa anima nunquam assistat, tamen velut immolat, et non adorat, dum sic illa summi gaudii felicitate fruitur, ut dejectione timoris nulla quatiatur. In hunc quippe affectum venerat, quæ dicebat : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1). Quem timoris affectum prætendit, quæ osculari appetit? Hinc etiam de Moyse scriptum est : *Quia Deo loquebatur, sicut solet loqui vir* [a] *ad amicum suum* (*Exod.* XXXIII, 11). Nam, velut veniente die, hunc Scriptura sacra sic immolare ostendit, ut eum adoratio timoris nulla prostravisset. Quo in loco hoc notandum video, quod ut adoraret, et immolaret, ascendere dicitur, non tamen adorasse et immolasse, veniente die, sed immolasse solum. Alii ergo sunt dies quibus ascendimus, ut adoremus, et immolemus; alius ille dies qui dum venerit, immolamus. Dum enim nostro conamine in divinarum rerum meditatione suspendimur, quasi statuti ascensus nostri dies sunt, quia quosdam spiritualis luminis radios intuemur, quosdam nos ipsi nobis ordinamus, ab imo nostræ humanitatis quadam altitudine sublevamur. Sed quia his meditationibus sine divina gratia nihil agitur, et quia nec timorem nobis prævalemus incutere, nec divinæ dulcedinis suavitatem exhibere, ascensus quidem dies sunt, in quibus adorare et immolare statuimus, sed tamen in eis nec adoramus, nec immolamus. Dies autem alius venit, et immolamus, quia subita luce gratiæ divinæ respergimur, et de gloria Majestatis ejus ineffabilem percipimus abundantiam dilectionis. Hic ergo dies non est illorum aliquis, sed illos sequitur, quia nimirum si nostra dispositione hanc divinæ gratiæ largitatem accipere non valeamus, tamen eam nunquam promeremur, nisi omnino curemus, ut et meditando, et quotidie legendo, et orando, et in iis quæ possumus spiritualibus claritatibus immoremur. Venisse autem dies dicitur, ut superna dignatio designetur, quia cum electas animas visitat, non est facultatis nostræ, sed bonitatis suæ. Sequitur :

(Vers. 4 et 5.) *Deditque Phenennæ, et filiis, et filiabus partes. Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat.*

10. Filii namque Phenennæ sunt mentis sacræ consilia, quæ per studium pietatis activæ vitæ subcrescunt. Qui nimirum filii cum matre partes accipiunt, cum consilia pietatis ad splendorem supernæ gratiæ in operum bonorum pinguescunt devotione. Pia etenim mens, quo sublimius tollitur in divina contemplatione, eo devotius se extendit in sancta operatione. Partes namque matris hujus, et filiorum, præparationes sanctorum operum sunt. Unam vero partem Annæ tristis exhibet, quia per contemplationem, qua superna desiderat, quandiu, in hac ærumna temporis impedita, superna quæ amat non obtinet, in solis fletibus pastum refectionis habet. Jejunam quippe se tenet, quoties, se projectam ab æternis gaudiis memorans, flere non potest. Partem igitur unam a tristi accipit, quia nunquam pro voto reficitur, nisi cum flendo satiatur. Quam ei vir Ephrathæus tristis tribuit, qui cum partem Phenennæ tribueret, tristis non fuit, quia videlicet lætatur in præparatione bonorum operum, quia supernis quæ amat quandiu differtur, **36** gaudiis non lætatur. Hanc certe partem Annæ tribuerat, qui æternis se intuens exclusum bonis loquebatur, dicens : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI, 4)? Sed inchoantis adhuc imperfectio designatur, dum Ephrathæi conjux altera alteram affligere et vehementer angere perhibetur. Perfecto enim cuique eo nequaquam pugna committitur uxorum, quo firma jam experientia novit discrete disponere indigentiam operis et intentionem contemplationis. Nam velut in pace utramque uxorem possidet, qui nec tempora operis contemplationi deputat, nec contemplationis otia per intentionem operis inquietat.

(Vers. 6.) *Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat; in tantum, ut exprobraret ei quod conclusisset Dominus vulvam ejus.*

11. Ab æmula Anna affligitur, cun immoderata intentio boni operis turbat quietem internæ visionis. Affligitur, cum ei illa præponitur quæ esse nobilior comprobatur, et vehementer angitur, quia electæ mentis contemplatio angustatur, dum is qui in contemplatione sublimium esse desiderat sese in activæ vitæ operibus immoderatius dilatat. Angere quippe stringere est. Mentis quippe visio stringitur, cum, impedita occupationibus operum, in illa internæ lucis immensitate nequaquam dilatatur. Et quia hanc vehementer angere dicitur, notandum est quia etiam boni operis immoderata sollicitudo contemplationi non parum nocet. Phenenna quippe Annam vehementer angit, quia mens, dum activæ vitæ immoderate impenditur, valde difficile est, ut cum ad disponenda terrena se occupat, in visione cœlestium potenter surgat. Cui etiam velut sterili Phenenna exprobrat, quia dum ex activa vita bonorum operum fructus cito proferimus, et ad internæ contemplationis gaudia facile pertingere non valemus, sterilis ista cernitur, dum rudes de ejus fecunditate desperamus. Dum ergo pro fecunditate Phenennam diligimus, Anna affligitur, angitur, et sterilitatis opprobrio notatur, quia dum bonorum actionum sollicitudinem non ea qua debemus discretione restringimus, pu-

[a] Gilot., *cum amico suo.*

ritatem contemplationis tanto nobis difficiliorem reddimus, quanto nobiliorem vitam excellenti studio nequaquam retinemus. Sed quia ad altiora inchoavit ascendere, si fortis est in suo proposito, hujusmodi tentamenta tolerans, non desperat. Nam ad ea quæ cœpit alta contemplationis innititur, et de actionis cibo consolari despicit, qui in sola conditoris specie delectari concupivit. Apte itaque subditur :

(Vers. 7.) *Porro Anna flebat, et non capiebat cibum.*

12. In fletu quippe ardens desiderium divinæ contemplationis ostenditur, in dedignatione vero cibi [a] despectus lætitiæ transeuntis. Mens enim quæ ferventibus desideriis interna desiderat, dum terrenæ lætitiæ blandimentum respuit, dum instantibus gemitibus infundi sibi supernæ lucis amœnitatem expetit, flet utique, et cibum non capit. Hunc namque cibum fastidiebat, qui dicebat : *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI, 3). Sed qui cibum solatii capere de oblectamento rerum conditarum dedignatus est, epulas deliciarum suarum, quia in solo conditore invenerit, dicit : *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*Ibid.*, 4). Ad has profecto epulas flentem conjugem hortabatur, cum diceret : *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam* **37** *adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus* (*Psal.* XLII, 5). Quæ nimirum exhortatio hic quoque cognoscitur, quia a viro suo cur fleat, et quare non comedat, et afflictum cor habeat, interrogatur. Quasi dicat : Cur de non habita contemplationis perfectione contristaris, quam si rudis non obtines, proficiens obtinebis? Unde et quæ afflicta ab æmula comedere noluit, a viro cohortata manducavit; quia quæ [b] saniori consilio ima despicit, perfectionem contemplationis habet in spe, quam nondum habet in virtute experientiæ. Fere enim deficienti et collapsæ contemplationi spei renovatæ gaudium cibus est. Ad viri ergo sui vocem Anna reficitur, cum contemplationis intentio concussa per tentationem ab eo qui se amare cœperat ad spem sui profectus excitatur. Unde sumpto cibo surrexit, omnipotenti Deo preces fudit, atque ei sexum virilem, si hunc ab eo accipere mereretur, vovit.

13. Natum filium omnipotenti Deo vovet, qui gaudium contemplationis ad fructum mentis expetit, non ad favorem vanitatis. Sed bene petentibus in contemplationis desiderio carnales præpositi obsistere vehementer solent; eo quippe ineptius agere secretiorem vitam appetentes cogitant, quo ipsi vim internæ dulcedinis ignorant. Qui si aliquando in spiritales subditos voce asperæ invectionis sæviunt, ab eis humillima ratione sedandi sunt. Nam si se irrationabiliter contra recte agentes erigunt, reverentia superioris ordinis exigit ut tunc honorentur, cum modum rationis excedunt. Quos sane utrosque et carnales scilicet prælatos, et spiritales subditos, bene Heli et Anna insinuant; nam cum ille ante postes templi Domini sederet, et Anna oraret, os ejus Heli observavit, et eam ebriam vocavit. Sed hæc, quæ injurias patienter sustinuit, humilitatem responsi exhibuit cum veritate rationis. Ancillam se ejus asseruit ex multo dolore et mœrore loqui, et furentem in se animum, non solum sedavit, sed etiam pro consequendo fructu sui desiderii ad orationem convertit.

14. Sed quia hæc ultima ad historiam diximus, non ab re agimus si in his sacræ historiæ verbis eruditionem nostram paulo subtilius requiramus. Si ergo rerum ordo requiritur, prius manducavit, et bibit, dehinc amarum animum habuit, oravit Dominum flens largiter, postea votum vovit, et preces multiplicavit. Quid multiplicatio precum Annæ, nisi illam electorum perfectionem significat, ad quam nos Doctor egregius hortatur, dicens : *Sine intermissione orate* (*I Thess.* v, 17)? Sine intermissione namque orare nisi perfectus vir potest; orare enim sine intermissione est per affectum supplicationis conditori semper assistere. Qui autem imperfectionis adhuc infirmitate deprimitur, eo sine intermissione Dominum non obsecrat, quod in ipso etiam orationis tempore a conspectu ejus mentis elabitur vagatione. Bene autem ante precum multiplicationem votum vovisse sancta mulier dicitur, quia nisi quis se totum cœlitem per propositi rigorem exhibeat, eo sæpius ab affectu supplicationis educitur, quo mobilitate mentis in gyrum mundanæ intentionis vertitur, et in conspectu Domini per fortem custodiam non tenetur. Sed spiritali proposito sese vovere electi mens cœlestibus gaudiis poterit, si largiter flere jam novit, si fletuum largitate supernæ dulcedinis saporem gustare jam didicit, atque, in illius internæ refectionis suæ gaudio **38** occupata, respicere terrena fastidit. Aperte igitur ante votum suum flevisse largiter Anna describitur, quia totum sese quis exhibere sic cœlitem, terrena obliviscendo, non poterit, nisi, magnis accensus fletibus, in mortuæ jam mundo mentis solatio delectationis intimæ recipere suavitatem novit. Et quia in gaudio animæ hoc lacrymarum solatium non recipitur, si se prius non afficit per amaritudinem compunctionis, et quidquid in se delabenti vivit lætitia salubris tristitiæ pugione transfigit. Anna amaro animo ante flevisse relata est, et sic largiter flere potuisse. Quod bene Salomon insinuat, dicens : *Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscetur extraneus* (*Prov.* XIV, 10). Extraneus quippe est qui adhuc de bonis exterioribus intentionem delectationis habet. Qui certe in gaudio amaricati cordis non recipitur, quia non potest experiri quæ sit interna lætitia, nisi qui perfecte contemnere exteriorem curat. Sed notandum adhuc quia ante ista omnia surrexisse relata est et antequam surgeret, comedisse et bibisse. Quis est cibus electæ animæ, nisi juxta veritatis vocem : *Omne verbum quod procedit de ore Dei* (*Matt.* IV, 4)? et quid est ei

[a] Alii Editi, *despectum.*

[b] Alii Editi, *senioris consilio ima despicit.*

surgere, nisi se ad statum supernæ intentionis erigere? Ante ergo surrexisse, quam amaro animo fuisse dicitur, et antequam surgeret manducasse et bibisse, quia electa anima de ærumna vitæ præsentis dolere non poterit, si sese ad illa quæ in cœlestibus perdidit non extendit; et se ad illa summa non elevat, si a Scripturæ sacræ pabulo jejunat. Ut surgamus ergo, manducamus et bibimus, quia tum ad altitudinem superni amoris erigimur, cum Scripturæ sacræ profundis et planioribus sensibus roboramur. Dehinc si surgamus, amaritudinem cordis acquirimus, quia dum in superna per amorem ferimur, quæ in imo sunt non nobis præbent blandimenta gaudii, sed asperitatem afflictionis. Sed jam ab amaro animo ad fletuum fluenta conscendimus, quia cum jugi validaque compunctione transfigimur, ea mala quæ in hac valle lacrymarum incurrimus, et futura quæ timemus, et æterna bona quæ amisimus, flere copiosius valemus. Hinc vero ad vovendorum votorum secreta procedimus, quia dum ab omni quod foris libet fletuum nos largitas sèpelit, velut totos effectos cœlites supernis obtutibus ostendit, et vota vovemus quibus sic æterna bona placent, ut mens nostra per nulla terrena atque carnalia se inquinet. Dehinc profectus nostros precum multiplicatio sequitur, quia eo jam libentius, sæpius et instantius æterna orando quærimus, quo in solo futurorum bonorum solatio respiramus. Mane autem adorant, et in civitatem suam revertuntur.

15. Post multiplicationem precum cum Anna conjuge mane adorare est inter magna virtutum dona humilitatis virtutem custodire; et quia in illa sublimi visione diutius stare non potest anima quæ adhuc ista corruptionis sarcina prægravatur, apte in civitatem suam reversi referuntur. Electa anima, cum, infirmitate prægravante, a Dei contemplatione repellitur, ut redire in eamdem visionis altitudinem valeat, debet habere constructa ædificia munitionis, quatenus, ad semetipsam relapsa, in alto se teneat, unde iterum ad eamdem intimæ charitatis altitudinem consurgat. Quod et sub typo Jerusalem electæ animæ per Prophetam dicitur: *Sta in excelso, et vide jucunditatem quæ veniet tibi* **39** *a Deo tuo* (*Baruch.* IV, 36; v. 5). Quasi dicat, etsi manere jugiter in Dei contemplatione non potes, ne usque ad ima deponaris, ut ab altis custodiæ tuæ turribus ad eum contemplandum sine difficultate conscendere quem desideras possis. In Ramatha quidem civitatem suam revertitur, si cum a divinæ Majestatis visione repellitur, in sanctorum angelorum contemplatione retinetur. Sed cum de ista subtiliori natura, id est angelica, cogitare non prævalet, si ad beatos martyres, vel electos alios, qui jam æternitate recepti sunt, meditando recurrit, quia de perfecta eorum gloria cogitat, nimirum tunc in sua civitate recipitur, qui morari in sublimibus prohibetur. Bene autem eadem Ramatha civitas sua dicitur, quia quam familiariter diligit, A suam esse indubitanter credit, suam namque hanc civitatem esse cognoverat, qui dicebat: *Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quia ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam,* [a] *sed æternam in cœlis* (*II Cor.* V, 1). Hinc iterum dicit: *Jerusalem, quæ sursum est, mater nostra est* (*Gal.* IV, 26). Sed qui in illa sublimi civitate reverti non potest, redeat nihilominus in civitatem suam Ramatha; et qui ab altissima illa deponitur, in istius Ecclesiæ adhuc in imo peregrinantis, sed sublimis vitæ fulgore radiantis, visione teneatur. Eo quippe hinc iterum redire ad revisendum jubar alti verique luminis poterit, quo eum sensum quem carnis sarcina ab internæ lucis secreto retrahit usque ad terræ [b] infima non deponit.

B 16. Quid est autem quod post dierum circulum Anna concipit et parit, nisi quia gaudium perfectæ devotionis contemplatio ad conditoris pulchritudinem semel elevata non suscipit? Post dierum ergo circulum concepisse et peperisse dicitur, quia dum ex consuetudine contemplatio ad superna rapitur, in visione superni luminis munus accipit desideratæ fecunditatis. Circulus namque dierum est infusio divinæ lucis. Quæ profecto in suo ambitu diebus pluribus cingitur, dum una sua claritate mentem irradiat, sed sui splendoris radios per vices dispensativæ manifestationis ei insinuat, quousque perfectius gaudium de ampliori manifestatione comprehendat. Vel certe post dierum circulum Anna concipit, quia nimirum quandiu mentis aciem contemplationis ruditas in C gyrum mutabilitatis concutit, ipsa mens ad percipiendum plenum internæ majestatis gaudium non assurgit. Velut enim in quodam circulo dies transeunt, cum mens inchoantis in contemplationis se culmen elevat, sed vix per respecti jubar luminis eam adhuc rorantem ac discurrentem fixam in sua luce servat. Post dierum ergo circulum concipit, quia prius a mutationis suæ vertigine in standi robur anima ducitur, et cum stare fixa ex usu in contemplatione didicerit, gaudium perfectæ devotionis in fructu suæ fecunditatis apprehendit. Quod etiam conceptum parit, quando proximis ad gloriam supernæ majestatis innotescit.

17. Natus vero puer in tribus vitulis ad tabernaculum ducitur, quia de largitate spiritualis muneris gratias referre debemus summæ Trinitati. De quibus D vitulis Dominum obsecrans propheta dicit: *Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum* (*Osee*, XIV, 3). Quasi dicat: Pro largitate munerum reddemus sacrificia laudis, per obsequium labiorum. **40** In domum vero Domini puer offerendus adducitur, cum sacræ mentis profectus, sanctæ Ecclesiæ doctoribus revelatur, ut dum collatione sapientum discutitur, fraude hostis callidi nequaquam maculetur. Potest et domus Domini æternam patriam designare. De hac quippe Psalmista exsultans, dicit: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII,

[a] Abest *sed æternam in cœlis* in Gilot.

[b] Vatic., *infirma non deponit.*

5). In domum Domini puer adducitur, cum electa mens in alta sustollitur, et de omni quod spiritualiter proficit omnipotenti Deo gratias referre satagit, a quo profectus sui sibi impensa munera recognoscit. Bene autem unus vitulus immolatur, cum tres delati referantur, quia etsi personarum Trinitas confessione fidelium in divinis laudibus canitur, earumdem personarum inseparabilis unitas prædicatur. Sed qualis, aut quanta sit laus, si devota non sit? Apte itaque tribus vitulis totidem farinæ modii conjunguntur, ut de eo quod in Dei laudibus ore dicimus per devotionem satiemur. Nam sine farina vitulum offert, qui in Dei laudibus verba quidem edit, sed mente vaga ad ea quæ loquitur non intendit. Sed si verba Dei laudando, vel orando, proferentes hilarescimus, dum intelligentiæ miscemus gaudium, illius vini quod lætificat cor hominis amphoram farinæ sociamus. Hoc profecto insinuat, qui exoptans ait : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ* (*Psal.* LXVI, 7, 8). Quasi tres vitulos ad tabernaculum duxit, qui Deum laudans, divinitatis ejus nomen repetendo, personarum proprietates exposuit. Sed cum *metuant*, non eos, sed *eum* dixit, profecto qui tres adduxit vitulos unum immolavit. Et quia farinam vitulis, et farinæ vinum miscuit, gloriatur, dicens : *Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea* (*Psal.* LXV, 17). Dum enim clamavit, quasi ad immolandum sacrificii vitulum duxit, sed sub lingua sua exsultare non poset, si alta precis suæ verba non intelligeret. Cum clamavit ergo, intellexit quæ clamavit, et cum exsultavit in oblatione omnipotentis Dei, non solum vitulum habuit, sed etiam farinæ modios, et amphoram vini. Igitur vitulus, farina et vinum, laus est Dei, intellectus laudis, et lætitia devotæ mentis. Cur autem modius et amphora in Dei oblatione nominantur, nisi quia mensuræ sunt nomina? Hoc etiam quid spiritualiter indicet Paulus exponit, dicens : *Unusquisque* [a] *proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic alius vero sic* (*I Cor.* VII, 7). Hinc Veritas dicit : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum* (*Luc.* VI, 38). Hanc nobis mensuram custodire sacra Scriptura præcepit, dicens : [b] *Supra te onus ne levaveris*. Sed electæ animæ valde cavendum est, ut hæc tria omnipotenti Deo ardore piæ devotionis offerat, et studio manifestæ veritatis. Unde et ejusdem Annæ filius sacerdoti oblatus asseritur. Quod profecto et nos agimus, si cum in sancta conversatione proficimus, cum fecundis jam mentibus spiritalium gaudiorum fructum proferimus, ad prælatorum nostrorum examen ducimus omne quod in nobis ex superna contemplatione generatur. Et quia electi viri inter dona sublimia humilitatis suæ bonum non deserunt, sequitur :

(Vers. 28.) *Et adoraverunt ibi Dominum.*

18. In domo Domini Dominum adorant, qui et A 41 alta mente in supernæ patriæ contemplationem se elevant, sed per humilitatem omnipotenti Deo substernuntur, et omni corde in virtute Spiritus tam sublimiter elevantur. Hæc non ex ordine, sed summatim ad historiam, sive moralem intelligentiam exponendo perstrinximus, ut verba spiritalis cantici quod subsequitur secundum moralem typicamque explanationem paulo latius indagemus.

CAPUT III.

(II Reg. II, 1.) *Et oravit Anna, et ait : Exsultavit cor meum in Domino.*

1. In Annæ persona sanctæ Ecclesiæ typum latere jam ostendimus. Quæ nimirum, nato jam puero, in Domino exsultare se perhibet, quia de eo quod ad fidem Redemptoris gentilem populum traxit vane non B tumuit, sed in eo lætitiæ suæ intentionem tenuit, a quo fecunditatis suæ dona suscepit. Quibus nimirum verbis sic lætitiæ suæ situm indicat, ut causam pariter exsultationis ejusdem ostendat. Sterilis quidem flevit, pariens exsultavit, ut sanctæ Ecclesiæ mores portenderet, quæ se in hanc vallem lacrymarum a paradisi gaudiis projectam dolet, sed pro lucrandis animabus exsilii sui ærumnas patienter sustinet. In hoc tantum exsultare consuevit, si in ærumna temporis, qua premitur, per fecunditatis suæ gloriam, multiplicatis electis, cœlestis patriæ damna reparentur. Dicit ergo : *Exsultavit cor meum in Domino*, quia fructus sui propositi consecuta est. Quo in loco notandum est quia hoc quod glorians loquitur orasse perhibetur. Nam præmissum est : *Et oravit Anna, et* C *ait : Exsultavit cor meum in Domino.* Quæ autem nihil a Deo petere flagitando cognoscitur, cur orasse perhibetur? Sed quia hoc futurum esse per prophetiæ spiritum sancta mulier noverat, et id fieri vehementer optat, et exsultando loquitur, et orando. Exsultabat quidem certitudine futurorum, vehementer exoptans fieri quod noverat revelatione sacramenti. Sancta quoque Ecclesia inde divina beneficia amando et venerando recolit, prædicat et orat, quia nimirum id foris loquendo exsequitur, quod intus miro desiderio fieri cupit, et factum magna devotione veneratur. Dicit ergo : *Exsultavit cor meum in Domino*, quia munera quæ ad æternæ lætitiæ fructum accipit ad temporale gaudium non convertit. Sequitur :

D (Vers. 1.) *Et exaltatum est cornu meum in Deo meo.*

2. Quid est cornu Annæ, nisi potestas sanctæ Ecclesiæ? Quod profecto cornu tunc mirabiliter se extulit, cum Dei Filius per assumptam humanitatem naturæ nostræ participem se fecit. In eo igitur cornu sanctæ Ecclesiæ exaltatum est, in quo humana natura jam splendet supra angelos elevata. Sed in hoc quod hunc Deum suum et salutarem sancta Ecclesia singulariter asserit, Synagogæ repulsionem latenter ostendit. In Deo igitur salutari nostro exaltatum est cornu nostrum, quia sublimitas Ecclesiasticæ potes-

[a] In Gilot. deest *proprium*.

[b] Ubi hæc in sancta Scriptura? Fortasse Ecclesiastici III, 22, quo loco legimus, *altiora te ne quæsieris*, quod idem significat.

tatis in humanitate nobis erecta est Redemptoris. Unde et de eodem Redemptore per Zachariam dicitur : *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum prophetarum suorum* (*Luc.* I, 69, 70), quia exaltatum cornu suum refert, latenter indicat, quia ante cornu habuerat quod exaltatum non erat. Sancta quippe Ecclesia ante Redemptoris adventum cornu habuit, quia in patriarchis et prophetis tam recte **42** vivendi ordinem quam delinquentes corrigendi potestatem divinitus accepit. Sed tamen cornu exaltatum non habuit, quia etsi vivere juste poterat, tamen ad Paradisi gaudia sine Redemptoris præsentia redire non poterat. Nunc autem sanctæ Ecclesiæ cornu exaltatum est, qui jam mundi Redemptorem venientem recepimus, per cujus gratiam non solum recte possumus vivere, sed et ad paradisi gaudia transire, quia ille jam pro nobis mortuus resurrexit, in cujus morte mors obiit, et paradisus se ejus fidelibus reseravit. Exaltatum est ergo cornu nostrum in Deo nostro, quia, effusa jam gratia sancti Spiritus in electorum multitudinem impressam Redemptoris imaginem videmus, dum qui terrena omnia despiciunt carnis voluptates fugiunt, propria derelinquunt, tanto altiori potestate radiant, quanto hæc tanta virtutis insignia in veterum multitudine sancta Ecclesia non habebat. Exaltatum est cornu nostrum in Deo salutari nostro, quia quotquot eum recipimus, dedit nobis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12). Hoc cornu exaltare volebat Salutaris noster, cum dicebat : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et omnem virtutem inimici* (*Luc.* X, 19). Hinc item asserens ait : *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Hinc iterum repromittit, dicens : *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel* (*Ibid.*, XIX, 28). Dicat ergo Anna : *Exaltatum est cornu meum in Deo meo*, ut videlicet sanctæ Ecclesiæ gloria designetur, quæ singulare culmen potestatis obtinet de præsentia Redemptoris. Et quia jam in toto mundo distenditur, quæ quondam intra Judæam persecutionibus angebatur, sequitur :

(Vers. 1.) *Dilatatum est os meum super inimicos meos.*

3. Qui enim inimici Ecclesiæ alii quam Judæi intelligendi sunt ? Supra quos nimirum dilatatum os habet, quia contra eorum perfidiam omnium gentium jam fidelium linguas movet. Os ergo sanctæ Ecclesiæ dilatatum est, quia per universum orbem diffunditur, et dum nationes universas prædicatione veritatis erudit, Judæorum stultitiam, veluti dilatato ore, reprehendit. Et quia hoc inde potuit, quia venientem in carne mundi Redemptorem gaudenter excepit, causam dilatati oris exponit, dicens :

(Vers. 1.) *Quia lætata sum in salutari tuo.*

4. Jam quis sit salutaris Dei cognovimus. De quo etiam Isaias vaticinans [a] ait : *Videbit omnis caro Salutare Dei ; videbunt omnes fines terræ Salutare Dei* (*Isa.* LII, 10 ; *Psal.* XCVII, 3). Jesus autem nostro eloquio Salutaris dicitur. De quo etiam Habacuc sibi gaudium repromittit, dicens : *Gaudebo in Deo Jesu meo* (*Habac.* III, 18). Ecce veterum Judæorum vocibus Dominus Jesus Deus asseritur. Sed nunc Judæi Salvatorem exspectant, quem Deum esse nequaquam credunt. Sed fortasse hoc Judæi in ore suo reprobare contendunt, et dum Jesum Salvatorem interpretantur, Deum Salvatorem non unigeniti personam, sed Patris intelligunt ; verumtamen in eodem loco subditur, unde unigeniti persona apertius demonstretur : *Domine Deus*, inquit, *virtus mea, constitue pedes meos in consummatione, et super excelsa statue me, ut vincam in claritate ipsius* (*Ibid.* 19). Ecce Deo loquitur dicens : *Statue me super excelsa.* Sed quia dicit : *Vincam in claritate ipsius*, alius utique est de quo dicit. Quis ergo est de quo dicit nisi unigenitus Dei Filius, quem non solum verum hominem, sed etiam Deum credit ? Dum ergo Deo loquitur, dicens : *Gaudebo* **43** *in Deo Jesu meo, et vincam in claritate ipsius*, non Deum alium, sed Deus personam aliam demonstrat. Hæ sunt sanctæ Ecclesiæ rationes, hæ contra Judæorum perfidiam invincibiles assertiones per universum orbem diffusæ. Dilatatum ergo os habet sancta Ecclesia super inimicos suos, quia jam, auctore Deo, ubique cognoscitur, unde et Judæorum perfidia convincatur. Causam igitur dilatati oris audiant, qui Salutare Dei negant, et de gaudio Salutaris nostri feriantur argumento confusionis suæ. Sed feriri possunt, a blasphemiis vero suis cessare nolunt. Jam Dei Salutare mundus excepit, omnis caro vidit, Judæus non credit, quia, ut dixi, Salvatorem exspectat, qui Deus non sit. Audiant ergo maledictionem prophetæ dicentis : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et a Domino recedit cor ejus* (*Jerem.* XVII, 5). In hominem Judæi confidunt, qui credere in Redemptorem refugiunt, dum Antichristum in fine mundi præstolantur. In quorum confusionem Psalmista prædicat, dicens : *Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei* (*Psal.* XCVII, 3). Quasi perfidiam Judæorum confundat dicens : Quid in posterum visiones differtis ? Quem exspectatis jam venit, quem promissum habuistis jam omnibus finibus terræ apparuit, cum clausistis oculos, transiit ; imo sic cæci facti estis, quod coram vobis tanta lux stetit, et non vidistis. Ergo, *jubilate Domino omnis terra, cantate, et exsultate, et psallite ; psallite Deo nostro in cithara, et voce psalmi, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ. Jubilate in conspectu regis Domini ; moveatur mare et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. Flumina plaudent manu in idipsum, montes* [b] *exsultabunt ante faciem Domini, quoniam venit, quoniam venit judicare terram* (*Ibid.* IV, *seq.*). Quasi dicat : Quia tam immensa cæcitate premuntur, ut nequaquam videre meruerint, vos gaudete abundantius, qui vidistis. Sed quam mirabiliter, atque ineffabiliter gaudendum sit, signa gaudii coacervans, ait : *Jubilate, cantate, et psallite.* Celebritatem quoque lætitiæ insinuare gestiens, instrumenta ejus enumerans,

[a] Hæc Isaiæ omittuntur in Vatic. et in Gussanv.

[b] Gilot., *exsultaverunt ante faciem Domini.*

dicit : *Psallite Domino in cithara, et cithara, et voce psalmi, in tubis ductilibus et voce tubæ corneæ, jubilate in conspectu regis Domino.* Quid in conspectu regis, nisi in cognitione Redemptoris ? Sed a quantis hæc gaudiorum solemnitas sit agenda exponit, dicens : *Moveatur mare, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* O infelix Judæa, fines terræ viderunt Salutare Dei, omnis terra commota jubilat, gaudet universus orbis, flumina plaudunt manibus, montes exsultant ; sed impia Judæorum corda non credunt, et in cæcitatis suæ tenebris livoris pœna feriuntur. Sed quem blasphemare non metuunt, sancta Ecclesia attentius commendat, dicens :

(Vers. 2.) *Non est sanctus ut est Dominus.*

5. In descriptione Redemptoris omnia incomparabilia designantur. Inde enim verus Redemptor ostenditur, quod in omni quod ad ejus gloriam dicitur ei nemo comparatur. Ille enim omnes redemit qui omnibus excellit. Quod recte contra Judæam dicitur, quæ eo audacius Redemptorem despicit, quo multos se habuisse viros recolit, qui magna claruerunt laude sanctitatis. Hinc est enim quod illuminato cæco exprobrantes dicunt : *Tu sis discipulus illius, nos autem Moysi discipuli sumus. Scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc nescimus unde sit* (*Joan.* IX, 28, 29). Hinc item gloriantur, et dicunt : *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam* (*Joan.* VIII, 33). Sed homo **44** fuit Moyses, homo Abraham, homo Christus. Verumtamen illi assumpti ad locutionem Dei, iste assumptus in divinitatem. Illi assumpti ad ministerium, iste ut unigenitus assumptus ad regnum. Unde et loquitur, dicens : *Omnia quæ habet Pater mea sunt* (*Joan.* XVI, 15). Non *est sanctus ut est Dominus.* Hoc etiam sacra Scriptura testatur, dicens : *Cui se infudit omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II, 9). Hinc Joannes ait : *De plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.* I, 16). Non *est sanctus ut est Dominus.* Quia in eo quod Dominus asseritur, sanctitatis ejus excellentia commendatur. Sed Judæi Christum, quem exspectant, purum hominem asserunt, et tamen suum Dominum futurum et singulariter sanctum credunt. Sed Psalmista illos reprobans, nos ad fidei gaudium cohortatur, dicens : *Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia. Intrate in conspectu ejus in exsultatione, scitote quoniam Dominus ipse est Deus* (*Psal.* IC, 1, 2, 3). Illi Dominum vocant, qui Deus non sit. Nobis ergo jubilandum, nobis in lætitia serviendum, qui talem habemus Dominum, qui etiam Deus veraciter credatur, qui majestatem divinitatis, quam in se asseruit, incomparabilibus miraculis comprobavit. Qui ergo invisibilem ejus divinitatem abnegant, patentibus operibus credant. Sed quam mira sanctitas illa est, quæ peccatores sanctificat ? Unde et de peccatrice muliere dicit : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Hanc excellentiam sanctitatis, illa in fluxu sanguinis posita cognoscens, ait : *Si tetigero vel fimbriam vestimenti ejus, salva ero* (*Matth.* IX, 21). Sed quis fidem ejus assereret, si effectus fidei non pateret ? Nam ut vestimentum ejus tetigit, sanguis stetit. Non est ergo sanctus ut est Dominus, quia quisquis potuit sanctus existere, ejus accepit munere ut sanctus esse potuisset. Hoc namque sancta Ecclesia subsequenti verbo insinuans, ad eumdem Redemptorem ex nimia charitate convertitur, dicens :

(Vers. 2.) *Neque enim est alius extra te.*

6. Subauditur, sanctus. Extra eum sanctus aliquis esset, si absque dono unigeniti sanctificationis spiritum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat ? Scriptum quippe est : *Verbo Domini cœli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Verbum Domini est unigenitus Dei. Quem profecto evangelista Joannes insinuans, ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Si ergo etiam angeli sanctificati creduntur in Filio, multo magis de hominibus creditur quia extra eum sanctificationis gratiam invenire non possunt.

7. Potest etiam hoc sine aliqua subauditione intelligi. Cum ergo dicit : *Nec est alius extra te,* quid aliud in Redemptore quam divinæ essentiæ incommutabilitas designatur ? Unde et Judæis blasphemantibus dicit : *Antequam Abraham fieret ego sum* (*Joan.* VIII, 58). Idipsum in Genesi Moysi insinuans, ait : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). Deo enim unigenito esse est dissimiliter nunquam esse. Qui certe status tanto longe est a cunctis mortalibus, quanto clarius cognoscitur quia momentis singulis per multa variantur. Potest hoc et ad justitiæ statum pertinere, quia electorum esse est in Deo per justitiam manere. Et quia unigenitus Dei Deus est, extra eum non est aliquis, quia nemo electorum nisi in ipso est. Quod si refertur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evacuet, quia justus esse **45** non potest qui fidem non habet divinæ Incarnationis ; Judæi ergo per hæc singula verba feriuntur, qui, dum Redemptorem contemnunt, Antichristum exspectant, qui Deus non esse liquido comprobatur. Unde et per beatum Job dicitur : *Habitent in tabernaculo ejus socii ejus qui non est* (*Job.* XVIII, 15). Tabernaculum Antichristi est amor perfidiæ, quo fidei contradicit Redemptoris. In quo nimirum tabernaculo Judæi nunc permanent, quia dum perfidiæ suæ situm amanter inhabitant, contra Redemptorem pugnant. Qui etiam ejus qui non est socii esse referuntur, quia in proposito suo diabolum adjuvant, qui, dum a summæ illius essentiæ amore corruit, verum esse protinus amisit. Cui nimirum non esse est ab summam illam beatam essentiam per amoris participationem reverti non posse. Et quia Judæorum populus, non solum arduam patrum veterum conversationem, sed etiam miraculorum ostensionem ad augmentum elationis habuit, subditur :

(Vers. 2.) *Et non est fortis sicut Deus noster.*

8. Quasi inaniter gloriantem Judæam reprimat, dicens : Quos magna fecisse astruis, puri homines fuerunt; quem prædico, non solum homo sanctus fuit, sed

etiam potens Deus. Dum ergo fortitudo respicitur, excellentia indicatur, quia nimirum omnino infirma est omnis fortitudo hominis in comparatione deitatis. Quo tamen in loco assertio divinitatis non probat excellentiam operis, sed incomparabilitas fortitudinis ostendit veritatem deitatis. Quasi dicat : In hoc cognoscitur quia vera protulit, quia deitatem quam in se asseruit incomparabilibus operibus comprobavit. Unde per semetipsum dicit : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (*Joan.* xv, 24). Jam vero ipsa opera discutienda sunt. Moyses mare (*Exod.* xiv, 12), Helias flumen divisit (*IV Reg.* ii, 8); Dominus noster Jesus super mare ambulavit (*Matth.* xiv, 24). Quid ergo est elegantius in sicco profundi alveo viam transeunti populo exhibere, an ipsam maris faciem viam facere? Illi quippe, quia humanitatis deprimebantur pondere, in profundi solido viam qua pergerent requirebant; sed qui infirma humanæ naturæ in celsitudinem divinitatis assumpsisse cognoscitur, super aquas virtute propria ferebatur. Moyses de consortio sermonis Domini splendorem vultus obtinuit (*Exod.* xxxiv, 29), Josue orationibus solem fixit (*Josue* x, 12, 13); sed quia Deus est Jesus, coram discipulis in solis virtute resplenduit. In illius faciem filii Israel intendere non poterant, istius gloriam qui meruerunt cernere ceciderunt, ut aperte cognosceres quia divinum existeret quo humana transiret. Huic, in monte illis assistentibus, ab æterno Patre dicitur : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite* (*Matth.* xvii, 5, 6). Et idcirco etiam Helias, qui ne plueret cœlum clausit, et ut plueret reseravit (*III Reg.* xvii, 1) in ejus comparatione quid est qui apertis cœlis, Patrem exhibuit testem suæ divinæ generationis? *Non est ergo fortis ut Dominus*, quia quidquid virtutis Moyses ostendere potuit, Dominus, non ipse fecit. Jesus autem omnia quæ mire gessit propria virtute exhibuit, quia Dominus etiam Moysi fuit. Non enim Moyses populo perdeserta gradienti, sed Dominus manna pluit (*Exod.* xvi, 13, *seq.*). Non Moyses, sed Dominus in columna ignis per noctem, et nubis in die, populum præcessit (*Ibid.*, xiv, 19). Non Moyses, sed verbum quod factum est ad eum, aquam de rupe produxit (*Ibid.* xvii, 6). Non Moyses, sed Dominus volatilia concupiscentibus exhibuit (*Ibid.* xvi, 17). Unde et Dominus Judæos in patrum fortitudine gloriantes reprimit, dicens : *Non Moyses, sed Pater meus dedit vobis panem de cœlo* (*Joan* vi, 32). **46** Hinc Psalmista non Moysen inaniter efferens, sed Dominum laudabiliter extollens, dicit : *Fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Thaneos, interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre. Eduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis. Eduxit aquam de petra, et deduxit tanquam flumina aquas. Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata* (*Psal.* lxxvii, 12, *seq.*). Dominus autem Jesus fortis incomparabiliter non in aliena virtute apparuit, sed in sua. Unde et ex seipso potens, paralytico imperans, ait : *Tibi dico, surge* (*Matth.* ix, 6). Hinc etiam scriptum est : *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant a quocunque languore tenebantur* (*Marc.* vi, 56). Et iterum : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes* (*Luc.* vi, 19). Hoc namque insigne fortitudinis, nec Moyses, nec Helias habere potuit, ut, dum incomparabilia signa innotescerent, adventum unigeniti apertissime designarent. Recte ergo Synagoga perpetuo silentio damnatur, cum subditur :

(Vers. 3.) *Nolite multiplicare loqui sublimia. Recedant vetera de ore vestro.*

9. Quasi dicat : Dum incomparabiliter nova cernitis, gesta antiquorum reprehensibiliter effertis. Quasi enim umbra illa præcesserant. Sed nunc palam veri fideles hæc Redemptoris nostri opera venerabiliter adorant, quia quod umbrabatur ibi occultatione sacramenti, in adventu Redemptoris patuit, exspectasse corpus revelandæ veritatis. Ergo si ad nova referantur, vetera non sunt, quia in Spiritu sancto intellecta, vetustatem aliquam non recipiunt. De illo quippe renovante omnia spiritu, Psalmista precatur, dicens : *Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Psal.* ciii, 30). Vetera ergo sunt, si Redemptoris operibus conferantur; sed cum ad confirmanda hæc spiritaliter illa proferimus, eo spiritu quo hæc intelligimus illa renovantur. Sancta ergo Ecclesia dum Judæos de veterum narratione reprehendit, quid aliud quam eos acta Patrum spiritualia carnaliter intelligere designatur? Synagoga etenim contra sanctam Ecclesiam se tanto temerius erigit, quanto legis et prophetarum scientia superbius extollitur, quam suis patribus divinitus inspiratam, sibi autem materialiter exhibitam didicit. Unde sequitur : *Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.* Et ut tumere desinant, subjungit, dicens : *Recedant vetera de ore vestro.* Jam quippe ei vetera sunt, quæ, ut dixi, per renovantem spiritum non intelliguntur. Tale est igitur ac si dicat : Dignum est ut ab eorum narratione sileas, quorum novos et splendidos sensus ignoras. Quæ nimirum etsi subtiliter intelligis, tumorem arrogantiæ tibi præstare non debent, quia Deus scientiarum Dominus est. Redemptor quippe humani generis, quia summi Patris est Verbum, Dominus est utique omnium scientiarum. Alta quippe, et magna locutus est Isaias, magna locutus est Jeremias; sed profecto nihil dicerent, si hoc Verbum scientiarum Dominus non eis, antequam loquerentur, scientias indicaret. Unde et frequenter in libris ejusdem Isaiæ prophetæ legitur : *Verbum quod factum est ad Isaiam prophetam.* Frequenter et in libro Jeremiæ scribitur : *Verbum quod factum est ad Jeremiam prophetam.* Hoc Verbum scientiarum Dominum Joannes in altissimo summi Patris sinu aspiciens, ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* i, 1). Hinc Paulus scientiarum Dominum Redemptorem nostrum **47** insinuans, dicit : *Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* ii, 9). Dum egro dicit : Recedant *vetera de ore*

vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, quid est aliud dicere, nisi Synagogæ aperta ratione monstrare, ut tanto sollicite tacere debeat, quanto non solum quod sint, sed etiam a quo sint ea quæ dicit ignorat? Quasi dicat : Illam scientiam, quam patrum tuorum fuisse astruis, tanto tibi dare arrogantiam non debuit, quanto non ipsorum, sed unigeniti Filii Dei fuit, et ipsam eamdem scientiam non intelligis. Dicit ergo: *Recedant vetera de ore vestro.* Ut Judæi nequaquam depravent quod intelligere recte non prævalent. Deus scientiarum, dicit, Dominus est, ut quod veraciter Dei esse comprobant, hominibus fallaciter non ascribant. Sed dum de verbis jactantiæ Judæa reprehenditur, quia nullo timore compungitur, ei etiam de occultis perfidorum cordium motibus tormenta nuntiantur. Nam sequitur :

(Vers. 3.) *Et ipsi præparantur cogitationes.*

10. Quasi dicat : Quem blasphemare non metuis, non solum linguæ habebis judicem, sed et cordis. Unde et per Isaiam comminatur, dicens: *Ego opera, et cogitationes eorum venio ut congregem* (*Isai.* LXVI, 18). Hinc per Moysen Dominus comminans, ait : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis* (*Deut.* XXXII, 34)? Et quia his verbis silentium Synagogæ præcipitur, videamus jam sancta Ecclesia quibus fecunditatis suæ laudibus in Annæ voce glorietur. Subdens namque ait :

(Vers. *4.*) *Arcus fortium superatus est.*

11. Quisnam est arcus fortium, nisi fraudulenta sævitia Judæorum ? Ex occulto quippe, quasi ex arcu Redemptori vulnus inflixerant, quem gentium manibus occidebant. Sed superatus est arcus fortium, quia qui eorum vulnere obiit, a mortuis resurrexit, in cœlum ascendit, promissum Spiritum sanctum discipulis misit. Unde subditur :

(Vers. 5.) *Et infirmi accincti sunt robore.*

12. Appellatione quidem roboris, virtus ostenditur Spiritus sancti. Unde et eumdem Spiritum Dominus discipulis repromittens, ait : *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). Robur autem gratia sancti Spiritus recte dicitur, quam ut electi recipiunt, contra omnia adversa hujus sæculi fortes fiunt. Qui vero infirmi hoc loco, nisi apostolo intelligendi sunt ? Sed infirmi profecto, cum arcus fortium tenditur, non cum virtute ex alto vestiuntur. Nam in hora Dominicæ comprehensionis scriptum de eis est, quia, *relicto Domino, omnes fugerunt* (*Matth.* XXVI, 56). An non valde infirmus tunc Petrus erat, cum interrogantis ancillulæ vocem timuit, et Redemptorem negavit (*Ibid.*, LXIII, 74)? Jam quippe superatus erat arcus fortium, annihilata sævitia Judæorum, quia Redemptor morte victa surrexerat; et tamen adhuc infirmi apostoli superatos fortes, clausis januis, metuebant (*Joan.* XX, 19). Sed ubi eos robur induit libet intueri quam fortes fecit. Repentino quippe sonitu super eos Spiritus sanctus venit, et eorum infirmitatem in miræ charitatis virtutem permutavit (*Act.* II, 22, *seq.*). Cœperunt enim Christum jam robore induti prædicare, qui persecutorum minas non erubescebant delitescendo fugere; et qui mulierum verba timuerant, auctoritatem principum libertate frangebant. Vicit robur formidinem, terrores, minas, et cædes superavit; et quos superveniendo induit, in cœlesti militia mirabilis audaciæ insignibus illustravit, ut inter flagella, cædes et opprobria non metuerent **48**, sed exsultarent. Scriptum quippe de eis hoc jam roborc indutis est : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V, 41). Hinc jam prædicantes, dicunt : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* (*Jac.* I, 2). Bene ergo dicitur : *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore.* Quia prius a mortuis resurrexit, et sic ad cœlum Redemptor abiit, et Spiritum sanctum discipulis misit. Prius namque superandus erat arcus fortium, et post infirmi robore accingendi. Unde et scriptum est : *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus* (*Joan.* VII, 39).

13. Quo in loco notandum est quia hoc contra Judæam dicitur quæ miracula Redemptoris tanto superbius despicit, quanto inter supplicia mortuum recognoscit. Dicit ergo : *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore.* Quasi mortem Redemptoris calumnianti Synagogæ respondeat, dicens: Noli despicere quod mori potuit, sed mirare potius quia mortuus resurrexit, et gentis tuæ sævitiem reviviscendo superavit. Et quia hoc de præterito ostendit, non solum denuntiando ei loquitur, sed insultando. Quasi enim inaniter insultanti improperet, dicens : Quid vobis profuit occidisse quem mortis laqueus non potuit tenere ? Vos occidistis, ne post eum totus mundus iret ; sed idcirco post eum totus mundus vadit, quia verum se Dei Filium probavit, dum moriendo humanum genus redimeret, et dum resurgendo viventem se monstraret, et ad cœlum conscenderet, et spiritum sanctum promissum discipulis destinaret. Et quia pro incredulitatis suæ merito Synagoga a participatione promissæ gratiæ repulsa est, id ipsum sancta Ecclesia improperans ei, subdens, ait :

(Vers 5.) *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt.*

14. Qui fuerunt prius repleti, nisi qui cognitionem Dei, antequam cæteri populi, habuerunt ? Qui ergo repleti prius intelligendi sunt alii quam Judæi, qui in fide conditoris fere ab ipso fuerunt principio mundi eruditi ? Ipsi quidem pro panibus se locaverunt. Quid enim panes hoc loco significant, nisi mysteria divinæ Incarnationis ? Locus autem inveniendorum panum sacra est Scriptura. Unde et panis, qui de cœlo descendit, ad inveniendum se ignorantibus dicit : *Scrutamini Scripturas, quia ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me* (*Joan.* V, 39). Pro panibus ergo se locaverunt, quia omnes Scripturas acceperant, ut in eis sacramenta divinæ Incarnationis invenire debuissent : sed cum panis venit, Synagoga, quæ se pro pane locaverat, locum reliquit, in quo invenire

panem debuit quem quæsivit. Scripturas quidem, ut dixi, ad cognoscendum Redemptorem habuit, sed qui secundum Scripturas venerat, venientem confutavit. Famelici ergo saturati sunt, quia qui crediderunt de gentibus, dum mysteria divinæ Incarnationis veneranter accipiunt, cœlestem cibum habent ad internæ delectationis usum. Famelici quidem dicti sunt, quia ante adventum Redemptoris, infidelitatis fame projecti, spiritualis refectionis cibum nullum habuerunt. Vel certe famelici dicuntur, quia spiritualis cibi dulcedinem cum magna aviditate suscipiunt. Repleti vero, qui se pro pane locaverunt, audiant quem exspectabant : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 33, 41, *seq.*). Sed quia non merebantur agnoscere, respondebant : *Nonne hic est filius Joseph? quomodo dicit, quia de cœlo descendi* (*Luc.* IV, 22 ; *Joan.* VI, 42)? Ipse autem, qui **49** omnia noverat ad delectationis suæ recubitum famelicos venturos prophetabat, dicens : *Amen dico vobis, quia ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum, filii autem regni projicientur in tenebras exteriores* (*Matth.* VIII, 11, 12). Repleti ergo se locaverunt pro panibus, sed famelici saturantur, quia Synagogæ filii in Scripturis sanctis pastum fidei de futura Incarnatione Redemptoris habuerunt ; sed nunc, projectis illis, dum gentiles in eum veraciter credunt, divinitatis et humanitatis ejus sacramenta in delectationis intimæ refectione suscipiunt.

15. Quia vero per egregium Doctorem dicitur : *Omnes eamdem escam manducaverunt, et omnes eumdem spiritalem potum biberunt* (*bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus*) (*I Cor.* X, 3, 4), potest rationabiliter colligi quia illi manducaverunt, et non sunt saturati, isti manducaverunt, et saturati sunt. Quod nimirum contra Synagogam a sancta Ecclesia recte dicitur, ut ii qui sunt sub gratia mira celsitudine præeminere sub lege positis designentur. Quid enim illis fuit se pro panibus locare, nisi sacramenta venturi Redemptoris in Scriptura sacra perquirere? Quorum profecto unusquisque manducavit, et saturatus non est, quia futuram summi unigeniti Incarnationem credidit, sed præsentem non vidit. Manducare quidem ei fuit, divinam Incarnationem in mentis desiderio dulciter retinere, et non saturari ei fuit desideratam ejus præsentiam non videre. Sed infirmi, qui robore accingendi erant, saturitatis suæ præconia ab eo quo saturabantur pane audiebant : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Amen dico vobis quia multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ vos auditis, et non audierunt* (*Matth.* XIII, 16, 17). Qui enim videre volebant, jam intimæ delectationis panem per desiderium manducabant ; sed quia videre non poterant, habebant gaudium desiderii, sed non habebant per fruitionem saturitatis. Nam etsi Scriptura dicat : *Quia panem omnem suavitatem habentem et omnem dulcedinem, Deus eis dedit* (*Sap.* XVI, 20), sic dicitur ab eis accipi, sicut nosci, sicut, per fidem notus ab eis, per charitatis desiderium poterat concupisci. Synagogæ igitur in primis patribus glorianti, ii accincti robore [a] præferuntur, ut dum novum culmen electorum conspicitur præcelsum, nequaquam inaniter ultra glorietur. Et quia a discubitu sanctæ Ecclesiæ cibus vitæ nunquam tollitur, tam futura quam præterita insinuans, ait :

(Vers. 5.) *Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est.*

16. Quæ est sterilis, nisi sancta Ecclesia, ut supra latius in Annæ typo jam diximus? Quid est ergo famelicos saturari, donec sterilis pariat, nisi usque in mundi finem panem vitæ possidere? Quod et ipse repromittit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Non enim sunt nisi famelici quos sancta Ecclesia parit. Ergo donec parit, famelici saturantur, quia usque in mundi finem Deo filios generat, qui dum venisse in carne Redemptorem credunt, panem vitæ, quem desiderant, comedunt, et plenitudine replentur. Sed donec sterilis plurimos parit, ea quæ multos habebat filios infirmatur. Infirmari Synagogæ est institutione legis veteris parere non posse. Quæ enim fidem viri prioris perdidit, diabolo jam et non Deo parit. Bene autem dicitur : Quæ multos habebat filios, quia dum in veritate Scripturarum subjectum sibi **50** populum antiquitus erudiret venturi Redemptoris adventum concupiscere, de complexu cœlestis sponsi filios pariebat. Nunc autem quæ habebat filios infirmata est, et filios non habet. Scripturas quidem suis auditoribus exhibet, sed quia Redemptorem negat, Deo filios nunquam generat. Infirmari ergo dicitur, cui spiritualis fecunditas negatur. Et quia tam Synagogæ repulsio quam electio gentilitatis incomprehensibili Dei judicio facta est, sequitur :

(Vers. 6-8.) *Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit; Dominus pauperem facit, et ditat; humiliat et sublevat. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.*

17. Quasi obstupescenti alicui de tam electæ gentis repulsione respondeat, dicens : Quid in his rationem quæris, quæ summa ratio incomprehensibiliter facit? Quod etiam genus quærendi doctor egregius reprehendens, ait : *Homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum factori suo : Quid me fecisti sic? Aut non habet potestatem figulus ex eodem luto aliud quidem vas facere in honorem, aliud vero in contumeliam* (*Rom.* IX, 20, 21)? Tale est ergo ac si dicat : Quia omnium Dominus recte cognoscitur, opus illius, et in Judææ abjectione, et in gentium electione, venerandum et non discutiendum esse sentiamus. Mortificat quidem Dominus, quia incomprehensibili judicio quondam electum Judæorum populum a cognitione veritatis separat, et in perpetuum damnat. Vivificat, quia gentilitatem ad agnitionem sui unige-

[a] Vatic. et Gilot. *proferuntur.*

niti temporaliter per fidem recipit, et ad ejus contemplandam gloriam æternaliter perducit. Ad inferos ducit, quia districto ejus judicio ultrix gehenna eos puniendos in perpetuum recipit qui per culpam perfidiæ a veneratione se dividunt Redemptoris. Reducit ab inferis, quia gentilem populum ad filii sui fidem devote accedentem suscipit, cui, velut altus abyssi carcer, exstitit immensa obscuritas erroris. Pauperem facit et ditat, quia et repulsam Judæam spiritalibus virtutibus spoliat, et electam gentilitatem, tam pretio fidei quam bonorum operum fulgoribus exornat. Qui etiam humiliare et sublimare dicitur. Etenim Synagoga, a Redemptore recedendo, sublimitatis suæ alta deposuit, et sancta Ecclesia, Redemptorem venerando, ab imo infidelitatis, ubi projecta jacuerat, in altitudinem rectæ fidei et Christianæ potestatis celsitudinem surrexit. Quia ergo Dei Filium Judæa contempsit, gentilitas promeruit, recte et illa humiliata, et ista creditur exaltata. Sequitur : *Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.*

18. Egenus et pauper gentilis populus intelligitur, qui de pulvere suscitatus et de stercore erectus dicitur, quia cum recipitur in fidem Redemptoris, et ei minima et graviora peccata remittuntur. Quia enim facile pulvis excutitur, et quem stercora inquinant horribiliter fœdant, pulvis leviora, stercus graviora peccata significat. Bene etiam de pulvere suscitatus egenus dicitur, et de stercore pauper erectus. In illis siquidem dormiebat, a quibus levi tactu gratiæ suscitari poterat. In illis vero jacebat, quia, lapsus in gravioribus, manu magni auxilii indigebat. Sed jam egenus qui de pulvere suscitatur, et is qui de stercore pauper erigitur, audiamus quo culmine præferatur.

51 19. *Ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Qui vero principes hoc in loco nisi sancti apostoli designantur? De quibus nimirum principibus, Deo per Psalmistam dicitur : *Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine* (*Psal.* XLIV, 17, 18). Quid est quod pauper cum principibus sedet, nisi quia ordo prædicatorum, de gentibus electus, in sancta Ecclesia culmen apostolicæ auctoritatis obtinet? Cum principibus quippe sedet, quia de throno cœlestis magisterii doctrinam salutis exhibet. Et solium gloriæ tenet, quia bonæ famæ odorem spargit, quibus dignitate præeminet. Vel certe solium gloriæ tenet, et cum principibus sedet, quia et sublimitatis honore radiat, et miraculis coruscat. Sed qui tam sublimi dignitate sustollitur, qualiter uti ea debeat indicat, cum subjungit :

(Vers. 8.) *Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem.*

20. Cardines terræ sunt extrema terræ. Nomine autem cardinum ipsos prædicatores electos de gentibus voluit designari. Extrema quidem terræ dicuntur, quia de vili quodammodo et abjecta gentilitate producuntur. Qui profecto cardines Domini esse dicuntur pro mortificatione propriæ voluntatis. Domini quidem sunt, quia non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi. Sed dum Domini esse dicuntur, singularis quædam in eis sanctitas designatur. Qui vero Domini sunt, videant quia super eos orbis ponitur, non sub eis. Quid enim orbis nomine nisi sanctæ Ecclesiæ subjecta designatur plenitudo fidelium? Super cardines quidem terræ Deus orbem posuit, quia prædicatores ad hoc sanctæ Ecclesiæ [a] præponuntur, ut eorum infirmitatem relevent, et debiles quoque ad cœlestem patriam, velut superimpositum onus portent. Non igitur se semper prælatos debent aspicere, sed quandoque subjectos, ut disciplina cohibendis vitiis præsint, sed æstimatione et obedientia ministerii sæpe subsint eis quibus præeminent cura prælationis. Et quia magna sunt onera quæ prædicatores sustinent, subdit atque ait :

(Vers. 9.) *Pedes sanctorum suorum servabit.*

21. Quasi dicat : Inter onera tam immensa corruerent, si eorum pedes Dominus non servaret. Pedes quidem sanctorum suorum sunt affectus mentium. Qui profecto a Domino servantur, quia ab ipsis gratia miræ devotionis infunditur, qua onus tantum gratanter ferunt. Servare quidem pedes sanctorum Dominus dicitur, quia tanti ponderis molem fugerent, si hoc intolerabiliter grave, non eis infusa desuper charitas levigaret. Possunt etiam et status fortitudinis pedum appellatione signari. Pedes vero sanctorum suorum Dominus servat, quando eos mira fortitudine roborat, ut inter tam immensa onera nequaquam cadant. Et quia non pedem, sed pedes servare dicitur, quid in utroque pede sanctorum intelligimus, nisi fortitudinem et humilitatem? Ne enim ruamus, in utroque pede consistimus. Quicunque enim fidelibus gregibus præsunt, in via, qua ad supernam patriam tendunt, modo prospera, modo adversa inveniunt. Ipsa enim prospera, quia elationem menti excitant, eam ad casum valde impugnant; verumtamen ne electa mens cadat, hinc subsistere nititur pede fortitudinis, inde consistit pede humilitatis. Firmum quippe statum inter utramque tentationem retineret, si tam solida humilitate consisteret, ut nulla hanc prosperitas elevaret, adversitas nulla dejiceret.

52 Quid est ergo quod dicitur : *Pedes sanctorum suorum servabit*, nisi quia debilis est omnis virtus hominis sine auxilio conditoris? Infirma quippe humilitas nostra, dum prosperitatis favore mulcetur, ab ineptæ lætitiæ impulsu prosternitur. Infirma fortitudo nostra, dum adversitate impingitur, leviter superatur. Sed tristibus elidimur, lætis enervamur, cum nos nobis omnipotens Deus deserit, non cum auxilium suæ protectionis impendit. Dicit ergo : *Pedes sanctorum suorum servabit*, quia omnipotens Deus infirmitatem nostram in ferendis subditorum nostrorum oneribus adjuvat, ut nos nec adversa atterant, nec læta seducant. Tunc quidem a Domino pedes nostri servantur, cum, divino auxilio roborati, obviantia mundi læta contemnimus, adversa nulla formidamus, cum stabili patientia gratanter mala feri-

[a] Guss., *proponuntur.*

mus et inconcussa humilitate sublimem animum a vana delectatione refrenamus.

22. Possunt autem pedes sanctorum fides et amor Redemptoris intelligi. Quibus profecto pedibus gradiuntur, cum eum quem per fidem fideles credunt amore consequuntur. Hos profecto pedes servari sibi a Domino postulabat, qui precabatur, dicens : [a] *Super excelsa statue me, ut vincam in claritate ipsius* (*Habac.* III, 19). Super excelsa statuitur, cui Redemptoris divinitas revelatur. Et in claritate ejus vincit, quia dum ejus [b] claritatis radiis illustratur, cuncta maligni spiritus tentamenta destruuntur. Stat tutos quidem in monte pedes tenet, qui veritatis contemplatione arduus est, et ejus quem credit summi Patris unigenitum amore succensus. Super excelsa quidem Petrus statutus erat, qui cum Domino confiteretur, dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, protinus audivit : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis* (*Matth.* XVI, 16, 17). Fundatus enim fide, accensus charitate, eum quem amabat etiam prædicabat. Bene ergo de reprobis subjunctum est :

(Vers. 9.) *Et impii in tenebris conticescent.*

23. Qui enim impii hoc in loco, nisi Judæi intelliguntur, qui a pietate veræ fidei sunt extranei, et Redemptoris morte cruenti? De quibus recte dicitur : *In tenebris conticescent*, quia sancti super excelsa statuti Redemptorem mundi, quem in divinæ majestatis claritate conspiciunt, æternis laudibus confitentur. In tenebris ergo tacent impii, quia Judæi ideo Redemptorem non prædicant, quod ineffabilis eos illa claritas divinitatis non illustrat. Scriptum quippe est : *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini* (*Isai.* XXVI, 10). His quippe tenebris damnatos eos intuens, Joannes ait : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5). Hinc David non optans, sed prophetans, dicit : *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et deorsum eorum semper incurva* (*Ps.* LXVIII, 24). In tenebris ergo tacent impii, quia etsi Judæi divinæ Scripturæ verba in Dei laudibus proferunt, dum Filium negant, Deo Patri nulla vocum obsequia consecrant. Deo enim silet, qui, Patrem laudans, Unigeniti laudem tacet. Sed quem crucifixum despiciunt, quando judex venerit expavescent. Unde etiam subditur :

(Vers. 9, 10.) *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir, Dominum formidabunt adversarii ejus.*

24. Nunc autem durus in infidelitate, fortis in errore est, et quem credere Deum contemnit, audacter blasphemare non metuit. Velut vir siquidem nunc vinci non potest, sed tunc sicut vir nequaquam roborabitur, cum is qui eorum insidiis **53** crucifixus est, in sua majestate conspicietur. Tunc formidabunt ejus adversarii, quando crucifixi virtute omnia moveri conspexerint, cum eius judicio universa submitti, cum per excelsos cœlos tonantia judicia audierint æternæ suæ damnationis. Unde et subditur :

(Vers. 10.) *Et super ipsos in cœlis tonabit.*

25. Qui enim cœlorum nomine hoc loco, nisi sancti apostoli designantur? Quibus profecto cœlis sublimitatis suæ gloriam Dominus repromittens, ait : *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Horum profecto cœlorum tonitrua Judæis Dominus insinuans, ait : *Ipsi judices vestri erunt* (*Luc.* XI, 19). Super Judæos igitur impios tunc in cœlis tonabit, quia a sanctis apostolis tunc terribilia judicia suæ damnationis audient, ut eorum examine sententiam æternæ mortis accipiant, quos prædicantes humiliter vitæ æternæ bona persecutionibus affligebant. Quia vero de extremo judicio ista intelligi debeant, sequitur :

(Vers. 10.) *Dominus judicabit fines terræ.*

26. Qui sunt fines terræ, nisi ultima hujus mundi? Fines vero terræ Dominus judicat, ut æquitatis ejus sententia impunita aut irremunerata nulla derelinquat, quia dum in judicio extrema concludit, aliqua discutienda non deserit.

(Vers. 10.) *Tunc sublimabit cornu Christi sui.*

27. Quando omnes electos in æterna contemplatione sui Unigeniti recipiet, ut eis æterna illa et ineffabili Majestate præsideat, qui dum in præsentis vitæ peregrinatione viverent secum [c] non erant. *Tunc sublimabit cornu Christi sui*, quando in celsitudine sua **54** respicietur sublimitas Redemptoris. De hac sublimitate per Joannem dicitur : *Videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2). Nam potestas sive regnum Domini nostri Jesu Christi semper æquale est; sed tunc sublimari dicitur, quando tales erimus ut ejus sublimitatem intueri valeamus; quidquid enim nunc de illa sublimitate humana mens sibi potest fingere, omnino nihil est in illius gloriæ comparatione. Nam scriptum est de illa : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*Isai.* LXIV, 4; *I Cor.* II, 9). Prius ergo Christo datur imperium, deinde cornu ejus sublimabitur, quia tunc sublimitatis ejus celsitudo respicitur, cum nostra quoque natura a corruptionis suæ imo sublevatur, cum renovationis suæ integritatem resurgendo suscipit, qua præcelsum lumen contemplari valeat Redemptoris.

28. Si vero in cornu aliquis vult regnum intelligi, per regnum Christi sancta Ecclesia designatur. Quod profecto cornu sublimabitur, quia ima nostra ad angelorum æqualitatem perducentur. Quare et de electis in Evangelio Dominus dicit : *Erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XXII, 30). De ista cornu sui sublimitate iterum dicit : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Ibid.* XIII, 43). Sublimabitur ergo cornu Christi, quia sancta Ecclesia in æterna contemplatione sui Redemptoris extolletur; et quæ nunc in hac valle miseriæ depositionis suæ pœna deprimitur, ab-

[a] Ibi quidem legitur in cantico ejus, ἐν τῇ ᾠδῇ, at aliquis legere potuit, ἐν τῇ αὐγῇ, *in splendore.*

[b] Vatic. et Gilot., *charitatis radiis illustratur.*

[c] Gilot et Vatic., *non erat.*

sorpta tunc morte, renovata æterni gaudii culmine, sublevabitur. Sed hæc jàm typica explanatione protulimus, restat ut in sequenti volumine moraliter exprimamus.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

53 1. Superiori libro, dum sacræ historiæ textum moraliter discuteremus, Annæ fecunditatem in summæ contemplationis perfectione posuimus, quia concipere menti est de summa Dei omnipotentis contemplatione ineffabiliter gaudere, parere autem in mente conceptæ charitatis insignia occultare non posse. Nunc autem parienti canticum dicere quid est, nisi conditorem, quem ineffabiliter diligit, veris præconiis prædicare? Dicit ergo :

(I Reg. II, 1.) *Exsultavit cor meum in Domino.*

2. Sed ea quæ manducavit et bibit, quæ amarum animum habuit, quæ flevit largiter, quæ votum vovit, quia illa mens omnipotentem Deum digne laudare potest, quæ dignis agonibus ad charitatis ejus summa pervenit, hæc quidem diuturno usu contemnere omnia didicit; et dum cuncta creata ab intentione abjicit, tanto amplius in visione æternæ majestatis gaudet, quanto alicujus creaturæ species in sui amore hanc retinere non prævalet. Hæc ergo dicit : *Exsultavit cor meum in Domino*, quæ eum, contemptis omnibus, solum amat. In hunc profecto affectum venerat, qui dicebat : *Quid mihi restat in cœlo, et a te quid volui super terram* (*Psal.* LXXII, 25). Hinc in Deo exsultans, dicit : *Vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI, 8). Hinc sponsa in Canticis petit, dicens : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1). Dum ergo dicit : *Exsultavit cor meum in Domino*, quid aliud **54** quam in ejus se [a] osculis inhæsisse quem ardenter diligit gloriatur? Et idcirco illa sola hæc dicit, quæ experta novit quæ vis amoris sit in thalamo sponsi. Cunctis quippe passionum victoriis illustrata, et prælata virtutum culmine, ad illam sublimitatem pervenit ex qua per gaudium miræ devotionis exsultationisque cor suum in Deo posuit. Et quia cor suum dicit, quid aliud quam mentis suæ libertatem asseruit? Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Unde et de proditore dicitur : *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas* [b] *Simonis Iscariotes* (*Joan.* XIII, 2). Si enim Judas cor suum, et non diabolus, possideret, ipse potius in eo bonum quam diabolus malum poneret. Quo contra electus vir loquitur, dicens : *Animam meam porto in manibus meis* (*Job.* XIII, 14). Quid enim aliud manus electi est quam potestas internæ libertatis? Quid ergo ei est, animam in manibus portare, nisi internæ libertatis gloriam in potestate retinere? Quotiescunque ergo graviter delinquimus, cor nostrum nos non habemus. Quare et Jeremias Judaico populo graviter delinquenti improperans, ait : *Audi, populo stulte, et qui non habes cor* (*Jerem.* V, 21). Hinc item conversus alter propheta Deo confitetur, dicens : *Invenit servus tuus cor suum* (*II Reg.* VII, 27). Dicit ergo : *Exsultavit cor meum in Domino*, ut libertatem mentis assereret, sine qua Deum digne laudare non posset. Sequitur :

(Vers. 1.) *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.*

55 3. In cornu electæ mentis intentio designatur, quæ mirabiliter extollitur cum ad eum gaudendo pervenit qui super universa consistit. Unde et cornu suum non in alio aliquo exaltatum asserit, sed in Deo. Qui enim transeuntia bona diligit, hujus profecto intentio depressa, non exaltata est, quia in imo figitur ubi per desiderium locatur. Hinc est quod in Evangelio Dominus dicit : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI, 21; *Luc.* XII, 34). Exaltare ergo cornu nostrum volebat Dominus, cum dicebat : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo* (*Matth.* VI, 20, 33). Exaltatum cornu habebant ii quibus se Paulus conformabat, dicens : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Sed qui cœlestia tantum diligit, si illam intimæ dulcedinis suavitatem gustare non novit, quanquam valde exaltatus sit, ad hujus tamen exaltationis sublimitatem non pervenit. Illo ergo hac exaltatione sublimis est, qui per incrementa virtutum proficiens, sublimitatem summæ contemplationis obtinuit, non solum ut perfecte cœlestia diligat sed etiam ut amoris perfectione in sola omnipotentis Dei contemplatione requiescat. In Deo exaltatum cornu habet, qui interni luminis alta visione fruitur, in qua familiari quadam singularitate gloriatur. Quare non ait, In Deo nostro, sed *in Deo meo*. Meum namque de eo dicit quem familiariter ac singulariter diligit. Ad quam certe divinæ familiaritatis dignitatem pervenerat, qui dicebat : *Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus es tu, et exaltabo te* (*Psal.* CXVII, 28). Hinc Isaias ait increpans : *Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo* (*Isai.* VII, 13)? Quæ ergo exaltatione cornu in Deo sustollitur, Deum suum singulariter fatetur, quia summa illa infusio divinæ dulcedinis exaltatam mentem, et sui susceptibilem, et valde familiarem facit. Sequitur :

(Vers. 1.) *Dilatatum est os meum super inimicos meos.*

4. Qui sunt inimici electæ mentis, nisi spiritus maligni? Quid ergo est dilatatum os super inimicos habere, nisi omnes malignorum spirituum suasiones amplissima sibi infusæ gratiæ largitate reprobare? Angustum quippe os habet, qui cunctis fraudibus malignorum spirituum per considerationem rationis contraire non prævalet. Os quippe mentis ejus ratio est, et loqui deliberare. Os namque repletur cum mentis ratio per infusam sibi gratiam in contempla-

[a] Ita procuidubio legendum, non *oculis*, ut habent alii editi.

[b] Gilot et Vatic., *Scariotes.*

tionem summæ veritatis attollitur. Repleri quidem ei est illustratione summæ veritatis imbui. Ibi quippe discit, et quod æternaliter appetat, et quod temporaliter contemnat. Et quia summa veritas amor est, subtilitate veritatis attollitur electa anima, ejusque rei charitate, quam didicerit, inflammatur, et tanto strictius servat magisterium, quanto ferventius id sibi inviscerat vis amoris. Cui nimirum etsi maligni spiritus mala suggerunt, dilatati oris apertione confunduntur, quia, veritate summæ sapientiæ instructa, et summi amoris facibus accensa, habet jam contra suggestionem erroris immensam lucem sapientiæ, habet et contra oblatam mundi hujus pompam ineffabilem charitatem. In immensitate lucis videt quæ reprobet, sed per vim summæ charitatis amat inepta reprobare quæ novit. Per sapientiam mala suggesta reprehendit, sed in virtute charitatis deprehensa redarguit. Os ergo super inimicos dilatat, quia ex abundantia rationis contra dæmones multa deliberat; et eo acutius eorum objecta destruit, quo id unde mala suggesta reprobet in sublimibus agnoscit. Unde protinus causam insinuans, ait :

56 *Quia lætata sum in salutari tuo.*

5. Quod profecto tale est ac si dicat : Quia *exaltatum est cornu meum in Deo meo*. Hoc certe est lætari in salutare Dei, quod exaltatum cornu habere in Deo suo. Quod non de qualibet lætitia salutaris accipitur, sed de illo perfectissimo gaudio, quo electa perfectaque anima more sponsæ gaudet in sponso. De qua nimirum lætitia David obsecrat, dicens : *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me* (*Psal.* L, 14). Quæ ergo dilatatum os habere super inimicos suos se gloriatur, in salutare Dei prius lætata fuisse describitur, quia illa beata mens valide reprobare malignorum spirituum suasiones poterit, quæ in Redemptoris divinitate per contemplationem sublimiter assumpta, ex eo et sapientiæ accipit magnitudinem, et plenitudinem charitatis. Quem profecto dignis laudibus prædicat, dicens :

(Vers. 2.) *Non est sanctus ut est Dominus; neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster.*

6. Iis namque Annæ vocibus quæque electa anima hoc Redemptori clamat in laude, quod ab ipso credit in munere. Sed ex hoc piæ confessionis ordine ordo innuitur, quo eadem muneris bona quæ seriatim protulit consequamur. Sanctus itaque Dominus et fortis asseritur, a quo sanctificamur, ad requiem ducimur, et glorificamur. Sanctificationem a Domino accipimus in virtute regenerationis; esse autem, id est quietem ab hujus mutabilitate corruptionis, in terminatione exsilii, fortitudinem in triumpho resurrectionis. Primum itaque horum munerum in ista vita consequimur, cum electi cujusque anima in carne est, sed utraque adhuc in agone operis posita; sequens autem in sola anima præter carnem, post carnis vitam, et jam de hujus vitæ laboribus assumpta; ultimum vero, in carne et anima, sed utraque jam per gloriam æternitatis innovata. Prius itaque sanctus dicitur, quia regeneratis per salutis lavacrum charitas Dei cordibus nostris infunditur, per cujus gratiam ad æternæ patriæ bona præparamur, ut dum hæc vita per decursionis suæ tempus elabitur, ea nos vita suscipiat, cujus gaudio hinc electorum egredientes animæ sine mortis pavore potiantur. Deinde esse ei ascribitur, quia securi consummationis nostræ diem, videlicet claritatem ultimæ resurrectionis, exspectamus, dum in illo munere acceptæ requiei discimus extremi examinis discussionem non metuere, sed promissæ gloriæ lætitiam exspectare. Ultimo autem loco fortis asseritur, quia in gaudio futuræ resurrectionis infirma nostra roborantur, cum caro surgit de pulvere; sed idem carnis nostræ pulvis translatus in perpetuæ incorruptionis gloriam, ad fragilitatis suæ miseriam ultra non redit. Sed et notandum quia in his tribus ab altero ad alterum ducimur; sed cum habere non habitum cœperit, qui hoc accipit quod non habuit, quod ante habuerat non amittit. Nam cum de sanctificatione ad requiem perducimur, et de quiete animæ perducimur ad robur æternæ incorruptionis, et sanctificatio charitatis augetur nobis in illa requie, et requies et amor excrescit valde in resurrectione. Conditorem namque suum unaquæque anima per amorem conjuncta in tantis muneribus intuens, Annæ vocibus dicat quam bene sapit sibi donum perfectæ regenerationis et vis amoris. Dicat : *Non est sanctus, ut est Dominus*. Dicat quam melius munus sibi est promissio quietis in hora sui transitus : *Neque est alius extra te*. Dicat quam optimum sibi placens **57** præmium sit ultima renovatio sua, in gaudio perfecti spiritus sui et glorificatæ carnis. Dicat : *Et non est fortis, sicut Deus noster*. Et notandum quia hoc in precis cantico Anna loquitur. Electæ etenim menti hæc in cantico poscere est, dona tam grandia cum gaudio desiderare. Petere quippe ei desiderare est, et gaudere cantare. Sed quæ tam gaudenter dignitatis suæ munera conspicit, quam fortiter occultis hostibus exprobret innotescit. Sequitur enim, et dicit :

(Vers. 3.) *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, recedant vetera de ore vestro.*

7. Sublimia quippe et vetera spiritus maligni loquuntur, cum alta quæ videntur hujus sæculi appetenda fidelibus suggerunt. Qui ergo cornu suum in Deo exaltare jam didicit, qui teneri in gaudio Majestatis novit, quidquid offertur sibi de blandimento sæculi labentis, exprobrando despicit, dicens : *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, recedant vetera de ore vestro*. Ac si aperte loquatur, et dicat : Eo mihi ea quæ offeruntur displicent, quo per desiderium alia video quæ valde placent.

8. Quod profecto dicere, quia ei competit qui jam idoneus ad ministerium prædicationis agnoscitur, apte quoque contra arrogantes sapientes, et contra negligentes sanctæ vitæ professores, ista prolata sentiuntur. Alta quippe glorians loquitur, qui per scientiam quam accepit se intelligere sublimiter gloriatur. Vetera vero loquitur, qui, postpositis sanctæ Scripturæ eloquiis, sæcularibus verbis occupatur. Dicitur

itaque arrogantibus : *Nolite loqui sublimia gloriantes.* Quibus profecto verbis ostenditur quia non modum locutionis prohibet, sed affectum intentionis. Quasi aperte dicat : sublimia loquimini, sed de eo quod altum dicitur gloriari refugite. Unde et Paulus pie discipulum admonet, dicens : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI, 20). Non dixit *Non altum loqui*, sed *Noli altum sapere;* sicut et hic non dicitur *Nolite loqui sublimia*, sed *Nolite gloriantes loqui*, quia sacra eloquia altius exquirenda sunt, sed quo altius exquirens proficit, semetipsum cohibere a vanæ gloriæ fastu debet per custodiam humilitatis. Dicitur etiam otiose loquentibus : *Recedant vetera de ore vestro.* Vetera quippe sunt verba sæculi, quia dum in eis loquentis animus per intentionem figitur, devotionis suæ decore spoliatur. Quare illi sublimia gloriantes loqui non debent, et cur ab eorum ore vetera debeant recedere, hæc causa demonstrat, quæ subjungitur :

(Vers. 3.) *Quia Deus scientiarum Dominus est.*

9. Audiat itaque sciens et arrogans quia non ipse scientiarum dominus est, sed Deus. Nam recte glorians diceret, si ejus qua tumeret scientia, non omnipotens Deus, sed ipse dominus exstitisset. Audiamus et nos, quando loquimur verba sæculi, quia Deus scientiarum Dominus est. Jam quippe electorum mentes non solum Novi, sed etiam Veteris Testamenti scientia innovat; venit namque qui diceret : *Ecce nova facio omnia* (*Isai.* XLIII, 19). Cum ergo tot nova habeamus quæ loqui possumus, vetera loqui sine culpa nullatenus valemus. Recedant igitur de ore nostro vetera, ut cum damnatæ vetustatis culpa etiam a sermone compescitur, in novi hominis pulchritudinem transeamus. Quod profecto si contemnimus, audiamus :

(Vers. 3.) *Et ipsi præparantur cogitationes.*

10. Quasi a minori culpa, subintellecta comparatione, **58** nos terreat, dicens : Hinc otiosa loquentes cogitent quam metuere culpam locutionis debeant, si is cui loquendo delinquitur etiam cogitationum excessus ad judicii sui examen servat. Audiant item arrogantes quod sequitur :

(Vers. 4.) *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore.*

11. Jam quippe in allegorica expositione diximus quia immundi spiritus horum fortium appellatione designantur. Qui nimirum quia a cœlesti gloria superbiendo ceciderunt, apte elatis doctoribus ad terrorem proponuntur, ut de se tanto jam humiliter sentiant quanto etiam angelos a superna gloria lapsos per appetitum vanæ gloriæ contemplantur. Quod etiam Redemptorem nostrum in elatis discipulis egisse recolimus, qui cum se subjecta dæmonia habere jactarent, ab eo protinus audiere : *Videbam Satanam, quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X, 18). Arcus itaque fortium superbia est spirituum malignorum. Dicuntur autem fortes, vel quia de se magna senserunt, vel quod humanum genus magnarum tentationum impetu vincant. Quem profecto arcum dum intentio impia tetendit, jacere malitiæ jacula supra se in conditorem studuit. *Ponam*, inquit princeps eorum, *sedem meam ad Aquilonem, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13, 14). Sed superatus est arcus fortium, quia Deus apostatarum spirituum superbiæ restitit, de cœlo præcipitavit, conditionali gloria virtutis exuit, ut in lapsis angelis homo disceret quid timeret. Nam quid de æreo vase fiet, si Deus nec aureis superbiæ fetore plenis ignoscit? Unde et Petrus in Epistola sua loquitur, dicens : *Deus peccantibus angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in judicium reservari* (*II Petr.* II, 4). Quasi ergo electus et humilis prædicator superbientibus dicat : Ut cessetis ab elatione, in conformibus vobis angelis, videlicet lapsis, damnationis debitæ pœnas aspicite.

12. Et quos imitari debeant proponens, ait : *Et infirmi accincti sunt robore.* Si ob præsumptionem æstimationis mali angeli fortes vocantur, infirmorum appellatio recte beatis spiritibus convenit, qui de se nulla præsumentes, virtuti sui opificis perpetua humilitate subjecti sunt. *Infirmi accincti sunt robore*, quia, voluntariæ subjectionis merito, sancti angeli interni amoris vinculo conditori suo conjuncti sunt. Quibus apte accinctionis nomen congruit, quia accinctus quilibet, eo quo cingitur cinctorio, ex omni parte retinetur, quia videlicet beatissimi illi spiritus sic sunt in æternitate solidati, ne ab ea cadere unquam possint. Hinc est quod ad Danielem in Babylonia prædicantem angelus mittitur, qui accinctus obrizo perhibetur (*Dan.* X, 5). Hinc est quod angelum cum quo in Apocalypsi Joannes colloquium habuit aurea zona ad mammillas circumdatum conspexit. Quia vero iidem beati spiritus ab humilitatis merito in amoris gloriam surrexerunt, sed quia eamdem gloriam in complexu æternitatis habent, et in timore amissionis non habent, gloriosi siquidem ineffabiliter sunt, sed ineffabilem illam gloriam amittere nunquam possunt. Ut itaque desinat gloriari, audiat arrogans : *Arcus fortium superatus est.* Et ut damnata culpa superbiæ proficiant in humilitate, dicitur sibi : *Infirmi accincti sunt robore.* Robur namque infirmis impenditur, cum subjectionis merito mitibus infunditur virtus supernæ charitatis. Accingimur etiam cum ad verbi ministerium præparamur. Bene itaque accincti robore infirmi in alta locutione **59** gloriantibus præponuntur, quia ii qui in ministerium mittuntur spiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, priusquam accingerentur ad ministerium humiles fuerunt. Ante enim memoratur infirmitas, post vero accinctio roboris. Hos profecto nobis accinctos Paulus insinuat, dicens : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I, 14)? De quibus et propheta etiam loquitur, dicens : *Millia millium ministrabant ei* (*Dan.* VII, 40). Quasi ergo dicat : Prius vos agnoscite, et sic vos ad aliorum salutem præparate, quia bonum prædicationis tunc bene impletur, cum prædicator qui sublimis est

verbo humilis esse satagit ministerio. Sed quia superbos et arrogantes prædicatores loquendo redarguit, subdit, dicens :

(Vers. 5.) *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt.*

13. Repleti prius illi sunt qui, dum tumoris cibos in mentis refectione suscipiunt, delicias sanctarum virtutum, velut cibo jam pleni, capere non possunt. Sed tamen pro panibus se locant, quia in Scripturis quas intelligunt juxta magnitudinem sapientiæ se percipere spiritualia munera virtutum putant. Sed saturari nequeunt, quia repletioni arrogantiæ dona sancti Spiritus addere nequaquam possunt. Ipse namque *spiritus disciplinæ effugit fictum, et non habitat in corpore pleno peccatis* (*Sap.* I, 5). Hinc etiam scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V, 5). Frustra ergo quæ Dei sunt accipere gestiunt, qui in eo quod superbiunt largitorem munerum sibi adversantem reddunt. Saturari ergo nequeunt, quia munera spiritualium gratiarum non adipiscuntur. Qui vero sunt famelici, nisi a cibis vitiorum vacui, a tumore jejuni? Famelici ergo saturati sunt, quia sancti viri humilitatis arce præditi, dum de se alta non sentiunt, alta virtutum dona promerentur. Nam per humilitatis bonum, sancti Spiritus sedes fiunt, quem dum in se manentem recipiunt, ejus donis plenius replentur. Unde et per Prophetam Dominus dicit : *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos* (*Isa.* LXVI, 2)? Valde ergo saturantur famelici, quia in donorum plenitudine super humiles sanctus Spiritus requiescit.

14. Quod tamen contra negligentes sacri altaris ministros atque audaces dominici corporis susceptores dici non inconvenienter potest. Repleti vero prius sunt, vitiorumque cibo saturati, qui pro pane se locant, quia corpus ad susceptionem Eucharistiæ præparent. Qui nimirum comedunt, et saturari non possunt, quia etsi sacramentum ore percipiunt, virtute sacramenti nequaquam replentur. A virtute ergo illa sacramenti ideo jejunant, quia prius repleti fuerant. Salutis quippe fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, qui ea quibus se repleverant flagitia portant in mente. Non saturantur ergo, nisi famelici, quia a vitiis perfecte jejunantes divina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a peccatis quibus eos humana fragilitas maculare non desinit evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etsi minima sunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait : *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (*I Cor.* XI, 28). Quid enim est hoc loco **60** probare, nisi, evacuata peccatorum nequitia, se probatum ad dominicam mensam, et purum exhibere? De repletis etiam subdit : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus, quia ipsa sola virtus est quæ evacuat quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc vere famelici saturantur, quia quo studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eo uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spiritali refectione. Quæ nimirum electorum saturitas, quia usque in mundi finem extenditur, subdit, atque ait :

(Vers. 5.) *Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est.*

15. Quæ itaque hujus appellatione sterilis signatur, nisi ea de qua Paulus loquitur, dicens : *Quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ mater nostra est* (*Galat.* IV, 26, 27)? Unde et paulo post Isaiæ vaticinium ei coaptavit, dicens : *Scriptum est enim : Lætare sterilis quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ei quæ habet virum* (*Isa.* LIV, 1). Sed quomodo Jerusalem sterilis, beatorum scilicet angelorum sancta societas, intelligitur, cum juxta vocis suæ significatum de æterna pacis visione perenni gaudio sit fecunda? Sed si mater est electorum hominum, sterilis profecto erat quando humanum genus in Adam perierat. Velut enim parturire non potuit, cum eum in quo fecunditatis suæ extendere sinum debuit lapsi spiritus suasionibus amisit. Tandiu accinguntur infirmi donec sterilis pariat, quia angelorum humilium valido ministerio eo usque indigemus, donec quotquot ad vitam prædestinati sunt de humano genere, usque in mundi finem colligantur. *Mittet* namque *Filius hominis angelos suos, et colligent electos suos a quatuor ventis* (*Matth.* XXIV, 31 ; *Marc.* XIII, 27). Ad eos namque colligendos tunc mittendi sunt, *in* quorum salute quotidie mittuntur, quia ad regnum non colligent, nisi quibus per robur accinctionis suæ nunc adjutorium præbent. Usque etiam in mundi finem famelici saturantur. Sed et bene plurimos hæc sterilis parere dicitur, quia non omnes homines, sed electi solummodo ad æterna gaudia perducuntur. Apte igitur etiam parere dicitur, quia angelorum ministerio docemur superna petere, ut ad eorum valeamus bona pervenire. Sed cum hæc sterilis parit, ea quæ multos habebat filios infirmatur, quia quo pleniora lucra electorum per angelorum ministeria superna regna percipiunt, hujus Babyloniæ filii minuuntur. Velut enim infirma in partu suo est, quæ inordinato amore rerum transeuntium, ut solet, filios gignere nequaquam potest. Ubique enim jam cœlestia regna prædicant, quæ profecto dum fidelium mentes audita diligunt, dum ea etiam bonis moribus inquirunt, velut in partu suo Babylonia stringitur, quia mater nostra Jerusalem eos per orbem Deo parturit, quos illa lasso perditionis utero parere gehennæ consuevit. Quorum tamen accinctorum robur non ipsis, sed ei a quo accinguntur ascribitur. Apte itaque subditur :

(Vers. 6.) *Dominus mortificat, et vivificat,*

16. In quibus profecto verbis etiam ordo notandus

est. Prius quippe mortificare dicitur, deinde vivificare, quia nisi sæculum amare desistimus, Deo per amorem vivere non valemus, Joanne attestante, qui ait : *Qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (*I Joan.* II, 15). Unde et is qui se mortificatum et vivificatum, qui se prostratum et erectum meminerat, **61** loquebatur, dicens : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). Vivebat, sed non mundi vita, quia dicebat : *Vivo jam, non ego, vivit vero in me Christus* (*Ibid.*, II, 20). Non ergo accinctorum aliquis, sed Dominus mortificat et vivificat. Mortificatum quippe et vivificatum esse est præsentia nulla concupiscere, et æterna desiderare. Cui itaque de his muneribus referendæ sint gratiæ exponit, dicens : *Dominus mortificat et vivificat.* Unde et sæpe jam nominatus gentium prædicator dicit : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III, 7). Sed quo ordine omnipotens Deus ista in electis operetur, exponit, dicens :

(Vers. 6.) *Ducit ad inferos, et reducit.*

17. Ut mortificet quippe, ducit ad inferos ; et ut vivificet, reducit ab inferis. Omnipotenti etenim Deo ad inferos ducere est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Ei quoque ab inferis reducere est territas pœnitentium atque commissa lugentium mentes, spe vitæ indelicientis attollere. Tunc quippe peccare desinimus cum, superna gratia mollitis cordibus, futura tormenta formidamus. Et ab inferis reducimur cum, interno visitati solatio, ad spem veniæ de pœnitentiæ lamento respiramus. Apte itaque Dominus ducere ad inferos et reducere dicitur, quia humana duritia in hominis solius prædicatione, nec terrore concutitur, nec amore sublevatur. Nam si doctorum esset mortificare quotquot eorum prædicatio tangeret, peccare desinerent; et si eorum esset vivificare, quicunque ab eis cœlestia audirent, ad ea nos protinus omni conatu perquirenda intimi affectus sui amor accenderet. Nunc autem, cum sæpe peccatoribus æterna supplicia minentur, cum ea quæ possunt eis cœlestia bona prædicent, et nec supplicia metuant, nec læta concupiscant, clamemus Annæ vocibus in laudibus Dei, et ei etiam illud, quod per eos quidam proficiunt imputantes, dicamus : *Dominus mortificat et vivificat.* Dominus itaque ducit ad inferos, et reducit, quia illi possunt futura tormenta metuere, illi superna gaudia diligere, in quibus per eas voces quas foris homo loquitur intus Dei pietas operatur. Est autem in quo sese quisque cognoscat, si jam ad inferos ductus et reductus sit, si mundo obiit, cœlis vivit ; nam si electus est, proficit. De eodem vero profectu subdit :

(Vers. 7.) *Dominus pauperem facit et ditat.*

18. Sæculi divites idcirco de larga facultate gloriantur, quia alto et incomprehensibili judicio Dei cœlestia eis bona abscondita sunt. Dominus itaque facit pauperes, quia dum æterna electis bona insinuat, eo se pauperiores tenent, quo a veris sese divitiis pulsos vident. Unde et rex ille qui sæculi possessione latissimus erat, quia ei veras divitias Dominus ostenderat, clamabat ad eum, dicens : *Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego* (*Psal.* XXIV, 16). Hinc propheta Jeremias, electi cujusque illuminationem in se exprimens, ait : *Ego vir videns paupertatem meam* (*Thr.* III, 1). Pauperem itaque Domino facere est in contemplatione bonorum perennium electorum mentes ad contemptum rerum omnium visibilium excitare. Sed cui summa revelat, qui eadem summa diutius laboris pretio sint quærenda insinuat, dicat quia qui pauperes facit, etiam ditat, quia nimirum dum ab omnipotenti Deo bonorum cœlestium cognitionem percipimus, ab ipso etiam virtutem consequimur, ut digno **62** pro eis labore certemus. Bene autem subditur :

(Vers. 7.) *Humiliat et sublevat.*

19. Quia in contemplatione cœlestium quam abjecti sunt in terra conspiciunt, sed in eadem abjectione temporalis inopiæ per Dei gratiam meritorum se pennis sublevant ad gaudia perennis vitæ. Humilitatem ergo percipiunt in æstimatione exsilii, sublimitatem vero in præparatione sanctæ operationis. Sequitur :

(Vers. 8.) *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus.*

20. Pulvis namque est subtilis deliberatio cogitationis illicitæ, quæ eam mentem cui insederit fœdam reddit. Quid namque in stercore nisi fœda [a] perpetratique flagitii audacia designatur? Unde et propheta vitam carnalium cœno fœdi operis obrutam intuens, ait : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel* I, 17). Apta igitur serie dona Dei in flagitiosorum conversione numerantur. Prius namque suscitatur de pulvere egenus quam pauper de stercore; quia a corde ante deliberatio immundæ cogitationis abscinditur, et postmodum ab actione culpa resecatur. Apte quoque suscitari de pulvere egenus dicitur, pauper de stercore erigi, quia intus prava deliberans dormit a contemplatione justitiæ, foris illicita perpetrans in iniquitate per actum jacet. Et quia jam cum fortibus de malignis spiritibus trophæa consequitur, suscitatus egenus et erectus pauper quid mereatur exponit, dicens : *Ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.*

21. Sedere quippe triumphantis est. Unde et in Apocalypsi Joannis victoriæ nostræ dignitatem Dominus ostendit, dicens : *Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (*Apoc.* III, 21). Quod et Paulus intuens, suscitationis, atque sessionis nostræ dona in Dei laudibus numerans, ait : *Conresuscitavit, et consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu* (*Ephes.* II, 6). Cum eo itaque principes sedent, quia qui ejus auxilio malignorum spirituum vires reprimunt, in eorum triumpho dignitatem sessionis habent quibus

[a] Guss. et Gilot. *perpetrataque flagitii audacia designantur?*

ex præsidentis sibi virtute dominantur. Cum eo item principes sedent, quia etsi stare per corpus in hac vitæ labentis ærumna cernuntur, meritorum tamen sedem cum Redemptore in sublimibus habent, a cujus conformitate claritatis nec in ista fœditatis valle separantur. Egeni quoque rebus et pauperes sunt qui propter Evangelium ea quæ in sæculo habere poterant, cuncta reliquerunt. Qui certe ut cum principibus possint sedere, de pulvere suscitari debent, et de stercore erigi. Quid enim favores linguæ, quid sunt aliud labentium dignitatum infulæ, nisi pulvis? Nam eam quam blandiendo sordidant a veris splendoribus mentem cæcant. Et quid divitiæ pereuntes, et transitoriæ facultates, nisi stercora æterna diligentibus sunt? Stercora quippe sunt quæ sanctæ animæ in contemptu humilitatis habent, non in appetitu desiderii. Unde et Salomon in amissione bonorum temporalium contristatum sæculi divitem intuens, ait: *De stercore boum lapidandus est piger* (*Eccli.* XXII, 2). Quasi dicat: De eo verbera doloris sustinet, quod is qui pro æterna vita laborare appetit velut stercora contemnit. Hinc Paulus ait: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* De pulvere itaque egenus suscitatur, et de stercore pauper erigitur, cum mens, sæculo abrenuntians, quidquid sibi placere solebat **63** de linguæ humanæ favoribus, de honore dignitatum, et de abundantia rerum, calcat, dum ad sola æterna respicit, quæ sola ardenter amat. Ei namque suscitari, et erigi, est ea quæ corpore derelinquit mentis sublimitate despicere. Et cum principibus ei sedere est, supernæ patriæ civibus per gaudium æternæ quietis interesse. Qui certe tunc gloriæ solium tenet, quia qui tam sublimiter præsidet a conditoris sui laudibus nunquam silet. Hanc namque gloriæ sedem Psalmista admirans Domino loquitur, dicens: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Hanc sedem gloriæ Isaias prædicat, dicens: *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis* (*Isa.* LI, 3). Hanc item sanctus Tobias ostendens, ait: *Et omni lapide pretioso et mundo plateæ ejus sternentur, et per omnes vicos ejus Alleluia cantabitur* (*Tob.* XIII, 22). Sed ea quæ sequuntur ereptus pauper aspiciat, quia ad principum sessionem, ad gloriæ solium non statim ut fuerit erectus adducitur:

(Vers. 8.) *Domini*, inquit, *sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem.*

22. Quia terræ nomine peccatores in sacro eloquio designantur, cardines terræ hi accipi convenienter possunt in quibus per inepta desideria sæculum circuit, et de alio ad alium ducit. Cum igitur conversos peccatores aspicimus, in laudem Creatoris his Annæ verbis erumpamus. Quasi enim aliis verbis tunc dicimus: Jam Domini esse per ejus gratiam cœperunt, qui diu in rota rerum transeuntium per mundi concupiscentiam tenti sunt. Et cum, jam derelictis vitæ sæcularis blandimentis, fortia tentamenta fortiter tolerant, dicamus: *Posuit super eos orbem.* Orbem quippe super eos posuit, qui, antequam eis imponeretur, sub eis fuit. Nam eum jam in onere tentationum habent, qui eis blandiendo velut subjectus serviebat, cum in eo delicias et voluptates sequendo recumberent. Et quia magnas ex eo tentationes habent, qui magna in illo oblectamenta habuerunt, adjungitur:

(Vers. 9.) *Pedes sanctorum suorum servabit.*

23. Quibus profecto verbis sic auxilium divinæ protectionis propitiationisque ostenditur, ut pericula tentationum gravia designentur. Quasi etenim dicat: Tam grandia de eo cui adhæserant sæculo tentamenta sustinent, ut solus ad adjuvandum ille sufficiat qui deesse fidelibus suis in tribulatione non potest. Pedes namque sanctorum suorum servare, est concussos in tentatione affectus electorum, ne corruant, per gratiam roborare. Unde et qui ad casum nutaverat, et tamen a Domino conservatus erat, propheta dixit: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* (*Psal.* LXXII, 2). Hinc iterum: *Pulsus sum; et eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. Fortitudo mea, et laudatio mea Dominus, et factus est mihi in salutem* (*Psal.* CXVII, 13, 14). Et de hostium infirmitate subjunxit, dicens:

(Vers. 9.) *Et impii in tenebris conticescent.*

24. Quid est autem quod cum servare sanctorum pedes Dominus dicitur, silentium memoratur impiorum, nisi quia ad peccati lapsum nequaquam impellimur, nisi cum perversa nobis malignorum spirituum tentamenta suggeruntur? Cum ergo pedes nostros Dominus servat, in tenebris tacent impii, quia dum gratia divina protegimur, vocem qua nos præcipitent dare nobis immundi spiritus nequaquam possunt. In tenebris quippe tacent, quia caliginosa reproborum corda possident, a quorum **64** ad nos progredi obscuritate non audent. Quare autem sanctorum pedes servet exponit, dicens:

(Vers. 9.) *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.*

25. Quasi dicat: Idcirco tenet, quia sine ipso stare non possent. Nam etsi vir virtutis agnoscitur, in fortitudine sua timorem lapsus habet, statum [a] robur non habet, et toties illicita concupiscendo labitur, quoties interna ejus vestigia a Domino tenente deseruntur. An vero non vir erat cui in juvencularum choro cantabatur: *Saul percussit mille, et David decem millia* (*I Reg.* XVIII, 7)? Qui nimirum cum inter onera fortitudini suæ relinquitur, in carnis suæ culpam impulsus corruit, atque in se expertus est quia vir in se non habeat statum roboris, sed lapsum infirmitatis. Unde et relabi metuens, eum a quo teneri ad statum debeat exposcit, dicens: *Non me derelinquas usquequaque* (*Psal.* CXVIII, 8). Nemo ergo se fallat, quasi in se robur standi inveniat, quia etsi magna sæpe occultorum hostium bella superamus, si

[a] Forte legendum *statum roboris*, ut paulo infra: *non habeat statum roboris, sed lapsum infirmitatis.*

digne eos in suis suasionibus reprobando velut in fugam versos insequimur, non nos tunc refugi spiritus, sed eum quem in nobis aspiciunt expavescunt. Vel certe si nos etiam timent, idcirco profecto timent, quia in divinæ gratiæ robur assumptos vident. Apte ergo subjungitur :

(Vers. 10.) *Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit.*

26. Cœli namque tunc sumus, cum in altitudinem divinæ gratiæ præsidentis nobis sublevamur. Et tonitrua contra ejus adversarios habemus, cum validis sanctorum desideriorum vocibus omne quod nobis de eorum suggestione spirat elidimus. Quidquid enim tonitruum ferit, interficit. Tonitrua ergo cœlorum sunt perfecta desideria electorum. Nam velut a cœlorum altitudine terribiliter sonando prodeunt, cum ab eo mentis culmine malignos spiritus feriunt, cui omnipotens Deus sic præsidet, ut amore præsidentis facile superet omne quod ad pugnam moveri poterat hostis audacia mala suggerentis. Sed præmonente Redemptore novimus quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Eodem quoque Domino promittente, didicimus *quia quacunque hora peccator convertitur, salvus erit* (*Ezech.* xviii, 21). In extremo itaque sui cantici addat Anna, et dicat unde peccantem terreat, dicat quo justum cautiorem reddat.

(Vers. 10.) *Dominus, inquit, judicabit fines terræ.*

27. Non ait terram, sed fines terræ. Fines quippe terræ sunt, qui vitæ sua ultima cum culpæ perpetratione clauserunt. Nam qui peccat, et corrigit quod delinquit, terra est per peccatum, et finis terræ non est, quia delinquendo redemptionis suæ alta deposuit, sed ab imo depositionis suæ ante judicium resurrexit. Flevit namque quod fecit, et venturum judicem eo lætius sustinet, quo in damnatione terrenitatis per pœnitentiam ipse in se flagella ultionis tenet. Quia ergo fines terræ Dominus judicat, conversus peccator ad Dominum priora, sive media, non expavescat. Quia item fines terræ Dominus judicat, justus, inchoata justitia, non præsumat. Nam si hunc ab ea qua cadere potest adhuc æquitate labentem subita mors intercipit, quia in suis extremis culpa clauditur, finium terræ lege judicatur. Sequitur :

(Vers. 10.) *Et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.*

28. Hoc profecto superius, quia ad Redemptorem retulimus, in hujus quoque explanationis ordine **65** non mutamus. Ipse namque est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). Ipse quoque est lapis angularis (*I Petr.* II, 4, 5, 6), in quo dum electorum paries uterque copulatur, æternæ civitatis fructura disponitur. Teneat itaque morem suum locutio nostra, ut prolato jam sacri cantici et morali et allegorico intellectu, in eo uterque conveniat quem fide credimus, moribus promereamur.

CAPUT II.

Sequitur enim divinus sermo, et dicit :

(Vers. 11.) *Et abiit Helcana in Ramatha, in domum suam.*

1. Quem profecto virum, humani generis Redemptorem ; Annam vero conjugem, ejus Ecclesiam ; puerum Samuelem, credentium de gentibus populum ; Ramatha quoque civitatem, cœlestem patriam designare ostendimus. Quid ergo est quod post conjugis canticum abiisse in Ramatham civitatem suam Helcana dicitur, cum post natum puerum Deo canticum Anna dixerit, atque ante ad cœlos Redemptor ascenderit, quam gentilem populum sancta Ecclesia in fide genuisset? Quod profecto ab eis solummodo quæritur qui tantum Domini nostri corporalem præsentiam scire noscuntur. Nunquid enim tunc non eum secum Paulus habebat qui ad Patrem ascenderat, cum dicebat : *An experimentum quæritis ejus qui in me habitat Christus* (*II Cor.* xiii, 3) ? qui item fatetur dicens : *Sicut ex Deo, coram Deo et Christo loquimur* (*II Cor.* II, 17). Quid est ergo quod sanctæ Ecclesiæ aliquando adfuit per gratiam muneris, aliquando ei se subtraxit per dispensationem probationis? Adfuit namque, ut in acquisitione Gentium vitæ verba abundanter effunderet ; sed aliquando ei velut absens se abscondit, ut, verbi munere sublato, cognosceret sine ejus præsentia qualis esset. Post finem itaque cantici dicitur : *Abiit Helcana in domum suam*, quia sancta Ecclesia ex ejus præsentia alta prædicat, qui cum mortalibus per dispensationem se subtrahit, æternis se civibus jugiter repræsentat. Domus namque sua illa supernorum civium, quam amando, replendo et sociando Dominus inhabitat, æterna societas est. In eam igitur vadit cum Annam deserit, quia qui se nobis adhuc proficientibus salubriter subtrahit, perfectis atque consummatis æternæ patriæ civibus eo se incessanter jungit atque exhibet, quo probari jam probatos ejus absentia ulterius non oportet. Apte itaque post Annæ canticum dicitur : *Abiit Helcana in domum suam*, quia sancta Ecclesia, quæ tam sublimia electos edocet, sicut pia semper Domini dispensatione deseritur, ita et eadem alta quæ doceat non semper habet. Sed plerique verba audiunt, præteritam malitiam detestantur, et correctionis vitæ opera proponunt ; sed cum audire desierint, ac si nunquam eadem vitæ verba audissent, ad iniquitatem redeunt. Auditor sanctæ Ecclesiæ gentilis populus devotus ad audiendum fuit, et ad operandum promptus. Apte itaque subditur :

(Vers. 11.) *Puer autem Samuel erat minister in conspectu Domini, ante faciem Heli sacerdotis.*

2. Ac si aperte diceretur : Ex eo quod audivit, omnipotenti Deo placere studuit. Qui apte puer dicitur, quia etsi grandia pro defensione fidei nostræ agenda susceperat, tamen in eadem fidei generatione adhuc novus erat. Et quia placidum omnipotenti Deo ministerium præbuit, minister in conspectu conditoris fuit. In conspectu etenim Domini est, quem in oblatione obsequiorum divina dignatio **66** libenter aspicit. A quo nimirum Domini conspectu expelli valde metuens quis, orat, dicens : *Ne proji-*

cias me a facie tua (*Psal.* L, 13). In quo item recipi vehementer cupiens, dilationis suæ moram secum reputat, dicens : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI, 3) ? Hinc Elias gloriatur ; et ait : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*III Reg.* XVII, 1). Minister itaque erat Samuel in conspectu Domini, quia in novæ religionis obsequiis omnipotenti Deo gentilis populus valde acceptus fuit. Quo nimirum verbo Judææ quoque repulsio latenter innuitur, dum solus Samuel, in quo gentium fidelis populus exprimitur, ante Dominum ministrare perhibetur. Solus itaque in ejus conspectu erat, quia profecto ei Judaicus populus placere desierat. Quod utrumque per Malachiam Dominus loquitur. Nam Judææ repulsionem insinuans, ait : *Non est mihi voluntas in vobis, et sacrificium non suscipiam de manu vestra* (*Malach.* I, 10). Sed qui a facie sua Judaicam perfidiam expulit, quem libenter intueatur, subjungens, ait : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco offertur nomini meo oblatio munda* (*Ibid.*, 11). Sed subtiliter est videndum quod dicitur : *Ante faciem Heli Samuel Domino ministravit*, quia prædicatorum sanctæ Ecclesiæ ministerium gentilis populi conversionem, amorem et reverentiam circa Redemptoris obsequium, veterum ordo doctorum longe ante videndo cognovit, et prophetando prædicavit. Hunc namque pronum in Domini ministerio noverat, qui dicebat : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei* (*Psal.* LXXI, 11). Hinc Aggæus loquitur, dicens : *Veniet desideratus cunctis gentibus, et replebitur gloria domus Domini* (*Aggæi* II, 8). Hinc Isaias dicit : *Erit radix Jesse, qui exsurget regere gentes ; in ipsum gentes sperabunt* (*Isa.* XI, 10 ; *Rom.* XV, 12). Hinc Psalmista ait : *Laudate, omnes gentes, Dominum et collaudate eum, omnes populi* (*Psal.* CXVI, 1). Hinc patriarcha Jacob ait : *Ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Ante faciem ergo Heli minister Domini Samuel puer fuit, quia quod dignum Deo postmodum gentilis populus habuit, doctorum ordo veterum per prophetiæ spiritum prævidit. Et statim de projectis subditur :

(Vers. 12, 13.) *Porro filii Heli nescientes Dominum, et officium sacerdotis ad populum.*

3. Subaudis *erant*. Qui namque filii Heli sunt alii, nisi Israelitæ secundum carnem, qui Scripturam sacram noverant a patribus editam, et tamen quem Scriptura promiserat nesciebant ? Quos nimirum per semetipsam Veritas in Evangelio increpat, dicens : *Abraham exsultavit ut videret diem meum ; vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). Et item : *Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi, de me enim ille scripsit* (*Ibid.* V, 46). Nescierunt ergo Dominum, qui venientem in carne nostra Redemptorem spreverunt. Unde per Isaiam queritur, dicens : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui ; Israel autem me non cognovit* (*Isai.* I, 3). Quasi dicat : Et incarnationis meæ vias ei longe ante per prophetas aperui, et tamen id quod promiseram exhibitum non accepit. Quare et officium sacerdotum ad populum nesciit. Officium sacerdotale quippe cognosceret, si ad redemptionem humani generis eum qui a lege et prophetis fuerat promissus jam venisse prædicaret. In quem profecto quia non solum non credidit, sed etiam persequendo insanivit, et Dominum nesciit, et ad populum officium sacerdotum. Cujus tamen malitia minor esset, si qui prodesse minoribus Redemptoris adventum prædicando noluit, nocere timuisset. Sequitur ergo, et dicit :

67 (Vers. 13, 14.) *Sed quicunque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat in lebetem, vel caldarium, aut in ollam, sive in cacabum, et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdotibus.*

4. Quid enim est immolare victimam, nisi veræ fidei omnipotenti Deo offerre confessionem ? Et quid vasa in quibus immolando caro coquitur, nisi fidelium mentes sunt ? Quæ dum Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum esse verum summi Patris Unigenitum credunt, nimirum in his caro coquitur quæ Deo per devotionis intimæ obsequium immoletur. Quis puer sacerdotis est alius quam perfidis Synagogæ pastoribus per obsequium subjectus populus ? Qui apte puer dicitur, quia dum infirma legis ad litteram tenere maluit, in virum perfectum crescere per Evangelium recusavit. Quid vero est quod ad inferendos ciborum raptus destinatur ? Quid est iterum quod in illata violentia tenere tridentem fuscinulam dicitur ? Sed cibus electæ animæ persona est Redemptoris. Qui profecto cibus in sacris vasis coquitur, dum per calorem sancti Spiritus ad suavitatem refectionis in electis mentibus præparatur. Caro etenim coquitur, dum per Spiritus sancti gratiam humanitatem Dominicam in divinitatis naturam assumptam, et firmiter credimus, et efficaciter confitemur. Unde et per Moysen Agni paschalis carnes comedendas insinuat, dicens : *Non comedetis ex eo crudum quid, aut coctum aqua* (*Exod.* XII, 9). Crudum quippe ex eo manducare est, præter Spiritus sancti gratiam, Redemptorem nostrum purum hominem credere. Aqua vero coquitur cum Redemptoris essentia per humanam sapientiam ventilatur. Crudum ergo Judæi comedunt, aqua coctum hæretici, quia illi ejus divinitatem negant, isti per humanam sapientiam et divinitatis et humanitatis ejus sacramenta evacuant. Puer itaque sacerdotis ad tollendum fidelium cibos mittitur, quia Judæorum populus, a fide Redemptoris expulsus, amorem fidei ejus a corde fidelium auferre vehementer studuit. Qui apte fuscinulam tridentem in manu habuisse perhibetur, quibus carnis partem quam posset infigere eductam coqui prohiberet. Fuscinula quippe in manu pueri illata sanctæ Ecclesiæ Judaici populi persecutio est. Et quia blandimentis, pœnis atque terroribus nocere fidelibus tentavit, tres utique fuscinula dentes habuit. Bene autem dicitur quia quod levabat fuscinula tollebat

puer sacerdotibus, quia magna epulatio iniquorum prælatorum erat, si eum blandientium sive furentium satellitum turba subverteret, quem in fidei nostræ sublimitate stare per confessionem cognovissent. Sequitur :

(Vers. 14, 15.) *Sic faciebant universo Israeli venienti in Silo, etiam antequam adolerent adipem.*

5. Adeps quidem interna pinguedo est, in qua nimirum illa devotio mentis exprimitur, qua electorum mentes conditori suo in perfectiori charitate copulantur. Qui recte jam cocta carne immolant, quia assurgere quis ad sublimitatem charitatis non poterit, nisi prius quæ credit amet mysteria incarnatæ divinitatis. Humanitatem quippe Domini Jesu in divinitatem assumptam per sanctum Spiritum credere, quæ immoletur Deo carnem coquere est. Ante igitur quam adoleretur adeps, **68** puer carnem prærripere studuit in universo Israele, quia apparitores Synagogæ novos Christi confessores putaverunt evertere prius quam eos omnipotenti Deo charitas perfecta sociaret. Quod apertius ipsa sacræ historiæ verba indicant, quibus dicitur : *Dum coquerentur carnes.* Per quæ nimirum verba non perfectio coctionis, sed apparatus innuitur. Sed ordo nefariæ hujus exactionis ostenditur per ea quæ sequuntur :

(Vers. 15.) *Veniebat puer sacerdotis et dicebat immolanti : Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam.*

6. Carnem crudam puero daret, qui coram persecutoribus humanitatem Christi puram assereret, et eam puer sacerdoti coqueret, quia per ignem malitiæ Judaicus populus hoc putaret, quod ejus prælati in mentis suæ refectione libenter exciperent. Venit ergo puer sacerdotis, et crudam carnem petiit, quando Judaicus populus litteræ legis serviens, divinitatem Redemptoris negare fidelibus suggessit. Veniens ergo dicit : *Non accipiam a te carnem coctam, sed crudam.* Quia quem purum hominem fidelis compulit confiteri, esse Deum nec audire voluit. Cujus profecto populi importunitas ostenditur, cum verba sacrilega in nefaria exactione geminantur. Nam sequitur : *Non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam.* Quia Jesum Dominum ac Redemptorem nostrum, non Dominum et hominem, sed purum tantum hominem audire valde desideravit. Sed quos quasi imperfectos in carne tentavit, perfectos reperit. Nam qui divinitatem Redemptoris negare compulsi sunt, non solum Redemptorem noluerunt negare, sed compulsores suos curabant ad vitam trahere. Unde et sequitur :

(Vers. 16.) *Dicebatque illi immolans : Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantum desiderat anima tua.*

7. A bestiali siquidem appetitu cruda postulantem avertere nititur, qui ei ad libitum cocta pollicetur. Quasi male esurientibus Judæis sancta Ecclesia responsum præbeat, et pro humanitate simplici, quam vorare per desiderium cupiunt, divinitatis cibum repromittat, dicens : Prius coqui sinite quod ad refectionem vitæ habeatis in Spiritu sancto intellectum. An non tunc puer sacerdotis crudam carnem petiit, cum illuminato a [a] Domino ei qui cæcus fuerat natus diceretur : *Da gloriam Deo; nos scimus quia hic homo peccator est* (*Joan.* IX, 24)? Quid est dicere, *da gloriam Deo*, nisi non huic curationis tuæ laudes tribuas, quia Deus non est ? [b] et qui peccator asseritur, non solum Deus esse negatur, sed etiam homo justus. Cui profecto crudam quam petebat carnem præbere noluit, coctam obtulit, quia quem salutis suæ auctorem instanter asseruit, [c] ex ostenso tantæ admirationis signo, non solum hominem sanctum, sed verum Deum esse monstravit. Qui autem sequi bestias, amissa ratione, populus cœperat, crudam sibi carnem exhiberi importune postulabat. Nam sequitur :

(Vers. 16.) *Nunc dabis, alioquin tollam tibi vi.*

Sequitur :

(Vers. 17.) *Erat enim peccatum puerorum grande nimis coram Domino.*

Et causam qua grande fore hoc peccatum demonstraretur adjungit, dicens :

(Vers. 17.) *Quia detrahebant* [d] *homines a sacrificio Domini.*

69 8. Grande nimis peccatum esse cognoscitur, quod pœnitentiæ lacrymis non deletur. Hoc namque nimis grande peccatum Synagogæ propheta intuens, ait : *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino* (*Jerem.* XVII, 1). Vel certe grande nimis coram Domino peccatum erat, quia ad peccandum alios pertrahebat. Quare et subditur : *Quia detrahebant homines a sacrificio Domini.* Detrahebant quippe a sacrificio homines, quia ad confessionem rectæ fidei progredi infirmorum corda prohibebant. Et notandum quia qui detrahuntur a sacrificio homines dicuntur, quia nimirum si in fidei nostræ vera confessione persisterent, hos divinus sermo filiorum Dei appellatione signaret. Quibus profecto per Psalmistam Dominus dicit : *Ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini* (*Psal.* LXXXI, 6, 7). Sequitur autem :

(Vers. 18.) *Samuel autem erat minister in conspectu Domini, puer accinctus ephod lineo.*

9. Subtilior quam lanea vestis linea esse cognoscitur. Apte autem Samuel lineo ephod indutus asseritur, per quem sacerdotum ordo electus ex gentibus designatur. Nam in comparatione legalis vitæ nova Evangelii conversatio lini subtilitas est. Ibi enim aliquid animale præceptum est, ibi omnis maledicitur a quo semina propaginis in Sion nulla relinquuntur. In Novo autem Testamento, quia subtiliora sunt omnia, quisquis ejus præceptis utitur, velut delicatiori lini veste decoratur : ibi quippe connubii abstinentia damnatur, hic miris laudibus colitur; illic sacerdotes carnaliter generant, hic fructum spiritalis propaginis

[a] Gilot. et Vatic., *Domino eo qui cæcus fuerat natus.*
[b] Idem, *et quia.*
[c] Guss., *ex offenso tantæ admirationis signo.*
[d] In Vulg., *retrahebant.*

tanto copiosius afferunt, quanto etiam per conjugale bonum pudicitiæ detrimenta sentire non possunt. Bene autem dum Samuelis vestis exponitur linea fuisse perhibetur, ut novi sacerdotii gloriam aperte ostenderet, quod novæ pudicitiæ nitoribus splenderet. Sed dum in conspectu Domini esse minister Samuel dicitur, ephod lineo accinctus memoratur, quia divina obsequia tunc bene exhibentur, cum exhibentis persona carnalis voluptatis sordibus non fœdatur; et acceptum Deo tunc est munus ministerii, cum per sanctæ conversationis munditiam Deo placita est persona ministri. Et quia inter primordia novitatis suæ proficiebat, adhuc sequitur :

(Vers. 19.) *Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat ei, cum ascendebat cum viro suo, ut immolaret Domino hostiam solemnem.*

10. Sanctæ Ecclesiæ hostiam immolare est per eloquia prædicationis auditorum suorum corda in amorem conditoris accendere. Tunc itaque Samueli parva vestis delata perhibetur, quia dum adhuc per novitatis suæ incrementa proficeret, ab Ecclesia apta suæ parvitati accepit monumenta justitiæ, cujus splendore radiaret. Sequitur :

(Vers. 20.) *Et benedixit Heli Helcanæ, et uxori suæ, dicens : Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commendasti Domino.*

11. Quia in persona Heli sacerdotis etiam boni doctores populi veteris designantur, Helcanæ et uxori ejus benedixisse cognoscitur, quia nimirum eorumdem veterum doctorum ordo Christi et sanctæ Ecclesiæ spiritalem copulam prævidit, et eorum electorum prolem futuram cœlo dignam, cum devotione prædicavit. Quod quamvis longe ante actum fuerit, tamen tunc se eis sic benedixisse innotuit, cum, revelata jam nostræ redemptionis gratia, credere unusquisque fidelis poterat, quia tot bona **70** patres nostri veteres de hac renovatione præcinebant. Et ut ordo quo fiebat agnoscatur, subjunctum est :

(Vers. 20.) *Et abierunt in locum suum.*

12. In locum suum cum viro suo sanctæ Ecclesiæ abire, est vitæ activæ molestias interdum fugere, et supernæ vitæ gaudiis per contemplationem vacare. Puerum quippe ad horam reliquerat mater illa, quæ dicebat : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23). Si cum puero erat, quando eumdem egregium doctorem usque ad tertium cœlum vis amoris extulerat (*II Cor.* XII, 2-4)? Si tunc erat cum puero, quando in paradiso exceptus, verba quæ non licet homini loqui audiebat, et in locum suum rapiebatur, quia ostendit, dicens : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII, 14)? Sed quæ cum viro abibat in locum suum, reverti hanc materna viscera cogebant ad filium. Nam loquebatur et dicebat : *In carne manere est mihi necessarium propter vos* (*Philip.* I, 24). Sequitur :

(Vers. 21.) *Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios et duas filias.*

13. In tribus filiis perfectiores quique sanctæ Ecclesiæ designati sunt, qui pro fide Trinitatis fortia semper egisse cognoscuntur. Sed si solos perfectos sancta Ecclesia gigneret, nostra infirmitas ad æternæ vitæ præmia pervenire non posset. Robur ergo filiorum duarum filiarum fragilitas sequitur, quia sancta Ecclesia etsi contra superbientem hostem humani generis fortes protulit, tamen ad æternæ patriæ gaudia etiam infirma ejus membra per duo charitatis præcepta perducuntur. Et quia in inchoationis suæ initiis non semper mansit quisquis eo tempore eruditi ad sacerdotale ministerium cœperat, sequitur :

(Vers. 21.) *Et magnificatus est puer Samuel in conspectu Domini.*

14. Quo in loco valde notandum est quod puer Samuel dicitur et magnificatus. Sed et cum magnificatus asseritur, hoc virtutis suæ præconium non in conspectu hominum, sed in conspectu Domini habere perhibetur. Cur ergo puer, [a] nisi quia ad perfectionis erat celsitudinem sublimatus? Puer itaque et magnificatus in conspectu Domini Samuel dicitur, quia novus ordo prædicatorum, etsi ad magnæ conversationis celsitudinem pervenit, humilitatis suæ virtutem non perdidit. Magnificari quippe ante Deum non prodesset, si puer esse desisteret, quia amissa humilitate, placere omnipotenti Deo de conversationis altitudine non valeret. Denique magnificati jam fuerant, qui in nomine Jesu ab obsessis dæmonia ejiciebant; sed quia pueritiæ suæ bonum perdiderant, hos veritas arguit, dicens : *Videbam Satanam, quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X, 18). Hinc iterum denuntians, ait : *Nisi conversi eritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 3). Quia ergo novorum prædicatorum vita et sublimis est merito, et plana per humilitatem, Samuel apte magnificatus et puer asseritur. Et quia ex utroque valde accepti Deo sunt, magnificatus non simpliciter, sed in conspectu Domini fuisse perhibetur. Sequitur :

(Vers. 22.) *Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui in universo Israel, et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi.*

15. In persona Heli non solum vetus sacerdotium, sed etiam antiquorum patrum doctrinæ figurantur, **71** quia ex hoc quod spiritali dignitate præfuit, hoc suscepit officii, ut salutari prædicatione instrueret pro quibus placabiles hostias Domino offerret. Quid est ergo quod Heli senex asseritur, nisi quia in reproborum Judæorum cordibus vis infirmatur cœlestium mandatorum? Juvenis quidem fuit Heli quandiu sacra Scriptura in electis Synagogæ vim magnæ auctoritatis obtinuit, quia videlicet promissiones venturi Redemptoris acceperat, et eum cum magno desiderio exspectabat. Tunc ergo Heli senuit, quando Judæa devotionem observandæ promissionis amisit, ut desideratum a patribus suis Redemptorem coram se

[a] Forte addendum *et magnificatus*; quæ enim in explicatione subjiciuntur potius ad hoc membrum pertinent quam ad aliud, *puer*.

miraculis se probantem cerneret, et omnino cæca in tanta ejus luce de veritatis præsentia dubitaret. Valde etiam fuisse senex dicitur, ut profecto omnis vis fidei in Synagoga emarcuisse doceatur. Vere autem dicimus quia si valde senex erat Heli, omnino debilis vivebat. Quid enim tunc erat seni Scripturæ vivere, nisi debilem valde aspirationem fidei Synagogæ ministrare? Senex quidem valde esse et vivere poterat, cum Judæorum corda nutabant ut Dominum Jesum nec Redemptorem verum esse crederent, nec quasi blasphemum aperte damnarent. Hujus namque senectutis debilitatem evangelista Joannes ostendit, dicens: *Alii dicebant, quia bonus est, alii vero, non, sed seducit turbas* (*Joan.* VII, 12). Hinc Judæi ipsi calliditatis suæ versutiam proferentes, dicunt: *Usquequo animas nostras tollis? si tu es Christus, dic nobis palam* (*Ibid.* X, 24). Hinc item dicunt: *Magister, volumus a te signum videre* (*Matth.* XII, 38).

16. Sed Heli valde senex audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli. Audivit certe hæc, quia novit. Quod autem [a] cognovimus, intra aulas memoriæ clausum tenemus. Consulta vero sacra eloquia, intra se omnem Judæorum perfidiam scriptam foris proferunt, et velut diu servatam memoriter ostendunt. Hujus profecto auditus notitiam Amos, velut Heli ascribens, ait: *Non faciet Dominus verbum super terram, quod non revelaverit servis suis prophetis* (*Amos* III, 7). Hinc Habacuc Deo unigenito confitetur, dicens: *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi; in medio duorum animalium innotesceris* (*Hab.* III, 1, *ex interpret. LXX*). Veteribus quippe Synagogæ doctoribus filiorum [b] scelera audire, prænoscere est. Sed quid prænoverit, exponit, quia dicit: *Omnia, quæ faciebant filii sui universo Israeli, et quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi.* Cum mulieribus quippe Judæis dormire est variis hæresibus pollui. Bene autem ipsæ mulieres ad ostium tabernaculi observare referuntur. Quid enim est ostium tabernaculi, nisi littera legis spiritalis? Judæi autem dum sacram Scripturam juxta litteram solam intelligunt, ibi hæreses statuerunt, unde ad secretum veræ fidei intrare potuere. Nam sicut per ostium ad interiora tabernaculi, ita per litteram sacræ Scripturæ ad spiritalem intratur cognitionem Redemptoris. Quia ergo per observantiam litteræ Judæa decipitur, mulieres ad ostium, non intra tabernaculum, observare referuntur. Et quia in omnibus Scripturis Judæi Redemptori nostro contradicunt, non una mulier fuisse dicitur, sed plures. Hæc quidem sibi filii Heli faciunt, quia juxta prophetæ vocem: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4, 20); sed universo Israeli ea facere dicuntur, quia dum in erroris sui nocte prælati intereunt, caliginis suæ minores cæcitate involvuntur. Cum mulieribus ergo **72** filii Heli dormiunt, quia reprobi Judæi hæresum suarum admistione usque in mundi finem polluuntur. Dormiunt etiam, quia etsi gravissima sunt erroris sui nocte obruti, per Heliam tamen sunt in fine mundi ad fidem Redemptoris excitandi (*Matth.* XVII, 11). Sequitur:

(Vers. 23.) *Et ait ad eos: Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo?*

17. Ecce senex erat Heli, et acuta loquebatur, quia virtus sacri eloquii, etsi in reproborum corde deficit, tamen coram recte intelligentibus, Judæorum culpas subtiliter exquirit. Districte enim discutiens, dicit: *Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo?* Sed qui exquirens interrogat *Quare facitis?* profecto ostendit eos impingere noctem hæresis sine discretione rationis. Ipsos autem fecisse res pessimas, quas audiebat, dicit, et ipsas res pessimas ab omni populo esse asserit. Quid est hoc, nisi quia universitas Judaici populi in hæresum profunda corruerat? Sed ipsius ruinæ causa reprobi sacerdotes erant. Unde et Oseas prophetans, ait: *Causa ruinæ populi sacerdotes mali* (*Osee* V, 1). Nam ideo subjectus populus cecidit, quia ruentes prælatos studuit imitari. Cum ergo dicit: *quas ego audio res pessimas ab omni populo*, ipsæ res a populo agi debent intelligi, non referri. Quod tale est, ac si dicat: Res pessimas, quas fieri ab omni populo audio, quare facitis? Unde et statim quid dixerit apertius insinuans, ait:

(Vers. 24.) *Nolite, filii; non est bona fama, quam ego audio de vobis, ut transgredi faciatis populum Domini.*

18. In quo autem populus Domini mandata transgrederetur, si ipsi dormirent cum mulieribus? Sed quia hoc in figura contingebat illis, hoc profecto, quod dominicæ Incarnationis tempore debebat fieri præsignabat. Nam quando sacerdotes cum mulieribus dormiunt subditi mandata Domini transgrediuntur, quia dum prælati hæresum admistione maculantur, reproba subjectæ Synagogæ multitudo in eisdem fetoribus mergitur. Ait ergo: *Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?* Quod tale est ac si dicat: Tanto gravius delinquitis, quanto fœdius universum populum vestro crimine maculatis. Simile etiam aliquid per prophetam dicitur: *A Dan*, inquit, *auditus est fremitus curruum et equorum ejus* (*Jerem.* VIII, 16). In quo nimirum loco non est intelligendum quod a Dan auditum sonitum referat, sed quod ipse curribus, et equis sæviens, eumdem sonitum qui audiatur agat. Quo in loco hoc etiam notandum est, quia qui res pessimas ab omni populo se audisse retulit, mansuetæ affectionis verba subjunxit, dicens: *Nolite, filii; non est bona fama quam audio de vobis, ut transgredi faciatis populum Domini.* Et acute quidem reprehendit Heli, et mansuete admonuit, quia Scriptura patrum veterum et errorem Judaici populi denuntians, increpat, et ab ejusdem erroris sui nocte, benigno affectu, ad veræ fidei diem vocat. Filios quidem eos appellat, ut se debere esse hæredes paternæ promissionis agnoscant; et tanto devotius mundi Salvatorem recipiant, quanto pro-

[a] Al., *cognoscimus.*

[b] Omittitur *scelera* in Guss.

missionem ejus fuisse factam patribus non ignorant. Sed et de peccati audacia eos revocare gestiens, rationem subjungit, dicens :

(Vers. 25.) *Si peccaverit vir in virum, pacari ei potest Deus ; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo.*

19. Vir in virum peccare est homo in hominem perversa agere. Quid est ergo quod dicit : *Pacari ei* **73** *potest Deus*, nisi quia talia peccata levia erant in illorum comparatione quæ Judæi committere in Dei Filium cogitabant? In Deum quippe peccabant, quia cum quem moliebantur occidere Deum se esse apertissima miraculorum luce monstraverat. Hoc quippe per semetipsum Dominus ostendit, dicens : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (*Joan.* xv, 24). Et ut ostenderet implacabilitatem Dei Patris, subjungit dicens : *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, quia viderunt et oderunt me, et Patrem meum* (*Ibid.*). Tale est ergo, ac si dicat : Cujus prece illud peccatum indulgetur, quod in ipsum indultorem committitur : quis pro eo omnipotentem Patrem obsecrat, qui coæternum Unigenitum in mortem damnat? Nihil enim apertius diceret, si fateretur, dicens : Hic, quem velut purum hominem persequimini, etiam Deus est. Rationis ergo lex exigit ut qui conditorem persequitur venia defraudetur. Sed [a] ducit divina pietas districtionem rationis ; legis enim æquitatem ostendit, sed prolatæ assertionis [b] vigorem in promulgati juris exsecutione non tenuit. Æquitatis enim rigore decretum est ut ad indulgentiæ obtentum nulla prece pertingeret ; sed quibus oratio hominis nulla suffecit, pietas Redemptoris non defuit. Omnis homo qui pro transgressionibus oret tollitur ; sed quibus homo sufficiens erat nullus, ipse Deus homo factus est intercessor pius. Nam in cruce suspensus oravit, dicens : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxii, 34). Pacatus est ergo Deus iis qui in Deum peccaverunt, non aliena prece, sed sua. Sed pacatus est Deus non omnibus, sed quibusdam. Quidam namque persecutores Domini prædicantibus apostolis conversi sunt, cæteri vero periere. De istis enim Lucas meminit, dicens : *Factus est numerus eorum quinque millia* (*Act.* iv, 4). De reprobis vero subjungitur :

(Vers. 25.) *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.*

20. Per prophetam Dominus denuntians, ait : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* xviii, 23 ; *et* xxxiii, 11). Quomodo ergo ei competit velle occidere peccatorem, et mortem peccatoris nolle ? Sed in præfato testimonio sequitur unde veritas agnoscatur ; ait enim : *Sed ut convertatur et vivat.* Qui enim peccatorem vult vivere ut convertatur, si hunc inconvertibilem divina præscientia noscit, occidit. Vult ergo Dominus occidere, sed eos quos prænoscit converti nolle. Misericors enim et justus asseritur dum a Propheta flagitatur : *Domine*, inquit, *libera animam meam, misericors et justus Deus noster* (*Psal.* cxiv, 5). Per misericordiam vero conversionem peccatorum exspectat ; per justitiam non conversos damnat. Per misericordiam converti vult peccatores et vivere, sed per justitiam eos qui converti noluerunt vult punire ; misericorditer non salvat nisi volens, per justitiam nolens damnat. Dum ergo occidere velle dicitur, peccatorum impietas maxima et inemendabilis ostenditur, quæ voluntarie divinæ justitiæ exsecutione puniatur. Sic utique et piissimos sæcularium negotiorum judices agere videmus, qui vellent ut nemo delinqueret, ut ipsi punire neminem deberent ; sed dum ab iniquis audacter scelera committuntur, voluntarie eos puniunt, quos libentius non commisisse punienda voluerunt. Quo contra illud hoc in loco cernitur, quia non dicit : Quia corrigentis patris vocem audire **74** noluerunt, sed : Non audiere, quia voluit eos Dominus occidere. Sed qui divini examinis æquitatem recte considerat, interesse nihil putat an occidatur aliquis, an illo in scelere dimittatur in quo æterna reprobatione perimatur. Tale est ac si dicat : Tanta fuit magnitudo culpæ, ut et conversionis monumenta susciperent, et a mortis suæ fovea surgere nequaquam possent ; et qui iræ Dei pelagus biberant, in damnationis suæ cumulum haberent non solum pœnam commissi sceleris, sed etiam additam vindictam contemptæ prædicationis. Sed cur hoc de præterito miramur, quod nunc usque fieri cernimus : Heli videlicet monentem filios contemnentes, Dominum occidere volentem? Quid enim sacra Scriptura quotidie Judæis aliud quam caliginem sui erroris insinuat? Non equidem sic per latentes et spiritales intellectus Redemptorem prædicat, ut ejus incarnationem, nativitatem, passionem, resurrectionem, et ad cœlos ascensionem non patenter ostendat. Nec ipsi tam irrationabiles sunt, ut tam excellentia bona Redemptori convenire non videant ; sed tamen cæci sunt, ut promissa patribus suis signa in Redemptorem effulsisse audiant, et non credant. Cæci ergo sunt [c] non modo videndo promissa, sed non credendo exhibita. Cur vocem Scripturæ monentis non audiunt, nisi quia eos Dominus occidere vult? Nec mirum tamen, si ejus judicio pereunt, cujus Unigenitum occidere. Intimæ enim æquitatis districtione cum Judæorum populo agitur, ut monita vitæ quotidie, Scripturis loquentibus, audiant, et ipsi Scripturis monentibus nequaquam credant. Sed, repulsa Judæorum perfidia, quibus successibus sanctorum prædicatorum ordo potiatur in gentibus exponit, dicens :

(Vers. 26.) *Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, et placebat tam Deo quam hominibus.*

21. Proficiebat quidem lucro prædicationis, crescebat numero ministrorum. Nam de profectu ejus

[a] Forte legendum *devicit*, vel *vicit*, licet in omnibus Editis legatur *ducit*.

[b] Gilot. et Vatic., *vigore in promulgati juris exsecutione non tenuit.*

[c] Fortasse legendum *non modo non videndo promissa*.

Apostolus [a] gloriatur, dicens : *A Jerusalem usque Illyricum replevi Evangelium Christi* (*Rom.* xv, 19). Crescendi quoque modum Lucas meminit, dicens : *Crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio viduæ eorum* (*Act.* vi. 1). Et paulo post : *Elegerunt*, inquit, *Stephanum plenum fide et Spiritu sancto, et Procorum, et reliquos* (*Ibid.*, 5). *Hos statuere ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Item de profectu isto novorum prædicatorum scriptum est : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* xviii, 5).

22. Sed subtiliter est intuendum quod dicitur : *Placebat tam Deo quam hominibus.* Hominibus placet doctor cum se subditis venerabilem et bonis moribus ornatum præbet : Deo autem placet cum de bona conversatione inaniter gloriari refugit, et solius Dei laudem promereri concupiscit. Dicit ergo : *Placebat tam Deo quam hominibus*, quia nonnulli prædicatores prætextum sanctitatis præferunt, quam non habent. Hi ergo, quia etsi hominibus placent, Deo displicent, in typo novi et electi prædicatoris de Samuele nunc dicitur : *Placebat tam Deo quam hominibus.* Venerabiles quidem se exhibent subditis, et Deo offerunt puritatem intentionis. Hominibus quidem placere studuerat, qui dicebat : *Christi bonus odor sumus in omni loco* (*II Cor.* ii, 15). Et item : *Omnia omnibus factus sum, ut* **75** *omnes facerem salvos* (*I Cor.* ix, 22). Hominibus etiam placere auditores suos docebat, dicens : *Sine offensione estote Judæis et gentibus, sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis* (*I Cor.* x, 32, 33). Sed qui se hominibus placuisse insinuaverat, puritatem cordis commendat, dicens : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i, 12). Placebat *tam Deo quam hominibus.* Qui novus ordo prædicatorum venerabilem se suis auditoribus ad imitationem foris præbuit, et intus acceptum Deo per innocentiam voluntatis. Sequitur :

(Vers. 27.) *Venit vir Dei ad Heli.*

23. Quid per hunc virum Dei, nisi sanctorum apostolorum ille cœtus venerandus exprimitur? Qui certe vir Dei dicitur, pro excellentia sanctitatis, quia culmen ordinis, quod in universi orbis prælatione conscenderat, æquali sublimitate virtutis disponebat. Qui profecto ad Heli tunc venit, quando ad annuntiandam repulsionem Synagogæ ejus pontificibus accessit. Sequitur :

(Vers. 27, 28.) *Et ait ad eum : Nunquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis, et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me, et dedi domui patris tui cuncta de sacrificiis filiorum Israel?*

24. Quia divino judicio Judæa repellitur, ipsius judicii districtio quam mira æquitatis dispositione illata sit demonstratur. Prius enim collata Heli dona numerantur, ut dum tam benignus dator omnipotens Deus ostenditur, contemptorem suum quam juste feriat cognoscatur. Revelatum se domui patris ejus asseruit, ut ignorantiæ excusationem habere non possit. Eamdem vero suæ revelationis cognitionem se ei in Ægypto exhibuisse edocet, ut se ei suis meritis Heli obtinuisse nequaquam putet. Quasi aperte dicat : Illic me ei cognoscendum præbui, ubi mei oblivisci poterat, reminisci nesciebat. Et ne ipsa cognitionis divinæ dona reprobo parva fortasse viderentur, de cæteris tribubus Israel ad culmen sacerdotii assumptus asseritur. Quasi dicat : Eis eum prætuli, quibus non superior, sed æqualis fuit.

25. Notandum vero est quod in officio ipsius sacerdotii tria denotantur. *Ut ascinderet*, inquit, *ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me.* Quid vero in hoc altari, nisi ille lapis ostenditur, quem patriarcha Jacob in titulum erexit (*Gen.* xxviii, 18)? Et quis lapis iste alius nisi ille exprimitur quem Paulus in laude fidelium prædicat, dicens : *Ædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* (*Ephes.* ii, 20)? Pater ergo Heli ideo in sacerdotium electus a Domino est, ut ad altare ascenderet, quia ordo doctorum veterum ad hoc subjecto sibi populo præfuit, ut humani generis reparationem in Redemptoris adventu futuram prædicaret. Et incensum adolevit, quia ei quem futurum Redemptorem prædicat, per desiderium auditorum corda conjunxit. Ephod quoque portavit, quia desiderio tantæ exspectationis dignæ conversationis ornatum præbuit. Adoleret utique incensum, et ephod non portaret, si auditorum corda in desiderium venturi Redemptoris accenderet, a quo ipse fœdæ conversationis inæqualitate differret. Et quia omnipotens Deus veritatem religionis, et non prætextum quærebat coram se, et non coram populo, **76** ephod se ei portare præcepisse perhibuit. Coram Domino quidem ephod portare est de vitæ innocentia solius divinæ bonitatis retributionem quærere. Aperte autem ista contra Heli per improperium dicuntur. Ad altare quippe non ascendit qui sacerdotium illud, quod manifestatæ veritatis tempore Synagogæ prætuit, eum qui tanta signorum magnitudine Redemptor humani generis claruit, subjectis plebibus nequaquam prædicavit. Et incensum Deo non adolevit, quia in persecutionem ejus populum, et non in amorem concitavit. Ephod etiam coram Domino portare contempsit, quia nulla religionis veritate resplenduit. Nam etsi nonnulla honestatis insignia præferebat ornatus ille vitæ, ex prætextu fallaciæ erat, non ex intentione charitatis. Unde et hoc ipsum in eis Dominus reprehendit, dicens : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris videntur hominibus speciosa; intus autem plena*

[a] Additur *Paulus* in Gilot. et Vatic.

sunt ossibus mortuorum (*Matth.* XXIII, 27). Sed cui tam multa et spiritalia præbuit, minus contulisse videretur, nisi etiam temporalia exhiberet. Unde et subditur : *Et dedi domui patris tui cuncta de sacrificiis filiorum Israel.* Quasi ei aperta objectione reputet [*Forte* repetat], dicens : In nullo ei defui; spiritualis honoris potestatisque culmina præbui, et ad temporales usus terrenæ abundantiæ copiam ministravi. Sed qui tam rationabiliter collata dona enumerat, audiamus jam transgressionis ejus audaciam qua instantia discussionis exquirat. Nam sequitur :

(Vers. 29.) *Quare calce abjicitis victimam meam, et munera mea, quæ præcepi ut offerrentur in templo?*

26. *Quare* enim non dicit judex, nisi qui instanter discutit. Et qui calce repulisse victimam Dei et munera reprehenditur, ei injuriam sine consilio rationis fecisse [a] judicatur. Notandum vero est quia plurali numero dicit : *Quare calce abjecistis victimam meam*, ut non tantum ad Heli, sed ad filios quod dicitur pertinere videatur. Fera quippe animalia solent sibi adhærentia calce repellere. Quæ enim fidelibus victimæ aliæ fuerunt, quam Redemptoris sui laudibus insistere, Christum Jesum pro salute mundi in mortem occubuisse prædicare, et resurgendo humani generis vitam reparasse? Et quæ alia eorum munera erant, nisi pro tantis sibi collatis beneficiis gratiarum actiones omnipotenti Deo incessanter offerre? Quæ profecto Heli filii calce repulerunt, quia in repulsione novæ prædicationis, non consilium rationis per sacra eloquia secuti sunt, sed impetum feritatis. Ab irrationabili namque sævitia ad rationalis consilii intentionem eos Veritas revocare cupiebat, dicens : *Scrutamini Scripturas, quia vos in ipsis putatis vitam æternam habere; et illæ testimonium perhibent de me* (*Joan.* V, 39). Unde et hic quoque dicitur : *Quæ præcepi ut offerentur in templo.* In lege namque, psalmis, et prophetis scriptum de passione, resurrectione Domini, et universalis Ecclesiæ statu fuerat. Calce ergo Synagogæ præpositi victimam et munera Domini in templo Domini offerri jussa repulerunt, quia profecto prædicationem sanctæ Ecclesiæ, non Scripturæ sanctæ auctoritate discutere, sed solo feritatis suæ impetu reprobare atque abjicere conati sunt. Nam si præcepta Dei in sacro eloquio illuminata mente consulerent, sanctos prædicatores, quos ferociter abjecere, quasi ad se missos divinitus recepissent. Sed qui Heli filios, id est veteres doctores minoris ordinis, de irrationabili feritate 77 reprehendit, ipsum etiam patrem de negligentia arguit, dicens :

(Vers. 29.) *Honorasti filios tuos magis quam me.*

27. Quasi aperte reprehendens dicat : Illi repulerunt, et tu repulsores honorasti. Magis quam Deum filios honoravit, quia dum aperta eorum opera ostensa contemneret, lucra temporalia iisdem providebat. Unde et subdit :

(Vers. 29.) *Ut comederetis primitias omnis sacrificii mei.*

28. Quibus nimirum verbis arguere majorem ordinem doctorum videtur, qui idcirco in Redemptoris morte consensit, quod oblationum veterum lucra amittere formidavit. Unde et inito consilio cum Pharisæis, dicebant : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI, 47, 48). Et iterum : *Videte quia nihil proficimus; ecce mundus totus post eum vadit* (*Ibid.* XII, 19). Ideo igitur filios honoravit, ut comederent, quia a prædicationis intentione conticuit, ne dum veritatem novæ oblationis assereret, habere ulterius ad voluptatis suæ luxuriam vetera non valeret. Quia ergo magnitudinem qualitatemque reatus exposuit, videamus jam quanta æquitate examinis modum insinuet ultionis. Nam subdens ait :

(Vers. 30.) *Propterea ait Dominus Deus Israel : Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo, amodo et usque in sempiternum. Nunc autem absit hoc a me.*

29. Quasi aperta congruaque sententia feriens, dicat : Tu filios tuos honorasti, ut omnis sacrificii primitias ederetis; sed ideo vobis primitiarum jura auferuntur, quia indigne honorati sunt. Quid enim est dicere : *Absit a me ut domus tua ministret in conspectu meo*, nisi : ab illo vos dejicio culmine cui primitiarum jura debebantur? Mira igitur æquitatis exsecutione comprehensus est, qui unde primitiarum esum inhianter appetiit, inde a primitiarum perceptione jejunavit. Nam Redemptorem mori pertulit, ne sacerdotalia lucra perderet, sed ille de triumpho mortis accepit, unde sacrificii veteris emolumenta destruxit. Dicit autem : *Loquens locutus sum, ut domus tua, et patris tui ministraret in conspectu meo; nunc autem absit hoc a me.* Quasi verbis apertioribus dicat : Ut in tanto culmine dignitatis stares, te frequenter admonui, sed modo talis non es qualem esse desideravi. Quod quia in Judaici populi reprobatione dicitur, de ordine novorum prædicatorum subjunctum est :

(Vers. 30.) *Sed qui glorificaverit me, glorificabo eum.*

30. Jam quippe glorificantis gloriam cernimus, quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ magno splendore vitæ omnipotentis Dei laudes concinunt, atque in universali orbis prælatione gratulantur. Ecce jam sacerdotum vestigiis gentilitas universa substernitur, et eos quibus se gaudet obediendo subjicere patronos gloriatur in cœlestibus possidere. Glorificantem se ergo Dominus glorificat, quia a quibus devotas quotidie laudes accipit, ad universi orbis honorem sustollit. An non glorificati gloria est, in terra manere, et cœlum claudere? Vitam communiter homines vivere, atque supernas cœlorum sedes subditis auctoritate potestatis exhibere? Glorificabat quippe Dominum, qui dicebat : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Sed glorificantem se Dominus glorificavit, quia ei respondit, dicens : *Tibi dabo cla-*

[a] Gilot. et Vatic., *indicatur.*

ves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcunque **78** *solveris super terram erit solutum et in cœlis* (*Ibid.*, 19). Sed de projectis Judæorum reprobis subditur :

(Vers. 30.) *Qui autem contemnunt me erunt ignobiles.*

31. Ipsi quidem contemnunt, qui nequaquam hunc esse mundi Redemptorem credunt : de quibus profecto ipsa Veritas in Evangelio queritur, dicens : *Cives autem ejus oderant illum, et miserunt legationem post eum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos* (*Luc.* XIX, 14). Sed eorum jam [a] ignobilitatem cernimus, quia et genere et conditione proscribuntur. Genere quidem ignobiles sunt, quia ab ipsa Veritate audierunt : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44). Conditione etiam ignobiles sunt, quia amissa libertate, et regno, perpetua gentium servitute deprimuntur. Sed pœnarum ordinem clarius ostendit, dicens :

(Vers. 31.) *Ecce dies veniant, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua.*

32. Jam quidem sine brachio est, quia qui templum et tabernaculum perdidit, manum ad oblationem sacrificii veteris non extendit. Et quia Heli, id est majoribus Synagogæ sacerdotibus, loquebatur, non solum brachium ejus, sed etiam domus ejus se præcidere minatur, ut profecto universalem ritus veteris destructionem insinuet, et hoc quod novo tempore jam factum cernimus antiquitus fuisse dispositum sentiamus. Et brachium itaque ejus, et domus ejus Dominus præcidit, quia et summos Judææ pontifices, et minores sacerdotes ab immolatione veteri penitus amovit. Unde et convenienter adjungitur : *Ut non sit senex in domo tua.* Senes quippe intelligendi sunt sacerdotes, quorum officium, quia gravitate magnæ honestatis impenditur, a religionis pondere nulla puerili levitate vacuatur. Brachium igitur ejus, et domus patris ejus ita præcisum est, ut in domo sua senex non sit, quia sic veteris sacerdotii ritus evanuit, ut omnino nemo remanserit, qui veteri more immolare jam possit. Nam postquam Redemptor humani generis pro peccatis nostris novo sacrificii more se obtulit, esse sacerdos consuetudine antiqua cessavit. Sed qui amissi sacerdotii damna sustinet, habet tormentum majoris pœnæ de dolore invidiæ. Quare et subditur :

(Vers. 32.) *Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel.*

33. Intra templum quippe æmulum suum videt, quia ipse jam foras expulsus est. Nam quis æmulus sacerdotii veteris alius est, quam ordo novorum prædicatorum? Qui profecto dum veterum et electorum patrum studia vivendo atque docendo adæquare nititur, bona Heli nimirum in bono æmulatur. Hinc Paulus admonet, dicens : *Bonum æmulamini in bono omnes* (*Gal.* IV, 18). Quæ autem Israel prospera, nisi felicitates hujus transeuntis temporis intelliguntur, in quibus Israel secundum carnem valde lætabatur? In universis ergo Israel prosperis æmulum suum videt, qui in sancta Ecclesia prædicatores veritatis felices aspicit, et rerum opulentia et celsitudine dignitatis. Hoc etiam quod in templo videndus asseritur perfectiori intelligentia declaratur. In omnibus quippe prosperis in templo est æmulus, quia ordo prædicatorum omne quod sibi famulatur de felicitate temporis, in contemplatione disponit æternitatis. Sequitur :

(Vers. 33.) *Verumtamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo.*

79 34. Penitus namque ab altari suo virum auferret, si ad fidei nostræ unitatem nullum admitteret. Penitus ergo non abstulit, quia etsi reprobos Synagogæ sacerdotes repulit, plures tamen ex eis ad sui cognitionem misericorditer adduxit. Quorum profecto in apostolorum Actibus Lucas meminit, dicens : *Plurima turba sacerdotum obediebat fidei* (*Act.* VI, 7). Digni namque tanto et novo ministerio inventi sunt, qui remanere cum perditis in vetustate noluere. Sed quia non solum electos prædicatores de gentibus, verumetiam illos qui de Judæa credidere ad tormentum invidiæ Judaicum sacerdotium habuit, sequitur :

(Vers. 33.) *Sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua.*

35. Vel idcirco virum penitus ex eo ab altari suo non abstulit, ut Heli oculi deficerent, et anima ejus tabesceret, quia videlicet electos de Judæa noluit ad ministerium novæ prædicationis assumere, ut, remotis eis, culpa ad pœnam reprobos teneret. Defecerunt namque oculi Heli cum summum sacerdotium veritatem fidei per ora prædicatorum in auditu habuit, et non cognovit. Anima quoque ejus tabescit, quia videlicet per repulsionis suæ pœnam emarcuit, dum sancti spiritus gratiam amisit. Sequitur :

(Vers. 33.) *Et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem pervenerit.*

36. Ætas virilis tempus est dominicæ Incarnationis, quod profecto Apostolus insinuat, dicens : *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, et adoptionem filiorum perciperemus* (*Gal.* IV, 4, 5). Quid igitur præcepta Judææ fuerunt, nisi quædam eruditiones infantiæ? Hujus item pueritiæ tempus idem Apostolus insinuat, dicens : *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi hujus eramus servientes* (*Ibid.*, 3). In virili ergo ætate mortua est, quia in plenitudine temporis in mundi Redemptorem sæviit, et semetipsam infidelitatis mucrone transfixit. Bene autem non tota domus, sed pars magna domus ejus moritura prædicitur, quia ex eis quidam in Redemptorem crediderunt. Et causam majoris doloris adjiciens, ait :

(Vers. 34.) *Hoc autem tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees. In una die morientur ambo.*

37. In duobus filiis Heli geminum sacerdotii veteris ordinem supra ostendimus designari. Qui certe una

[a] Gilot. et Vatic. *nobilitatem cernimus.*

die mortui sunt, quia simul in Redemptoris morte convenerunt. Bene autem sacerdotum mors in signum morituræ domus posita memoratur, quia cum pastores intereunt, necesse est ut ad eumdem interitum grex sequatur. Et quia ex falsa ratione decepti sunt, in die mori perhibentur. De cujus falsitate lucis beatus Job loquitur, dicens : *Sic in tenebris, sicut in luce ambulant* (*Job.* XXIV, 17). Sed qui vetus expulit, novum sacerdotium præparavit. Unde et subditur :

(Vers. 35.) *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem.*

38. Mortuis namque filiis Heli, fidelem sacerdotem sibi Dominus suscitavit, quia exstinctis in perfidia prælatis veteris populi, electos ad exhibendum redemptionis nostræ ministerium ascivit. Qui nimirum fidelis assumptus dicitur, quia vetus, cui successit, per infidelitatem fuit reprobatus. Et quia ea fides ejus sacerdotis laudibus ascribitur, quæ per dilectionem operatur, ipsa dilectionis opera per sequentia verba designantur. Nam sequitur :

80 (Vers. 35.) *Qui juxta cor meum et animam meam faciat.*

39. Hoc namque ineffabilis divina substantia signari per partes hominis voluit, quod in se juxta litteram intelligi non oportet. Dixit itaque : *Qui juxta cor meum, et animam meam faciat.* Non quod incorporea et incircumscripta Dei substantia cor et animam habeat, sed sic loquitur homini ut homo homini loqui solet, ut per hoc quod ex verbo suo audiens homo cognoscit, aperte sciat quid etiam velit Deus. Quod profecto dici simplicius potuisset : Qui faciat voluntatem meam. Et præmia operis exponit, dicens :

(Vers. 35.) *Et ædificabo ei domum fidelem.*

40. Quæ namque ista domus alia, nisi æterna patria intelligitur? Quam profecto domum Dominus commendans, ait : *In domo patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV, 2). Sed hæc domus ædificari nunc dicitur, quia ex piæ vitæ actionibus præparatur. Verumtamen ad eam promerendam indignum est opus hominis, si non hoc agat gratia misericordis Dei. Bene itaque, cum domus ædificium ponitur, Dominus ei eam ædificare pollicetur, quia nimirum vires humanæ a tanta operatione deficiunt, si non divinitus adjuventur. Hinc Paulus ait : *Deus est qui operatur in me velle et perficere* (*Philip.* II, 13). Hinc iterum dicit : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* II, 16). Hanc domum se ædificare promittebat, cum diceret : *Vado parare vobis locum, et iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis* (*Joan.* IV, 2, 3). Quia vero vocantem se gratiam ex arbitrii libertate devote secuturus erat, adjungitur :

(Vers. 35.) *Et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.*

41. Unicuique enim electorum coram Christo ambulare est se semper in conspectu Redemptoris aspicere, et ea quæ ei accepta cognoscit operari. Vel certe coram Christo ambulat, qui in omni quod agit semper ad ipsum respicit, et vitæ suæ rectitudinem in eo dirigit, quem per assumptam humanitatem ad componendum electorum speciem venisse recognoscit. Sed in cæcitatis suæ tenebris Judæa non semper deserenda est, quia per prophetam dicitur : *Si fuerit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, tamen reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* X, 22). Hinc Paulus ait : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus* [a] *fiat* (*Rom.* XI, 25, 26). Hanc ergo Judææ visitationem subsequenter ostendit, quia dicit :

(Vers. 33.) *Futurum est autem ut quicunque remanserit in domo tua, veniat, ut oretur pro eo.*

42. Tunc certe Judæa pro se orari Dominum postulat, quando, collectis jam electis de gentibus, cæcitatis suæ tenebras non ignorat, cum per sacerdotes omnipotentis Dei ei offerri per confessionem sanctæ Trinitatis appetit, quia in vetustate pristina, superna promereri gaudia non præsumit, sed et fidem Redemptoris, quam conversa recepit, prædicando etiam convertendis aliis impendit. Bene etiam subditur :

(Vers. 33.) *Ut offerret nummum argenteum.*

Argento quippe eloquia divina signantur, quia per Prophetam dicitur : *Eloquia Domini igne examinata, argentum igne probatum* (*Psal.* XI, 7). Quod profecto argentum tunc Judæa in Dei laudibus impendit, cum aperte fidem nostram prædicat, cui in infidelitate posita ante contradixit. Et quia eumdem Redemptorem, quem amando prædicat, etiam compatiendo imitatur, adjungitur :

(Vers. 33.) *Et tortam panis.*

81 43. Panis namque nomine ille exprimitur qui de semetipso ait : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51). Torta itaque panis Redemptoris caro est affecta supplic is. Hunc namque tortum panem propheta intuens, ait : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isai.* LIII, 4). Et quia per quemdam sapientem dicitur : *Si sederis ad mensam potentis, sapienter attende quæ apponuntur tibi, quia similia oportet te præparare* (*Prov.* XXIII, 1, 2, *sec. LXX*), tortam panis et nummum argenteum Judæa tunc offert, cum Redemptorem nostrum aperta confessione prædicat, et pro ejus amore, quem prædicat, sustinere tormenta a perfidis non recusat. In qua nimirum imitatione passionis et refectione dulcedinis quia valde delectatur, sequitur :

(Vers. 33.) *Dicatque dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem.*

44. Dimitte me, ait, quasi dicat : Noli me, quasi infamem et morte Redemptoris cruentatam, repellere. Unam quoque partem sacerdotalem sibi concedi obsecrat, quia veris sacerdotibus sociari desiderat, ut eorum valeat admisceri gaudiis, quorum oblationes appetit, seipsam offerens, imitari. Unde et refectionis suæ exponens desiderium, dicit :

(Vers. 33.) *Ut comedam buccellam panis.*

Qua in re notandum est quia tortam panis in de-

[a] Gilot. et Vatic., *fiet.*

votione oblationis habitura prædicitur, et buccellam in appetitu comestionis. Cur ergo ad comedendum non torta panis, sed buccella concupiscitur? Et cur non buccella, sed torta offerenda perhibetur? Sed quia in rotunditate buccella conficitur, rotunditas autem ipsa quodam modo nec principio, nec fine dignoscitur, recte per panis buccellam Redemptoris æternitas designatur. Torta igitur panis a nobis offerri, et non buccella potest, quia qui passionem dominicam imitari moriendo, sive carnem affligendo, possumus, æternitatem in nobis, quam præsentemus ejus conspectui, non habemus. Et buccella nobis in perfectione desiderii esse, non torta panis, debet, quia qui humani generis Redemptorem compatiendo temporaliter sequimur, in superna patria non mortalem jam, nec patientem, sed æternum atque regnantem possidere desideramus. Eam igitur quam offerre tortam panis desiderat dicit : *Ut comedam buccellam panis*, quia conversi de Judæa Redemptorem nostrum in æternitate refectionis possidere desiderant, cujus passionem imitati hic sunt ad strenuitatem militiæ, non ad præmium retributionis.

CAPUT III.

1. Hæc de sacra historia typica explanatione percurrimus, ut in eisdem sacræ historiæ verbis moralis intelligentiæ aliquid perquiramus. Itaque puer Samuel in conspectu Domini minister asseritur; quod tamen ministerium non absolute, sed ante faciem Heli Domino exhiberi memoratur. His igitur verbis non ostenditur perfectio ministerii, sed humilitatis. Facies namque Heli uniuscujusque institutoris ratio est arbitrii. Illi namque ante præceptoris sui faciem Domino ministrat, qui in exhibitione ministerii sui proprii arbitrii rationem non sequitur, qui eo operis itinere graditur quod ei magistri sui cognitione prævidetur. Nam perfecti quique viri, et docibiles Dei (*Joan.* VI, 45; *Isai.* LIV, 13), ministri quidem in conspectu Domini sunt, sed ante faciem hominis ministri ejus non sunt, quia ipsa eos intus divinitas erudit qualiter foris etiam vita et moribus ac doctrina disponantur; unde et præcursori Redemptoris **82** paterni oraculi laude promittitur : *Tu quidem, puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* (*Luc.* I, 76). Ante faciem quidem Domini præire describitur, qui in ministerio suo non erat secuturus arbitrium superioris hominis, sed inspirationem divinitatis. Ante faciem ergo Heli Samuel Domino ministrare dicitur, ut subjecti quique ejus exemplo doceantur, quatenus de ministerio suo sic placere conditori studeant, ut præter prælatorum suorum arbitrium agere aliquid non præsumant. Nam qui ante institutoris sui faciem Domini minister asseritur, si ejus faciem præire per tumorem despicit, minister in conspectu Domini non existit, quia omnipotentem ignorare convincitur, cui per ejus arbitrium placere despicit, cujus se imperio ut ei placeret subjugavit. Unde et Heli, et filii Belial esse, et nescire Dominum dicuntur, et ad populum officium sacerdotum. Filii namque sunt qui spiritualibus patribus ad eruditionem subiguntur. Qui profecto cum eorumdem patrum sequi consilia superbiendo despiciunt, Belial filii recte nominantur, quia ejus, qui per superbiam de cœlo cecidit, apostatæ spiritus imitatores fiunt. Qui certe tanto deterius Dominum nesciunt, quanto ejus sibi cognitionem arrogantius ascribunt. Eo namque agitur ut quod scire debent periculosius nesciant, quo id quod se scire existimant nescientes discere non curant. Et quia invisibilem conditorem amare nequeunt, quem ignorant, in appetitu visibilium ipsa quæ sibi usurpant Dei ministeria dissipant. Unde et ii qui ignorare Dominum sacerdotes relati sunt, et sacerdotum quoque officium ad populum nescire perhibentur.

2. Et ut reprehensionis ejus causas aperiat, ad omnem immolantem ignorantis sacerdotis puer cum tridente fuscinula venire memoratur, et crudam carnem violenter exigere. Quibus profecto verbis in aviditate suæ rapacitatis tres gulæ species notantur. Nam is cujus puer, antequam coquerentur carnes, ad inferendam pro eis violentiam veniebat, legitimam refectionis horam sustinere non poterat; et cui carnes quærebantur, simplicibus cibis uti nesciebat et quia, coctam renuens, crudam carnem exigebat, communi præparatione eamdem carnem edere fastidiebat. Verum cum sacerdotum voluptati servierit perversitas famulorum, quid est quod non ipsorum sacerdotum, sed puerorum peccatum grande nimis, etiam coram Domino, fuisse memoratur? Sed eisdem verbis sacerdotum culpa major ostenditur; nam qui minorum peccatum grande nimis coram Domino fuisse asserit, majorum inquitatem in quem damnationis cumulum excrevisse cognovit. Quæ tamen magnitudo reatus asseritur, non solum pro appetitu illicitæ comestionis, sed etiam pro violentia rapacitatis.

3. Sed ad electi pueri narrationem divinus sermo regreditur, ut in eo, non quod reprobandum, sed quod imitandum est, attentius consideremus. Itaque ephod lineo accinctus, et in conspectu Domini esse perhibetur. Quid ergo in ephod lineo nisi continentiæ candor ostenditur? quo nimirum ephod accingimur, cum ad nitorem pudicitiæ ex omni parte retinemur, cum animæ et carnis pars nulla a districtionis lege absolvitur, per quam ad luxuriæ caliginem diffluamus. Talis itaque minister in conspectu Domini est, quia de omnipotentis Dei sperata visione non fallitur, cui cum tanto accinctionis suæ nitore famulatur. Cui profecto puero **83** ascendens mater cum viro ad immolandum solemnem hostiam attulisse parvam tunicam dicitur. Mater quidem cum viro ascendit quando mens prædicatoris per præscientiam interni sponsi sese ad contemplanda sublimia illa æternitatis gaudia erigit. Tunc quippe immolat solemnem hostiam, quia dum per illius amoris ineffabilem suavitatem conditori conjungitur, supernis altaribus devotio festiva præsentatur. Et tunc quidem parvam tunicam defert, quia, etsi per magnam in-

ternæ visitationis gratiam pastoris anima ad superna sustollitur, parvulus tamen non ad modum subtilitatis suæ, sed pro eorum viribus imponere præcepta conversationis debet. Unde et Moyses a monte in immenso vultus sui splendore regrediens faciem velavit, ut in eum populus intendere visum potuisset (*Exod.* XXXIV, 33). Parvam itaque tunicam ea quæ spiritalis mater est filio deferat, ut parvulis adhuc initia quædam et plana præcipiat, et non fortitudinis suæ onus imponat. Nam sæpe inter magna opera corruunt, qui per minora vincere hostem possunt. Unde et David contra Allophylorum fortissimum in pugnam progrediens, loricam, clypeum et militaria quæque instrumenta deposuit; et qui se in eorum pondere contra hostem exercere non potuit, in uno eum fundæ lapide prostravit (*I Reg.* XVII, 39, 40, *seq.*). Ad immolandam solemnem hostiam mater illa ascenderat, quæ dicebat: *Scio hujusmodi hominem, qui raptus est in paradisum* (*II Cor.* XII, 4). Sed de tanta magnitudine magnam vestem parvulis non adduxit, quia dicit: *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* (*Ibid.*). Item: *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III, 2). Parvam itaque parvo filio tunicam mater deferat, et pro modo corporis mensura indumenti tendatur, quatenus dum temperatæ conversationis virtute dimicat, hunc hostis inæquali armorum sarcina non substernat.

4. Et quia ex discreto curæ pastoralis studio prædicatori Deus conversorum lucra multiplicat, visitata a Domino Anna perhibetur, atque per gratiam divini muneris in filiis et filiabus meruisse gratiam fecunditatis. Quæ filios quidem parit, cum eos verbo lucratur per quos prædicationis semina aliis tribuit. Filias vero parit cum eas mentes ad omnipotentis Dei servitium revocat, quæ etsi ad prædicationem idoneæ non sunt, verbi Dei tamen semen diligenter a prædicatoribus acceptum nutriunt, quod velut parturientes postmodum filiæ per bona opera in exemplum proximorum gignunt. Sed quia prius Samuel lineo ephod accinctus asseritur, dehinc fecunditas matris in pluralitate liberorum potest rationabiliter intelligi hoc quod fieri quotidie cernimus, quia videlicet ex bona opinione electi discipuli magistro succrescunt lucra conversorum. Unde et post ortum fratrum et sororum, magnificatus Samuel apud Dominum fuisse perhibetur, quia profecto coram Domino jam magni sunt qui per exempla piæ conversationis proximorum corda ad omnipotentis Dei servitium convertunt.

5. Magnus vero nobis timor incutitur, quia Heli filiorum culpa damnatur, cujus peccata propria nulla referuntur. Nam bonis subditis bene vivere ad salutem sufficit, prælatis vero propria vita non sufficit. Valde etenim senex est, qui vivere irreprehensibiliter semper studet. Unde etiam scriptum est: *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV, 8). Sed quidam bene vivendo præeminent, qui auctoritatem **84** quam prælatio exigit nullam habent. Nam etsi ad agenda bona excitare subditos satagunt, tamen contraire delinquentibus per zelum rectitudinis erubescunt. Qui nimirum etsi ad redarguendos eos aliquando exeunt, nocent potius loquendo quam prosunt, quia eorum obstinationem non digna severitate confundunt. Nam idem Heli filiorum scelera, et quomodo ad tabernaculi ostium cum mulieribus dormirent, audivit; qui, velut ab aspera invectione auctoritatis incipiens, res pessimas ab omni populo se audisse perhibuit. Sed qui insequi eas quas exposuit culpas debuit, per subsequentia verba lævigavit, dicens: *Nolite, filii.* In qua nimirum propinquitatis appellatione quantum a Domini voluntate dissentiat liquet, quia illos filios appellavit quos divinus sermo supra Belial, id est spiritus nequam, filios esse perhibuit, dicens: *Porro filii Heli filii Belial.* [a] Cum mulieribus quippe dormire est secure et sine metu futuræ vindictæ peccare. Mulieres quippe meretrices sunt concupiscentiæ sæculares. Quæ bene ad tabernaculi ostium observare perhibentur, quia ad introitum regni cœlestis tendentibus insidiantur. Qui vero sic mundi concupiscentias sequitur, ut sæpe divini metus consideratione terreatur, polluitur quidem cum mulieribus, sed non dormit, quia etsi transgrediendo labitur, in perpetratis tamen facinoribus per securitatem nequaquam requiescit. Dormiens itaque cum mulieribus nomine propinquitatis honorandus non est, quia qui, projecto jam Dei timore, in suis sceleribus obstinati sunt, leviori increpatione arguendi non sunt, ne leve pondus peccati esse putent id in quo corruunt, dum grave eis illud non sonat quod ex auctoritate prædicatur. Sed remissi pastores inter fomenta verborum quædam proferre solent argumenta rationis. Unde et Heli voce dicitur:

(Vers. 25.) *Si peccaverit vir in virum, pacari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?*

6. Vir in virum peccare est de rebus labentibus alterutrum sibi homines nocere. In Deum vero peccare est ea ei quæ ad æternitatem condidit auferre. Quicunque igitur aut suam aut alterius fidelis hominis animam ad peccandum pertrahit, in Deum peccare convincitur, quia sua ei auferre propria nititur. Quod nimirum tanto gravius peccatum esse ostenditur, quanto et qui pro ejus absolutione dignus intercessor existat rarius invenitur. Nam sub interrogatione: *Quis orabit pro eo?* non dicitur ut talibus etiam pœnitentiæ remedia denegentur, sed quia altiora peccatorum vulnera difficilius curantur.

7. Quod tamen idcirco dictum potest intelligi, quia sacerdotes arguuntur. Vir enim in virum peccat, cum ille delinquit cujus culpa corrigenda ad hominis superioris judicium respicit. Quia igitur peccata subditi populi, quæ ad sacerdotes respiciunt, ipsorum sacerdotum precibus delentur, cum sacerdos in culpam labitur, superior persona non est

[a] Quædam hic deesse videntur; præmitti enim debuit quod legitur ℣. 22: *quomodo dormiebant*, etc.

cujus precibus expietur. Quod et ipsa Veritas per se insinuat, dicens : *Si sal evanuerit, in quo salietur* (*Matth.* v, 13)? Dicat ergo : *Quis orabit pro eo?* Quasi dicat, quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? Quo profecto culpæ magnitudo monstratur, quia plerique eorum a Domino in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur, et nulla hominis adhortatione resipiscunt. Quare apte subjunctum est :

(Vers. 25.) *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit eos Dominus occidere.*

85 8. Puer autem Samuel et proficere et crescere memoratur, et tam Deo quam hominibus placere, ut electi auditoris studium designetur, qui rectæ vitæ itinere suos conatus ad supernam patriam dirigit, dum ad majora convalescit. Unde et per Psalmistam dicitur : *Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXIII, 8). Profectus itaque conversationis est crescere meritis, placere Deo et hominibus consummatæ perfectionis. Et quia ad opera conversatio pertinet, meritumque provenit ex charitate, illi auditores proficiunt, et non crescunt, qui bona opera pro studio vanitatis exhibent, et charitatem non habent. Proficimus ergo, et crescimus, si cum sublimiori conversatione per opera meliora sustollimur, ex eadem sublimitate operis ad sola intendimus gaudia æternitatis. Placere autem tam Deo quam hominibus magnæ virtutis est, quia plerumque de bono opere nostro proximos nostros offendimus, si eadem bona opera non cum magna cautela faciamus. Tam Deo igitur quam hominibus placet, qui in bono opere quod omnipotentis Dei obsequiis impendit cautus est ; qui sic Deo placere curat, ut de Dei ministerio aliquem non offendat.

9. Et quia de Samuele adhuc puero et sub aliena instructione posito dicitur, communiter viventium per hoc vita eruditur. Nam quidam in sacris locis communiter viventes fervore novitio sub colore magnæ operationis sibi vacare appetunt, qui contubernalibus fratribus quo minus sunt utiles, hoc minus placent. Electus itaque per Samuel communiter viventibus forma proponitur, cui imprimuntur. Deo itaque et hominibus quisque eorum placet, cum fratribus utilis est, Deo devotus. Sic ergo agant curam sui, ut ea quæ sunt proximi non omittant, quatenus ex benignitate his placeat qui secum in imo sunt, supernis vero oculis ex devotione fortitudinis suæ robur caute exhibeat, ut infirmorum corda non aterat, dum fortitudinis suæ impetu ad superna festinat.

10. Vir autem Dei ad Heli venisse describitur, qui profecto divinæ sententiæ severitatem prolaturus, quanta ei dona contulerat diligenter enumeravit. Et quia tandem vindictæ quam mereretur pœnam denuntiat, quid dat intelligi, nisi quia pastorum culpæ subtilius judicantur ? et non solum peccata eis pœnam ultionis aggravant, sed etiam munera concessa. Item quia sigillatim eadem dona replicat, aliquid gravius designat, quia singula ad tormentum veniunt, quæ male fuisse servata comprobantur. Male namque in se omnipotentis Dei munera custodit, qui nitorem pastoralis culminis per maculas polluit pravæ actionis. Unde et apte Heli domus munera et victimas Domini calce abjecisse reprehenditur. Calx quidem ea pars corporis est qua terram tangimus. In hac igitur inferiori parte corporis animæ affectus ostenditur quo terrena concupiscuntur.

11. Et quia, ut quibusdam visum est, pro consecuta vel consequenda victoria victimæ offerri consueverant et munera amicis dari, quid in victimis et muneribus nisi proficientium adhuc vota et perfectorum devotiones in omnipotentis Dei laudibus designantur ? Qui enim per occultorum hostium tentamenta proficimus, cum ad eorum conflictum virtutem præparamus, profecto victimas in omnipotentis Dei laudibus tenemus. Sed devictis jam iis quæ ingeruntur nobis prœliis, cum de victoria consecuta omnipotenti Deo gratias agimus, **86** eidem Domino nimirum victimas immolamus. Qui autem ei familiaris amoris affectum offerunt, quasi amico munera impendunt. Munera igitur sunt affectiones charitatis, quibus corda electorum in desiderium sui conditoris inardescunt. Et quia cum rector terrena sequitur, plerisque in spirituali conflictu positis, plerisque etiam jam anhelare incipientibus nocet, calce nimirum Dei victimas et munera abjicit, quia exemplo suæ pravitatis eorumdem utrorumque studia expellit. Abjiciuntur itaque victimæ, quia sæpe a rudibus Christi militibus pugnæ spiritualis labor relinquitur, cum principes Christianæ expeditionis in terrenorum blandimentorum requie sequi corporis otia videntur. Calce abjiciuntur munera, quia affectiones charitatis a plurimorum jam superna diligentium mente frigescunt, dum prælatos suos aspiciunt supernam patriam per nulla amoris desideria quærere, sed corporis frigore constrictos infimis delectationibus jacere. Quorum profecto nonnulli sunt, qui ipsos spiritales honores carnaliter exhibent, et quod meritis debetur, propinquitati tribuunt. Qui profecto præsumptionis suæ reatum expavescerent, si hoc, quod de Heli sacerdote Dominus queritur, attente pensarent.

(Vers. 29.) *Honorasti*, inquit, *filios tuos, magis quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii populi mei Israel.*

12. Filios quippe et propinquos magis quam Dominum honorat, qui ad sacros ordines personas eligit non ex conversationis honestate, sed amore propinquitatis. Idcirco filii honorati referuntur, ut sacrificii primitias ederent, quia carnales prælati spiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideo tribuunt, ut ecclesiasticis facultatibus ditentur, et in altitudine ordinis cumulentur abundantia ubertatis. Nec curant quales sunt qui ad spirituale ministerium veniunt, sed tantum ut temporali dignitate præferant quos carnali affectione complectuntur. Queritur ergo honorasse filios, sed scelestos, qui et carnali propinquitate proximi habendi non sunt, si eccle-

siasticæ doctrinæ conversatione nequaquam fulgescunt. Sed qui reprobos provehunt ipsum promotionis ordinem confundere designantur, cum idcirco honoratos filios refert, ut sacrificii primitias ederent. Non enim prædicat sacerdos ut comedat, sed ideo, ut prædicet, manducare debet. Quod et Paulus insinuat, dicens : *Qui Evangelium annuntiat, de Evangelio vivat* (*I Cor.* IX, 14). Hinc iterum dicit : *Bovi trituranti non claudatur os* (*I Cor.* IX, 9; *I Tim.* V, 18; *Deut.* XXV, 4), ut videlicet prædicator sanctæ Ecclesiæ ideo comestionem subministret corpori, ut ferre valeat laborem prædicationis. Rectum itaque promotionis ordinem pervertere comprobantur, qui propinquos provehunt, non ad intentionem ministerii, sed ad propositum dignitatis. Quod profecto non facerent, si se et eos in spiritali culmine carnaliter non amarent. Sed si Heli repulsionem intelligunt, sui quoque reatus judicia pertimescant. Nam divina voce dicitur : *Honorasti filios tuos magis quam me, ut comederetis omnes primitias populi mei Israel.*

(Vers. 30.) *Propterea ait Dominus Deus Israel : Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem absit hoc a me.*

13. Ecce Heli celsitudine dignitatis sententia divina deponitur, qui pro primitiarum esu scelestos filios honorasse convincitur, ut profecto sanctæ Ecclesiæ prædicatores **87** intelligant quia si carnali amore reprobis spiritalia ministeria scienter committunt, ab illo in quo foris stare videntur culmine interni arbitri æquitate ceciderunt. Et quia subsequenter adjunxit :

(Vers. 30.) *Sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum.*

14. Etiam inhonoratum fuisse eorum audacia latenter innuit. Quibus profecto et Paulus idipsum improperans ait : *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes* (*Rom.* II, 24). Quia enim decorem acceptæ dignitatis per miseræ famæ sordes maculant, profecto Dominum inhonorant. Digne enim ab honoris arce repellitur, qui ei facit injuriam a quo honoratus fuisse comprobatur. Quo contra generali promissione affirmat, dicens : *Sed qui me glorificaverit, glorificabo eum.* Deum quippe pastor glorificat qui exemplo bonorum operum ad imitationem fidelium corruscat, qui de sublimitate regiminis ingenti lumine radiat magnæ conversationis, qui ad speculum sacrorum ordinum reproborum ministrorum personas non accipit, sed eos ad formam subjecti gregis eligit quos omnis qui imitationem respicit, quia verum in eis lumen sequitur, non offendit. Quibus nimirum per semetipsum Veritas loquitur, dicens : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Glorificantes quidem se Dominus glorificat, quia quod electi pastores sanctæ Ecclesiæ exterius portant de gloria culminis, hoc intus accipiunt ex gratia divinæ bonitatis, et honorem quo sublimes A sunt in oculis hominum, digno studio in interiori ab internæ majestatis largitate promerentur. Quo contra inhonorantium se gloriam a se non esse eis impensam queritur, dicens : *Ipsi regnaverunt, et non ex me ; principes exstiterunt, et ego ignoravi* (*Osee* VIII, 4). Ex se namque, et non ex electione summæ ordinationis, regnant, quia ad gloriam ecclesiastici culminis non vocantur divinitus, sed per cupiditatem perducuntur. Quos profecto Dominus ignorat, quia eos per internæ æquitatis judicium reprobat. Tale est ergo ac si dicat : Et si meus esse videtur honor quem habent, non illum meruerunt obsequio, sed per cupiditatem rapuerunt. Unde et subsequenter adjungit.

(Vers. 30.) *Qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* B

15. Quasi aperte loquatur, dicens : Etsi nobilitatem dignitatis præferunt prætextu religionis, ignobiles tamen sunt, quia excellentiæ ejus quam habent gloriæ non concordant per sublimitatem vitæ. Sed quia hoc totum expressione futuri temporis promittitur, potest non inconvenienter ad venturæ retributionis meritum referri. De qua nimirum Joannes dicit : *Cum apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan.* III, 2). Hinc evangelista Marcus asserens ait : *Tunc videbunt Filium hominis cum potestate multa, et gloria* (*Marc.* XIII, 26). Cum autem glorificantem se glorificaturum asserit, profecto ei suæ similitudinis gloriam repromittit. Glorificantem quippe se Dominus C glorificat, quia eos æterna sublimitate remunerat, qui nunc intra sanctam Ecclesiam per exempla bonorum operum in electorum oculis coruscant. Contemptores autem erunt ignobiles, quia in electorum gloria recipi non merentur. Nam quia modo per conversationem reprobam lapsi angeli imaginem vestiunt, ignobiles cum eo tunc erunt, quando ei in interna pœna sociantur. Horum namque glorificationem atque illorum ignobilitatem Propheta intuens, **88** ait : *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Exsultationes Dei in faucibus eorum, et gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Glorificantem se quippe Dominus glorificat, D quia humiles electi cum eo in æterna gloria exsultant. Qui nimirum, quia glorificationis claritatem ex modo propriæ conversationis accipiunt, in cubilibus suis lætari de gloria consecuta perhibentur. Contemptores autem ejus perpetua ignobilitate feriuntur, quia nationum reges et nobiles ferreis, æternis videlicet, vinculis ad pœnam vinciuntur. Reges autem nationum, et principes, sunt superbi et gloriosi prælati carnalium. Ignobiles autem tunc erunt, quando ferreis vinculis ligantur, quia qui modo se adversus parvulos temporaliter erigunt, a fulgore honoris, et ausu suæ tyrannidis æterna pœna cohibentur. Unde et hic quoque subditur :

(Vers. 31.) *Ecce dies* [a] *veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui.*

16. Brachium quippe contemptoris est fortitudo temporalis. Et quia de summi patris familia transgrediendo exiit, lapsum angelum a cœlesti gloria habere jam patrem cœpit. Domus itaque patris ejus est ea quæ sibi favet in malo societas subditorum. De quibus profecto superius dicit : *Honorasti filios tuos magis quam me.* Brachium ergo contemptoris, et domus patris ejus præciditur, cum, interveniente morte carnis, prælatus et subditi violentiam suæ tyrannidis pariter amittunt. Tunc quippe sine brachio est, cum in oppressione parvulorum exercere violentiam nequaquam potest. Unde et æterni judicis æquitate decernitur : *Ligatis*, inquit, *manibus et pedibus, projicite in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13). In cujus etiam domo senex non erit. Damnati quippe hominis domus infernus est. Senectus autem vera est maturitas sapientiæ. In domo itaque ejus senex non erit, quia in inferno nulla inveniri poterunt consilia salutis. Unde et ad veræ sapientiæ opera sacra Scriptura excitat, dicens : *Quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas* (*Eccle.* IX, 10). Hinc Paulus ait : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI, 2). In domo itaque contemptoris senex non erit, quia quisque recte sapit, non in inferno, sed in cœlo sibi mansionem paravit. Qui etiam contemptor ad augmentum pœnæ suæ æmulum suum videt in templo in universis prosperis Israel. Templum etenim Dei superna patria est, de qua etiam per Prophetam dicitur : *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus* (*Psal.* X, 4). Israel autem, qui videns Deum interpretatur, angelorum illa felix multitudo signatur, de qua Dominus in Evangelio dicit : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10). Israel autem prospera sunt beatorum illorum spirituum gaudia sempiterna. In templo igitur æmulum suum contemptor aspiciet, quia prædicator reprobus jam damnatus ordinem humilium jam gaudere in cœlestibus recognoscit. Cui nimirum æmulo universa Israel prospera tribuuntur ; scriptum quippe est : *Erit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV, 28). Cuncta igitur Israel prospera omnia quæ Deus est illis beatissimis civibus designantur. Nam cum æterna illa essentia summum videlicet et simplex bonum in semetipso sit, tamen quia revelatione Majestatis suæ **89** omnia illorum beatorum spirituum desideria satiat, hanc esse Doctor egregius demonstrat. Unde et caute non in semetipso Deus omnia, sed in omnibus omnia esse prædicat, quia qui in natura sua unum et simplex bonum ineffabiliter existit, tot bona est bonis omnibus, quot ipsi omnes de contemplatione gloriæ adimplentur gaudiis. Universa igitur Israel prospera æmulo tribuuntur, quia ordo humilium electorum inter angelorum choros excipitur, ut divinæ contemplationis gaudiis æterna perceptione satietur. Qui recte æmulus contemptoris esse perhibetur, quia electi Dei etiam superborum atque negligentium prædicatorum bonæ admonitionis hortamenta suscipiunt. Unde et Dominus præcipit, dicens : *Quæcunque dixerint vobis facite, secundum opera illorum facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3). Hinc Paulus ait : *Bonum æmulamini in bono omnes* (*Gal.* IV, 18). Sed cum Scriptura dicat : *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini* (*Isai.* XXVI, 10), contrarium videtur ut ii qui in inferno damnati sunt eos qui in cœlo gaudent videre intelligantur. Sed quia videre etiam ad cognitionem pertinet, in templo æmulum videt, quia etsi inferni pœnis constrictus tenetur impius, electos hu-
miles, quos oculis non videt, in cœlo non dubitat angelorum gaudiis interesse. Et notandum quia bis dicitur : *Non erit senex in domo tua*, quia nec de pœnarum experientia, quam damnatus habet, nec de scientia alienæ felicitatis, nec de pœnarum experientia, quam non habet, ad salutem eruditur. Aliquando autem a pastoribus reprobis electi per doctrinam filii nascuntur. Quos nimirum obligatos pastorum culpa non retinet, quia bonæ prædicationis ejus hortamenta sequuntur quæ audiunt, et non perversa opera quæ vident. Unde et subditur :

(Vers. 33.) *Verumtamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo.*

17. Viri namque sunt qui ardua rigidæ conversationis arce fulgescunt. Quasi ergo dicat. Idcirco eos ab altari meo non aufero, quia viri sunt. Nam pro merito conversationis servatur eis fortitudo et celsitudo potestatis. Unde et per prophetam Dominus æquitatis edicta promulgat, dicens : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii* (*Ezech.* XVIII, 20). Ab altari itaque suo ex eo virum Dominus juste auferret, si filius patris iniquitatem portaret. Sed ex eo ipso quod electus auditor in gloria cernitur, reprobo doctori pœna cumulatur. Quare et subditur :

(Vers. 33.) *Sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua.*

18. Oculi namque ejus deficiunt, quia ex ejus vita qui sua perfecit exhortatione confunduntur. Anima quoque ejus tabescit, quia abundantius dolere compellitur, dum bonum quod docuit per gloriam retributionis florere noscit in subditis, et ipse hoc agere non curavit. In quibus etiam verbis notandum est quia qui penitus ex eo virum ab altari suo se non ablaturum promittit, rarus invenitur esse quem recipit, quia profecto doctoris reprobi plures auditores sunt qui sequantur prava quæ agunt, quam recta quæ docent. Unde et hic quoque magna pars domus ejus in virili ætate moritura perhibetur.

19. Ætas namque virilis tempus est administrandi sacerdotii. Imitator itaque doctoris reprobi ad virilem ætatem ducitur cum ad sacri ordinis celsitudinem promovetur. Ad quam profecto ætatem cum pervenerit, moritur, quia ad tantum ministerium **90** quis-

[a] Gilot. et Vatic. *venient.*

quis indignus accesserit, vel in eo indigne vixerit, condemnatur. Unde et Paulus dominici corporis et sanguinis mentionem faciens, ait : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI, 29). In virili ergo ætate moriuntur, quia de præsumptione et ausu ministerii sublimioris intereunt. Hinc ergo, hinc jam quippe præcipites colligant, et tanti ministerii subire onera non ambiant sed expavescant. Nam qui mori prædicitur quando ad virilem, ætatem pervenerit, donec ad eam perveniat vivit, quia nimirum infirmi quique, et illi tanto ministerio impares, si pusillitatis suæ modum considerant, habent in sancta Ecclesia locum in quo se custodientes vivant. Unde et per Moysen Dominus denuntiat, dicens : *Bestia, si montem tetigerit, lapidetur* (*Exod.* XIX, 12; *Hebr.* XII, 20). Hinc est etiam quod cum Loth exiret de Sodomis, ab ascensu montis abstinuit, et in Segor parvulam civitatem declinavit (*Gen.* XIX, 20, *seq.*) ne dum parvulus adhuc ad altiora nititur, virilem ætatem impingens moriatur. Sodomam quippe eximus cum ardentis concupiscentiæ incendia declinamus. Qui statim ad sublimia non ascendimus, quia superioris ministerii summa non tangimus, dum infirmitatem propriam metiendo consideramus, ne si infirmæ ætatis nostræ tenere modum contemnimus, qui parvuli viximus, in virili ætate moriamur. In signum vero morituræ domus ambo Heli filii una die mori prædicuntur. Quos nimirum filios illos signare diximus qui ad sacros ordines a propinquis carnalibus promoverentur, non ad intentionem administrandi ordinis, sed ad gloriam mundanæ dignitatis. In una ergo die ambo moriuntur, quia in appetitu mundanæ felicitatis intereunt. Gloria sæcularis, honoris reverentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum sæculariter amata, dies est, sed quæ interficit.

20. Audiant ergo filii Heli quia in una die ambo moriuntur. Qui enim de accepto pastorali culmine labentis vitæ felicitatem diligunt, intentionem quidem habent gaudii, fructum vero lamenti, propositum in exsultatione vitæ, et perventionem in mortis mœrorem. Ad mortem itaque properant, quoties vane de temporali felicitate gratulantur. Quod et Apostolus probat, cum apostatantis viduæ meminit, dicens : *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est* (*I Tim.* V, 6). In die namque hac mori perhibuit, qui causam mortis viduæ esse delicias ostendit. Sed mors filiorum minus pessima esset, si ipsa causa mortis alienæ non fieret. Unde et non simpliciter mori, sed in signum morituræ domus mori prædicuntur, quia cum ii qui de vicino doctorem reprobum imitantur in eodem præcipitio corruunt, et secutores sequentium in ruina cumulantur. Hoc itaque de officio suscepti culminis temporalem felicitatem amantes audiant, et reatus sui magnitudinem pertimescant. Tanto denique graviori pœna digni sunt, quanto aperte conspiciunt quia de vanitate quam diligunt non soli moriuntur, quia dum in prætextu mundanæ lætitiæ mortem ebibunt, potus sui pestem ad sequentium se multitudinem transmittunt. Quibus tamen verbis potest doctoribus reprobis præsentis vitæ brevitas intimari. In una quippe die moriuntur, quia cum ad terminum hujus vitæ perveniunt, breve eis omnino fuisse cernitur quod vixerunt. Unde per quemdam sapientem dicitur : *Gaudium hypocritæ ad instar puncti* (*Job.* XX, 5). Hinc iterum de hujus mundi amatoribus beatus Job loquitur, dicens : *Ducunt in bonis dies suos,* **91** *et in puncto ad inferna descendunt* (*Ibid.* XXI, 13). Sed raptis ad pœnam reprobis, ad gregis dominici curam sapientes et electi pastores excitantur. Quare et subsequenter adjungit :

(Vers. 35.) *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem.*

21. Fidelem namque sacerdotem sibi Dominus excitat, quia videlicet eum summus locus ad sui curam exigit qui non solum recte intelligat, sed qui fideliter ministret. Ministrare autem tunc recte poterit, cum ministerii sui modum de sacro eloquio recognoscit. Unde et cum fidelis sacerdos promittitur, juxta cor et animam omnipotentis Dei facturus esse perhibetur. Quid enim cor et animam Dei, nisi sacram ejus Scripturam accipimus? Nam corde cogitamus ad deliberationem, anima vero afficimur ad amorem. Quia ergo in sacro eloquio consilia omnipotentis Dei agnoscimus, ibique amorem quo humanum genus dilexit invenimus, ipsum eloquium cor et anima ejus rationabiliter designant. Illum itaque omnipotens Deus ad suum ministerium sacerdotem eligit, qui juxta cor ejus et animam facit, quia profecto non alius tanto ordine dignus est, nisi qui voluntatem ejus de sacro eloquio didicit, et hoc quod didicit proximorum utilitatibus per studium charitatis impendit. Sed vigilanter est adhuc intuendum quod dicitur :

(Vers. 35.) *Juxta cor et animam meam.*

22. Nam quædam in Scriptura sacra inveniuntur præcepta quæ dispensatione quidem Dei præcepta sunt, et non amore Dei. Quæ profecto si sacerdos qui excitandus promittitur adimpleret, juxta cor quidem Dei, et non juxta animam, faceret, dum consilium divinæ dispensationis, et non amoris præceptum operibus reddidisset. An non de dispensatione Dei illa mandata ejus fuerant, de quibus loquitur, dicens : *Dei eis mandata non bona* (*Ezech.* XX, 25)? Et cum Pharisæi de dando repudii libello cum ipsa veritate disputarent, audierunt : *Ad duritiam vestram dedit vobis legem Moyses* (*Matth.* XIX, 8). Quia itaque de dispensatione consilii ejus illa fuere, quisquis eisdem præceptis usus est, juxta cor quidem Domini, et non juxta animam fecit. Nam cordis et animæ præceptum illud est de quo dicitur : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* XV, 12). Quia hoc quod per consilium præcipit per amplexum charitatis apprehendit. Hinc item dicit : *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos* (*Luc.* VI, 27). Hinc item præcipit, dicens : *Quæ vultis ut faciant vobis homines, hæc facite eis.* Hæc itaque et hujusmodi cordis et animæ Dei præ-

cepta sunt, quia hoc revelatione ostenditur secreti ejus consilii quod in ejus conspectu suscipitur probatione charitatis. Sacerdos ergo fidelis per hoc indicium noscitur. Si videlicet juxta cor et animam ejus operatur, quia profecto tunc vere fidelis est, si non dispensationis ejus licentiam, sed præcepta sequatur amoris. Sed quia non frustra, sed ad lucrum subjectæ plebis eligitur, subdit, atque ait :

(Vers. 35.) *Et ædificabo ei domum fidelem.*

23. Domus namque sacerdotis est amplitudo in qua conversantur populi subjecti. Quæ profecto domus ei fidelis a Domino ædificatur, quia ad obedientiæ studium divina inspiratione erigitur. Infidelis namque domus est ea subditorum societas quæ boni rectoris quotidie prædicationem suscipit, cui tamen obedire per studium boni operis non intendit. Infidelis enim domus esse cognoscitur, quia verbi Dei pecunia quæ ei prædicatoris sui ministerio creditur per negligentiam prodigæ vitæ dissipatur, **92** et quod sibi ad negotii lucrum committitur nequaquam in tempore reddendæ rationis invenitur. Bono itaque prædicatori fidelis a Domino domus construitur cum ad obediendum voci ejus subjectæ plebis divinitus corda præparantur, ut non solum id quod in ea reconditur de verbi talento custodiat, sed lucro multiplici cumulatum ad mensam æternæ susceptionis ducat. Et notandum quia fidelis domus a Domino ædificari dicitur, ut de bona conversatione subjecti populi prædicator nequaquam inaniter glorietur. Notandum quoque quia sacerdotem fidelem sibi Dominus excitat, ut subjectorum corda hoc ipsum, quod optimo rectore reguntur, tribuere suis meritis non præsumant. Notandum etiam quod sacerdotem quem excitat Dominus dicit fidelem sibi, domum autem quam ei ædificat fidelem ipsi sacerdoti dicit futuram; quia profecto prædicator Deo obedientiam debet, subjectus prælato. Sed ante subjectum tunc recte prælatus graditur, si ad omnia dirigenda vitæ suæ itinera veritas ipsa videatur. Sequitur ergo :

(Vers. 35.) *Et ambulabit coram Christo meo omnibus diebus.*

24. Christus autem Domini Redemptor est generis humani. Qui nimirum, quia jam ad cœlos ascendisse creditur, a fidelibus suis nunc non oculis corporeis, sed mente, videtur. Coram ipso itaque omnibus diebus ambulat qui cogitatione subita nihil operatur. Nam ut rectos gressus foris ponat in opere, intus ad Christum respicit, quem per considerationem portat in corde. Sed quia adhuc reprobo pastori loquitur, subjungens, ait :

(Vers. 36.) *Futurum est autem ut quicunque remanserit de domo tua veniat ut oretur pro eo.*

25. Remansurus namque de ejus domo aliquis dicitur, quia magna pars illius moritura perhibetur. De domo namque reprobi pastoris remanet quem conscientia peccati a spe consequendæ veniæ non extinguit. Remanet ergo quia pondus conscientiæ per pœnitentiæ propositum lævigatur spe consequendæ vitæ. Qui profecto ut oretur pro eo venit, et ad Deum pœnitendo properat, a quo peccando recessit. Ut oretur itaque pro eo venit, quia qui indignum Deo se fecit, dignum intercessorem exigit, ut alienis precibus expietur, qui propriis mundari non posse cognoscitur. Unde et pie Jacobus admonet, dicens : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini* (*Jac.* v, 16). Hinc iterum : *Multum valet oratio justi assidua.* Sed pro eo oratio valet, qui dum se a peccati immunditia cohibet, ad Dei se similitudinem redigit, qua se peccando spoliavit. Unde et hic quoque subditur :

(Vers. 36.) *Ut offerat nummum argenteum.*

26. In nummo igitur imago Domini sculpitur, ut ejus esse cognoscatur a quo formari præcipitur. Nummus itaque Dei similitudo ejus accipitur. Unde in Genesi loquitur, dicens : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Genes.* I, 26). Et quia de sacro eloquio Dei imaginem et similitudinem ad quam redigamur agnoscimus, argenteus nummus esse perhibetur. Qui ergo a peccati via ut pro se oretur venit, nummum argenteum offerre debet, quia nihil ei prodest quod pœnitendo compungitur, nec quod flendo confitetur, si, inemendata et incorrepta, interius pulchritudine bonæ voluntatis, luce Dei imaginis nequaquam radiare cognoscitur. Imago etenim et similitudo Dei est inclyto odio malum odire, et amore perfecto Deum diligere. Unde et Propheta claritatem divinæ similitudinis ab humano genere periisse intuens, ad eum **93** qui cum inclyta reparationis nostræ luce de cœlo venit respicit, dicens : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem* (*Psal.* XLIV, 8). Hinc se jam de ejus contemplatione in perfectionis formam renovatum considerans, ait : *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi* (*Psal.* CXVIII, 113). Qui ergo de domo reprobi per confessionem venit, qui per humilitatem pro se orari Dominum petit, curet omnino necesse est ut nummum argenteum offerat, quatenus, sumpto splendore bonæ voluntatis, perfecte oderit malum quod fecit, et bonum integro amore diligat quod neglexerit. Unde et justi judicis examine propitiationis edicta promulgantur. *In quacunque die*, vel *hora*, ait, *peccator convertitur, vita vivet, et non morietur* (*Ezech.* XVIII, 21, 27). Conversio autem peccatoris non est in humilitate confessionis, sed in renovatione interioris hominis, cum peccatori, jam divina inspiratione correcto, et malum displicet quod amavit, et bonum placet quod odit. Nam sunt nonnulli qui se et de nequitia accusant criminis, et pravitatem non corrigunt voluntatis. Qui profecto converti ad Dominum non creduntur, quia vera conversio in ore non accipitur, sed in corde. Converti etenim simul verti est. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cum ad Creatoris nostri beneplacitum uterque noster homo reducitur, cum et caro nostra per iniquitatis odium cohibetur a perpetratione facinoris, et per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis. Sed quia nonnulli intra Ecclesiam sunt, qui tantum in vitæ suæ terminum ad pœnitentiæ satisfactionem veniunt, et judicio

Veritatis dicitur : [a] *Quacunque hora peccator convertitur, vivit*, a nonnullis valde quæri solet si statim vitam post carnis mortem inveniant qui magnæ vitæ tempore peccata perpetrant, et tantum in vitæ exitu se nequiter egisse accusant. Ad quod dicendum est quia ex vi conversionis magnitudo deletur criminis. Vis autem conversionis est affectio charitatis cordi infusæ visitatione sancti Spiritus. Et scriptum est de eodem Spiritu : [b] *Quia ipse remissio peccatorum est.* Nam cum electorum corda dignanter visitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat, quia ut se menti infuderit, eam protinus in peccatorum et vitiorum odia et in virtutum amorem ineffabiliter excitat. Facit eam statim odisse quod amabat, et quod odio habuerat ardenter diligere, atque in utroque valde ingemiscere, quia et mala quæ odit se damnabiliter amàsse recolit, et bona quæ diligit odisse. Quis enim audeat dicere, licet omnimoda peccatorum sarcina prægravetur, quod perire possit aliquis visitatus gratia Spiritus sancti? Quia ergo peccator nulla hora convertitur, nisi qua a sancto Spiritu illustratur, quid restat, nisi quia sicut peccati mortem exsecrando deserit, [c] ita vita justitiæ ad quam se desideranter convertit vivat? Qui statim post mortem in vita recipitur, si tantum amoris ignem recipit in conversione qui consumere in anima possit omnem congestam peccati rubiginem. Unde et de peccatrice muliere dicitur : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Hinc ab eadem Veritate in cruce pendente dicitur : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Ibid.*, XXIII, 43). In vitæ igitur exitu hi solummodo salubriter resipiscunt, qui et per internam visitationem perfecte bona diligunt, et mala oderunt quæ amaverant. Qui tamen si sufficienter pro admissis iniquitatibus dolere non possunt, nihilominus et isti in hora qua convertuntur vivunt. **94** Nam qui perfectionem bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. Unde et Paulus dicit : *Sic salvi fient, quasi per ignem* (*I Cor.* III, 15). Sed peccator, qui ibi salvari per ignem meruit, hic per afflictionem carnis adimpleat hoc quod sibi de vi amoris deesse cognoscit.

(Vers. 36.) *Et tortam panis.*

27. Panis namque nomine aliquando terrenæ delectationis refectio designatur. Quare et propheta Jeremias in appetitu sæculari corruptæ Judææ populum memorans, ait : *Omnis populus ejus gemens* (*Thren.* I, 11), *et quærens panem.* Panem itaque peccator conversus torquet cum præteritam delectationem cruciat per afflictionem pœnitentiæ. Panem namque torquere est carnem pro perpetrata delectatione affligere. Qui ergo sine tormento ignis ad salutem transire desiderat, cum nummo argenteo tortam panis offerat, ut qui per bonam voluntatem peccata deserit, ea nimirum valida carnis afflictione penitus exstinguat. Nummum namque argenteum offerebat, qui, recepta jam Dei similitudine, confitendo exsecrabatur quod fecerat, dicens : *Computruerunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII, 6). Et item : *Incurvatus sum, et humiliatus usquequaque.* Sed qui nummum argenteum sibi non sufficere ad oblationem timuit, panis tortam addere curavit. Nam confitetur, et dicit : *Rugiebam a gemitu cordis mei* (*Ibid.*, 9). Rugitus enim fletum magni doloris insinuat in afflictione pœnitentis. Hunc tortum panem argenteo nummo socians idem ipse loquitur, dicens : *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo* (*Ibid.*, 19). Pro peccato etenim cogitare est delectationi præteritæ dignam carnis afflictionem proponere. Offerendum ergo panem torquebat, qui et flagitia perpetrata pronuntians, qualiter ea delere posset cogitabat. Et quia de austeritate conversationis pœnitentibus subrepere aliquando solet cupido laudis, intentio vere conversi peccatoris insinuatur per hoc quod subditur :

(Vers. 36.) *Dicatque : Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem.*

28. Pars namque sacerdotalis uniuscujusque est in æterna vita retributio electi. Sacerdotes etenim Dei omnes electi ejus sunt, quia cui per oblationem ministerii sui incessanter serviunt sacra semper offerre munera non desistunt. Unde etiam illi in regno tripudiantes, dicunt : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes* (*Apoc.* V, 9, 10). Dicere ergo peccatori converso : *Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem*, est de austeritate vitæ et pœnitentiæ solam partem æternæ beatitudinis exspectare, ut videlicet securitatem delectationis inveniat, quam et perenni perfruitione possideat, et post se tortiones pœnitentiæ nunquam trahat. Quare et subditur :

(Vers. 36.) *Ut comedam buccellam panis.*

29. Si enim panis in sacro eloquio pro delectatione accipitur, buccella panis est indeficiens delectamentum æternæ vitæ. De quo nimirum oblectamento per prophetam dicitur : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis* (*Isai.*, LI, 3). Hinc item jam ad mensam non tortæ panis, sed buccellæ invitatos convivas intuens, ait : *Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et exsultationem obtinebunt* (*Ibid.*, XXXV, 10). Hinc Psalmista voce correpti pœnitentis pronuntians, dicit : *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis* **95** *me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem* (*Psal.* XV, 10). Viæ etenim vitæ sunt afflictiones pœnitentiæ, quibus nimirum a damnationis suæ barathro peccator ad supernam patriam ducitur, dum pro commissis iniquitatibus sponte cruciatur. Unde et

[a] Istorum verborum sensus reperitur etiam Ezech. XXXIII, 12.

[b] Nullibi hoc legitur conceptis verbis in Scriptura sacra. I Joan. II, 2, legimus : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Multa laudant sancti Patres quæ tantum memoriter proferunt.

[c] Gussanv., *in vita*, omisso *ita*.

cum correptum se esse peccatorem insinuat, præsumit, dicens : *Tu es, Domine, qui restituisti hæreditatem meam mihi* (*Psal.* xv, 5). Et item confidens, ait : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno* (*Ibid.*, 10). Viæ namque vitæ peccatori notæ fiunt quando afflictiones pœnitentiæ ei divinitus insinuantur, quando videlicet illuminata mente considerat quam vitæ amaritudinem singulis præteritæ culpæ delectationibus apponat. Qui nimirum cum vultu omnipotentis Dei jucunda lætitia adimpleri [a] gloriatur, quia de manifesta divinæ contemplationis satietate reficitur, et qui in læva vitæ præsentis ad tempus pœnitendo compungitur, in dextra æternæ vitæ usque in finem delectationibus satiatur. Qui ergo tortam panis obtulit, ad buccellæ comestionem perducitur, quia qui amore supernæ vitæ noxias delectationes cruciat, in discubitu æterni gaudii sibi perpetuam refectionem parat. Sequitur :

CAPUT IV.

(I Reg. III, 1.) *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli.*

1. Illud autem hoc in loco repetiisse ostenditur, quod de electo puero superius memoratur, ubi dicit : *Puer autem Samuel erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli.* Hoc quidem est ministrare Domino coram Heli, quod esse ministrum Domini ante faciem Heli. Et quia ibi istud, Domino adjuvante, plenius exposuimus, in iteranda ejus expositione penitus non moramur. Verum quia divinus sermo est, qui hoc in isto loco, et in illo loquitur, sine utilitate rationis nequaquam hoc egisse monstratur. Pro fastidio itaque lectoris explanationem tacemus, repetitionis vero causam dicimus ad ejus utilitatem. Quidam namque prælatorum sanctæ Ecclesiæ magisterio subditi rudes obediunt; sed cum paulo altius per conversationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam persistunt. Quos bene Agar Saræ ancilla spiritaliter designat, quæ cum de Abraham viro ejus concepisse se vidit, dominam despexerit (*Gen.* xvi, 5). Agar quippe concipit quando reproba mens subditi, aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per vitæ conversationem, credit. Quæ profecto prægnans dominam suam despexisse dicitur, quia jam præsidenti sibi præpositi sui voluntati per obedientiam subdi dedignatur. Sed quæ dominam despicit, ancilla esse perhibetur, quia superbi subjecti et infirmi sunt per elationem, et ad filiorum Dei numerum non pertingunt. Samuelis autem profectus exponitur, quia superius dictum est : *Puer autem Samuel proficiebat* [b] *et crescebat et placebat tam Deo quam hominibus* (*I Reg.* II, 18). Quæ profecto tria qua sublimitate conversationis percurrerit, supra expositum est. Quia ergo etiam nunc coram magistro ministrare memoratur, quid est, nisi quia electis auditoribus formam præbet, ut quo altiori vita proficiunt, servare bonum obedientiæ nunquam obliviscantur? Nam tunc vere A proficiunt, si ad altitudinem meritorum et fortitudine conantur operis, et virtute humilitatis.

2. Quo in loco est aliud quod notari debeat : **96** quia tunc Samuel coram Heli Domino ministrare ostenditur, quando ipse de filiorum negligentia a Domino objurgatur. Nonnulli namque subjecti, dum fortitudinis suæ modum considerant, prælatorum suorum malunt esse severi judices quam auditores pii. Qui nimirum quia exaggerare et discutere eorum vitas consueverunt, si in eorum conversatione vel levioris delicti maculas intuentur, subdi eorum præcepto obediendo renuunt. Sed vere fortes existerent, si majorum quæ infirma existimant humiliter sustinerent. Nam ante Deum ille magnus per meritum noscitur, qui ei in bono præcepto subjicitur qui ex B parte aliqua venerabilis non videtur. Ecce enim Heli aperta Dei sententia de negligentiæ suæ perpetrata culpa reprehenditur, sed puer Domini Samuel coram eo ministrare Domino memoratur, ut profecto apud se colligat qualis sit qui in leviori culpa sibi prælatum despicit, si ei se Samuel obediendo subdidit quem omnipotens Deus sui examinis tanta districtione reprobavit. Sed quia Heli non valde supra peccantes subditos honorasse reprehenditur, ipsæ sacrorum ordinum dignitates pensandæ sunt. Nam rector peccantem subditum nisi correptum honorare debet, subjectus autem nec tunc prælatum despicere, cum se justum et illum agnoverit peccatorem, quia æternus judex subditorum judicium sanctæ Ecclesiæ rectoribus tribuit, sed eosdem rectores discutiendos C suo examini reservavit. Hoc tamen ipsum rectoribus valde timendum est, quod Dei servantur examini, quia tanto subtiliores rationes vitæ et doctrinæ suæ parare debent, quanto sapientior est judex quem sustinent. Nec tantum ejus futurum judicium in futura vita, quasi in longinquo positum, timeant, ne qui ubique præsens est incautum feriat de vicino. Negligentes namque pastores ad evadendam futuræ vindictæ pœnam longa vitæ præsentis spatia ad pœnam cogitant; sed judex, qui ubique est, de vicino pœnitentiam irrogat, quia prius eis lumen contemplationis subtrahit, deinde ad tormenta per mortem rapit. Unde et de eodem Heli, qui de paulo inferius, fracta cervice, moritur, subjunctum est :

(Vers. 1.) *In diebus illis non erat visio manifesta.*

D 3. Nam dum rector agenda quæ novit despicit, agitur cum eo districto judicio, ut agenda non videat, quia implere noluit quod videbat. Manifesta namque visio negligentis pastoris non est, sed amantis. Unde et per seipsam Veritas dicit : *Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* xiv, 21). Claritas namque manifestæ visionis, est revelatio amatæ veritatis. Quæ profecto veritas si merito dilectionis ostenditur, iis qui torpent a bono opere dignissime occultatur, quia signum amoris non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis. Unde et in Evangelio Dominus

[a] Mendose legitur in omnibus nostris Editis *gloriantur.*

[b] Omittitur in Gussanv. *et crescebat et placebat tam Deo.*

præmisit, dicens : *Qui habet mandata mea, et facit ea, hic est qui me diligit* (*Ibid.*). Quia ergo de negligentia operis caligo incurritur internæ visionis, apte nimis, dum de contemptu mandatorum sacerdos arguitur, visio occultata memoratur. Sequitur :

(Vers. 1.) *Et sermo Domini erat pretiosus.*

4. Quantum ad sacræ historiæ veritatem pertinet, pretiosum pro raro posuit. Pretiosus itaque sermo erat, quia dum rarus esset qui summa contemplando cerneret, frequens esse non poterat qui bona loquendo prædicaret. Quod nunc quoque in sancta Ecclesia **97** fieri videmus, quia dum plerique de reverentia culminis gloriam affectant honoris, dum sacri ordinis ministeria negligunt, summa quæ videre nequeunt subjectis plebibus prædicare non possunt, atque in eorum familia pretiosus sermo esse cognoscitur, quia raro bonæ prædicationis hortamenta audiunt, quorum prælati ex desiderio non quærunt superna quæ dicant, sed terrena quæ agant. Quos profecto sacra Scriptura notat, quæ dicit : *Canes muti non valentes latrare* (*Isa.* LVI, 10). Non dixit non volentes, sed non valentes, quia certe dum mundi gloriam ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente et virtute diligunt, vellent populo sublimia dicere, ut etiam de sublimitate verbi possent gloriam habere. Canes ergo muti volentes latrare, non possunt, quia dum pravo corde terrena meditantur, occulta veritatis quæ proferant revelatione nulla comprehendunt. Sed quia quod pretiosum est magna cum diligentia custodiri solet, potest hoc quod dicitur : *Non erat visio manifesta*, ad carnalium prælatorum negligentiam referri.

5. Quod vero additur : *Et sermo Domini erat pretiosus*, ad bonorum ardens studium subditorum, cum fideles subjecti etsi non habent qui eis frequenter de thesauro sacri eloquii superna prædicet, hoc tantum quod aliquando scire potuerunt mira devotione complectuntur, et velut rem ineffabiliter pretiosam custodiunt, dum per bona opera in cœlo collocant, ubi fures qui id auferre valeant nequaquam appropinquant. Unde et in Evangelio de emptore bonæ margaritæ dicitur : *Inventa una pretiosa margarita, dedit, omnia sua et comparavit eam* (*Matth.* XIII, 46). Cum itaque in occultatæ visionis tempore pretiosus sermo esse describitur electorum, subditorum laudes nuntiantur, quia tanto sublimiori gloria prædicandi sunt, quanto id bonum, quod de eminentiori loco periit, perfectione magnæ charitatis in inferioribus remansit. Quorum profecto bona conversatione plerumque agitur, ut ea quæ occultata fuerat visio, manifestetur, ut qui devote custodiunt minima, scire debeant quæ faciant, et majora. Unde et subditur :

(Vers. 2-4.) *Factum est igitur in die quadam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. Et vocavit Dominus Samuelem.*

6. Samuel quippe puer a Domino vocatur quoties humilibus subjectis divini consilii arcana revelantur, et humilitatis suæ merito lumen contemplationis acquirunt, quod superbiæ suæ retributione elati prædicatores perdunt. Sed notandum quia id quadam die factum ostenditur, [a] qua videlicet Heli et in loco suo jacere, et videre non posse perhibetur. In die namque vocatur, qui pro sua et aliorum salute ad supernæ sapientiæ scienda secreta sustollitur. Quo contra et Salomon sapientiam in nocte percepit, ut caligo temporis indicaret quia eamdem sapientiam non perseveratus acciperet (*III Reg.* III, 5, 12). Quod intelligi et aliter potest, quia videlicet Heli caligo memoratur. Positione itaque diei, ejus ostenditur magnitudo cæcitatis, quia profecto magnas tenebras habuit, qui in die non vidit. Nunc quoque si ad Ecclesiæ statum respicimus, generalis gratia luminis est. Venit namque qui veræ claritatis radios spargens, diceret : *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris* (*Joan.* VIII, 12). Et **98** quia interni splendoris ejus gloria ineffabilis est, non dicitur de die isto, vel illo, sed die quadam : cujus profecto diei claritas non est; claritatis vero [*Nonne melius*, claritas est. Claritatis vero, etc.] magnitudo incognita. Magnas ergo tenebras Pastor sustinet, si is qui Ecclesiæ oculus esse per officium noscitur in gratia tantæ lucis visionem non habet. Quare et ejusdem oculi tenebras per semetipsam veritas magnas ostendit, dicens : *Ipsæ tenebræ quantæ erunt* (*Matth.* VI, 23) ? Sed jam unde sibi tanta caligo oriatur insinuat, quia dicit : *Jacebat in loco suo.* Locus namque prædicatoris standi, non jacendi, officium habet. Unde et de seipso Dominus formam [b] ejusdem prædicatoribus præbet, dicens : *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat* (*Luc.* XXII, 27). Stare enim in medio fratrum est per laboriosam conversationem se in exemplum minoribus præbere. Stare itaque ad laborem operis pertinet, et ad pugnæ necessitatem. Unde et agonotheta spiritualis certaminis præcipit, dicens : *State ergo succincti lumbos in veritate* (*Ephes.* VI, 14). Et quia jacere quiescentis est, in loco prælii et laboris quietis teporem sequi reprehenditur, qui in loco jacere memoratur. Stare etiam justi est. Unde et Paulus dicit : *Fide enim statis* (*II Cor.* I, 23). Jacere ergo etiam ad remissioris vitæ negligentiam pertinet. Tunc itaque Heli jacet in loco suo, cum per lapsum pravitatis reprobus prædicator requiescit in sede justi. Jacentis ergo in loco suo oculi caligant, quia summa videre nequeunt, qui in arce pastoralis culminis non exsequuntur virtutis opera, sed remissioris vitæ blanditiis immerguntur. Qui profecto lucerna Dei jam non veritate laudis, sed per improperium appellatur derisionis. Nam qui lucernæ Dei appellatione fungitur, et videre non posse perhibetur, deridetur potius tanto nomine quo censetur. Nam in vera justi laude dicitur : *Ipse erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V, 35). Nam veri luminis jubar quod

[a] Vatic., *quia videlicet Heli et in loco suo jacere.*

[b] Gilot., *eisdem.* Tolerari potest *ejusdem*, scilicet *loci.*

amando hauserat loquendo fundebat. Prædicator etiam carnalis dicitur lucerna per officium, cæca per intentionem, quia dignitate fungitur præbendi luminis, sed mentem figit in tenebris vanitatis.

7. Cujus profecto consummata perversitas designatur, quia non dicitur non videbat, sed videre non poterat. Quare et malæ arboris mentionem faciens Dominus, ait : *Non potest arbor mala fructus bonos facere* (*Matth.* VII, 18). Lucerna itaque Dei videri non potest, cum is qui pastorali dignitate præeminet tanta spissitate sæcularis amoris premitur, ut ad internæ claritatis intuitum nulla gratiæ inspiratione sublevetur; cum jam videlicet, justa Dei indignatione projectus, in caliginis suæ cæcitate relinquitur, ut ulterius per infusionem superni luminis nunquam visitetur. Bene autem dicitur : *Antequam exstingueretur.* Non videre enim pœna peccatoris est in hoc tamen adhuc sæculo viventis, videre autem non posse est mortui impii in alio jam sæculo æterna pœna damnati. Unde et conditoris judicio in exterioribus tenebris claudi præcipitur, ut videlicet ad lucis intuitum nunquam reducatur. Cum ergo antequam exstingueretur videre non posse dicitur in isto adhuc sæculo vivens prædicator reprobus, damnato jam in perpetuum impio in cæcitate similatur. Exstinguitur autem lucerna cum pastor moritur. Vel certe lucerna exstinguitur, quia cum reprobus prædicator per mortem carnis interit, quidquid in eo lucere videbatur, de gloria culminis amittit, et velut sola lucernæ testa sine lumine remanet, cum ad æternum judicium servari persona **99** cogitur, quæ omni penitus sæculi fulgore spoliatur. Antequam igitur exstinguatur lucerna Dei, videre non potest, quia et meritum futuræ damnationis per æternitatem suæ cæcitatis possidet, et tamen adhuc coram hominibus per splendorem acceptæ dignitatis fulget.

(Vers. 3.) *Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.*

8. Bene autem reprobus prælatus non dormire, sed jacere dicitur, puer autem subditus et electus non jacere, sed dormire, quia dormire aliquando in bonam partem accipitur, jacere autem fere semper in malam. Unde et Sponsa in Cantico canticorum dicit : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2). In somno itaque pueri perfecti uniuscujusque electi subditi a pravo opere requies designatur. In templo quippe et ubi est arca dormit, qui, in cœlesti desiderio atque in sacræ Scripturæ meditatione occupatus, ad ea quæ ad perversitatem pertinent non intendit. Quidam namque in templo dormiunt, sed in loco ubi est arca Dei non dormiunt, quia nonnulli simplices in cœlesti contemplatione per amorem requiescunt, sed sacri eloquii occulta meditari nesciunt. Samuel autem, qui non solum in templo, sed coram arca Dei dormire dicitur, eruditos pariter et electos subditos designat, quia dum amoris sui flammas de sacro eloquio frequentius meditando hauriunt, ad supernæ patriæ desiderium altius assumuntur, et velut intima templi ad somnum eligunt, dum eo longius separantur a publico terreni operis, quo secretius per meditationem reconduntur in sacrario internæ visionis.

(Vers. 4.) *Et vocavit Dominus Samuelem.*

9. Vocare etenim Dei per vim majoris gratiæ excitare est. Dormientem namque Dominus vocat, quia a terrena intentione quiescentes ad augmentum supernæ cognitionis excitat. Nam dum ad ea quæ foris sunt per sollicitudinem vigilamus, interna et spiritualia non sentimus. Repulsio itaque terrenæ curæ præparatio est nostra ad perceptionem supernæ gratiæ, quia in electis fit uberior infusio divini muneris, quo mens fuerit purior per custodiam internæ meditationis. Sequitur :

(Vers. 4-9.) *Et vocavit*, inquit, *Dominus Samuelem. Qui respondens, ait : Ecce ego, et cucurrit ad Heli, et dixit : Vocasti enim me, qui dixit : Non vocavi te, fili mi, revertere et dormi. Et abiit et dormivit. Et adjecit Dominus vocare rursum Samuelem. Consurgensque abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, fili, revertere et dormi. Porro Samuel non sciebat Dominum, neque revelatus ei fuerat sermo Domini. Et adjecit Dominus, et vocavit Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit igitur Heli quia Dominus vocaret puerum, et ait ad Samuelem : Vade et dormi, et si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

10. Quid est ergo quod omnipotens Deus vocationem suam tanta arte insinuat, ut vocati mens teneatur, ne se vocantem cognoscat; Deum audiens, magistrum hunc esse hominem putet; vocationem emittat, et causam taceat; ire ad magistrum sinat, toties ad somni quietem redire, et tamen dormientem quiescere non permittat? Nunquid enim qui ad secreta sua cognoscenda vocavit quem voluit, voce tantum Heli simili, et non potuit voce qua voluit; et qui quando voluit vocavit, causam vocationis **100** statim indicare non potuit; et qui excitare voluit, ut audiret, nisi per magistrum eum docere non potuit quemadmodum audire debuisset? Sed hac in re magna omnipotens Deus dispensatione utitur, ut profecto electorum corda duplici eruditione doceantur, quatenus et in superficie historiæ quod sequantur obedientiæ bonum quique subjecti videant, et prælati intueantur occulta mysteria, quæ ad lucem intelligentiæ discutiendo perducant. Sed quod primo loco dicendum arbitror, puer qui loquentem Dominum esse magistrum putavit vocem corpoream audivit. Non itaque per semetipsum Deus, sed [a] per evangelicum spiritum puero locutus est, quia qui non stringitur forma corporea, instrumento corporis non angustatur ad sonum vocis. Quod nimirum et puerili audientiæ convenit. Nam etsi magna sunt merita inchoantis subditi, quia tamen adhuc non in perfectione esse, sed in profectu conversationis agnoscitur, ad

[a] Forte legendum *per angelicum spiritum;* et paulo post : *Exteriorem itaque vocem per angelicum spiritum movit, sed*, etc.

eam locutionem qua omnipotens Deus per semetipsum loquitur non pertingit. Per se quidem omnipotens Deus, summus videlicet et incircumscriptus spiritus, magnis viris et spiritualibus spiritualiter loquitur, cum spirituali locutione eorum mentibus indicat, et agenda quæ agant, et loquenda quæ sciant. Exteriorem itaque vocem per evangelicum spiritum movit, sed gratiæ suæ præsentia Creator spiritus quæ voluit indicavit. Vocans itaque voce, dum Heli putatus est, cognitione latuit, ut ad magistrum puer curreret, et dum se non fuisse vocatum audiret, deceptus ostenderet in quanto culmine virtutis staret. Puer ergo humiliter homini subjectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, jussus rediit, quid aliud nobis exemplo præbet, nisi altissimæ formam obedientiæ?

11. Vera namque obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operatur. Nescit enim judicare quisquis perfecte didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat. Sed in tanta perfectæ conversationis ejus gloria vita nostra confunditur. Ecce etenim ad supernam patriam sub ducibus Christiani exercitus proficisci decrevimus, sed opera diversa etiamsi diversis temporibus jubemur agere, murmuramus. Quis enim sese a murmuratione compesceret, quis ab ira temperaret, si vocatum se bis et ter audiret, et tamen ex vocantis responso perciperet quia vocatus minime fuisset? Quam profecto desidiæ nostræ caliginem patimur, quia tantæ virtutis bonum qua præmii sui claritate respondeat non videmus. Unicum etenim bonum est ad recuperationem vitæ, si inobedientiæ culpa malum sufficiens fuit ad perpetrandam mortem. Si ergo in malo inobedientiæ mors prævaluit, toties vitæ reddimur, quoties obedimus. Puer itaque Samuel nec vocatus, nec repulsus offenditur, quia vocantis aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere noverat quod obedivit. Et quia surgere ad laborem, redire autem ad dormiendum pertinet ad quietem, quid insinuat, nisi quia utrumque nobis vitam præparat, si obedientis animus in eo quod agit nonnisi obedientiæ bonum pensat? Præceptum namque in hoc solo pensari debet, quod majoris præceptum est; et qui obedientiæ bonum exsequitur, non injunctum opus debet considerare, **101** sed fructum, quia ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, et exsecutio alienæ voluntatis. Unde et Paulus ait: *Circumcisio nihil prodest, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei* (*I Cor.* VII, 19). Jam ergo apud omnipotentem Deum nec ea quæ ad laborem, neque ea quæ ad quietem pertinent parva sunt, si æternam vitam parare obedientibus possunt. Quisquis ergo alieno imperio subjectus est hoc solum consideret, quia quod sibi secundum Deum injungitur valde magnum et excelsum in lucro est menti, quod vitam præparet in mercede retributionis. Quo contra inobedientes aspiciant quia primus humani generis parens a paradisi gaudiis nec furto, nec rapina, nec adulterio, nec homicidio, sed pomi vetiti inobedientia corruit (*Gen.* III, 6). Unde et apte colligitur quia si parva quæ videntur majorum imperia contempta ab internis gaudiis separant, etiam minima quæ perficiuntur vitam parant.

12. Operator itaque strenuus vitæ socialis, et communiter secum Deo servientium pius æmulator, si æterni meriti ampliorem retributionem per obedientiæ bonum adipisci desiderat, in hoc solo se cognoscat excellere, si præ cæteris arbitrio majoris propriam subdiderit voluntatem. Nam nec magna lucra jejunii, nec asperæ vitæ studia devotis Christi militibus in majorum præcepto valde pensanda sunt. Majoris etenim est meriti charitatis injuncta refectio jejunio propria deliberatione suscepto. Qui enim jussus carnem reficit, invitus jejunii præmium devotione promeruit, et ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquisivit. Vocavit ergo Deus puerum, sed voce magistro simili, ut profecto modum suæ locutionis indicaret. Causam vocationis tacuit, ut electus puer qua humilitate obedientiæ esset sublimis ostenderet. Ire ad præceptorem pertulit, ut devotionis suæ munus offerret. Redire ad somni quietem sinitur, ut profecto nec ea quæ sunt minima contemnamus. Iterato excitat, ut eum quem in forma electorum ponere volebat ostenderet, quia nec imperiorum instantia fatigaret. Per eum qui reprobandus erat audire quemadmodum debuisset didicit, ut profecto sciamus quia majorum imperia tunc etiam veneranda sunt, cum ipsi laudabilem non habent vitam, quia eorum doctrina, quæ prava operatione potest superbis vilescere, humiles auditores facit ad divinæ familiaritatis celsitudinem pervenire.

13. Sed quia sequitur: *Porro Samuel necdum sciebat Dominum*, et superius ministrare Domino perhibetur, valde contrarium videtur esse quod dicitur, quia nescire non poterat cui ministrabat. Quis enim ei serviat quem ignorat? Sed profecto per id quod subjunctum est liquet id quod sonat contrarium, qua intelligi convenientia rationis debeat. *Neque revelatus ei fuerat sermo Domini.* Per quod nimirum datur intelligi quia quem amore et ministerio noverat, sermonis ejus revelatione nesciebat. Nondum enim sic vocantem audierat, quem se cognovisse et devotione ministerii et virtute testabatur amoris. Sed in conversatione fidelium convenienter accipitur; nam plerique sub aliena institutione bene proficiunt, qui novitatis suæ tempore omnipotenti Deo ministeria persolvunt, et tamen puritate contemplationis ad internæ pulchritudinis ejus speciem non pertingunt. Qui cum subjectionis suæ merito etiam donum divinæ contemplationis accipiunt, et experientia internæ visionis **102** intelligunt quia sic nondum sciebant cui ministrabant. Quod bene Jacob, ad accipiendam conjugem proficiscens, designat, qui post laborem itineris per soporem quietis Dominum vidit, sed a somno evigilans,

ait : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam* (*Gen.* XXVIII, 16). Neque enim illic esse Dominum antequam dormiret dubitare poterat, qui esse hunc ubique sentiebat ; sed quia tunc eum perfectius didicit, ignorasse se illum perhibuit cum familiarius non agnovit. Via namque qua ad conjugem pergitur intentio devotæ obedientiæ est, qua fecunditas internæ charitatis consequi desideratur. Jacob itaque dormit in via, cum fidelis subjectus, maligni spiritus supplantator, per laborem obedientiæ ad quietem suscipitur internæ visionis. Qui profecto tunc Dominum se agnovisse fatebitur, quia dum eam ad quam noviter est assumptus internæ lucis miratur speciem, quantum ante nescierit experientia revelatæ pulchritudinis agnoscit. Fide etenim, velut fama, Deum cognoscimus, amore autem contemplationis is qui fama innotuit nobis velut ex ostensione præsentiæ revelatur. Bene autem per obedientiam proficiscens subditus, dum ad contemplationis altitudinem ducitur, dudum ignorasse Dominum perhibetur, quia is quasi ex præsentiæ veritate invenitur, qui fama velut incognitus, et non præsentia velut cognitus, ante videbatur.

14. Sed quia separatim dicitur : *Nondum sciebat Dominum, neque revelatus ei fuerat sermo Domini*, potest subtilius intelligi. Nam in una eademque interna Dei contemplatione et mira charitas contemplanti infunditur de fructu tantæ gloriæ, et stupor magnus in secreti verbi revelatione. Quidam ergo Dominum sciunt, et sermonis ejus revelationem percipiunt, quia et mira dulcedine replentur, ex ea quam ex consuetudine hauriunt infusione tantæ charitatis, et magna eruditiuntur sapientia revelatione verbi. A nonnullis vero scitur Dominus, quibus sermo Domini nequaquam revelatur; quia simplices quique, sed magna conversatione perfecti viri, de contemplationis divinæ gloria ineffabilem quidem amoris dulcedinem contemplando percipiunt, sed tamen ad revelati verbi ejus altitudinem non pertingunt, quia ad amantium ordinem assumpti sunt, non ad celsitudinem prædicationis. Revelatur quidem ei verbum, ut ametur ; et ne prædicetur, absconditur. Bene autem de eo qui ad ministerium prædicationis elevatur dicitur : *Nondum sciebat Dominum, neque revelatus ei fuerat sermo Domini*, ut dum ea quæ nondum habet rudis insinuat quibus bonis ditari prædicator debeat patenter ostendat. Nam qui illam intimi amoris virtutem nondum percepit, profecto omnipotentem Dominum, quem fide velut fama novit, præsentia illius magna charitatis nescit. Et si ardenter diligit, et arcana mysteriorum discutere per spiritum nondum novit, jam quidem Dominum cognoscit, sed ad sermonis ejus revelationem non pervenit. De obediente autem puero statim subditur :

(Vers. 9.) *Abiit ergo Samuel, et dormivit.*

15. Jam quippe ad divinæ locutionis notitiam puer instructus mittitur, cum electus subditus majoris consilio ad spiritalia cognoscenda præparatur. Et dormire quidem ei est in desiderio æternæ vitæ quiescere, cum videlicet animæ jam sola superna sitienti cuncta præsentia in dedignatione sunt, ut quo studiosius ab intentione sua corporeum omne **103** repellitur, amore invisibilium abundantius repleatur. Et notandum quia jam quater ad somni quietem redire præcipitur, quia dum negligenter utimur isto sæculo circa visibilia, opere, locutione et cogitatione vigilamus. Ter ergo dormire præcipimur, ut ad cognitionem supernorum per quietem operis, oris silentium et cogitationum superfluarum abjectionem præparemur. Quarto autem loco ad somnum mittimur cum majorum nostrorum licentia ab utili etiam ministerio cessare præcipimur, ut dum nulla præpedimur cura sollicitudinis, totam se mens colligat ad intuitum supernæ visionis.

16. Et notandum quia quiescentem puerum, nesciente Heli, Dominus excitat, sed tamen excitato, nisi eodem Heli præcipiente, vocationis suæ causam nequaquam manifestat, quia electos subditos occulta inspiratione ad supernæ patriæ desiderium erigit, sed per quietem vocare eos ad eam quam diligunt patriam sine majorum licentia non permittit. Quia ergo quoties vocatur puer, toties ire ad magistrum sinitur, quid est aliud, nisi quia ipsa divinitus inspirata subjectorum desideria majorum judicio submittuntur? Opus namque subjecti divinitus inspiratum tunc Deo gratum esse cognoscitur, si majoris imperio aut permissione peragatur. Quater ergo vocatur puer a Domino, quater somni quies præcipitur a magistro, quia ad temperamentum operis, silentium oris, abjectionem internæ sollicitudinis, cessationem ministerii, pro amore secretioris vitæ per divinam inspirationem succendimur, et tamen amoris nostri desideria adimplere sine majorum nostrorum permissione prohibemur. Vocat itaque Dominus, et vocationis causam tacet, ut permittente magistro semetipsum vocato subjecto insinuet. Nam qui non jusso audire postquam vocavit siluit, ubi doctor homo præcepit, vocans Deus vocationis causam indicavit. Sequitur enim :

(Vers. 9-11.) *Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo. Et venit Dominus, et stetit ; et vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel. Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Et ait Dominus ad eum.*

17. Quibus profecto verbis, quia de incorporea et invisibili divina substantia illud dicitur quod ad cor- pus pertinere cognoscitur, necesse est ut rationabiliter intelligatur. Nam quo veniat qui ubique est? quo pacto stare et loqui dicitur qui corporea substantia non formatur? Sed in illa omnia dictante substantia ponuntur verba inopiæ nostræ, per quæ surgere valeamus ad cognoscenda mysteria operationis suæ. Nam venire Domino est præsentia gratiæ suæ corda electorum tangere, stare ejus est, manenti ejusdem gratiæ suæ dono eas quas tangit mentes inconcessæ gratiæ suæ dono retinere. Vocare autem ejus est electam mentem ad augmentum majoris gratiæ excitare. Venit namque Dominus, et non stat, cum corda negligentium tanguntur per gratiam, et tamen in affectu et amore tangentis gratiæ nequaquam perseverant.

Velut enim præsens est veniens, et non stans recedens, cum ex præsenti tactu divinæ gratiæ repente bona facere proponunt, et statim derelicti, ejusdem boni propositi intentionem deserunt. Quod si ad vim contemplationis refertur, venit et stat Dominus cum electorum corda et repente per gratiam tangit, et tacta repente non deserit, ut veniendo visitet, stando confirmet, et qui ad gaudium sibi dilectæ mentis ostenditur, non recedat ipse prius **104** quam illa vivendo satietur. Sed quia stare dicitur, discessurus quandoque designatur, quia etsi aliquando electas animas in sua revelatione per aliquantulam moram satiat, præsentiæ suæ dulcedinem subtrahit, ut subtractam ardentius concupiscant. Venit ergo Dominus visitans, stat suaviter se demonstrans, vocat ad amorem ostensæ suæ gloriæ per ardentissimum desiderium excitans. Unde et toties excitatus puer repetito nomine. Vocatur, quia vocatio ex nomine designat affectum magnæ charitatis et familiaritatis. Unde et Moysi loquitur, dicens : *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII, 12, 17). Vocati igitur nomen iteratur, cum in magnam jam familiaritatem internæ Majestatis mens videntis excipitur, et ferentibus desideriis ad amorem se vocantis elevatur, ut præter id quod audit nil libeat, atque in lætitia auditus sui immorari perpetuo concupiscat. Unde et hic aperte subjungitur : *Ait ergo Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Qui ergo *loquere* posuit, ex necessitate conclusit. Quasi enim verbis apertioribus dicat : Ego respondi *Loquere*, qui aliter respondere non potui. Nam quid aliud desiderare potest mens in illo gaudio loquentis Majestatis assumpta ? Dicere enim menti Deo *Loquere*, illam ineffabiliter dulcem locutionem semper audire, desiderare est. Dicit ergo *Loquere*, qui vellet ut nunquam taceret. Unde et subditur *quia audit servus tuus.* Quasi dicat : quia hoc quod experientia interni affectus excipio æterna frui perceptione concupisco. Petit ergo ut loquatur, qui hunc nunquam in internis suis affectibus silere desiderat, ne qui tam sublimi exsultatione Domino loquente sustollitur, ad proferendas damnatæ humanitatis angustias, eo tacente, deponatur. Nam si a corruptionis nostræ tenebris, ipso loquente, assumimur, cum nobis per subtractionem gratiæ tacet, eisdem tenebris subjugamur. Merito igitur tanto subvectus culmine Domino dicit *Loquere*, quia eo interni auditus gaudio sibi complacet, quo in exterioribus suis nihil placet ; et manere cum colloquente secum tanto ardentius cuperet, quanto ad infirma sua libentius nunquam deponi voluisset.

18. Etiam, auctore Deo, cum Domino dicimus *loquere*, ipso donante dicimus, sed tamen quo affectu id ei perfectiores electi dicant dicere non valemus, quia quod desiderii est ineffabilis non exprimitur locutione rationis. Quem profecto affectum bene Petrus insinuat, qui cum transformato Domino in monte assisteret, refulgentemque faciem ejus sicut sol cerneret, et ad instar nivis albentia vestimenta ejus conspexisset, ait : *Bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Heliæ unum* (*Matth.* XVII, 4; *Luc.* IX, 33). Qui enim dicit : *Bonum est nos hic esse*, si posset, ab illa visione tantæ gloriæ nunquam deponi voluisset. Dum enim dicit Petrus, *Domine, bonum est nos hic esse*, et Samuel dicit : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*, voces quidem diversæ sunt, affectiones æquales. Hoc enim significat Petrus in monte, transfigurato Domino, quod Samuel a veniente, a stante, et stante Domino secundo vocatur. Sed etsi quasi nesciens Petrus quid diceret ab evangelista reprehenditur, huic tamen sensui contrarium non videtur. Evangelista quippe non affectum Petri, sed rationem reprehendit, quia cum Domino assumptus in gloria seorsum, sic esse semper cupiebat, et pro redemptione communi eum ad ignominiam crucis descendere nolebat. Nesciebat ergo quid diceret, sed ardenter quod videbat amabat, quia **105** profecto tantum bonum videbat, quod sic non amari nullatenus poterat. Unde etsi juste Petrus reprehenditur, ei tamen rationabiliter indulgetur, quia amore tantæ Majestatis per fruitionem vincebatur. Verumtamen cum de dicendi ignorantia Petrus arguitur, ejusdem ignorantiæ causa memoratur. Nam subdens evangelista, ait : *Erant enim timore exterriti.* Illa enim internæ Majestatis ineffabilis pulchritudo electam mentem cui se delectabiliter ostendit aliquando mirabili pavore concutit, ne de visionis magnitudine ad elationem prosiliat, si eam quam blanda contemplatio ad tam summa evehit provector suus spiritus timoris moderamine non refrenat. In una quidem et eadem revelatæ gloriæ visione, et bonitas Redemptoris aspicitur ineffabiliter blandiens, et æquitas illius ineffabiliter terrens, ut quo videntis animus de respectu Dei bonitate dulcius pascitur, consideratione æquitatis territus caveat, ne inaniter satietur. Unde et Samuel, cum ad divinæ locutionis familiaritatem sustollitur, ei non læta de electorum profectu, sed de [a] magnorum defectu terribilia nuntiantur. Nam subditur :

(Vers. 11.) *Et ait Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus.*

19. Inter dona quippe sublimia electa mens eo cautius ab elatione compescitur, quo per omnipotentis Dei justitiam etiam illos repulsos aspicit, qui donis sublimioribus fulti esse videbantur. Quare et de verbo quod facturum se esse Dominus minatur, tinnire aures audientium prædicuntur. Aures quippe corporis tinniunt, quando intolerabili sonitu impetuntur. Nam cum ultra auditus capacitatem ei clamor infunditur, hunc quem officii angustia sonitum rejicit, in tinnitum convertit, quia dum per aurium antra vox sibilat, quæ infusa simul, ad interiora non intrat. Ad aures vero mentium intolerabilis clamor est alicujus magni repulsio prædicatoris. Clamoris ergo effusi magnitudo non capitur, quia dum sublimia dona prædicatori reprobo concessa recoluntur, quo divinæ æquitatis examine projicitur ignoratur.

[a] Gilot. *terribiliter nuntiantur.*

in tinnitum ergo aurium effusæ vocis magnitudo convertitur, quia etsi quo Dei judicio fiat, mentis intentione non capitur, dum diu per considerationem pensatur, corda consideratione timore consternantur. Velut enim de clauso magnæ vocis sonitu aures tinniunt, quando de diu considerata magnorum virorum reprobatione justorum corda pertimescunt. Sed ambæ aures tinnire referuntur, dextera videlicet et sinistra. Et quia per dexteram æterna vita, per sinistram vero præsens designatur, et per aurem ea quæ dicuntur audimus, quid per sinistram aurem nisi intentionem piæ operationis, et quid per aurem dexteram nisi intentionem supernæ visionis accipimus? Ambæ itaque audientis aures tinnient, quia cum summorum virorum ruina ostenditur, electorum intentio utraque turbatur, quia et paventi corde ad contemplanda æterna se erigunt, et sine ingenti formidine temporalia non disponunt. Hunc namque aurium tinnitum passus fuerat, qui Domino loquebatur, dicens : *Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa* (*Psal.* xxxv, 7). Montes quippe Dei summi et electi viri intelliguntur. Quibus profecto montibus Dei justitia æquatur, cum ardua ejus mandata opere perficiunt, sed tamen divina judicia abyssus multa sunt, quia etsi in sanctorum virorum oculis recta sunt ea **106** quæ agunt, ante omnipotentis Dei oculos qualia sunt scire non possunt. Unde et bona quæ prævalent incessanter agunt, et super se tonantem illam judiciorum abyssum pertimescunt, quia de facto Domini verbo quod audiunt tinnitu magni terroris eorum corda quatiuntur. Apte autem non nisi audientium aures tinnire prædicuntur. Nam et in Evangelio hoc admonet, dicens : *Qui habet aures audiendi audiat* (*Luc.* viii, 8). Qui enim tota intentione ad ea quæ foris sunt vigilant, hunc timoris tinnitum nesciunt, quia super se divinorum judiciorum altitudinem nequaquam pensant. Sed ecce qui subtilia Dei judicia super se pensare noluit, de eo judiciorum sententiæ quam acutæ replicantur. Nam subdens dicit :

(Vers. 13 et 14.) *Prædixi enim quod judicaturus essem domum ejus usque in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat filios suos indigne agere, et non corripuit eos. Idcirco juravi domui Heli quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus in æternum.*

20. Quia enim plerumque justæ severitatis sententia per clementiam temperatur, magnæ districtionis hoc judicium est, ubi animadversionis sententia replicando asseritur. Prædixit enim superius Heli, cum per virum Dei, suppresso nomine, dejectionis ejus sententiam nuntiavit. Quia vero et nunc idem se acturum jurat, profecto damnationis judicium replicat. Qua in re etiam notandum est quia qui inique agentes filios non corripuit, iniquitatem fecisse reprehenditur quæ in æternum victimis et muneribus nequaquam expietur. Quæ ergo erit districtio iniquitatis propriæ, si irremediabilis culpa est negligentia curæ alienæ? Nam si subditorum peccata incorrepta perenni reatu nos obligant, audacia iniquitatis propriæ quibus nos pœnis ligat? Merito ergo audientis aures tinniunt, quia nimirum electorum mentes, quæ hoc attente considerant, de tanta districtione contremiscunt. Merito audientis hoc aures tinniunt, quia profecto immensitatem clamoris habet, quam electa corda vix sustinent. Et dextera quidem audientis auris tinnit, quia etsi perfectionis suæ merito se quisque ad superna contemplanda erigit, tamen de vitæ suæ celsitudine non confidit. Sinistra etiam auris tinnit, quia etsi dono scientiæ habet, ut temporalia quis perfecte ordinet, tamen de perfectione ministerii sui fiduciam nullam habet. Inter dona quippe sublimia verbum audiunt, de cujus clamore auris utraque tinnitum patitur, sub quo, donec ista incertitudinis vita ducitur, pavere non desinit. Unde et apte subjungitur :

(Vers. 15.) *Dormivit Samuel usque mane.*

21. Usque mane enim dormit qui quousque venturi Redemptori splendor appareat in incœptæ bonæ operationis conversatione requiescit. Usque mane dormit, qui tota præsentis vitæ nocte per propositum inchoatæ justitiæ exspectat, ut ad gaudium emeritæ retributionis claritas sibi promissi Redemptoris effulgeat. Verbum enim promissum in Israel audivit, de quo aures ejus tinnire non desinunt, quia de conspecta districtione divinæ justitiæ timoris spiritum hausit, sub cujus pondere ad sæculi amorem evigilare non poterit. Sed fortasse usque mane dormire dicitur, pro tinnitu auris dexteræ. Nam dextera auris tinnit, quia dum perfectus interioris vitæ amator de perfectione contemplationis dubitat, magis ac magis proficere in ea qua cœpit vitæ sublimitate appetit. Sed quandiu in hac **107** mortali carne sumus, maligni spiritus ad summa tendentibus insidiantur; et ut eos ab internæ gloriæ visione retrahant, ineptarum cogitationum figmenta congregant, quæ internis eorum oculis proponant. Bene itaque dicitur : *Dormivit Samuel usque mane.* Tentatio immundorum spirituum nox est; qui vero usque mane dormit oculos tota nocte non aperit. Dormit ergo in nocte qui figmenta dæmonum dedignatur aspicere in tentatione. Tota nocte etiam dormit, quia caligine tentationis non vincitur, sed viriliter sustinet, donec per adventum gratiæ claritatis supernæ luce visitetur. Et tunc profecto velut mane evigilat, quia oblectamento refusi sibi post tenebras luminis hilarescit. Quasi evigilans quippe tunc oculos aperit, quia lucem qua respergitur lætanter aspicit, qui aspicere sibi illatas tenebras non curavit. De tinnitu quidem dexteræ auris obtinet ut qui supernis initiitur videre reproba dedignetur, et certitudinem sui profectus insinuat, dum quod pace proficit per aperta et violenta bella non perdit. Sequitur :

(Vers. 15.) *Et timuit indicare visionem Heli.*

22. Illud namque ei indicare timuit quod sibi Dominus ostendit, ut temeritatem humanæ audaciæ refrenaret vigore disciplinæ. Quidam namque adeo sunt præcipites, ut ad prælatorum suorum reprehensionem facile proruant, atque eorum erratibus

minari futura supplicia non pavescant. Qui nimirum, quia sanctæ Scripturæ morem nesciunt, loquentem sibi Dominum nequaquam audierunt. Nam quibus omnipotens Deus loquens prælatorum suorum pœnas insinuat, ea quæ audierunt eis dicere formidant. Hinc ergo præpositorum suorum reprehensores colligant quanta se inconsideratione præcipitent, et lapsus sui profunda pertimescant. Si enim ii quibus omnipotens Deus loquitur prælatis suis loqui metuunt, ii quibus nequaquam locutus est Deus recondere se sub linguæ suæ silentio quanto terrore debuerunt? Timor ergo Samuelis non pavorem servilem insinuat, sed reverentiam debitam culmini pastorali. Nam etsi negligens prædicator reprehensionem et minas ex reatu meretur proprio, timorem reverentiæ exigit ejus ordinis celsitudo. Sequitur:

(Vers. 15.) *Aperuitque ostia domus Domini.*

23. Quidnam est quod is qui loqui timuit, domus Domini ostia reseravit, nisi quia obedire non erubuit, qui indicare tristia expavit? Nam superius dictum est: *Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.* Puer enim, qui in templo Domini dormisse et nunc ejusdem aperire ostia dicitur, injunctum ministerium habuisse ostenditur, ut horis congruentibus aperiret ostia, et obseraret. Qui ergo visionem indicare expavit, et ostia domus Domini aperuit, reverentiam magistro dupliciter impendit, videlicet cura ministerii, et custodia locutionis. Quam profecto loquendi custodiam quam districte tenuisset ostenditur, si ea quæ sequuntur subtiliter attendantur. Nam repente subinfertur:

(Vers. 16-18.) *Venit ergo Heli ad Samuelem, et dixit: Samuel fili mi. Qui respondit: Præsto sum. Et interrogavit eum: Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te: oro, ne celaveris mihi. Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus quæ dicta sunt tibi. Indicavit ergo ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo.*

24. Qui enim tanta imprecationis instantia ad loquendum **108** coactus asseritur, magna districtione silentii obligatus fuisse declaratur. Et quia non tam pro custodia puritatis quam obstinatione proterviæ quidam tacere subjecti solent, Samuel electi subditi formam ostendit, qui reverenter tacuit, sed tacere loqui jussus expavit. Itaque gemina luce conversationis enituit, dum qui filialis timoris virtute siluit, loquendi utilitatem loquendo conquisivit. Sequitur:

(Vers. 18.) *Et ille respondit: Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.*

25. Qui simplicius quam debet istam Heli responsionem considerat, tam recte hunc respondisse quam humiliter putat. Nam sicut auditur exterius, quid humilius respondisse potuit, qui reprobationem suam audivit, et minanti Deo, imo reprobationis suæ sententiam promulganti, quidquid de se facere vellet obtulit? Sed profecto ista responsionis humilitas si subtiliter inspiciatur, vera humilitas non est. Vera namque esse cognoscitur quæ bonum obedientiæ in majoris imperia consequenda comitatur. Vere itaque esset humilis, si sese ad emendationem culpæ pro qua arguebatur obtulisset. Sed et fortasse verius esset humilis, si reprehensus nequaquam responderet, sed neglectam correptionem scelestis filiis adhiberet, si vel tunc pastorali zelo insisteret, et flagitiosorum sacerdotum scelera digna ultione vindicaret. Dum ergo dicit: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat,* electionis suæ verbum apertius protulisse cognoscitur quam responsionem humilitatis, quia nimirum potius elegit minarum Dei causas incurrere quam de perpetratis iniquitatibus filios condemnare. O quanti sunt adhuc imitatores Heli, qui cum minantem sibi omnipotentem Deum quotidie de sacro eloquio sentiant, et tamen hominibus displicere trepidant, et divinæ indignationis minas incurrere non formidant, et dum inimicitias hominum, velut implacabiles metuunt, de Dei misericordia etiam peccando confidunt!

26. Sed inordinata fiducia apud omnipotentem Deum vindictæ locum habere potest, indulgentiam vero obtinere non potest. Incorrepto enim peccatori, et in culpæ suæ proposito perduranti, quid est de minanti sibi Deo dicere: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat,* nisi de ordinatissima Dei misericordia inordinate confidere? De omnipotentis etenim Dei misericordia ordinate confidit qui hoc quod peccando delinquit pœnitendo corrigit, flendo tergit. Peccare ergo, et de Dei Creatoris clementia præsumere, pelago justitiæ ejus exponi est. Sic nimirum peccata perpetrata non tergere pœnitendo, et de Dei misericordia præsumere, in judicium districtionis ejus offendere est. Dum ergo Heli vita in reproborum prædicatorum forma describitur, non solum culpa lapsus ostenditur, sed etiam culpæ in præcipitatione securitas. Nam qui timore pœnitentiæ divinæ indignationis magnitudinem placare potuit, dum neglexit quod audivit, incurrit quod meruit.

27. Omnipotens enim Deus, etsi æquitate justus est, abundantior tamen creditur miseratione pius. Unde et per Prophetam dicitur: *Miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV, 9). Hinc est id quod per Jonam prophetam Ninivitis minas subversionis protulit, et tamen pœnam evertendæ civitatis pœnitentibus indulsit (*Joan.* III, 1, 2, *seq.*). Hinc est enim quod Ezechiæ regi (*IV Reg.* XX, 1, *seq.*) per prophetæ oraculum mortis pœna promittitur (*Isa.* XXXVIII, 1, *seq.*), sed quia rex, mori metuens, coram Domino se **109** pœnitentiæ lacrymis afflixit, mortem, qua moreretur, apud eum, quem timuit, non invenit. Et supra quidem se [a] Dominus locutum fuisse asseruit, ut domus Heli et patris ejus in conspectu suo usque in sempiternum ministraret, sed qui de bono agente, bona locutus fuerat, de domo re-

[a] Gilot. et Vatic., *se Dominum locutum fuisse asseruit.*

proba jam effecta sententiam permutavit, dicens: *Nunc autem absit hoc a me* (*I Reg.* II, 30). Si ergo bona promissa revocat omnipotens Deus, quia ii quibus promiserat male permutantur, quanto magis minarum effectus retrahit, cum bene conversos eos aspicit quibus pro admissis iniquitatibus pœnam animadversionis intimavit? Quid ergo ad hæc dicimus, qui quotidie delinquimus, atque in reatus nostri obligatione securi sumus? Hoc igitur ipsum, quod districtionem divinæ justitiæ non tenemus, nobis valde timendum est, quia ecce qui divina indignatione projicitur pro culpa perpetratæ negligentiæ nullo timore sollicitus fuisse perhibetur. Sed quia ad timorem reprobi prædicatoris repulsionem novimus, electi profectum audiamus. Nam sequitur :

(Vers. 19.) *Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo.*

28. Hoc profecto si ad historiam legitur, crevisse puer Samuel ætate corporis designatur; si vero ut cætera spiritali investigatione ista perquirimus, cum eo Dominus esse describitur, qui crevisse memoratur. Crescit autem qui in virum perfectum mentis ætate proficit. Unde et per Prophetam de electis proficientibus dicitur : *Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII, 8). Hinc Paulus ait : *Donec occurramus ei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13). Verum nonnulli sunt qui dum virtutibus crescunt, elatione corruunt. Hi nimirum crescere videntur, sed tamen cum eis Dominus non est, quia a se eum, alta sentiendo de se, ejiciunt, quem in profectu virtutum positi per humilitatem secum habere potuerunt. Vel si per exteriorem dignitatem crevisse intelligitur, Dominus cum eo esse memoratur, quia profecto plerique in humiliori ordine religiosi sunt; sed cum subito ad culmen dignitatis pervenerint, prima opera cum humilitate derelinquunt. Samuel igitur et proficit, et proficiens Dominum secum habuit, ut profecto electorum prædicatorum morem præferret, qui cum dona, et dignitates, quibus prosint aliis, assequuntur, de semetipsis placere Deo non negligunt, et ex eo illa quæ pro aliis acceperunt dona multiplicant, unde in semetipsis ostendunt bonum, quod in eis loquendo propagare concupiscunt. Quare et subditur :

(Vers. 19.) *Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.*

29. In terra quippe verbum prædicatoris cadit, cum ex reproba prædicatoris conversatione vilescit. Unde et Veritatis voce dicitur : *Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus* (*Matth.* v, 13). Et notandum quia ex omnibus verbis ejus non cecidisse in terram dicitur, ut profecto prædicatori nihil agere liceat quod licet reprobare. Nam quidquid agi prohibet, is profecto si agit, verbum in terram cadit, quia dum a loquente contemnitur, hoc audientes nequaquam venerantur. Verbum namque aliquod in terram cadere prohibebat Dominus, cum negligentibus prædicatoribus negligentiæ suæ verbum exponebat, dicens : *Quicunque solverit unum ex mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Ibid.* v, 19). Mandatum namque nec minimum **110** prædicator solvit, cujus verbum ex verbis omnibus in terram non cadit. Dum autem ex omnibus verbis Samuelis verbum in terram non cecidisse dicitur, cujus mores insinuat Samuel, nisi qui merito et prædicationis et operis magni sunt in regno cœlorum? Itaque ex omnibus verbis ejus in terram non cadit, quia omne quod altum sanctæ Ecclesiæ perfectus prædicator loquitur, ab eo etiam sublimi prædicatur conversatione, cum, velut in ardua specula positus, et sapientes verbo erudit, et simplicibus iter, per quod ad æternam patriam ingredi debeant, operibus ostendit. Unde et subditur :

(Vers. 20.) *Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.*

30. Quid enim per Dan nisi simplices, et quid per Bersabee nisi sapientes designantur? A Dan usque Bersabee fidelis Samuel propheta Domini recognoscitur, quando electi prædicatoris vita simplicibus ad salutis exemplum proponitur, et sapientibus per doctrinam ejus sanctæ Scripturæ arcana revelantur. Quia vero Bersabee puteus septimus interpretatur, possunt per Bersabee non solum sapientes, sed etiam justi designari. Puteus enim septimus quid est, nisi gratia Spiritus septiformis? Per Dan peccatorum vita ostenditur, quia per veterem prophetam dicitur : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulam equi, ut cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX, 17). A Dan itaque usque Bersabee Samuel Domini propheta cognoscitur, dum electi prædicatoris vita, atque doctrina, peccatoribus est venerabilis, et justis, ut in eo videlicet et lapsi bonum videant, in quo se pœnitendo corrigant, et boni mirentur vitæ celsitudinem, ad quam quotidie proficiendo convalescant. Sequitur :

(Vers. 21.) *Et addidit Dominus ut appareret in Silo.*

31. Superius de tempore reprobi pastoris dicitur : *In diebus illis non erat visio manifesta.* Cum itaque ex sacro eloquio optimus prædicator ostenditur, apparere iterum Dominus perhibetur, quia nimirum cognitio divini consilii, quæ absconditur reprobis, puritatis merito revelatur electis. Si enim et hominum consilia nisi familiaribus non creduntur, omnipotens Deus secreta suæ dispositionis æstimandus est suis patefacere inimicis? Prius ergo justi doctoris vita prædicatur, deinde addidisse ut appareret Dominus dicitur, quia profecto divinæ lucis ostensio reprobos et fictos fugit, quæ se electis, et mundis cordibus aperit. Unde et per semetipsam vera lux loquendo, nos illuminat, dicens : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Igitur, *ut appareret Dominus*, addidit quia mundum prædicatoris sui oculum vidit. Sed cum addidit *Ut appareret in Silo*, in eodem loco illum apparuisse vice alia de-

signatur. Quia autem dixit ubi apparuit, ne Heli apparuisse crederetur, subsequenter et personam ejus cui apparuit ostendit, dicens : A

(Vers. 21.) *Quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, juxta verbum Domini.*

32. Tunc namque se ei revelavit, cum ei secretum sui consilii de repulsione reprobi prædicatoris aperuit. Quod profecto juxta verbum Domini factum asseritur, ut hoc quod non valde superius per virum Dei ad Heli dictum fuerat, etiam secundum historiam impletum esse sentiatur : *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem qui juxta cor meum, et animam meam faciat, et ambulabit coram Christo meo omnibus diebus* (*I Reg.* II, 35). Et item : *Videbis æmulum tuum* **111** *in templo, in universis prosperis Israel* (*Ibid.*, 32). Quod si juxta spiritalem intelligentiam perscrutamur, quomodo addit Dominus ut electis appareat, nisi quia qui electos suos de contemplatione justitiæ suæ mirabiliter terret, etiam de ostensione gloriæ ineffabiliter demulcet. Qui enim apparendo justus, corda sanctorum terrore concutit, ut appareat addit, quando cordi territo dulcedo refunditur suæ pietatis. Hinc est enim quod Moysi non semper in igne apparuit, sed in igne aliquando, aliquando in nube. In igne quippe terror judicii est. Unde et de secundo Redemptoris nostri adventu per Psalmistam dicitur : *Ignis ante eum præibit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 3). In nube autem protectio miserationis exprimitur, quia ejusdem protectionis suæ blandimentum electis suis promittens Dominus, ait : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube* (*Marc.* XIII, 26; *Luc* XXI, 27). In igne itaque et nube per deserta gradientibus Dominus apparet, quia mentes contemplantium se in hac exsilii peregrinatione, etsi aliquando terret de justitia, pavore dejectas erigit blandimento protectionis. Dominus itaque Samueli apparuit, et, ut appareret, addidit, quia qui ab electorum mentibus in igne terroris aspicitur, in nube etiam dulcedinis exhibetur. Ignis namque visionem intus viderat, qui nuntiabat foris, dicens : *Sanctum et terribile nomen ejus* (*Psal.* CX, 10). In igne item eum visum ostendere cupiens, ait : *Venite et videte opera Domini, terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV, 5). Sed qui ei in igne apparuit, ut appareret addidit, quia suavitatem gloriæ, et dulcedinis suæ, ei etiam de nube propinavit. Quare et exhilaratus, qui territus fuerat, dixit : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* (*Psal.* XXX, 20). Hinc item additam apparitionem admirans, ait : *Quam bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde* (*Psal.* LXXII, 1). B C D

33. Sed attente considerandum est quod subjungitur : *Juxta verbum Domini.* Verbum ergo Domini cognoscendum est, antequam ad apparitionem Domini pertingere mereamur, ne injusta et indiscreta visio ignis et nubis, non solum nobis perfectionem non ostendat cœlestis itineris, sed ad submersionem erroris nos impellat. Origenes quippe **112** dum apparentem Dominum sine verbo Domini videre voluit, visionem nubis inordinate conspexit, [a] quia ignis apparitionem horruit. Nam dum, abnegata vel minuta justitia Dei, superfluam ejus clementiam prædicaret, asseruit quod non solum omnibus damnatis hominibus parceret, sed etiam de æterna pœna reprobos angelos quandoque liberaret. Novatus autem ignis aspicere visionem amplius amavit, qui dum severam omnipotentis Dei justitiam implacabilem diceret, spe veniæ consequendæ et pœnitentiæ omne remedium peccatoribus abstulit. Nec Novato igitur, nec illi alii Dominus apparuit, quia uterque eorum juxta quod per veritatem sacri eloquii cernitur, omnipotentem Dominum non conspexit. Tunc ergo juxta verbum Dominus apparet, cum ea ostensione se menti revelat, quam sacræ Scripturæ fides non reprobat. Unde et apte subjungitur :

(Vers. 21.) *Et venit sermo Samuelis in universo Israeli.*

34. Hæreticorum quippe sermo non venit. Novati enim sermo fuit, quia justus Deus semel lapsis fidelibus nequaquam parcit. Origenis sermo fuit quia misericors Dominus nullam creaturam rationalem perire per æternam damnationem sinit. Sed quia conversi ad Dominum peccatores nequaquam pereunt, et semel lapsi angeli et in peccato suo mortui peccatores nunquam salvantur, hæreticorum profecto sermo non venit. Sermo igitur Samuelis venit in universo Israeli, quia catholici viri prædicatio completur, quæ in veritate sacri eloquii recte cognoscitur. Et notandum quia ejus sermo venisse dicitur, cui visionem suam Dominus addidisse perhibetur, quia nimirum ejus prædicatio vera est, cui sic divinæ justitiæ terror ostenditur, ut benignitatis ejus abundans gratia non celetur; videlicet ut mentem videntis sic conspecta veritas terreat, ut etiam ostensa benignitas mentem territam in desperationem cadere non permittat; ut sic de benignitate præsumat, quatenus ad prævaricationis ausum non proruat.

Hæc autem in secundo libello præsentis operis disputata sufficiant, ut dum ea quæ sequuntur novo principio inchoare disponimus, dicendi etiam studium per devotionem renovetur.

[a] De iisdem Gregorius agit lib. XXXIV Moral., num. 38, ubi vide notas.

LIBER TERTIUS.

111 CAPUT PRIMUM.

1. Cum sacræ historiæ sensus qualiter electorum moribus conveniret studiose quæreremus, allegoriæ ordinem repetere exponendo distulimus. Ut ergo ea quæ omisisse cernimur suppleamus, quæritur : Quid est quod dum Samuel ministrare Domino coram Heli

memoratur, pretiosus sermo Domini esse describitur? Sed, sicut superius est dictum, per Samuelem prædicatores sanctæ Ecclesiæ, per Heli etiam electi patres testamenti veteris designantur. Puer ergo Samuel ministrabat Domino coram Heli, cum novus doctorum ordo Redemptoris fidem prædicabat. De quo nimirum ministerio Paulus loquitur, dicens : *Quandiu sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo* (*Rom.* XI, 13). Hinc iterum dicit : *Hebræi sunt, et ego : Israelitæ sunt, et ego : ministri Christi sunt, et ego* (*II Cor.* XI, 22). **112** Ministrare ergo Domino, in laborem prædicationis pergere est. Quod profecto ministerium Samuel coram Heli Domino impendisse dicitur, quia quidquid de religione novæ fidei, novus prædicatorum ordo asseruit, hoc Patrum veterum auctoritate roboravit. Domino quippe ministrabat Samuel, quando novus prædicator asserebat, dicens : *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XV, 8). Qui profecto ut ministerium, quod Domino exhibebat, coram Heli quoque impenderet, adjunxit, dicens : Sicut scriptum est : *Laudate, omnes gentes, Dominum, et collaudate eum, omnes populi* (*Psal.* CXVI, 1). Et ut se arctius coram Heli in ministerio Domini cohiberet, adjunxit : *Isaias enim dicit : Erit radix Jesse, qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt* (*Rom.* XV, 12; *ex Isa.* XI, 10). Puer Samuel Domino ministrabat, cum dominicæ Resurrectionis gloriam **113** Petrus assereret, dicens : *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis signis et prodigiis, traditum per manus impiorum interemistis; hunc Deus suscitavit a mortuis præfinito consilio tertia die, sicut impossibile erat teneri eum doloribus inferni* (*Act.* II, 22, *seq.*).

2. Sed hoc ministerium, quod Domino exhibuit, etiam coram Heli exhibuit, quia subjunxit, dicens : *David enim dicit : Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Act.* II, 27; *Psal.* XV, 10). Coram Heli itaque Samuel ministrare Domino apte dicitur, quia electi sanctæ Ecclesiæ prædicatores, dum statum novæ fidei prædicando erigerent, quod ratione asserere conati sunt, Patrum veterum auctoritate firmaverunt.

3. Et tunc quidem sermo Domini pretiosus fuisse perhibetur. Pretiosa quippe res parvo pretio emi non potest. Pretium autem, quo sermo Dei emitur, labor est sanctæ operationis. Velut enim rem quam habere volumus pretio emimus, cum per sermonem prædicationis quem accipimus laborem operis exhibemus. Tunc autem erat sermo pretiosus, cum pro qualicunque labore operis non dabatur, cum omnis qui emptorem sermonis interficiebat obsequium Deo se præstare cogitabat. Eo igitur tempore sermonis emptor multo pretio eguit, quia sine magno labore verbum fidei servare non potuit, qui pro eo quod credidit ad tormenta pervenit. Tempus namque tunc erat quo is qui emebatur sermo, non [a] typo figuratæ moralitatis, sed apertæ locutionis præcepto hortabatur, dicens : *Qui vult venire post me, tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24). Hinc item dicit : *Qui autem amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Ibid.*, X, 37). Et : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Itaque cum ministerium Samuelis asseritur, pretiosus sermo Domini esse perhibetur, quia profecto inter initia fidei, illi qui prædicantibus æternæ vitæ doctoribus crediderunt, pro accepto verbo fidei magni laboris opera expendisse credendi sunt. Et quia Judaicus populus jam lumen divinæ cognitionis amiserat, sequitur :

(I Reg. 3, 1.) *In diebus illis non erat visio manifesta.*

4. Manifesta namque visio ejus esset, si in Redemptorem, quem ad visitationem suam venisse audierat, credidisset. De qua nimirum ejus cæcitate subjungitur :

(Vers. 2.) *Factum est autem, Heli jacebat in loco suo, nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur.*

Visio namque Heli manifesta non est, quia Judæorum sacerdotium in perfidiæ suæ cæcitate sepultum est. Heli ergo jacet in loco suo, quia et litteram legis habet, et in lege et prophetis non habet statum luminis, sed lapsum cæcitatis. Locus namque Heli, videlicet Judaici prædicatoris, sacra lex est. Quia ergo Judaicum sacerdotium adhuc sacram Scripturam habet, in loco suo est. Et quia virtutem sanctæ Scripturæ nesciens ad statum fidei non erigitur, nimirum in loco suo non stare, sed jacere perhibetur. Quia item usque ad mundi finem projectus est, lucernam Dei videre non posse memoratur. Unde et cum quotidie tot a sancta Ecclesia prædicationis hortamenta suscipiant, cum tot sacræ fidei assertionibus Judæi victi non credant, quid aliud, nisi hoc quod in sancta Scriptura **114** de eis legimus, et etiam per experimentum tenemus, quia videlicet projecti sunt, non solum ut non videant, sed etiam ut videre non possint? Unde et apostoli superfluum laborem reputantes eorum qui videre non poterant, in Actibus suis dicunt : *Quia indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 46). Sed qui videre non posse relatus est, Dei lucerna vocatur. Synagogæ namque ministerium Dei lucerna fuit, quando in electis Patribus et per veræ prædicationis lumen, et per venturi Redemptoris promissionem luxit. Quæ profecto lucerna, ministrante Samuele, videri non potuit, quia tempore novæ prædicationis, Synagogæ magisterium pœnam perpetuæ repulsionis incurrit.

5. Et notandum quia non dicitur, lucere non poterat, quia profecto adhuc lumen sanctæ Scripturæ

[a] Vitiose in Gilot. et Vatic. *typo figuratæ mortalitatis.*

pro nobis portat, sed quod portat ignorat. Unde et antequam exstingueretur, videre non posse dicitur. Nondum enim exstinguitur, et videre non potest, quia certe, ut jam dixi, lumen gerit, quod non attendit, ante enim quam exstinguatur, est, donec lucet. Et quia ab eo usque ad mundi finem sacra Scriptura non tollitur, si antequam exstinguatur, non videt, cum mundi fine extenditur in cæcitate. Quod si accensio ejus refertur ad zelum perfidiæ, idcirco non potest videre, quia non exstinguitur. Nam si ignem perfidiæ de mente exstingueret, ablato impietatis zelo, ad placitum veræ fidei lumen mentis oculos aperiret. Sed dum videre non posse dicitur, indigna lucerna perhibetur, et ad videndum ea quæ digna est quæritur. Nam subdit, dicens :

(Vers. 3.) *Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Domini, et vocavit Dominus Samuelem.*

6. Confirmata cæcitate Heli, Samuelem Dominus vocavit, quia, damnato Judæorum sacerdotio, ad majorem gratiam novum prædicatorum ordinem assumpsit. Sed qui exposuit quem vocavit, unde etiam vocaret ostendit, quia in templo Domini, ubi erat arca, Samuelem dormire perhibuit. Templum enim Dei est locus ubi habitat Deus. Unde et per Psalmistam dicitur : *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus* (*Psal.* x, 5). Quem profecto locum Paulus insinuat, dicens : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Templum itaque Dei uniuscujusque est anima electi. Templum ubi arca Dei reconditur mens est, in qua divini eloquii sacramenta per intelligentiam reservantur. Quid ergo ei aliud dormire in templo, nisi per intentionis custodiam in propria circumspectione persistere? Samuel itaque dormiebat in templo Dei, quia novæ gratiæ unusquisque prædicator, dum cuncta quæ mundi sunt perfecte contempsit, in electæ suæ mentis intima circumspectione requievit. Et quia in sacramentis divinæ Scripturæ eruditus fuit, in templo dormiebat, ubi erat arca.

7. Et notandum quia non dicitur dormivit, sed dormiebat, quia nimirum eamdem mentis suæ circumspectionem non in transitu servare studuit, sed in diuturnitate perseverantiæ. Somnus itaque Samuelis perfectum mundi contemptum designat in mente doctoris. Dormit ergo prædicator in templo, dum, repulsa a se penitus mundana sollicitudine, sese per considerationem rerum spiritualium recondit in mente. Hujus namque somni quietem Petrus elegerat, cum dicebat : *Non est bonum relinquere* **115** *verbum Dei, et ministrare mensis* (*Act.* VI, 2). Hinc Jetro Madianita Moysen cognatum suum juste arguit, dicens : *Stulto labore consumeris tu; sed audi verba mea, et erit Dominus tecum. Esto tu populo in iis quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum* (*Exod.* XVIII, 18, 19). Hinc Paulus ad templi somnum Corinthios revocat, dicens : *Jam quidem delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis fraudem patimini* (*I Cor.* VI, 7)? Dormire quippe in templo Dei non posse conspexerat, quos judiciorum occupatio a spiritali meditatione retrahebat. Dormiens ergo in templo vocatus a Domino dicitur, quia ille tunc doctor ad cognoscenda divina secreta assumptus est, qui per cordis intentionem non in exterioribus, sed in interioribus morabatur. Sequitur :

(Vers. 4, 5.) *Qui respondens, ait : Ecce ego. Et cucurrit ad Heli et dixit : Vocasti enim me. Qui dixit : Non vocavi te, fili mi, revertere et dormi.*

8. Cur is qui vocantem se Dominum audivit, ad Heli cucurrit, nisi quia se ab Heli vocatum putavit? Et quia explanationis typicæ ordinem tenemus, quomodo Heli putatur, cum vocato puero Deus loquitur? Sed quæcunque in Scripturis sanctis Patres nostri veteres locuti sunt, ad Heli referuntur locutionem. Qui nimirum, quia a semetipsis non sunt locuti, dum Deus per eos quæ voluit locutus est, ea quæ in Scripturis sanctis auditur vox Dei esse cognoscitur, quæ per Heli profertur. Puer autem, quia, loquente Deo, ad Heli cucurrit, vocem profecto Deus Heli similem protulit. Quid ergo est quod divinæ locutionis vox ab Heli voce non differt, nisi quia et per Patres veteres ipse locutionem profert? Vox namque Heli Dei esse cognoscitur, quoniam electi Patres quidquid per sacra eloquia loquuntur, non a semetipsis, sed a Domino acceperunt. Unde et in prophetis per omnem fere locutionem repetitur : *Hæc dicit Dominus*, ut ea quæ prophetæ oraculo vox resonat sentiamus non esse loquentis hominis, sed præcipientis Dei.

9. Aliquando autem per Scripturam loquitur Deus, aliquando per occultam inspirationem. Revelatione autem occulta loquitur, cum electæ menti per Spiritum, aut agenda, aut docenda panduntur. Samuel itaque, cum vocantem se Dominum audivit, ad Heli cucurrit, quia electus ordo prædicatorum sanctæ Ecclesiæ hoc quod, Deo revelante, cognoverat, quale esset in sacro eloquio perquirebat. Regula quippe rectæ intelligentiæ in Scripturæ sacræ libris expressa est, quia divina consilia ibi per venerabiles Patres nostros exposita sunt, qui Spiritum sanctum habuerunt. Vocatus ergo [a] tam sæpius a Domino Samuel, ad Heli cucurrit, quia ordo prædicatorum in omni quod spiritali revelatione didicit Patrum veterum dicta consuluit, ut tunc demum a Domino sibi fuisse revelatum crederet, cum ab eo quod in sacra Scriptura legebat nequaquam differre cognovisset. Nam facile fallitur qui hoc quod occulta contemplatione colligit in præclara sanctæ Scripturæ veritate nescit discutere quale sit. Unde et Apostolus denuntiat, dicens : *Transfigurat se Satanas in angelum lucis* (*II Cor.* XI, 14). Quomodo autem falsa in veræ lucis claritate discernuntur? Ad Heli ergo currit Samuel,

[a] Gilot., *jam sæpius a Domino Samuel.*

quoties a Domino vocatur, quia sancti prædicatores, ne falsæ lucis imagine in intima contemplatione fallantur, modum occultæ revelationis in **116** aperta Scripturæ sanctæ veritate discutiunt.

10. Quia in re quærendum est quomodo Heli dicere competat : *Non te vocavi, fili mi.* Sed Patres nostri, qui per sacrum eloquium novis prædicatoribus loquuntur, non eos vocant, sed qualis sit interna eorum revelatio indicant. Vocare etenim Dei electorum suorum mentes aspiratione suæ gratiæ excitare est. Antiqui vero Patres per Scripturam quidem sacram loquuntur, sed tamen aspiratione divinæ gratiæ corda audientium excitare non possunt. Consulta ergo sacra eloquia, dum se donum spiritualis gratiæ dare non posse [a] indicant, auctoritate Samuelis sese Heli velut quibusdam locutionibus excusant. Sed hoc nimirum, quod dare non possunt, insinuare qualiter acquiri debeat possunt. Unde et Heli voce ad Samuelem dicitur : *Revertere, et dormi.*

11. Quid est quod vocatum puerum redire Heli ad somnum præcipit, nisi quia prædicatoribus ostendit ut ad percipiendum donum internæ gratiæ se per mentis quietem parent? Et notandum quia dicitur : *Revertere.* Samuel namque revertitur cum electus prædicator a meditatione sacri eloquii ad secretum redit internæ contemplationis. Reversus ergo dormivit, quia in internæ contemplationis intentione requievit. Quo in loco etiam hoc notandum est, quia Samuel a Domino ter vocatur, ter iterum ab Heli dormire præcipitur :

12. Quid est hoc, nisi quia tres gradus dilectionis esse, ipsa Veritate docente, didicimus? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XXII, 17). Sed quid in corde accipimus, nisi consilium? Quid autem in mente, nisi voluntatem? Quid vero in virtute, nisi amoris affectio designatur? Sed et per consilium quid aliud quam veritatis certitudinem investigamus? Et per voluntatem quid diligentes, nisi bona valde concupiscimus? Per affectionem quid nisi veri gaudii perfruitionem quærimus? Per gradus namque dilectionis ad summa sustollimur, cum cordis nostri consilio veritas revelatur, et voluntati mentis bonitas vera conceditur, atque affectioni virtutis nostræ per infusionem divinæ gratiæ spiritale et verum gaudium datur

13. Ter igitur est Samuel vocatus a Domino, quia dum ordo prædicatorum rudis adhuc Ecclesiæ ad superna se studia extendit, et veritatem de ratione consilii, et bonitatem de electione voluntatis, et verum gaudium appetiit de intentione affectionis. Ter etiam ad Heli vocatus accessit, quia de omni appetitu suo sacram Scripturam meditationis festinatione consuluit. Ter item, quia ab eo non vocaretur audivit, quia meditando didicit quod Patres nostri ad eruditionem nostram sacra nobis eloquia scripta tradiderunt; verumtamen dona nobis spiritalia dare minime possunt. Quid est ergo dicere *Non te vocavi*, nisi desiderium donorum spiritalium ego non dedi? Nam si sacra Scriptura, aut aliquis scriptorum dona spiritalia conferret, quotquot sacra eloquia legerent, quotquot sanctæ Scripturæ tractatores audirent, donis spiritalibus ornarentur. Nunc vero cum multi sacram Scripturam legant, et tractantes prædicatores audiant, et post studium lectionis, et prædicationis adhortationem, alii in pristino frigore vitiorum suorum remaneant, alii per gratiam in amorem sanctarum virtutum ferveant; aperte liquet quia **117** ordo Patrum venerabilium dona nobis virtutum per editas Scripturas ostendit, sed amorem virtutum, quas insinuat, solus nobis conditor tribuit. Quare et Jacobus pie admonet, dicens : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17). Hinc Paulus ait : *Neque qui plantat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus* (*I Cor.* III, 7). Quid est ergo aliud dicere : *Non te vocavi*, nisi aperta eruditione ostendere quia hoc quod fidelis anima ad superna desideria erigitur, ex sola divinæ gratiæ infusione generatur? Quia ergo ter vocatur a Domino, ter ad dormiendum a magistro reverti præcipitur, tres ille gradus dilectionis insinuat qualiter acquirantur. Nam quia cordi consilium aptavimus, consilium vero invenire veritatem desiderat, magnus utique sopor est necessarius, ne prius amans evigilet quam quæsita veritas inveniatur. Revertatur ergo puer, et dormiat, ut qui veritatis lucem invenire desiderat, per quietem caveat, ut ad se errorum tenebras non admittat. Secundo etiam dormiat, ut amoris obsequium omnipotenti Deo ex tota mente impendat, ut bona quæ amat pura simplicitate nulloque malorum velamine pallientur. Quod profecto quia non nisi magna discretionis subtilitate cognoscitur, vocatus puer a Domino ab Heli reverti ut dormiat jubetur. Nam si dormire pro ascendendo isto amoris gradu negligit, hoc quod de virtute appetit non acquirit, quia etsi jam bona, Deo aspirante, amare possumus, nisi magna mentis quiete qualia sint ipsa bona quæ volumus non dijudicamus. Ter ergo ad dormiendum Samuel mittitur, quia profecto novus prædicatorum ordo ut ex tota virtute diligat admonetur. Et quia virtutem ad affectionem retulimus, affectio autem mentis de gaudio spiritali perficitur, magnam somni quietem Samuel habuit; et dum spiritualia per quietem ordo prædicatorum certus didicit, sub specie veri gaudii gaudium extraneum non recepit. Nam sicut de virtutibus cæteris, ita et de profectu contemplationis mens contemplantis plerumque inaniter hilarescit. *Dormivit ergo iterum Samuel*, quia nimirum ordo doctorum nisi caute se in contemplatione circumspiceret, aliquando vane gaudendo se vero gaudio gaudere existimaret. Primo itaque dormivit, quia dum cognoscendæ veritati animum intendit, magna consilii subtilitate erronea cuncta reprobavit. Secundo dormivit, quia cum conditorem diligere ex tota mente didicit, magna apud se quiete disposuit

[a] Guss., *judicant.*

ut bonis quæ cuperet aliqua reproba non misceret. A Tertio etiam dormivit, ut dum supremum gaudium de divina contemplatione perciperet, vanam lætitiam reprobare consulta mente potuisset. Et quia hoc de Samuele adhuc proficiente dicitur, apte subjungitur :

(Vers. 7.) *Porro Samuel necdum sciebat Dominum, nec revelatus ei fuerat sermo Domini.*

14. Dominum namque [a] tunc ordo prædicatorum nesciit ea perfectione qua postea profecit. Vel fortasse idcirco nescire Dominum dicitur, quia alta et profunda quæ noverat infirmis adhuc et rudibus auditoribus non pandebat. Unde et volentibus diem dominici adventus agnoscere ea quæ omnia noverat, et indicare nolebat, Veritas dicit : *De die autem illa* B *et hora nemo scit, neque angeli cœlo, neque Filius, nisi solus Pater* (*Marc.* XIII, 32). Quid est quod sciens omnia Filius judicii diem nescit, **118** nisi quia inter cuncta quæ noverat, diem sciens, nesciebat eum ut diceret, sed ejus tempus et qualitatem sciebat? Hinc Joannes Baptista, qui Dominum perfecte noverat, ad eum quasi nesciens discipulos mittebat, dicens : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Luc.* VII, 20)? Velut enim Dominum nesciens Samuel prædicabat, cum evangelista Matthæus, divinitatem Redemptoris præteriens, a sola humànitate ejus inchoavit, dicens : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I, 1, *seq.*). Sed sciebat profecto Dominum, et revelatus erat ei sermo Domini, cum Joannes, divinitatem ejus alta exponendo C suscipiens, ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Nesciebat Dominum, cum Paulus loqueretur, dicens : *Factus sum omnia omnibus, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* IX, 22). Qui enim infirmis infirmus, et parvulis fiebat parvulus, et omnibus omnia, nimirum cum ignorantibus etiam ignorabat. Nam ut ejusdem ignorantiæ verbo uteretur, Corinthiis loquens, ait : *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*Ibid.*, II, 2). Nam cum sapientibus et Dominum noverat, et sermonem ejus revelatum habebat. Unde et dicit : *Nos autem revelata facie Domini gloriam speculantes, in eamdem imaginem transformamur, tanquam a Domini spiritu* (*II Cor.* III, 18). Hinc item loquitur, dicens : *Sapientiam loquimur inter perfectos, non sapientiam hujus mundi, neque* D *principum hujus sæculi, sed loquimur Dei sapientiam, quæ in mysterio abscondita est* (*I Cor.* II, 6). Hinc item eum quem noverat Dominum prædicat, dicens : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Hebr.* I, 3-5)? Nescire ergo Dominum dicitur, non ignorantia cognitionis, sed prætextu simplicitatis. Sequitur :

(Vers. 9.) *Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum.*

15. Nam si non intelligeret, per sacra eloquia ei salutis consilia nequaquam ministrasset. Intellexit namque, quia prævidit. Quidquid enim omnipotens Deus in constructione futuræ Ecclesiæ agere disposuit, hoc veteribus Patribus per sanctum prophetiæ spiritum revelavit. Nam per Amos prophetam dicitur : *Non faciet Dominus Deus verbum, quod non revelaverit servis suis prophetis* (*Amos.* III, 7). Quid enim aliud quam novorum prædicatorum vocationem intellexerat qui dicebat : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV, 17). Sed ei quem vocandum intellexit etiam consilium subministravit, dicens :

(Vers. 9.) *Vade et dormi, et si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

16. Jam quidem de somno Samuelis satis, ut arbitror, quia internæ meditationis quietem designet ostensum est. Qui profecto somnus ab Heli Samueli præcipitur, quia ad contemplanda interna mysteria vacare doctor per sacrum eloquium docetur. Sed quid est quod Samuel quoties vocatur, toties ad dormiendum remittitur, et tamen ei adhuc nequaquam jubetur ut dicat Deo : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Ibi enim dormire jubetur, non tamen loqui; hic autem etiam cum obedienda somni etiam licentia injungitur locutionis. **119** Ibi etiam ad dormiendum misso, non dicitur : *Vade*, sed, *Revertere;* hic quoque nequaquam dicitur *Revertere*, sed *Vade.* Quid enim sibi vult tanta præcipiendi varietas? Quam nimirum varietatem clarius agnoscimus, si illud quod hoc in loco Samuelis somnus significat attendamus. Et quia superiores somni modos ad probationem donorum sanctæ dilectionis retulimus (*Supra, num.* 11, 12), quid est hoc loco Samueli, id est novo prædicatori dormire, nisi probata jam et cognita eadem dona cum securitatis quiete possidere? Merito igitur ei prius non dicebatur *Vade*, sed *Revertere;* nunc autem non *Revertere*, sed *Vade.* Qui enim adhuc examinabat reverti jubebatur, ut mentis tranquillitate aliud donum discuteret, qui aliud jam eadem mentis quiete cognovisset. Ei autem quia jam cuncta examinando probaverat, *Vade* dicitur, quia ad possidenda cognita secura jam intentione mittebatur. Cur ergo prius somnus sine loeutione præcipitur, nunc autem somnus cum locutione, nisi quia non licebat dicere *Loquere*, nisi ei qui vera cognitione certus existeret quia is qui loqueretur mentis suæ affectibus Deus esset? Examinanti ergo non dicitur, quia nisi loquentem intus perfecte dijudicet, locutionem spiritalem sibi adhuc incertam non debet cupere, et excipere quasi certam. Dicere enim menti Deo *Loquere*, est internam ejus aspirationem secure excipere. Igitur perfecte cognoscenti hoc competit, non probanti, quia ante judicium interni examinis, sicut divina locutio non probatur, ita quod de Deo nobis est incognitum pro certo et cognito non exci-

[a] Gilot., *nunc ordo prædicatorum nesciit ea perfectione.*

pitur. Dictum namque est Samueli *Vade et dormi*, quia cum ordo sanctorum prædicatorum dona spiritalia per sacri eloquii probationem didicit, ejusdem sanctæ scripturæ eruditione cognovit, ut in ejusdem donis eo securius per amorem requiesceret, quo eorum virtutem apertiori ratione cognovisset. Præceptum quoque est ei ut vocanti Deo diceret *Loquere, Domine*. Quia sacræ locutionis studio doctus est, non solum per internæ visitationis gratiam loquentem Dominum devote audire, sed silentem etiam, ut loqui dignaretur, magnis desideriis implorare.

(Vers. 9.) *Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo.*

17. Tot habet loca prædicator sanctæ Ecclesiæ, quot profectus vitæ. Unde et profectus sui loca divinis laudibus consecrans, beatus Job dicit : *Per singulos gradus meos pronuntiabo eum* (*Job.* XXXI, 37). Non enim jam in loco examinis, sed certe cognitionis sistitur, cum ad altiora sublevatur. Locus namque prædicatoris rerum cognoscendarum certa cognitio est. Nam de reprobis prædicatoribus Dominus dicit : *Tenentes legem meam, nescierunt me* (*Jerem.* II, 8). In loco igitur suo Samuel dormivit, cum ordo doctorum spiritalium rerum cognitionem cum certitudine veritatis retinuit. Sed in quem gradum proficiat ostenditur, quia repente subinfertur.

(Vers. 10.) *Venit ergo Dominus, et stetit.*

18. Quia non redire, sed venire Dominus dicitur, Judææ destitutio et sanctæ Ecclesiæ visitatio designatur. Unde non solum venire, sed stare perhibetur. Ad Judææ [a] visitationem se venisse insinuat, dicens : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Sed veniens non stetit, quia salutis suæ bonum contemnentem deseruit. Unde et Synagogæ principibus minatur, dicens : *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Ibid.*, XXIII, 38). Hinc item denuntians, ait : *Amen dico vobis quia auferetur a vobis* **120** *regnum, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Ad Samuelem itaque venit, et stetit, quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ semel assumpsit, a quibus per custodiam suæ gratiæ ulterius non recedit. Nam ad Samuelem venerat, cum novos præferens orbi prædicatores, dicebat : *Ite in orbem universum, et prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (*Marc.* XVI, 15, *seq.*). Sed si stare debeat qui venit Dominus, dicat : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Venerat ergo Dominus, non ut recederet, sed ut staret, quia novos fidei ministros elegit, quos usque in mundi finem per sanctarum virtutum sibi patrimonium succedentes protegit. Sed qui venit per gratiam visitans, qui stat per electionis suæ immutabilitatem perseverans, quid adjungat audiamus.

(Vers. 10.) *Et vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel, Samuel.*

19. Secundo quippe vocavit, quia ei in ministerio prædicationis officium duplex præbuit, ut videlicet Synagogæ superbiam repellendo contereret, et humilitatem gentilitatis ad finem vocando sublevaret. Vel certe secundo vocatur, quia in destructionem veteris hominis atque in novi ædificationem excitatur. Vocatus est ergo semel cum per spiritum instruebatur qualiter peccata et vitia in peccatorum cordibus delere potuisset; secundo vocatus, cum interni magisterii eum Deus documento instruxit, ut, destructa in mente conversorum impietatis ædificatione, novam sanctarum virtutum fabricam erigere deberet. Quod profecto magisterium, quia ordo sanctorum prædicatorum et libenter didicit, atque ad obediendum devote se obtulit, subditur :

(Vers. 10.) *Ait ergo Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

20. Audire loquentem Deum præcepta ejus operibus adimplere est. Quod contra in Evangelio reprobis per semetipsam Veritas dicit : *Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (*Joan.* VIII, 47). Sed audienti quod insinuare appetit subdit; namque sequitur :

(Vers. 11.) *Et ait Dominus ad Samuelem : Ecce facio verbum in Israel, quod quicunque audierit tinnient ambæ aures ejus.*

Et idem verbum aperiens, ait :

(Vers. 13 et 14.) *Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus usque in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuit eos. Idcirco juravi domui Heli quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus in æternum.*

21. Quid enim his verbis aliud quam toties jam explicata Judæorum repulsio designatur? Domus namque prædicatoris est multitudo populi subjecti, quam velut possidendo inhabitat, dum per suæ sollicitudinis curam servat. Domus ergo Heli, id est sacerdotii veteris, Judæa fuit, quam dum per conversationem reprobam coluit, pravitatis suæ maculis immundam fecit. Qui profecto filios suos indigne agere conspexit, quia summum sacerdotium minoris ordinis sacerdotes in Redemptorem sævientes vidit, et eos non corripuit, nec ab effusione tanti sanguinis ulla eos auctoritate revocavit. Idcirco ei divina comminatione promittitur quod domus ejus in æternum judicetur. Judicare etenim Dei damnare est. In æternum ergo **121** judicatur, quia perire æterna pœna decernitur. Et quia hoc æterna Dei animadversione fit, jurejurando se affirmasse perhibuit quod iniquitas domus Heli in æternum precibus et muneribus non expietur. Quod profecto aperta veritate impleri conspicimus, quia Judaicus populus in suæ perfidiæ obstinatione perseverat. Quid enim est præsens duritia, et cæcitas quondam tam electi populi, nisi jusjurandum divinæ animadversionis? Nam digno supplicio se sub æterna morte cohibuit, qui ad mortem temporis æternam vitam cogere non expavit. Sed

[a] Gilot. *visionem se venisse insinuat.*

hoc quod jurejurando asserit prædixisse se dicit, quia nimirum sanctæ Ecclesiæ doctoribus subsequentibus de Judææ repulsione illud innotuit, quod eorum prædecessoribus ante manifestavit, quia hoc per Samuelem ad Heli nunc dicitur, quod ei per virum Dei superius dicebatur. Sequitur :

(Vers. 15.) *Dormivit Samuel usque mane.*

22. Quid est quod per sacrum eloquium Samuelis somnus tam attente describitur ? Et quia jam quater repetisse somnum dicitur, multum desipit qui a Dei Spiritu hoc non spiritualiter dictum credit. Nam etsi dormisse toties recte intelligitur pro veritate historiæ, ad hoc scribitur, ut in veritate litteræ intellectus proferantur allegoriæ. Quid ergo designat Samuelis hæc quinta dormitio ? Sed quia primum somnum retulimus ad exquisitionem veritatis, secundum ad probationem veri operis, tertium ad explorationem veri gaudii, quartum ad perfruitionem inventæ et probatæ cognitæque perfectionis, quinta somni species refertur ad studium disponendæ locutionis. Samuel igitur quinta repetitione dormivit, quia ordo prædicatorum, etsi per cordis consilium veritatem didicit, per voluntatem mentis bona elegit, per affectionem virtutis verum gaudium recepit, per certitudinem inventæ et cognitæ beatitudinis in virtutum sublimium securitate requievit, hoc tamen quod in semetipso cognovit sine magni dispensatione consilii subditis prædicare non potuit. Plerumque etenim doctor et quæ prædicet apud semetipsum habet, sed tamen ea quæ habet prout debet prædicare ea non potest, quia si ea quæ dicat jam Domino revelante didicit, modum quo ad populum sunt proferenda non novit. Dormivit ergo Samuel iterum, quia ordo prædicatorum apud se magna quietis intentione disposuit ne prædicando verbi Dei semen inutiliter spargeret, quod utili contemplatione collegisset. Nam dum prædicator considerare compellitur quid et quantum, sive quando, loquitur, quæ dicat simul omnibus, qualiter moneat aliquos seorsum, quia magna sanctæ meditationis quiete utitur, apte nimis in typo novi prædicatoris Samuel iterum dormire perhibetur. Dormire quippe ei tunc est dicendi modum tranquilla mente disponere. Et evigilare ei est a quiete meditationis ad loquendum exire. Et quia rationabiliter non evigilat antequam dicenda disponat, sequitur : *Usque mane.* Mane enim perfecta pronuntiandi verbi cognitio in mente doctoris est. Unde et præcipites doctores Propheta arguit, dicens : *Vanum est vobis ante lucem surgere* (*Psal.* CXXVI, 2). Ante lucem quippe surgunt qui usque mane non dormiunt, sed in vanum evigilant, quia inutiliter verbum proferunt, quod qualiter proferri debeat meditatione nulla didicere. Unde et consilium eis ostendit, dicens : *Surgite postquam sederitis*, ut videlicet per quietem meditando **122** verbum colligant, quod per laborem locutionis non in vanum, sed in audientium lucrum spargant. Sequitur :

(Vers. 15.) *Et timuit indicare visionem Heli.*

23. Quidnam est quod timebat, nisi quia hoc dormiendo didicerat ? Nam qui meditando verbum ordinat, ratione statuit quando etiam verbum dicat. Visionem quippe Samuel vidit, et Heli indicare timuit, quia doctorum ordo sanctæ Ecclesiæ, et Judææ repulsionem debitam conspexit, atque ei eam objicere ante repulsionis suæ tempora formidavit. Unde et ad pœnitentiæ remedium eam potius cohortatur, dicens : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II, 38). Quare et subditur :

(Vers. 15.) *Aperuit ostia domus Domini.*

24. Quænam est alia domus Domini quam sancta Ecclesia ? [a] Et quæ sunt hujus domus ostia, nisi spirituales virtutes ? Ostia namque domus Domini Samuel aperuit quando concurrentibus ad unitatem veræ fidei prædicatorum ordo virtutum spiritalium dona patefecit. Velut enim clausa erant domus ostia cum sanctæ Ecclesiæ virtutes ignorabantur. Bene autem, cum visionem Heli indicare Samuel timuit, domus Domini ostia aperuisse memoratur, quia prius quam apertam Judææ repulsionem prædicatorum ordo indicaret, dum ad pœnitentiam monuit, electis ad fidem currentibus virtutum spiritalium occulta reseravit. Nam qui misericordiæ tempore dicere visa timuit, tempore exquirendæ justitiæ visionem justitiæ indicavit, dicens : *Quia indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* (*Act.* XIII, 45). Ex qua profecto ratione quæstio oritur, quia videlicet visionem Samuelis prece magis et imprecatione Heli indicatam fuisse perhibetur. Nam subditur:

(Vers. 16—18.) *Venit ergo Heli ad Samuelem, et dixit : Samuel, fili mi. Qui respondit : Præsto sum. Et interrogavit eum : Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te ? oro, ne celaveris mihi. Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus quæ dicta sunt tibi. Indicavit igitur ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo.*

25. Quomodo enim ab exsecutore divinæ sententiæ visionem suæ repulsionis didicit, qui hoc non tam a comminante quam ab eo qui magis precibus cogebatur audivit ? Sed qui istud quærunt primo intelligant quia non ad litteram, sed ad spiritalem et typicam significationem ista discutimus. Hoc enim loco venire Heli, neque ad motum corporis Judaici sacerdotii refertur, neque ad affectum mentis, sed tamen venire ei fuit hoc ipsum quod rationalis Dei creatura est prædicatoribus apparere. Venit itaque cum in humana natura visus est, doctorumque corda sibi ad [b] miserandum movit. Venire ergo Heli non est in veteri populo accessus mentis, aut corporis, sed ostensio humanæ conditionis. Vel fortasse venire ei fuit ex eo quod ex omnibus populis ad Dei cultum electus fuit. Eum quoque filium appellavit qui ab illo respicitur qui in electis Pa-

[a] Gilot. ; *Et quæ sunt hujus domus Domini Samuel aperuit, quando concurrentibus ad unitatem veræ fidei prædicatorum*, etc.

[b] Al., *miserendum movit.*

tribus institutor sanctæ Ecclesiæ fuisse memoratur. Vocat ergo filium non affectu appellationis, sed ostensione amissæ dignitatis. Et quia in caligine cæcitatis aspicitur, indicari sibi visionem postulasse perhibetur. Obsecrare etenim ei est respectu communis naturæ prædicatorum mentes ad misericordiam provocare. Qui etiam imprecationem **123** precibus addidit, quia ordo prædicantium, dum in tanta miseria positum Judæorum sacerdotium attenderet, irasci sibi omnipotentem Dominum timuit, si non ei verbo subveniret. Unde et apte subjungitur : *Indicavit ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo.* Omnia quippe ei visa indicavit, ut, audito quod meruit, magnitudo formidinis ad sollicitudinem eum converteret impetrandæ divinæ miserationis. Universos ei Domini sermones indicavit, ut dum in vetustate sua se projectum cognosceret, per pœnitentiæ lacrymas ad veræ fidei renovationem festinaret. Qui profecto respondit, dicens :

(Vers. 18.) *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.*

26. Quibus nimirum verbis quid aliud quam Judaici populi perfidia clarius agnoscitur ? Nam qui omnipotentem Deum Dominum vocat, adhuc ei servire se existimat. Cum igitur Judaico populo repulsio sua a sanctæ Ecclesiæ doctoribus insinuatur, dicit : *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Quia dum Deo se placere per veterem institutionem credit, sanctæ Ecclesiæ nequaquam minas expavescit. Quasi enim apertiori voce Judaica perfidia asserat, et comminantibus sibi sanctæ Ecclesiæ prædicatoribus dicat : Eo nobis minis vestris terrorem nullum incutitis, quo circa fidem ei nos ministrare credimus a cujus gratia nos decidisse prædicatis. Cum ergo adjungit : *Faciat quod bonum est in oculis suis*, sanctæ Ecclesiæ doctores subsannat potius quam se divinæ sententiæ offerat. Quasi alia intentione loquatur, et dicat : Eo nobis tale aliquid non facit, quo noster est Dominus ille quem nobis ad vindictam proponitis. Sequitur :

(Vers. 19.) *Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo.*

27. Quid est quod postquam Heli visionem exposuit, crevisse Samuel dicitur, nisi quia doctorum nostrorum ordo, postquam verbo Synagogæ filios repulit, majoris reverentiæ gloriam apud gentilitatem invenit ? Crevit ergo, quia qui per verbi ministerium se prius in una gente cohibuit, postmodum sanctitatis atque doctrinæ famam in universo mundo dilatavit. Unde et per Psalmistam dicitur : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Hinc iterum sanctæ Ecclesiæ loquens, ait : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV, 17). Crevit itaque cum in universo mundo radiavit. Cum quo etiam Dominus esse perhibetur, quia omne quod de fama sanctitatis redoluit, omne quod clarum per verbum luxit, de præsentia Redemptoris accepit, quem secum habuit. Nam etsi verbo Paulus non solum infirma et terrena, sed etiam summa et cœlestia penetrat, ex eo hanc dicendi virtutem obtinet, quem secum esse affirmat, dicens : *An experimentum ejus quæritis* [a] *qui in me habitat Christus* (*II Cor.* XIII, 3)? Qui enim in se loquebatur secum erat. Redolet omni mundo per vitam, sed ex eo vitæ odorem trahit quem ostendit : dicens : *Christi bonus odor sumus in omni loco* (*Ibid.* II, 15). Omnia esse de præsentia Redemptoris Joannes insinuat, quia dicit : *De plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan*, I, 16). Samuel ergo cum crevisse dicitur, cum eo Dominus esse memoratur, quia doctorum ordo cum magnæ sanctitatis atque doctrinæ gratia omni mundo resplenduit, ex eo tam magnus apparere potuit qui eum in mundo positum non reliquit. Sequitur :

124 (Vers. 20.) *Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee quod fidelis Samuel propheta esset Domini.*

28. Quibus profecto terræ nominibus Judææ universitas designatur. Quid ergo in universa Judæa nisi omnis designatur Ecclesia ? Universitas itaque Israel quia Samuel propheta est Domini recognoscit, quia profecto omnis qui fidelis est credit quod sanctorum prædicatorum ordo vera de futuris dicit. Prophetæ namque officium est, et futura prædicere, et occulta revelare. Prædicatores autem sanctæ Ecclesiæ dum latentia quæque vitia in mente deprehendunt, dum spiritalium virtutum secreta aperiunt, dum sanctarum Scripturarum latentes intellectus ad communem notitiam proferunt, dum futura cœlestis patriæ gaudia electis fidelibus repromittunt, prophetæ ministerio utuntur. Ab universo igitur Israele propheta Domini fidelis Samuel esse cognoscitur, quia omnipotentem Dominum fide videre non potest, qui sanctæ Ecclesiæ doctoribus fidem non adhibet. Et quia eadem divinæ cognitionis gloria in sancta Ecclesia remansit, quæ se doctoribus primis aperuit, subditur :

(Vers. 21.) *Et addidit Dominus ut appareret in Silo.*

29. Silo quippe missus interpretatur. Et quia usque in mundi finem in prædicationis ministerium mittit, in Silo Dominus apparet, quia se eis clarius ostendit per quos lucis suæ gloriam aliis aperit. Bene autem dicitur *Addidit ut appareret*, quia incessanter eliguntur quibus claritas divinæ lucis infunditur. Unde et causam cur auditam visionem asserat subdit, dicens :

(Vers. 21.) *Quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli.*

30. Idcirco enim ut appareat addit, quoniam qui revelatus fuerat Dominus se iterum atque iterum revelat, et suæ ostensionis donum a sancta Ecclesia nequaquam subtrahit, quam ei exhibere ex ejus ex-

[a] Forte legendum *qui in me loquitur*, ut exstat in Græco fonte ac in Versionibus. Hinc Gregorius explicans hunc locum subdit : *qui enim in se loquebatur, secum erat.*

ordio non cessavit. Sed qui Samueli revelatus asseritur, quoties apparere addiderit non refertur, quia nimirum usque in mundi finem sancta Ecclesia ducitur, cui prædicatores præsunt, qui ex eo in infimis alta æternitatis gaudia prædicent, quo summa quæ prædicant in alta Dei manifestatione vident. Quam profecto apparitionem juxta verbum Domini factam perhibetur. Quid est autem verbum Domini, nisi promissio Redemptoris? Addidit ergo ut appareret juxta verbum Domini, quia promissionis suæ veritatem exhiberet non desinit. Verbum namque Domini in additione apparitionis est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Sequitur :

(Vers. 21.) *Et venit sermo Samuelis in universo Israeli.*

31. Sermo etenim venire cognoscitur, cum prædicatorum nostrorum promissio adimpletur. Promissio enim verbi est gaudium sine fine mansurum. Universo igitur Israeli sermo Samuelis venit, quia omnis multitudo sanctæ Ecclesiæ ad gaudium æternæ beatitudinis pervenit, et quod nunc in fide sermonis a sanctis ejus prædicatoribus repromittitur, per rei veritatem eidem in regnis cœlestibus exhibetur. Verbum namque doctorum in repromissione fidelium est : *Omnis qui credit in ipsum non perit, sed habebit vitam æternam* (*Joan.* III, 15). Vel certe sermo doctorum in repromissione munerum est : *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se* (*Isa.* LXIV, 4; *I Cor.* II, 9). Sermo itaque Samuelis in universo Israeli venit, **125** quia quisquis sanctis prædicatoribus et vitæ præsentis religiosam conversationem suadentibus et æterna gaudia justis promittentibus credit, ad ea quæ pie vivendo exspectavit gaudia æterna carne moriendo transivit. Unde et is in cujus fide promiserat affirmat, dicens : *Amen dico vobis, cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Marc.* XIII, 31). Vel certe sermo Samuelis in universo Israeli jam venit, quia per effectum divinæ animadversionis generalis impleta cognoscitur repulsio Judæorum. Unde et ordinem quo idem sermo in universo Israeli venerit latius exponens, ait :

CAPUT II.

(I Reg. IV, 1-3.) *Egressus namque est Israel obviam Philisthiim in prælium, et castrametatus est juxta Lapidem Adjutorii. Porro Philisthiim venerunt in Aphec, et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel, et cæsa sunt in illo certamine passim per agros quatuor millia virorum. Et reversus est Israel in castra.*

1. Esse spiritalia prælia beatus Apostolus ostendit, dum sanctæ Ecclesiæ castra ad victoriam cohortatur, dicens : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et contra spiritales nequitias in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). De quibus profecto præliis etiam consequendæ victoriæ consilium præbens, ait : *Et scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ibid.*, 16, 17). Hinc Petrus exhortans dicit : *Sollicite estote, et vigilate in orationibus, quia adversarius vester diabolus circuit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* IV, 7; V, 8). Dum ergo Israelitis prælia per litteram referuntur, interna et spiritalia designantur. Philisthiim namque cadentes poculo interpretantur; quo nimirum nomine reprobi angeli exprimuntur, quia per abundantiorem potum superbiæ statum perdiderunt æternæ vitæ. Eis quippe velut poculo cadere fuit potum superbiæ sine omni mora retractionis assumere. Nam quod potatur facile sumitur. De quorum profecto cadentium principe velut de potante Dominus dicit : *Quia in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44). Velut enim potu corruit, qui, superbiæ suæ velocitate ebrius, in ea qua fuerat conditus veritate nec ad momentum stetit.

2. Sed valde quærendum est quomodo Israel secundum carnem egredi in prælium contra istos cadentes poculo intelligatur. Nemo enim pugnat cum eo qui sibi subjicitur. Judaicus ergo populus, qui malignis spiritibus per infidelitatem subjectus, contra eos in prælium quomodo egredi dicitur? Pugnare tamen asseritur non veritate fortitudinis, sed fallacia æstimationis. Veritate quippe fortitudinis a malignis spiritibus victus est, sed tamen dum Patrum veterum traditiones servat, cum malignis spiritibus se certamen habere existimat. Unde et sub captivitatis suæ vinculis tanto strictius ligatur, quanto ipsa libertatis quam non habet fiducia ab eorum sibi calliditate suggeritur. Versuti namque adversarii occultis suggestionibus ei falsæ libertatis fortitudinem prædicant, ut eam qua premitur caliginem non attendat, et eo securius jam eum deceptum possideant quo ab eis quibus tenetur infidelitatis vinculis solvi in Redemptorem nostrum credendo non curat. Et notandum quia de repulso populo dicitur : *Egressus est Israel.* **126** Tunc recte exiit cum sacræ fidei monumenta dereliquit. Unde et de iis qui a Scripturæ sanctæ mysteriis errando deviaverant, Joannes dicit: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II, 19). Exire igitur Israeli secundum carnem est rectæ fidei terminos errando præterire. Sed quia alium Christum exspectare non desinunt, juxta Adjutorii Lapidem castra ponunt. Merito igitur terga vertisse Israel dicitur, quia et egressus fuisse perhibetur. Nam si intus maneret, vinci nequaquam potuisset, quia si se intra munitiones servaret fidei, armatos spiritus debellaret erroris. Et quia fraude superatur, Philisthiim in Aphec aciem instruxisse perhibentur. Malignis namque spiritibus aciem instruere est incautis Judæorum cordibus argumenta deceptionis ordinare. Sed inito certamine, terga vertit Israel, quia dum mori metuit, malignis spiritibus non resistit. Ideo quippe pugnæ profugi terga hostibus vertunt, ne resistentes moriantur. Quia vero, si in Redemptorem Judæi credant, mori trepidant, idcirco non resistunt, ut vivant, quia in Redemptorem non credunt, ut in veteri circumcisione salventur. Resisterent quippe

maligais spiritibus, si arma suæ fortitudinis in Redemptoris nostri fide tenuissent. Sed ideo ne moriantur fugiunt, et ideo quia fugiunt moriuntur. Hostis namque insequens eo facilius fugientem interficit, quo is qui fugiendo percutitur imminentis victoris sui gladio non resistit. Unde et in eodem certamine quatuor Judæorum millia cæsa memorantur. Quæ enim sunt hæc quatuor millia, nisi qui recipere quatuor Evangeliorum veritatem noluerunt? Quare et in agris mori perhibentur, quia in errorum suorum latitudine immorantur. Et quia erroris sui latibula adhuc nequaquam derelinquunt, Israel in castra reversus asseritur. Nam, ut jam dixi, cum malignis spiritibus adhuc habere certamen se æstimat cum eorum voluntati potius obediat quam repugnet.

3. Quia vero etiam in bona significatione poculum accipitur, cadentes poculo intelligi sanctæ Ecclesiæ prædicatores possunt. De quo nimirum poculo Propheta gloriatur, dicens : *Impinguasti in oleo caput meum, et poculum meum inebrians, quam præclarum est* (*Psal.* XXII, 5)! Poculum namque inebrians, abundans est gratia Spiritus sancti, quæ apte poculum dicitur, quia ejus plenitudine electorum corda in momento inebriantur. Unde et de primis sanctæ Ecclesiæ pastoribus dicitur : *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes* (*Act.* II, 2). Quo nimirum poculo prædicatores cadunt, quia dum sancti Spiritus gratiam abundanter excipiunt, statum vitæ carnalis ex toto derelinquunt. Quotidie namque per hoc poculum velut nimiæ potantes cadunt, quia etsi eos aliquando carnales motus ad perpetrandas culpas erigunt, virtute tamen potati spiritus in statu peccati non inveniuntur. Cum quibus profecto quia Judaicus populus certamen habet fidei contra Philisthæos istos, carnalis Israel quotidie egreditur ad campum belli.

4. Possunt autem Philisthinorum appellatione idcirco sanctæ Ecclesiæ prædicatores intelligi, quia de errore gentilium ad gratiam fidei per Dei misericordiam sunt perducti. Cum quibus nimirum Israel prælians terga vertit, quia loquenti per ora prædicatorum spiritui non resistit. In prælium namque Israel contra Philisthiim exierat cum prædicanti Stephano Judæi obsisterent, et de fidei nostræ ratione disputarent. Sed prælians terga vertit, quia **127** resistere disputando non potuit. Nam de terga vertentibus in apostolorum Actibus dicitur : *Non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur* (*Act.* VI, 10). Cædi autem Israelitis est ab infidelitatis vita separari. Bene quoque in agris mori perhibentur ; agri enim certaminis sunt sacri eloquii virentes intellectus. In agris igitur cæsa pugnatorum Israelitarum millia assignantur, quia qui sanctorum prædicatorum ministerio de Judæa conversi sunt in Redemptorem humani generis per sanctarum Scripturarum documenta crediderunt. Quatuor vero millia cæsorum fuisse memorantur, quia eamdem sacri eloquii auctoritatem de lege, prophetis, psalmis, atque de Evangelio voverunt. Sed et cæcis aliis, alii in castra revertuntur, quia de Judæa nonnulli prædicatorum ministerio ad cognitionem Redemptoris perducti sunt, sed ejusdem gentis plenitudo sanctæ Ecclesiæ assertionibus tanto audacius adversatur, quanto, in infidelitatis suæ tenebris profundius ejecta, ad veritatis lumen non ducitur. In castra quippe ei reverti est adversari non desistere. Et quia eos qui crediderant velut stultos, et nulla sufficienti ratione superatos arguunt, sequitur :

(Vers. 3.) *Dixeruntque majores natu Israel : Quare percussit nos hodie Dominus coram Philisthiim?*

5. *Quare* enim hoc loco non est inquisitionis interrogatio, sed querela admirationis. Sub admiratione ergo de percussione interrogant, quia ad eam rationem qua religionis suæ homines fidem Redemptoris excepisse conspexerant pertingere non valebant. Et notandum quia qui admiranter interrogant, majores natu de Israel fuisse memorantur, quia profecto superbi quique, in sua sapientia gloriantes, ad divinorum mysteriorum cognitionem pertingere nequaquam potuerunt. Unde et in Evangelio Dominus ad Patrem loquitur, dicens : *Confiteor tibi, Pater, rex cœli et terræ, quia abscondisti hæc a prudentibus et sapientibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). Qui profecto se percussos fuisse conqueruntur, quia dum per eos qui crediderunt veterem legis consuetudinem solvi conspicerent, quædam percussionis vulvera incomprehensibili judicio Dei inflicta sibi arbitrati sunt, quæ communi dolore declamarent. Sed qui cecidisse alios conqueruntur, quo se consilio ad resistendum præparent, subdunt :

(Vers. 3.) *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, et veniat in medio nostri,* [a] *et salvet nos de manu inimicorum nostrorum.*

Et de affectu ejusdem consilii protinus subinfertur :

(Vers. 4.) *Misit ergo populus in Silo, et tulit inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super cherubim.*

6. Hoc est certe consilium, hoc opus [b] Israelis contra certamen cadentium poculo, sed profecto consilium, et opus inauditum, quia non est Israelis secundum spiritum, sed Israelis secundum carnem, videlicet non [c] Deum videre videntis, sed Deum quem despicit se videre arbitrantis. Quid est enim ad Silo mittere, nisi ad legem Moysi recurrere, cui a Domino dicitur : *Veni, mittam te ad Pharaonem* (*Exod.* III, 10)? Quid est afferre arcam Domini, nisi veteris legis sacramenta ad reprobandam novæ fidei veritatem recolendo adducere? Et quia eamdem legis scientiam suorum neminem ignorare patiuntur, in medium eorum arca adduci præcipitur. **128** Quid est item quod dicunt : *Et salvet nos de manu*

[a] Vatic., *et salvet nos de manu inimicorum nostrorum.*

[b] Gussanv., *Israelitis.*

[c] Forsan legendum *Deum videre volentis*, aut potius *non Deum vere videntis, sed... se videre arbitrantis.*

inimicorum nostrorum, nisi quia dum pertinaciter A defendunt vetera, repellunt nova, et hoc habent in fiducia salutis, si ad veræ fidei rationem bonorum prædicatorum studio trahi non possunt? Quia igitur veritatem divinæ cognitionis per veterem legem habere se jactant, eamdem arcam, quam ad salvationem suam deferri præcipiunt, Domini exercituum esse confirmant. Et quia incomparabili scientia ejusdem legis se pollere arbitrantur, dum arca deferri dicitur, Domini exercituum sedentis super cherubim esse perhibetur.

(Vers. 5.) *Cumque arca venisset, omnis Israel grandi clamore vociferatus est.*

7. Quia profecto de eo quod carnaliter scientiam legis accipiunt, in sanctæ Ecclesiæ exprobratione garriunt, sine ostensione rationis. Qui enim clamasse, et nihil dicuntur dixisse, hoc profecto exprimunt quod agunt, quia dum loqui spiritualia carnaliter satagunt, clamorem quidem in garrulitate habent, sed rationem veritatis non habent. Voce quidem multa dicunt, sed, sine ratione loquentes, sanctæ Ecclesiæ electis in nullo obsunt, et, in semetipsa Synagoga loquens, inani devotione concutitur, quia ejus verbis sancta Ecclesia non movetur. Unde apte nimis terra tantum sonuisse relata est. Terra quippe Judæa nunc dicitur, non quia Deo fructificet, sed propter carnalitatem, quia nimirum, dum Redemptoris fidem recipere noluit, cœlestem conversationem penitus amisit. Sed dum vociferatione sua concutitur, ea existimatione qua semetipsam considerat esse se terribilem sanctæ Ecclesiæ prædicatoribus exsultat.

(Vers. 6.) *Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque : Quænam est hæc vociferatio in castris Hebræorum?*

8. Terræ quippe sonitum et castrorum vociferationem Philisthiim audiunt, quia ii qui in sancta Ecclesia poculo sancti Spiritus refecti sunt Judææ quidem et garrulitatem et vanam perfidiæ devotionem cognoscunt. Et quia eorum æstimationem in contemptu derisionis habent, subditur :

(Vers. 6, 7.) *Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra, timueruntque Philisthiim dicentes : Venit Deus in castra, et ingemuerunt.*

Arca in castra Hebræorum venisse, et cadentes poculo timuisse, atque ingemuisse per ironiam dicitur, quia ad conflictum sanctæ Ecclesiæ sacramenta legis veteris a Synagogæ carnalibus defensoribus carnaliter exponuntur. De eo namque disputant, quod si secundum Dei spiritum saperent, hostibus suis, si quos haberent, in veritate terribiles esse potuissent. Dum ergo pertimuisse et ingemuisse cadentes poculo dicuntur, non passiones mentium in sanctis prædicatoribus Scriptura ostendit, sed subsannationem Judaicæ disputationis; quæ tanto contemptibilior, et risu dignior noscitur, quanto ad spiritalem conversationem Judaicus populus legem a Domino spiritalem accepit, et hoc quod spiritu donante acceperat, in spiritu non attendit. Quare et ejusdem Judaicæ derisionis verba addentes dicunt :

(Vers. 8.) *Væ nobis, non fuit tanta exsultatio heri, et nudiustertius.*

Et quia abundantius deridendi sunt, subdentes dicunt :

(Vers. 8.) *Quis nos liberabit de manu deorum istorum sublimium?*

129 9. Et notandum quia deorum appellatione deridentur qui, a fide veterum Patrum recedentes, se in veritate fidei existere, atque in filiorum Dei numero confidunt. In se quidem illa divinæ laudationis præconia prolata asserunt, quæ per Prophetam Dominus pronuntiat, dicens : *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Si itaque mendaci existimatione omnes Israelitæ secundum carnem B nuncupative dii sunt, sublimes dii ejusdem Judaicæ existimationis mendacio sunt sapientes Judæorum. Et quia periti Synagogæ ad sanctæ Ecclesiæ conflictum veniunt, ipsi sanctorum prædicatorum voce deridentur, qui de ea quam non habent doctrinæ virtute gloriantur. Et quia de antiqua Patrum veterum conversatione superbiunt, verba subsannationum supponuntur.

(Vers. 8.) *Hi sunt dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.*

10. Ipsi namque essent, si nobilitatem quam trahunt ex carnis origine rectæ fidei virtutibus illustrarent. Nunc autem quia per carnis propaginem eorum sunt filii quorum virtutes non habent, de amissa earumdem virtutum successione per contraria verba C deridentur : *Hi sunt*, inquiunt, *dii*. Quasi aperta derisione Judæorum sapientes doctorum nostrorum ordo reprobet, dicens : Carne quidem magnorum virorum se filios esse gloriantur, sed eorum de quorum generatione superbiunt nobilitatem fidei non consequuntur. Ipsi ergo sunt dii subsecutione generis, sed quia ipsi non sunt imitatione virtutis, cum ipsi esse dicuntur qui virtute claruerunt, deridentur potius quam laudantur. Et quia eorum assertiones sanctæ Ecclesiæ doctores pro nihilo ducunt, sequitur :

(Vers. 9.) *Confortamini, et estote viri, Philisthiim, ne serviatis Hebræis, sicut ipsi servierunt vobis.*

11. Contra Judæorum quippe vanas assertiones sanctæ Ecclesiæ doctores eo nihil fortius noviter præparant, quo quidquid a Judæis de Redemptoris con- D temptu falso asseritur pro nullo pensant. Contra eorum quippe congressionem confortarentur, et quasi virili fortitudine decertarent, si velut a sapientioribus et rationabiliter disputantibus assertionis suæ munimenta infringi timuissent. Quasi enim dicat : Contra eorum objectiones eo robusta et acuta aliqua nobis exquirenda non sunt, quo ipsi nequaquam subtilia et timenda, sed debilia et contemnenda objiciunt. Sed, ut dixi, prædicatores sanctæ Ecclesiæ etsi contra Judæorum vaniloquia noviter nulla præparant, plana tamen et humili veræ fidei nostræ ratione quocunque modo defensorum Synagogæ impetum debellant. Unde et subdit :

(Vers. 10, 11.) *Pugnavit ergo Philisthiim, et aversus est Israel, unusquisque in tabernaculum suum, et facta*

est plaga magna nimis, et arca Dei capta est. Duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees.

12. Philisthiim, id est poculo cadentes pugnant, cum doctores sanctæ Ecclesiæ cum catholicæ fidei vexillo Judæis impugnantibus obviant. Israel autem avertitur, quia in omni disputatione Judæorum versutia superatur. Averti enim ei est ex pari virtute adversari non posse. Qui autem præliando avertitur, in prælio quidem est, sed fugiens, etsi virtute deficiens, nocendi tamen desiderium non amittens. Sic namque est omnis repulsus Israel. Fugit quippe, quia doctoribus sanctæ Ecclesiæ respondere non sufficit; sed fugiens vellet resistere, quia victus et confusus cuperet sibi **130** suppetere unde veritati, qua vincitur, refragari potuisset. Bene itaque cum aversus Israel dicitur; caute subjunctum est : *Unusquisque in tabernaculum suum.* Tabernaculum quippe uniuscujusque Israelitæ est cor perfidiæ conclusione circumseptum. Quia igitur, victi a sanctæ Ecclesiæ prædicatoribus, erroris sui latibula repetunt, singuli fugientes de prælio in suum tabernaculum revertuntur. Et quia hoc totum de adimpletione verbi Samuelis, videlicet de Ecclesiæ primitivæ comminatione, dicitur, plaga magna nimis facta fuisse perhibetur, quæ profecto plaga, pro lectoris arbitrio, et secundum spiritalem percussionem, et secundum materialem accipi convenienter potest.

13. Nam de spiritali eorum plaga ad discipulos in prædicatione destinatos Dominus dicit : *Quicunque non receperint vos exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis : tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati* (*Matth.* x, 14). Hinc iterum dicit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (*Marc.* xvi, 16). Secundum materialem quoque percussionem plagam magnam insinuat, cum ad Jerusalem loquitur, dicens : *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et coangustabunt te undique et filios tuos, et ad terram prosternent te, et non relinquetur in te lapis super lapidem* (*Luc.* xix, 43, 44). Hinc compatientibus sibi atque lugentibus mulieribus, ad passionis suæ dignationem proficiscens, loquitur, dicens : *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros, quoniam ecce venient in te dies in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* xxiii, 28, *seq.*)? Quibus profecto verbis ea quæ Judæorum populo a Romanis principibus Vespasiano et Tito illata est et mors et captivitas designatur. Tunc quippe plaga magna facta fuit, quando cum internecione populi Judæorum civitas et capta exstitit et eversa, quando pro ultione divini sanguinis, et hostili gladio populus corruit, et qui evadere ferrum potuit pœnam sustinuit æternæ captivitatis. Quæ profecto plagæ immensitas averso jam Israeli perhibetur, quia Judaicus populus ante fuit a sanctæ Ecclesiæ doctoribus et victus et reprobatus quam a Romano exercitu expugnatus, peremptus et in captivitatem ductus. Nam inde expugnari, occidi et in captivitatem duci temporaliter potuit, quia æternæ libertatis securitatem oblatam sibi a sanctæ Ecclesiæ doctoribus non recepit. Sed et eadem plaga in Israelem veterem alta divinæ bonitatis dispensatione decernitur, ut arca Dei a gentilibus caperetur, et divinorum sacramentorum intellectus sanctæ Ecclesiæ fideles tanto securius sub spiritali explanatione perciperent, quanto in Judæa nihil remanere cernerent, quod carnaliter exhiberet. Volente namque Deo, civitatem, templum, arcam fœderis vetus populus perdidit, ut nova plebs sanctæ Ecclesiæ eo plenius veri et novi sacrificii mysterium recognoscat, quo apud Judæos, novis apparentibus, vetera penitus defecisse considerat. Arca itaque Dei a Philisthæis capta asseritur, quia, destructo more veteris Scripturæ, sacramenta a gentilibus secundum veritatem spiritus fideliter accipiuntur. Capit quippe arcam Dei qui divinæ cognitionis mysteria in sacro eloquio per veritatem **131** intelligentiæ, mentis devotione comprehendit. Sed capta arca, duo protinus Heli filii moriuntur, quia profecto et majoris ordinis sacerdotes, atque minoris, in officio immolationis veteris nusquam vivunt. Mori namque perhibentur, qui offerre sacra omnino desiere. Sequitur :

(Vers. 12, 13.) *Currens autem vir unus de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illo, scissa veste, et conspersus pulvere caput. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sella, spectans contra viam. Vir autem ille, postquam ingressus est, nuntiavit urbi, et ululavit omnis civitas.*

14. Quid per virum istum exprimitur, qui de acie fugit, nisi ea pars Judaici populi quæ ad Redemptoris cognitionem veniendo Judaicam perfidiam dereliquit? Currere namque ei fuit a pravitate erroris sui devotionis velocitate desistere. Quia vero fortia agere in Redemptoris professione disposuit, vir fuit. Qui nimirum eo die quo victus est de prælio currit, quia ea fidei illuminatione qua perfidiæ tenebras deseruit ad prædicandum veritatem quam noverat accessit. Unde et in Silo venisse perhibetur, [a] quia ad prædicationem mittitur. Qui vestem scidit, quia veterem se hominem exuit; caput pulvere conspersit, quia de splendore novi hominis, quo se induit, nequaquam superbivit. Scissa namque vestis ad decorem sanctæ conversationis pertinet, conspersio pulveris ad æstimationem humilitatis. Quia ergo sanctis prædicatoribus, nec vitæ munditia sine humilitate, nec humilitas sufficit sine sancta conversatione, vir qui in doctorum typo ad annuntiandum Israelis interitum venit, et vestem scidit, et caput pulvere conspersit. Hoc namque pulvere caput conspersum portabat, qui, Domino loquens, ait : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* xviii, 27)?

[a] Aliter, *qui.*

Consperso item capite loquebatur Propheta, cum supplicaret, dicens : *Memento, Domine, quia pulvis sumus* (*Psal.* CII, 15). Vestem quoque sciderat, qui confitens, dixit : *Conscidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia* (*Psal.* XXIX, 12).

15. Sed cum ecclesiastici prædicatoris humilitas commendatur, pariter et superbia Judaici doctoris exprimitur, quia videlicet Heli super sella sedere perhibetur. In isto quippe loco Heli non pontifices, sed legisperitos Synagogæ insinuat. Quid est autem quod sedet super sella, nisi quia superbe extollitur de doctrina? Et quid est quod spectat contra viam, nisi quia dum superbe Scripturas accipit, ei per quem ire ad æternam patriam debuit contradicit? Via quippe salutis illa est quæ semetipsam asserit, dicens : *Ego sum Via, Veritas et Vita* (*Joan.* XIV, 6). Non itaque viam, sed contra viam respicit, quia Redemptorem non cognoscit, cui contradicit. Et bene mortuis filiis pater super sella sedere dicitur, quia qui veteri more sacrificent Synagoga non habet, et tamen qui veteri more doceant adhuc habet. Et quia per sapientes doctores ad ministerium erudiebantur, dum cessavit qui sacrificaret, et adhuc qui doceat remaneret, apte filii referuntur mortui, et pater super sella sedere; sed de ea quam audivit annuntiatione Redemptoris multitudo Synagogæ non gaudium, sed mœrorem habuit. Unde et postquam vir de prælio venit, et captionem arcæ annuntiavit, ululasse omnis civitas dicitur. Quæ nimirum tristitia, quia usque ad doctores pervenit, sequitur :

(Vers. 14.) *Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque : Quis est hic sonitus tumultus hujus?*

132 16. Tumultus est vociferatio populi, sed confusa, cum videlicet sine disciplina audiendi, multis simul loquentibus, magnitudo fit murmuris sine ostensione rationis. Heli ergo cum ululatum civitatis audivit, dixit : *Quis est sonitus tumultus hujus?* Quia videlicet magisterium Synagogæ, subjectis sibi perfidis, de prædicatione Jesu Christi dolentibus, dum causam doloris audire voluit, non percepit responsionem rationabilem, sed confusionem querelæ. Ut autem excusationem ignorantiæ habere non posset, qui de circumcisione ad ministerium ecclesiasticæ prædicationis accesserat, ei rei veritatem aperuit. Unde et subditur :

(Vers. 14.) *At ille festinavit, et venit, et nuntiavit Heli.*

Sed quia idem Heli statim mortuus annuntiationem suscepit viri venientis, qualis sit ipse audiens subsequenter innotescit :

(Vers. 15.) *Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant, et videre non poterat.*

17. Perfectæ namque senectutis esset, si centenarium numerum annorum vivendo peregisset. Cui profecto numero, quia duo anni deesse conspiciuntur, quid est aliud, nisi quia perfectæ maturitatis existeret, si sacramentum geminum in Redemptoris nostri incarnatione cognovisset, videlicet veram divinitatem in humanitate ejus, et veram humanitatem in divinitate? Nunc autem, quia multa de lege veteri, plurima de mandatis cœlestibus recte intelligit, nonaginta et octo annorum est. Et dum Deum credit, et ex Virgine nasci potuisse per carnem, et humanitatis ejus naturam suscipi abnegat in divinitate, centum annorum non est. Unde et, audita viri relatione, juste moritur, quia sine fide Redemptoris ei bona quæ cognoscit et alia nequaquam prosunt. Et quia alto et incomprehensibili judicio Dei cæcitas ignorantiæ ejus menti incutitur, caligasse et videre non potuisse memoratur. Sequitur :

(Vers. 16.) *Et dixit ad Heli : Ego sum qui veni de prælio, ego qui de acie fugi hodie.*

18. Quasi in prælio se fuisse memorabat ille qui dicebat : *Audistis conversationem meam aliquando in Judaismo; quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos, in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum* (*Gal.* I, 13, 14). Sed de prælio venit qui dicit : *Qui prius fui blasphemus et persecutor; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (*I Tim.* I, 13). Fugere ergo de acie Judæo quid est aliud quam a perfidorum errore separari? et de prælio venire quid est, nisi rectæ fidei bonum aliis nuntiare? Fugere namque metuentis est; venire, volentis. Quo in loco, quia prius dicitur venire de prælio, quam ex acie fugere, cum prius deseratur perfidia quam veritas prædicetur, mirum non est. Nam hoc, quod de acie se fugisse posterius dicit, non ad ordinem quo factum est dicitur, sed ad certitudinem verbi quod præmisit. Quod etiam secundum historiæ ordinem demonstratur, quia nisi prius de acie fugisset, venire de prælio nequaquam potuisset.

19. Nos autem qui secundum spiritum spiritalia etiam in rebus Judæorum carnaliter gestis inquirimus, illum virum quem loquentem paulo superius introduximus attendamus. Nam auditum est ab Ecclesia quia is qui quondam persequebatur evangelizaret, sicut scriptum de eo jam evangelizante est : *Cum autem venisset Jerusalem, tentabat* **133** *se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quia esset discipulus* (*Act.* IX, 26). Hinc item ad Ananiam discipulum Dominus Damasci apparens, ait : *Surgens vade in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem, et impone sibi manum, ut visum recipiat* (*Ibid.*, 11 *et* 12). Qui nimirum confestim Domino respondit, dicens : *Domine, audivi a multis quanta mala sanctis tuis fecerit in Jerusalem, et potestatem habet a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum* (*Ibid.*, 13 *et* 14). Cum ergo illum Judæis prædicabat, quem impugnare minis solebat et cædibus, nimirum de prælio veniebat. Sed dum ei prædicanti discipuli omnes se jungere timerent, de acie eum fugisse dubitabant. De prælio quippe veniebat, cum a vocante Domino in terram prostrato dictum fuerat : *Surge, et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere* (*Ibid.*, 7). Sed fugisse eum de acie, Ananias non credidit, qui ea mala quæ sanctis in Jerusalem fecerat, et potestatem quam acceperat, Domino præcipienti intimavit. Ut

ergo eum venisse de prælio et fugisse de acie vera- A citer demonstraret, eidem Ananiæ Dominus præcipit, dicens : *Vade, quia vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus, et regibus et filiis Israel* (*Act.* IX, 15). Et notandum, quia eo die quo hæc nuntiabat, se venisse de prælio et fugisse de acie asserebat. In die quippe fugiunt : quia, attestante Veritate : *Qui in tenebris est, nescit quo vadat* (*Joan.* XII, 35). Hinc etiam scriptum est : *Qui dormiunt, in nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, in nocte ebrii sunt* (*1 Thess.* V, 7). Et quia in exemplo beati apostoli Pauli, virum de acie fugientem videre cœpimus, hoc quod in die fugiat attendamus. Nam nox erat quando aciem contra sanctam Ecclesiam construebat, quando acceptis epistolis a principibus sacerdotum ad Damascum, minarum et cædis spirans in discipulos, festinabat B (*Act.* IX, 1, 2). Sed qui in nocte bellum paravit, in die fugit : quia in itinere lux de cœlo eum subito circumfulsit, in terramque prostravit, ineffabili pavore terruit, ut tenebras immensi erroris agnosceret, et pro ea quam expugnabat nocte Ecclesia in diei lumine dimicaret. In die igitur fugit, quem ut perfidiæ noctem desereret, de cœlo ostensa Redemptoris claritas circumfulsit. Quid est ergo quod eo die se fatetur venire de prælio quo de acie fugerit, nisi quia rectæ prædicationis intentio designatur? Quidam namque eo die de acie fugiunt, sed alio veniunt de prælio : quia errores pristinos amore æternæ vitæ derelinquunt, sed, cum ad prædicationis ministerium assumuntur, de sua prædicationis facundia temporales retributiones appetunt. Alio igitur die quam eo C quo fugerant veniunt : quia nimirum recti sunt conversatione, sed prædicationis intentione perversi. Sancti ergo prædicatores, qui per Redemptoris nostri gratiam de circumcisione crediderunt, non alio die, sed eo quo de acie fugerant de prælio venerunt : quia profecto utrumque donum in superni amoris splendore consecuti sunt, veritatem scilicet conversationis, cum prædicatione verbi. Et quia Judaicum magisterium, etsi non intentione cognoscendæ veritatis, curiositatis tamen sollicitudine sanctorum prædicatorum assertiones audire voluit, sequitur :

(Vers. 16.) *Cui ille ait : Quid actum est, fili mi?*

20. Sub unius quippe descriptione omnibus loquitur, quia gentis suæ homines vidit, quos aliquando doctrina Legis instruxit. Vel fortasse filium vocavit, D non affectu amoris, sed adulatione calliditatis : **134** ut eo hunc facilius per deceptionem caperet, quo se eum paterno affectu diligere demonstraret. Eum itaque filium vocat, a quo quid actum fuerit scire appetit : ut profecto ille, pro impenso honore adulationis, seriem perverteret veritatis. Honor igitur appellationis non ad amorem refertur, sed ad calliditatem. Sed qui prælatæ laudis favorem respuit, constanter vera patefecit. Unde et subditur :

(Vers. 17.) *Respondens autem qui nuntiabat : Fugit, inquit, Israel coram Philisthiim, et ruina magna facta est in populo. Insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees. Et arca Dei capta est.*

21. Hoc namque vir fugiens nuntiavit, quod experientia didicit. Quid est igitur quod fugisse Israelem asserit, nisi quia constanter affirmat quod, dum Judaicus populus Legis sensum carnaliter retinet, spiritalibus sanctæ Ecclesiæ doctoribus resistere disputando non potest? Et quid est quod magnam ruinam factam fuisse in populo prædicat, nisi quia omnes qui de Judaico populo verbum fidei repulerunt æterna morte periisse confirmat? Et quid est quod duo Heli filii mortui referuntur, nisi quia uterque ordo veteris sacerdotii defecisse asseritur? Et quid est quod arcam Dei captam fuisse dicit, nisi quia cognitionem divinorum sacramentorum a Judæis ablatam, atque a Gentibus fideliter apprehensam asserit? quia a Gentibus jam, Dei gratia vocante, fidelibus divina mysteria cognoscuntur. Sequitur :

(Vers. 18.) *Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit Heli de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus, mortuus est.*

22. Quid est quod Heli, audita Israelis fuga, relata sibi ruina populi, intimata filiorum morte, de sella nequaquam cadit : cognita autem arcæ captione, et de sella cadit, et vitam perdit? Sed quia in Heli sapientes Judæorum et legisperitos designari diximus, audita Israelis fuga, de sella non cecidit : quia, quod simplices Synagogæ filii a sanctæ Ecclesiæ doctoribus in prædicatione superentur, pro parvo ducit. Non cadit relata sibi ruina populi : quia, dum perire audit eos qui in Judaismo moriuntur, nequaquam expavescit. Intimata filiorum morte non cadit : quia, et objecta sibi sacerdotii utriusque cessatione, superbire non desinit. Illata autem sibi arcæ captione cadit : quia, dum sacramenta Scripturæ suæ profunde et spiritualiter sciri a sanctæ Ecclesiæ prædicatoribus et fidelibus videt, de ea quam carnaliter tantum intelligit, sacri eloquii eruditione superbire non audet. De sella igitur cadit, quia, spiritali cognito, superbire de carnali magisterio non præsumit. Sed, quia vera prædicari sublimiter audit et nequaquam credit, dum confunditur et non salvatur, cadit et moritur. Capit quippe de sella, quia extolli desinit de doctrina. Sed cadens moritur, quia si ratione vincitur, ejusdem tamen rationis judicio, pervenire ad æterna gaudia non meretur.

23. Qua in re notandum est, quia qui cadens moritur, juxta ostium cadit. Quid est enim quod cadit juxta ostium, nisi quia, dum cæcus errat, impingit in Redemptorem? Qui nimirum de semetipso asserit, dicens : *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum* (*Matth.* XXI, 44). Ipse quoque de semetipso ait : *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur et egredietur, et regredietur, et pascua inveniet* (*Joan.* X, 9). Juxta ostium ergo mortuus est Heli, quia Synagogæ magisterium idcirco **135** periit, quia in Redemptorem offendit. Ibi enim cecidit, ubi deliquit. Qui etiam cadens, cervices fregit. In cervice tumor temporalis potentiæ designatur. Fracta ergo cervice moritur, qui perfidiæ magnitudine, amissa regni potentia, condemnatur.

24. Potest quoque per ostium sacræ Scripturæ littera designari. Nam velut per ostium ad æterni templi atria ducimur, dum per sacri eloquii litteram ad allegoricam et spiritualem intelligentiam sublevamur. Intus quoque rex cernitur : quia promissus Redemptor humani generis in spirituali sacræ Scripturæ intelligentia invenitur. Heli ergo juxta ostium mortuus cecidit : quia profecto Synagogæ magisterium idcirco interiit, quia per spiritalem Scripturam eum qui in spiritu promissus fuerat Redemptorem humani generis, non spiritaliter, sed carnaliter, quæsivit. Juxta ostium namque mortuus est : quia de eo interiit, quod spiritalem Redemptoris promissionem, non secundum intelligentiam spiritalem, sed secundum simplicem locutionem historiæ intellexit. Et quia per doctrinæ suæ studium multo tempore, Judææ, non amore bona operanti, sed timore a malo declinanti, præfuit, sequitur :

(Vers. 18.) *Senex enim erat, et grandævus : et ipse judicavit Israel quadraginta annis.*

25. Senex etenim fuit, et grandævus diuturnitate temporum. Quadraginta vero annis præfuit, per timorem legalium mandatorum. Quadragenarius quippe numerus ad peccatores pertinet. Unde et Quadragesimæ tempus in sancta Ecclesia eodem dierum numero consecratum est, ut videlicet ea quæ committimus peccata tergere pœnitendo studeamus. Quadragenarius quippe numerus ex denario et quaternario consummatur. Et quia, peccando, Decalogum divinæ Legis transgredimur, ipsam vero peccandi facultatem ex ea qua consistimus, quatuor elementorum compactione contrahimus; sub numero quadragenario, quandiu in peccato existimus, continemur. Heli ergo quadraginta annis Israelem judicavit, quia Synagogæ magisterium et austeram Legis disciplinam ad timorem subjectæ plebis exhibuit : ut materiam humanæ conditionis, per concupiscentiam fragilem, in statu justitiæ per timorem retineret. Sed jam mortuus est Heli, jam fractis cervicibus juxta ostium jacet; sed tamen pravæ doctrinæ ejus virus in semine remanet. Jam quippe, qui non credit de Judæorum sapientibus, judicatus est; sed quia in ejus instructione pravitatis semina mentes concipiunt, qui ejus doctrina filii nascuntur perfidiæ ejus vesaniam non relinquunt. Quare et subditur :

(Vers. 19, 20.) *Nurus autem ejus uxor Phinees prægnans erat, vicinaque partui : quæ, audito nuntio, quia capta esset arca, et mortuus socer suus, et vir suus, incurvavit se, et peperit. Irruerunt enim in eam dolores subiti. In ipso autem momento mortis ejus dixerunt ei, quæ stabant juxta eam : Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit, neque animadvertit.*

26. Quæ autem fuit nurus Heli, nisi plebs Judæorum, reprobis sacerdotibus subjecta ? Quæ quia per eorum prædicationem semina perfidiæ in mente susceperat, prægnans erat. Et quia conceptam malitiam ipsa quoque cogitabat effundere, non solum prægnans fuisse dicitur, sed etiam partui vicina. Quid est autem quod, audita arcæ captione et soceri atque viri sui morte, peperisse dicitur, **136** nisi quia Judaicæ plebis residuum, dum spiritalia sacramenta Scripturarum ad Gentium eruditionem transisse cognoscit, dum sapientes Synagogæ cum utroque sacerdotio interiisse jam conspicit, ea quæ concepit, hæresis suæ semina, loquendo effundere non desistit ? Parere autem ei, est conceptam pravitatem loquendo aliis aperire. Et quia reproba prædicat, dum parere asseritur, incurvata memoratur. Velut enim non se curvantes pariunt, qui cœlestia loquuntur : quia in statu fidei auditorum suorum corda ad studium erigunt bonæ operationis. Quæ igitur prava asserit, incurvata parit : quia profecto hoc sibi loquendo agitur, ut quo attentius loquitur, in damnationis suæ barathro profundius deponatur. Recte igitur dum ad partum incurvatur, mori dicitur. Pariens namque moritur, quia in blasphemiæ suæ merito condemnatur. Et quia mortis suæ tormenta non prævidet, subiti dolores in eam irruere dicuntur. Subiti namque dolores sunt repentinæ afflictiones mortis sine prævisione venientis. Subito enim dolores irruunt, cum Judaicæ plebi suppliciorum perennium retributiones obviant: quæ nunc in contemptu veritatis posita, non formidat. Quia enim pro paternarum traditionum observatione, ad æternam vitam moriendo se transire æstimat, in subitos dolores tunc corruit, cum sustinere tormenta inchoat, quæ non speravit. Et notandum, quia de moriente dicitur : *Irruerunt in eam dolores subiti :* quia videlicet dum per carnis molestias ad exitum vitæ cogitur, tunc flagella dolorum irruere in eam temporaliter incipiunt, quibus ejus impietas æterna vindicta puniatur ; et quia vicino exitu reprobæ Judæorum mentes se alterutrum ad perfidiam cohortantur. In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei, quæ stabant juxta eam : *Ne timeas, quia filium peperisti.* Filium quippe peperit : quia durum in nequitia et insuperabilem populum erudivit. Quæ autem mulieres juxta stant, nisi mentes æquali ordine impietatis adstrictæ ? Stant quippe non veritate et rectitudine fidei, sed præsumptione et jactantia religionis. Idcirco eam, ne timeat, cohortantur, quia filium peperit : ut videlicet tanto securius in veteri traditione mori non timeat, quanto illos etiam in ea obduratos et inconvertibiles aspicit, quos suo magisterio eruditos cognoscit. Sed dum in se abundantius dolore compellitur, pro nihilo ducit, quidquid alii sua eruditione profecerunt, unde et subditur : *Quæ non respondit, neque animadvertit.* Nam dum æterni doloris experiri amaritudinem inchoat, hoc, quod temporaliter aliis præfuit, non delectat. Vel certe idcirco de nato puero non lætatur : quia is, qui gignitur sua institutione, in captivitate conspicitur. Unde et subditur :

(Vers. 21, 22.) *Et vocavit puerum Hichaboth, dicens : Translata est gloria Domini, quia capta est arca Dei.*

27. Arca quidem capitur : quia jam, auctore Deo, a veris fidelibus, sanctæ Scripturæ sacramenta veræ

intelligentiæ capacitate retinentur. Et gloria Israel translata est : quia, postquam a vera religione cecidit, redolere per bonæ famæ opinionem cessavit. Bene autem non perire Israel gloria dicitur, sed transferri : quia religionis fama, quam perdidit, ad Gentilitatem transivit. Translata quippe est gloria : quia in sancta Ecclesia veræ religionis fragrantia redolet, quæ in fide Redemptoris posita, pro æterni splendoris certitudine, quem exspectat, donum sancti Spiritus pignus tenet. Idcirco de nato filio lætari refugit : quia profecto, dum **137** ad Gentes transisse præteritam gloriam conspicit, ad captivitatem se parere ingemiscit. A translatione etiam gloriæ filium nominat : quia profecto impietatem in qua permanet, quasi prælato nomine, perpetuo repræsentat. Potest autem per hoc, quod a matre ei nomen imponitur, aperte intelligi quod videmus. Ex ea enim nomen suscepit, a qua ei meritum impietatis venit. Sequitur :

CAPUT III.

(I Reg. v, 1-3.) *Philisthiim autem tulerunt arcam, et asportaverunt a Lapide Adjutorii in Azotum. Tulerunt Philisthiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et surrexerunt Azotii altera die, et invenerunt Dagon jacentem ante arcam, pronum in terra.*

1. Quid est quod arca a Lapide Adjutorii asportatur, nisi quia præcones veritatis ab eo, quem Judæi falsa opinione exspectant, Christo mysteria Scripturarum auferunt? Dum enim ad veri Redemptoris cognitionem sanctæ Scripturæ testimonia convertunt, ab eo nimirum in quem sui auxilii spem Judæi posuerant arcam tollunt. Et quia Gentibus fidei mysteria creduntur, arca Dei in Azotum perducitur. Quæ profecto arca in templum infertur. Quid ergo fuit templum Dagon, nisi unaquæque anima infidelis, quondam idololatriæ superstitione polluta? Quid simulacrum Dagon, nisi totius idololatriæ superstitionem designat? Quid igitur erat aliud, mysteria fidei cordibus Gentilium intimare, quam arcam Dei in templum Dagon inferri? Velut enim juxta Dagon statuebatur arca, dum prædicatores sanctæ Ecclesiæ Gentiles admonerent, ut, ad probandam fidei veritatem, et prædicationem quam audiebant, et idololatriæ quam tenebant errores discuterent. Bene itaque die alia Dagon pronum in terra ante arcam jacentem Azotii repererunt. Unam quippe diem Azotus habuit, in audita prædicatione veritatis, alteram in cognitione fidei. Primo namque die arca Dei juxta Dagon statuitur, quia in audita prædicatione Redemptoris, erroris vetusti tenebras deprehendunt. Altera vero die surgentes, pronum in terra ante arcam jacentem Dagon invenerunt : quia et in cognitione veritatis statum idololatria perdidit. Unde et bene cum lapsus Dagon asseritur, jacere pronus in terra memoratur. Ante arcam quidem cadit, quia ex mysteriorum divinorum scientia innotescit. Sed pronus in terra jacet, quia, auctore jam Deo, ad aspectum fidelium simulatæ rationis imaginem non habet. Qui enim pronus in terra jacet, faciem in terra deprimit. Per faciem vero simulacri, simulatio exprimitur rationis. Pronum itaque in terra jacere, est jam vera cognoscentibus, simulationis suæ fraudibus illudere nequaquam posse. Sed tamen, ut certius Gentiles vera cognoscerent, eamdem fidei nostræ auditam rationem, et superstitionis suæ vetustam consuetudinem magis ac magis discutere conati sunt. Apte itaque sequitur :

(Vers. 3.) *Tulerunt Dagon, et restituerunt eum in locum suum.*

2. Id est, in templo, ubi arca Dei posita fuerat. Quid est ergo Dagon in locum suum restituere, nisi juxta jam cognitam spiritualium sacramentorum veritatem, idololatriæ statum subtili consideratione perquirere? Et quia quo subtilius idololatriæ error aspicitur, verius condemnatur, subjunctum est :

(Vers. 4.) *Rursusque diluculo surgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam coram arca Domini.*

138 Diluculo iterum surgunt : quia ad amorem auditæ bonitatis jam certitudine deliberationis se erigunt. Primus itaque dies probationis est, sequens cognitionis, tertius vero deliberatæ jam certitudinis, et oblatæ professionis. Qui profecto dies, quia illuminatis conversorum mentibus, in splendore perfectæ et consummatæ fidei illuxit, sequitur :

(Vers. 4.) *Caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen. Porro Dagon truncus remanserat in loco suo.*

3. Quid enim Dagon, id est idololatriæ caput, est aliud, nisi ipsum initium omnis iniquitatis diabolus? Et quæ sunt palmæ manuum ejus, nisi universa opera idololatriæ? Caput itaque Dagon amisit : quia per idolorum culturam regnare maligni spiritus in corde Gentilium desinunt. Palmæ etiam manuum ejus abscissæ sunt, quia idolis vanis sacrificia nusquam offeruntur. Et quia a cunctis fidelibus ejus deformitas ubique conspicitur, truncus Dagon in loco suo remansisse memoratur. Caput vero et manus abscissæ, et super limen positæ memorantur : quia profecto quisquis ad veram fidem ingreditur, principia diabolicæ suasionis repellere, atque universis ejusdem Satanæ operibus renuntiare præcipitur. Posita ergo hæc sunt in limine, ut ab introeuntibus conculcentur : quia vere fidelis esse non poterit, qui et pravis maligni spiritus consiliis adversari, atque iniquis operibus, non proponit. Nam qui Dagon caput atterere, et manus vitat, etsi fidelium numero contineri videtur, idololatra quodam modo esse convincitur. In oblectatione etenim dæmonum non solum exteriora sacrificia, sed etiam iniqua desideria ab eorum cultoribus offeruntur. Qui ergo in veræ fidei cognitione receptus est, et ab immundis desideriis et pravis operibus non remotus, quia Dagon collidere caput et manus despicit, maligno spiritui, quem in oblatione cærimoniarum despicit, per internæ concupiscentiæ, et exterioris vitæ immunditiam, oblationem facit. Quare et subditur :

(Vers. 5.) *Propter hoc non calcant sacerdotes Dagon super limen usque in hodiernum diem.*

4. Sacerdotes quippe Dagon se esse insinuant, qui super limen non calcant. Quibus in verbis caute inspiciendum est, quia non dixit, limen, sed super limen, ut caput et manus Dagon calcanda esse doceantur, quæ super limen abscissa esse referuntur. Idcirco autem sacerdotes super limen non calcant, quia abscissas ejus manus et caput pede conterere vitant. Sacerdotes namque Dagon usque in hodiernum diem remanent : quia qui per immunda desideria antiquo hosti sacrificent, adhuc sunt. Qui profecto super templi limen calcare refugiunt : quia nec immundis suggestionibus, nec malis operibus resistunt. Dagon itaque sacerdotes sunt, quia etsi manufactis se idolis non humiliant, concupiscentiarum tamen simulacris per nefaria opera se incurvant. Sequitur :

(Vers. 6.) *Aggravata est manus Domini super Azotios.*

5. Manus Domini est virtus divinæ potestatis. Et quia in Azotiis primordia gentilitatis designata sunt, quid est quod manus Domini super Azotios aggravata perhibetur? Sed manum super Azotum aggravavit, cum Gentilium corda virtute suæ potentiæ ad conversionem movit. Nam dum per internam aspirationem eis vim æternæ mortis innotuit, de perpetratis iniquitatibus, Gentium mentes mirabili terrore percussit. Quia ergo dum manus Domini aggravata dicitur, interfici Azotii perhibentur, **139** gravedo hæc manus accipitur in multiplicatione conversorum. Nam mori Gentilibus fuit, ab infidelitate separari. Manu quoque Domini occidi, est eamdem veræ fidei cognitionem, non ministerio hominum, sed divina virtute, promereri. Levis itaque erat manus Domini super Azotum, cum adhuc per paucos ministros fidei pauci errorem desererent gentilitatis. Unde et quasi de aggravatione manus orare verbi ministros Dominus admonet, dicens : *Messis quidem multa est, operarii autem pauci : rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (*Matth.* IX, 38). Quasi aliter dicat : Qui per paucos ministros, velut levi manu paucos ab infidelitate separat, rogate ut ministros multiplicet, ut quasi in conversorum multitudine manum gravet. Sed et modus interfectionis exponitur : quia quisquis mori hac interfectione dicitur, dum ad purgandum ventrem exiret, in secretiori parte natium morderi a muribus perhibetur. Ad litteram una percussio hic ostenditur, sed in typica expositione geminatur. Nam per litteræ significationem, et gravationem manus Domini, et murium morsus ad ejusdem mortis effectum pertinet : quia ad hoc dicitur manus Domini super Azotios aggravari quod per murium morsus interfici.

6. Quia vero per spiritalem significationem duas mortes agnovimus : unam videlicet qua peccatores justitiæ peccando moriuntur, alteram qua justi a peccatis in quibus vixerant pœnitendo se erigunt; unam quæ ad humana corda, diabolo suadente, ingreditur, alteram quam omnipotentis Dei virtus operatur : necesse est ergo ut utramque mortem in hoc loco spiritualiter attendamus. Mors quidem, qua peccatores a peccatis pœnitendo resurgunt, designatur, quia dicit : *Aggravata est super Azotios manus Domini.* Illa autem mors qua Gentiles se immunditiæ et iniquitati servos exhibuerunt, designatur, cum morderi a muribus, et interfici, dicuntur. Mus quippe immundum est animal, et per Legem edi prohibitum (*Levit.* XI, 29). Quid ergo per mures, nisi dæmonia designantur? Et quid est morderi a muribus, nisi peccati pœna lacerari? Sed mordebantur a muribus, cum ad purgandum ventrem egrediebantur. Quid est ergo purgare ventrem, nisi expletione peccati, miseræ famæ fetorem proferre? Qui ergo ad purgandum ventrem egreditur, murium morsu perimitur : quia qui peccando ad aliorum notitiam per exemplum pravitatis extenditur, ad æternam quoque mortem gravi dæmonum obligatione retinetur. In secretiori enim parte natium percussi perhibentur : quia peccator quisque ex ea parte vulnus accipit animæ quam incurvat ad peccati delectationem. Cum ergo manus Domini super Azotum aggravatur, a muribus percussus asseritur : quia prædicantibus æternæ vitæ doctoribus, dum ab infidelitate Gentiles conversi sunt, qua peccatorum morte, suasione dæmonum, obligati essent, cognoverunt. Morderi igitur Azotiis post aggravatam manum Domini, est post veræ fidei cognitionem, dæmonibus non subjici, sed quibus se peccati fetoribus pœnæ mortis obtulerant, per fidei illuminationem intueri. Quasi enim tunc morsi sunt, quando peccatorum suorum morsus agnoverunt. Sequitur :

(Vers. 7.) *Videntes autem viri Azotii hujuscemodi plagam, dixerunt : Non maneat arca Dei apud nos, quoniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum.*

7. Nam cum cernerent templa destrui, sacrificia **140** cessare, uxores a viris et viros ab uxoribus dividi, a genitoribus filios et patres a filiis separari; quid aliud quam et super se et super superstitionem suam manum Domini duram esse putaverunt? Sed quid deinde factum fuerit, sequitur :

(Vers. 8.) *Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum, responderuntque Gethæi : Circumducatur arca Dei.*

8. Quia satrapas Philisthinorum congregaverunt dicitur, quare autem congregaverunt non dicitur. Sed quia respondisse satrapæ dicuntur, et circumducendæ arcæ consilium tribuisse, quia ad tribuendum pro eadem arca consilium vocati essent aperte cognoscitur. Qui ergo sunt satrapæ Philisthinorum, nisi electi prædicatores Gentilium? Satrapæ quidem principes dicuntur. De quibus profecto principibus per Psalmistam dicitur : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham* (*Psal.* XLVI, 10). Populorum namque appellatione Gentes designantur. Qui ergo populorum nomen et principum posuit, nimirum eos, de quibus loquitur, Philisthinorum satrapas

designavit. Qui certe populorum principes cum Abraham Deo convenerunt, quando ad salutem convertendarum Gentium, hoc prædicatores sonuerunt verbo, quod omnipotens Deus interno eis aspirabat desiderio. Quasi enim in auditorum Gentilium cordibus mira erat convenientia Dei et principum, cum simul et a sanctis prædicatoribus rationem rectæ prædicationis acciperent, atque a Domino fructum bonæ voluntatis. Et quia adversarii esse cognoscuntur, qui dixerant : *non maneat arca Dei apud nos :* quomodo principes mittentes congregant? Sed mittere, et principes congregare, est sanctorum prædicatorum mentes ad prædicationis instantiam provocare : quia illic erat attentius prædicandum, ubi Gentilium corda in errore profundius mergebantur. Hinc est quod egregius doctor nobiliorem de indomitis hostibus se elegisse victoriam gloriatur, dicens : *Ab Jerusalem usque Illyricum per circuitum replevi Evangelium Christi : sic autem hoc prædicavi Evangelium, non ubi de eo annuntiatum fuerat, ne super alienum fundamentum ædificarem* (*Rom.* xv, 19, 20). Provocati ergo sunt principes non desiderio, sed errore infidelium, cum inde Deo lucrum majus facere arbitrati sunt, unde caligo errorum per flatum superbiæ sublimius ferebatur. Quare et sanctæ prædicationis instantia designatur, cum subditur : *Responderuntque Gethæi : Circumducatur arca Dei.* Illi dicunt : *Non maneat arca Dei apud nos ;* et isti dicunt : *Circumducatur.* Quid est enim arcam Dei circumducere, nisi veræ fidei mysteria publice prædicare? Manet enim arca apud eos, qui veræ fidei sacramenta, quæ audiunt, per amorem amplectuntur. Qui autem *Non maneat apud nos arca* dicunt, prædicationem fidei a se averti concupiscunt. Satrapæ ergo e contrario dicunt : *Circumducatur arca Dei;* quia illis attentius divina prædicabant, quos ad odium veritatis gravis error accenderat. Et quia per sanctorum prædicatorum ministeria etiam talium magna lucra regnis cœlestibus illata sunt, sequitur :

(Vers. 9.) *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis, et percutiebat viros uniuscujusque urbis a parvo usque ad majorem, et computrescebant prominentes extales eorum.*

9. Arca quippe circumducitur, cum mysteria fidei palam et sine timore prædicantur. Et quia inter initia fidei innumeri convertebantur, interfectio magna nimis **141** per civitates singulas facta perhibetur. Item quia non solum simplices, sed sapientes conversi sunt : eadem interfectio a parvo usque ad majorem facta asseritur. Sed per eamdem percussionem computrescere extales referuntur. Extales quippe putrescere, est peccati meatus ab effusione consueti fetoris penitus interire. Bene namque percussus est, cujus prominentes extales computrescunt : quia nimirum nonnulli sunt, qui post munditiam conversionis, pristina involvuntur sorde flagitii. Horum profecto prominentes extales minime computrescunt : quia ad consuetum peccatorum fluxum per iniqua opera recurvantur. Hos nimirum ab imperfecta percussione male sanos ille redarguit, qui ad fetores pristinos devolutos insinuat, *Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti* (*Prov.* xxvi, 11 ; *II Petr.* ii, 22). Quasi enim ad computrescendum extales percutiebat ille, qui verbi gladium ingerens, ait : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus* (*Rom.* vi, 12).

10. Potest autem per hoc, quod Azotii dicunt : *Non maneat arca apud nos,* eorum, qui de eisdem Gentibus et verbum fidei audierunt, et ad æternam vitam minime prædestinati credere noluerunt, perversitas designari. Circumducere ergo arcam Dei satrapis fuit, sanctis prædicatoribus ejus verbum veritatis subtrahere, atque illis, qui digni erant, mysteria fidei revelare. Circumducta ergo est arca : quia fidei nostræ sacramenta ab aliorum notitia sublata sunt, atque aliis revelata. Unde et cum circumduceretur, interfectio magna nimis per singulas civitates fieri perhibetur : quia ubicunque verbum ducebant fidei, gratia multiplicabatur conversionis. Et quia ubicunque prædicabant, inter eos qui credebant erant qui prædestinati ad æternam vitam non erant, sequitur :

(Vers. 10, 11.) *Miserunt arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes : Miserunt ad nos arcam Dei, ut interficiat nos et populum nostrum. Miserunt ergo et congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum, qui dixerunt : Dimittite arcam Domini in locum suum.*

11. Satrapæ, ut diximus, sancti prædicatores intelliguntur. Accaronitæ, qui interpretantur steriles, Gentiles designant inconvertibiles. Qui nimirum prædicatores dimittendæ arcæ consilium tribuerunt, ut si salutem suam de divina prædicatione recusarent, fidelibus ad æternam patriam cum sacramentis fidei tendentibus, non obsisterent. Locus namque arcæ, divinorum videlicet sacramentorum ibi esse cognoscitur, ubi quidquid de omnipotente Deo nunc per Scripturarum mysterium dicitur, aperta postmodum nobis cognitione revelatur. Proprium quippe arcæ locum cognoverat, qui dicebat : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem : nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* (*I Cor.* xiii, 12). Consilium itaque satraparum fuit, ut in locum suum reverti arcam Dei permitterent : ut videlicet, qui de verbi prædicatione nullum fidei fructum ferebant, eam saltem illis dimitterent, qui ex ea fructum sibi in æternitate præpararent. Bene igitur, qui remittendæ arcæ consilium accipiunt, Accaronitæ nominantur. Accaronitæ quippe interpretantur steriles. Quia enim de audita fidei veritate, nullum credulitatis, aut boni operis fructum dederant, steriles erant. Tollendæ ergo arcæ principes consilium **142** præbuerunt, sed a sterilibus; ut videlicet verbi Dei semen, quod in pessima terra germinare non poterat, terræ optimæ servaretur, quæ de hoc labore hiemis, in perenni vita fructum

centesimum proferret æstatis. Et causam protinus relaxandæ arcæ ostendunt, cum prædicatores subdunt :

(Vers. 11.) *Ne interficiat nos cum populo nostro.*

12. Accaronitæ clamaverunt : *Miserunt arcam Dei ad nos, ut interficiat nos et populum nostrum.* Satrapæ consilium tribuunt, dicentes : *Dimittite arcam Dei Israel, ut non interficiat nos cum populo nostro.* Quis est populus, de quo satrapæ, id est principes, dicunt : *ut non interficiat nos cum populo nostro?* Quis est populus, nisi populus Christianus ? Dicunt ergo principes, *Dimittite arcam Dei Israel, ut revertatur in locum suum.* Quasi dicat hoc : Unde vos mori pertimescitis, nobis ad æternæ vitæ meritum exercere non prohibeatis. Sed quod addunt : *Ut non interficiat nos cum populo nostro,* Gentilium quidem reproborum corda in errore suo per hanc responsionem confunduntur, dum inde se isti affirmarent mortem evadere, unde illi trepidarent mori. Arcam quoque Dei sancti prædicatores auferunt : quia dum contemptoribus spiritalia panduntur, ad damnationem indiscreti prædicatoris agitur, si eadem divina mysteria, non imitanda perfidis, sed irridenda, et [a] concludenda deserantur. Nam quasi transferendæ arcæ non tam satrapæ, quam satraparum Dominus præceptum ponebat, dicens : *Nolite sanctum dare canibus, neque ponatis margaritas ante porcos, ne conversi conculcent eas pedibus suis* (*Matth.* VII, 6). Hinc iterum dicit : *Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X, 23). Arcam itaque, ne moriantur, auferunt : quia contemptoribus idcirco spiritualia abscondunt, ne de eorum contemptu ii qui temere ea proferunt, ex indiscretione puniantur. Sed quia Accaronitis arca præcipitur dimitti, hoc profecto insinuat, quod præmisi : quia tempore persecutionis sanctorum prædicatorum exhortatio facta est, ut ipsi crederent ; aliquando autem, ut si ipsi vitæ verbum non reciperent, illud recipientibus non obstarent : et si ipsi tormentorum metu, salutis viam non arriperent, eis impedimento non essent, qui ad regna cœlestia festinare nec minis, nec pœnis destitissent. Sequitur :

(Vers. 12.) *Fiebat enim timor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Domini.*

Hoc quidem ad exteriorem persecutionem qualiter accipiatur, supra expositum est. Sequitur :

(Vers. 12.) *Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium : et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.*

13. De natium quidem percussione, quia superius diximus, dicendum hic non esset, si hic aliud quam ibi nequaquam diceretur. Quid est ergo, quod dicit : *Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur?* Numquid vero ii, qui mortui fuerant, morderi iterum pro arcæ pœna debuerunt? Sed et cum percussorum clamor in cœlum ascendisse dicitur, satis ostendi poterat, quia de vivis, et non de mortuis diceretur. Neque enim in cœlum ascendere clamor poterat virorum mortuorum. Sed quia percussionem natium superius retulimus ad cognitionem peccatorum, sunt profecto viri, qui non sunt mortui. Viri quippe sunt, qui pro æterna vita quam appetunt, agere fortia decreverunt. Sed viri adhuc non sunt mortui, qui agere magna deliberant, **143** et tamen ad dolorem compunctionis mala præterita nequaquam pensant. Mordentur ergo a muribus, ut moriantur : quia in quibus nequiter ceciderunt, recolunt, et pro præteritis actibus se promereri æternæ vitæ amissionem credunt. Quia ergo viri sunt, de Dei misericordia non desperant : et quia mordentur, ut moriantur, de eo quod magni esse incipiunt, se non exaltant.

14. Quorum profecto clamor in cœlum ascendit quia omnipotens Deus conversorum gemitus clementer accipit. Et quia in tempore conversionis Gentium magnus erat ad fidem concursus, non ab aliqua una, sed a pluribus civitatibus clamor ascendisse perhibetur. Unde et in persona universalis Ecclesiæ propheta deprecatur, dicens : *Intende orationi meæ, a finibus terræ ad te clamavi* (*Psal.* LX, 2, 3). Et in cœlum ascendisse clamorem a finibus terræ clamantis ostendens, ait : *Exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus* (*Psal.* XVII, 7). Cum ergo unaquæque civitas in cœlum clamasse dicitur, universalis pœnitentia conversionis commendatur. Quod si percussio ad conversionem, clamor autem refertur ad divinæ laudis devotionem ; hoc profecto in mysteriis Scripturarum legimus, quod videmus. In Dei namque omnipotentis laudibus unaquæque civitas clamat : quia Redemptoris præconia orbis universus nequaquam tacet ; quem non absconse prædicat, sed ineffabilis lætitiæ jubilatione collaudat. Quid enim aliud, quam universas civitates ad clamorem cohortabatur, qui dicebat : *Omnes Gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis, quoniam Deus summus et terribilis, et rex magnus super omnes deos* (*Psal.* XLVI, 2, 3). Hinc iterum admonens, ait : *Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia* (*Psal* XCIX, 2). Hinc rursum, tam plagam mordentium murium, quam clamorem civitatum exprimit, dicens : *Commoveatur a facie ejus universa terra, dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit* (*Psal.* XCV, 9, 10). Præmiserat enim : *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra* (*Ibid.* 1). Commotio quippe terræ pertinet ad dolorem pœnitentiæ : cantare Domino, sive annuntiare in Gentibus quia Dominus regnavit, ad studium prædicationis, et ad devotionem divinæ laudis. Uniuscujusque civitatis clamor in cœlum ascendit : quia in universo orbe tam prædicationis veritas, quam devotionum laudes a fidelibus sanctæ Ecclesiæ declamantur, quæ ad superni auditus celsitudinem per susceptionem divinæ dignationis assumuntur.

[a] Fortasse legendum, *conculcanda.* Sane, *concludenda*, nihil hic significat. Optimus autem est sensus legendo *conculcanda*. Præterea, quod hic ait scriptor, confirmat hoc Matth. testimonio. *Nolite sanctum*, etc., *conversi conculcent eas.*

CAPUT IV.

(I Reg. VI, 1.) *Fuit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.*

1. Quid septem menses isti, nisi totam vitæ præsentis prolixitatem designant? Quanquam Azotii et Accaronitæ clamarent, *Circumducatur arca Dei Israel*, et *non maneat arca Dei apud nos:* veritate tamen sanctæ historiæ dicitur, quod in typo sanctæ Ecclesiæ cognoscamus, quia in regione Philisthinorum arca Dei septem mensibus fuit. Non ergo malorum et impiorum hominum voluntas, sed Dei dispensatio in salute Gentilium adimpleta est. Jam quidem de gentilitate sublati sunt impii, jam mortui sunt, qui Christi confessores persequebantur, et tamen arca Dei a Philisthinorum regione non tollitur: quia divina sacramenta apud Gentes, sancti Spiritus poculo debriatas, per studiosam sollicitudinem reservantur. Bene autem dicitur septem mensibus, quia sanctarum Scripturarum mysteria **144** usque in mundi finem cum Christi fidelibus perdurabunt. Sed quisquis ejusdem sanctæ Scripturæ mysteria per gratiam intimæ charitatis apprehendit, non de loco, in quo temporaliter arca dimittitur, sed de eo, in quo æternaliter sistitur, sollicitus fuit. Quare et subditur:

(Vers. 2.) *Et vocaverunt Philisthæi sacerdotes, et divinos dicentes: Quid faciemus de arca Dei? Indicate nobis. Et quomodo remittamus eam in locum suum.*

2. Qui sunt, qui sacerdotes et divinos consulunt, nisi fideles sanctæ Ecclesiæ, qui æternæ salutis viam sine errore tenere concupiscunt? Et qui sacerdotes, et divini, nisi sanctæ Ecclesiæ prædicatores intelliguntur? Sacerdotes quippe sunt ob oblationem sacramenti: divini vero, ministerio prædicationis. Nam duo ista in pastoris persona conveniunt, si ei adsit et sanctitas vitæ, et eruditio sapientiæ: quia ad purganda peccata subditorum constitutus est, et ad errorum caliginem prædicationis luce depellendam. Pastor ergo sanctæ Ecclesiæ, qui vitæ sanctitatem habet, et divinæ prædicationis virtutem non habet, sacerdos quidem, et non divinus est. Item si verbi facundiam retinet, sine vitæ sanctitate, etsi divinus esse cernitur, sacerdotii honore nequaquam decoratur: quia quod sublimiter prædicat, terrena actione conculcat. Qui autem de arcæ loco, et de remittenda arca Dei interrogant, et sacerdotes et divinos vocant: quia nimirum ii, qui de cognitione divinæ prædicationis, venturæ vitæ gaudia diligunt, ad salutis consilium, nec carnales sapientes, nec multum simplices religiosos pastores quærunt. Sacerdotes itaque et divinos vocant: quia eis se committunt, qui et superni rectitudinem itineris demonstrant sublimitate scientiæ, et pro subditis omnipotenti Deo idonei intercessores sunt, per puritatem vitæ. De remittenda igitur in locum suum arca interrogant: quia de ista cognitione Scripturarum, quam in mysteriis verborum accipiunt, transire ad perfectam Dei cognitionem in æternitate concupiscunt. Velut enim arca remittitur, cum parva ista cognitio per vitæ præsentis transitum adimpletur. Et in loco suo ostensæ arcæ Dei gloriam cernimus, quando ab altis figurarum tegminibus speciem divinæ majestatis revelata facie contuemur. De ista quippe in loco suo arcæ relatione per prophetam dicitur: *Et non docebit vir ultra proximum suum, dicens: Cognosce Dominum: a minimo usque ad maximum cognoscent me* (*Jerem.* XXXI, 34). Hinc Joannes repromittit, dicens: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2). Sed jam remittendæ quod consilium sacerdotes et divini quærentibus tribuant, attendamus. Nam sequitur:

(Vers. 3.) *Qui dixerunt: Si dimiseritis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, et tunc curabimini, et scietis quare non recedat manus ejus a vobis.*

3. Quidnam est arca vacua, nisi divina scientia sine bona operatione? Vacuam namque arcam remittere, est de cognitione spiritualium sacramentorum fructum boni operis nullum ferre. Vacua ergo arca remittitur, cum mens ad fidem venientis, ad æternam Dei contemplationem jam transire desiderat, et tamen in hac vita bonis operibus insudare nequaquam curat. Prædicatorum ergo voce præcipitur, ut arca cum dimittitur, vacua non relaxetur, ut, si bona opera, quisquis fidelis est, non multiplicat, ad æternam Dei omnipotentis cognitionem, quod transiturus sit, confidere non præsumat. **145** Vacua autem arca non dimittitur, si illud ei pro peccato redditur, quod debetur. Quid est quod pro peccato debetur arcæ, nisi afflictio devotæ pœnitentiæ? Quo in loco notandum est, quia eis loquitur qui a muribus morsi sunt. Qui enim sunt morsi a muribus, nisi qui in fidei catholicæ illuminatione positi, ante ejusdem fidei cognitionem, sive post, prava egisse se recolunt? Nam qui ante gratiam regenerationis nulla crimina admisit, et regenerationis donum digna conversatione retinuit, arcæ quidem debet, sed ei pro peccato non debet. Cognitione quidem divini eloquii, boni operis reddere fructum cogitur, sed ad pœnitentiæ satisfactionem ex scelerum, quæ respuit, debito non urgetur. Qui ergo mordentur adhuc, debitum arcæ pro peccato reddant; ut pro criminum memoria, humilem pœnitentiæ oblationem omnipotenti Deo restituant. Et tunc quidem curantur; quia tum conscientiæ vulnus obducitur, cum afflicta mens per pœnitentiam ad sperandæ veniæ securitatem relevatur. Tunc etiam sciunt, quare manus Domini non recedat ab eis: quia tunc utilitatem compunctionis, seu afflictæ carnis bonum intelligunt, cum de fiducia divinæ indulgentiæ ineffabiliter lætantur. Quid est enim dolor pœnitentiæ, nisi plagæ molestia ex dæmonum percussione? Nam quasi in dolore plagæ adhuc acriter pungentis suspirabat conversus ille, cum diceret: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina* (*Psal.* XXXI, 4). Quid enim ærumna, nisi afflictionem insinuat pœnitentiæ? Sed in eadem ærumna conversum se asserit, dum spinæ confixuram sentit. Quasi dicat: Dum recordatione flagitii mordeor, arcæ debitum reddere non desisto. Spina quip-

pe configitur, dum per omnipotentis Dei dispensationem, ad lacrymas conversorum anima criminum recordatione inflammatur. Et arcæ debitum solvitur, quando jam pro qualitate criminis, mensura extenditur lamentationis : cum post diuturnas lacrymas afflictæ diu menti, interni solatii lux infunditur, atque a percussionis intimæ pondere divino dono levigatur : cum jam purgatæ menti per gratiam suæ inspirationis omnipotens Deus appropiat, atque ex fiducia consecutæ indulgentiæ eam exhilarat, quam ei ex præsentiæ suæ gratia subministrat. Quasi enim de percussione tunc sanatur, cum per refusæ indulgentiæ gratiam magnitudo doloris de pœnitentis afflicta mente removetur.

4. Unde et is, qui in ærumna convertebatur, dum configeretur spina, in eodem psalmo omnipotentem Deum curationis suæ auctorem lætanter alloquitur, dicens : *Tu es mihi refugium a pressura, quæ circumdedit me, exsultatio mea* (*Psalm.* XXXI, 7). Pressuram quippe vocat gravissimam valde manum Domini. De qua percussione gravissimæ manus etiam Paulus loquitur, dicens : *Ipse enim spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Qui ergo a pressura invenisse Domini refugium, et exsultationem insinuat, ab interni doloris percussione, gaudio divinæ indulgentiæ curatum se esse manifestat. Hinc item dolens adhuc confitetur, dicens : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (*Psal.* L, 6). Sed quia de curatione præsumit, insinuans, ait : *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata* (*Ibid.*, 7). Debitum ergo arcæ redditur pro peccato, cum peccatores ex Scripturæ sacræ cognitione affliguntur, et cruciatu tergere culpas satagunt, quas carnis delectatione traxerunt. Curantur autem, quando jam expleta mensura afflictionis, ad fiduciam divinæ indulgentiæ **146** per auxilium relevantur interni solatii. Unde et Psalmista loquitur, dicens : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura* (*Psal.* LXXIX, 6). Lacrymarum quippe potus ad mensuram dat : quia profecto peccator, etsi ex interna Dei aspiratione pro culpa compungitur, ex eadem compunctionis afflictione eodem consolante relevatur. Unde et per Moysen Dominus dicit : *Ego occidam, et ego vivere faciam : percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39). Percutit namque, et sanat : quia quos per compunctionem sauciat, per indulgentiæ securitatem curat. Bene itaque curatis jam dicitur : *Et scietis, quare manus ejus non recedat a vobis.* Nam antequam curet, quare manus Domini ab eis non recedat, scire non possunt : quia tunc pœnitentiæ bonum intelligunt, cum in purificato jam corde sancti Spiritus gratiam recognoscunt, et divinæ indulgentiæ dona concupiscunt, de quibus ineffabili exsultatione gratulantur. Nam curantis jam manus Domini causam, qua ab afflictione non recesserat, eos scisse conspexerat, qui percussorum exsultationes exprimit, Deo loquens et dicens : *Repleti sumus mane misericordia tua, exsultavimus et delectati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala* (*Psal.* LXXXIX, 14, 15). Velut enim in nocte pœnitentiæ luctum exceperant, qui mane, videlicet divinæ dignationis apparente claritate, se repletos misericordia congaudebant, qui se delectatos pro diebus, in quibus humiliati fuerant, asserunt : per donum curationis, gravitatem manus Domini, quare ab eis non recesserat, scire demonstrantur. Sed quia a principibus adhuc per consilium dicitur, ut quod debetur pro peccato arcæ reddatur; et quid sit illud quod debetur, non exponitur, adjunctum est :

(Vers. 4, 5.) *Qui respondentes dixerunt : Quid est quod pro delicto reddere debeamus? Responderunt illi : Juxta numerum provinciarum Philisthiim quinque anos aureos facietis, et quinque mures : quia plaga una fuit vobis et satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, et similitudines murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israel gloriam, si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra.*

5. Quid est, quod quinque anorum similitudines, et totidem similitudines murium, juxta provinciarum numerum, fieri jubentur, et sic arcæ debitum solvitur? Hæc profecto, si more Judaico secundum litteræ vilitatem pensantur, non solum despicienda sunt, sed nec auditu digna. Quæ profecto digne accipit, qui quo viliora per litteræ sonum audit, eo ea per spiritalem significationem utiliora esse intelligit. Nam sanctus Spiritus, quo inspirante tota hæc sacra historia scribitur, nunquam tam vilia promeret, si in hujus vilitatis arcano magna quædam, et pretiosa valde mysteria non signaret. Unde doctor egregius fatetur, dicens : *Omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X, 11). Eo igitur per spiritum altius requirenda sunt, quo in exposita velut carne litteræ vile cernitur quod loquuntur. Quæ ergo sunt anorum similitudines, quæ murium imagines? Et quia hæc tam ad tentantia dæmonia, quam ad membra peccatorum fetoribus exposita, superius retulimus, similitudines anorum et murium, qua significatione deaurantur? Sed profecto tunc arcæ debitum pro peccato bene solvitur, si anorum et murium similitudines ex auro fabricentur. In ani quippe similitudine emittendi **147** fetoris membrum cernitur : et tamen, quia similitudo, non veritas est, fetore jam nullo maculatur. Et quia de auro efficitur, hoc profecto insinuat : quia ex splendore pulchritudinis species commutatur deformitatis. Peccator ergo conversus ani similitudinem facit, cum quibus peccati fetoribus membra sua deposuerat, ad memoriam ducit. Ani ergo similitudinem fabricare, est membrorum suorum nuper peccantium turpitudinem pœnitenti corde recolere. Non itaque anum, sed ani similitudinem fabricat, qui et a peccati fetoribus membra abluit, et eadem membra, quibus peccatis subdiderit, recolere non omittit. Et quidem ex auro fieri ani similitudo cernitur, quia ad pretium æternæ salutis peccatorum turpitudines atteruntur. Vel for-

tasse memorando similitudines anorum fiunt, flendo deaurantur : quia et recolendo, quæ fecimus, fingimus : et dum commissa attentius lugemus, in justitiæ splendorem membra deauramus. Anorum ergo similitudo, non veritas cernitur, quia tunc peccator suæ deformitatis ignominiam respicit, cum prava opera non solum committendo non exercet, sed etiam in præterito se commisisse vehementer dolet. Quinque autem ani fieri jubentur, quia universalis omnium Gentilium satisfactio imperatur. Unde et caute notatum est : *Juxta numerum provinciarum Philisthiim.* Quare enim quinque sunt Philisthinorum provinciæ, nisi quia carnalis vita Gentilium designatur? Quia enim quinque sensus corporis non ad laudem Creatoris, sed ad carnalem vitam contulit, per quinarium numerum Philisthinorum provinciæ exprimuntur. Quinque anos aureos præcipiuntur ut faciant, ut de omnibus compungantur sensibus : et quia omnes peccaverunt, ideo ad supernæ vitæ claritatem membra omnia redigant, quæ per oblectamenta carnis omnimoda polluerunt sorde flagitii. In auro quippe supernæ conversationis fulgor ostenditur, quia per Joannem de superna civitate dicitur : *Ipsa vero civitas aurum munaum, similis vitro mundo* (*Apoc.* XXI, 18). Membra igitur deaurantur, cum corpus terrena et cœnosa concupiscentiarum fœditate deförme, in splendorem commutatur æternæ vitæ : cum videlicet per sanctæ conversationis pulchritudinem radiat, quod in appetitu mundanæ delectationis peccatorum fetore sordebat. Ad istam namque deaurationem beatus Paulus auditores suos admonebat, dicens : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeatis membra vestra servire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI, 19). Et quasi ad anorum similitudines eos respicere compellens, intulit, dicens : *Quem ergo fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors.* Anorum ergo similitudines ad ruborem fiunt : quia profecto fœditatis nostræ maculas ad memoriam ducimus, ut de eisdem maculis confundamur. Sed deaurantur ad securitatem : quia profecto dum deformitatem nostram supernæ vitæ claritate obducimus, divini examinis discussionem quadam securitate præstolamur.

6. Mures etiam, qui terram demoliti sunt, de auro fieri jubentur : quia et immundi spiritus, qui carni nostræ corruptionis oblectamenta suggerunt, ad justificationem nostram memorantur. Quid est enim similitudines murium facere, nisi eas quas de nobis maligni spiritus habuerunt victorias, memorari? Sed murium quoque similitudines deaurantur, cum nos eorum elisos viribus suspiramus. Nam dum ipsorum nos fraudibus victos plangimus, **148** similitudines profecto murium aureas tenemus, dum præterita consilia dæmonum non habemus in blandimento operis, sed in contemptu reprobationis. Ex auro itaque similitudines murium fiunt, quia præteritæ fraudes dæmonum ad fulgorem nobis bonæ vitæ proficiunt. Tanto enim humiliores jam sumus, quanto membra nostra per supernæ conversationis fulgorem radiant ; et ipsi qui jam Dei omnipotentis auxilio fortia agimus, immundorum spirituum prostratos fuisse fraudibus nosmetipsos videmus. Quod profecto consilium, quia pluribus tribuunt, ejusdem quoque rationem ostendunt, quia dicunt : *Quia plaga una fuit vobis et satrapis vestris.* Quasi aperte dicant : Quia omnes peccato subditi fuistis, necesse est ut ad melioris vitæ studium corda pariter præparetis. Unde et Paulus dicit : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* III, 23).

7. Et ut attentius meliorandæ vitæ propositum commendent, inculcando repetunt, dicentes : *Facietis similitudines anorum vestrorum, et murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israel gloriam, si forte relevet manum suam a vobis, a diis vestris, et a terra vestra.* Eis, quæ prædictæ sunt, similitudinibus factis, Deo gloriam dare, est de studio boni operis, et de æstimatione humilitatis, in semetipso inaniter non gloriari ; sed Dei omnipotentis laudibus omne quod agitur impendere. Et quia dicunt : *Si forte relevet manum suam a vobis* (*I Reg.* VI, 5) : quid aliud in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum? Unde et per Jonam dicitur : *Quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus* (*Jonæ* III, 2)? Quia ergo, si forte relevet manum, dicitur, commoveri ad pœnitentiæ lacrymas cum magna fortitudine debemus : quia etsi hi qui pœnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inveniunt, negligentes salvi fieri quando possunt? Quæ profecto reconciliationis difficultas si in pœnitentium æstimatione tenetur, apud omnipotentem Deum nequaquam invenitur : quia et dum Ninivitæ velut pro difficili reconciliatione gravi pœnitentia se dejiciunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt. Et cum prophetæ Joelis voce acri se Deo populus lamento prostraret, egit profecto, ut qui videbatur ad placandum difficilis, ejus iram levigaret. Nam statim in eo scriptum est : *Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo* (*Joel* II, 18). Manus itaque relevatur, cum mens in pœnitentia valide compuncta ad consecutæ misericordiæ donum, divina aspiratione sustollitur. Et quia, ut dixi, in initio nascentis Ecclesiæ, sicut generalis peccatorum conversio, ita et generalis erat reconciliatio conversorum : manus Dei, quæ relevanda asseritur, et ab auditoribus, et a diis eorum, et a terra relevanda perhibetur. Per deos namque sublimes et sapientes viri designantur. Nam et ad Moysen Dominus dicit : *Posui te in deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1). Et in Legis etiam mandato præcipitur : *Diis non detrahes* (*Exod.* XXII, 28). Per terram vero, simplicium vita exprimitur : quia dum prædicationem superiorum, velut cœli pluviam in se cadentem, recipiunt, de irrigatione verbi fructum proferunt bonæ operationis. A diis ergo, et a terra manus Domini relevatur, cum tam sapientes, quam simplices ad certitudinem divinæ indulgentiæ aut occulto et spiritali solatio, aut prædicatorum judicio reducuntur. Unde et is, qui paulo superius deaurari membra mo-

lucrat, dicens : *Exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI, 19), quasi relevatæ manus **149** Domini judicium proferens, ait : *Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (*Ibid.*, 22). Hinc iterum conversis a nequioris vitæ deformitate, integrum auri fulgorem mirabatur, dicens : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Eph.* V, 8). Hinc idem suos collaudans, ait : *In medio nationis pravæ et perversæ, in quibus lucetis, quasi luminaria in mundo* (*Phil.* II, 15). Factis igitur ex auro similitudinibus anorum et murium, et data Deo gloria, manus Domini relevatur : quia post pœnitentiæ luctum, post meliorationem vitæ, et æstimationis humilitatem, ad plenam omnipotentis Dei misericordiam peccatores reducuntur. Et quia ista omnia adhuc per consilium præcipiuntur; prædicatorum vero consilium alii devote perficiunt, alii vero contemnunt, qui de bonæ vitæ splendore bonos laudibus efferunt, contra superbos per invectionem increpationis accenduntur. Nam sequitur :

(Vers. 6.) *Quare aggravatis corda vestra, sicut Ægyptus, et Pharao ?*

8. Cor namque, ut Ægyptus et Pharao, aggravat, qui jam cognitione sacri eloquii, vulnera peccatorum suorum intelligit, et tamen per meliorationem vitæ, per amaritudinem pœnitentiæ, ad vera futuræ vitæ gaudia animum non intendit. Bene ergo Ægyptiis in gravitate cordis similatur. Ægyptus quippe tenebræ dicitur. Quid ergo Ægypti nomine accipitur, nisi a cœlorum sedibus angelorum lapsa multitudo ? Et quid in Pharaone Ægypti rege, nisi ipse tenebrarum auctor diabolus designatur ? Bene ergo dissimulatores pœnitentiæ, Ægypto et Pharaoni in cordis aggravatione similantur. Reprobi quippe angeli semel a cœlestibus lapsi, sicut amorem amissæ beatitudinis non recipiunt, ita et pœnitentiam agere de perpetrata superbia nunquam possunt. Dum ergo sancti prædicatores contra impudentes peccatores per acutam increpationem se invehunt, Ægypti et Pharaonis similitudinem ad medium ducunt ; ut auditores eorum tanto facilius ad satisfactionem proruant, quanto per id, quod pœnitentiam nolunt agere, damnatis angelis se esse similes non ignorant. Unde et instanter ad studium adimplendi consilii eos cogunt, dum subinferentes dicunt :

(Vers. 7-9.) *Accipite ergo, et facite plaustrum novum unum, et duas vaccas fetas, quibus non est impositum jugum, jungite ad plaustrum, et claudite vitulos earum domi : tolletisque arcam Domini, et ponetis eam in plaustrum, et vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsella ad latus ejus, et dimittite eam, ut vadat. Et aspicietis : et si quidem per viam confinium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit vobis grande malum hoc. Si autem minime, scietis quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.*

9. Quid enim plaustri nomine, nisi aut universa simul sancta Ecclesia, aut unaquæque cujusque fidelis anima designatur ? Cujus profecto plaustri rotæ sunt utrumque Testamentum. Nam dum sancta Ecclesia, vel electa quælibet mens per vetus et novum Testamentum instructa, ad æternam vitam innititur, quasi sublimibus prælatis rotis, ad propositum locum per altum fertur. Sed plaustrum fieri novum præcipitur, ut videlicet, qui ad æterna gaudia pervenire desiderat, per præceptum dilectionis novi hominis splendore vestiatur. Hoc quippe plaustrum innovari præcipiebat Dominus, **150** dicens : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* XV, 12). Hinc Paulus præcipit, dicens : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induimini novum hominem, qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV, 23). Hinc Romanos alloquens, ait : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in contentione et æmulatione, non in cubilibus et impudicitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII, 13). Plaustrum igitur novum facit, qui et utrumque Testamentum recte intelligit , et splendore sanctæ conversationis indutus, ad superna sese desideria extendit.

10. Possunt quoque rotæ, quibus hoc plaustrum graditur, electi cujusque geminum desiderium designare : quia quisquis jam, opitulante Deo, præsentem vitam in ærumnam peregrinationis tenet, ad futuram beatitudinem idcirco pervenire desiderat ; ut impassibilis et immortalis fiat : ut videlicet per unum, eam quam horret, miseriam deserat ; per aliud, eam, quam promeretur, beatitudinem nunquam perdat. Vaccæ autem sunt sancti prædicatores. Qui quia et gemino præcepto charitatis insignes sunt, et in nova conversatione conversorum animas gignunt, recte tam binario numero, quam feminino genere designantur. Vituli autem sunt desideria terrena. Cum ergo vaccæ plaustrum trahunt, domi vitulos claudunt : quia dum electis fidelibus ad supernam patriam ducatum præbent, ea desideria quæ eis reprobam vitam suggerunt, prodire ad effectum prohibent. Claudunt quippe vitulos, cum jam superba desideria in ipso suggestionis initio, intra conscientiam conterunt, et proficere ea ad effectum operis non permittunt. Unde et vaccæ, quibus non est jugum impositum, ad trahendum plaustrum exquiri perhibentur : quia prædicatores electis fidelibus providendi sunt, qui per nulla onera criminis subjecti sint imperio diabolicæ potestatis. De quo profecto jugo per prophetam dicitur : *Computrescet jugum a facie olei* (*Isa.* X, 27). Bene autem processus sensuum ordini concordat verborum : quia etsi adversa dominatione sunt liberi, necesse est ut semper sint de futura conversatione suspecti. Vaccæ ergo et sine jugo sunt, et tamen earum vituli domi clauduntur : quia sancti prædicatores adversariis spiritibus ex virtute dominantur : sed ab edomandis pravis desideriis, eo intentionem non auferunt, quo de sanctitate, qua se ornatos aspiciunt, securitatem in hac vita perpetuam habere non possunt. Et quia talibus divinæ cognitionis gratia latius aperitur, apte arca Domini tolli, et super

plaustrum poni præcipitur. Quod autem imponi arca auditoribus super plaustrum jubetur, hoc profecto insinuat, videlicet, quod in sancta Ecclesia plures ordines præsulum invenimus : quia dum prærogativa alii aliis digniores sunt, etiam auctoritatem præcipiendi sortiuntur [a] in culmine ordinis altioris. Cum ergo arca Domini reduci præcipitur, super plaustrum novum poni perhibetur : quia profecto ad æternam patriam cum cognitione sacramentorum spiritualium recte graditur, qui hoc quod de sancta Scriptura didicit, per novæ conversationis pulchritudinem non relinquit.

11. Ad latus autem ejusdem arcæ vasa aurea, quæ ei pro delicto sunt reddita, poni præcipiuntur. Vasa quippe aurea vocat, quæ superius memorat, dicens : *Facietis similitudines anorum vestrorum et murium.* In quibus profecto vasis peccatorum atque tentationum memoria designari dixeramus. Quid est ergo, quod superius anorum, et **151** murium similitudines esse perhibuit, nunc vasa aurea appellavit ? Sed ibi de eo, quod arcæ pro peccato exsolvi debebat, tractabatur, hic autem de arcæ remissione. Quid ergo est, quod res istæ eædem honestiori nomine exprimuntur, nisi quia peccata, quæ pœnitentiæ fletibus tersa non sunt, in deformitate sua attentius videnda atque lugenda sunt : ea vero, quæ jam sunt diluta magnis fletibus, non attentius, neque in deformitate sua respicienda, sed æstimatione humilitatis aliquando cogitanda ? Quasi enim in mente pœnitentis, et acriter dolentis ani similitudo, et murium est : quando ut attentius lugeat eam, quam ante mentis suæ oculos congerit, peccati massam coadunatam videt. Sed cum jam magnis et diuturnis fletibus quodammodo de peccatorum suorum remissione securus ad supernam patriam festinare cursu magnæ conversationis cœperit, quasi aurea jam vasa conspicit : quia peccata videt, non quibus se obligatum viderat, sed quæ omnipotentis Dei laudibus impendat. Bene autem in capsella ad latus arcæ eadem vasa reponuntur. Nam si arca divinæ cognitionis secretum insinuat, ad latus vasa dependuntur : quia dum altitudo divinæ cognitionis mentem elevat, ad virtutem humilitatis infirma nostra præterita ad memoriam reducenda sunt. Non igitur ponenda sunt ante arcam ; ne, dum immoderatius infirma respicimus, attolli ad superna nequeamus. Constat itaque, quia ex latere dependantur : ut et superna videamus libere, et, cum expedit, ad nostra infirma mentis oculos revocemus.

12. Quid est autem, quod præcipiuntur : *Et dimittite eam, ut vadat?* Sed arca dimittitur, quando eruditæ mentes subditorum a suis rectoribus libere vivere permittuntur : ut videlicet ad æternam patriam properent, non jam majoris imperio, sed propriæ arbitrio rationis. Tenenda est igitur, ut plaustro imponatur ; imposita quoque dimittitur : [b] quia nimirum electis subditis disponendæ vitæ suæ licentia a prælatis ante danda non est, quam doctrinæ spiritualis eruditionem percipiant, et firmam consuetudinem bonæ operationis. Nam nec simplicibus subjectis et bene viventibus, nec eruditis et infirmis vivendi libertas recte conceditur. Illi quippe a callido adversario decipi tanto facilius poterunt, quando et deprehendere ejus insidias per spiritalem eruditionem nequaquam didicerunt : isti vero eo difficilius servant bonum eruditionis, quo tentatoris laqueos eruditi conspiciunt, et eorum vincula devitare eruditi non possunt. Tunc ergo competenter arca dimittitur, cum id, cui imponi debeat, plaustrum ante fabricatur, cum ei vasa aurea, quæ debentur pro peccato, ex latere dependuntur : quia profecto tunc secura esse poterit vita libere viventis subditi, cum renovationem interioris hominis custodire longo usu didicerit ; cum ex vitæ puritate celsitudinem divinæ eruditionis apprehendit, atque inter dona sublimia, ea quæ aliquando prave egisse memorat, recolere ad humilitatem non negligit. Quæ profecto vivendi libertas, quia ad solum studium superni amoris bonis subjectis impenditur, apte et causam, qua eadem arca dimittatur, adjungit : *ut vadat, inquit.* Quasi enim et aliis verbis dicat : Ad hoc solum liberius vivere permittendi sunt, ut ad cœlestem patriam celerius proficiscantur. Sed quia nonnulli subditi tam conversatione quam scientia humano judicio perfecti sunt, **152** non divino ; providendum bonorum rectorum studio est, ut eorum curam tunc nec omnino prætereant, cum iidem subditi se de eorum cura dimissos putant, sed pia calliditate explorent jam liberi qualiter vivant, quorum subditionis bona plenius noverant. Quare et subjungitur : *Et aspicietis, et si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande. Sin autem minime, sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.*

13. Bethsames, ut jam diximus, interpretatur domus solis. Dimissam autem arcam prædicatores aspiciunt, utrum recto itinere contra Bethsames gradiatur : quia et cum proprio arbitrio dimittuntur subditi, explorare prælati debent, an bonum libertatis ad profectum convertant cœlestis itineris. Sed et caute notandum est : quia tunc recte contra Bethsames arca ascendit, cum confinium viam gradiendo non deserit. Confines etenim nostri sunt electi priores : confines quippe sunt, qui juxta se possessiones dispositas habent. Confines igitur electorum sunt æterni regni perpetui cohæredes. Nam velut juxta se dispositis possessionibus habitant, qui in eamdem æternæ patriæ societatem vocati, de una et eadem Conditoris majestate sortiti sunt jura æternæ hæreditatis. Vel idcirco dicuntur confines : quia cum de bona conversatione ad perennis vitæ gaudia electi perveniant, qui recte vivunt in hoc mundo, cœlestibus civibus vicini sunt. Quæ est ergo via confinium, nisi afflictio temporalis ? Hanc viam Bethsamis per semetipsum Dominus demonstrat, dicens : *Arcta est via, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14).

[a] Al. *ex culmine ordinis altioris.*

[b] Hic attendere videtur ad Regulam sancti P. Benedicti c. 1, ubi eadem compendiose legimus.

Hanc item commendat, cum discipulos increpans, ait : *O stulti, et tardi corde ad credendum, nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (*Luc.* XXIV, 25.) Hinc Paulus ait : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). Contra Bethsames ergo tunc arca dirigitur, cum per viam confinium ascendere videtur : quia in superna conversatione ille verius proficit, qui ad æterna gaudia pervenire non per mundanas delectationes, sed per carnis afflictiones et mundi adversitates quærit. Sed quia non ire, sed ascendere dimissa arca dicitur, altior via dimissis in libertate subditis indicatur : quia per viam Bethsamis non recte gradiuntur, si non quotidie de bonis ad meliora proficiunt. Ascendere enim meritis virtutum, quotidie ad meliora proficere est. Sed cum recte contra Bethsames arca ducitur, malum grande quod perpessi fucrant omnipotentis Dei operibus ascribunt. Malum namque grande eam percussionem vocant, de qua superius legitur : *Fiebat manus Domini super singulas civitates interfectionis magnæ nimis.* Et quia eamdem interfectionem tam ad conversionem Gentilium, quam ad fidelium delinquentium salubrem compunctionem retulimus, cum arca recte contra Bethsames graditur, malum illud grande quod acciderat, a Deo esse indicatur : quia profecto electorum singulorum finis indicat, qualiter prædicatoris animus eorum prima opera recognoscat.

14. Nam si in fine deficiunt, aperte cognoscitur, quia bona eorum principia a Domino non fuerunt. Unde et subditur : *Sin autem minime, scimus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.* Manus Domini quid est, nisi unigenitus Patris æterni ? Manu namque Domini non tanguntur, qui **153** non inspiratione divini verbi, sed subita deliberatione cordis sui a pristina conversatione separantur. Qui certe tanto celerius ab incœpta bonitate deficiunt, quanto quod per arctam viam ingredi ad æternam patriam proposuerant, qua fortitudine exsequendum esset, præcogitare nescierunt. Quare apte dictum est : *Casu accidit.* Quod enim casu accidit, subito et sine consilio et provisione contingit. Cum ergo hi qui a mundi amore, sive qui ab infidelitate discessisse videbantur conversi, ad prioris vitæ nequitiam reviviscunt, aperte cognoscitur, quia non manu Domini, ut videbantur interfecti, sed accidente casu a pristina sint conversatione separati. Sequitur :

(Vers. 10, 11.) *Fecerunt illi hoc modo, et tollentes duas vaccas junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum clauserunt domi, et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam quæ habebat mures aureos et similitudines anorum.*

Quia hæc supra latius exposita sunt, quid jam in se de spiritali eruditione contineat ipsa profectio arcæ, videamus. Nam sequitur :

(Vers. 12.) *Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes : et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

15. In directum per viam quæ ducit Bethsames ire, est in studio cœlestis perfectionis, afflictionem carnis tenere per virtutem discretionis. Nam in directum vaccæ nequaquam gradiuntur, si in afflictione carnis discretio non servatur. Denique dum ultra modum caro affligitur, conferre opem spiritui eadem caro omnino defecta non sufficit. Et si digne non affligitur, dum superbit, velut libera servire menti indomita dedignatur. Bene igitur, dum per viam Bethsamis in directum vaccæ ire referuntur, subjunctum est : *Quia non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Ad dexteram quippe declinare, est virtuti abstinentiæ immoderate insistere : quia per bonum, quod videtur, viam deserimus, dum sic necessariam abstinentiæ virtutem sequimur, ut alia nobis auxilia de carne subtrahamus. Ad sinistram quoque declinare, est carni abundantius indulgere. Nam per apertæ remissionis vitium a Bethsamis via deflectimur, dum carnem per delicias deducimus, qui paradisi viam in afflictione dispositam noveramus.

16. Et quia nulla est vitæ parcioris sinceritas, si munditiæ boni operis simplicitas non concordat intentionis, caute expressum est : *Et itinere uno gradiebantur.* Uno quippe itinere graditur, qui virtutem quam prætendit in bono opere, in recta servat intentione. Quo contra de unoquoque reprobo dicitur : *Væ peccatori ingredienti terram duabus viis* (*Eccli.* II, 14). Duabus quippe viis peccator terram ingreditur, cum Dei videtur esse quod agit, sed ex omni quod religiosum foris exhibet, intus sæculi intentionem tenet. Uno autem itinere gradi electos suos Dominus insinuat, dicens : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI, 22). Hinc Paulus ait : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Hinc David : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* (*Psal.* XLIV, 14). Uno igitur itinere contra Bethsames vaccæ gradiuntur, quia electi ad æternam patriam festinantes, bona foris agunt, sed ex eisdem bonis operibus sæculi præmia non requirunt.

17. Quid est autem quod de eisdem vaccis dicitur, quia *gradiebantur pergentes et mugientes.* Sed pergere dicuntur, quia sancti viri bona incessanter faciunt : **154** mugiunt vero, quia carnalia desideria in semetipsis exstinguere sine magna quotidie tribulatione non possunt. Mugire namque, ad laborem edomandæ carnis pertinet ; pergere autem, ad perseverantiam bonæ voluntatis. Nam dum contra naturam caro carnales motus comprimere cogitur, velut mugit dum graditur, quia propria desideria adimplere prohibetur. Bene quippe duo hæc in sanctorum profectione describuntur, videlicet pergere et mugire. Quia etsi eis ad supernam patriam festinantibus, magna est instantia desiderii, est nihilominus invincibilis patientia laboris. Nam de his vaccis pergentibus per Ezechielem dicitur : *Non revertebantur, cum incederent* (*Ezech.* I, 12). Vaccarum quoque mugitum, et causam exprimit Paulus, dicens : *Video aliam legem contradicentem legi mentis meæ, et captivum me*

ducentem in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Rom.* VII, 23, 24.) Mugiunt ergo vaccæ, sed pergunt : quia sancti viri, etsi magna sunt tentamenta quæ perferunt, viam tamen supernæ patriæ non relinquunt. Pergunt item, sed mugiunt : quia etsi magnis desideriis ad superna properant, profectum tamen superni itineris non de quiete pacis obtinent, sed ex triumpho tentationis. Sequitur :

(Vers. 12.) *Sed et satrapæ Philisthinorum sequebantur usque ad terminos Bethsamis.*

18. Quinam sunt termini ad quos sequi proficiscentem arcam Dei prælatis necessarium est, et quos in arcæ Dei comitatu progredi congruum non est? Quos nimirum terminos si accipiamus in eruditione sacri eloquii, et bona operatione, contrarium non videtur. Sed hi profecto termini Bethsamis, sequentium principum termini sunt, cum pro modo suo quisque super subditis perfectus est doctrina sacri eloquii, et usu bonæ operationis. Eo enim jam de isto securus pastor efficitur, quo et caute jam spiritalia conspicit, et ea quæ ratione comperit fortitudine boni operis apprehendit. Qui profecto termini, Bethsamis esse termini dicuntur : quia nimirum, dum eruditos Dei operarios dignanter excipiunt, ad contemplationem supernæ patriæ introducunt. Termini namque sunt : quia et dignos ad contemplationem suscipiunt, indignos expellunt. Indocti quippe si ad contemplanda subtilius superna se sustollere præsumunt, potius errando deviant, quam lumen veritatis apprehendant. Et nisi quis bona opera præmittat, hoc profecto agit, ut illam quam appetit claritatem internæ visionis, nunquam inveniat. Unde et Dominus in Evangelio, quasi ad terminos Bethsamis contemplativæ vitæ amatores transmittens, ait : *Qui habet verba mea, et facit ea, hic est qui me diligit : qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV, 21). Qui enim se manifestaturum non nisi diligentibus dicit, se autem diligere eos qui servant mandata ejus, aperte docet quia lucem suæ occultæ visionis non tribuit, nisi pro retributione bonæ operationis. Sequitur :

(Vers. 13.) *Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle.*

19. Qui enim Bethsamitæ rectius possunt intelligi quam hi qui perfecti jam viri sunt in sublimitate contemplationis? Nam velut de domo solis sunt, qui, contemptis terrenis omnibus, veri luminis splendoribus illustrantur. De domo quidem solis sunt, qui, jam omni mundo sepulti, ad videndam Conditoris sui claritatem flamma miræ dilectionis inardescunt. Qui ad civitatem suam duobus modis **155** ascendunt : qui ad supernæ patriæ claritatem, et nunc per contemplationem, et in fine per veritatem gloriæ perducuntur, nunc ad domum solis contemplando evolant; sed quod nunc mentis puritate aspiciunt, tunc per præsentem lætitiam æternæ retributionis veritatem apprehendunt. Bethsames ergo arca Dei perducitur, cum mens electa, aut per contemplationis altitudinem, aut per assumptionem retributionis, ad æterna gaudia sublimatur. Qui ergo æternum illum, et ineffabilem arcæ situm scire non possumus, ea, quæ de isto, quem novimus, dicuntur, audiamus. Quid est ergo, quod Bethsamitæ metunt triticum in valle, nisi quia contemplativæ vitæ dediti, delicias internæ refectionis colligunt in virtute humilitatis? Vallis quippe in sacro eloquio æstimationem designat humilium, Psalmista testante, qui de Domino loquens, ait : *Qui emittis fontes in convallibus* (*Psal.* CIII, 10). Nam infusionem supernæ gratiæ mentibus infundit dispositis per humilitatem. Bethsamitæ ergo in valle triticum metunt : quia contemplationi vacantes, dum pro humilitatis merito clarius superna conspiciunt, ad suaviorem refectionem mentium ligant manipulos gaudiorum. Nam triticeus panis, sicut aspectu candidior, ita et sapore delectabilior est.

20. Sed fortasse in ista vita adhuc positi non sumimus panem, sed spicas metimus; in illa autem superna vita beatitudinis, non spicas, sed panem manducamus. In ista etenim vita, cum ad contemplanda æterna sustollimur, supernarum rerum similitudines capere de rebus istis infimis et visibilibus nitimur : ut juxta egregii doctoris vocem, *Invisibilia a creatura mundi, per ea quæ visibilia facta sunt, cognoscamus* (*Rom.* I, 20). Quare et ille verus Bethsamita, et domesticus solis justitiæ exsultans, ait : *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo. Quam magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ* (*Psal.* XCI, 5, 6). Sed dum in rebus visibilibus invisibilium rerum gaudia excipimus, velut intra paleas adhuc triticum tenemus. Tunc autem nobis purum triticum, sive de tritico panis erit. Nam cum absorpta jam morte, in æterna vita, revelata facie, clarius Redemptorem cernemus, ad ejus cognitionem thecis similitudinum non egemus. Bene ergo de Bethsamitis dicitur, quod metebant triticum in valle : quia perfecti viri, etsi pro humilitatis merito sublimitatem supernæ contemplationis accipiunt, ad illam omnipotentis Dei puram substantiam contemplandam eo pertingere nequeunt, quo refectionem suæ mentis adhuc velut inter paleas metunt. Cujus profecto humilitatis bonum designatur, cum subditur :

(Vers. 13.) *Et elevantes oculos viderunt arcam Dei.*

21. Oculos quippe elevant : quia dum de se alta non sentiunt, æstimatione sua velut in plano sunt. Oculos elevant : quia eos, quos divina gratia dignos aspiciunt, in alto positos meritorum culmine contemplantur. Sed elevantes oculos arcam vident : quia quo se humilius per æstimationem dejiciunt, proximorum bona cognoscere melius possunt. Ea etenim veritas, quæ superborum corda per semetipsam deserit, illa eis etiam dona, quæ confert humilibus, abscondit; ut velut obcæcati penitus, nec in terra diffusum jam solem videant, qui ejus claritatis radios videre in cœlo desierunt. Sed quia regressionem arcæ Dei ad propositum **156** contemplativæ vitæ retuli-

mus, elevatio etiam oculorum ad studium discernendorum spirituum non inconvenienter referri potest. Bethsamitæ quippe oculos levant, cum vitæ secretioris proposito confluentium ad se dona, subtili inspectione considerant; cum intenta mente discutiunt, an vitæ altioris propositum, quod accedendo expetunt, recta validaque intentione prosequantur. Levare igitur oculos eis est novitiorum spiritum altius considerare. Sed levantes oculos arcam Dei respiciunt : quia dum subtilius ejus conversiones discutiunt, quia virtutum spiritualium gratia fulgeant, deprehendunt. Et quia per affectum dilectionis, de cognitis eorum bonis hilarescunt, apte subjungitur :

(Vers. 13.) *Et gavisi sunt,* [a] *cum venissent.*

Sequitur :

(Vers. 14.) *Et venit plaustrum in agrum Josue Bethsamitæ, et stetit ibi.*

22. Si Bethsames interpretatur domus solis, domus solis civitas est cœlestis. Hic Josue Bethsamita non tam typo, quam ipso nomine et dignitate humani generis Redemptorem significat. Josue quippe, salvator nostro eloquio dicitur. Et de semetipso Dominus dicit : *Venit filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). Hinc est etiam, quod Joseph in somnis per angelum repromittitur : *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I, 21). Bethsamitam quoque se esse per semetipsum manifestat, dicens : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41). Hinc Joannes Baptista ait : *Qui de cœlo venit, super omnes est* (*Joan.* III, 31). Quis est ergo ager Josue Bethsamitæ, nisi amœnitas vitæ contemplativæ? Ibi enim et herbarum virores, et odores aromatum, et florum diversa pulchritudo cernitur; quia nimirum quo superna illa societas clarius aspicitur, quod incorruptibile floret angelis, quod immarcescibile viret sanctis, quod inviolabile in virginibus redolet, contemplantium oculis gratius exhibetur. Bene autem idem ager Salvatoris esse perhibetur; quia contemplativæ vitæ amatores, quo secretius conversantur, Redemptori nostro gratiores et familiariores sunt. In agrum quoque Josue Bethsamitæ plaustrum venit, cum mens electa a sæculi intentione divisa, solis cœlestibus intendit, cum cœlestis jam amœnitate visionis fruitur; quia terrena respicere per amorem dedignatur. Et notandum quia hoc plaustrum novum fuisse, non valde supra relatum est; quia profecto mens criminum vetustate resoluta, ad tantam gloriam recipi non meretur.

23. Sed habet vita secretior delicias in amœnitate visionis, habet ingentem laborem in strenuitate certaminis; quia nimirum divina præmia sicut ex triumpho consequimur, ita et strenue dimicando custodimus. Bene ergo de veniente in agrum Jesu plaustro subjungitur : *Et stetit ibi.* Stare quippe ad prælii custodiam pertinet, non ad pacis quietem. Stetit quippe plaustrum in agro; quia etsi mens, amœna jam illius supernæ, et semper virentis patriæ videndo atque amando inhabitat; tamen quod amorem visionis delectabiliter possidet, sine incessantis curæ sollicitudine nequaquam servat. Sed nimirum in tanto agone posita mens humana deficeret, si ille, qui humanam infirmitatem in sua divinitate roboravit, ei præsentiæ suæ auxilium non præberet. Quare et causam exponens, qua stare in agro plaustrum potuerit, addidit, dicens :

(Vers. 14.) *Erat enim ibi lapis magnus.*

157 24. Lapis quippe magnus Redemptor intelligitur generis humani. De quo lapide per Psalmistam dicitur : *Lapidem* [b] *hic quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22). Hinc doctor egregius collaudans, ait : *Superædificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* (*Eph.* II, 20), *in quo et vos tanquam lapides vivi superædificamini* (*I Petr.* II, 5). Et magnus quidem lapis dicitur : quia incomparabili fortitudine prædicatur. Cum ergo venisse et stetisse in agro plaustrum dicitur, additum est : *Erat ibi lapis magnus :* ut latentibus mysteriis designaret : quia contemplativæ vitæ dediti, servare dona tam ingentia ideo possunt, quia juxta eum per gratiam sunt, a quo eadem dona perceperunt. Sequitur :

(Vers. 14.) *Et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea in holocaustum Domino.*

25. Quæ sunt ligna plaustri arcæ Dei, nisi sanctæ Scripturæ sententiæ, et exempla justorum? Bethsamitæ quippe ligna concidunt, cum secretioris vitæ præpositi subjectorum suorum mentibus Scripturarum sensus subtilius aperiunt, cum excellentiora exempla Patrum ad eorum imitationem proferunt; ut in eorum cordibus superni amoris flamma tanto ferventius ardeat, quanto fomentum incendii, velut concisa ligna, citius subministrant. Plaustri quippe ligna sunt, quia mens per Dei gratiam renovata, ea per memoriam retinet. De quibus profecto lignis sanctus legislator decernit, dicens : *Ignis in altari meo semper debet esse : quem nutriat sacerdos, suggerens mane ligna per singulos dies* (*Levit.* VI, 12). Quia vero concidi ligna memorantur, apertius indicant, quia contemplativæ vitæ puritatem quærentibus, non communia de sacro eloquio, sed altiora et excellentia quæque pandenda sunt; ut eo fortius se in alta videndo sublevent, quo eis nobiliora bona quæ audiunt magis placent. Unde et bene subjungitur : *Quia vaccas imposuere super ea in holocaustum Domino.* Holocaustum namque combustum dicitur. Cum ergo ligna conciduntur, holocausta desuper impositis vaccis fiunt : quia qui eximia de Scripturis devota mente suscipiunt, quo in superna se desideria altius extendunt, eo nil in eis deseritur, quod non divini amoris flamma comburatur. Et tuna quidem curare doctorem necesse est, ut religiosi subjecti alta considerent, et tamen per æstimationem de se alta non teneant; ne, quo celsius summa videndo proficiunt, per elationem corruentes, periculosius elidantur. Unde et hic quoque subditur :

[a] Gilot., *cum vidissent.*

[b] Abest *hic* a Gilot

(Vers. 15.) *Levitæ autem deposuerunt arcam Dei,* A *et capsellam quæ erat juxta eam, in quâ erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem.*

26. Levitæ interpretantur assumpti. Qui ergo sunt Levitæ, nisi qui sic sunt divina gratia confirmati, ut a sancto Spiritu deseri nunquam possint? Arcam quippe Levitæ deponunt, cum perfecti prædicatores suos subjectos admonent, ut eos spiritalis scientia nequaquam inflet. Capsellam quoque cum vasis aureis deponunt, cum eos etiam de vitæ splendore conveniunt, ut eo de se humilius sentiant, quo etiam Redemptorem nostrum ad exaltationis suæ præmium, eorum quisque jam pervenisse didicit, quia de se inaniter alta non sensit. Bene itaque deposita arca, et vasa aurea super grandem lapidem posita memorantur : quia inter dona sublimia de se humiliter sa- B pere illi verius possunt, qui Redemptoris magnitudinem et humilitatem recolere **158** sæpius didicerunt. Nam deponere arcam Dei, et super lapidem grandem volebat ponere, qui dicebat : *Hoc sentite in vobis, quod in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit se factus obediens usque ad mortem crucis* (*Philip.* II, 5). Sed qui de subditorum cordibus amoris hostiam ministerio prædicationis Deo immolant, de suis etiam mentibus excellentiora valde oblationum dona repræsentant. Unde et subditur :

(Vers. 15.) *Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, et immolaverunt victimas in die illa Domino.* C

27. In qua die, nisi in illa in qua holocaustum Domino vaccas super plaustri ligna posuere? Quæ est igitur dies illa, nisi illuminatio divinæ prædicationis? Ea namque die Bethsamitæ holocausta Domino offerunt, ea die victimas immolant qua ligna concidunt, qua super ea holocaustum Domino vaccas imponunt; quia sancti prædicatores ea luce verbi, qua subjectis emicant, sibi quoque ad rectitudinem superni itineris officium visionis administrant, et contemptis rebus infimis, per vim dilectionis omnipotenti Deo tanto se liberius exhibent, quanto etiam auditores suos ei jam magna familiaritate conjunctos vident. Quia vero non solum holocausta obtulisse, sed immolasse victimas viri Bethsamitæ relati sunt, perfectorum virorum spiritalis oblatio designatur. D Nam holocausta offerunt, cum per contemplationis ascensum se Deo omnipotenti ineffabili affectione conjungunt. Sed holocaustis victimas sociant : quia nimirum tantæ jucunditatis bonum non suis meritis, sed divinæ referunt bonitati. Sine victimis quidem holocaustum offert, qui jam supernis in magna delectatione conjungitur; et insurgentibus elationis occultæ motibus, per humilitatis virtutem nequaquam dominatur. In oblationibus ergo perfectorum simul holocausta et victimæ convenisse describuntur : quia et divina frui dulcedine digni sunt, et in omni quod totos se jam cœlites faciunt, elationis ignari.

(Vers. 16.) *Et quinque satrapæ Philisthinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa.*

28. Satrapæ Philisthinorum, ut jam superius dixi, electi sunt prædicatores Gentilium. Qui nimirum quinario numero continentur; quia ad refrenandos quinque sensus corporis, aut rudibus adhuc fidelibus, aut carnalibus præsunt. Hi profecto plaustrum cum Dei arca comitantur; quia ad studium spiritalis vitæ transeuntes jam eruditos discipulos, sollicitudinis suæ cura prosequuntur. Sed applicante in agrum Josue plaustro, et vaccis immolatis, in Accaron redeunt : quia cum eorum perfectionem jam consideraverint, conversationis eorum itinera ulterius non explorant. In Accaron autem redeunt, quia ad convertendos alios se convertunt. Accaron quippe nostro eloquio sterilis dicitur. Steriles quoque sunt, qui aut fide carent, aut bona conversatione. Bene autem cum reversi principes dicuntur, additum est : *In die illa :* quia nisi in eis claritatem tantæ perfectionis agnoscerent, ab eorum sollicitudine securitatis certitudine non redirent. Sequitur :

(Vers. 17, 18.) *Hi sunt ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, et Accaron unum. Et mures aureos,* **159** *secundum numerum urbium Philisthiim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam, quæ erat absque muro, et usque ad Abelmagnum, super quem posuerunt arcam Domini, qui erat usque in die illa in agro Josue Bethsamitæ.*

29. Quid hæc omnia designent, late supra expositum est. Quid est autem, quod cum reddi pro peccato debitum arcæ præcipitur, quinque ani aurei et quinque mures simul nominantur; cum vero jam redditum quod debebatur asseritur, urbes singulæ separatim unum reddidisse referuntur? Sed simul supra nominantur : quia simul omnium membrorum demonstrabatur ornatus, in commutatione bonorum operum; hic autem cum redditum debitum arcæ describitur, caute ostenditur : quia urbes singulæ anos aureos singulos et mures obtulerunt : ut profecto peccatori converso insinuetur, ut semel peccata deserat, quæ per solitam pravitatem ulterius non requirat. Urbes quippe singulæ anos et mures singulos reddunt, cum conversi peccatores semel tersa lacrymis pœnitentiæ peccata non repetunt. Unde et sacra Scriptura admonet, dicens : *Non iteres verbum in oratione* (*Eccli.* VII, 15). Verbum quippe in oratione iterat, qui precibus purgare peccata conatus est; sed tamen committere non omittit alia, pro quibus oret. Qui profecto anum unum et murem Deo pro delicto non offert : quia etsi pœnitendo compungitur, fœditates multiplicat, quas Deo confitens ei repræsentat. Cum ergo anum unum et murem unum urbes Philisthiim sive provinciæ singulæ reddidisse describuntur, quid aliud designat, nisi perfectionem veræ conversionis? Perfecte enim convertitur, qui cum semel quod prave egerat plangit, quod rursum plangat ultra non repetit. Igitur anum unum et mu-

rem unum pro peccato offert, qui sic commissa luget præterita, ut perfecte caveat futura. Et quia ista forma conversionis tam sapientibus quam indoctis, tam fortibus quam debilibus in sancta Ecclesia observanda est, bene ab urbe murata, usque ad villam sine muro hæc solutio debiti extensa perhibetur. Nulli enim intra sanctam Ecclesiam constituto liberum est peccare, nulli innoxium prava committere. Quare per prophetam Dominus comminatur, dicens : *Anima quæ peccaverit ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4). Muratæ quippe urbes sunt mentes sanctarum Scripturarum eruditione circumdatæ. Villæ autem absque muro sunt mentes simplices. Unum ergo anum aureum non solum singulæ urbes reddunt, sed etiam villæ; ut quicunque ad religiosam vitam, Deo auctore, convertitur, ablutis jam fetoribus, ulterius non fœdetur. Et quia nemo tam sanctus est, qui in se non habeat aliquid fœditatis quod plangat, solutio hujus debiti usque ad Abelmaguum, super quem posuerant arcam Dei, pertenditur. Abel quippe interpretatur luctus. Quo nimirum nomine lapis in quo arcam Dei posuerant vocabatur. Sed hoc profecto Redemptori nostro nomen congruit : quia, etsi propria quæ fleret non habuit, nostra tamen quotidianis precibus et fletibus peccata purgavit. Sunt quoque in sancta Ecclesia viri perfecti, et illi summo lapidi charitatis consummatione conjuncti. Huic namque unitus erat lapidi, qui dicebat : *Nemo me separat a charitate Christi* (*Rom.* VIII, 35) ; qui an arcæ debitum solvat, audiamus : *Primum*, inquit, *fui blasphemus, et persecutor* (*I Tim.* I, 13). Hinc iterum confitens, ait : *Non sum dignus vocari apostolus : quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* XV, 9). Notandum etiam quod usque ad lapidem excurrisse arcæ debitum legitur, qui usque in die illo **160** in agro Josue manere, et in quo posita arca Dei memoratur. Qua in re quid aliud tenemus, nisi quod in sancta Ecclesia cernimus : quia illi etiam Deo pro culpa satisfaciunt, qui non solum a peccatis per Dei gratiam erepti, sed etiam per magna sanctarum virtutum culmina, in ejus tabernaculum sunt assumpti ? Sequitur :

(Vers. 19.) *Percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini, et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis.*

30. Qui sunt Bethsamitæ percussi, nisi falsa contemplatione decepti hæretici? Bethsamitæ enim non veritate fuerunt, sed præsumptione. Dum igitur arcam videre in lapide præsumerent, percussi sunt : quia cum Domini ac Redemptoris nostri sacramenta indigni discuterent, æternæ damnationis laqueis, per fallaciam proprii sunt depressi erroris. Quid est autem, quod de populo septuaginta viri, de plebe autem quinquaginta millia percussa sunt? Sed quia appellatione populi etiam urbium nobiles continentur, plebs autem vulgus est reliquum sine nobilibus, potest hoc colligi : quia hæreticorum alii inter alios, quasi nobiles exstiterunt, qui in munditia operum, solo errore perierunt; cæteri vero quasi plebis rusticitatem secuti, cum errore fidei obscurati sunt sorde pravæ operationis. Unde et alii quinquagenario, alii septuagenario numero exprimuntur : quia et illi per quinque sensus corporis concepta flagitia perfecerunt; illi dum falso sibi dona ascriberent spiritus septiformis, æterna obruti sunt caligine cæcitatis. Et quia de eorum percussione veri fideles contristati sunt, sequitur :

(Vers. 20.) *Dixeruntque Bethsamitæ : Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?*

Quasi etenim veri fideles, sed simplices, dicant : Si tam sapientes et philosophi in summæ veritatis cognitione falluntur, indocti et simplices quando venire ad ejus notitiam possunt? Sed etsi de sua mensura diffidunt, donum tamen divinæ cognitionis adesse Ecclesiæ non diffidunt. Quare et subditur :

(Vers. 20.) *Et ad quem ascendet a nobis?*

31. A nobis quippe Dominus ascendit, quando id quod de ejus cognitione nobis absconditur, per electorum fidelium vocem prædicatur. Velut ascendere namque ejus a nobis est, quod simplicioribus, sive infirmioribus, de æterna contemplatione celaverit, sublimibus per humilitatem cordibus revelare. Quid est ergo dicere : *Ad quem ascendet a nobis* : nisi dignum doctorem quærere, qui sic divina prædicet, ut a via veritatis non erret? In quibus etiam verbis, si historicum sensum requirimus, aperte cognoscimus : quia qui ideo mortui sunt quia arcam Domini viderunt, intelligimus nempe quod eadem visione digni non fuerunt. Merito igitur, qui percussos aspiciunt, dicunt : *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Nam si hi qui indigni sunt videndo moriuntur, contrectantes, quomodo vivunt? Bethsamitæ quidem in sancta Ecclesia sunt mortui sacerdotes, et ministri sacri altaris reprobi : quia de domo quidem solis justitiæ sunt dignitate ministerii, non virtute et gratia sanctitatis. Bethsamitæ quidem sunt : quia per sacræ oblationis officium conversantur in domo Dei; sed tanto sunt acriori damnatione percutiendi, quanto non solum videre audent sacra mysteria, sed contrectare, quanto non jam veteris Testamenti arcam respiciunt, sed, quod omnia superat, **161** indigne se corpori et sanguini ingerunt Redemptoris : quos percussos insinuat Paulus, dicens : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI, 29). Veri etenim fideles dicunt : *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Altitudinem quippe tantæ administrationis considerant, et tanti sacramenti dignitatem formidant. Sed dum tantæ rei subire officium metuunt, qui id exhibere valeant, digniores quærunt. Unde et sequitur : *Et ad quem ascendet a nobis*. Quasi ergo sacra mysteria humiliter fugientes, dicant : Quia [a] nos infirma conversatione percutimur ministri ex altiori vita quærendi sunt, quos dum ir

[a] Gilot. et Vatic., *quia non infirma conversatione percutimur.*

altissimam virtutum sanctificationem conversatio sublimis erigit, assistere Deo per officium tantæ oblationis possint. Sequitur :

(Vers. 21.) *Miserunt ergo nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes : Remiserunt Philisthiim arcam Domini, descendite et reducite eam ad vos.*

32. Cariathiarim dicitur, civitas eorum. Quæ est sanctorum civitas, nisi illa Jerusalem quæ sursum est? Qui sunt ergo habitatores ejus, nisi perfecti viri ab amore mundi alta conversatione separati? Quorum profecto unus cæteris efficacior ait : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Ad hos quippe nuntii mittendi sunt, ut Dei arcam suscipiant : quia ad electionem sacerdotum viri sancti non solum recipiendi sunt, sed etiam invitandi. Et notandum, quia viris sublimioribus per nuntios dicitur : *Descendite et reducite eam.* Descendunt quippe, quia obediunt : nequaquam enim descenderent, si id, quod ab eis fraternus amor expetit, impendere superba mente refutarent. Tunc quidem vere sublimes sunt, cum se Christo non auferunt; cum id, quod ex fraterno judicio eis imponitur, non repellunt. Unde apte subinfertur :

CAPUT V.

(I Reg. VII, 1.) *Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Aminadab in Gabaa.* [a] *Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini.*

1. Aminadab interpretatur, populus meus spontaneus; Gabaa, sublimis. Et nimirum talibus arca Dei committenda est. Populus namque spontaneus est, quem ad exercenda virtutum opera, sola bona voluntas trahit, quem ad implenda mandata Dei necessitas non compellit. Quos nimirum sub unius descriptione beatus Paulus prædicat, dicens : *Hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7). Quæ est domus spontanei populi, nisi munimentum sanctæ dilectionis? Nam in virtutum ministerio spontaneus esse non posset, si mansionem sibi dilectionis non conderet. Quæ profecto domus in Gabaa, id est in sublimi sita cognoscitur : quia charitatis altitudine ad cœlestia sublevamur. Vel certe in sublimi est domus, quia charitas omnibus virtutibus antefertur. Nam sublimitatis hujus altitudinem insinuans Paulus, ait : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XII, 31; XIII, 1). Quid est autem, quod Eleazarum sanctificant ad custodiendum arcam Dei? Sed hoc nimirum ex usu sanctæ Ecclesiæ novimus, quia electus minister prius benedictionem consecrationis a summis viris accipit quam ministerium impendat oblationis. Quia vero Eleazarus Dei adjutor dicitur, **162** profecto ostenditur quia non solum sanctificari Dei ministri debeant, sed etiam inspici quales sint ad ejusdem consecrationis ordinem promovendi. Qui enim sunt Dei adjutorium, nisi qui cum divina gratia ministrando conveniunt, et quos omnipotentis Dei dignatio intus visitat, quam ipsi per exterius ministerium bene vivendo et docendo confirmant? Unde et cum Paulo non inaniter gloriantes dicunt : *Dei etenim sumus adjutores* (*I Cor.* III, 9). Qui nimirum conversatione fortissimi, scientia eruditi, amore fervidi, constantia robusti, non solum alieno non egent auxilio, sed quocunque se conferunt, subvenire aliis possunt. Bene itaque dicitur : *Eleazarum sanctificaverunt, ut custodiret arcam.* Quia hi, quibus adhuc aliena auxilia necessaria sunt, ad subveniendum aliis promovendi non sunt. Bene item idem Eleazarus filius Aminadab esse dicitur : quia certe, qui ad ministerium prædicationis eligitur, in imitatione sanctorum positus, auxilium omne quod exhibet esse debet ex dilectione.

2. Quia vero nos superius plaustrum Scripturam sacram, arcam vero scientiam ejus spiritalem esse diximus, vaccas quoque electas animas, timor Bethsamitarum, quem inesse electis ostendimus in oblatione sacramenti, potest referri etiam ad onus prælationis. Non enim minor sanctitas idonea est animabus instruendis, quam offerendis sacris mysteriis. Et idcirco Bethsamitæ perhibentur percussi : quia plerique vivunt subditi, qui moriuntur prælati. Habet enim arca Dei etiam extrinsecus pulchritudinem, quam si minister infirmus non ad spiritalem venerationem, sed ad concupiscentiam sæcularem inspexerit, nequaquam vivit. Bene itaque causa percussionis eorum declaratur, cum dicitur : *Quia viderunt arcam Dei.* Quid est enim, *viderunt*, nisi quia ejus gloriam videndo concupierunt? Nunc autem, auctore Deo, per orbem universum sanctæ Ecclesiæ gloria est copiosa. Quæ profecto gloria, quia a reprobis sacerdotibus sæculariter appetitur, Bethsamitæ viri arcam Dei exterius videndo moriuntur. Non enim spiritalem ejus honorem pro interna virtutum gloria appetunt, sed ut arcæ Dei splendorem rapiant, et ecclesiasticæ prælationis fulgorem, in flore sæculi suis cultibus ferant. Arca quoque Dei male foris ad percussionem respicitur, quando flagitiosi præpositi subditarum personarum exteriori specie devicti, ad carnalem concupiscentiam pertrahuntur. Viri timore ingentem multitudinem concupiscentiæ telo prostratam intuentes, dicunt : *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Stat quippe, in conspectu Dei, qui fortis est in ordine divini ministerii. Stare etenim fortitudinis est, ministrare obsequii. Stare ergo in conspectu Dei dicitur, qui ordinem superni officii in altitudine disponit dignæ conversationis; qui in ministerio quo fungitur nullo appetitu ecclesiastici honoris decipitur, nulla carnali concupiscentia superatur. Quia vero tam idonei ministri raro inveniuntur, merito dicunt : *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Et quia tantum onus parvuli Christi viris fortioribus deserunt, subdunt : *Et ad quem ascendet a nobis?* Quomodo autem ad habitatores Cariathiarim miserint,

[a] Hæc in cæteris editis omissa restituenda duximus, quia infra tanquam jam proposita exponuntur.

quomodo aream Dei in domum Aminadab intulerint, A quomodo Eleazarum sanctificaverint, sicut supra expositum est, non mutamus.

(Vers. 2.) **163** *Et factum est ex quo arca Dei mansit in Cariathiarim, multiplicati sunt dies.*

Si ad historiam respicimus, dies mansionis arcæ multiplicati sunt, quia illic multo tempore fuit. Unde et subditur :

(Vers. 2.) *Erat enim annus vicesimus.*

Et ad quid istam dierum multiplicationem introduxerit, subdens, ait :

(Vers. 2.) *Et requievit omnis Israel post Dominum.*

Quæ nimirum requies in illo veteri populo non bonorum operum, sed bonæ devotionis intelligenda est. Nam sequitur :

(Vers. 3.) *Ait autem Samuel ad universam domum* B *Israel, dicens : Si in toto corde vestro revertimini ad Deum, auferte deos alienos de medio vestrum, Baalim et Astaroth; et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et liberabit vos de manu Philisthiim.*

3. Qui deos alienos de medio sui non abstulerant, nisi bona voluntate, post Dominum quomodo requiescebant? Quæ nimirum omnia si spiritaliter inquirantur, dies mansionis arcæ multiplicantur. Sed cum manet in Gabaa, cum manet in custodia Eleazari; quia cum animarum fidelium cura apud religiosos prædicatores reconditur, perfectio religionis, quæ sublimi doctrina impenditur, bonorum operum studio adimpletur. Unde et annus vicesimus tunc instare relatus est. Si enim denarius numerus perfectionem antiquæ Legis designat, quid vicenarius, nisi splendidiorem novæ vitæ religionem significat? Vicenarius quippe numerus, denarius est duplicatus. Qui certe numerus in electorum conversatione perficitur, cum per amorem vitant Legis prohibita, et sublimia Evangelii mandata complent.

4. Quia vero nos arcæ profectionem ad contemplativæ vitæ perfectionem retulimus, in Cariathiarim manet arca Dei, cum eruditæ mentes contemplantium, ejusdem eruditionis suæ donum, in oblectamento perficiunt revelatæ sibi supernæ claritatis. Viginti quippe annis manet ibi nunc arca Dei, quia electæ animæ, ad exaltationis intimæ culmen evectæ, habent denarium numerum in perfectione scientiæ, vicenarium vero in superna delectatione. Potest etiam dierum multiplicatio ad virtutum spiritalium incre- D menta referri. Cum igitur causa, qua dies multiplicentur, expressius dicitur, annus vicesimus esse perhibetur : quia videlicet electæ mentes contemplantium, quo uberius superna contemplatione pascuntur, eo plenius virtutum spiritalium fulgoribus illustrantur.

5. Quid vero est, quod anno vicesimo requiescere omnis Israel post Dominum dicitur, nisi quia sublimitas perfectionis electorum non consistit in fortitudine boni operis, sed in virtute contemplationis? Quiescere namque post Dominum, Redemptoris nostri imitationem invincibili charitate retinere est. Et quisquis illa supernæ civitatis ineffabilia gaudia contemplando fortiter amare non didicit, quia sæpius ad mundi amorem potest dejici, post Dominum nequaquam requiescit. Cum ergo manet arca in Cariathiarim, et dies multiplicantur, universus Israel post Dominum requiescit : quia profecto dum electæ mentis scientia in experientiam supernæ delectationis erigitur, dum luce refusæ gloriæ, virtutum spiritalium sibi claritates glomerantur, imitationem Dominicam tenere eo perseverantius potest quo, immensis illustrata claritatibus, eas tenebras quibus a vero dividatur lumine sentire non potest. Unde et bene qui post Dominum **164** requiescere dicitur, Israel esse perhibetur, videlicet videns Deum : quia quo altius contemplator in divina rapitur, eo ab humanis quæ potenter cohibet nequaquam superatur.

6. Verum quia, auctore Deo, arcam ejus proficiscentem usque ad sublimitatis ejus situm deduximus, quo studio prædicator erga subditorum correctionem invigilet, videamus. Nam sequitur : *Et ait Samuel ad universam domum Israel : Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestrum.* Quos autem alienos deos Scriptura sacra appellare consuevit, nisi dæmonia, quæ in manufactis simulacris habitant? In Samuele novos sanctæ Ecclesiæ prædicatores designari diximus. Recte itaque de medio sui deos alienos in universam Israel domum auferre præcepit : quia in accedentibus ad fidem Gentilibus, non solum rectæ professionis veritatem prædicatorum ordo petiit, sed etiam damnationem antiquæ superstitionis. Nil enim eis prodesset veritatem profitendo colere, vel obsequendo, nisi falsa C prius detestanda reliquissent. Quisquis etiam nunc intra sanctam Ecclesiam positus est per fidem, sed Deo rebellis per iniquam operationem, admonendus est ut alienos deos de medio sui auferat. Nam, etsi manufacta simulacra detestatur, dæmonum tamen imperiis prava actione submittitur. De medio autem sui alienos deos abjicit, qui sic ad Deum convertitur, ut per mala opera immundos spiritus nunquam veneretur.

7. Potest etiam cautioris vitæ studium per hæc exhortationis verba designari. Nam in medio nostri quid est, nisi cor nostrum? Sunt tamen nonnulli operatione mundi, sed infirmitate cordis, usu fœdantur pravæ cogitationis. Bona quidem incessanter faciunt, sed cogitare reproba nunquam prætermittunt. Quia vero tot in eorum cordibus dæmonia requiescunt D quot desideria immunda, auferre de medio sui alienos deos instanter admonentur : quatenus omnipotenti Deo non solum rectitudinem impendant operis, sed et gloriam internæ puritatis. Unde et apte subditur : *Et præparate corda vestra Domino.* Cor quippe Domino præparat, qui mentem non solum ab immunda cogitatione separat, sed etiam cogitationum sanctarum ac virtutum fulgoribus illustrat : ut velut abjectis et comminutis idolis, se Dei templum efficiat; dum illic divinæ gratiæ sedem erigit, ubi reprobos spiritus manere per subjecta eis prava desideria non permisit. Bene itaque prius auferre alienos deos de medio sui Israelitas admonet, deinde corda Deo præparare

quia rectus ordo inchoatæ religionis est, ut prius unusquisque prava reprobet, deinde ad omnipotentem Deum studio bonæ intentionis appropinquet. Ad extremum vero necesse est, ut qui jam Deo bonæ voluntatis propositum, et puri cordis munditiam obtulit, id quod intus bene vivendo deliberat, in rectitudine boni operis exponat. Quare et subditur : *Et servite soli Deo.*

8. Soli quippe Domino servit qui bonis operibus prava non inserit. Nam qui sic bona agit, ut mala non deserat, Deo soli nequaquam servit : quia malo spiritui obsequium exhibet, cujus perficere non metuit voluntatem. Unde agitur, ut etiam bona agens Deo non serviat : quia qui totum hominem condidisse creditur, habere eum communem cum adversario non dignatur. Hinc namque est, quod ipsa Veritas per semetipsam denuntiat, dicens : *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). Hinc Paulus **165** exquirens, ait : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli, aut quis consensus templo Dei cum idolis* (*II Cor.* VI, 14, 15)? Soli ergo Domino servire præcipimur, ut qui jam aspirante Deo pro obtinenda peccatorum nostrorum remissione agere bona cœpimus, eisdem bonis prava nulla misceamus. A peccatorum namque nostrorum obligatione tunc solvimur, cum bona quæ pro eorum impendimus absolutione malis admixta non sunt. Devotis namque pœnitentibus loquens prædicator, dicit : *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, et servite Deo soli.* Quasi dicat : Tunc a peccatis solvi poteritis, cum cordis et operis bona, quæ pro vestra absolutione impenditis Deo, supervenientibus criminibus aliis non fœdatis. Quare et repromittens; dicit : *Et liberabit vos de manu Philisthiim.*

9. Qui hoc loco alii Philisthiim quam maligni spiritus designantur? Qui nimirum dum superbiæ suæ calice in momento debriati sunt, a statu gloriæ tumescendo ceciderunt. Quæ est igitur manus Philisthiim, nisi potestas illa dæmonum, qua mortuas in peccato animas ad æterna tormenta perducunt? Ab ista Philisthiim manu solus liber fuerat, qui dicebat : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV, 30). Hinc Paulus ait : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23). Hinc iterum dicit : *Eramus et nos filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). O quam magni muneris est ista promissio, qua dicitur: *Liberabit vos de manu Philisthiim.* Nam ille solus liber hujus manus exstitit, qui peccatum non fecit. Ab ea utique omnes contra meritum liberamur. Unde et Paulus dicit : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem justitiæ suæ, propter redemptionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Domini nostri Jesu Christi* (*Rom.* III, 24-26). Hinc item dicit : *Gratia liberati estis* (*Ephes.* II, 8). Tale est ac si dicat : Liberabit vos de potestate spirituum malignorum, ut velut fugatis de itinere crudelibus hostibus, dum mors carnis intervenit, ea quæ cupitis æterna gaudia securius adeatis. Magna itaque promisit, qui magna præcipiendo docuit, ut magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Magnum quippe est soli Domino servire, videlicet instanter bona agere, bonis actibus reproba non miscere. Sed o quam maximum in vitæ hujus transitu, potestatem cruentorum spirituum non incurrere, nullas in via horribilitates cernere, contrarietates objectionum nullas invenire, æternas pœnas evadere, liberatoris nostri præsidia sentire, momentaneam sæculi lucem perdere, sed repente ineffabilem claritatem æternitatis invenire. Audiant ergo, audiant, qui de manu Philisthiim liberari desiderant : *Præparate corda vestra Domino, et servite illi soli :* ut hic sibi quique colligere studeant, unde illic manus tantorum hostium non incurrant, et securi ad vitam transeant, qui inter salutis suæ thesauros, quos hic bene vivendo congregant, mortis opera nulla portant. Electorum vero mores insinuantur, per hoc, quod subditur :

(Vers. 4.) *Abstulerunt ergo filii Israel de medio sui Baalim, et Astaroth, et servierunt Domino soli.*

10. Electorum quippe mos est, ut cum divinæ prædicationis hortamenta suscipiunt, ad studium auditæ bonæ operationis accendantur. Nam reprobi **166** e frequenter verba Dei audiunt, et eisdem tamen verbis nulla bona opera proponunt. Pigri in suis actionibus remanent : quia a divina luce projecti, omnipotentis Dei gloriam, cujus verba audiunt, interna contemplatione non vident. Recte ergo, qui obediunt, Israel filii dicuntur : quia quo majestatem apertiori manifestatione conspiciunt, ejus præceptis obedire devotius agnoscuntur. Sed quia conversis loquitur, quid eis adhuc deesse conspiciat, audiamus: Nam sequitur :

(Vers. 5, 6.) *Dixit autem Samuel : Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum. Et congregaverunt in Masphath.*

11. Masphath dicitur speculatio seu contemplatio. Quam profecto speculationem beatus Paulus exponit dicens : *Videmus nunc per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII, 12). Speculari etenim nobis est, de altitudine Scripturarum æterna bona contemplari. Quasi enim speculamur, quod jam fidei veritate cognoscimus, et adhuc revelata facie non videmus. Conversis vero peccatoribus in Masphath convenire, est per mentis intentionem de Dei omnipotentis miseratione confidere. Sed sic de Dei misericordia præsumant, ut tamen id, quod se nequiter egisse recolunt, per pœnitentiam delere non negligant, Unde et illic repente subjungitur :

(Vers. 6.) *Hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini.*

12. Quid enim est aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione lacrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus, dum, quam profunda iniquitate cecidimus considerantes,

plangimus. Quam profecto aquam in conspectu Domini effundimus, si cum pœnitendo compungimur, de ejusdem compunctionis fletu non quærimus favorem sæculi, sed solum fructum divinæ placationis. Sed et dum mens flendo compungitur, necesse est ut etiam caro quæ delectationibus subjacuit affligatur. Unde et subditur : A

(Vers. 6.) *Et jejunaverunt in die illa.*

13. Dies peccatricis animæ est spes consequendæ indulgentiæ in divini verbi repromissione. Unde et per prophetam Dominus repromittit, dicens : *Nolo mortem peccatoris : magis autem, ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 32, 33, 11). In die igitur illa jejunant, qui idcirco carnem pœnitendo atterunt : quia in luce spei pervenire ad indulgentiam se indubitanter credunt. Quæ tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda B peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis Bene itaque sequitur :

(Vers. 6.) *Dixeruntque : Tibi peccavimus, Domine. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath.*

14. In Masphath quippe sacerdos judicat, cum non humanum arbitrium sequitur, sed divinum ; cum in omni quod disponendum est se in alta contemplatione sublevat, et hoc in subditorum judicio disponit : quod æquum esse in superna visione cognoscit. Hinc namque est, quod in omni fere negotio Moyses in tabernaculo fœderis Dominum consulit (*Exod.* XXXIII, 8): quia nimirum prædicator sanctæ Ecclesiæ in intima debet veritatis contemplatione conspicere, C ut subditorum vitam foris irreprehensibiliter valeat ordinare. Tunc enim et tenere peccata, et dimittere verius potest, cum in arcano speculationis, Domino loquente, audit quod loquitur. Unde et resurgens à mortuis Dominus prius in discipulorum faciem insufflavit, et postea dimittendi **167** retinendique peccata auctoritatem tribuit (*Joan.* XX, 21, 23) : ut profecto monstraret, quia qui illam mentis speculationem non habet, judex animarum esse non debet. In electorum quippe prædicatorum faciem Dominum insufflare, est intimas secretasque vias spiritalis examinis eis per Spiritum sanctum revelare. Hinc Paulus ait : *Spiritalis judicat omnia* (*I Cor.* II, 15). Hinc item divinæ gratiæ largitatem commendans, ait : *Nos spiritum hujus mundi non habemus*, D *sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (*Ibid.*, 12). Qui autem hujus mundi spiritum habet, in Masphath, id est in speculatione subditos judicare non potest : quia dum per spiritum interiora non penetrat, in causis examinis quas exquirit, mundano spiritu foris errat. Bene igitur Samuel filios Israel in Masphath judicasse dicitur : quia nimirum prædicatores sancti, in subditorum judiciis aliud extra nequaquam definiunt, nisi quod intus eis divina inspiratione revelatur. Sed dum boni subditi majorum judicio semetipsos subjiciunt, spiritalium hostium iras contra se validius accendunt. Unde et subditur :

(Vers. 7.) *Et ascenderunt satrapæ Philisthinorum ad Israel.*

15. Ablatis namque diis alienis, peracto jejunio, exhibita a prædicatore censura examinis, ad Israel Philisthinorum principes ascendunt : quia cum altiori vita proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt. Et quia de innocentis vitæ sublimitate nos deponere appetunt, ascendere dicuntur. Ascendere quippe malignis spiritibus, est se ad expugnanda alta per cœleste desiderium corda sublevare. Quia etiam contra perfectiores Christi milites non quorumlibet malorum spirituum, sed fortiorum dæmonum prælia excitantur ; non Philisthiim contra Israel ascendere, sed Philisthinorum satrapæ perhibentur. Principes quoque pluribus præsunt. Per hoc ergo, quod contra Israel satrapæ ascendere dicuntur, potest rationabiliter colligi quia ad probandam electorum patientiam, nec unus spiritus malus electorum singulis, sed innumeri deputantur ; ut de consecuta eorum victoria, tanto sit copiosior fidelium gloria, quanto eis irrogata fuerint prælia graviora. Tamen inter eadem prælia nuper conversi vehementer pavere solent : repente etenim inveniunt se in campo laboris, præter experimentum consuetudinis. Armata hinc contra se aspiciunt desideria, quæ sibi dudum pacata serviebant : illinc supernus amor invitat, ut cœpta bona non deserant. Hinc spiritus mentem elevat, illinc caro gravat ; ac dum finis sui modum scire non possunt, de electionis suæ incertitudine vehementer expavescunt. Unde et hic apte subditur :

(Vers. 7.) *Quod audientes filii Israel, timuerunt a facie Philisthinorum.*

16. A facie enim Philisthinorum timent, ut eorum posteriora non timeant. Quæ est enim malorum spirituum facies, nisi concupiscentia sæcularis? In hac enim specie quicunque componitur eorum imagini conformatur. Quia vero non Philisthinorum faciem, sed ab eorum facie timuisse Israel dicitur ; sic electorum mentes insinuat, ut etiam reproborum stultitiam latenti ratione reprehendat. Non enim faciem, sed a facie timuerunt : quia videlicet sancti viri, aliud est quod foris aspiciunt, aliud quod intus expavescunt. Nam etsi aliquando florentem mundum humana ratione considerant, repente mentis oculos ad ea mala quæ mundi gaudia sequuntur retractantes levant, et **168** velut a facie trepidant, qui pœnis sequentibus contingere præsentes delectationes vitant. At contra reprobi, qui hanc Philisthinorum faciem nequaquam metuunt, sequentes ferocitatis eorum impetus non evadunt. Dum enim vana mundi gaudia tota virtute suscipiunt, afflictiones perpetuas, dæmonum virtute, capiunt. Quibus nimirum Veritas comminatur, dicens : *Væ vobis, divites, quia recepistis consolationem in vita vestra* (*Luc.* VI, 24). Hinc item denuntians, ait : *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis* (*Ibid.*, 25). Quasi aliter dicat : Quia a Philisthinorum facie nequaquam pertimescitis, cum sequentes eorum vires irruunt, salutis invenire refugium non potestis. Tunc quidem timor

adest, sed qui adjuvet non adest. Vindicta datur fla- gitii sine spe liberationis; et quam sint Philisthinorum horribilia posteriora sentiunt, qui faciei eorum blandimenta in mundi amore voluerunt. Bene igitur de Israelitis, in electorum typo dicitur : *Timuerunt a facie Philisthinorum :* quia nimirum dum conversandi modum sibi solerter ordinant, non disponunt metuere æterna mala, cum veniunt; sed a temporali concupiscentia trepidant, cujus merito irrogantur. Et quia non tam suis meritis quam majorum hoc intercessione posse obtinere credunt, sequitur :

(Vers. 8.) *Dixeruntque ad Samuelem : Ne cesses clamare pro nobis ad Dominum Deum Israel, ut salvet nos de manu Philisthiim.*

17. Sed et tentatis subditis pastores boni non solum orationum præsidia conferunt, sed etiam sacrificiorum. Unde subditur :

(Vers. 9.) *Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino, et clamavit Samuel.*

Quid est clamor Samuelis, nisi in supplicatione pontificis magna virtus desiderii? Unde ad tacentem labiis Moysen, licet populi subditi salutem ferventi devotione cupientem, a Domino dicitur : *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV, 15)? Quis vero est agnus lactens, nisi ille quem præcursor ejus ostendit, dicens : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29)? Et lactens dicitur, quia in ejus innocentia vera humanitas prædicatur. Sed unus agnus offertur, quia, præter ipsum, qui mundi tollat peccata nequaquam reperitur. Quem profecto agnum integrum obtulit. Integritas quippe agni ad soliditatem pertinet catholicæ professionis. Velut enim agnum dividit, qui a canone fidei per gladium separatur erroris. Agnus itaque dicitur pro innocentia, lactens pro assumptione naturæ, unus pro singularitate potentiæ, integer pro fidei nostræ firmissima soliditate.

18. Quod si quis hæc non ad ipsum, sed ad ejus imitatorem referre voluerit, potest. Agnum quippe offerimus, cum per bonum castitatis et innocentiæ, Redemptori nostro conformamur; et cum doctrina innocentium Patrum nostrorum pascimur, velut ubera sugimus, quibus ad æternam vitam nutriamur. Unum quoque agnum offerimus, si post initia religiosæ conversationis, nulla polluimur inquinatione pravitatis. Unum quippe agnum offert, qui a proposito innocentiæ, ad pollutæ vitæ maculas nequaquam diffluit, a quibus redeat per iterationem bonæ operationis. Integrum quoque agnum offerre, est ad æternam vitam non solum carnis continentiam, sed mentis integritatem præparare. Integrum quoque agnum Domino nequaquam offert, qui carnem Deo per continentiam consecrat, sed mentis suæ secreta ab immundarum cogitationum lascivia **169** non refrenat. Velut enim agni partem sacrificio subripit, qui puritatem cordis, corporis continentiæ non conjungit. Unde et ipse agnus agnum integrum offerre discipulis præcipiens, ait : *Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis; ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum, mœchatus est in corde suo* (*Matth.* V, 27, 28). Hinc etiam fatuæ virgines in Evangelio notantur, quæ lampades paraverunt, et oleum non paraverunt (*Matth.* XXV, 3). Lampades namque paratas habent, qui bonum pudicitiæ servant in corpore : oleum quoque habent, qui nitorem puritatis tenent in mentis suæ circumspectione. Dicatur ergo de Samuele : *Obtulit agnum integrum Domino :* quia ut bonum pudicitiæ divinæ placationi sufficiat, non solum in candore corporis servari debet, sed in splendore internæ puritatis. Merito itaque subditur :

(Vers. 9.) — *Et exaudivit eam Dominus.*

19. Ille namque exaudiri a Domino pro aliis orans potest, qui ex parte aliqua ei, cui supplicat, Domino odibilis non est. Nam si adhuc propria infirmitate deprimitur, pro obtinenda proximorum fortitudine nequaquam exauditur : et eo desiderium suum ad divinæ celsitudinis arcem non sublevat, quo ipse de imo, quo per lapsum jacet, conatu ferventioris studii ascendere nequaquam curat. Sed et modus exauditionis exponitur, cum subinfertur :

(Vers. 10. 11.) *Factum est, dum Samuel offerret holocaustum, Philisthæos inire prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illo super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a filiis Israel. Egressique filii Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, et percusserunt eos usque ad locum, qui erat subter Bethchar.*

20. Offerente holocaustum Samuele, Philisthiim contra Israel prælium ineunt : quia maligni spiritus tunc adversus fideles subditos graviores tentationes commovent, cum contra se stare instantius Pastores vident. Sed super Philisthæos Dominus intonat : quia orantibus doctoribus et fidelibus subditis, divina gratia robur administrat. Tonitrua enim fieri per nubila solent. Nubes autem sublimes per cœleste desiderium animæ intelliguntur. Unde et propheta mentes electorum in amore cœlestium elevatas admirans, dixit : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant* (*Isa.* LX, 8)? Quæ sunt autem tonitrua nubium, nisi illa ferventia et superna electorum desideria : quibus dum per divinam gratiam eorum mens succenditur, omne, quod maligni spiritus decipiendo suggerunt, ab ea penitus expellunt? Bene ergo dicitur : *Intonuit Dominus super Philisthæos, et exterruit eos.* Nam dum per gratiam suam electis mentibus superna desideria infundit, quia etiam terrena omnia facit contemnere, eos etiam, qui ea eis appetere suggerunt, nequam spiritus in fugam vertit. Velut enim tonitruo territi fugiunt, dum in electis mentibus, quas tentando pulsaverant, ingentem sonitum divinæ virtutis expavescunt. Quia vero fragore magno intonuisse Dominus dicitur, quid est aliud, nisi quia imperfecta Christianorum desideria dæmonibus terribilia non sunt? Fragor enim magnus tonitrui, perfectum est uniuscujusque desiderium electi. Cum igitur fragore magno super Philisthæos Dominus intonat, tunc a filiis Israel cædun-

tur : quia dum electorum mentem perfecta devotio ad superna gaudia erigit, omne, quod adversæ parti militat, a se penitus abscindit. Bene quoque prius territi Philisthæi, deinde a filiis Israel **170** cædi memorantur : nam terrentur electorum devotione, cæduntur opere. Et quia opere devotio prior est, terreri prius, postea vero cædi recte perhibentur. Nam prius donum bonæ voluntatis a Domino accipimus, ut consilia malorum spirituum postmodum confutare valeamus. Bene etiam Dominus super Philisthæos intonare, et exterrere eos dicitur, filii autem Israel illos cædere perhibentur : quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur, sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. Ordo igitur cœlestis militiæ est, ut ante tonans fragore magno audiatur Deus, et post miles ad cædenda hostium agmina progrediatur : ut videlicet in se prius dona gratiæ videat, deinde ad certaminis campum validius erumpat, et securus victoriæ proventum speret, qui eis, quibus coronetur, viribus ante congressionis tempora fultus est.

21. Bene autem, qui Philisthæos cædunt, de Masphath egressi perhibentur. In Masphath etenim, quæ speculatio dicitur, morantur, qui in divinarum rerum contemplatione persistunt. Sed ad cædendos Philisthæos exeunt, cum ex arcano internæ meditationis consulti venientes, comprimunt vires adversæ dominationis. Intus enim latenter ordinant, qualiter foris in apparato opere, hostium cuneos irrumpant. Tanto quidem graviores pugnas eis procedentes exhibent, quanto, dum interna cogitant, apud se quietiores latent. Et quia maligni spiritus ab electis Dei semper comprimendi sunt, usque ad locum subter Bethchar Philisthiim percussi fuisse memorantur. Bethchar quippe, domus agni interpretatur. Hunc agnum nobis Isaias insinuans, ait : *Tanquam agnus ad occisionem ducetur, et tanquam ovis coram tondente se, sine voce* (*Isai.* LIII, 7). Quæ igitur fuit domus agni, nisi illa sublimis, et singulariter munita conversatio Redemptoris, quæ dum culpa caruit, cunctis nequam spiritibus inaccessibilis exstitit? Ad Bethchar, id est domum agni pervenire nemo potest : quia quisquis multum proficit, sanctitate Redemptoris inferior est. Unde et prædicator egregius ejusdem Redemptoris laudibus insistens, dicit : *Talis decebat, ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem, sicut sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre* (*Hebr.* VII, 26, 27). Quis est ergo locus subter Bethchar, ad quem usque Philisthiim cædere, et persequi debemus? Sed si Bethchar perfectionem signat Dominicæ conversationis, locum subter Bethchar, communem Sanctorum summam exprimit sanctitatis. Qui et eidem Redemptori se obediendo humiliant, et ejus gloriæ per studium vitæ innocentis appropinquant. Locus enim, qui subter Bethchar situs ostenditur, eidem loco cui subest, et inferior esse cognoscitur, et vicinus : quia sancti viri, quo Deo per vitæ altitudinem vicini sunt, eo et humiliori cogitatione subjecti. Dum ergo novitiorum fidelium triumphus sub Israelitarum gestis ostenditur, usque ad locum sub domo agni cæsi alienigenæ dicuntur : quia profecto per indesinentem conatum certaminis, contendere debemus ad arcem perfectionis : ubi jam tanto simus hostibus nostris terribiliores, quanto Redemptori nostro viciniores. Ibi enim jam quædam securitas est, quæ perturbari hostium pavore non potest. Talibus namque concessæ virtutis dona insinuans Dominus, ait : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et omnem virtutem inimici* (*Luc.* x, 19). Unde et is, qui ad locum domui agni **171** vicinum pervenerat, dicit : *Quis nos separabit a charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames* (*Rom.* VIII, 35), an cætera talia? Potest etiam domus agni cœlestem patriam designare. Unde et Joannes dicit : *Vidi supra montem Sion agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen ejus, et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis* (*Apoc.* XIV, 1). Quis est igitur locus, qui est sub domo agni, nisi terminus temporalis vitæ, ex quo ad supernæ patriæ gaudia assumuntur electi? Qui enim usque ad statutum nobis terminum ducimur, quem præterire vivendo non possumus, velut ad locum venimus, unde alio transferamur. Sed terminus vitæ electi viri sub domo agni situs ostenditur : quia unde per angustias mortalitatis demergitur, inde ad vitæ indeficientis gaudia sublevatur. Nam et agnus ipse, qui in citharœdorum citharizantium et cantantium domum suam lætus inhabitat, antequam ad hujus domus lætitiam duceretur, sub domo fuit. Hinc namque est, quod immolationis suæ tempore dicit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38; *Marc.* XIV, 34). Electi ergo uniuscujusque finis dum loco ostenditur, subter Bethchar, id est domo agni esse memoratur; quia sancti viri cum per mortis pœnam temporalia deserunt, de vicino præeminentem sibi supernam patriam conscendunt. Nam Paulus, confidenter asserens, dicit : *Scimus, quia si terrestris domus nostra dissolvatur, habemus habitaculum ex Deo, non manufactum in cœlo* (*II Cor.* V, 1). Igitur usque ad locum, qui est subter domo agni, Philisthæos cædimus, si quandiu in hac vita sumus, de malignis spiritibus triumphamus. Sequitur :

(Vers. 12.) *Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphath et Sen; et vocavit nomen ejus Lapis Adjutorii, dixitque; Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.*

22. Lapis in sacro eloquio Dominum, et Redemptorem nostrum significat. Lapis vero unus a Samuele tollitur, cum a sanctæ Ecclesiæ prædicatore Redemptoris fortitudo singulariter prædicatur. Qui profecto inter Masphath et Sen præfigitur : quia in vitæ exitu electos protegit, reprobos confringit. Sen quippe excussio dicitur. Excussi autem sunt reprobi, id est a fidelium societate separati. Dum ergo usque ad locum subter Bethchar Philisthæi cæsi perhibentur, lapis inter Sen et Masphath præ-

fixus asseritur: quia dum electi Dei victoriæ suæ titulum in fine percipiunt, Redemptoris judicio a malorum societate separantur. Modo vero, velut in area frumentum, et palea simul sumus, sed dum ad vitæ terminum ducimur, electi a reprobis Dominica virtute dividuntur, et velut inter se lapidem habent medium, dum illi pondus Redemptoris in damnationis suæ judicium sustinent, et isti in ejus fortitudine æternæ gloriæ palmas tenent. Possunt per Sen etiam maligni spiritus designari. Excussi quippe sunt, quia a cœlesti secreto per superbiam projecti. Et quia nunc in hac vita nobiscum prælian-tur, bene cum victoriæ nostræ tempus asseritur, lapis inter nos et eos positus perhibetur: quia cum militiæ nostræ donativa percipimus, ultra nobis eorum prælia nequaquam renovantur. Samuel autem hunc lapidem in medium ponit: quia nobis Redemptoris nostri bonitatem sanctæ Ecclesiæ doctor ostendit. Et quia omne, quod a nobis in omni vita nostra prosperum geritur, divinæ gratiæ adscribitur, apte ab eo lapis ille, qui in medio sistitur, Lapis Adjutorii vocatur. Ipse est namque Lapis Adjutorii, qui si nobis subvenire **172** noluerit, vinci possumus, vincere nequimus. De quo jam in medium posito dicitur: *Usque huc auxiliatus est nobis Dominus*; quia ejus præsidia electos suos usque ad æternæ retributionis tempora persequuntur. Et quia, ut diximus, jam tunc a nobis in æterna requie susceptis, a depressis hostibus prælia nulla commoventur, sequitur:

(Vers. 13). *Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt, ut venirent ultra in terminos Israel.*

23. Hæc profecto sic electorum singulorum facta exprimunt, ut sanctæ catholicæ Ecclesiæ et procinctum innuant belli, et gaudia remunerationis. Hanc namque universalis Ecclesiæ victoriam jam post resurrectionis nostræ gloriam futuram, beatus Paulus ostendit; qui, quasi futuræ incorruptioni præsens, morti insultabat, dicens: *Absorpta est mors in victoria? ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus* (*I Cor.* xv, 54, 55)? Humiliatos etiam Philisthæos vidit: quia apostatarum angelorum memorans, ad amorem futuræ dignitatis electos accendit, dicens: *An nescitis, quia angelos judicabimus* (*I Cor.* vi, 3)? Tunc quippe Philisthæi humiliantur, cum in præparata sibi ab origine mundi æterni ignis incendia dæmones mittuntur. Et in terminos Israel venire ulterius non apponunt: quia ad tentanda electorum corda non exeunt. Qui autem sunt Israelis termini, nisi cœli? Quomodo autem mali spiritus in Israelis terminos venient, qui sic in inferni profundo damnati sunt, ut a summersione pœnarum nunquam resurgant? Quia ergo æterna oppressione dejiciuntur, apte subinfertur:

(Vers. 13). *Facta est, inquit, manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis.*

24. Qui enim sunt dies boni doctoris, nisi vernantes illi radii fulgentis æternitatis? Qui apte Samuelis esse referuntur: quia etsi communes sunt electorum omnium, speciali quadam gratia ad gaudia lucent prædicatorum. Vel certe prædicatorum sunt, quia specialius eorum mentibus fulgent, quorum prædicatione nunc sanctæ Ecclesiæ demonstrantur. Manus autem Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis facta perhibetur, quia divina potestas malos spiritus semper opprimit, quæ in æternæ claritatis gloria etiam electos exhilarare nunquam desistit. Tunc vero angelorum damna reparantur, cum quidquid de ordine conditorum spirituum, eorum superbia sublatum beatitudini fuerat, de electis hominibus adimpletur. Quare sequitur:

(Vers. 14.) *Et redditæ sunt urbes, quas tulerant Philisthiim Israeli.*

25. Urbes sublatæ sunt illæ perditæ multitudines angelorum. Sed tunc redduntur, quando de electa natura humana assumitur, unde quod de angelis periit, suppleatur. Quod etiam in conversione flagitiosorum hominum accipi convenienter potest. Urbes namque Philisthiim tollunt, cum unitas fidelium mentes tentando decipiunt, et sibi eas peccatis immergendo supponunt. Sed ablatæ urbes Israeli redduntur: quia sic in hac vita pœnitentes satisfaciunt, ut in perenni gloria splendidi ad electorum gaudium exhibeantur. Quia vero non solum, qui agere bona negligunt, sed etiam, qui abundanter iniquitatem faciunt, pœnitendo salvantur, subditur:

(Vers. 14.) *Ab Accaron usque Geth.*

26. Accaron dicitur sterilis, Geth torcular. Steriles quidem sunt, qui bona opera non agunt. In torculari autem uva premitur, et vinum [a] promulgatur. **173** Quid est autem concupiscentia sæcularis, nisi uva reprobæ mentis? Quid vero est fervor peccandi, nisi liquor vini, qui peccatoris mentem æternorum bonorum immemorem facit? Dum enim ex concupiscentia cordis peccatum generatur, quasi in torculari de uva vinum producitur. Ab Accaron ergo usque Geth sublatæ urbes Israeli redduntur: quia bona agere negligentium, et mala audacter perpetrantium mentes, quæ pœnitendo ad Dominum modo redeunt, tunc in communi electorum gloria splendidæ demonstrantur. Earum quippe mala in Dei memoria nequaquam veniunt, quæ ipsi pœnitentiæ afflictione delere obliti non sunt. Sequitur:

(Vers. 14.) *Eratque pax inter Israelem et Amorrhæum.*

27. Quæ est ista pax, nisi quam propheta Michæas asserit, dicens: *Et erit iste pax in terra, cum venerit* (*Mich.* v, 5). Hinc Paulus ait: *Ipse est pax nostra, qui facit utraque unum* (*Eph.* ii, 14). Quid est autem, quod inter Israelem, et Amorrhæum pax ostenditur? Sed quid per Amorrhæum, nisi pars hominum reproba designatur? Qui vero per Israelem figurantur, nisi electi? Et quia electi in dextera Dei, reprobi vero in sinistra futuri sunt (*Matth.* xxv, 33), dum

[a] Forte legendum, *promulgetur*.

pax esse inter utrosque asseritur, sanctorum beatitudo inclyta demonstratur; qui justitiæ Conditoris tanta æquitate conveniunt, ut de conspecta reproborum pœna nulla compassione moveantur. Dum ergo inter Israelem, et Amorrhæum pax esse ostenditur, non demonstratur bonum, quod commune cum sanctis habeant reprobi, sed quo muniantur electi. Unde et sub Israelis specie per prophetam sanctæ Ecclesiæ repromittitur: *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te* (*Psal.* CXLVII, 14). Pacem quippe Ecclesiæ fines ponit : quia dum Redemptoris potentia eam in intimæ æquitatis celsitudinem erigit, per dolorem compassionis, perditorum miseria non affligit. Sed ad tantam beatitudinem quo pastorum studio boni subditi promoveantur, exponit, dicens :

(Vers. 15.) *Judicavit quoque Samuel Israelem omnibus diebus vitæ suæ.*

28. Qui sunt dies vitæ uniuscujusque doctoris, nisi virtutum spiritalium claritates? Omnibus namque diebus vitæ suæ Israelem judicat, qui lucem justitiæ, quam loquendo asserit, ad subditorum fidelium exemplum, perfectione repræsentat bonæ conversationis. Qui autem virtutum spiritalium lucem non habet, quia ad docendum assumit bona conversationis extraneæ, diebus profecto judicat vitæ alienæ. De quibus profecto per prophetam Dominus dicit : *Ecce ego ad prophetas, qui furantur verba mea, unusquisque a proximo suo* (*Jerem.* XXIII, 30). Verba quippe furantur, qui bonum, quod docendo prædicant, operando non sequuntur : quia veluti clam de alieno tollunt, quod dato proprii laboris pretio suum nequaquam faciunt. Post denuntiatam itaque futuram beatitudinem, qualis interim debeat esse fidelium pastor, ostenditur : quia omnibus vitæ suæ diebus Samuel Israelem judicasse perhibetur. Perfectionis etenim viam male insinuat, si lucis iter quis voce volens pandere, actione tenebrescat. Nam qui cunctos vitæ suæ dies ad judicandum Israelem contulerat, dicit : *Non audeo loqui horum aliquid, quæ per me non efficit Deus, in obedientia Gentium verbo et factis* (*Rom.* XV, 18). Judicet igitur doctor, sed qui dies vitæ suæ inclytos habet : ut videlicet in se prius virtutum spiritualium radios bene vivendo foveat, quos providendis subditorum itineribus loquens administrat : quia et lucerna tunc iis, qui **174** in domo sunt, utiliter ostenditur, si ipsa antea eo, quod sparsura est, bene repleatur lumine. Sequitur :

(Vers. 16.) *Et circuibat per singulos annos Bethel, et Galgal, et Masphath, et judicabat Israelem in suvradictis locis.*

29. Bethel dicitur domus Dei; Galgal, rota; Masphath, ut jam superius replicatum est, speculatio interpretatur. Quid ergo Bethel, nisi viros officio sacri altaris deputatos significat; qui dum spiritalibus studiis inhærent, velut domestici Dei omnipotentis familiares sunt? Et quid Galgal, quæ rota dicitur, nisi conjugatorum ordinem designat? Velut enim in rota circumeunt, dum volubilis mundi curis penitus A carere non possunt. Et quid per Masphath, quæ speculatio interpretatur, nisi illi exprimuntur, qui divinæ contemplationi vacantes, solis supernis gaudiis inardescunt? Quid ergo est, quod Samuel et Bethel, et Galgal, et Masphath circuire dicitur, et in eisdem locis Israelem judicare, nisi quia electus prædicator omnium electorum ordinum exempla sequitur, ut subditorum fidelium esse valeat censor doctus? Non enim esse poterit æqui examinis, si de exemplis præcedentium electorum dedignatur assumere, quod decernit. Sed et per singulos annos ista circumeat, ut doctor providus ordinum singulorum perfectionem sigillatim respiciat : ut, quo subtilius præcedentium bona viderit, præsentia disponere decentius possit. Ibi ergo, ibi judicet Israelem, ut subjectos fideles, B quos ad Dei visionem erudit, illorum rectitudine corrigat, quos Deo placuisse indubitanter credit. Potest etiam per Bethel, quæ domus Dei dicitur, universa electorum Ecclesia designari : per Galgal, quæ interpretatur rota, Scriptura sacra. Quidquid vero in subditorum profectu doctor exhibet, aut de exemplo electorum accipit, aut magisterio sacri eloquii, aut revelatione internæ ac secretæ contemplationis.

30. Samuel itaque Bethel circuit, cum prædicator Ecclesiæ auctoritatem disponendorum operum, de exemplis majorum quærit. Galgal, id est, rotam circuit, quando doctrinæ suæ auctoritatem de magisterio sanctæ Scripturæ comprehendit. Masphath quoque circuit, cum per secretæ contemplationis meditationem, revelationem meretur suscipere veritatis. C Ibi enim judicat Israelem : quia quidquid subditis proponit ad normam rectitudinis, aut de exemplis electorum accipit, aut doctrina sacri eloquii, aut ex revelatione internæ contemplationis. Quibus profecto verbis ostenditur, non tantum, quæ doctor perfectus agat, sed etiam quia perfectus non sit, si agere hæc non possit. Nam si solum bonorum exempla noverit, aut si sacræ Scripturæ etiam quis eruditus sit, et contemplationis revelatione caruerit, in ordine prædicationis vir perfectus non erit. Contemplatio enim virtus est, per quam non solum ipsa Scriptura condita recognoscitur, sed per quam nondum condita conderetur : et per quam condita ad Dei voluntatem quotidie disponatur. Bene ergo dicitur : *Et judicavit Israelem in supradictis locis.* Nam non solum in Bethel, D et Galgal, sed etiam in Masphath : ut qui ad perfectionem prædicationis innititur [*Forte leg.* enititur], dum per humilitatem exempla majorum sequitur, dum per studium sacri eloquii eruditione fulcitur, curet omnino necesse est, ut puritate mentis, ea quæ disponenda sunt, contemplando cognoscat. Dei namque debet esse docibilis, qui suscepto prædicationis officio, **175** docere homines cupit. Tamen sic præsumat de eo, qui secretæ contemplationis eruditione instruitur, ut nec editas per Spiritum sanctum Scripturas fastidiat, nec sequi electorum exempla dedignetur. Samuel enim Bethel, et Galgal, et Masphath circuire describitur; ut alterum ab altero per discordiam nequaquam dividatur : ut

videlicet et exempla recipiat quæ sacra Scriptura approbat; et illas sacras Scripturas, quas electi homines scripserant, recognoscat : atque eas revelationes contemplationis a Deo sibi ostensas sentiat, quæ nec ab electorum operibus, nec a sanctæ Scripturæ auctoritate discordant. Sed et omne quod agit, ad rectitudinem redigat supernæ intentionis. Unde et subditur :

(Vers. 17.) *Revertebatur in Ramatha : ibi enim judicabat Israelem, et ibi erat domus ejus.*

31. Ut longe supra jam diximus, Ramatha interpretatur visio consummata : et supernorum civium illam beatam et perfectam societatem significat : ad quam Samuel revertitur, ne laboris sui onere deprimatur. In Ramatha quippe Samuel revertitur, cum mens prædicatoris per amorem cœlestium relevatur. Nam inter officii sui onera tam immensa corrueret, si ad amorem cœlestium per spei suæ desiderium non rediret. Reverti etenim prædicatoribus, est intentionem mentis suæ ad gaudia patriæ cœlestis reducere. Et ibi Israelem judicant : quia supernæ patriæ pulchritudini, quam in mente retinent, fideles subditos facere conformes prædicando, student. Ibi judicant Israelem : quia ex illa jam perfecta civitate formam videntes trahunt, quam filiorum mentibus loquentes imprimunt : et quidquid illa pulchritudine indignum conspiciunt, ab eorum mentibus abscindere conantur. Et quia in illius beatæ patriæ gloria tota dilectione requiescunt, ibi ejus domus esse perhibetur. Ejus namque **176** domus esse cognoscitur, in qua amando conversatur. Unde et ille egregius prædicator gloriatur, dicens : *Nostra conversatio in cœlis est.* A Bethel namque circuit, Galgal, et Masphath, et in earum aliqua non habet domum, in Ramatha autem domum habet : quia doctores sanctæ Ecclesiæ quidquid nunc accipiunt de exemplis electorum, quidquid de eruditione sacrorum voluminum, quidquid de altitudine supernæ revelationis transitorie rimantur, ad adjutorium habent itineris, non ad amorem remunerationis. Illud vero, quod in superna civitate diligunt, non ad profectum itineris, sed ad sufficientem, imo ad abundantem largitatem mercedis. Et quia illuc cuncta bona congregantur, sequitur :

(Vers. 17.) *Ædificavit ibi etiam altare Domino.*

32. Quid est enim altare Domini, nisi cor justi? Veritatis autem judicio dicitur : *Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum* (*Matth.* VI, 21). Qui autem pro B amore supernæ patriæ bona agit, dum ardenter ad ea, quæ sursum congregat, pervenire desiderat, profecto altare ædificat, super quod quotidiani desiderii hostias incendat. Bene autem dicitur : *Ædificavit ibi altare Domino :* quia ex incremento studii cœlestis, sicut flamma crescit in corde boni desiderii, ita et velut additis lapidibus, altare sursum construitur, ubi Deo holocausta offerantur amoris. Quod etiam ad lucrum animarum referri convenienter potest. Doctor namque in Ramatha altare Domino ædificat, cum subditorum merita in cœlo locat, et dum quotidiano ejus studio electæ animæ ad cœlestia regna conscendunt, velut ad structuram superni altaris lapides mittuntur. Dicatur ergo de Samuele, dicatur : *Ædificavit ibi altare Domino :* quia nimirum valde C otiosum est doctoris studium, si per hoc, quod ab illo in terris agitur, cœleste ædificium non augetur.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

175 1. Sanctorum virorum facta præcedentium sæpe electorum sequentium solatia sunt. Mira etenim dispensatione divini consilii, et altissimæ conversationis arce sic sublimati sunt, ut fortia agerent sibi, recta subditis providerent; sic sibi quandoque derelicti, ut ea quæ recta intentione disponerent, secundum Dei providentiam recta non essent; quatenus illorum infirmitas, electorum sequentium firmitas D fieret : quia etsi ut homines in disponendis sanctæ Ecclesiæ negotiis falli possunt, ipsæ tamen ecclesiasticæ dispositiones deserendæ non sunt. Ecce etenim dicitur :

(I Reg. VIII, 1-3.) *Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israel, fuitque nomen filii sui primogeniti, Johel, et nomen secundi, Abia, judicum in Bersabee. Et non ambulaverunt filii sui in viis ejus.*

2. Ecce qui prophetiæ spiritu plenus fuerat, ii, quos judices Israeli ponebat, quia post avaritiam postmodum declinare debebant, et munera accipere, et pervertere judicium, non cognovit. Quid ergo mirum, si falli in disponendis ordinibus possunt, qui prophetiæ gratiam non accipiunt : si ii qui prophetiæ spiritum **176** habent, eumdem spiritum ad disponenda cuncta non habent? Quis autem de tanto viro dubitet, quia si futuram perversitatem filiorum prænosceret, eos utique forensibus honoribus non præferret? Qui ergo reprobos scienter provehunt, hoc prophetæ exemplo sibi blandiri nequaquam possunt : quia tunc solum innoxie agitur, cum in eis, tempore quo promoti sunt, subsecutæ iniquitatis signa nulla patuerunt. Quare et apte ii, qui judices Israeli a Samuele positi sunt, cum ponerentur, ejus filii dicebantur : ut ex eo non solum per carnem credantur geniti, sed etiam conversationis ejus splendoribus adornati. Quare et eorum nomina caute assignantur : ut ex titulo nominis, illa, quæ tunc eis inerat, cognoscatur forma virtutis. *Nomen, inquit, uni Johel, alterius Abia, judicum in Bersabee.* Sed et de illis, qui post acceptam dignitatem declinasse ad avaritiam dicuntur, aperte ostenditur : quia antequam ejusdem dignitatis culmen attingerent, in eis futuræ pravitatis signa nulla videbantur. Sed ecce, dum pastorum solatia attendimus, gregis Dominici [a] non parva pericula iutuemur. Nam steterunt subditi,

[a] Gussanv. et Vatic., *prava pericula intuemur.*

sed in culmine prælationis positi prophetæ filii ceciderunt: ut si nobis sub cura majorum positis indesinens sanctæ vitæ studium, **177** aut securitas magnæ conversationis arrideat, præesse tamen aliis non habeamus in appetitu desiderii, sed in magnitudine timoris. Sed carnales quique, dum sola visibilia attendunt, spiritalem sanctorum conversationem cognoscere non merentur. Pastorum quidem sanctæ Ecclesiæ culmen aspiciunt, sed cogitare nesciunt, quam inviti illi intus decorem tollerent, quem in splendore culminis foris tenent, quod sublimitatem honoris in oppressionem magni sustinent oneris, quod magno desiderio fugiunt, quod exteriori ministerio prosequuntur. Testante etenim egregio doctore didicimus, quod *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei* (*I Cor.* II, 14). Unde et tanto dementius carnalia sequens errat, quanto per discretionis virtutem spiritalia nulla jam penetrat. Et nonnulli tales in tantum dementiæ malum proficiunt, ut commovere ipsum etiam statum ecclesiastici culminis non vereantur. Unde et sequitur :

(Vers. 4, 5.) *Congregati ergo universi majores natu ex Israel venerunt in Ramatha, dixeruntque ei : Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis. Constitue super nos regem, ut judicet nos sicut universæ habent nationes.*

3. His autem, qui vivebant sub spiritali regimine, regem petere, quid aliud est quam eamdem spiritalem prælationem in sæcularem dominationem transferre gestire? Sed sancti viri cum se a subditis contemni conspiciunt, non tam eis displicet, quod contemnuntur, quam quod contemptores sui Deo non placent. Eorum quippe contemptu, suæ internæ gloriæ dari incrementa conspiciunt, sed augeri merita sua subditorum defectibus ingemiscunt, quos sic meritis vellent proficere, ut in æterna meritorum retributione, secum eos, quibus præsunt, habere potuissent. Quare et subditur :

(Vers. 6.) *Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent : Da nobis regem, ut judicet nos.*

4. Hoc namque ei displicuit, per quod displicere Deo, qui loquebantur, existimavit. Quia vero non simpliciter dicitur : displicuit sermo Samueli, sed in oculis Samuelis, et statim subditur :

(Vers. 6.) *Et oravit Samuel pro populo Dominum.* Paulo subtilius ea nos considerare oportet. Sancti viri, qui omnipotenti Deo valde displicere metuunt, in suis judiciis faciles non sunt, sed cuncta prius rationabiliter intus ordinant, ut ea foris in opere irreprehensibiliter disponant. Nam electionem accipiunt nullam judicii, si non probatur contemplatione rationis. Hos profecto oculos prophetæ Dominus aperire volebat, cum dicebat : *Vide oculis tuis, et auribus tuis audi* (*Ezec.* XL, 4). Hinc in Evangelio discipulis dixit : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis* (*Luc.* X, 23). Oculi quippe sanctorum, sunt intellectus rationis, reserati per gratiam Spiritus sancti. Et idcirco Samuelis esse dicuntur : quia carnales quique, etsi per humanam sapientiam rationales esse videntur, ab hujus lumine rationis eo cæciores sunt, quo illis solis oculis vident, quos serpens aperuit. Nam si spiritualium virtutum fulgorem aspicerent, cum profecto in ornatu suæ mentis habere desiderarent. Tantus siquidem decor earum est, ut visus nunquam non possit videntis desiderio concupisci. Sapientes ergo sæculi cum se oculos rationis habere arbitrantur, ex hoc cognoscere possunt, quam dementer insaniant : quia virtutum sanctarum pulchritudine non illici, earum profecto gloriam non solum non cernere, sed nec somniari est. Sancti ergo viri, qui jam illuminatione sancti Spiritus **178** in internorum amore obligati sunt, mentis suæ oculos ad videndam intimæ claritatis gloriam tanto clariores habent, quanto de mundi caligine in desiderio nihil habent; et discernere carnalia tanto rectius possunt, quanto longe a carnalibus assumpti, in Spiritus sancti gratia altius profecerunt. Unde et apostolus Paulus de experientia tantæ visionis sententiam protulit, dicens : *Spiritalis judicat omnia* (*I Cor.* II, 15). Bene ergo dicitur : *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Quia a viris spiritualibus nil ante despicitur, quam despiciendum esse per spiritalem mentis intuitum judicetur. Et quia quo abundantiori gratia Spiritus sancti pleni sunt, de virtutis suæ celsitudine non præsumunt, sequitur : *Et oravit Samuel Dominum.* Quid enim Dominum oravit, nisi ut sibi dignaretur ostendere, si tumultuantis populi petitioni assensum dare debuisset?

(Vers. 7, 8.) *Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim abjecerunt te, sed me, ne regnem super eos, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, quia eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc.*

5. Quia oranti prophetæ dicitur : Constitue super eos regem; plane ostenditur, quia an hoc faciendum esset, sibi revelari postulavit. Et quia subdens, ait : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos,* apte ostenditur, quantum sibi sermo displiceat, quem in oculis Samuelis displicuisse perhibetur. Quæ convenientia judicii in sanctis oritur ex virtute charitatis : quia dum ex tota mente Conditorem diligunt, et ejus voluntati obedire devote conantur, ex præmio supernæ retributionis accipiunt, ut ab eadem Dei omnipotentis voluntate aliter sentiendo non discrepent, quam in bonis operibus semper tenent. Scriptum quippe est : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Domino quippe adhæret, qui præcepta voluntatis ejus facere semper studet. Sed unus spiritus cum eo fit : quia ex diuturna devotione pii operis in tantam gratiam divinæ cognitionis assumitur, ut ab interni ejus æquitate judicii per errorem mundani spiritus dissentire ultra non possit. Sed valde difficile respondetur, si quæritur, cur omnipotens Deus et abjectum se in regis petitione conqueratur, et tamen id quod petebatur fieri decernat : rursumque si dignitas regia ordinanda fuerat, cur velut indignata Dei majestate fuerit permissa; et cum provisus rex eligi decernatur, cur reprobandus

eligitur? Quid ad hæc aliud respondere possumus, nisi id quod apostolus Paulus ineffabilem abyssum judiciorum Dei perscrutari audentibus respondebat : *Homo*, inquit, *tu quis es, qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 20)? Sed si hoc efficaciter definire non possumus, tangere inquirendo possumus. An fortasse abjectum se in regis petitione conqueritur? Pro reproba voluntate male petentis populi, petitus rex conceditur pro vindicta. Quod si rationabiliter dicitur, dum utrumque posuit, et culpam et ultionem pariter ostendit. Ex reproba quippe voluntate injusta postulasse convincitur, qui abjecisse Conditorem petendo monstratur. Culpam ergo malæ petitionis insecuta est pœna districtæ æquitatis. Magna etenim vindicta est, quæ ex districtione procedit interni examinis, quando reproba mens sic projicitur, ut quod male deliberat, agere permittatur. Qui ergo in petendo rege Dominum abjecisse convicti sunt, dum id eis permitteretur agere, per quod a se Dominum abjicerent, gravior pœna non erat, qua hic plecti debuissent.

179 6. Quo in loco notandum est, quia abjectionem prophetæ Dominus suam facit. Non enim simpliciter dicit : *Abjecerunt me, ne regnem super eos;* sed *non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ut profecto ostendat, quia in persona electi præsulis ipse suis subjectis præemineat; et cum ad spiritale culmen electorum carnalis rector assumitur, ipse abjici videtur, cujus præcepta dissipantur. Ergo quam reverendi sint optimi pastores sanctæ ecclesiæ liquet. Ecce enim dum fideliter Deo serviunt, tanto ei amoris vinculo conjunguntur, ut quidquid eis ingeritur, divinæ injuriæ adscribatur, Unde et in Evangelio primis Ecclesiæ pastoribus dicit : *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). Ubi etiam aliquid gravius cernitur : quia cum abjectum pastorem conqueritur, abjicientium peccata omnia, et parentum etiam mala memorantur. *Juxta omnia*, inquit, *opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de terra Ægypti.* Summum namque crimen agnoscitur, ad cujus discussionem in Dei memoria præterita cuncta peccata reducuntur. Et abjectum ergo se Dominus conqueritur, et tamen ordinare, in quo abjicitur, concedit : quia cum districtæ æquitatis suæ virtutem exequitur, ab eo carnalium desideria impleri per ejus misericordiam nequaquam prohibentur. Sed et quæ concedi dignitas pro vindicta potuit, non tranquilla majestate divinitatis concedi debuit, sed velut indignata. Indignatam vero majestatem Dei [a] non in seipsam asserimus, quæ passioni non subjacet : sed quia dum culpas discutit, indignationis verba per Scripturas dicit. Item quia in typum carnalium prælatorum assumitur, reprobandus rex eligitur, non electus. Vel fortasse idcirco reprobus rex eligitur, ut electus successor ejus rex David in eo cognosceret, A quid cavere debuisset. Sic nimirum et de illa angelorum curia legimus, quia de apostata primo angelo scribitur : *Ipse est principium viarum Dei* (*Job.* XL, 14) : sed qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, et in ejus ruina sancti angeli didicerunt, qua virtute stare potuissent. Quod nimirum, qui apertis rectæ fidei oculis, intueri poterit, pariter attendit : quia omnipotens Deus etiam tunc magnæ misericordiæ dona tribuit, cum vindictam irrogat; quia dum reprobos punit, sanctos erudit : ut unde illi deficiunt, isti in suis profectibus adjuventur.

7. Districto siquidem judicio permittit mala fieri, sed misericorditer providet de his malis, quæ per judicium irrogat, quæ bona facere disponat. Nam quæ major culpa, quam illa, qua omnes morimur? Et quæ major bonitas, quam illa, per quam a morte liB beramur? Et quidem, nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. *Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Marc.* II, 17). Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret. Si peccata, ad quæ delenda venisse creditur, per justitiam Dei permissa esse sentiuntur : dum pro peccatoribus Deus homo nasciturus erat, ex illo malo, quo morituri erant, bonum, quod malum illud vinceret, omnipotens Deus sese facturum providerat. Cujus profecto boni magnitudo, quis fidelis non videat quam mirabiliter excellat? Magna quippe sunt mala, quæ per primæ culpæ meritum patimur, sed quis electus nollet pejora perpeti, quam tantum Redemptorem non habere? Eligatur ergo rex; sed reC probandus : eligatur **180** velut indignatione, non voluntate Dei : subsequatur ergo rex juxta cor Dei; ut ex judicii ejus districtione vindictæ malum procedat in reprobos; et bonum, quod ex malo facturus erat, per largitatem divinæ gratiæ redundet in pios, dum illi in malo, quod cupiunt, cadere permittuntur. Sed unde se illi præcipitant, agitur, ut alii nequaquam cadant. Sed quia his verbis judicium divinæ districtionis asseritur, videamus jam, quanta dispensatione utitur, ne id male deliberantes agant, unde puniatur. Nam sequitur :

(Vers. 9.) *Nunc ergo audi vocem eorum; verumtamen contestare eos, et prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos.*

D 8. Quasi aperta ostensione clementiæ dicat : Sic audi voces eorum, ut tamen ipsi prius de jure regis, quem petunt, audiant quod expavescant; et velut tunc male cœpta deserant, cum, quam sit res onerosa, cognoscitur, quam petebant. Sequitur :

(Vers. 10-17.) *Dixit itaque omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem, et ait : Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet et ponet in curribus suis, facietque sibi equites,* [b] *et*

[a] Gussanv., *non seipsam asserimus.*

[b] Gilot. et Vatic., *persecutores;* legendum *præcursores*, ut liquet ex cap. 2, num. 4, etsi inde quoque discamus multis in codicibus olim lectum, *persecutores.*

præcursores quadrigarum suarum : et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum, et curruum suorum : filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et panificas. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. Sed et segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis. Servos etiam vestros, et ancillas, juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.

9. Cum a carnalibus subjectio quæritur, profecto quidquid præcipitur eis, grave est, etsi non sit difficile : quia cum ex superbiæ tumore habeant, ut propriæ voluntatis arbitrium sequantur, quidquid eorum deliberationi obviat, gravissimum pensant. Jam vero cum dura et contraria jubentur, quæ ei est moles oneris? qui tumor cordis? Cum ferre etiam blanda et levia vix nolentes possent, quæ si vellent, facillime pertulissent. Videamus ergo stultæ audaciæ hominis, quam digne respondeat pia dispensatio Conditoris. Jura hominum proponuntur contemnentibus jura Dei; et his, qui mitia et salubria divinitatis consilia spreverant, dura et importabilia humanæ servitutis onera prædicuntur : ut ex his secum rationem facerent, quam intolerabilia essent imperia hominis eis, qui non tam imperantis, quam monentis Dei, ne id peterent, consiliis obedire noluissent. Sed habent corda carnalium temeritatem ex incremento audaciæ, habent duritiam ex simulationis ratione. Ex temeritate quidem facile agenda deliberant; sed quia, quod male proponunt, non intelligunt, meliorum consiliis adjuvari non possunt. Quare et hic quoque subditur :

(Vers. 19.) *Noluit populus audire vocem Samuelis. Et dixerunt : Nequaquam : rex enim erit super nos, et erimus nos quoque, sicut omnes gentes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis.*

10. Magnæ quidem temeritatis exstitit, contra Dei voluntatem regem petere; magnæ duritiæ, consiliis prophetæ vinci non posse. Magnæ temeritatis **181** fuit, ei rationes proponere, quem sciebant cuncta, quæ acturus erat, revelante Domino, prius scire. Magnæ duritiæ, illi non acquiescere, quem noverant ea tantum, quæ Domino revelante didicerat, imperare. Nam quid est, quod respondentes, dicunt : *Nequaquam, sed rex erit super nos?* Sed qui, *Nequaquam*, dicunt, profecto id negant quod audiunt. Aperte ergo in hoc verbo ostenditur, quia ad hoc propheta grave jus regis exposuit, ut nequaquam peteretur. Jus vero regis audiunt, et id propter quod exponitur, detestantur; ut reproborum cordium profectus exprimatur, in quibus mali propositi consummatio est, et inconvertibilitas voluntatis. Sed nos antiqua tempora reprehendimus, qui nostra videre non curamus. Quæ nimirum tempora, quo senescente mundo, vetustiora sunt, eo et in pluribus per temporis ac negligentiæ vitium remissiora. Tanto etenim audacius nunc mala proponimus, quanto jam cum robusta juventute sæculi, robur exaruit humanæ conditionis : tanto difficilius quod male est propositum revocamus, quanto ex laxato vigore spiritus, mens nostra carnalis efficitur. Ita enim sunt humani lapsus, ut quod in spirituali virtute deficit, in carnali vita roboretur. Omnia quidem hæc juxta egregii doctoris vocem : *In figura contingebant illis : scripta sunt autem propter nos* (*I Cor.* x, 11). Jam quidem aperte cognoscimus horum Israelitarum audaciam, quæ divinæ indignationis judicia secuta sunt : et tamen contra voluntatem Dei, contra prælatorum sanctæ Ecclesiæ consilium agenda proponere non timemus. In malo quoque proposito reprehensi resistimus, et salubria majorum consilia insuperabili malo pervicaciæ vincere conamur. Videmus quanti mali incrementum sit, pereuntes aspicere, et sequi ad perditionem eorum vestigia non timere : pœnales laqueos mortis incurrentes cernere, et eisdem laqueis irretiri nequaquam metuere. Et illi quidem contra Domini voluntatem regem petierunt; sed a regia dignitate postea actum est, ut populus, qui Deum abjecerat, idola coleret, simulacra adoraret. Quam reverenda ergo sint majorum consilia cernimus, si hoc sollicite consideramus : quia qui ea despicere ausi sunt, hoc se non providerunt agere, unde tam profundo erroris pelago demergi potuissent. Merito igitur se abjectum Dominus in regis petitione conqueritur, merito regiam dignitatem concedit indignatus. Tanta quidem erat iniquitas postulantium, ut cum illud peterent, per quod a Deo recederent, ex Dei judicio permitti posset, prohiberi non posset. Quia vero hæc juxta litteram diximus, quid etiam spiritualiter designent ea, quæ continentur in jure regio, videamus.

CAPUT II.

1. Abjecto etenim Samuele, rex petitur : quando reproba multitudo populi spiritualem pastorem despicit, et præesse sibi carnalem quærit. Cum quibus sæpe divinæ æquitatis districtione agitur, ut eo ipso, quod electum prædicatorem despiciunt, subesse reprobo permittantur : ex cujus imitatione tanto deterius pereant, quanto majori superbia id ex quo vivere in æternum poterant, audacius contemnebant. Cum ergo jus regis prædicitur, nimirum in unius carnalis præpositi conversatione ostenditur, quod carnales cæteri ex tyrannide acturi sunt, non quod electi debeant imitari. Nam in eadem Regum historia legitur : quia cum rex Achab Naboth vineam abstulit, iram Dei omnipotentis **182** incurrit. Hic vero cum jus regis prædicitur, agri, vineæ, et optima oliveta tollenda esse memorantur (*III Reg.* xxi, 2 *seq.*). Cum ergo hic prædicitur quod commissum illic punitum est : ostendit, quod divino judicio non jubetur. Quare et electus rex David cum ad ædificandum altare Domino Ornam Jebusæi aream peteret, regio illo tyrannorum jure non uti voluit (*I Par.* xxi, 24) : cum eam accipere nullatenus acquiesceret, nisi ante pro ea dignum pretium dedisset

2. Quia igitur ea, quæ in jure regio continentur, vitanda potius, quam imitanda prædicuntur, eo subtilius consideranda sunt, quo vitari nequeunt, si nesciantur. Ait ergo: *Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis.* Filii electorum ii sunt, qui eorum virtutes imitantur. Currus etiam, carnalium prælatorum sunt fastus mundanæ elationis. Nam dum cæteris se sublimiores esse gloriantur, quasi curribus vecti, per alta gradiuntur. In curribus ergo fidelium filii ponuntur, quando pastores reprobos per appetitum mundanæ gloriæ sequuntur: cum relictis spiritualibus studiis, carnalis vitæ commoda expetunt: et deposita illa sublimi intentione cœlestium, alta sæculi assequi conantur. Bene itaque non in curru, sed in curribus ponendi Israelitarum filii dicuntur: quia ex omni, quod præcellit in carnalium prælatorum culmine, proficiunt in elatione: et quasi tot sublimibus curribus in alta se elevant, quot alta conspiciunt, quibus aliis se superiores putant. Bonorum ergo filios rex in curribus ponit, quando carnalis rector electorum imitatores exemplo suæ pravitatis ad elationis vitia pertrahit; ut cœlestia postponant, terrena appetant, et in hoc solo gaudeant, si ex eo quod temporaliter altum volvitur, cæteris præferantur.

31. Et quia contra minores non solum erecti, sed etiam fortes sunt, sequitur: *Et faciet sibi equites.* Velut enim in equis sæviunt, qui et sublimes sunt dignitate, et potentia truces. Equites quoque sunt, quia dum feroces cordis sui motus contra impotentes dirigunt, ad omne, quod per tyrannidem exercere appetunt, veloces sunt. Anhelant quippe impetu, spumant rabie, et quos cursu tyrannidis impetunt, elidunt. Sed dum in pastoribus reprobis alii mundanæ elationis fastus æmulantur, alii eorum exemplo, quos valent, opprimunt: nonnulli etiam sunt, qui ad exercenda mala, quæ per seipsos bonis inferre nequeunt, nequiores se alios introducunt. Unde et sequitur: *Et præcursores quadrigarum suarum.*

4. Quæ sunt enim quadrigæ regis, nisi perversæ mentes malorum subditorum, in quorum consiliis prælatus reprobus requiescit? Quadrigæ etenim sunt, quæ reges portant: dum per iniqua consilia pravorum acta rectorum adjuvantur. In eis quippe, quasi per sublime rex ducitur, dum per eos, qui ad temporales honores eis favent, quidquid carnales præpositi de altitudine sæculi in desiderio volunt exsequuntur. Qui recte quadrigarum nomine designantur. Quadriga enim inde stat, unde volvitur: quia reproba mens finem suæ intentionis habet sæculi volubilitatem. Inde quidem requiescit, quo per innumeras curas mentis rotantis mundi negotia ventilare non desinit. Regum ergo quadrigæ sunt, dum per omne, quod altum volvendo cogitant, in se carnalium præpositorum jussa portant. Sed qui locum familiaritatis juxta carnales prælatos habent, habent minores, quibus imperent. Ipsi ergo, velut quadrigæ regis sunt, illi **183** præcursores quadrigarum; quia eo modo, quo carnalem præpositum ad opprimendos humiles invehunt, ipsi quoque ad nocendum quibus possunt, per aliorum ministerium deducuntur. Quasi enim quadrigarum præcursor est, qui iniqua mentis suæ versutia artem cogitat, per quam illum ad inferenda mala mitibus introducat. Si vero, ut plerique codices habent, non præcursores, sed persecutores quadrigarum legimus, profecto ii sunt, qui reprobos ad malum currentes imitantur. Quadriga etiam honoris causa portari regibus solet. Quasi ergo in quadriga rex sistitur, quando carnalis rector de magnorum, qui videntur juxta se, adulationibus gloriatur. Qui vero istos in eorum laudibus præcedit, aut sequitur, præcursor seu persecutor est quadrigarum, quia adulationes isti vel post vel antea proferunt, quas illi in auribus populi præeundo aut subsequendo sparsere.

5. Sequitur: *Et constituet sibi tribunos, et centuriones.* Tribuni et centuriones fiunt, cum in tantum mali profectum veniunt, ut ad exsequenda tyranni imperia, impiis satellitibus principantur, cum mundanarum virium acies ordinant, quas ad innocentium bella producant. Tribuni quidem sunt, qui per plures sibi fautores recte viventibus insidiantur. Centuriones vero sunt, qui nulla nocendi genera prætermittunt. Ex eo enim perfectionem iniquitatis obtinent, quo multa, et ingentia mala, quæ possunt, inferre semper student. A centenario quippe numero centurio dicitur. Et quia centenarius numerus perfectionem significat, in mala parte perficitur, quando ad summam nequitiæ ab impiis pervenitur. Qui nimirum calliditate suaves sunt terrore violenti. Suaviter quidem blandiuntur aliis, ut eorum auxilio terrere alios ferociter possint. Bene itaque subditur; *Et aratores agrorum suorum, et messores segetum.*

6. Carnalis præpositi agri, mentes sunt subditorum: aratores vero horum agrorum sunt, qui arte sæcularis ingenii eis suadent acta pravitatis. Velut enim agrorum soliditatem loquendo aperiunt, qui per reproba consilia simplicium corda corrumpunt. Et segetes metunt, quando semine pravi consilii decepta corda minorum fructum reddunt malæ operationis. Quæ profecto opera segetum appellatione designantur: quia perversitas reprobi subditi, dum a carnalibus rectoribus gaudenter excipitur, eorum quasi electus est cibus mentis. In qua certe perversitate, quia paulatim proficiunt, sequitur: *Et fabros armorum, et curruum suorum.* Quæ sunt arma et currus tyrannorum, nisi illa omnia nocendi instrumenta, quæ ad evertenda corda minorum præparantur? Sed quia curru pervenitur, quo armis feriatur, armorum et curruum regis fabri fiunt, quando nequissima cordium suorum machinatione inveniunt, et mala, quæ agant, et eadem mala inventa qualiter inferant. Arma quippe fabricare; est nocendi genera reproba mente colligere. Et currus fabricare est ad eadem mala inferenda artem, qua accedere possint, invenire.

7. Sequitur: *Filias quoque vestras faciet unguentarias, et focarias, et panificas.* Filiarum nomine in-

rum mentes intra sanctam Ecclesiam positæ designantur. Quæ regis unguentariæ fiunt : quia dum carnales præpositos in celsitudine gloriæ transeuntis aspiciunt, eos delinire adulationibus conantur. Horum profecto unguentorum usum Psalmista reprobans, ait : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Psalm.* CXLI, 5) Filiæ ergo unguentariæ fiunt : quia dum **184** carnalibus præpositis infirmi displicere metuunt, eorum feritatem, cui timendo subjacent, blandimento demulcent. Et notandum, quia filii prius dicuntur a rege tolli, et sic equites, et centuriones, sive armorum fabri fieri : filiæ vero, non tolli, sed simpliciter unguentariæ et panificæ fieri. Tolli etenim violentiæ est. Filii ergo tolluntur, quia robusti difficile evertuntur. Dum igitur filiæ non tolli, sed unguentariæ fieri perhibentur, quid est aliud, nisi quia qui infirmi in bono sunt, per exempla pravorum facile dissipantur? Quæ etiam focariæ, et panificæ regis fiunt : quia qui tyrannis adulando serviunt, dum favendo placent, velut cibos exhibent. Focariæ etenim sunt, quæ focis coquunt quæ reges comedunt. Focariæ ergo sunt, quæ per obsequia favoris carnali præposito accendunt tumorem cordis : ut eo audacius favores excipiant, quo velut delicatiores sibi cibos ignis excitatæ devotionis parant. Quæ etiam panificæ fiunt : quia dum reprobam vitam laudant, carnalem mentem tyranni ad exercendam pravitatem roborant.

8. Sequitur : *Agros quoque vestros tollet, et vineas, et olivetu, et dabit servis suis.* Qui sunt agri bonorum, nisi devotæ mentes subditorum? quæ dum eorum verba libenter audiunt, bonorum operum uberem fructum reddunt. Quæ autem vineæ eorum, nisi mentes eorum ita imitatione proficientium, ut etiam aliis verbum vitæ præbeant, et quos loquendo in amorem Conditoris accendunt, velut potando ebrios faciant? Quæ vero oliveta sunt, nisi corda auditorum, qui bonorum exemplo, et exhortatione proficiunt in opus misericordiæ? Sed dum rex constituitur, agri tolluntur : quia dum carnales perveniunt ad culmen regiminis, nonnulli bonorum auditores exempla suscipiunt pravitatis. Tolluntur ergo agri, cum nuper devota corda seducuntur, quando ex nequitiæ semine fructum reddunt in maligna conversatione. Oliveta et vineæ tolluntur, cum exemplo mali præpositi misericordiæ opera, et sanctæ prædicationis verba exhibenda et loquenda deseruntur. Bene autem servis regis dari ablati agri, et vineæ, et oliveta memorantur. Servi quippe sunt, qui dominorum juri semper subditi, evadere nequeunt juga dominationis. Servi itaque sunt regis, qui per abundantem iniquitatem sic se tyrannorum voluntatibus obligant, ut ab eis ulterius non recedant. Ablatos ergo agros, et vineas, et oliveta servi suscipiunt : quia reprobi fautores prælatorum carnalium, dum decepta corda in propositum transferunt pravi operis, velut electorum agris, vineis, et olivetis titulum imponunt tyrannicæ potestatis. Sequitur : *Sed et segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis.* Cum mali præsunt, difficile valde est, ut qui eis subjicitur, nulla religionis damna patiatur. Aliorum namque mentes omnino pereunt : sed ii quos pervertere penitus nequeunt, dum incessanter et verba et opera eorum prava conspiciunt, qualicunque sorde maculantur. Bene ergo dicitur : *Segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit.* Quasi dicat : Sub pastore reprobo electorum etiam bona integra non sunt. Sed quod bonis demitur, eunuchis et famulis regis datur. Eunuchi, et famuli carnalium prælatorum, sunt ejus auditores hypocritæ. Eunuchi quidem sunt, quia sæcularem voluptatem se abjecisse ostendunt : sed regis sunt famuli, quia per omne, quod de virtutibus se habere simulant, in se reproborum præpositorum jugum portant. Bene autem segetum, et **185** vinearum decima eunuchorum esse refertur : quia hypocritarum virus leviter non agnoscitur. In quo dum sancti etiam viri possunt decipi, quod perdunt, illis adscribitur, quorum fraude capiuntur. Sequitur : *Servos etiam vestros et ancillas, et juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo.* Servi et ancillæ sanctorum sunt, qui eis temporalia necessaria subministrant. Servi et ancillæ sunt, quia dum eis corporum necessaria tribuunt, in eodem opere misericordiæ, alii aliis robustiores sunt. Et optimi juvenes : quia et qui multum, et qui parum possunt, dum omne quod prævalent, in opere misericordiæ expendunt, velut electi juvenes, divina servitia valenter operantur. Asini quoque electorum sunt, quibus ferenda onera obedientiæ imponuntur, ut eorum fragilitatem adjuvent, dum ea cum eis portant, quæ sine eis portare nequaquam possent. Quid est autem, quod in opere regis ponendi prædicuntur? Sed qui in opere regis ponuntur, diebus constitutis debitum persolvunt angariæ, juri publicæ potestatis. Quid est ergo, quod in opere regis servi et ancillæ, et juvenes optimi ponendi prædicuntur; nisi quia præeminentibus carnalibus, et electorum ministri, et devote obedientium corda, plerumque maculantur? Nam dum reprobam eorum vitam indesinenter aspiciunt, paulatim sic decidunt, ut aliquid de eorum factis imitentur. Ex longo quidem usu electis serviunt; sed dum sæpe vident eorum excellentiam culminis, serviri sibi ab aliis quandoque appetunt per impulsum elationis. Sua quoque misericorditer tribuunt, sed tyrannorum sæpe exemplo aliena tollunt. Sed quia servi sanctorum sunt, de jure eorum exire, non possunt. Ad horam quidem possunt deseri, sed ab errore, in quem decidunt, per divinam misericordiam facile sublevantur. Quia ergo per exempla pravorum corruunt, qui cito resipiscunt, velut per angariam ponuntur in regis opere : in quo diu non permanent per continuam servitutem.

9. Sequitur : *Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.* Quasi dicat : Dum pastor vobis carnalis præponitur, non solum vestris, sed etiam vobismetipsis virtutum prædæ inferuntur. Greges et

enim electorum, sunt turbæ virtutum spiritualium. Qui vero et ipsæ spirituales virtutes exemplo pravorum dissipantur, rex decimas tollit gregis, quando is qui carnaliter præeminet, in sanctorum cordibus aliquas virtutes perimit. Decimas tollit : quia dum mentis integritatem dissipat, virtutum numerum imperfectum derelinquit. Denario quippe numero perfectio designatur. Unde et cum lapsæ humanitatis nostræ damna Dominus aperta comparatione ostenderet, mulierem, quæ de decem drachmis unam perdiderat, in medium ducit (*Luc.* xv, 4 *seq.*) ; ut per hoc, quod denarius numerus periisse ostenditur, superna illa societas, quæ novenario numero remansit in angelis, sine reparatione conditionis nostræ imperfecta esse doceatur. Et quia decimæ per annos singulos exiguntur, apte qui decimas offerre non desinunt, servi esse regis perhibentur. Eis quippe per annos singulos serviunt, quorum exemplo sæpe pejores fiunt. Possunt et per hoc, quod post datas decimas servitus is a asseritur, mali profectus ostendi. Nam qui paulatim deficiunt, quotidie agunt, unde ad iniquitatis profunda deducantur. Dicit ergo : *Greges vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.* Quasi dicat : Malorum exemplo paulatim decidetis, sed cadendo agitis, ut ab eorum imitatione nunquam recedatis. **186** Scriptum quippe est : *A quo quis vincitur, ejus servus efficitur* (*II Petr.* II, 19). Quia enim per imitationem pastoris reprobi in peccati servitutem incidunt, etiam ab ejus jugo, quando volunt, solvi non possunt. Unde et subditur :

(Vers. 18.) *Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa : quia petistis vobis regem.*

10. Quasi dicat, in notitiam pravæ imitationis ejus paulatim defluitis : sed pravitatis ejus exempla, quibus vos sponte submittitis, relinquere sponte minime potestis. *Omnis* enim, *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, XXXIV). Quibus ergo peccata dominantur, per se ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam sæpe ad Dominum cum precibus veniunt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt. Divino siquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare, cum possent, non possint vitare, cum volunt : et qui sponte incurrunt mala præcognita, fugere non possint experta. Quare et causam insinuans, qua exaudiri prohibeantur, ait : *Quia petistis vobis regem.* Quasi aperte dicat : Quia illud vobis dari postulastis, in quo hæc omnia futura, me prædicente, cognovistis. Hæc, ut superius dixi, in typo prælatorum carnalium de futura regis conversatione prædicuntur : ut ab ejus petitione quiescerent, in quo tanta mala cognovissent. Sed habent corda reproborum, ut malum cito proponant, et a malo proposito non celerius resipiscant. Quare et subditur :

(Vers. 19, 20.) *Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt : Nequaquam. Rex enim erit super nos, et erimus nos quoque, sicut omnes gentes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis.*

11. Quibus profecto verbis mores subditorum carnalium aperte describuntur : quia dum exteriora appetunt, interiora damna etiam exposita non attendunt. Sed qui carnaliter præsunt, ipsa ostensione temporalis potentiæ subditis sibi minoribus magnam spem dant tutelæ. Dum ergo dicunt : *Rex erit super nos, et pugnabit bella nostra pro nobis*, quid aliud, quam reproborum subitorum mores insinuant, qui humiles et spirituales prædicatores despiciunt, ut temporaliter a carnalibus adjuventur? Quod certe nullatenus agerent, nisi prius lumen cordis amisissent. Nam si spiritualium virorum humilitatem foris despiciunt, sed qua potestatis sublimitate intus emineant, cernere non merentur; in illis quoque externam potestatis tyrannidem vident, sed qua infirmitate intus deprimatur, non vident. Isti, quia Deo adhærent, cum volunt, etiam in exterioribus potentes sunt : illi, qui a Domino recedunt, spem, quam promittunt de potentia sæculari, exhibere non possunt fortitudine operationis. Nam, ut de vicino exempla capiamus, Saul ad pugnanda bella regem postulantium, fortis et potens eligitur : ita ut, sacra hac historia teste (*I Reg.* IX, 2), ab humero, et sursum populo universo emineret. A Deo igitur ad regni gubernacula electus, cum bonus existeret, et de filiis Israel aliquis melior illo non esset, tamen, cum tantus ac talis vir carnali fortitudini relinquitur, bella perdidit, quæ pugnaturus acceperat, et vitam pariter amisit (*I Reg.* III, 1). Samuel autem, qui sæculi potentia sublimis non exstitit, qui humiliter non solum Deo, sed etiam hominibus ministravit, de exterioribus quoque bellis trophæa potenter exhibuit. Nam non valde supra de eo dictum est : *Tulit Samuel agnum lactentem unum, et* **187** *obtulit illum holocaustum integrum Domino, et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum Domino, Philisthiim inîere prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt Philisthiim a filiis Israel* (*I Reg.* VII, 9, 10). Dicat ergo : *Noluit populus audire vocem Samuelis*, ut in eorum inobedientia superborum corda designentur, sic divinæ æquitatis judicio projecta, ut magna mala immineant, quæ incursuri sunt : sed tamen ea videre non possint. Sequitur :

(Vers. 21.) *Et audivit Samuel omnia verba populi.*

12. Hoc profecto Samuel audivit, quod populus locutus est, sed ipsum populus non audivit. Populo enim reprobo loqui et non audire, fuit verba contra Dei voluntatem promere, sed pœnam pravæ locutionis minime prævidere. Samuel autem populi verba audivit : quia spirituales viri, dum superbæ locutionis voces audiunt, futurum in eis divinæ ultionis meritum recognoscunt. Dicat ergo : *Audivit Samuel omnia verba populi*, quia sancti, ac spirituales viri, quidquid carnales superbe foris insonant, quale sit in divino judicio intus pensant. Sed quia, dum carna-

lum subditorum damnabilem vitam reperiunt, pro delendis eorum criminibus intercedunt : Sequitur :

(Vers. 21.) *Et locutus est ea in auribus Domini.*

In eorum auribus loquimur, apud quos magnæ familiaritatis gratiam habemus. Sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magni amoris vinculo conjuncti sunt, ei in auribus loquuntur : quia divinæ propitiationis ejus auditum tanto fiducialius exposcunt, quanto apud ejus misericordiam, impetrandi locum sublimius acceperunt. Peccata vero populi loquuntur pro humilitate confessionis, sed in auribus loquuntur Domini : quia cum magno affectu precis januam pulsant Dominicæ propitiationis. Sed fortasse in auribus Domini loqui dicitur : quia dum sancti viri pro peccatoribus obsecrant, preces quas pro eis Deo offerunt, hominibus non revelant. Unde et in Evangelio Dominus prohibet discipulos, dicens : *Cum oratis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus* (*Matth.* VI, 5). Verba ergo, sive opera populi loquuntur, cum delicta locutionis et operis orationibus delenda Domino exponunt. Ea vero in auribus Domini loquuntur, ut dum hominum testimonia orantes fugiunt, ab eo, qui occulta respicit, celerius audiantur. Dum ergo in auribus Domini Samuel loqui perhibetur, modum profecto insinuat, quo quis auditum mereatur divinæ dignationis. Nam pervenire ad Deum oratio nequaquam potest, quæ ex intentione promitur, ut ab hominibus agnoscatur. Unde et qui in auribus Domini locutus asseritur, responsa ejus etiam percepisse perhibetur. Nam sequitur :

(Vers. 22.) *Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem populi, et constitue super eum regem.*

13. Qua in re notandum, quia Samuel verba populi, quibus regem petierat, in auribus Domini locutus est : et Dominus se abjectum asserit in eo, quod populus regem petit. Dum igitur oranti respondet, et regem facere orantem jubet, quid aliud insinuat, nisi quia devota electi viri oratio nunquam est infructuosa? Nam si populi correctionem non obtinuit, eruditionis suæ bonum obtinuit, cum abjectum populum pro mala petitione cognosceret, **188** sed et nihilominus sciret, quid facere projectis ipse debuisset. Audiri ergo propheta potuit, et non audiri : quia orando qualis esse deberet, novit, sed a populo reproba postulanti, duritiam cordis non abstulit. Sed hoc obtinere ille potuit, qui in auribus Domini locutus est : quia sancti viri eo ipso, quo devote pro peccatoribus Dominum obsecrant, divinæ propitiationis auxilio muniuntur, ut eorum criminibus nequaquam polluantur, quorum sordes delere precibus nequeunt. Quid vero est, quod Dominus ait : *Audi voces eorum*, cum superius dictum sit : *Audivit Samuel omnia verba populi.* Sed verba populi audierat, ut sciret quæ dicebantur, non ut quæ petebantur, concederet. Dum ergo ei a Domino dicitur : *Audi vocem populi, et constitue super eum regem*, favere voluntati populi prophetam jussit. Et ecce, ut palam cernitur, propheta orans non auditur : populus Deum abjiciens, regem-que petens, auditus est. Quid hoc esse dixerimus, nisi quia miro et tremendo divinæ incomprehensibilitatis judicio sancti viri pro reprobis orantes exaudiri nequeunt : in adimplendis vero suis pravitatibus, audiri ipsi reprobi delinquentes possunt : ut illis libera iniquitas æternæ vindictæ meritum augeat, et istis ex affectu compassionis merces perpetuæ retributionis accrescat? Et statim eum ordinem, quo ad ejusdem regis constitutionem ventum sit, ostendere incipiens, ait :

(Vers. 22.) *Et ait Samuel aa universos filios Israel : Vadat unusquisque in civitatem suam.*

14. Cum spiritualia discutere volumus, necesse est ut ab intentione nostra carnalia removeamus : quia mens interna non penetrat, quam exteriorum actuum pulvis cæcat. Dum igitur propheta Domini omnem populum abire ad propria loca præcipit, a se utique tumultum carnalium repellit : ut eo spiritualia, quæ disponenda sunt, clarius videat, quo mentis ejus aciem terrenorum actuum intentio non obscurat. Sed qualis sit, qui divino judicio prævidetur, insinuans, ait :

CAPUT III.

(I Reg. IX, 1, 2.) *Erat vir de Benjamin, nomine Cis, filius Abiel, filii Seor, filii Bechorath, filii viri Gemini, fortis robore. Et erat ei filius nomine Saül, electus et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo : ab humero et sursum eminebat super omnem populum.*

1. Cum ordinandi regis persona exponitur, cur patrum ejus nomina describuntur, nisi ut regnum ejus durabile non sentiatur? Nam de regno, quod futurum præviderat Moyses, ait : *Non deficiet sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est : et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Quia ergo tribus Juda ad regni diuturnitatem prævisa exstiterat, Cis generatio memoratur ; ut regia dignitas, quæ condebatur in filio, aperte sciretur esse dispensatoria, non mansura. Sed qui carnalem regem generat, Cis, idest durus nostro eloquio dicitur, et is fortis robore prædicatur. Nunc quoque plerique carnales intra sanctam Ecclesiam sunt, qui magna agere videntur : carnales vero sunt, quia sancti Spiritus gratiam non habent. Fortes ergo sunt robore, quia omne, quod magnum videntur agere, corporale est. Nam et Cis pater Saül ideo fortis robore dicitur, ut vires corporis magnas habuisse sentiatur. Fortis ergo robore, durus est : quia qui magna carnaliter exhibet, cor molle per compassionem, in fraterna charitate non habet. Valenter agit **189**, quæ non imitari homines foris possint, sed intus conjungi fraternis mentibus nescit per affectum dilectionis. Fortia agit, quæ Deus reprobat ; et affectum charitatis, quem approbat, exhibere non curat. Durus ergo est, quia dum superbo corde corporalia agit, ejus mentem gratia sancti Spiritus non emollit. Quo contra sanctus vir gloriatur, dicens : *Deus mollivit cor meum, et omnipotens turbavit me* (*Job.* XXIII, 16). Et sæpe, qui talium mores imitantur, Dei judicio recto-

res fiunt. Unde et apte Saul filius Cis fuisse memoratur.

2. Sed quærendum est, cur idem Saul electus et bonus esse dicitur, qui duri filius esse perhibetur? Sed electus dicitur non secundum gratiam, sed secundum judicium. Bonus etiam dicitur, ut divinæ æquitatis dispositio commendetur. Nam et mala, quæ pro peccatis nostris sæpe patimur, quia per divinam justitiam nobis irrogantur, bona sunt. Bonum profecto est quidquid est justum. Per justitiam quippe Dei pastores reprobi ad regimen sanctæ Ecclesiæ ascendere permittuntur; sed qui mali sunt per iniquitatem, boni sunt divina dispositione; et occulta nunc ordinatione Dei electi sunt, qui ultimo erunt universali judicio reprobandi. Pastor ergo reprobus, quia ut sit, Dei indignatione decernitur, dicatur electus : et quia juste permittitur, dicatur bonus. Item quia ad exsequenda divina judicia cæteris utilior providetur, melior illo esse de filiis Israel nemo dicitur. Qui etiam ab humero, et sursum eminere super omnem populum memoratur : quia qui carnalium mores vivendo sequitur, valde nititur, ut ea agat, quæ agere alter non valeat. Carnalis etenim rector ab humero, et sursum universo populo eminet; cum in exterioribus fortis est sine comparatione.

3. Possunt et hæc omnia verba laudis intelligi, quibus dum ordinandi regis persona prædicatur, regem petentium intentio confundatur. Nam dicunt : *Rex erit super nos, et judicabit nos, et pugnavit bella nostra pro nobis* (*I Reg.* VIII). Dicitur electus et bonus, et quia non sit de filiis Israel melior illo, ut bona omnia in petiti regis persona excellant : sed dum ad ea non sufficit, quæ populus proposuerat, præsumptio humana confundatur, ut victa tabescat. Et quidem, ut supra dixi, rex, qui populum præiturus eligitur eorum bella pugnaturus, cum a divino auxilio deseritur, bello depressus obiit, et populo, quem ad eadem bella præivit, tunc non salutis causa, sed mortis fuit. Quod denique Deo populus ascriberet, si is qui Dei judicio electus rex fuerat, ad agenda quæ volebat populus, non tam idoneus exstitisset. Potest etiam electus et bonus intelligi, dum asseritur, non qualis in futuro prævidebatur. Dicitur ergo electus et bonus, ut talis a Domino sentiatur electus, qui per inobedientiam postea fuit reprobatus. Quare et ipsa ratio exigit, ut quæ de electo et bono usque ad reprobationis tempora dicuntur, et in bona parte sentiamus.

CAPUT IV.

1. Summatim ergo cuncta repetentes, quid ædificationis in se contineant, secundum aliam significationem videamus. Quia in Samuele novum sacerdotium diximus designari, quid est quod senuit, nisi, quia dum per decurrentium spatia temporum sancta Ecclesia ducitur, in nonnullis sacerdotibus conversationis pulchritudo veteratur? Senuit autem Samuel, quia vigor auctoritatis emarcuit. **190** Quasi enim juvenis erat Samuel, quando sacerdotum ordo solis cœlestibus desideriis inhians, dum nulla terrena quæreret, quo efficacius superna prædicare poterat, eo ad ea nihilominus verbis, et exemplis subditorum animos accendebat. Valebat enim robore, et juvenili pulchritudine radiabat, dum vim cœlestis verbi in splendore ostenderet sanctæ conversationis : quia quidquid validum loquendo poterat prædicare, nitebatur etiam sublimiter vivendo ostendere. Nam et mortuas animas vivificabat verbo; sed miro flore juventutis emicans, mortua corpora resuscitabat imperio. Cum et cæcis visum, claudis gressum, et omnibus ægritudinibus medelam tribueret, et adeo sanctissimæ conversationis pulchritudine radiabat; ut majoris virtutis esset, hoc modo posse vivere, quam illo aliis subvenire. Velut ergo in juventute vigebat Samuel, quando in ordine sacerdotum pariter refulgebat et mira virtus operis, et tam immensa pulchritudo sanctæ conversationis. Sed jam diu est, quod Samuel senuit. Multa enim tempora elapsa sunt, ex quibus multi eorum amorem sæculi sequuntur, quorum virtute depelli gaudia mundi ab aliorum cordibus debuerunt. Quod tamen non idcirco dicimus, ut sancta Ecclesia nullos viros religiosos habeat : sed quod pauci sunt, qui in prædicationis culmine perfecte noverint mundum contemnere, et summis desideriis inhærere. Quare apte Samuel et senex dicitur, et prophetare. Senex quidem est, quia rigorem asperæ conversationis in pluribus perdidit : prophetare tamen non desinit, quia dum aliquantas vires spiritales habet, virtutem providi spiritus valenter exhibet. Quod in uno eodemque prædicatore intelligi convenienter potest. Senes quidem sunt, et prophetant, qui sic per negligentiam resolvuntur, ut bene doceant, sed male vivant. Qui filios suos judices ponunt, quando illos in sacerdotii dignitate constituunt, qui remissioris vitæ eorum tempora contemplantur. A senibus tamen juvenes ordinantur : quia, qui promovendi veniunt, fortia promittunt. Sacerdotalis quippe vitæ fortissimam professionem spondent, cujus virtutem in futura conversatione non habent. Juvenes igitur promoventur : quia, qui eos ordinant, prius quam ab eis professionem virtutis accipiant, eos ad tanti ordinis celsitudinem non assumunt. Prius namque eis insinuant, et quam sublimiter vivant, et quam subtiliter doceant : quod idcirco debent sublimiter vivere, ut utiliter valeant prædicare, ut vitæ propositum semper ad superna dirigant, ut de labore prædicationis temporalia præmia non requirant, ut personas in judicio non accipiant, sed justa æquitatis lance cuncta disponant : quatenus viarum Dei difficultates audiant, et an velint subire earum labores, dicant.

2. Has profecto difficiles vias plerique dum sacros ordines ambiunt, se ambulare profitentur : sed dum ad id quod ambiunt, perveniunt, sponsionis suæ tenere fortitudinem prætermittunt. Unde et Samuelis filii non ambulasse in viis ejus, sed accepisse munera, et pervertisse judicium apte relati sunt. Samuelis enim viæ sunt, quia prædicatoris officio exponuntur. Filii ergo in viis patris sui non ambulant,

quando ii qui ad sacros ordines ambitiose perveniunt, ardua religionis itinera a majoribus sibi ostensa deserunt, et perversa intentione in appetitu terrenarum rerum altius immerguntur. Unde et post avaritiam declinare, munera accipere, **191** et judicium pervertere, aperte [a] perhibentur. Qui enim laborare pro cœlestibus negligunt, necesse est, ut in appetitu terrenorum arctius inserantur. Declinare quidem post avaritiam, est ambitione rerum terrenarum tota intentione defluere. Nam nonnulli sunt, qui terrena lucra per avaritiam expetunt, sed tamen post avaritiam non declinant : quia et temporalia appetunt, sed in appetitu eorum incurrere crimen vitant. Declinant ergo post avaritiam, qui pro terrenis, quæ ardenter ambiunt, incurrere crimen nequaquam pertimescunt. Animam quippe suam æstimant inferiorem omni re quam possunt concupiscere. Hinc namque est rapina violenta, hinc fiunt furta latentia : quia eos quibus avari prævalent, violenter opprimunt, et quorum rebus inferre violentiam nequeunt, furta inferre moliuntur. Sæpe et quibus non prævalent furto manuum, insidiantur fallitate verborum. Unde et filii Samuelis, ordinato processu, in inordinata avaritiæ confusione denotantur, cum dicitur :

(I Reg. VIII, 3.) *Declinaverunt post avaritiam, accepere munera, perverterunt judicium.*

3. Qui enim ut munera acciperent, judicium perverterunt, ad inferendum furtum concupitæ rei, non quæsierunt obscuritatem noctis, sed tenebras rationis. Et notandum, quia ardor avaritiæ causa est accipiendorum munerum, et acceptio munerum causa est pervertendi judicii : ut prophetæ narratione hujus vitii pravitas ostendatur, non solum qualiter in reproborum cordibus proficit, sed a sanctorum mentibus qualiter exstirpari funditus possit. Nam si perversitas ista judicii ex acceptione munerum nascitur, qui munera non accipit, judicium non pervertit, et oblata munera leviter respuit, qui avaritiæ radicem a corde suo penitus extirpavit. Sed istam culpam filiorum Samuelis, plenius videndo, quam loquendo, colligimus. Nam si ad destituta Ecclesiarum loca respicimus, ubi pater senescit, notam avaritiæ, suscepti muneris, et perversi judicii filii incurrunt : quia ubi per lucra turpia rectoris persona dissolvitur, subjecti gregis corda facile dissipantur, ut in se nequiter vivant, et aliis exempla pravitatis præbeant. Sed libet in iis valde admirari judicia omnipotentis Dei. Nam filii Samuelis, dum post avaritiam declinant, dum causa pervertendi judicii munera suscipiunt, populo, cui præsunt, exempla pravitatis impendunt. Ipse autem populus, dum regem petit, de culmine potestatis prophetæ filios abjicit. Deus vero omnipotens et regem petentium preces suscipit, et irascitur, quod petatur. Quibus profecto rebus turbari possumus, si eorum rationem non subtiliter videamus. Quid enim justius est, quam, ut populi judicio corruat, qui reprobo mentis suæ judicio sic A stultuit, ut se sequens populus periret ? Sed tamen cum sacerdotes male vivunt, a laicis judicandi non sunt. Digne ergo indigniorem recipiunt, qui indignum indigne ejicere præsumpserunt. Nam de filiis Samuelis dicitur : *Acceperunt munera, et perverterunt judicia.* De eo autem rege, quem filii Israel petunt, terribiles valde minæ proferuntur, quia dicitur : *Agros vestros tollet et oliveta, et dabit servis suis* (*I Reg.* VIII, 14). Et quis sapiens non attendat, quia nequius sit publica violentia agros et vineas tollere, quam ut acciperent munera, prætextu veritatis judicium permutare ? Hæc culpa quadam verecundia tegitur, pudore obumbratur. Culpa vero illa tanto nequior **192** cernitur, quanto manifestius, atque atrocius perpetratur. Sed nos nondum ad illa regni tempora B discutienda pervenimus, in quibus ista fieri mala etiam ad litteram describuntur ; dum ergo juxta propositum nostrum de electo et bono loquimur, utile videtur, ut etiam jus regis, quod prædicitur, qualiter in bona parte possit accipi, subtiliter videamus. Nam si aliquid boni spiritualiter non ostenderet, nequaquam in hac sacra historia diceretur :

(I Reg. X, 15.) *Locutus est Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro et reposuit coram Domino.*

4. Quid est, quod Israelitarum filii ponendi in regis curribus dicuntur ? Sed prælatorum sanctæ Ecclesiæ currus eorum devota sunt desideria. Nam dum superna gaudia ferventer appetunt, velut in curribus C per alta feruntur. Hinc est quod Elias in curru igneo in cœlum sublevatus asseritur (IV *Reg.* II, 1) : quia profecto ad superna gaudia sustolli non poterit, qui ea per alta et ferventia desideria non inquirit. Cum ergo boni auditores per exempla prædicatorum terrena contemnere, et amare æterna incipiunt, Israelitarum profecto filii in regum curribus ponuntur. Et notandum, quia et tolli dicuntur, et in curribus poni : quia prius debent a carnalibus desideriis abstrahi, ut bene valeant superni amoris ignibus inflammari. Quæ nimirum terrena desideria, quia non facile deseruntur, tolli filii perhibentur. Nam per magnam violentiam fieri oportet, ut terrena desideria electus auditor penitus deserat, et in cœlestibus sublimiter se sustollat. De hac quippe violentia Dominus ait : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI, 12). De hac Paulus ait : *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II, 5). Quod etiam his verbis latenter ostenditur, quia filii qui tolluntur, D non in sedibus, sed in curribus poni perhibentur. Curru quidem antiqui pugnare consueverunt. Sed et qui curru ducitur, sublimis ac terribilis contra hostem fertur. Electi etenim viri tanto sublimiores atque terribiliores sunt occultis hostibus, quanto interni amoris celsitudine altius profecerunt. Sublimes quippe sunt, quia usque ad eorum intentionem malignorum spirituum suggestio non pertingit. Terribiles etiam sunt, quia reprobare eorum consilia

[a] Vatic. et Gilot., *prohibentur.*

tanto facilius possunt, quanto per intimi affectus vigorem in superni gaudii contemplatione consistunt. Hoc quidem quoties his dicitur, qui adhuc carnales sunt, piarum minarum illis bonitas exhibetur. Quod tale est, ac si dicat : Quia virtutis personam petitis, sub ejus disciplina vacare vitæ otio non potestis. Quare et equites regis et persecutores regalium quadrigarum, tribuni et centuriones fieri perhibentur. Omnia quidem hæc militiæ terrenæ sunt. Dum ergo equites, et persecutores quadrigarum, tribuni, et centuriones fieri prædicuntur, ad omne belli exercitium summoventur. Equites quippe sunt, quando in virtute spiritus carnis suæ voluptatis fluxa restringuntur, et cunctis illecebrosis motibus magna potestate dominantur. Velut enim equo sublimis invehitur, qui per bonum castitatis carni suæ præpositus, liber, et velox, et effugere hostem, cum dedignatur, poterit, et invadere, cum dignatur. Per hoc quidem quod bene præsidere didicit, tanta virtutis incrementa accepit, ut velut irruentis equitis impetum sustinere hostis non possit. Et quia in virtutis suæ robore exempla electorum Patrum sequuntur, persecutores sunt regalium quadrigarum. **193** Quadrigæ etenim regis sunt, bona exempla electi prædicatoris. In eis quippe et pugnans et triumphans ostenditur : quia dum sancta opera prædicatoris aspicimus, hunc profecto sublimem videmus et in agone certaminis, et in virtute triumphi. Sed carnalibus desideriis oppressi videre hunc in quadrigis suis possunt, persequi ejus quadrigas non possunt. Velut pedites quippe in plano sunt pigri ad cursum, debiles ad conflictum. Ut ergo regales quadrigas persequi valeant, prius equites fiant, terrena desideria conterant, carni suæ præsideant, pudicitiæ armatura candescant. Tunc quidem post electos Patres in spirituali conflictu currere tanto decentius possumus, quanto per id quod nobis laudabiliter præsumus, occultorum hostium agmina potenter ferimus. Quod si, velut plures habent codices, non persecutores, sed præcursores legimus, a bono intellectu non vacat. Regalium quidem quadrigarum præcursor est, qui laudat verbo exempla justorum. Qui nimirum eques esse debet : quia reprobus laudator est, qui altam vitam atque doctrinam sanctorum prædicat, quam sublimi proposito imitari nequaquam curat. Sed qui aliorum vitam, atque doctrinam proponere aliis ad imitationem novit, jam quidem spiritalis militiæ esse magister incipit. Bene ergo subjunctum est :

(I Reg. VIII, 12.) *Et constituet sibi tribunos, et centuriones.*

5. Tribuni sunt, cum incipiunt : centuriones, cum in spiritali magisterio perficiuntur. Etenim, ut superius diximus, a centenario numero dicitur centurio. Tribuni etiam intelligi possunt spirituales viri, scientia simplices, sed amore Dei et proximi inflammati. Qui licet alta et spiritualia loqui nesciant, tamen per exempla electorum, quæ norunt, ad amorem Conditoris, quos prævalent, accendere conantur. Tribus quidem cognatio, sive curia dicitur. Si ergo tribuni dicuntur a tribu, qui ad profectum proximorum sanctorum exempla proferunt, tribuni nominantur. Ad rusticitatem quidem nostram destruendam, velut curia veniunt, quando nobis illa proponunt, per quæ sancti viri omnipotenti Deo placuere. Et cum plurimorum sanctorum proprias virtutes exponunt, quasi spiritualium cognationum nobilitatem nobis aperiunt. Centuriones ergo intelligi viri perfectiores possunt, qui prædicatorum magisterio dum bene proficiunt, [a] eorum auditores atque cooperatores fiunt. De quibus profecto in Evangelio Dominus ait : *Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII, 52). Tales quippe non solum operatione præcipui sunt, sed etiam verbi Dei scientia eruditi. Unde et ad spiritalis militiæ conflictum cohortari proximos tanto utilius possunt, quanto et alta, quæ prædicare sciunt, in opere virtutis ostendunt. Habent in eruditione verba, habent ad exempla simplicium opera : ut alta quæ loquuntur sapientes, intelligant ; et qui verborum secreta non vident in intimis, imitentur opera, quæ videant foris. Centuriones ergo constituuntur, quando perfectione virtutis, culmen obtinent dignitatis : ut subliniter vivant, et quo altius vivunt, utilius doceant.

6. Sed qui centuriones sunt, cum belli tempora ordinent, proficere debent : ut pacis etiam fructus ferre cognoscantur. Post tribunos ergo, et centuriones, agrorum fiunt aratores, et messores segetum ; ut victorum jam corda vomere adhortationis aperiant, ex quibus uberius bonorum operum triticum **194** metant. Velut in pace jam quidem arant, qui ea corda, quæ spiritalia impugnamenta devicerant, ad exercenda opera pietatis excitant. Et segetes metunt, quando de divini verbi semine, quod in auditorum cordibus sparserant, electa opera prorupisse gratulantur. Velut enim de agro triticum fal cibus metunt, quando amplexu charitatis, id de superna conversatione accipiunt, quo interna devotione satientur.

7. Sed quandiu in hac vita vivimus, in pace nulla possidemus. Antiquus etenim hostis, quia semper bene agentibus adversatur, necesse est semper nos ea quæ bene agimus, defendamus. Quare et bene post aratores agrorum, et segetum messores, armorum fabri, et curruum regis fieri perhibentur. Arma et currus fabricant, ut ipsos agros quos excolunt, easque segetes quas metunt, defendant. Currum quippe fabricant, ut ad occursum adversariorum veloces sint : arma vero, ut sint potentes. Currum quidem conscendunt, ut magno impetu castra dæmonum atterant ; et, ut exstinguant quos impetunt, arma portant. In hac quippe currus sublimitate sta-

[a] Gilot., *eorum adjutores atque cooptatores fiunt.*

bat, qui dicebat : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Unde et securus jam, qui superior, cunctis suis hostibus apparebat, affirmans, ait : *Nulla creatura poterit nos separare a charitate Christi* (*Rom.* VIII, 39). Sed qui currum conscenderat, arma tenebat; unde et exponit, dicens : *Ego autem sic curro, non quasi in incertum : sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX, 26, 27). Quid ergo in hoc curru rectius exprimitur, quam rectæ intentionis sublimitas? Currum ergo fabricare, est in mentibus auditorum altitudinem rectæ intentionis erigere. Qui enim per exempla meliorum prædicationis ministerium sortiuntur, currus post aratri et messionis studium fabricant, quando bene agentes subditos docent, ut ex omnibus operibus bonis, quæ agunt, sola æterna retributionis præmia præstolentur. Terrena quidem despicere, nulla transitoria desiderare, æterna diligere, atque ad illa magnis desideriis festinare, jam quidem sublimi currui præsidere est. De quibus nimirum curribus per Psalmistam dicitur : *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in illis ascendit* (*Psal.* LXVII, 18). Arma vero eorum, sunt acuta consilia, quibus tanto validius hostes feriunt, quanto celerius eorum astutias deprehendunt. Unde et quasi armatus ille potens loquebatur : *Non ignoramus ejus astutias* (*II Cor.* II, 11). Arma etiam fabricabat, cum dicebat : *Et scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 16, 17). In illis quidem curribus, et armis positi electi, veloces atque potentes sunt. Veloces quidem : quia dum spiritualia cupiunt, nequitias spirituales in momento deprehendunt. Potentes vero sunt : quia dum ardentius summa desiderant, quidquid eis de imo sæculi amore suggeritur, pro nullo pensant : et quasi currus vecti pondere, in hostes magnum impetum habent, qui sanctis virtutibus, et acutis consiliis pleni, tentamenta omnia, quæ ingeruntur, in momento destruunt. Nec vacat ab isto sensu, quod currus, dum per terram volvitur, et inferiorem partem levat sursum, et superiorem deprimit deorsum. Sic nimirum et sanctorum virorum recta intentio, dum de terrenis, quæ agit, cœlestia exspectat, velut partem, quam per terram trahit, ad summa dirigit. Et quia se tam de bono opere, quam de exspectatione æternæ retributionis **195** in conspectu Conditoris humiliat, velut ad terram mergit partem, quam sursum levat. In rotis quippe suis currus noster incessanter volvitur, si de bono opere semper æterna intendimus, et de omni profectus nostri altitudine humiles esse curamus. Quæ profecto arma, et currus tunc sunt regis, cum a prædicatorum sanctæ Ecclesiæ forma et doctrina discrepare minime videntur. Currus ergo et arma electi prædicatores fabricant, quando auditores suos ad supernam patriam festinare docent, et intentionis rectitudine et munitione virtutis. Sed hæc omnia, quæ in profectu unius ostendimus, nihil obstat, si per se in pluribus distributa sentiamus. Electos quidem per virtutum gradus proficiscentes, ostendimus prius in curribus poni; deinde equites, et regalium quadrigarum præcursores ordinari; tribunos, centuriones, aratores, et messores constitui; ad extremum vero fabros armorum fieri. Sed quia sancta Ecclesia diversis electorum ministeriis utitur, qui vult, potest gratiarum dona singula ordinibus attribuere singulis, ut eorum quæque sint propria illis, qui eorum affectibus strictius inseruntur.

8. Quid ergo est quod subdit : Filias Israelitarum unguentarias, et focarias, et panificas esse futuras? Sed filiarum appellatione aliquando infirmitas, aliquando fecunditas designatur. Quæ ergo Israelitarum filiæ, nisi mentes electæ sunt, ad divini verbi conceptum præparatæ? Quæ regis unguentariæ fiunt : quia dum prædicatoris sui institutione proficiunt, in se abundantem gratiam Spiritus sancti percipiunt, per quam mederi contritis cordibus salubriter possunt. Focariæ etiam fiunt : quia dum fervore sancti Spiritus plenæ sunt, exemplo suo proximorum corda in amorem Conditoris accendunt. Panificæ fiunt, quando electas mentes verbi Dei alimento reficiunt. Unguentariæ ergo fiunt filiæ, quando vulnera peccatorum curant. Focariæ, quando purgata a sordibus peccatorum corda, ad studium boni operis exemplo suæ virtutis inflammant. Panificæ vero sunt, quando proficientibus per exempla, non jam exempla proponunt, sed altæ scientiæ verba proferunt; ut velut solido cibo pasti, tanto fortius agant, quanto jam spiritaliter instructi, ferventius æterna desiderant. Sequitur :

(Vers. 14.) *Agros quoque vestros, vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis.*

9. Quinam sunt agri, quæ vineæ, quæ oliveta, quæ jure prælatorum nobis auferuntur? Sed prædicatores sancti, quando ad correptionem peccatorum loquuntur, delectationes carnis, concupiscentias mentis, simulationes bonorum operum reprehendunt. Nam si carnis delectationes iniquæ possessionis agri non essent, Apostolus nequaquam diceret : *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem* (*Gal.* VI, 8). In carne quippe seminare, est propositum mentis obruere in delectationes corporis. Qui profecto corruptionem de carne metunt : quia in electorum resurrectione renovationem æternæ incorruptionis nequaquam recipiunt. Vinearum quoque appellatione mentis concupiscentiæ recte figurantur : quia reproborum corda inebriant, et a cognitione veritatis alienant. Hujus vineæ fructus vituperans Moyses, ait : *Ex vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ : uva eorum, uva fellis, et botrus amarissimus* (*Deut.* XXXII, 32). Ex Sodomorum quippe vinea vitem, ex Gomorrha ducit propaginem, qui nefandissimis concupiscentiis mentem replet. **196** Quasi enim vineam facit, qui inde æterna obliviscitur, unde et per concupiscentias debriatur; et qui se quasi sub umbra vineæ, et amœnitate pravæ

delectationis refrigerat, æterni sibi incendii retribu- A tionem parat. Unde apte nimis ejusdem vineæ fructus exponens, uvam fellis, et botrum amaritudinis dixit. Uva quippe in visu est, fel in sapore : visum oblectans, gustum amaricans; quia nimirum reprobæ menti valde placet, quod concupiscit, sed in æterna pœna, quod sibi modo est dulce, amarescit. Rex ergo nobis agros tollit, cum electus prædicator lætos in delectatione motus carnis nostræ loquendo subtrahit. Vineas tollit, cum debriantes concupiscentias a corde nostro penitus abscindit. Oliveta etiam tollit, cum falsæ misericordiæ opera reprehendit, cum recte exhortando suggerit, nullum esse meritum operis, nisi prodeat de proposito bonæ intentionis.

10. Sed valde quærendum est, cur dari servis regis asseruntur. Nam si hæc nobis jure auferuntur, quinam erunt, quibus non indigne tribuantur? Quod tamen si subtiliter quærimus, magnos in imperiis suis sanctos prædicatores nostros invenimus. Qui sunt ergo ii servi, nisi illi, de quorum capite ad beatum Job Dominus dicit : *Nunquid accipies eum servum sempiternum* (*Job* XL, 23)? Maligni namque spiritus servi sunt sanctorum hominum; sed in hac vita servi perpetui, in illa vero servi sempiterni. Quotidie namque hoc ingerunt, unde sancti viri coronentur. Nam cum ex prælio hujus vitæ, æternæ gloriæ victoria nobis præbeatur, qui contra nos ea bella innovant, quibus ad æternam requiem ducimur, profecto nobis magna servitia impendunt. Servi quoque victorum sunt, testante veritate : *A quo quis vincitur,* C *ejus servus efficitur* (*II Petr.* II, 19). Nam dum prælia contra eos, qui victuri sunt, excitant, serviunt eis, qui inde coronantur, unde ad tempus eorum prælia potenter excipiunt. Sed quia quod ad sanctorum gloriam proficit, malignis spiritibus crescit in damnationis augmentum, ablati agri, et vineæ, et oliveta servis tribuuntur. De omni quidem malitia sua dæmones in æterna pœna punientur. In congressione quidem occulti certaminis, quando electi vincunt, mala quæ repellunt, suis hostibus tribuunt : quia isti, tanquam aurum in fornace (*Sap.* III, 6), probantur, illi pro reproba suggestione puniuntur. Agros ergo, vineas, et oliveta servi suscipiunt : quia cum peccatores ad vitam, prædicantibus doctoribus, redeunt, hoc etiam ad damnationis cumulum dæ- D monibus proficit, quod pœnitentes in culpa præterita tandiu eorum fraude retenti sunt. Dantur etiam hæc servis, quando officio prædicatoris conversi peccatores ad Dominum, agnoscunt quod in amore præteritorum criminum fraude dæmonum tenebantur.

11. Quid vero est, quod segetes, et vinearum reditus addecimari, et eunuchis famulis regis dari ea perhibentur? Sed segetes electorum addecimantur, quando excellentiora eorum opera colligimus, ut ea, ad exemplum fidelium producamus. Unus denique solus fuit, qui in se omnium virtutum plenitudinem habuit, cui se omnis plenitudo divinitatis corporaliter infudit (*Coloss.* I, 19). Nos autem, quia de plenitudine ejus omnes accepimus, dona gratiarum per partes divisas possidemus. Hinc Paulus ait : *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, alteri fides in eodem spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum* (*I Cor.* XII, 8). Denario vero **197** numero, quia perfectus est, virtutes addecimamus, cum singulorum dona electorum colligimus, quæ minores imitentur. Nam de Moyse scriptum est : *Quia erat mitissimus super omnes homines terræ* (*Num.* XII, 3). De Abraham quoque dicitur : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV, 6). Cum ergo mansuetudinem cum fide imitari volumus, necesse est ut de B exemplo Moysi et Abrahæ ad refectionem mentis nostræ, velut electarum segetum, cibi decimentur. Sic sic nimirum castitatem Joseph (*Gen.* XXXIX, 8), sic Job patientiam (*Job.* I, 21), sic zelum Phinees (*Num.* XXV, 7) ad exemplum nostrum prædicatores proferunt : quia dum perfectorum virtutes ostendunt, velut electarum messium decimas congregant, quas bene proficientibus apponant. Unde et bene eunuchis et famulis eædem frugum decimæ dari prædicuntur. Eunuchi quippe sunt, qui animi virtute, omnia in se libidinis fomenta contriverunt. De quibus nimirum in Evangelio Dominus dicit : *Sunt eunuchi, qui castraverunt se propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 12). Famuli sunt, qui adhuc studiis vitæ activæ sub aliena cura inserviunt, et ad altitudinem charitatis liberi adhuc exire non possunt. Qui et apud Moysen sex annis servire dominis suis debere inveniuntur (*Exod.* XXI, 2), ut septimo liberi egrediantur : quia nimirum prius debent perfecti esse in opere, ut ordinate in summa contemplatione exire valeant. Eunuchis ergo famulis doctor messium decimas tribuit, quando ii, qui in candore castitatis obediunt sibi, opera majorum electa sequuntur. Vinearum etiam decimas tribuit, cum eis, quam mira charitate Patres nostri Deum et proximum dilexerunt, ostendit; ut et ipsi etiam ejusdem charitatis abundantia repleri studeant, ac velut ebrii, præteritorumque obliti, sola futura diligant, atque ad illa ferventer currere non omittant.

12. Post ista vero omnia servi Israelitarum, et D ancillæ, juvenes optimi tollendi prædicuntur, atque in regis opere ponendi. Qui sunt servi carnalium, nisi qui, malorum exemplo, diuturna consuetudine sic depravati sunt, ut colla mentis sub jugo nequissimæ imitationis perpetuo subdidisse videantur? Servi ergo illorum tolluntur, quando electorum prædicatorum studio illi etiam peccata deserunt, qui reprobæ imitationi carnalium vehementer subdi videbantur. Qui etiam juvenes optimi dicuntur. Juvenes quidem sunt, quia in malo fortes; optimi etiam dicuntur, quia cæteris peccatoribus nequiores sunt. Quibus nimirum per prophetam dicitur : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem* (*Isai.* V, 22). Vinum denique

bibunt, qui deliberatione mentis, fervorem concupiscentiæ præcipitanter excipiunt, et ebrietatem miscent; quia dum concupiscentiarum ardoribus inflammantur, ad vias rectitudinis, perdita ratione, redire nesciunt. Potentes vero et fortes tam ad bibendum, quam ad miscendam ebrietatem sunt, ut pro ferventi proposito mali velut optimi servi esse doceantur. Hos optimos juvenes item divinitus sermo demonstrat, cum diaboli aviditatem exponit, dicens: *Esca ejus electa* (*Habac.* I, 16). Nam antiquus hostis in eorum nequitia valde relicitur, qui nequissimis nequiores sunt.

13. Ancillarum vero nomine illa nequissima peccatorum conditio designatur, qui per iniquitatem valde sunt pessimi, et aliis præbent exempla pravitatis. Velut enim ancillæ servos pariunt, dum magnæ iniquitatis non sunt solum operariæ, sed etiam matres. Quia vero sanctorum prædicatione **198** tales etiam convertuntur, qui magna postmodum omnipotenti Deo servitia impendunt, apte servi et ancillæ dicuntur auferri, et in opere regis poni. Annon tunc ancillam rex regum tulit, quando de illa magna peccatrice dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47)? Et hanc in opere suo posuit, quando in castellum intravit, et eum illa in domo sua recepit (*Luc.* X, 38). Hanc etiam in opere suo posuit; quia resurgens a mortuis, ei prædicationem suæ resurrectionis injunxit (*Marc.* XVI, 7). Servum quoque tulit, quando a telonei lucro Matthæum ad se sequendum vocavit. In opere suo hunc etiam posuit, quia ei in domo sua convivium præbuit, et Æthiopisæ prædicatorem, conversi orbis Evangelistam fecit (*Matth.* IX, 9; *Marc.* I, 14; *Luc.* V, 27). Quia ergo prædicatorum ministerio hi etiam ad Dominum redeunt, de quorum salute humana cogitatio desperare poterat, bene servi et ancillæ et optimi juvenes in regis opere ponendi describuntur.

14. Possunt servorum et ancillarum nomine, motus cordis et affectiones intelligi. Nam quando nobis reproba suggerunt, servi sunt: quando affectiones mentis pravorum motuum suggestionibus substerni appetunt, ancillæ. Tunc quidem necesse est, ut per rigorem propositi utrisque dominemur. Servos nostros et ancillas prædicatores tollunt, cum motus cordium nostrorum, et affectiones instruunt, qualiter ad Dei servitium dirigantur. In opere regis ponunt, quando jam idem Dei omnipotentis servitium, quod eorum magisterio didicimus, exercemus. Quare et in asinis quid aptius, quam lascivi motus animæ figurantur? In opere autem regis ponuntur, quando illa mens, quæ pravis cogitationibus moveri ad lasciviam solebat, prædicatione doctoris proficit, et affectus suos in appetitu imitandæ castitatis ponit. Possunt servorum et ancillarum et asinorum nomine designari, qui sæcularibus hominibus corporalia obsequia fortiter impendunt. Sed in opere regis ponuntur; quia conversi ad Dei omnipotentis servitium, spiritualia tanto devotius pro æterna retributione tolerant, quanto clarius agnoscunt, quia magna sine fructu tolerabant. Greges etiam rex addecimare dicitur: quia quisquis omnipotenti Deo placere appetit, oportet, ut mundus sit per innocentiam, et studio boni operis intentus. Per illud quidem arbor est bona, per istud etiam fructus facit. Quia vero multis utimur, ut servare innocentiam, et bona opera exhibere valeamus, ipsæ cogitationum innocentium turbæ greges nostri sunt. Quid ergo est, quod addecimantur, nisi quia cogitationum subtilitas facile non videtur? Nam sæpe bona nos cogitare putamus, quæ subtiliter discussa, bona non sunt. Addecimari ergo greges debent, ut illud solum regii juris sit, quod denario numero continetur. Quod in nobis tunc bene agitur, cum prædicatorum nostrorum magisterio discimus, perfecti esse non solum exhibitione operis, sed etiam in exquisitione cogitationis. Ad extremum vero dicitur:

(Vers. 17.) *Vosque eritis ei servi.*

15. Ut videlicet sic ejus juri se subditos sciant, ut ejus mandata præterire non audeant. Hanc profecto regiam dominationem volebat Dominus statuere, cum dicebat: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Hanc etiam potestatem exigebat a subditis, qui dicebat: *Si quis evangelizaverit vobis aliud, quam ego evangelizavi vobis, anathema sit* (*Gal.* I, 8). Hinc item Dominus discipulos mittens **199** in prædicationem, dicit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). Hinc de Judææ prædicatoribus eisdem discipulis Dominus dicit: *Quæcunque dixerint vobis, facite* (*Matth.* XXIII, 3). Servi ergo regum nostrorum sumus, quando sic prælatorum nostrorum imperio subdimur, ut præter eorum auctoritatem agere nulla præsumamus. Quia ergo eis præsunt, qui in virtute obedientiæ suas virtutes roborant, in fine regii juris dicitur: *Vosque eritis ei servi*: ut fideles subditi, tunc etiam se subditos prædicatorum præcepto debere esse cognoscant, quando per virtutum profectum, ad perfectionis culmina perducuntur. Quod etiam eisdem verbis ipsa Veritas discipulos edocens, ait: *Cum feceritis hæc omnia, dicite: Servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII, 10). Verumtamen, quia carnalibus ista loquebatur, adjunxit, dicens

(Vers. 18.) *Et clamabitis in die illa a facie regis, et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.*

16. Qui regem petierant, a facie regis clamant, quando ii, qui agere spiritualem vitam sub bono rectore voverant, ejusdem vitæ relinquere labores tentant. Facie quidem omnes agnoscuntur. Facies ergo regis est cognita conversatio, et eruditio boni prædicatoris. Qui nimirum, quia dura et aspera pro æterna vita agunt, et dura præcipiunt, eorum vitam atque doctrinam carnales subditi non imitari, sed fugere conantur. Faciem quippe regis tunc vident qui regem petierant, cujus aspectum ignorabant; quia in prælato suo cœlestis itineris districtio, quam sit laboriosa, considerant, quam velut rem facilem, ante

quam cognoscerent, appetebant. Tunc a facie regis clamant, qui regem petierunt; quia dum carnalis vitæ deserere [a] morem nolunt, ejus quem sibi præesse voluerunt, optimi pastoris sui laudabilem imitationem effugere nituntur. Et quia cæco corde lucem videre non possunt, ad Dominum clamant, id est, ut evadere spirituale jugum Dei possint, Dominum obsecrant. Sed non exaudit eos Dominus in die illa. Quæ est dies illa, qua reprobi subjecti Dominum obsecrant, nisi intentio vanæ prosperitatis? Non exaudiuntur; quia profecto per divinam gratiam nunquam fit, ut bonis rectoribus semel promissa subjectio, libera egredi ad mundi delectationes possit. Quare et causam subjunxit, dicens :

(Vers. 18.) *Quia petistis vobis regem.*

17. Quasi dicat : Pastoribus spiritalibus promissa subjectio indissolubilis est. Facile quidem vobis regem petitis : sed quia dignitas regia gravis est, eorum potestatem effugere facile non potestis. Hoc quia ad historiam dicimus, notandum esse censemus, quia omnipotens Deus, dum jus regis prædicit, religiosis præpositis formam institutionis impendit. Quare? Ut qui arctissimam conversationis viam imperant, [b] noviter accedentibus facile aditum non impendant. Quare et ejusdem arctissimæ vitæ magister optimus, summæ veritatis discipulus eruditus præcipit, dicens : *Probate spiritus, si ex Deo sint* (*I Joan.* IV, 1). Et item : *Nuntientur ei dura et aspera, per quæ itur ad Deum, ut sciat ad quod intrat.* Prædicat ergo Dominus jus regis, dicat, sciat omnia, quales carnales futuri sunt in ejus observatione : et ut ad vitam virtutis **200** debiles facile non accedant, fortes præpositi facile debiles nequaquam accipiant. Celeritas quidem conversionis plerumque oritur ex præcipitatione consilii, non ex incremento devotionis. Nam cum infirmi fortia promittunt, non est expertum robur animi, sed confusio discretionis. Quos omnes sub unius denotatione sapiens admonet, qui dicit : [c] *Super te onus ne levaveris.* Qui ergo in regularis vitæ forti proposito aliis præsunt, tanto discretius debent ad eamdem vitam conversos recipere, quanto et utilius prænoscendum est, accedentium petitio ex virtute sit animi, an ex præcipitatione voluntatis. Nam qui in suis actibus faciles sunt, solent instanter vitæ spiritalis asperitatem appetere, ut videantur magna animi virtute, quod expetunt, desiderare.

(Vers. 19, 20.) *Noluit autem populus audire vocem Samuelis, et dixerunt : Nequaquam, sed rex erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis.*

Hoc quia superius late expositum est, in eorum exquisitione otiose retinemur. Sequitur :

(Vers. 21.) *Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini.*

18. Audire vocem populi, est quæ sanctæ conversationis habitum petentes, exterius dicant agnoscere. Nam velut solam accedentium vocem audimus, cum scimus quæ exterius asserunt : sed quales inter sponsionis assertiones futuri sint, non videmus. Loqui ergo ea in auribus Domini debemus, ut ipse sponsionis verba suscipiat : qui dum verba audit, corda discutit, et ex textu profectionis, usuras exquirit robusti operis. Hoc namque novitiorum nostrorum mentes audiant, et expavescant : quia videlicet quod nobis dicunt, in auribus Domini loquimur. Nam quod coram nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipse jam de manibus nostris teneat, quod exquirat. Quæ profecto libertas rectoris, est obligatio subditi : quia tanto districtiori sententiæ subditur, quanto apertius scire potest : quia de eo, quod respondet, omnipotenti Deo reddere rationem debet. Cum ergo ea quæ novitii promittunt, Deo offerimus, quasi chirographum, quod nobis faciunt, illi damus. Et quia latenter hoc agitur, in auribus Domini Samuel ea, quæ populus dixerat, locutus fuisse perhibetur. In auribus quippe amicorum loquimur, quando ea quæ dicimus, extraneis celamus. Sequitur :

(Vers. 21.) *Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem eorum, et constitue super eos regem.*

19. Superius propheta futura prospiciens, ait : *Clamabitis ad Dominum, et non exaudiet, quia petistis vobis regem.* Nunc vero Dominus dicit : *Audi vocem eorum, et constitue super eos regem* (*I Reg.* VIII, 18). Quid per hoc nobis ostenditur, nisi quod sæpe bonis rectoribus sanctæ Ecclesiæ divinitus inspiratur, ut cœlestis vitæ studiis eos subdant, qui sub disciplina ejusdem professionis postea devoti non sunt? Qui profecto postea a facie regis clamaturi sunt, et tamen divino præcepto regem recipiunt : quia divinitus inspirantur ad servitutem Dei devote accedere, quos in augmento mercedis æternæ pastorum sollicitudo magni laboris, sub ejusdem servitutis vinculo **201** debeat cohibere. Ad Dominum nempe clamare dicuntur, a facie regis sui : sed quid a Domino missus propheta respondeat, ipsi reges audiant, ut quid agere debeant, inter ipsos clamores sciant. *Non*, inquit, *exaudiet vos.* Ergo nec ipsi exaudiri debent. Qui enim in sanctis monasteriis sunt tepidi, medendi sunt, quasi ægri; non sunt ejiciendi, ut mortui. Nam si a Domino missi sunt, inter spiritualium unguentorum fomenta resipiscent. Dicat ergo Dominus : *Constitue super eos regem :* quia profecto nonnulli ad servitutem Dei veniunt devoti, qui et refrigescere permittuntur, sed pastorum studio, quorum se præcepto subdiderant divina inspiratione, ad amorem

[a] In Vatic. et Guss., *volunt*, quod intentum a Gregorio sensum evertit.

[b] Hæc ex regula S. P. Benedicti, cap. 58 deprompta sunt non solum quoad sensum, sed etiam quoad verba : *Noviter quis veniens ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus : sed sicut ait Apostolus,* probate spiritus si ex Deo sunt, etc. Multa alia ex eadem regula desumpta observavimus in Præfatione.

[c] Fortasse Ecclis. cap. III, 22, ubi legitur *altiora te*, vel *difficiliora te ne quæsieris.* Et in Vers. Arabica, *ne quæras quod vires tuas superet.* Vide supra lib. I, cap. 2, num. 17.

cœlestis patriæ recalescunt. Sed jam qualis pastor ad A quæ sit idoneus, exponit, dicens :

(I Reg. IX, 1, 2.) *Erat vir de Benjamin, nomine Cis, filius Abiel,* [a] *filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini fortis robore. Et erat illi filius vocabulo Saul, electus et bonus, et non erat vir de Israel melior illo, ab humero et sursum eminebat super omnem populum.*

20. Quid est, quod cum rex constituendus ostenditur, patrum nomina prædicantur : nisi quia indigne assumitur ad principatum sanctæ Ecclesiæ, qui sanctorum Patrum in moribus nobilitatem non tenet? Sex autem patrum nomina assignantur, ut sanctæ conversationis eorum in bona actione perfectio designetur. Sex enim diebus mundus conditus est, sex ætatibus consummatur. Sex ergo sunt patres, qui in B genealogiæ ordine electorum pastorum sanctæ Ecclesiæ nominantur : quia nimirum illorum sunt per imitationem filii, qui in forma sequentium culmen obtinent perfectionis. Pater vero regis, Cis, id est durus dicitur : quia profecto ii, quorum sancti prædicatores imitatores sunt, vita et zelo remissi non sunt. Duri namque sunt, quia peccatoribus mollia non loquuntur : duri etiam sunt, quia ut alios bene corrigant, dura quæ illis præcipiunt, in sua conversatione demonstrant. Durus namque videbatur, qui Judæos arguebat, dicens : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis effugere a ventura ira? Facite dignos fructus pœnitentiæ* (*Matth.* III, 7). Sed qui aliis durus erat, sibi remissus non erat. Nam ut pœnitentiæ duritiam, quam prædicabat, Evangelista eum tenere ostenderet, ait : *Habebat* C *vestimentum de pilis camelorum, et zona pellicea cinctus lumbis : esca autem ejus locustæ et mel sylvestre* (*Marc.* I, 6). Ad Ezechiel quoque dicitur : *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem et silicem dedi faciem tuam* (*Ezec.* III, 8). Sed qui tam durus contra duros in malo veniebat, ut dura, quæ ventura erant, locuturus ostenderet, diebus septem in medio eorum, antequam loqueretur, flebat. Sic enim dicit : *Et sedi ubi illi sedebant, et mansi septem dies mœrens in medio eorum.* Quia ergo sancti prædicatores, obstinatis peccatoribus, lenes et mansueti non sunt, et quod asperum prædicant operantur, duri filius Saul recte perhibetur. Illos enim imitari electus prædicator debet, qui et acuta prædicant, et quæ loquuntur, observant. Unde et de eodem regis patre D subjungitur : *Fortis robore.* Sunt nonnulli intra sanctam Ecclesiam, qui elatione sunt, et arrogantia fortes. Nam magna agunt; sed cum laudare homines ea quæ agunt, desinunt, eadem magna ipsi agere prætermittunt. Fortis ergo robore est, qui virtutem, quam monstrat in opere bono, habet a Spiritu sancto. De quo nimirum robore superius (*Ad.* VI, 2) Anna in cantico vaticinata est, dicens : *Infirmi accincti sunt robore.* **202** De hoc Dominus discipulis repromittit, dicens : *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). In hoc robore fortiter *Jesus in virtute spiritus in Galilæam* (*Luc.* IV, 14). Qui ergo durus dicitur, fortis robore perhibetur : quia electi viri, dum summa prædicant, ingentia demonstrant : et omne quod altum præcipiunt, omneque quod magnum agunt, in virtute sancti Spiritus operantur. De quo digne subjungitur : *Et erat ei filius Saul nomine, electus et bonus.* Nam qui talium imitator est, utilis non solum est ad laborem ministerii, sed aptus ad fructum hæreditatis. Electus quippe etiam Judas ad ministerium fuit : sed quia bonus non fuit, jus amisit successionis. Qui ergo in Saul adhuc electo et bono significantur, nisi sanctorum Patrum electi imitatores, qui per doctrinam aliis utiles sunt, et per conversationem sibi : qui sic alios possunt regere, ut sibimetipsis nequaquam desinant providere? Electi namque et boni sunt, quia sic lucra aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur. Pleni quippe in seipsis sunt, effluentes aliis, et de abundantia sui sic aliis tribuunt, ut suæ plenitudinis aliquid non amittant. Habent quæ aliis præbeant, sed habentes quæ sibi possint sufficere, nulli præbent. Sic aliis præbere oleum nituntur, ut a se fomenta luminis non tollantur : ut dum illuminant alios, se non extinguant. Bene ergo electus et bonus dicitur : quia certe, qui sanctæ Ecclesiæ regimen suscipit, dives esse debet, et ornatus donorum spiritalium et plenitudine meritorum. Et quia de communi ordine, qui præcellant, eligendi sunt, sequitur : *Et non erat de filiis Israel melior illo.* Cujus profecto excellentia commendatur, cum subditur : *Ab humero, et sursum eminebat super omnem populum.* Hac quippe specie corporis in persona ordinandi antistitis, præsignantur acta virtutis. Quid enim in humero nisi fortitudo designatur? Sed qui ab humero, et sursum super omnem populum eminebat, tam sublimis staturæ erat, ut qui altior esset in populo, capite usque ad humerum regis pertingeret : futurus vero rex collo et capite altitudinem omnium superaret. Capita vero quæ sunt, nisi subjectæ plebis mentes? Quæ cum valde tenduntur, usque ad humerum ordinandi regis pertingunt? quia is qui ad regendum culmen sanctæ Ecclesiæ quæritur, tantæ debet esse perfectionis, ut quidquid populus de bono opere sibi vult proponere, in sua conversatione debeat demonstrare. Quasi enim regis humerum capita plebis tangunt, quando eorum corda, quidquid virtutis in suo pastore quærunt, inveniunt. Sed rex præcellit collo, præcellit et capite. Quid enim in collo, nisi locutio : quid in capite, nisi mentis contemplatio designatur? Capite ergo et collo subditorum omnium capita excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, et sublimitate doctrinæ. Quasi enim capite sublimis est, cum illa de secretis cœlestibus contemplatur, quæ alii contemplari non possunt. Collum quoque super alios habet, qui altitudine locutionis suæ mirabilis, æquandus ab aliis non est. Quasi enim caput in sublime extulerat, qui dice-

[a] Hæc in Gilot. et Vatic. omittuntur.

bat : *Veniam ad* [a] *visiones et revelationes Domini. Scio hujusmodi hominem sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (*II Cor.* XII, 1, 2). Sed velut electus et bonus rex, ut collum etiam super capita omnia se tenere ostenderet, ait : *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* (*Ibid.*, 4). Quid vero quasi eminens collum ejus miramur in iis, **203** quæ tacuit ? Adæquemus eum, si possumus, in iis quæ dixit. De collo apostoli Pauli processerunt epistolæ ejus, et cum ab illo tempore cœperint eas viri sapientes exponere, adhuc conantur ea quæ dixit melius scire. Cumque quotidie in ejus eruditione proficiunt, quasi ad summitatem colli innitentes, pertingere nequaquam possunt. Emineat ergo rex collo, emineat capite, sit humero sublimis ; ut conversatione perfectus sit, eloquio mirabilis, præ cæteris arduus in arce contemplationis. Sed, qui conversatione magnus est, eloquio præcipuus, præ omnibus contemplatione suspensus, priusquam perveniat ad culmen regiminis, signa exterius habere debet fraternæ charitatis : ut videlicet sic proximorum sollicitudinem habeat, ut ad æternam vitam lucra animarum quærat. Bene ergo in eorum typo subjungitur :

(Vers. 3, 4.) *Perierant autem asinæ Cis, patris Saul : et dixit Cis ad Saul filium suum : Tolle tecum unum de pueris, et surgens vade, et quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant, et per terram Jemini, et minime reperere.*

21. Cis, qui durus dicitur, non solum electos ejus, sed ipsum etiam Redemptorem significat. Nemo enim sibi eo durior exstitit. Hujus namque duritiæ asperitatem propheta insinuans, ait : *Vere languores nostres ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII, 4). Mori enim mortalibus non est pati, passibiles damnatæ naturæ. Ille ergo sibi durus vehementer exstitit, qui in se unde pateretur, non habuit : sed ut nos patiendo liberaret, in quo sibi durus esset, et pati posset dignanter assumpsit. Asinæ Cis sunt animæ peccatrices (*I Reg.* X). Quia etiam in fide Redemptoris regeneratæ sunt, duræ esse dicuntur : perditæ autem asinæ, quia per immunditiam ab ejus sunt servitio separatæ. Hinc est enim, quod ad passionem tendens, absolutæ asinæ, et pullo insedit (*Matth.* XXI, 7) ; ut patenter ostenderet, quia ad hoc pati venerat, ut peccatoribus subveniret. Pereuntes namque asinas se quærere fatebatur, cum dicebat : *Venit filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). Has asinas et per semetipsum quæsivit, et adhuc prædicatores ad quærendum mittit. Dicit ergo Cis filio suo, ut asinas quærat, quando electorum cordibus spirituali inspiratione Redemptor imperat, ut in prædicationis ministerium pergant. In prædicationis autem officio pergentes, quia solum spiritalem sensum secum debent ducere, unum de pueris tollere [b] jubentur. Unum namque puerum tollit, qui dum ad præbendum aliis formam vivendi pergit, in omne quod agit spiritualis est. Unum namque de pueris tulit, de quo prædictum est : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* I, 17). Unum puerum secum tulerat, qui ait : *Non habemus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est* (*I Cor.* II, 12). Hinc iterum dicit : *Nos sensum Christi habemus* (*Ibid.*, 16). Hinc per Ezechielem de sanctis animalibus dicitur : *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur* (*Ezec.* I, 12). Quærens ergo asinas, unum de pueris tollit : quando is, qui noviter animarum lucra quærere incipit, quæ agere putat, omnia spiritaliter agere disponit. Invenire autem asinas, est peccatores in luce sanctitatis conversos aspicere. Nam velut perditæ asinæ non inveniuntur, quando in peccatorum tenebris, reproba corda se obruunt.

22. Et quia per quinque sensus corporis ad easdem peccatorum tenebras decidunt, quinque regionibus **204** non inveniendæ perquiruntur, videlicet monte Ephraim, terra Salisa, et Salim, et viri Gemini, et Zuph. Unusquisque etenim ubi per peccatum projicitur, ibi occultatur ; et quasi perditus, ubi sit nescitur, quando justitiæ lucem, in qua eum Deus posuit, derelinquit. Hinc est, quod in paradiso post peccatum, primum hominem quærit, dicens : *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 9) ? Quasi dicat : Quia te in luce qua posui non invenio, demonstra te ubi posuisti. Hinc de mortuo Lazaro exquirit, dicens : *Ubi posuistis eum* (*Joan.* XI, 34) ? Sed quem quasi perditum quærebat, ut inveniret progredi imperabat, dicens : *Lazare, veni foras.* Perditur ergo homo, cum peccat : invenitur, cum peccatum adversum se, jam pœnitendo pronuntiat. Quia enim per sacra eloquia peccatori præcipitur : *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isa.* XLIII, 26, *sec. LXX*) : dum ille, qui peccavit, confitendo justificari incipit, in luce jam cernitur, ubi jam positus invenitur. Saul autem, qui asinas quærens, non invenit, eruditi quidem prædicatoris personam designat, sed noviter incipientis. Quem profecto omnipotens Deus prædicationis fructum afferre non patitur, ne vilem peccatorum conversionem æstimet, dum leviter convertere eos ad Dominum potest. Differtur ergo conversio, ut conversi diligantur : et eos prædicator tanto amplius amet, quanto clarius videt, quia eos lucrari cito non prævalet. Sed dum sancti viri de prædicatione sua alios convertere non possunt, de se vehementer timere incipiunt : ne inde omnipotenti Deo displiceant, unde se ei vehementer placere cogitabant : et plerumque agitur, ut sic novorum prædicatorum corda terreantur, ut jam proponant ejusdem prædicationis officium deserere, et Deo per silentium vacare. Quare et subditur :

(Vers. 5.) *Cum autem venisset in terram Zuph, et non invenisset, dixit Saul ad puerum suum : Veni, revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis.*

23. Ad patrem reverti deliberat, qui postposita intentione prædicationis, Deo vacare appetit in secreto silentii. Reverti quidem dicitur, qui missus ante

[a] Alii editi corrupte, *ad divisiones gratiarum et revel*

[b] Gilot et Vatic., *jubetur.*

perhibetur. Quasi enim coram patre sunt filii, quando electi viri immorantur in secreta contemplatione Redemptoris. Revertuntur itaque, quando a publico sanctæ prædicationis veniunt ad rimanda gaudia æternæ claritatis. Sed quia sancti viri nihil agunt inconsulti, Saul de reversione ad patrem puerum consuluit. Tunc namque puerum consulimus, quando intenta mente providemus, ut quod tentamus disponere, a spirituali sensu non debeat differre. Ad patrem quippe reverti disposuerat, qui dicebat: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator contra me* (*Psal.* XXXVIII, 1, 2). Adversus prædicatores peccator consistit, quando ad prædicationem eorum, statum suæ iniquitatis non deserit. Et quia tunc prædicator ei silere, et Deo vacare proponit, ut ad patrem redeat, obmutescit. Sed quia per silentium voluntatem Dei melius didicit, cor ejus concaluit, et exardescente igne internæ meditationis, locutus est. Quod in hoc etiam loco ostenditur, quia consultus puer, consulenti se consilium impendit, dicens:

(Vers. 6.) *Ecce est vir Dei in civitate hac, vir nobilis, omne quod loquitur absque ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra propter quam venimus.*

205 24. Virum Dei Samuelem dicit, in quo prædicatores sanctæ Ecclesiæ designari jam diximus. Qui vir quidem dicitur, pro reverentia sanctæ conversationis, et omne quod loquitur, absque ambiguitate venire perhibetur: quia quidquid minatur de æternis suppliciis, quidquid de æterna lætitia promittit justis, ita ut denuntiat, et impii abibunt ad pœnam, et electi ad gloriam. Qui etiam in civitate esse perhibetur: quia electus pastor in communi subjectæ plebis custodia, semper vigilare cognoscitur. In civitate est pastor, quia cum custodit alios, in se munitus est. Unde et per prophetam in omnium virorum Dei laudibus, sub unius descriptione dicitur: *In excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas ejus* (*Isa.* XXXIII, 16). Nam quo altius in æternorum civium visione suspenditur, eo et sibi fortior, et proximis utilior invenitur.

25. Nobilis etiam dicitur: quia superna conversatione conspicuus est, et de mundanæ vitæ rusticitate nihil habet. Inde enim nobilis cernitur, unde civis. Sæcularium quippe hominum, quia nulla est morum compositio, quasi in exterioribus locis nutriti, rustici sunt. Ex consueta namque animi inhonestate, turpes proferunt motus corporis; et velut valde degeneres, urbanæ consuetudinis gestum nesciunt, dum per omne quod agunt, vitæ suæ speciem vilitate terrenæ obscuritatis operiunt. Quo contra viri Dei nobiles sunt, qui dum fortiter ea, quæ divina sunt, agunt, in omni suo opere, superna luce resplendent: et nihil degenerositatis habent, qui in magna luce omnis suæ conversationis radios proferunt cœlestis originis. Ad hoc ergo a puero Saul ducitur, ut instruatur: quia qui in arce prælationis ponendi sunt, A spirituali sensui perfectorum prædicatorum magisterio subjici monentur. Ab hoc puero nos duci admonet, qui dicit: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege* (*Gal.* v, 18). Quærendum vero est, cur dubitative dicatur: *Si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.* Sed quia spiritualia discere appetit, quia ingentia dona gestit accipere: utrum eisdem donis sit dignus, scire non potest. Dubitare ergo incipit, qui tam magna promereri se suis meritis non præsumit. Quæ nimirum dubitatio electis oritur ex virtute humilitatis. Quare et comitantis pueri voce Sauli dicitur: *Si forte indicet nobis de via nostra.* Quia nimirum spiritualis sensus non alta nobis sapere suggerit, non audacter de omnipotenti Deo præsumere, sed ejus dona cum summa sancti timoris reve- B rentia postulare. Merito ergo puer dicitur, qui humilia semper docere prædicatur. Dum ergo dicit: *Eamus illuc*, et repente subjungit: *Si forte indicet de via nostra*, aperte indicat, quia in sensu electorum Dei spiritus operetur, dum ad spiritualia dona expetenda, et devote eos facit accedere, et de largitoris omnipotentia magna cum reverentia formidare. Unde et qui a spiritu ducitur, inopiam meritorum suorum respicere perhibetur, cum subditur:

(Vers. 7.) *Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus, quid feremus ad virum? Panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud.*

26. Habent proprium mentes humilium, ut spiritualia dona habeant, sed in iis quæ habent, se non C attendant. Quia enim a Spiritu sancto virtutum dona percipiunt, ideo sanctus spiritus, qui dona tribuit, ea eis ab æstimatione tollit, ut in virtute conversationis hæc habeant, in tumore elationis **206** non habeant. Bene ergo de Saule dicitur: *Ab humero et sursum eminebat super omnem populum. Et dixit ad puerum suum: Panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus*: quia electi viri, et ad disponendum sanctæ Ecclesiæ culmen idonei, in eo etiam se per humilitatem parvos aspiciunt, in quo per virtutem magni sunt. Et panem quidem ad refectionem fidelium animarum habent in sapientia verbi, sportulam vero in memoria internæ meditationis. Cum enim ea quæ in secreta meditatione colligunt, servant in memoria ad eruditionem fidelium, velut panem in sportula reponunt. De his enim sportis in D Evangelio dicitur: *Impleverunt septem sportas de fragmentis* (*Matth.* XV, 37; *Marc.* VIII, 8). Cum in mensa Domini panes abundant, sportæ impleri præcipiuntur: quia cum electi anima in superna Redemptoris contemplatione reficitur, in eadem contemplatione veritatis eruditur, ut verbi alimonia, quæ in se excrescere cernitur, in memoria ad eruditionem fidelium reponatur. Aliud etiam præter panem et sportulam abundanter habent, qui cum virtute contemplationis, et doctrina verbi, abundant copia sanctæ operationis. Ut ergo humilitas sanctorum in ordinandi regis locutione resonet, dicit: *Panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus, ut demus*

homini Dei, nec quidquam aliud : quia sanctus spiritus eos, qui ad ecclesiastici culminis regimen præparantur, magnos facit in virtute interni muneris, sed omnino parvos in respectu propriæ æstimationis. Dicat ergo puer : *Eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra.* Saul autem vacuum se inspiciat : quia Spiritus sanctus dum sensus honeste viventium instruit, audaces modo, modo timidos reddit. Audaces quidem, ut præsumant : timidos, ne superbiant. Impellit, ut necessaria postulent : retrahit, ne nimis præsumendo, vitium incurrant temeritatis. Et quia quos pavidos facit, per robur fiduciæ ad præsumendum erigit, repente subinfertur : Rursus itaque puer Sauli respondit, et ait :

(Vers. 8.) *Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, et indicet nobis de via nostra.*

27. Quasi puer bona loquitur sensus electi hominis, quando ad loquendum impellitur, nutu Spiritus sancti. Quid est ergo, quod dicit : *Inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti?* Quæ est ista pars stateris argenti? Sed quia argenti nomine divina eloquia designantur, argentum in manu pueri, est sermo divinus in virtute sciendi. Sermonem quidem aliud est posse dicere, aliud est posse sentire. Nam divina eloquia etiam reprobi eloquuntur, sentire autem nisi electi [a] non possunt. Sentitur etenim ea res, cujus virtus agnoscitur. Nam et ægri pisces comedunt, sed vis ægritudinis tollit eis experimentum saporis : ut quod videntur comedere, prohibeantur et sentire. Sic sic nimirum carnales quique dum cœlestia loquuntur, quæ non diligunt, velut ægri rebus utuntur, quas sentire prohibentur. In manu ergo pueri argentum invenitur, quando per humilitatis meritum sancti viri, cœlestia quæ loquuntur, in magno affectu charitatis excipiunt : ut valde dulce sit eis superna dicere, eo quod dulciter, ac valde dulcius per amorem saturantur. Unde etiam scriptum est : *Edent pauperes, et saturabuntur* (*Psal.* XXI, 27). Quia enim cibus animæ est sermo Dei : pauperes edunt et saturantur, divites saturari non possunt : quia nimirum electi viri, **207** qui superna diligunt, quoties hæc audiunt, ad hæc ferventius incalescunt; reprobi superna loquuntur, et audiunt, quæ in nulla dulcedine, ad mentis suæ refectionem suscipiunt. Quarta vero pars stateris argenti dicitur, pro qualitate temporis. Nam ut alias partes hujus stateris videamus, prophetæ, apostoli, martyres intuendi sunt. Quia enim pro qualitate temporis, singulis ordinibus distributa est sonoritas prædicationis, velut singuli quartam partem stateris habuere. Quartam ergo partem stateris illi exhibuerunt, cum Synagogæ adventum Redemptoris promitterent. Apostoli partem suam dederunt, cum Judæis eum, qui promissus fuerat, jam venisse prædicarent. Martyres etiam partem suam tribuerunt, cum infideles ad fidem Redemptoris adducerent. Quarta ergo pars stateris remansisse cognoscitur : quia per episcopos et doctores sanctæ Ecclesiæ, verbum fidei usque ad mundi finem electis fidelibus exhibetur. Sed ab his verbum fidei bene prædicatur, quibus per manus pueri subministratur, quia nimirum illi debent superna prædicare, qui in mentis suæ dulcedine meruerunt eorum suavitatem cognoscere. Hæc namque pars stateris datur, ut viam quis rectæ prædicationis plenius mereatur agnoscere : quia summi doctores sanctæ Ecclesiæ auctoritatem prædicationis aliis committunt, nisi eis, quos sciunt cœlestia diligere, quæ loquuntur. Quibus verbis simpliciores ad litteram admonendi sunt, ut in viro Dei pravitatem avaritiæ suspicari non audeant, per hoc quod dicitur : *Ut demus homini Dei, et indicet nobis de via nostra.* Nam si propheta venalem sermonem haberet, homo Dei non esset, et ipsius prophetiæ spiritum habere nequaquam posset. Hoc ergo cum dicitur, non exponuntur mores hominis Dei, sed devotio accedentis : quia in magna eum Saul habebat veneratione, in cujus conspectu apparere vacuus erubescebat. Et quia ad ejusdem viri Dei venerationem eos fama celebris invitabat, adjungit :

(Vers. 9.) *Vocabatur enim Videns.*

28. Vocari etenim, est publica relatione dici. Videns autem est qui interna etiam respicit, quæ mens carnalium non attendit. Unde et de sanctis animalibus dicitur : *In circuitu et intus plena erant oculis.* Qui in exterioribus circumspecti, et intrinsecus providi sunt. Quo contra carnalium doctorum præsumptionem in Evangelio Dominus arguens, ait : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV, 14). Videns etiam dicitur, cui remota et absentia, præsentia sunt. Quod sanctis prædicatoribus bene convenit, qui per cognitionem tanto sunt præsentes spiritalibus, quanto in exterioribus intentionem figere dedignantur. Velut enim occulta patentia, et remota præsentia habent, qui ea, quæ carnales scire nequeunt, semper intelligunt. Talis namque esse pastor sanctæ Ecclesiæ debet : quia in via cœlestis patriæ ad præbendum lumen subditis constitutus est. Semper ergo spargat radios lucis, ut fideles subjecti ex illuminationis suæ experientia, alios ad illuminationem trahant. Sequitur, et dicit :

(Vers. 9.) *Olim sic loquebatur in Israel unusquisque vadens consulere Deum : Venite, eamus ad Videntem.*

29. Dominum imus consulere, quando ad eruditos prædicatores pergimus, ut salutis nostræ consilium inveniamus. Sed quia modo tam perfectorum virorum raritas est, dum antiquorum temporum florem religionis attendimus, defectum ejus **208** in præsenti tempore defleamus. De miseria præsentis temporis et calamitate compuncti, florem elapsi temporis cum pulchritudine sanctitatis emarcuisse suspiremus. Dum ergo pastores Ecclesiarum cernimus terrenis inhærere, labentia quærere, nulla spiritalis vitæ insignia proferre, dum nulla nobis prælatorum nostrorum lux infunditur, ad laborem compunctionis illa, quæ præierunt, memorantes, dicamus : *Olim sic loquebatur in Israel unusquisque vadens consulere Dominum : Venite,*

[a] Deest negatio in Gilot. et Vatic.

eamus ad Videntem. Israel dicitur videns Deum, sive in quo est Deus. Quod certe nomen sanctæ Ecclesiæ convenienter aptatur, cujus populus dicitur. Nam et in Evangelio dicitur : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Quæ nimirum, quia in priori tempore pastores habuit spiritali conversatione floridos, magna scientia eruditos, qui magno despectu terrena vilipenderent, cœlestia cogitarent : ad lumen, quod in eis videbat populus, se invicem exhortari poterant, dicentes : *Eamus ad Videntem.* Si ergo eundum est ad videntes, pariter est divertendum a cæcis : quia reproborum prælatorum exempla non debemus imitari, sed fugere : ab eis autem, qui conversationis merito spiritualia cognoscunt, semper ædificationis nostræ eruditionem postulare. Et quia hoc non nisi viri spiritales faciunt, sequitur :

(Vers. 10.) *Et dixit Saul ad puerum suum : Optimus sermo tuus; veni, eamus.*

30. Optimus sermo est, quo melior audiri nequaquam potest. Quoties nobis ergo salutis nostræ consilia spiritaliter suggeruntur, intus nobis sermo fit, quo melior inveniri non possit. Pueri ergo sermonem laudamus, quoties nobis in spiritualis sensus nostri proposito complacemus. Et cum eo ire promittimus, quando spiritualibus cogitationibus consentimus. Sed quia tunc fructuosa est bona cogitatio, quando in operatione perficitur, sequitur :

(Vers. 10, 11.) *Et venerunt in civitatem, in qua erat vir Dei : Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt ad eas : Nunquid hic est Videns?*

31. Qui virum Dei quærunt, in civitatem veniunt : quia plerumque fit, ut vita atque doctrina prælati in subditorum conversatione requiratur. Sic nimirum et arbores sæpe requiruntur, quarum species non in foliis, sed in fructu inveniuntur. Plerumque autem suborta fruteta magnis arboribus admiscentur, et fructus suos earum arborum, quibus sunt mixtæ, esse mentiuntur. Qui ergo fructum discernere vult, prius discernat et ramos : ut ex qua arbore fructus procedat, agnoscat. Sic sic nimirum est in conversatione fidelium : quia in electa plebe boni prædicatoris, dum plures mali admixti sunt, velut intra bonas arbores spinæ oriuntur. Conversatio itaque electi prædicatoris non est exploranda in omnibus subditis, sed in solis electis. Tunc quidem velut ramos bonæ arboris cum discretione secernimus, quando in plebe rectores illos velut electa poma imitamur, qui magistri sui exemplo proficiunt : et illos velut vepres fugimus, qui antiqui hostis fraude reprobantur. Bene ergo de Saul, et ejus puero dicitur : quia venerunt in civitatem, et clivum ejusdem civitatis ascenderunt; quia nimirum perfectio sanctorum virorum cum in subditis quæritur, non imperfecta membra, sed electa atque perfecta requirenda sunt. Nam et artifices opera sua prius inchoant, deinde comunt. **209** Pictor etiam cum pulchros colores, aut aurum superducere appetit, prius viliorem colorem sternit. Qui ergo judicare de peritia artificum vult, non inchoata eorum opera, sed perfecta respiciat. Clivum ergo civitatis ascendat, ut qui invenire appetit Videntem, reperiat. Clivus enim infimus et defossus locus est. In qua nimirum parte civitatis illi signantur, qui adhuc in altiorem conversationem minime profecere. Clivum ergo ascendimus, cum planitiem infirmorum auditorum ad exemplum nobis proponere vitamus.

32. Et tunc quidem puellas egredientes ad hauriendam aquam invenimus : quia pulchritudinem sanctarum mentium in perfectiori conversatione respicimus. Puellæ quidem sunt mentes electorum, integræ per innocentiam, decoræ per virtutum claritatem. Et quia in secretiori vita pulchritudinem suam conservant, videri nequeunt, nisi cum ad hauriendam aquam egrediuntur. Puellæ aquam hauriunt, quando electæ animæ ex profundo dolore præsentis exsilii fluenta lacrymarum fundunt. Haurire quidem aquam dicuntur : quia dum se projectas in hac valle lacrymarum lugentes memorant, quasi ad profundum, funem cogitationis mittunt, a quo cum labore aquas lacrymarum trahunt. Tunc etiam egressæ videntur : quia quæ quales sunt intus latent, apparent tamen in oculis; et quantum diligant Conditorem, indicant, quæ in tanto dolore præsentis sæculi vitam sustinent. Ab istis ergo quærendum est : *Ubi est Videns?* Quia locus perfectorum tunc bene cognoscitur, cum ab eis nobis ostenditur, qui per profectum vitæ eorum conversationi vicini sunt. Sed habent prædicatores loca diversa. Alium quippe locum habent pro se, alium pro subditis : quia nimirum in seipsis in altissima contemplatione morantur, pro subditis ad doctrinæ montem descendunt. Per contemplationem velut in cœlo sunt; et quia alta sunt quæ docent, et descendunt cum docent, et sublimia loquentes in alto se retinent. Perfectiores igitur auditores vicini suo rectori sunt, non cum in summa contemplatione est, sed in inferiori monte doctrinæ. Quare et puellæ respondentes dicunt :

(Vers. 12.) *Hic est, ecce ante te : hodie enim venit in civitatem.*

33. Quasi dicant : Ideo locum ejus indicare possumus, quia illuc venit, ubi eum videre solebamus. Nam si in suæ sublimitatis arce resideret, eum tibi nemo ostenderet. In civitate etenim doctor est, quando per ministerium prædicationis moratur in eruditione populi subjecti. In civitate est doctor, quando relinquit propria, ut communia disponat. Quia enim boni prædicatoris plebes [a] per ejus exhortationem munitæ ac fortes sunt, quando in eorum ministerio moratur, in civitate esse cognoscitur. Item quia in subjectæ plebis multitudine alii simplices, alii sapientes sunt, puellæ subjungunt :

(Vers. 12, 13.) *Festina nunc, hodie venit in civitatem : quia sacrificium est populi in excelso. Ingre-*

[a] Gilot. et Vatic., *per eorum.*

dientes autem statim invenietis eum, antequam ascendat in excelsum, ad vescendum. Neque enim comesturus est populus, donec ille veniat : quia ipse benedicet hostiæ, et deinde comedent, qui vocati sunt.

34. Cum in civitatem venit Samuel, in excelsum ascendit : quia electus prædicator in eruditione subditorum, modo plana verba, modo alta pronuntiat. Quando igitur plana et intelligibilia præcipit, **210** in civitate est ; quando sublimia, et quæ vix intelliguntur, in excelso. In civitate est, quando simplicibus proponit exempla : in excelso autem, quando perfectis verborum spiritualium alta pronuntiat. Quasi enim in civitate erat, qui dicebat : *Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). Item in civitate erat, quando infirmis remedia demonstrabat, dicens : *Propter fornicationem vir suam uxorem habeat, et uxor suum virum habeat* (*Ibid.*, 7). Sed in excelsum ascendit, quia non multo post subdit : *De virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do. Vellem omnes homines esse sicut meipsum* (*Ibid.*, 8). In excelsum etiam verborum se sæpe ascendere fatetur, quia dicit : *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*Ibid.*, 6).

35. Quid est ergo, quod dicunt puellæ : *Festina nunc, hodie venit in civitatem*, nisi quia raro videbatur in civitate, videlicet tarde veniens, cito recedens? Quo nimirum magisterio sanctæ Ecclesiæ doctor instruitur, ut videlicet raro sit in publico, frequens in secreto : ut quo tardius aspicitur, devotius veneretur. Tunc quidem quasi cœlestis excipitur ; quia quo amplius in secreto contemplationis latuit, verbi Dei thesauros ad eos, qui se exspectant, ditiores trahit. Ille enim potest multa bona in infimis dicere, cui per secretum mentis intuitum conceditur summa videre. Et quia dulcius videntur illa quæ dicuntur, puellæ dicunt : *Festina*. Quasi dicant : si id, pro quo in civitate venit, expleverit, videre in secreto suo repositum non potestis.

36. Quod profecto verbum [a] jam litteram non ad verbum, sed exemplum religiosorum est. Nam sanctus vir tantæ erat districtionis, ut statutas dies et horas haberet, in quibus eum, qui cuperet, videre potuisset. Dicunt ergo : *Festina*. Ac si dicant : Si statutum tempus transierit, in horis suæ quietis, verbis, aut actionibus non intendit. Qui ergo remotæ vitæ ordinem sumpsimus, hoc observare attentius debemus. Statuendæ sunt nobis horæ ministerii, ut breviter persistamus in opere, festinanter redire valeamus ad contemplationis arcem. Ipsæ autem secreti silentii nostri moræ, tanta lege districtionis custodiendæ sunt, ut ipsi etiam, qui accedere solent, sciant, quia contra propositum nostrum ad nos accessum non habeant.

37. Quia vero hæc spiritualiter explanare cœpimus, contra simplices hoc dici convenienter intelligi potest. In civitate quippe is, qui videtur extraneus, Samuelem alloqui posse putatur, in excelso autem non putatur : quia quos simplices esse credimus, plana, non alta eruditione eos indigere existimamus. Tunc ergo prædicatores sanctos audire debent, quando plana simplicibus loquuntur, quæ intelligunt : non quando dicunt alta, quæ intelligere nequaquam possunt. Dicunt ergo : *Festina nunc, hodie venit in civitatem : quia sacrificium est populi in excelso.* Quod tale est, ac si dicat : Quia multi sunt, qui summa audire desiderant, nunc tu debes festinare, quando ille similes tui simplices videtur instruere. Sacrificium quidem populi est devotio electæ plebis. Quæ nimirum devotio, quia verbo prædicationis in electorum cordibus excitatur, quasi a Samuele perficitur. In excelso est autem sacrificium populi, quando corda fidelium subditorum alta verba sanctæ prædicationis devote audire concupiscunt. Unde et apte dicitur : *Quia populus non comedit, nisi prius Samuel hostiæ benedixerit :* **211** quia perfectiores auditores, dum ad summam virtutum perfectionem pervenire desiderant, verbum scientiæ, per quod ad desiderata perveniant, in magno desiderio exspectant. Quo in loco notandum est, quia oblatum sacrificium nondum erat, et tamen dicit : *Sacrificium est populi in excelso.* Si enim sacrificium antequam offerri incipiat, non est, quomodo erat sacrificium, quod non erat? Sed quia nos spiritalia sequimur, nondum erat sacrificium, et erat : quia cum electi fideles altius erudiri appetunt, jam quidem magnam devotionem audiendi habent, quam, post auditam prædicationem, valde majorem habent. Non est ergo adhuc oblatum sacrificium : quia illa magnitudo devotionis, quæ nascitur in corde electi de verbo prædicationis, ante prædicatoris verbum in corde non est. Et est quidem in excelso sacrificium : quia de exspectatione verbi, magna jam est in corde audire volentis vis devotionis. Quare et bene dicitur : *Quia populus non comedit, donec ille hostiæ benedicat.* Quia enim summa inhianter diligunt, donec eadem summa percipiunt, non quiescunt. Si enim hostia mentis, ejus devotio est : hostiæ benedicitur, quando ad vocem prædicationis sanctificatur, ut quo purior efficitur, divina susceptione acceptior habeatur. Quod enim in Dei sacrificio benedicitur, mundum quidem est cum offertur, et materiale : oblatum vero tanto est mundius, quanto non solum materiale, sed spirituale : quanto non solum mundum, sed etiam mundans est. Hostiarum quippe oblationibus mundari peccata quis dubitet? Sic namque, sic est mentis devotio : nam cum bona audire gestit, munda est ; sed cum sanctæ prædicationis accepta et benedicta manibus fuerit, tanto ardentior et sacratior redditur, quanto clarius didicit, quem amare dulcius notum possit. Munda quidem ante, velut præparatio sacrificii fuerat, quæ bonum nosse cupiebat, et tamen materialis erat apparatus : quia nondum novit, quæ discere appetit, sed munda valde et spiritalis, cum jam doctrinæ sanctificata vocibus, non jam appetit audire, quod sciat, sed audita delectatur experiri, quæ amat. Tunc etiam non solum munda est hostia, sed mundans : quia

[a] Forte leg., *jam ad litteram non verbum*, etc.

quo ferventiori cœlestium amore succenditur, ab ea negligentiæ carnalis tenebræ potentius effugantur. Scriptum quippe est : *Quia charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV, 8) : quia nimirum carnalia nostra destruimus, cum ardenti devotione ad cœlestia sublevamur.

38. Et quia subditur : *Et tunc comedent, qui vocati sunt.* Quid aliud designat, nisi quia devotionis affectus mentis est cibus? Tunc namque comedemus, cum hostiæ benedicitur : quia cum ad prædicatorum vocem devotio nostra in amorem Conditoris extollitur, anima, quæ ad dulcedinem Conditoris pervenit, habet jam cibum suum. Tunc ergo comedunt, qui ante benedictionem hostiæ comedere noluerunt. Nam qui summa intentionis exspectatione ad divinæ dulcedinis perceptionem se præparant, dum mala desideria per appetitum nulla recipiunt, velut jejuni, refectione devotionis avidius replentur. Velut enim benedictionem hostiæ ad refectionem exspectant, qui cuncta illicita desideria fugiunt, ut de visione internæ gloriæ per devotionem satientur. Scriptum quippe est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Qui enim in corde inepta non recipit, dum superna desiderat, mundus corde est : et dum per bonum prædicationis ad divinæ contemplationis dulcedinem ducitur, **212** quasi benedictionem hostiæ habet in animæ saturitate. Dicit ergo : *Deinde comedent, qui vocati sunt.* Jejuni quippe vocantur ad comestionem, dum prædicator foris loquitur, qui a pravis desideriis mentem custodiunt, et per gratiam Spiritus sancti ad internæ dulcedinis experientiam trahuntur. Vocati enim tunc erant invitati, qui venerant. Vocati ergo jejuni tunc comedunt, quando hi spiritualis gratiæ devotione pascuntur, qui ad eam percipiendam se magna mentis suæ custodia paraverunt. Quid vero est quod dicunt :

(Vers. 13.) *Ascendite, quia hodie reperietis eum?*

39. Sed dum electi bona prædicatorum laudant, auditorum corda magna luce irradiant. Cœlestis namque illa conversatio boni doctoris, quam prædicant, dies est. Dicant ergo : *Hodie reperietis eum.* Eo namque die prædicator invenitur, quando non est minor vita, quam fama : quando electorum voce laudatur, sed qui laudes audiunt, omne quod audiunt, in ejus laudabili conversatione inveniunt, atque cognoscunt. Quo contra Pharisæos increpans Dominus, ait : *Væ vobis, Scribæ, et Pharisæi, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris videntur hominibus pulchra, intus autem plena sunt ossibus mortuorum* (*Matth.* XXIII, 27). Hinc iterum vane gloriosos infidelibus comparat, dicens : *Quomodo potestis credere, gloriam ab hominibus accipientes* (*Joan.* v, 44)? In die quidem laudantur, qui ejusmodi sunt, sed eo die non reperiuntur : quia qui eorum laudes audiunt, quasi candorem sepulcri a foris aspiciunt ; sed cum laudatas virtutes quærunt, intus peccatorum noctem quasi tristia atque putentia mortuorum ossa inveniunt. Dicant ergo, pro significanda vera gloria justi : *Hodie reperietis eum :* quia cum justi laudantur, in veritate conversationis habent, quidquid lucidum emicat de eis voce laudis. Et quia tanti viri festina devotione quærendi sunt, sequitur :

(Vers. 14.) *Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel, egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum.*

40. Cum sanctorum virorum præconia audimus, in civitate ascendimus : quia illic eos quærimus, ubi descendunt, non ubi sunt. Sed, ut superius dixi, prædicatorum locus, quem pro se habent, secreta divinitatis contemplatio est : locus autem pro subditis, prædicatio. Aliquando vero plana, aliquando alta loquuntur. Habent ergo communem locum pro omnibus, habent sublimem specialemque pro quibusdam, habent secretum pro se. Hæc nimirum tria spiritualia loca signantur : quia Samuel egredi dicitur, et apparere in medio urbis, et ascendere in excelsum. Nam qui, ut appareret, egressus est, erat ubi, antequam appareret, latuisset. Egrediuntur ergo sacerdotes, quando a secreto meditationis ad prædicandum veniunt. In civitate apparent, quando planiora, id est ad agendum, vel ad intelligendum dicunt. In excelsum ascendunt, quando sapientibus aut fortia præcipiunt operis, aut revelant alta mysterii. Ordinatus ergo ascensus noster ostenditur, per hoc, quod Saul in civitate ascendere perhibetur. Nam nobis Pastorum nostrorum loca, in quibus orare, aut secreti esse consueverunt, veneranda, non adeunda sunt. Quod non solum exemplo, sed etiam divina cohortatione cognoscere possumus. In Cantico quidem canticorum sponsus denuntiat, dicens : *Obsecro vos, filiæ Jerusalem, ne evigilare faciatis dilectam, quousque ipsa velit* (*Cant.* III, 5). Mentes enim perfectorum sponsæ sunt : quia dum secreto divini amoris se velut **213** in thalamo collocant, ibi per visionem inveniunt, cui ineffabili amore junguntur. Cum ergo sponsa dormit in thalamo, conjungitur sponso : quia dum electa prædicatoris anima in secreta contemplatione reconditur, quasi in sponsi thalamo collocatur. Qui ergo hanc suscitat, sponso tollit : quia nimirum requies electæ animæ non solum sua, sed etiam delectatio sponsi est. Unde et per prophetam dicitur : *Gaudebit sponsus super sponsam* (*Isai.* LXII, 5). Merito ergo Jerusalem filias sponsus adjurat, ut ab eis sponsa, quandiu dormire voluerit, non excitetur : ne, dum illa surgit a quiete thalami, ipse perfruitionem perdat amoris. Egressus ergo Samuelis exspectetur, quia viri sancti in secreto sui silentii venerandi sunt, inquietandi non sunt. In civitate igitur ascendendum est ; quia electus doctor in communi loco doctrinæ tanto lucro suis videtur, quanto ut prosit, exire cognoscitur. Quo in loco notandum, quia de Samuele non dicitur : Hodie ascendit in civitate, sed, *hodie venit in civitatem :* de Saule autem, et puero : non venerunt, sed *ascenderunt*, dicitur. Ille enim velut per planum venit, iste velut in alta conscendit. Quid aliud per hoc nobis ostenditur, nisi quia plana quæ loquuntur prædicatores, nobis plana non sunt? In civitate ergo non venimus, sed ascendimus, quando aut plana præ-

dicationis difficulter aspicimus, aut parva, quæ præcipimur, cum labore portamus. Sed quia stare in civitate, munitum esse est, idcirco ascendimus; quia cum nos summi viri parva bona agere docent, malignorum spirituum consiliis acquiescere vehementer prohibent. Et quia valde laboriosum est, omnia tentamenta vincere, ad verba doctorum, quæ hoc nobis præcipiunt, quasi per ascensus laborem conamur pervenire. Sed quia scriptum est, quod Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem (quod nimirum non solum de æterna retributione accipitur, sed etiam de præsenti) omnipotens Deus pro merito operis, electis suis tribuit augmenta virtutis (*I Cor.* III, 8). Nam et Abrahæ filio non parcenti dicitur: *Per memetipsum juravi: quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio propter me: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum* (*Gen.* XXII, 16). Plerumque enim, qui fideliter laborant, in faciendis iis quæ sciunt, per divinam gratiam majora, quæ agant, cognoscere merentur. In quorum typo bene Saul in civitate prius ascendere dicitur, in excelsum postea a Samuele ductus perhibetur. Verum obviam venire, est per eamdem viam venienti occurrere. Cum ergo a sanctis prædicatoribus salutis viam discere volumus, nobis quidem obviam veniunt, quando cum verbo salutis, quod quærimus, occurrunt. Quasi enim eadem via veniunt, cum id nos docere festinant, quod nos proposuimus discere. Hoc profecto morale est omnium: si enim ea quæ spiritualiter quibusdam competunt, indagamus, obviam venit; quia ordinandum regem ad se venire præcognoscit. Unde autem cognoscat, adjungitur:

(Vers. 15, 16.) *Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem, quam veniret Saul, dicens: Hac ipsa, quæ nunc est, hora, cras mittam ad te virum de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israel, et salvabit populum meum de manu Philisthiim.*

41. Exlit ergo ei obviam, ut in excelsum ducat: quia is, qui ad sanctæ Ecclesiæ regimen quæritur, et divino munere demonstrandus est, et ad sublimem conversationem vocandus. Auricula Samuelis, quia diminutive dicitur, quid designat, nisi humilem **214** intelligentiam doctoris spiritalis? Auricula ergo revelatur a Domino, quando humilis intelligentia prædicatoris a Spiritu sancto instruitur; ut quæ facturus est, audiat, et audita disponat. Sed subtiliter est intuendum quod dicitur: *Ante unam diem.* Dies enim est vita justi, Paulo attestante, qui ait: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Quando autem vita electi ostenditur, dies latens revelatur. Nam homo videt prætextum boni operis, Deus autem lucem cordis. Quia ergo electi, et reprobi intentione cordis abscondita sunt, ante unam diem Dominus venientem regem insinuat; quando per ejus gratiam sancti prædicatores agnoscunt in eis, qui promovendi sunt, testimonium boni operis præcedere puritatem intentionis. Nulla enim est lux operis, quam non præcedit rectitudo intentionis. Recte ergo ante unam diem rex ordinandus agnoscitur. Sed subsequentem quidem diem non aspiciunt, nisi ex præcedente nascatur: ut diem ante diem intentionem ante operationem considerent, et a Deo missum in luce sanctæ operationis aspiciant, quem lucere per propositum cordis divina gratia demonstrat. Et quia eadem hora, qua promittitur, exhibetur: quid dat intelligi, nisi quia perfectus debet esse, qui eligitur, non solum corpore, sed mente? Nam quando Deus loquitur sanctis viris, plena lux diei est. Habet namque originem dies, habet et finem. Juxta finem peccatorum arguit, dicens: *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 2)? Et quia nec qui bona incipiunt, nec qui a bono opere torpescunt, promovendi sunt, hora perfectæ locutionis prædicator mittitur, quando talis exhibetur, qui plena fulgeat luce boni operis, et pleno resplendeat fulgore veritatis. Qui etiam vir de terra Benjamin venire describitur. Vir quidem dicitur, pro operis fortitudine; de terra Benjamin, pro recta fidei confessione. Benjamin quidem dicitur filius dexteræ. Quis ergo hic filius dextræ dicitur, quam ille, de quo scriptum est: *Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris* (*Marc.* XVI, 19)? Terra ergo Benjamin sancta Ecclesia est. Quia ergo hæretici ab hac terra expulsi sunt, de terra Benjamin venit rex, quando non aliqua hæresi pollutus, sed fide catholicus sanctæ Ecclesiæ primatum suscipit. Qui viri præconio fruitur, si fide firmus est, operatione fortis. Hic nimirum super populum Domini dux ungi præcipitur: quia exteriora sacramenta sacerdotibus illis prosunt, qui eorumdem sacramentorum donis indigni non sunt. Vel sacerdotes unguntur, quando per ordinantium se ministerium, gratiarum spiritualium incrementa percipiunt. Unde et sequitur: *Salvabit populum meum de manu Philisthiim.* Velut uncti salvare alios possunt; quia spiritales gratias abundantius perceperunt. Nam qui populum salvant, super populum uncti sunt: quia qui a Domino ad regendos alios ordinantur, spiritualia charismatum dona, quibus eis prodesse possunt, accipiunt; et eis, quos ordine præcedunt, meritis etiam superiores sunt. Et quia plerumque bonus pastor merito bonæ plebis eligitur, bene subjunctum est:

(Vers. 16.) *Quia respexi populum meum.*

Item quia magnis precibus a Domino bonus pastor quærendus est, subditur:

(Vers. 16.) *Venit clamor eorum ad me.*

42. Sed fortasse nonnulli moventur, quia contrarium videtur, quod hic dicitur, et quod superius dicebatur. Ibi enim ait: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de terra Ægypti, usque* **215** *in diem hanc* (*I Reg.* VIII, 7). Nunc vero dicit: *Unges eum ducem super populum meum Israel, et salvabit populum meum de manu Philistiim: quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me.* Superius quasi ab irato rex ordinari permittitur, nunc quasi a pio et benigno ordinatur. Hujus etiam beni-

gnitatis verba quis non videat, quantum a sententia illa dissentiant, quæ eidem a Samuele illata fuit? *Quia*, inquit, *projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex* (*I Reg.* xv, 26). Quod profecto celeriter solvimus, si ipsam verborum vim subtiliter intueamur. Nam omnia hæc divinæ benignitatis verba populi meritis ascribuntur : *Salvabit populum meum ;* et, *respexi populum meum ;* et, *clamor eorum venit ad me.* Pro illis ergo rex ordinari decernitur, quorum clamor exauditur. Nam etsi pro futura nequitia repellendus a regno erat Saul, tamen habebat in se, donec regnaret, unde populo sibi subdito prodesse potuisset. Futurus certe erat bello strenuus, mente elatus. Habiturus erat unde sibi caderet, et unde aliis staret. Illud ergo unde prodesse subditis poterat, Dominus providens dicit : *Salvabit populum meum de manu Philistiim ;* et, *venit clamor eorum ad me.* Adhuc tamen valde contrarium videtur, ut ejus populi clamorem exaudire credatur, qui eum abjecisse reprehenditur. Ad quod respondendum est : quia erant in illo populo et reprobi et electi. Ibi ergo abjecisse Dominum reprobi arguuntur, hic electorum desideria ad omnipotentis Dei aures perveniunt. Qua ex re quid colligendum est, nisi quia sæpe electis bonum est, quod mali rectores ordinantur ? Non ergo mirum est, si Deus quasi de abjectione sua irascitur, et regem ordinat : quia ipsa dignitas futuri regis et mala erat, et bona. Mala denique, quia superba : bona vero, quia in defensione subjectorum strenua. Quod totum, et in sancta Ecclesia nunc fieri cernimus : quia plerumque ille ejus primatum suscipit, qui verbo utilis est aliis, mente tumidus sibi. Prædicando virtutes, velut stando vitia destruit, sed alta de se sentiendo, cadit. Hic itaque prædicando populum Dei salvat, sed semetipsum tumendo præcipitat. Quasi rex potens verbo populi Dei occultos adversarios atterit, sed elatione a regni sublimitate cadit. Non ergo pro se, sed solum pro populo rex constituitur ; quando ille in sancta Ecclesia præesse permittitur, qui bona quæ prædicat, superbiendo, aut nequiter vivendo, conculcat.

43. Quo in loco notandum est, quia cum in sancta Ecclesia pastor eligitur, aliquando ordinatur pro se, et populo ; aliquando nec pro populo, nec pro se ; aliquando pro se, non pro populo ; aliquando vero pro populo, non pro se. Pro se et populo, quando electus prædicator electis subditis datur : quia unde subjectorum multitudo ad æternam patriam ducitur, bono pastori meritorum dona cumulantur. Nec pro se, nec pro populo pastor datur ; quando reproba plebs reprobum pastorem habere permittitur, cum sic ille præest, sic illi obediunt, ut ad æterna bona, nec ille qui docet, nec illi qui docentur, pervenire mereantur. De quibus per Oseam Dominus dicit : *Dabo eis reges in furore meo* (*Osee*, xiii, 11). In furore etenim Dei rex datur, quando malis pejor præesse decernitur. Talis quippe pastor tunc datur, cum talis populus regendus suscipitur, qui pariter æterna pœna damnetur. Pro se, non pro populo pastor datur, quando bonus malis præponitur ; sicut ad Ezechielem Dominus dicit : *Mitto ego te ad filios Israel, ad gentem apostatricem,* **216** *quæ recessit a me* (*Ezec.* iii, 3). Pro se quidem, non pro populo tunc pastor datur, quando etsi auditores suos electus prædicator convertere ad Deum non poterit, ipse tamen laboris sui æterna luera non perdit. Pro populo autem, non pro se ; quando bonis subditis pastor tribuitur, qui dona habeat, per quæ illis prosit, et sibi non prosit. Tales quidem erant, de quibus Dominus discipulis præcipit, dicens : *Quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* xxiii, 3). Quasi dicat : Quod utile pro vobis acceperunt, ab eis quasi vestrum tollite ; et in eis quasi suum dimittite, quod non habent ad lucrum vestrum, sed ad interitum suum. Saul ergo, abjecto Domino, eligitur, et tamen populum Domini de manu Philistinorum liberaturum perhibetur, quia omnipotens Deus sæpe suis bonis fidelibus per illos prælatos prodest, qui de officio ejusdem prælationis sibi non placent. Sequitur :

(Vers. 17.) *Cumque respexisset Samuel Saul, Dominus ait : Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.*

44. Hoc namque in sequenti die actum est, quod præcedenti Dominus repromisit, dicens : *Cras hac eadem hora mittam ad te virum de terra Benjamin, et unges eum super populum meum Israel.* Aspicitur ergo in secundo die, qui primo promittitur : quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ virtutes electorum in secreta eorum vita perquirunt. Hi enim qui promovendi sunt, dum bona proferunt, aliquid magnum ex se repromittunt. Primo igitur die rex promittitur ; quia magna electorum opera prædicatores aspiciunt, et, quasi Domino loquente, intus agnoscunt, quos ordinare sanctæ Ecclesiæ rectores volunt. Aspicit ergo Samuel in sequenti die, quando prædicator eum, qui promovendus est, in magna luce conversationis videt. Et tunc quidem, quasi indicante Domino, ordinandum regem cognoscit : quia eum, qui in alta arce sanctitatis præeminet, præferre aliis dignum videt. Et quia qui magni sunt meritis, parvi sunt per humilitatem, sequitur :

(Vers. 18.) *Accessit Saul ad Samuelem in medio portæ. Indica, oro, mihi, inquiens, ubi est domus Videntis.*

45. Si in civitate tunc est prædicator, cum plana et communia loquitur, quæ intelliguntur, porta civitatis hujus quæ est, nisi humilitas ? Nam divini verbi cognitio superbis absconditur, humilibus revelatur. Unde et in Evangelio Patri loquitur, dicens : *Confiteor tibi, Pater, rex cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* xi, 25). Sapientes quidem superbos et alta de se sentientes, parvulos vero dixit humiles. Quorum certe alia Scriptura meminit, dicens : *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam* (*I Petr.* v, 5). Resistit namque superbis, ne æterna bona intelligant sed parvulis gratiam dat, ut eadem bona æterna, ip-

so revelante, cognoscant. Electi ergo, quia ad spiritalem sententiam per humilitatem veniunt, ad audiendos prædicatores, quasi per portam vadunt. Electus etiam prædicator, quia spiritualia humiliter dicit, Samuel Sauli in eadem porta occurrit. Quasi enim ambo in porta sunt, quando ea, quæ electus prædicator loquitur, ab electo alio humiliter audiuntur.

46. Sed qui noviter venerat, quem quærebat, invenerat, et ignorabat. Quare et idem Saul ad Samuelem dicit: *Indica mihi, oro, ubi est domus Videntis.* Hoc namque proprium magnorum virorum est, ut a minimis difficile cognoscantur. Carne quidem **217** despecti sunt, sed mente sublimes. Foris contemptibiles apparere appetunt, sed agere venerabilia non desistunt. Quia ergo valde proficere per eorum exempla appetunt, eos non solum in exterioribus, sed in intimis admirantur. Vident ergo in eis exterius, quod possit a carnalibus despici, sed et pariter attendunt, quod intus spirituales viri magna admiratione debeant venerari. Quos dum fama sublimes audiunt, in altitudine suæ conversationis agnoscere concupiscunt. Secundum historiam ergo Saul Samuelem videbat, et non cognoscebat; ut quod in figura contingebat illis, nobis spiritualia designaret. Nam cum parvuli sumus, quasi videmus perfectos viros, dum eorum virtutes a referentibus audimus; sed quos videmus, non cognoscimus, quia per experientiam scire non possumus, quia hoc, quod auditu percipimus, in cordis oculis tenemus. Quando igitur ab eis conversationis ejus secreta ad imitandum requirimus, eos nimirum quasi de propria domo interrogamus. Domus namque eorum conversatio est. Hanc domum scire volebat discipulus Joannis, quando Dominum interrogavit, dicens: *Magister ubi habitas* (*Joan.* I, 38)? Qui nimirum, quia ad familiaritatem illius, quasi domesticus perducendus erat, audivit: *Veni, et vide.* Hanc domum visam Philippus non cognoscebat, cui dicit: *Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me: Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum* (*Joan.* XIV, 9). De Domino etiam scriptum est, quia loquebatur Moysi sicut cum amico suo; sed idem Moyses videns, et non cognoscens, interrogabat, dicens: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam* (*Exod.* XXXIII, 13). Spiritualis autem conversatio sanctorum, quia nonnisi devotis, ac supplicibus panditur, domum Samuelis Sauli indicari sibi similiter deprecatur. Sancti etiam prædicatores cum de se magna audiunt, per humilitatem se dejiciunt, non inflant. Sciunt se petentibus magna, quæ imitentur, ostendere; sciunt inter magna, quæ ostendunt, magni per jactantiam non apparere. Quare et subditur:

(Vers. 19.) *Et respondit Samuel Saul dicens: Ego sum Videns. Sed ascende ante me in excelsum hodie, ut comedas mecum, et dimittam te mane.*

47. Quid est dicere: *Ego sum Videns:* nisi se, sicut in oculis videbatur, humilem demonstrare? Quasi dicat: Tu in æstimatione tua magnum habes, A quem quæris, sed parvus est ille, quem vides. Hoc namque in verbo, *Videns*, non prædicatur, sed ego. Quasi dicat: Videns ille, est, ego: non quod æstimas, sed quod cernis. Sed qui humiliare se novit, novit dare dona non humilis, sed sublimis. Quare et in excelsum ante se ascendere eum, ut secum comedat, præcipit. In excelsum ascendit, qui ad scienda altiora mentem erigit. In excelsum quidem ascendere, est cor ad altiora intelligenda præparare. Unde et Petrus in monte assumitur, ut gloriam transformati Redemptoris videre mereatur (*Matth.* XVII, 1). In illo etenim ascensu montis, sublimis præparatio mentis exprimitur: quia alta videre non poterit, qui per intentionem animum in sublimibus non ponit. Quia ergo sublimia præparati melius intelligimus, B ante Samuelem Saul in excelsum ascendere jubetur. Quasi enim ante prædicatorem in excelsum ascendimus, quando nos prius ad alta scienda animum intendimus, et ipsi nobis ea, ad quæ intendimus, postmodum loquuntur. Quid vero est, quod ait: *Ut comedas mecum hodie?* Sed quando prædicatores sancti **218** cœlestia loquuntur, electorum suorum auditorum corda reficiunt: testante etenim veritate, quia cibus animæ est verbum Dei, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV, 4). Panis namque alimentum corporis est, verbum mentis. Qui vero corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt, carne vivi. Quare et de delicata vidua Paulus ait: *Vivens mortua est* (*I Tim.* V, 6). Nam per ciborum delicias non moreretur vidua, si animam verbi Dei cibo satiaret, cum ipse C Paulus dicat: Nihil esse immundum, quod cum gratiarum actione percipitur (*I Tim.* IV, 4). Sed vivens vidua moritur, quando cibo corpus nutrit, animam fame interficit (*Matth.* IV). In solo ergo pane homo non vivit: quia cum ex anima et corpore constet homo, sicut aliter per corpus vivit, ita et necesse est ut alimentis diversis singula nutriantur. Ut comedamus itaque, cum propheta ascendimus, quando ad alta divini verbi mentem erigimus, ut ejus cœlesti sapore per devotionem satiemur.

48. Et quia ipsi prædicatores valde amant cœlestia, quæ loquuntur, quasi simul comedimus, cum devote illi loquendo proferunt, quod nos devote audiendo, in ventre animæ locamus. Simul enim come- D dimus: quia verbum Dei pariter audimus. Prædicatoribus namque Veritas dicit: *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 20). Quod et Paulus probat, cum suos auditores interrogat, dicens: *An experimentum quæritis ejus, qui in me habitat Christus* (*II Cor.* XIII, 3)? Quia ergo in sanctis prædicatoribus Christus, et ejus spiritus loquitur, ipsi prædicatores tanto clarius loquentem audiunt, [a] quanto ei viciniores sunt, cujus sedes esse merentur. Tanto ergo plenius de verbi alimento poterunt refici, quanto jam intra se habent cellam refectionis. Amici etenim sponsi sunt, et stant, et gaudio gaudent propter vocem sponsi. Cum

[a] Vatic. et Gilot., *quanto eis*. Infra Gilot. habet *meruerunt*, pro *merentur*.

ergo divina loquuntur sancti prædicatores, audiunt : sed quia certa experientia norunt, quando in eis loquitur spiritus, audiunt se, sed non in se, quia et ipsi loquuntur, sed in se locuti, loquentem alium venerantur. In eo igitur, quod audiunt et loquuntur, et reficiunt, et reficiuntur. Reficiunt quidem auditores, dum verbum proferunt voce sua : reficiuntur ipsi, dum verbum, quod proferunt, profertur eis revelatione divina. Ipsi tamen devotius saturantur, qui in locutione spiritus, mentis delicias experti sunt. Annon experientia loquentis spiritus est, inconsultos et impræmeditatos se cernere, subitoque consultos, et paratos esse? Scire, quæ nescierant : habere, quæ non habuerant : torporem mentis amittere, repente mira devotione fervere : plenitudine scientiæ statim et in momento mirabiliter repleri, mira verbi facundia intellecta proferre ? Habent ergo electi prædicatores experientiam spiritus in se loquentis, in repentina revelatione veritatis : habent subito ardorem charitatis, habent in plenitudine scientiæ, habent in facundissima verbi prædicatione. Nam et subito instruuntur, et repente fervescunt, et in momento replentur, et mirabili eloquii potestate ditantur. De illa namque repentina experientia Dominus dicit : *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini* (*Matth.* x, 19). De illo autem subitaneo fervore charitatis Cleophas dicit : *Nonne cor nostrum ardens erat in via; dum loqueretur, et aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* xxiv, 32)? De repletionis quoque et facundiæ experientia Lucas meminit, dicens : *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis* **219** *spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes* (*Act.* ii, 2). In eodem quippe spiritu repleti et locuti sunt, ut hoc, quod asserimus, designarent : quia videlicet loquendo, alios pascunt, qui de eo, quod dicunt, audiendo pascuntur. Et quia sonum vehementis spiritus ardorem, sive locutionem, aut repletionem cognoscunt, tanto dulcius in donis spiritualibus epulantur, quanto ad ejus recubitum dignius assumpti sunt. Dicit ergo : *Ascende, ut comedas mecum hodie;* quia bonus doctor, dum dulciter, quæ dicit, in devotionem mentis accipit, se et eos qui audiunt simul pascit.

49. Quo contra doctores reprobi, quia quæ dicunt, non amant, cum alios verbo pascunt, jejunant. Nam cum animæ refectionem verbum Dei esse Dominus dixerit, verbum vero Dei in mente plena sit eruditio, plena devotio; verbo Dei non pascuntur, qui devote, quod loquuntur, non audiunt. Apostolus quidem, quasi jam illa verbi dulcedine repletus, ait : *De plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.* i, 16). Alia quidem est plenitudo verbi, alia libri. De plenitudine quidem verbi accipere nonnisi electi possunt, de plenitudine vero Scripturæ possunt et reprobi. Liber namque beati Joannis apostoli, et liber beati Pauli apostoli plenitudines quidem sunt, quæ de eis habentur. Eorum nimirum verba Paulus sive Joannes scripsit, sed quod quisque scripsit, loquens in eis verbum inspiravit. Qui ergo verbum Scripturæ accipit, non in amore, sed in scientia, de plenitudine accipit, non verbi, sed libri. Et quia rem mortuam accipit, in ejus ipse acceptione non vivit. Sed quid dico Scripturam mortuam? Non est mortua tantum, sed interficiens. Nam scriptum est : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* iii, 6). Hoc quidem facit omnis divina littera. Nam littera corpus est, hujus vero corporis vita spiritus. Vivificatum quippe, et vivificans corpus accipit, qui litteram legit, et in amorem intelligentiæ mentem reficit. Reprobi ergo, qui Scripturas rimantur, quas non amant, qui audacter foris loquuntur, cujus saporem intus non intelligunt; dum refectionem Scripturarum, quas exponunt, alii devota mente percipiunt, quasi de eo, quod ipsi dant, alii saturantur, non ipsi. Dicat ergo Samuel : *Ascende, ut comedas mecum hodie :* quia ex eo, quod subditis de verbo electi doctores tribuunt, et pariter audiunt, et pariter saturantur. Ecce enim in eodem ipso verbo, quod dicimus, demonstratur. Nam quis dubitat, quod hanc Scripturam, quam exponimus, Samuel scripserit? Et tamen ipse, qui scripsit, hæc dicit : *Respondit Samuel;* ut profecto ostenderet, quia quod ipse scribebat, alius impartiebatur. Quia ergo Spiritus sanctus, qui per eum loquitur, per eum de eo dicit : Respondit Samuel Sauli : *Ascende ante me in excelsum, ut comedas mecum hodie.* Hoc dicit, quod audit; et simul audit, et dicit. Dum ergo magna veneratione amoris audit, et loquitur prædicator electus; magna devotione auditores boni quæ dicuntur, excipiunt; Saul et Samuel pariter in excelso comedere dicuntur. Item quia prædicatores auditoribus in ejusdem verbi refectione digniores atque ferventiores sunt; non Samuel cum Saule, sed Saul cum Samuele comesturus asseritur. Sed et quia tam splendida mentis eruditio, in magna luce spiritualis vitæ est, non dicit : Ut comedas mecum hac nocte; sed *hodie*. Quem etiam mane dimittit. Mane dicit initium diei sequentis. Sequens vero dies, est serena lux sanctæ conversationis. Dicit ergo :

220 (Vers. 19.) *Dimittam te mane.*

50. Mane quidem ab excelso dimittitur, qui cum ad altioris scientiæ lumen proficit, in magna luce boni operis se proponit immorari. Vel mane dimittitur, qui verbum magnæ scientiæ, quod prædicatoris ore didicit, prædicare aliis intendit. Quando enim bona proponimus, quasi mane in initio diei sumus; quia boni claritatem jam aspicere cœpimus, quam sequamur. Sed hoc mane in plenum diem crescit, quando is, qui magna bona agere, aut alta æternitatis gaudia prædicare proposuit, id quod proposuit, in magna exhibet luce virtutis. Mane ergo Saul ab excelso dimittitur; quia auditores prædicatorum bonorum, quod ab eis sublime audiunt, exercere sublimiter non morantur. Sed electi viri, bona quæ habent, et abscondere, et manifestare sciunt. Abscondunt quippe, ne per elationem pereant, sed ne infructuosa remaneant, manifestant. Dum absconderunt, tunc custodiunt; sed dum manifestant, proferunt fructum. Nam sequitur :

(Vers. 19, 20.) *Et omnia quæ sunt in animo tuo indicabo tibi; et de asinis, quas perdidisti nudiustertius, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt.*

51. Celare se quidem prædicatores qualiter studeant, superius in verbo Samuelis ostenditur, ubi dicitur : *Ego sum Videns.* Nunc autem quia dicit : *Omnia, quæ sunt in animo tuo, indicabo tibi;* quid aliud tenemus, nisi quia sæpe viri sancti, virtutes, quas habent, et abscondunt et proferunt? Sed, ut dixi, abscondunt, ne in magnis virtutibus magni videantur; proferunt eas, ut electi imitentur. Verbo itaque sapientiæ, aut prophetiæ spiritu se pollere asserunt, non ut venerentur, sed ut audiantur. Quare et Psalmista verbi gratiam se habere insinuans, ait : *Super omnes docentes me intellexi* (*Psal.* CXVIII, 99). Certus ergo de peritia spiritus, confidenter nos invitat, dicens : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal.* XXXIII, 11). Propheta namque se affirmabat Michæas, cum diceret : *Utinam non essem vir habens spiritum; et mendacium potius loquerer* (*Mich*, II, 11). Hinc Helisæus de Naaman Syro dicit : *Veniat ad me, et sciat Prophetam esse in Israel* (*IV Reg.* V, 8). Hinc Paulus ait : *Hebræi sunt, et ego; semen Abrahæ sunt, et ego; ministri Christi sunt, et ego; ut minus sapiens dico, plus ego* (*II Cor.* XI, 22, 23). E contra autem Amos dicit : *Non sum propheta, sed armentarius vellicans sycomoros* (*Amos.* VII, 14). Hinc etiam Paulus cum se vult abscondere ad custodiam, dicit : *Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* XV, 9). Hinc interrogatus Joannes Baptista ait : *Non sum propheta* (*Joan.* I, 21). Non erat quippe ad elationem, sed erat propheta et plusquam propheta ad ministerium. Samuel ergo, ut se custodiat, ait : *Ego sum Videns;* et ut se ad lucrum exhibeat, dicit : *Omnia indicabo tibi.* Quod si aliquis vult, eodem modo intelligere potest; quia cum dicit : *Ego sum Videns*, si videntem se asserit, ad hoc dicit ut bonum, quod habet, cum electis communicet. Ut ergo quod asserit, probet, subsequenter adjungit : *Omnia indicabo tibi.* Quod sanctæ Ecclesiæ doctores agunt; quia dum virtutes mentium intuentur, et vitia; et mederi vitiis, et promovere virtutes evidenter sciunt. Omnia ergo, quæ sunt in corde, indicat, quando virtutis viam, quam bonus auditor cupit tenere, ipse documento manifestæ eruditionis dignatur exponere. Quod si magnus est, et bona non solum agere, sed etiam prædicare disposuit. Omnia, quæ sunt in ejus corde prædicatores, indicant; quando eorum mentibus aperiunt, **221** quidquid cupiunt de doctrina. Quia vero ei, cui loquitur, eum significat, qui ad lucra prædicationis innititur, subdit, atque ait : *Et de asinis, quas perdidisti nudiustertius, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt.*

52. Hoc superius in persona Saul, qualiter rudibus prædicatoribus conveniat, expositum est. Asinas quippe perdidit, qui peccatores, quibus verbum vitæ præbuit, ad pœnitentiam nequaquam traxit. Inveniret quidem, si il qui se in nocte pravitatis absconderant, ad lucem justitiæ redirent, in qua viri inveniri potuissent. Cur ergo dicit : *Inventæ sunt*, nisi quia sæpe in eis summi viri salutis bonum facile inveniri posse considerant, de quorum vita inerudite desperant? Nam et periti medici corporum, illos sæpe curare præsumunt, de quorum salute imperiti præsumere non possunt. Sic nimirum et ab eruditis doctoribus sæpe [a] ad pœnitentiam, et satisfactionem peccatores trahuntur, qui trahi ab ineruditis rudibus nequiverunt. Quia igitur tam prædicatione quam exemplo perfectorum illi ad Dominum pœnitendo redeunt, qui converti per aliorum ministerium nequiverunt; bene Samuel inventas asinas dicit, quas Saul invenire non potuit. Potest etiam hoc dictum pro profectu ordinandi rectoris intelligi. Quasi dicat : Dum eruditione et vita proficis, illos etiam lucrari Domino poteris, quos nondum potuisti. Tam certa quidem virtus profectionis est, ut fructus ejus, qui nondum constant in re, constent in spei certitudine. Et quia his verbis ad perferendos labores sanctæ prædicationis invitatur, quæ mercedis lucra exspectare debeat, exponit, dicens :

(Vers. 20.) *Et cui erunt quæque optima Israel, nonne tibi et omni domui patris tui?*

53. Israel, qui dicitur, videns Deum, quem rectius hoc loco significat, quam æternorum civium illam beatam societatem, qui ex labore vitæ hujus, ad æternam omnipotentis Dei visionem pervenerunt? Quæ ergo sunt Israel optima, nisi æternæ retributionis dona? Paulus quidem dicit : *Unusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum* (*I Cor.* III, 8). Hinc item dicit : *Alia est gloria solis, alia lunæ, et stellarum. Stella enim differt a stella in claritate* (*I Cor.* XV, 41). Omnium ergo fidelium retributiones, et præmia, bona sunt Israel. Quia vero electorum prædicatorum merces summa est, eorum sunt optima Israel. De his quippe Israelis optimis Dominus fideli servo suo repromittit, dicens : *Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum* (*Matt.* XXIV, 47). Qui enim non in omnibus, sed super omnia constituitur, non tantum bona Israel, sed etiam optima habere declaratur. Dicat ergo Samuel : *Cui erunt quæque optima Israel, nonne tibi et omni domui patris tui?* Quasi dicat : Et si magnus est labor prædicationis, tanto devotius ferri debet, quanto majora lucra mercedis habet. Sollicita ergo mente doctor sanctæ Ecclesiæ pensare debet : quia Israel non bona tantum, sed etiam optima ejus sunt, ut majora et excellentiora agat semper, qui tam summa et optima exspectat. Eadem quippe summa, non summo ordini debentur, sed summo labori. Nam et doctor egregius non dixit : *Unusquisque mercedem accipiet juxta suam dignitatem*, sed, *juxta laborem.* Cum ergo prædicatorum æternæ vitæ optima referuntur, magnus eis in hac vita labor injungitur : quia nimirum meliora cæteris habere non prævalet, qui melior esse non studet. Et quia hoc omnium prædicatorum **222** sanctæ Ecclesiæ commune est, non solum

[a] Aliter, *ad pœnitentiæ satisfactionem*, ut observat Gussanv.

Saul, sed omni domui patris sui Israel optima esse referuntur. Quasi enim ex patre filii nascuntur, quando in ordinem prædicatorum noviter alii aliis, eadem nobilitate sanctitatis splendidi subrogantur. Domus quoque prædicatoris est spiritualis ejus conversatio. Omni ergo domui patris ejus Israel optima sunt : quia ubicumque sacerdotalis conversatio est, illa nimirum est, et tam summa est, ut ex celsitudine meriti, in æterna vita sua sint optima retributionis. In hoc ergo se subtiliter prædicatores aspiciant : quia non solum sibi, sed omni domui ejus optima erunt Israel : quia si de domo exeunt, optima non habebunt. Nam si solam prædicationis sublimitatem tenent, optima non habebunt : quia altitudinem vitæ non tenent. Sed electus quisque, dum de se magna audit, infirma sua ad memoriam ducit, ut se ab elatione custodiat, ne bona, quæ habet, amittat. Unde et subditur :

(Vers. 21.) *Respondens Saul, ait : Nunquid non filius Gemini ego sum de minima tribu Israel, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? Quare ergo locutus est mihi sermonem istum?*

54. Quasi dicat : Quare mihi tam magna adscribis, cum sim nihil? Gemini quippe filius est, qui negligentes imitatur in cura sui, et in exemplo proximi. Geminus quippe est, quia dum curam sui negligit, exempla boni operis aliis non impendit. Qui ergo tales imitatur, filius Gemini dicitur. Qui de minima tribu Israel esse dicitur : quia ultimus ordo sanctæ Ecclesiæ conversorum peccatorum est. Merito igitur, qui peccatorem se esse fatetur, de minima tribu Israel esse dicitur. Cujus etiam cognatio novissima inter alias esse perhibetur : quia juxta Veritatis vocem : *Qui minimum mandatum solvit, minimus est in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19). Benjamin quippe dicitur filius dexteræ. Qua profecto appellatione sanctæ Ecclesiæ populus designatur : qui dum in fide Redemptoris nascitur, per bona opera ad cœlestis patriæ bona præparatur. Dextera quidem Dei illa æternæ vitæ fortitudo est. Cognationes tribus Benjamin, sunt diversæ conversationes electorum. Nam velut ab uno generationis principio diversæ cognationes veniunt : quando ab una origine orthodoxæ fidei, conversationes fidelium plures oriuntur. Sancti ergo viri, cum se per humilitatem dejiciunt, quia peccatores se esse fatentur, et tamen recte in Deum credere, quasi se et Gemini filios asserunt, et de novissima Israel cognatione. Sed quia quanto plus se humiliant, juxta Veritatis vocem, amplius exaltantur (*Luc.* xiv, 10, 11), sequitur :

(Vers. 22.) *Assumens itaque Samuel Saul et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati.*

55. Samuel Saul assumit quando prædicator sanctæ Ecclesiæ electo auditori suæ alta prædicationis aperit. Assumitur quippe subditus, quando per verbum doctoris in cognitionem cœlestium elevatur. Et quia non carnali intentione spiritualia scire appetit, non solum ipsum Saul, sed etiam ejus assumpsit puerum. Quasi enim sine puero in imis remanserat, qui dicebat : *Cor meum dereliquit me* (*Psal.* xxxvii, 11). Cor quippe nostrum nos derelinquit, quando sic a concupiscentiis carnalibus vincimur, ut intentionem cordis in terrenis, et carnalibus, atque corporeis, et non in cœlestibus, et spiritualibus ponimus. Hunc puerum perditum invenerat, qui dicebat : *Invenit servus tuus cor suum* (*II Reg.* vii, 27). Cor quippe nostrum **223** invenimus, quando per intentionem cordis spiritalia quærimus; quando hanc a terrenis avellimus, ut ad cœlestia dirigamus. Electus ergo prædicator iis, qui adhuc carnales sunt, nec fortia imperat, nec spiritalia manifestat. Nam et Paulus Corinthiis dicit : *Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* iii, 1). Quasi his verbis dicat : Idcirco vos ad excelsum non duxi, quia spiritualem sensum vobiscum, velut Saul puerum, non habebatis. Quare et causam insinuans, ait : *Adhuc enim estis carnales.* Bene ergo Samuel Saul, et puerum assumpsisse dicitur : quia doctores sanctæ Ecclesiæ illis fortia imperant, illis alta manifestant, quos spirituales esse considerant. Qui etiam in triclinium introducuntur : quia eis charitatis latitudo monstratur. Velut enim in triclinio ponitur, qui per id, quod altum didicit, moratur in latitudine charitatis. Vel certe introitus noster ad triclinium, amor est; triclinium pulchritudo est spiritalis vitæ. Unde Joannes dicit : *Qui non diligit, manet in morte* (*I Joan.* iii, 14). Si enim, qui non diligit, manet in morte, ille qui diligit, in vita manet. In triclinium ergo introducimur, quando in affectum supernæ conversationis surgimus per affectum charitatis. In hac nimirum mansionis latitudine superiorem locum sancti prædicatores obtinent, quia beatus Joannes Evangelista dicit : *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super sedes viginti quatuor seniores* (*Apoc.* iv, 4). Seniores quippe sancti sunt prædicatores maturi sensu, moribus graves, qui thronum Dei juxta positis sedibus ambiunt : quia qui præ cæteris Conditorem diligunt, per altissimam conversationem ei vicinius requiescunt. Bene itaque Saul cum puero suo locum in capite eorum, qui invitati fuerant, sortitur ; quia in eis eligendorum pastorum typus ostenditur. In capite quidem rector statuitur, quando per vim magni amoris supernæ vitæ singulare propositum accipit; cum fidem catholicam cum cæteris communem tenet, sed præ cæteris virtutem sublimem. Unde et sequitur :

(Vers. 22.) *Erant enim quasi triginta viri.*

56. Ter decem triginta fiunt. Ternarius vero numerus fidem sanctæ et individuæ Trinitatis insinuat. Denarius vero per decem præcepta legis, boni operis perfectionem designat. Tricenarius ergo numerus eos designat, qui eam fidem tenent, quæ per dilectionem operatur. In horum capite Saul ponitur, quando per divinam gratiam is, qui futurus est pastor Ecclesiæ, sublimior fit merito, quibus debet esse

superior dignitate. Hunc sublimem locum Samuel tribuit : quia qui tantam vitæ meretur celsitudinem, ad eam majorum proficit institutione. Cui nimirum quia jam magna, quæ agat, et non minima demonstrantur, subditur :

(Vers. 23, 24.) *Dixit Samuel coquo : Da partem, quam dedi tibi, et præcepi, ut reponeres seorsum apud te. Tulit ergo coquus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel : Ecce quod remansit, pone ante te, et comede : quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi : et comedit Saul cum Samuele in die illa.*

57. Quid in armo pectoris, nisi fortitudo signatur actionis? Quæ a Samuele coquo tribuitur, quando a summis prædicatoribus minoribus demonstratur. Coqui etenim sacerdotes sunt : quia dum electis fidelibus in fervore spiritus loquuntur, cibos mentis, velut per ignem coquunt. Sed pars, quæ datur, posita seorsum dicitur : quia fortitudo boni operis in prædicatore debet esse singularis. Quam **224** ante Saul ponit, quando ordinandum pastorem sanctæ Ecclesiæ, quantæ fortitudinis esse debet, considerare præcipit. Sed et de eo, quod coquus apposuit, Samuel Saul dicit : *Ecce quod remansit, pone ante te.* Remansit quidem, quia non omnia nostra Christus explevit, per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, ut qui redimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat : *Si compatimur, et conregnabimus* (*II Tim.* II, 12). Quasi dicat : Quod explevit Christus, non valet, nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet. Hinc beatus Petrus apostolus dicit : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus* (*I Pet.* II, 21). Hinc Paulus ait : *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi, in corpore meo* (*Col.* I, 24).

58. Sed notandum quia armum ante Saul coquus posuit, et tamen Samuel Saul præcipit, ut ante se eum ponere debeat. Quid est hoc? Sed ponere ante discumbentes dapifer in mensa ferculum solet : quod dum is, qui discumbit, trahit ad se, illud ponit ante se vicinius, quod paulo longius erat ante se. Coquus ergo ponit armum ante Saul, Samuel Saul præcipit, ut ponat ante se : quia hoc quod novo prædicatori injungitur de fortitudine boni operis, velut ad se propius debet trahere per studium considerationis. Quod etiam postquam ad se traxerit, comedit : quia diu consideratum agere disponit. Armum quippe manducare, est quod exterius de forti actione præcipitur, per propositum in mente recondere. Quasi enim armum ante se ponere et manducare electo cuique suadebat, qui dicebat : *Si sederis ad mensam potentis, sapienter attende, quæ apponuntur tibi : quia similia oportet te præparare* (*Prov.* XXIII, 1). In mensa quippe potentis virtutem armi designavit. Et dum dixit : *Sapienter attende, quæ opponuntur tibi :* armum ante se eum, cui dixit, ponere docuit. Sed manducare eum debere insinuavit, quia dixit : *Similia oportet te præparare.* Similia enim præparando manducamus ; quia dum fortia, quæ audimus, proponimus agere, velut comedentes, in cordis ventre reponimus cibos vitæ. Sed ipsis summis doctoribus vas electionis sub unius discipuli eruditione imperat, dicens : *Manum cito nemini imponas* (*I Tim.* v, 22). Quia enim magna retractatione consilii eligendi sunt, qui in culmine sublimentur, apte subjectum est : *Quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi.* Quasi dicat : Pone ante te, quod antequam apponeretur, ego posui ante me ; considera quod ego consideravi. De industria quippe pars armi servatur ; quia fortissima prædicatoris actio illi bene committitur, qui a summis viris magna consideratione dignus tanto ministerio judicatur. Ista vero pars tunc servata est de industria, quando populus vocatur ; quia cum ad suscipiendum prædicationis ministerium subditi fideles veniunt, bonis prædicatoribus non infirmis infirma, sed fortibus fortia injunguntur. Sed qui bene proficiunt, in sublimi sua conversatione ante omnia tenere student bonum obedientiæ. Bene itaque subjunctum est : *Et comedit Saul cum Samuele in die illa.* Ut jam dixi, promovendo doctori comedere, est hoc quod sibi de virtute præcipitur, se ad faciendum præparare. Bene autem cum Samuele comedisse dicitur ; quia cum ii, qui noviter veniunt, magna agere proponunt, in virtute boni operis summi viri ferventiores fiunt. Potest etiam in ista comestione illa signari, de qua superius repromisit, dicens : *Ascende ante me, ut comedas mecum hodie.* Saul ergo cum Samuele comedit ; quia **225** cum intus prædicator cœlestem verbi Dei suavitatem audit, quod, loquente ipso, subditi foris audiunt, de divina refectione [a] utique satiantur. Sequitur :

(Vers. 25.) *Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est Samuel cum Saul in solario. Stravitque Saul in solario, et dormivit.*

59. Quicunque ad celsitudinem curæ pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet et vitæ propriæ altitudinem, et alienæ infirmitatis compassionem. Ascendat ergo Saul cum Samuele, descendat in oppidum. Sciat rector, quæ agat alta : sciat quæ disponat, communia. Dicat cum Paulo : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20) : dicat nobiscum : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? video aliam legem contradicentem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati* (*Rom.* VII, 24). In excelso est rector, cum sapientiam loquitur inter perfectos. Carnalia quando disponit, descendit in oppidum, dicens : *Propter fornicationem unusquisque uxorem habeat, et unaquæque virum : uxori vir debitum reddat, uxor viro similiter* (*I Cor.* VII, 2). In excelso est, quando dicit : *Nulla creatura poterit nos separare a charitate Christi* (*Rom.* VIII, 39). In oppidum vero descendit : quia loquens, ait : *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam : omnia omnibus factus sum, ut omnes facerem*

[a] Gilot., *utrique satiantur.*

salvos (*I Cor.* IX, 22). Samuel ergo Saul ad excelsum tulit, et in oppidum deposuit : quia summi viri cum sanctæ Ecclesiæ culmen ordinant, illos quos in eodem culmine ponunt docent sublimiter vivere, plana prædicare, sibi esse rigidos, sed subditis temperatos : sic attendere propriæ saluti, ut cum infirmis possint infirmari : infirmari dixerim per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis. Nam si per mentis languorem doctor jacet, curare ægros et jacentes erigere non potest. Bene ergo cum Samuele Saul in oppidum descendisse, et in solario locuti esse referuntur. Oppidum quippe in plano est, solarium vero in alto. Ad excelsum quoque solarium planum est, ad oppidum non planum, sed altum. Sic nimirum electi prædicatores, quando minoribus membris compatiuntur, quasi excelsum deserunt : sed in oppidum descendentes, in solario sunt; quia ab alto quidem veniunt, sed infirmitatem subditorum miserando et consulendo, non agendo et infirmando assumunt. Infirmis namque compatientes, uxorem ducere præcipiunt, nec tamen ipsi infirmando uxorem ducunt. In oppidum ergo descendentes, in solario sunt : quia etsi plana jubent, in se ipsi infirma non retinent. Quia vero non esse in solario, sed loqui cum Saul Samuel dicitur, hoc profecto significat, quia futurus doctor doceri debet sic infirmis subditis compati, ut ipse tamen teneat alta conversationis.

60. Et quia ad hæc agenda multa consideratione novus prædicator indiget, stravisse sibi Saul, et dormisse perhibetur. Dormire in solario novo prædicatori, est in sublimi sua consideratione disponere, qualiter subditorum onera debeat portare. Nam si ad sæculi intentionem vigilat, hoc profecto agit, ut tantæ discretionis bonum in intimis non requirat. Dormire igitur debet, ut sæcularia nulla cogitet : quia spiritualia disponere oppressus sæcularibus nunquam potest. Sed et dormire non poterit, qui sibi non sternit : quia nimirum si bonorum exempla, sive dicta non cogitat, impossibile est, ut ab exterioribus requiescat. Velut mollia quidem nobis **226** subjicimus, quando electorum doctrinam, aut vitam cogitamus. In eisdem quoque stramentis dormimus : quia quiescere tunc bene consideratione possumus, quando in rebus spiritualibus occupamur. Dicat ergo : *Quia stravit sibi Saul, et dormivit*, ut electæ menti insinuet : quia si negligenter ad exteriora se occupat, intimæ quietis gratiam non acquirat. Sed qui spiritualia bene vult considerando disponere, donec ea intus perfecte ordinet, ad ea quæ foris sunt, evigilare non debet. Apte ergo subjungitur :

(Vers. 26.) *Cumque mane surrexissent, et jam dilucesceret, vocavit Samuel Saul in solario, dicens : Surge, et dimittam te.*

61. Mane quidem lucescit, quando quietæ menti veritatis splendor se aperit. Humana etenim mens per ignorantiam tenebrosa, et per illustrationem veritatis lucida fit. Ignorans ergo, in nocte est; cum illustratur, in die. Mane autem surgit qui dormit nocte : quando ad agenda se erigit ea, quæ per consideratione ordinavit. Et quia ordinandi regis negotium tractabatur, ambo surrexisse perhibentur. Surgit quidem summus prædicator, ut auditorem suum ad ministerium ejusdem prædicationis ordinet. Surgit qui ordinandus est, ut tam sublimem ordinem imo cordis affectu recipiendum esse non speret. Pariter quidem surgunt, quia sublime officium datur, sublime recipitur. Quo in loco est aliud notandum : quia ambo prius surrexerunt, deinde Samuel Saul vocavit, dicens : *Surge, et dimittam te.* Sed ad historiam si ambo surrexerunt, a somno Saul, quia consurgere præcipitur, ad opus præparari admonetur. Quia vero tam summi sacerdotes, quam ille, qui ad ordinem prædicationis assumitur, tanti ministerii onus attente considerant, quasi pariter dormiunt, pariter surgunt. Sed qui noviter ordinandus est, surgens a somno, ad opus item surgere jubetur : quia ad altitudinem ordinis quanquam pensare meditando studuit, pertingere debet tamen per meritum conversationis. Surgens ergo surgere jubetur, ut sublimem ordinem, quem subire deliberat, æquare meritis proponat. Unde et in solario vocatur : quia ad alta conari præcipitur. Qui etiam dicit : *Et dimittam te.* Surgit quippe ut dimittatur : quia ille liber esse in ministerio prædicationis poterit, qui in altitudine magnæ conversationis excrevit. Surrexit quidem qui surrexerat : quia qui considerando didicit altitudinem dignitatis, in eadem dignitatis altitudine erigere se curavit per sublimitatem vitæ. Unde et subditur :

(Vers. 26.) *Et surrexit Saul.*

Deinde subditur :

(Vers. 26.) *Egressique sunt ambo; ipse videlicet et Samuel.*

62. Pastor egreditur, quando a secreto meditationis venit ad publicum operis. Quando enim disponit, quæ vult agere, intus est : quando autem ea agit foris, quæ cogitavit, quasi exit. Exiit etiam Saul, quia in exteriori dignitate, is qui promovetur, illud suscipit quod, an esset suscipiendum, diutius cogitavit. Ambo igitur dicuntur egressi, quia ambo fuerunt intus : dum ille sollicita mente præviderit, quid aut cui daret; ille item attentius cogitaret, qualis esset, qui tam summa perciperet. Quia ergo ministerium sanctæ prædicationis cum summa discretione tribuendum atque recipiendum est, dum rex Israelis ungitur, et rex et propheta uncturus eum, egressi perhibentur. Plerique autem **227** codices habent : *Cumque mane surrexissent, antequam dilucesceret :* quod nimirum intelligi convenienter potest. Mane est quidem, antequam dilucescat, quando quodammodo aspirare dies incipit, et tamen plena lux diei non est. Prædicatores autem sanctæ Ecclesiæ, dum eorum bonam conversationem considerant quos ordinare disponunt, quasi mane est. Sed quia eorum futura scire non possunt, mane est, sed antequam dilucescat. Quod bene in ejus ordinatione dicitur, qui omnipotenti Deo postea displicuisse memoratur. Quasi enim mane, antequam dilucesceret, propheta vidit hunc,

qui ei in luce bonæ conversationis apparuit. Sed plena diei claritas nondum erat, quia in eo futuras tenebras per præsentem cognitionis lucem videre non poterat. Quod nimirum toties sanctæ Ecclesiæ agitur, quoties boni sunt, qui eliguntur in præsenti, sed in eodem bono perseveraturi non sunt. Quasi enim mane et ante lucem egreditur, qui lucem boni operis præsentem monstrat, caliginem vitæ futuram celat. Sed quid inde actum sit, sequitur :

(Vers. 27, seq.) *Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul : Dic puero ut antecedat nos, et transeat : tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini. Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et osculatus est eum.*

63. Quid est enim, quod in extrema parte civitatis rex ducitur, et ungitur ? Sed extrema pars civitatis est ultima pars populi subjecti. Qui ergo ultimum locum tenent in sancta Ecclesia, velut in extrema parte civitatis sunt. Ipsius autem Ecclesiæ in ultima parte, conversi peccatores esse videntur. Nam justi quique in superiori vel prima sunt parte. Aut fortasse primum locum virginitas tenet, secundum continentia, tertium conjugalis vita, ultimum conversio peccatorum. In extrema igitur civitatis parte rex ungitur : quia sanctæ Ecclesiæ rector ordinatur, pro peccatoribus, non pro justis. Hinc enim per semetipsum Veritas dicit : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* IX, 13). Hinc iterum dicit : *Non opus habent sani medico, sed male habentes* (*Ibid.*, 13).

64. Sed puerum Saulis spiritualem sensum designare diximus. Quid est ergo, quod præcedere et transire a Samuele imperatur ? Sed præcedit puer, quando hoc agitur, quod a spirituali sensu nobis suggeritur, non quod a motu carnali imperatur. Sed quosdam præcedit et transit, quosdam præcedit et non transit. Non transit quidem præcedens puer arrogantes, transit humiles : nam dum arrogantes magna et spiritualia agunt, in oculis suis magni sunt. Quasi enim secum habent puerum, quem sequuntur, qui in spiritualibus, quæ agunt, spirituales se esse gloriantur. Quibus profecto propheta exprobrat, dicens : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isa.* V, 21). Electi ergo in omnibus quæ agunt, esse quidem spirituales curant, et tenere se spirituales vitant. Magni quidem sunt merito, humiles æstimatione : quia semper magna agunt, sed in eisdem magnis se magnos nunquam aspiciunt. Quasi ergo puerum, quem præmittunt, transire faciunt, cum spiritualem sensum præsentem habent in opere, sed longe ab æstimatione. Quid vero est, quod paulisper subsistere præcipitur, ut ei verbum Domini indicetur ? Sed paulisper subsistit, præmisso puero, qui ad horam se proprio arbitrio subtrahit, et alienam voluntatem facit. Transire ergo facit puerum, et **228** paulisper subsistit, qui ad præceptum majoris illa etiam, quæ putat spiritualia, deserit : deserit, ut ea, quæ sibi injunguntur, efficere convenienter possit. Quod certe ordinando prædicatori convenit : nam dum pondus pastoralis curæ considerat et infirmitatem suam, hoc sibi se præcedens spiritus dicit : quia tantum onus tam infirmus indigne suscipit. Prætermittat ergo non solum, sed transire faciat puerum : ut non arbitrium suum sequatur, sed illud suscipiat, quod ei melioris provisione decernitur. Et de subsistente protinus additur.

CAPUT V.

(I Reg. x, 1.) *Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus.*

1. Hoc profecto hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur : quia qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur. Ipsas ergo olei virtutes prius videamus attentius. Oleum quippe liquoribus aliis superfertur, oleum ignem fovet, oleum vulnera curare consuevit. Per illud ergo misericordiæ bonum significat, quia scriptum de Domino est : *Miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV, 9). Quia ignem fovet, prædicationis gratiam designat, quæ electorum mentes illuminat. Quia vero vulnera per oleum curantur, hoc profecto insinuat, quod detergenda sunt vulnera peccatorum. Ungatur ergo caput regis, quia spirituali gratia mens est replenda doctoris. Habeat in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi virtutibus aliis præferatur. Habeat oleum, ut dum ardorem sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat nihilominus oleum medicinæ, ut sapienter disponat, qualiter peccatorum fœtores tergat, et ægras mentes saluti restituat. Sed lenticula Saul ungitur, non pro præsignanda doctrina, sed ad exprimenda futura. Lenticula quidem parvum est vas : quid ergo est, quod lenticula olei Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur ? Nam quia obedire Deo postea noluit, a Samuele audivit : *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex* (*I Reg.* XV, 26). Velut enim lenticula olei parum habuit, qui spiritualem gratiam projiciendus accepit. Quod in rectoribus quoque sanctæ Ecclesiæ convenienter accipitur. Plerumque enim culmen prælationis accipiunt, qui in charitate Dei et proximi perfecti non sunt. Quemdam namque affectum charitatis habent, sed plenitudinem ejus non habent. Illa ergo rudis et imperfecta mentis affectio, quid est nisi lenticula olei ? Nam dum ungit caput, et non replet : tota quidem effunditur, sed parum exhibet. E contra autem cum electus rex, ungi præcipitur, eidem prophetæ Dominus ait : *Imple cornu tuum oleo, et veni mittam te ad Isai Bethlehemitem : providi enim in filiis ejus mihi regem* (*I Reg.* XVI, 1). Hinc est, quod idem electus rex plenitudinem unctionis suæ Dei laudibus imputans, ait : *Impinguasti in oleo caput meum, et poculum meum inebrians quam præclarum est* (*Psal.* XXII, 5). Qui ergo gratiam unctionis non perseveraturus accepit, dispensante Deo, per illius vasis liquorem ungitur, quo uncti defectio signaretur. Sequitur :

(Vers. 1.) *Et osculatus est eum, et ait : Ecce unxit te Deus super hæreditatem suam in principem, et liberabis populum ejus de manu inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt.*

229 2. Ad culmen sanctæ Ecclesiæ rector ducitur, ut hoc officium habeat, quo inter Deum et homines pacem ponat. Peccando etenim, inimicitias Creatoris incurrimus. Dum ergo ad peccatorum correptionem rector ponitur, illud de medio tollit, quod Dei nos inimicos fecit. Bene ergo Samuel Saul caput osculatus fuisse perhibetur. Prophetæ namque osculum defixum ille portat in capite, qui reconciliationis nostræ suffragium portat in mente : cum videlicet in se nulla gerit fomenta divinæ discordiæ, qui in mente paci reddere discordes studet. Osculato ergo principe, dicitur : *Unxit te Deus in principem super hæreditatem suam.* Quasi rebus eum admoneat, dicens : Qui te ad hoc positum nosti, ut peccati inimicitias debeas solvere, quod in aliis destruis, in te non debes retinere. Nonnulli etenim et unguntur, et osculum non accipiunt; liberare populum Domini satagunt, sed se inimicorum jugo subjicere non pavescunt. Nam qui aliis bona prædicat, quæ non agit, quasi osculum dat, quod non accipit. Amicos etenim Dei alios facere quærit, et ipse inimicus esse non desinit. Inimicitias peccati in se ædificat, quas in aliis destruere per verbum tentat. Quia ergo ille solum præeminet utiliter, qui per affectum magnæ charitatis Dei amicus est, Samuel caput regis osculatus fuisse dicitur. Hinc ipsa Veritas prius osculatur, quos ordinat : deinde ad liberandos alios mittit. *Vos*, ait, *amici mei estis;* deinde addidit, dicens : *Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (*Joan.* xv, 14). Hinc item resurgens a mortuis dicit : *Pax vobis;* deinde subdit : *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx, 23). Ut velut osculum pacis in eorum mente figeret, quos peccati odia solvere præcepisset. Osculatus ergo rex super hæreditate Domini constituitur, quia electus doctor eligitur, ut fidelibus subditis dignitate præemineat, sed de prælatione sua non suum, sed Domini lucrum quærat. Quare ad hoc constitutus asseritur, ut qui sub eo sunt, de inimicorum manibus liberentur. Hæreditas Domini multitudo fidelium est. Omnis ergo sæcularis intentio removetur, cum rex super hæreditate Domini unctus asseritur. Unctionis ergo fructus est, cultus divinæ hæreditatis. Ille ergo officium unctionis exsequitur, qui sola quærit lucra animarum. Super hæreditate quippe Domini in principem se unctum meminit, qui hoc solum de terrena dignitate quærit, quod per suum ministerium Christus quæsivit. Hoc igitur verbo negligentium rectorum intentio reprobatur.

3. Audiunt namque, quia super hæreditate Domini uncti sunt : quia de terra Dominus nonnisi electos quærit; norunt quod non terræ latitudinem, non auri copiam, non divitiarum affluentiam, sed fideles suos hæreditatem suam dicit, et tamen terrenum quærere, et quod perit congregare non desinunt. Ad id quod Dominus non quærit, tota sollicitudine intendunt; et quod solum quærit, quærere negligunt. Dicitur ergo, in quo se negligentes aspiciant; dicitur, in quo boni meliores fiant : *Unxit te*, inquit, *Deus in hæreditate sua in principem.* Qua sidicat : Hæreditatem suam tuam fecit, vide ut tu in ea aliter non regnes. Liberabis ergo populum de manu inimicorum, qui in circuitu ejus sunt. Grandis labor prædicatori præcipitur per hoc, quod inimici in circuitu esse referuntur. Satis enim grave prælium esset, si in una parte malignorum spirituum sævitiam tolerarent. Hinc per prophetam denuntians, **230** dicit : *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* xi, 9). Hinc beatus Petrus exhortans, ait : *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* v, 8). Inimici igitur nostri in circuitu nostro sunt, quia immundi spiritus cogitationi nostræ, verbo et operationi semper insidiantur. Nam dum prava nobis suggerere appetunt, ab una parte sunt : cum ad mala pertrahunt, eorum prælio ab alia parte pulsamur : cum ad mala opera invitant, ex parte reliqua bellum excitant. In circuitu ergo hostes habemus, qui in omni, quod cogitamus, loquimur et operamur, malignorum spirituum bella patimur. Sed quia non a bello, sed de manibus inimicorum liberare populum dicitur, magna virtutis insignia prædicatoribus adscribuntur : quia non solum liberos, ne capiantur, debent protegere, sed etiam captos de eorum servitute liberare. Hoc autem tunc a regibus nostris agitur, quando illi per eorum prædicationem resipiscunt, qui per audaciam transgressionis subjecti sunt jugo diabolicæ potestatis. Quod profecto agere illi solummodo prædicatores possunt, qui ad culmen regiminis divina ordinatione perveniunt. Nam quos omnipotens Deus ordinat, ad toleranda prælia antiqui hostis mittit, sed eos inter ipsa bella non deserit, quia milites suos protegit, et victores facit. Sed cum sancti viri ad primatum sanctæ Ecclesiæ sustolluntur, vehementer expavescunt, ne onus tanti ordinis sibi judicio hominum sit impositum, non ordinatione Conditoris. Ad robur ergo humilium dantur signa, quibus se a Deo, non ab hominibus, electos sciant. Quare et Samuel subjungens, ait :

(Vers. 2.) *Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem. Cum abieris a me hodie, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel, in finibus Benjamin, in meridie salientes magnas foveas, dicentque tibi : Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas, et intermissis, pater tuus, asinis, sollicitus est pro vobis, et dicit : Quid faciam de filio meo ?*

4. Quasi enim humili pastori, et de tanto ministerio trepidanti dicat : Tu idcirco trepidas, quia an sit ex Deo hoc, quod de te actum est, nescis; sed quia hoc scire potes, trepidare non debes. Hoc igitur tibi signum, quia te non homo, sed Deus in principem unxerit : duo videlicet viri illi tibi dicent : *Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas.* Quasi dicat : Si illos duos viros inveneris, et hoc tibi dixerint, scito, quia te Deus principem, non ego consti-

tui: Quid ergo duo viri isti nobis, nisi perfectos quosque sanctæ Ecclesiæ prædicatores designant? Duo quidem sunt, quia perfecti in utroque præcepto charitatis; viri, quia in sancta conversatione robusti. Qui juxta sepulcrum Rachel inveniri perhibentur, quia per contemplativæ vitæ studium divisi sunt ab intentione sæculi; et dum animarum lucra quærunt, non sunt sepulti. Per Rachel quippe contemplativæ vitæ speciositatem signari venerabilium patrum indubitata sententia est. Juxta sepulcrum ergo Rachel stant viri, quia sic supernæ contemplationi perfecti doctores vacant, ut sanctæ Ecclesiæ sollicitudinem gerant. Juxta sepulcrum Rachel stant, quia statum boni operis dirigunt per virtutem contemplationis: et quia nihil gerunt in opere, nisi quod contemplando disponunt. Et quia in ipsa altitudine supernæ contemplationis non præsumptionem suam, sed rationem sanctæ Ecclesiæ tenere student, sepulcrum Rachel in finibus Benjamin esse describitur. Ut jam dixi, **231** in Benjamin, qui filius dexteræ dicitur, Redemptor humani generis designatur. Fines ergo Benjamin regulæ sanctarum Scripturarum sunt: de quibus profecto finibus scriptum est: *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28). Quia ergo sancti prædicatores, cum summa contemplando vident, a fidei regula non discordant; sepulcrum, juxta quod stant, esse in finibus Benjamin recte dicitur. Qui profecto viri in meridie magnas foveas saliunt, quia per fervorem perfectæ charitatis, in qua assumpti sunt, cuncta, quæ videntur, sæculi alta despiciunt. Quidquid enim in hoc sæculo altum cernitur, non est vera altitudo, sed fovea, quæ omnes, quos in sua ambitione recipit, ad inferna deponit. Alta ergo sæculi viris spiritualibus vitanda, non appetenda sunt, quia ex occulto se aperiunt, et quos absorbendo recipiunt, ad inferna perducunt. Viri ergo spirituales foveas saliunt; quia dum se per cœleste desiderium erigunt, terrena contemnunt. Velut enim visis foveis saltum dant, quando ut terrena contemnant, ad æterna bona concupiscenda se elevant. In meridie ergo foveas saliunt; quia sæculum non possunt contemnere, nisi qui plenam lucem et ardorem supernæ charitatis habent. Tunc ergo Saul unctum a Domino in principem se intelligat, quando isti sibi dicent: *Inventæ sunt asinæ, quas quærebas.* Inventas quippe asinas Saul dicunt, quando ad colligenda animarum lucra idoneum cernunt. Quasi aliter dicat: Electum te a Deo in ministerium prædicationis non ab hominibus credas, si illi hoc de te indicant, qui dum Dei spiritu pleni sunt, quæ dicunt, non humana, sed divina esse sentiuntur. Quia ergo de nobis non nobis, sed nobis melioribus credendum est, apte Saul a viris in meridie magnas foveas salientibus, se a Domino unctum in principem recognoscit. Sed alius est a quo ungitur, alii qui ipsam unctionem a Domino esse attestantur; quia omne negotium sanctæ Ecclesiæ, sicut collatione sanctorum patrum magis probatur, ita et magis robustum est.

5. Quasi enim signum suæ unctionis beatus Paulus tunc quæsivit, quando videre Petrum Jerosolymam venit, et cum eo, et cæteris apostolis Evangelium contulit. Non enim ab homine neque per hominem, sed a cœlo, vocante Domino Jesu, apostolatum susceperat (*Gal.* I); et tamen ministerium unctionis suæ per coapostolorum suorum collationem probabat. Nam de seipso ait: *Contuli cum illis Evangelium, ne in vacuum currerem, aut cucurrissem* (*Gal.* II, 2). Præcursor etiam Redemptoris discipulos unxerat, sed ut signa suæ unctionis agnoscerent, quasi ad salientem magnas foveas mittebat, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Matth.* XI, 3)? Sciebat enim Joannes, quem prædicaverat, quem baptizaverat; sed discipulos mittebat, ut visis signis, quo firmius crederent, electionis suæ indicia securius tenuissent. Qui ergo ad prædicationis ordinem idonei providentur, in signum suæ electionis inventas esse peccatorum, quas quærunt, animas recognoscunt. Et quia omnipotens Deus non solum prædicatione, sed etiam conversatione electi doctoris gaudet, subdit, atque ait: *Et intermissis, pater tuus, asinis, sollicitus est pro vobis, et dicit: Quid faciam de filio meo?* Patrem Saul Cis, qui durus nostro eloquio dicitur, eos designare diximus, qui verbo et exemplo docent terrena despicere, et ad cœlestem patriam per duram et asperam conversationem festinare. Hanc quoque cœlestis vitæ duritiam tam in verbo, quam in vita nostri Redemptoris agnovimus. **232** Si ergo ad summam nostræ eruditionis aspicimus, filii Redemptoris sumus. Pater ergo noster, dimissis asinis, sollicitus est pro nobis; quia Redemptor noster sic vult nos quærere salutem alienam, ut non negligamus nostram. Vult, ut vocentur peccatores ad pœnitentiam, sed non vult ut pereant ii qui ipsos peccatores vocant. Vult, ut conversus peccator justitiam, quam non habuit, habeat; sed non vult, ut justus eam quam habet, justitiæ palmam perdat. Intermissis ergo asinis pro filio sollicitus est, quia prædicatores suos vult ad horam ab aliorum sollicita intentione quiescere, ut sibi ipsis per quietem valeant melius providere. Et quia ipsa sollicitudo sanctæ Ecclesiæ a bono rectore resumenda est, intermittitur quies nostra; quia prævenit hanc sollicitudo prior, comitatur posterior. Electus ergo prædicator vacet utilitati subditorum, vacet suæ; sed sic suæ curam habeat, ut statim ad eam, quam deserit, alienam recurrat; quia tunc Conditor noster nos, quasi filios diligit, cum et subditos nostros, tanquam fratres diligimus, et ipsum quasi patrem amamus, dum per affectum sollicitudinis istis jungimur, et ad illum per quietem nostram, quam diligit, quasi ad patrem festinamus. Hæc namque dilectio quietis nostræ exprimitur in hoc, quod dicitur: *Quid faciam de filio meo?* Hoc profecto pater dicit, qui tenere filium diligit. Hoc igitur non dicitur de præsente filio, sed absente. Sed quia perditas asinas patris quærit, ei valde dilectus est; quia qui peccatorum animas convertere prædicando nititur, Redemptori nostro jam in magna charitate copulatur. Qui certe per aliorum solli-

citudinem ab eo quasi longe est, per quietem contemplationis, et affectum orationis prope. Quia ergo nos sibi vicinos esse et per contemplationem, et orationem appetit, quasi diligens pater dicit : *Quid faciam de filio meo?* Quasi dicat : Quomodo absentem illum, mihi præsentem exhibebo ? Quia vero prædicationis nostræ sollicitudinem magni sanctæ Ecclesiæ viri laudant, sed sollicitudinis nimietatem vituperant, illi qui inventas patris asinas dicunt, sollicitum patrem pro filio asserunt. Signum ergo suæ unctionis cognoscere electi possunt ; quia nimirum tunc a Deo ad sanctæ Ecclesiæ culmen perducuntur, cum per verba et exempla idonei sunt ad salutem alienam, et per quietem studiosi ad suam; et cum peccatores ad cœlum quærunt, semetipsos ad sæculum non relinquunt. Sequitur :

(Vers. 3, 4.) *Cum inde abieris, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient te tres ibi viri, ascendentes ad Dominum in Bethel, unus portans tres hœdos, et alius tres tortas panis, et alius lagenam vini. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum.*

6. Cum bene proficere in sancta conversatione volumus, necessarium nobis est, ut electorum plurimorum nobis exempla colligamus; nam et apes componere mella nequeunt, si ea in floribus variis nequaquam legunt. Bene ergo Saul a viris aliis ad alios pervenit; quia exempla sanctorum, quo copiosius cernimus, melius edocemur. Flores quippe æternorum fructuum, sunt opera sanctorum, quæ dum superni amoris rore perfunduntur, ex eis carpimus, unde ad nostram doctrinam, et ad aliorum utilitatem repleamur. Inde etenim abit, et ultra transit Saul; quando rudis prædicator per electorum exempla proficit, et a conspecta virtute unius, ad explorandam alterius conversationem vadit. Quem sæpe delectat in aliis mirari laborem prædicationis, **233** sæpe in aliis fortitudinem boni operis ; illos loquentes veneratur, istos operantes imitari nititur. Illos aspicit, qua pulchritudine foris fulgeant, istorum splendorem non in exteriori conversatione, sed in intima perscrutatur. Unde et bene cum transit, ad quercum Thabor venire perhibetur. Quercus enim umbrosa est arbor, et fortis. In qua profecto arbore secretior conversatio sanctorum exprimitur. Hujus namque conversationis viri, dum ad exteriora opera activæ vitæ non exeunt, quasi in umbra sunt; quia incendia tentationum sentire non possunt. Quia enim in cœlesti desiderio requiescunt, quo longius amoti sunt ab amore mundi, eo et quietiores manent in umbra refrigerii. Sed umbra hæc fortis est arboris, quia conversatio sanctorum tanto validius terrena despicit, quanto purius in amorem cœlestium surgit. Fortis est etiam, quia sæculi adversa potenter tolerant, qui sola cœlestia, quæ vident, amant. Et quia in magno lumine interni splendoris sunt, qui terrena respicere per amorem dedignantur, quercus ipsa Thabor esse dicitur. Thabor quippe veniens lumen interpretatur. Lumen etenim venit, quando electæ menti se interna Conditoris claritas aperit. Quercus ergo Thabor dicitur : quia secreta conversatio, terrena despiciendo agit, quo intimam Conditoris lucem clarius aspiciat. Secreti namque sumus, quando sensus nostros in Dei timore custodimus. Et tunc quidem veniens lumen cernimus, quia cum bene reguntur membra corporis, menti nostræ refunditur gratia Conditoris. Et notandum, quia ad quercum Thabor venire dicitur, qui a salientibus foveas sollicitum pro se patrem esse sciebat. Nam prædicatores sanctæ Ecclesiæ plerumque virtutes laudant, quibus ipsi vacare non possunt. Contemplativæ quidem vitæ secretum prædicant; sed dum solliciti sunt pro subditorum custodia, illius vitæ adhærere secretis vitant. Quasi ergo Samuel dicat : Viri illi tibi contemplationis studium laudant; sed quia quod laudant, tenere non possunt, in aliis quærendum est. Inde ergo ad quercum Thabor transimus, quando a sanctis prædicatoribus contemplativæ vitæ studium laudabile noscimus; sed perfectionem ejus in illis quærimus, qui ad eam spiritualiter intendunt. Tres ergo viri, qui unctum regem ad quercum Thabor inveniunt, illos designant, qui in contemplativæ vitæ studio perfecti sunt. Qui bene non inveniri a rege, sed regem illic invenire perhibentur. Non enim inveniuntur; quia absconditi sunt. Ipsi vero nos inveniunt; quia lucem suæ secretæ conversationis nobis aperiunt, cum dignantur. Non inveniuntur; quia vitam suam ab omni hominum testimonio auferunt. Sed nos inveniunt; quia per affectum charitatis nobis ad imitandum aliquid suæ lucis ostendunt. Qui item imitandas virtutes suas non proferunt, nisi iis, qui magno desiderio eas obtinere et exercere concupiscunt. Prius ergo nos oportet ad quercum Thabor venire, ut a viris illis tribus valeamus inveniri. Nam velut jam in umbra venientis luminis sumus, quando [a] magnis summæ contemplationis desideriis inflammamur.

7. Tunc ergo nobis tres viri apparent : quia qui se nobis desiderantibus dignantur ostendere, in custodia locutionis, cogitationis et operis fortes sunt. Nam secretioris vitæ esse non possunt, si oculorum, cordis et oris ostia aperta tenuissent. Quia ergo cor ab inepta cogitatione, os ab otioso sermone, **234** totum corpus a prava operatione custodiunt, tres sunt ; viri autem, quia eamdem custodiam fortissime observant. Tres ergo viri nobis apparent : quia cum tales cernimus, in eis robur virtutis intuemur. Qui certe in umbra venientis sunt luminis; quia videre internam lucem Conditoris tanto clarius possunt, quanto studiosius mundum cor a mundi inquinatione custodiunt. Talibus quidem a mortuis resurgens apparuit Dominus, tales replevit Spiritus sanctus. De illo etenim secreto dicitur : *Cum sero esset una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli propter metum Judæorum* (*Joan.* xx, 19). Et rursum :

[a] Gussanv. et Vatic., *magni summæ*, etc.

Post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis, venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. De alio item secreto scriptum est : *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, et factus est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuere illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque super singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto* (*Act.* II, 1). Clausas quidem januas habent, qui contra humani lapsus negligentiam officia corporis, sub forti custodia stricta retinent. Intus etiam sunt; quia in interna dilectione supernæ vitæ requiescunt. Quibus profecto resurgens Dominus apparet, quia ejus gloriam tanto clarius aspiciunt, quanto per mundi contemptum passionis ejus mysterium strictius sequuntur. Hi etiam repleri Spiritu sancto, quasi in domo possunt; quia illi percipiunt abundanter gratiarum ejus dona, qui ad ea percipienda sese, visibilia contemnendo, paraverunt.

8. Qui bene ad Dominum in Bethel ascendere dicuntur. Bethel quippe dicitur domus Dei. Domus vero Dei quæ est, nisi domus illa, quam inhabitat lux inaccessibilis? Lux etiam inaccessibilis est, revelatio divinitatis ejus. Lux quippe est; quia a mundis cordibus qualitercunque videri potest. Plenissima quidem in semetipsa replet omnia, sed abundanter replens universa, non capitur. Capitur quidem, ut repleat, sed replens non capitur, quæ repletis omnibus, non expletur. Revelatio itaque Conditoris, quia tanta immensitas lucis est, ut illuminet omnia, et angustetur in nullo; dum videtur et non comprehenditur, lux est inaccessibilis. Viri ergo hi tres ad Dominum ascendunt; quia qui se in secretiori vita custodiunt, in divinæ lucis contemplatione sublimantur. Sed quia ad ipsam Dei omnipotentis speciem adhuc pertingere non possunt, in Bethel ascendere dicuntur. Quidquid enim de omnipotente Deo humana mens potest cogitare, Deus non est. Sed dum cogitando cuncta transcendit, dum quidquid potest intimæ lucis, quidquid internæ suavitatis et dulcedinis, quidquid spiritualis delectationis sibi fingere, minus illa esse creditur, ad quamdam lucem tamen pervenit, quæ non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur, cogitare compellitur quam ineffabilis lux, dulcedo, et delectatio sit, quæ ipse est, si tam immensa lux est illa, quam inhabitat, et non est ipse. Ad Dominum quippe in Bethel Moyses ascenderat, quando cum eo in monte loquebatur. Sed qui ad lucem pervenerat, quam inhabitat Deus, lucem, quæ ipse Deus erat, quærebat, dicens : *Ostende mihi faciem tuam* (*Exod.* XXXIII, 13). De quo etiam scriptum est, quia, *Loquebatur Moysi* **235** *Dominus facie ad faciem* (*Ibid.*). Quid est, quod facie ad faciem Moyses cum Domino loquitur, et tamen Dominum obsecrat, ut faciem suam Dominus ostendat? Sed facies Dei cognitio ejus est. Cognoscitur autem Deus per speculum, cognoscitur per semetipsum. Per speculum hic, per semetipsum in cœlo. Speculum vero est illa lux, quam habitat Deus; ipse autem lux illa, quæ ipse est (*I Cor.* XIII, 12). Moyses autem qui facie ad faciem Deum videre dicitur, et ejus faciem ad videndum postulare (*Exod.* XXXIII, 13), quid rectius designat, quam perfectionem electorum, qui jam speculum illius summæ lucis intuentur, sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Ista quidem cognitio lucis electorum desideria satiare non novit, sed excitare; illa vero et satiare, et excitare. Nam tam jucunda res est, ut ineffabiliter concupiscatur; et tam plena, ut qui jam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur. Viri ergo, qui ad Dominum ascendunt, in Bethel ascendere dicuntur; quia cum multum in ista vita proficimus, videre ipsam lucem Conditoris per speculum possumus, in seipsam autem minime valemus.

9. Et quia ad hanc sublimem visionem nonnisi humiles exaltantur, bene de eisdem viris dicitur : *Quia unus tres hædos, alius tres tortas panis ferebat.* Tres denique hædos portat, qui ore, corde, et opere se deliquisse pœnitendo considerat. Quia enim per hædos, peccatores significantur, ii qui in extremo examine ad sinistram æterni judicis statuendi sunt, hædorum nomine exprimuntur. Tres ergo hædos ad Dominum portat, qui peccata operis, verbi, et cogitationis pœnitendo considerare non desinit. Et vir quidem est, et tamen hædos portat; quia peccare fortiter cavet, sed quasi peccator non desinit satisfacere. Nam vir erat, et hædos portabat, qui dicebat : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Et quia peccata, quæ confitentur, delere pœnitendo satagunt : unus tres hædos, alius vero tres tortas panis portat. Tortas quippe panis superius ad afflictionem pœnitentiæ retulimus; quia si panis aliquando delectationem præsentis vitæ significat, panis torquetur, cum pro præterita carnis delectatione cruciamur. Unde et rex Ezechias cum pœnitendo compungitur, delectationes regias se torturum promittit, dicens : *Recogitabo omnes dies meos in amaritudine animæ meæ* (*Isai.* XXXVIII, 15). Quando etenim carnalis mens in culpæ delectationes resolvitur, quasi diem habet; quia hoc quod agit, lætanter videt. Dies ergo mentis reprobæ sunt delectationes malæ. Omnes ergo dies suos peccator recogitat; quia cum per divinam gratiam resipiscit, satisfacere pro universis malis non desinit. Prius enim dicitur unus portare tres hædos, deinde alius tres tortas panis; ut electi cujusque virtus appareat, qui fortis est in bono opere, humilis per æstimationem, afflictus per contritionem pœnitentiæ. Et quia tantæ perfectionis esse nequeunt, nisi qui amore æternorum bonorum, temporalium obliti sunt, tertius lagenam vini portare dicitur. Lagenam quippe vini portat, qui mentem replevit calore Spiritus sancti, quo et anteriora fortiter currendo appetat, et ea quæ retro sunt, velut in magna ebrietatis oblivione derelinquat. Nam

hædos portabat, qui dicebat : *Venit Christus vocare peccatores, quorum primus ego sum* (*I Tim.* I, 15). Et quia etiam tortam panis portabat, dicit : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX, 27). Sed quasi amphoræ vino ebrius, dicit : *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor* **236** *bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu* (*Phil.* III, 13). Viri ergo tres ad Dominum ascendunt, et tres hædos, et tres panis tortas, et vini lagenam deferunt : quia remotioris vitæ studiis dediti, ad contemplationem veri luminis surgunt ex merito humilitatis. Sed quales sunt in se, quales vero sint aliis exponit, dicens : *Cumque te salutaverint, dabunt tibi tres tortas panis, et accipies de manu eorum.* Salutant nos viri sancti, quando nobis bona æterna salutis annuntiant. Qui vero nos per corpus salutant, caput inclinant, ut reverentiam salutatis exhibeant. Viris autem spiritualibus caput inclinare, est mentem a summa contemplatione deponere. Nam si caput non inclinant, salutare non possunt : quia nos salutari eruditione non instruunt, si mentem a summa contemplatione cœlestium non deponunt. Tunc enim nobis magnam reverentiam exhibent : quia eos, pro quibus ab alto suo culmine descendere dignantur, parvos esse non tenent.

10. Sed dum futurus rex salutatur, duo ei panes tribuuntur. Duo enim panes ordinando prædicatori dantur, quando flere docetur peccata non solum sua, sed aliena. Habet ergo panem unum tortum, quando pro peccatis suis affligitur, habet alium, quando subditorum peccata plangere conatur. Sed et hunc panem Psalmista clarius insinuans, ait : *Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*Psal.* CXXVI, 2). Hinc Domino confitetur, dicens : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis cum mensura* (*Psal.* LXXIX, 9). Panis ergo torta, panis est doloris, et panis lacrymarum. Et fortasse idcirco ille vir unus tres panis tortas portabat : quia tres erant, qui simul pergebant, ut cum inter se eos dividerent, singuli singulos panes haberent. Quod etiam de hædis intelligi convenienter potest. Qua in re quid notandum est, nisi quia remotioris vitæ viri dum singularem conversationem tenent, sollicitudinem aliorum non habent? Unum ergo hædum, et unum panem habent, qui pro solis suis peccatis compunguntur, et alienis per pastorale officium non gravantur. Et quia, qui ejusdem perfectæ conversationis sunt, in seipsis afflictionem carnis æmulantur; bene tres panes unus, et alius tres hædos, et tertius vini lagenam portat. Velut enim unus portat, quod oblaturi, aut comesturi sunt omnes; et omnes manducant vel offerunt, quod portat unus, quando pia æmulatione eorum quisque succensus, in se habet bona exempla pro aliis, et bona, quæ habent alii, non negligit imitari. Et quia feminino genere dicuntur tortæ panis, hoc profecto insinuat; quia qui ex consuetudine compungitur, ei nimirum ex lacrymis aliis aliæ plures oriuntur. Quasi enim in femineo sexu fœcunda est pœnitentis afflictio; quia quo sæpius quisque compungitur, eo et largiora ei lacrymarum fluenta ministrantur. Saul ergo non unus panis, sed duo dantur, quia flere prædicatori pro se solo non sufficit. Accipiat ergo de virorum manibus duos panes; ut videlicet flere exemplo perfectorum discat, sed fletum necessarium sibi, et pro se subditis recognoscat. Et quia in manu aliquando potestas accipitur, viri tres panes habent in manu; quia qui provecti sunt in arcem contemplationis, fletum habent in virtute potestatis. Quia enim nolunt vana lætitia dissolvi cum possunt, possunt merito flere cum volunt. Nos quippe infirmi et custodiam mentis nostræ negligentes, etiam cum compungi et flere pro peccatis nostris volumus, non valemus. Quia enim ex magno fervore spiritus, spirituales **237** lacrymæ producuntur, qui negligentiæ nostræ frigore constringimur, incalescere cito ad lacrymas prohibemur. Bene ergo panes in manibus habere dicuntur, qui ad quercum Thabor futuro regi apparere perhibentur; quia qui in contemplatione vitæ privatæ perfecti sunt, lucrum habent subditorum pro observatione virtutum.

11. Et notandum, quia uncto regi Samuel præcipit, dicens : *Et accipies de manu eorum.* Cujus verbi, quæ melior ratio colligi potest, quam ea quæ palam cernitur : quia videlicet in sanctis viris afflictionem non libenter æmulamur? Nam qui honorem prælationis, et dignitatem ambiant, innumeri sunt : qui vero laborem ministerii, et afflictionem carnis de eadem prælatione appetant, pauci. Libenter quidem volumus super alios sublimari, sed eorum plangere peccata vitamus. Tunc enim panes nobis oblatos videmus, sed de manibus offerentium recipere nolumus : quia in electis viris afflictionem cernimus, quam non imitamur. Præcipiat ergo propheta, dicens : *Accipies de manu eorum.* Ut qui idoneus esse appetit rector Ecclesiæ, quod dictum est, assumere nequaquam vitet. Bene quoque Saul prius ad viros salientes magnas foveas ducitur, deinde ad eos, qui panes, hædos, et vinum portant : ut rudis prædicator in aliis discat, sæculi alta despicere, et in aliis carnis afflictionem, et lacrymarum hostias pro se, et subditis omnipotenti Deo offerre. Sed et adhuc profectus ejus summam insinuans propheta, subjungit, dicens :

(Vers. 5, 6.) *Post hæc venies ad collem Domini, ubi est statio Philisthinorum, et cum ingressus fueris urbem, obvium habebis gregem prophetarum, descendentem de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam; ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium.*

12. Collis, altitudo est montis. Quid vero in colle hoc rectius accipitur, quam sancta intentio Scripturarum? Altitudo quidem montis est : quia non jacet in plano litteræ, sed nimis erecta est in spiritualium sensuum sublimitate. Recto igitur virtutum itineri rudis innititur prædicator, si postquam publicos

prædicatores et remotos anachoretas viderit, Scripturæ altitudinem videat et agnoscat. Qua in re notandum est, quia Saul in eo quod ab humero et sursum supra omnem populum eminet, eruditum, et magnæ conversationis virum signare diximus. Cur ergo ad collem Domini ascendit, ut ad Scripturarum altitudinem veniat, quam cognoscit? Sed simili modo de eo quæri potuit, quod ad videndos viros salientes magnas foveas ierit, qui magnæ conversationis esse dicebatur. Ad quod dicendum : quia magnos viros designare ostensus est in conversatione, sed ministerio prædicationis rudes. Qui ergo per exempla meliorum proficere, et in contemplationis puritate et officio prædicationis potest, redire ad altitudinem Scripturarum debet : quia quo altiori vita proficit, sublimitatem sacri eloquii valde subtilius attendit. Dicat ergo propheta : *Post hæc venies ad collem Domini*. Quasi dicat : Cum perfectionem sanctorum virorum perfecta imitatione comprehendis, in tantam Scripturæ sacræ intelligentiam proficies; ut planum jam esse videas, quod in ea te sublimiter videre cogitabas.

13. Ibi est statio Philistinorum : quia qui superbiæ potu de cœlo ceciderunt, Judæis atque hæreticis per Scripturas illudunt. Stant ergo in colle : **238** quia eorum corda, quæ possident, in Scripturis decipiunt intelligentiæ falsitate. Quoties ergo Judæi ad collem Domini ascendere præsumunt, a Philisthæis ibi stantibus captivantur. Dum enim Scripturæ sensum se sublimiter intelligere æstimant, eis in ascensu suo dæmones obviant, et decipientes necant. Merito ergo Saul non statim, sed prius, visis salientibus foveas, et panes et vinum portantibus, ad collem Domini ire præcipitur : quia viri fideles magna et doctrinæ meliorum et exemplorum tutela muniuntur. Unde et eidem Saul dicitur : *Obvium habebis gregem prophetarum venientium de excelso*. Quasi dicat : Philisthinorum stationem timere tanto minus poteris, quanto ad securitatem obvios prophetas habebis. Et quia grex prophetarum dicitur, magna defensorum nostrorum multitudo signatur. Timeat ergo Judæus : quia dum solus ascendit, interit. Quid enim iidem prophetæ nobis obviam venientes dicunt? *Væ soli, quia si ceciderit, non est qui erigat eum* (*Eccle.* IV, 10). Solus namque est, qui a Deo relinquitur. Hunc certe cadentem nullus erigit, quia relictum a Deo sanctorum aliquis non assumit. Electus ergo quisque securus ascendit : quia solus non est. Qui enim per nos loquitur, nobiscum est. Nam et repromittit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Solus quippe non erat, qui dicebat : *Solus non sum, sed qui misit me, mecum est* (*Joan.* VIII, 16). Solus item non erat, qui exquirebat, dicens : *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII, 3)? Quod non solum de Domini spiritali præsentia, sed et materiali electorum doctrina intelligi convenienter potest. Sancti quidem prædicatores in collem Domini, ubi est statio Philisthinorum, ascendunt : sed quia prophetarum gregem habent obvium, ipsos Philisthæos nequaquam metuunt. Qui vero sunt hi prophetæ, nisi magni prædicatores sanctæ Ecclesiæ? Prophetæ namque ministerium est occulta revelare, et futura prædicere. Doctores autem sanctæ Ecclesiæ dum occultos Scripturarum sensus ad communem scientiam trahunt, secreta, quæ nesciuntur, aperiunt : et dum æterna gaudia prædicant, futura revelant. Prophetæ ergo nobis obviam veniunt : quia doctores sanctæ Ecclesiæ, Scripturæ sanctæ veritatem nobis ostendunt. Dum enim ea, quæ de sacro eloquio scire volumus, nobis dicunt, per viam, qua ad collem Domini pergitur, euntibus occurrunt. Ibi ergo per occursum prophetarum securi sumus, ubi Philisthæi sunt : quia per auctoritatem sanctorum prædicatorum Scripturæ intellectum agnoscimus, in qua Judæi, et hæretici errorum suorum gladio a dæmonibus perimuntur. Ecce enim si ad Legem Moysi recurrimus, collem profecto Domini invenimus. Ibi certe de tabernaculo, ibi de magno pontifice, ibi de hircorum et vitulorum simul, et Agni paschalis sanguine legimus. Judæi hoc suo spiritu juxta litteram intelligunt, in quo quia nullum prophetarum secum habent, moriuntur. Ego si ad hunc montem ascendere volo, ante descendentes prophetas video, et securus ascendo. Et ut novos interim deseram, Isaias ascendenti prius occurrit, dicens : *Quasi ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se, non aperiet os suum* (*Isai.* LIII, 7). Hinc Paulus ait : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa* (*Hebr.* IX, 11, 12). **239** Sed si plures habere volumus in isto colle, omnes prophetas requirentes invenimus : quia quod veteres doctores promiserant, hoc in Redemptore nostro novi prædicatores impletum esse demonstrant.

14. Quare et collis nomine Redemptor humani generis convenienter designari potest. Unde Isaias vaticinans, dicit : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Isai.* II, 2). Collis quidem dicitur pro sublimitate sanctitatis : Domini vero, quia summi est filius Genitoris. In quo nimirum colle statio Philisthinorum esse dicitur : quia et in signum natus est, cui contradicatur. Statio quidem Philisthinorum est contrarietas hæreticorum. Velut enim in colle stantes, ad collem ascendentibus insidiantur : et dum Scripturas sacras male exponendo pervertunt, ad cognoscendum Redemptorem negligenter ascendentes perimunt. Electus ergo ne trepidet, gregem prophetarum ascendens obvium habet : quia ei ipsum Redemptorem annuntiant omnes prædicatores Testamenti veteris et novi. Qui nimirum de excelso veniunt : quia quæ in terra prædicant, in cœlo vident. Unde et Joanni quasi vero ex electo grege prophetarum a cœlo dicitur :

Ascende huc, et ostendam tibi quid oporteat fieri post hæc (*Apoc.* IV, 1). Qui cum ascendisset, agnum quem Moyses occidendum figuraverat, et ipse in cruce oblatum viderat, jam regnantem conspexit et agnovit : et quantas gratias agerent ei ii pro quibus occisus fuerat, didicit. De excelso igitur prædicatores veniunt : quia quod minoribus prædicant, in cœlesti contemplatione didicerunt.

15. Bene etiam grex prophetarum Saul occursus in ingressu urbis asseritur ; quia summos prædicatores sanctæ Ecclesiæ illic videre possumus, ubi descendunt, non ubi sublimantur. Ea enim, quæ nobis parvulis dicunt, audimus : sed ea quæ vident in cœlestibus, quomodo videant, aut dulciter ament, non videmus. Paulus namque apostolus raptus est in paradisum, et assumptus est ad tertium cœlum, audivit etiam arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4). Quis ergo invenire tantum prædicatorem possit in paradisum raptum, aut ad tertium cœlum assumptum ? Sed ista de se coactus beatus Paulus dixit. Unde et in fine expositæ sublimitatis se humilians, ait : *Factus sum insipiens, vos me coegistis* (*II Cor.* XII, 11). Quanta ergo fuerunt illa, quæ dicere noluit, si ad hæc manifestanda coactus venit ? Nam et qui audivit et quæ homini non licet loqui, vidit quæ homini non licet scire. Dicas fortasse : Si vellet, humana tamen quomodo dicere posset locutione, illius tertii cœli pulchritudinem, intimæ illius claritatis lucem referre, angelorum fulgorem inenarrabilem, et inaccessibilem claritatem, quam dulciter de plenitudine illius electi et beati illi æterni cives omnes accipiant, quam desideranter sumant, quam pleniter repleantur, quam suaviter divinæ bonitatis dulcedinem gustent, quam delectabili plenitudine satientur : qui splendores sunt singulis de una ineffabili illa luce Conditoris, quæ simul omnium de una illa gloria pulchritudo : qua excellentia dignitatis alii præemineant aliis, qua sunt boni melioribus ineffabilis justitiæ jucunditate subjecti ?

16. Ad hoc ergo excelsum Paulum sequi non possumus, sed urbem ingredimur, in qua velut ab alto descendens, nobis obviam venit. Nam qui cernere non possumus alta quæ prædicatores vident, venerabiliter audire debemus plana, quæ docent. **240** Sed cum descendunt, ante se psalterium, tympanum, tibiam, et citharam deferunt. Psalterium quippe habent, quia regnum cœlorum annuntiant : tympanum habent, quia prædicant mortificationem carnis : tibiam habent, quia flere subditos jubent pro acquisitione æternæ lætitiæ : citharam quoque habent, quia gaudere pios pro certitudine æternorum bonorum edocent. Psalterium quidem, qui a superiori parte resonat, etiam æternorum gaudiorum prædicationem designat : quia dum superna amare suggerit, quasi a superiori parte suæ dulcedinis sonum mittit. Tympanum vero, quia de mortui animalis corio tenditur, in eo non inconvenienter carnis nostræ mortificatio figuratur. Tibiam autem, quia in mortuorum hominum exequiis haberi soleat, de Evangelio didicimus : quia dum Dominus archisynagogi filiam resuscitare vellet, de domo illius tibicines ejecit, et turbam tumultuantem exputlit (*Matth.* IX, 25). Quid ergo in tibia, nisi sanctorum luctus exprimitur ? Nam dum se ab illa vita æterna, quam appetunt, projectos aspiciunt, semetipsos quasi mortuos plangunt. Cithara autem valde lætum musicum est instrumentum. Quo nimirum instrumento verbum solatii electorum apte figuratur : quia velut ad sonum citharæ hilarescimus, quando nos electi prædicatores inter ærumnas præsentis exsilii consolantur. Psalterium ergo primum in promissione prædicatorum ponitur : quia ante omnia cœlestis regni gloria prædicanda est ; ut dum bonum agnoscimus quod amemus, laborare pro eodem bono adipiscendo cupiamus. Hinc est quod cum in Evangelio Matthæus principia Dominicæ Incarnationis assereret, dixit : *Cœpit Joannes prædicare, et dicere : Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum* (*Matth.* IV, 17). Sed quia cum cœlestia noscimus, si ad ea pervenire volumus, necesse est, ut passiones carnis mortificemus, prædicatores sanctæ Ecclesiæ velut post psalterium, sonum tympani faciunt. Ipsa autem mortificatio corporis quid est aliud, quam præparatio æternæ beatitudinis ? Cœlestia ergo præparari diligimus, et ardentissimis fletibus ea postulare jubemur. Quasi enim tibia mortuos plangimus, quando vehementer dolemus, quia adhuc in illa æterna vita non vivimus. Post tympanum ergo, prædicatores nostri tibiam habent, quando et membra nostra nos docent mortificare, et pro amore æternæ vitæ ingemiscere. Citharam quoque post tibiam ducunt : quia præcipiunt sic deflere ærumnas præsentis exsilii, ut gaudeamus de promissione æternæ hæreditatis. Nam psalterium insonabat propheta magnus, cum dicebat : *Oves meæ vocem meam audiunt, et vitam æternam do eis* (*Joan.* X, 27). Psalterium item percutiens, ait : *Exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 14). Tympanum sonabat, qui dicebat : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam* (*Coloss.* III, 5). Tibiam sonabat, qui dicebat : *Miseri estote, lugete, risus vester vertatur in luctum, et gaudium in mœrorem* (*Jac.* IV, 9). Tympanum sonabat, qui dicebat : *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oves occisionis* (*Psal.* XLIII, 22). Tibiam vero ante se habet, qui item Deo loquitur, dicens : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in mensura* (*Psal.* LXXIX, 6). Tibiam ante se habebat Dominus, cum dicebat : *Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini* (*Joan.* XVI, 20). Sed velut citharæ sonum subjungens, ait : *Tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Ibid.*). Quasi citharam nobis sonabat, qui dicebat : *Gaudete* **241** *in Domino semper, iterum dico, gaudete : modestia vestra nota sit omnibus hominibus ; Dominus prope est* (*Philip.* IV, 4). Ci-

tharam nobis sonat, qui civitatis nostræ bona annuntians, ait : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis* (*Isa.* LI, 3). Quia ergo prædicatores sanctæ Ecclesiæ cœleste regnum annuntiant, et pro eodem regno adipiscendo, mortificare carnem, flere captivitatem, in spe futuræ beatitudinis nos exsultare præcipiunt : prophetæ ab excelso descendentes, ante se psalterium, tympanum, tibiam, et citharam habere perhibentur. Et grex quidem prophetarum dicitur, quia multi sunt pastores sanctæ Ecclesiæ, et pastorem unum habent Dominum Jesum Christum.

17. Et notandum quia psalterium, tympanum, tibiam, et citharam ante se habere prophetæ perhibentur, ut electorum prædicatorum forma videatur. Reprobi namque post se, quæ prædicant, habent : quia dicunt et non faciunt, negligunt bona agere, quæ cognoscunt. Unde et adhuc regi Saul, jam Domini mandata contemnenti, dicitur : *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex* (*1 Reg.* XV, 23). Hinc per prophetam de Judæis Dominus queritur, dicens : *Projecerunt me post corpus suum* (*III Reg.* XIV, 9). Sancti ergo doctores, quia iter supernæ conversationis, quod prædicant, continuo incessu boni operis servant, in eorum typo dicitur, quia prophetæ psalterium, tympanum, tibiam, et citharam ante se descendentes habuerunt. Possunt enim hæc instrumenta ad prædicationem redemptoris referri. Et quia non valde superius, collem Domini ipsum esse Redemptorem diximus, organorum convenientiam intueamur. Qui regni æterni eum regem nominat, nobis profecto psalterium sonat. Et qui disciplinam mortificationis nostræ in eo asserit, velut tympanum ferit. Tibiam sonat, qui mortuum Redemptorem pro salute mundi denuntiat. Citharam percutit, qui eum a mortuis surrexisse, et ad cœlos ascendisse dicat. Sed ad tantorum organorum jucunditatem hilarescimus, si ipsum prophetarum gregem insonantem audiamus. David namque dicit : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus usque ad summum* (*Psal.* XVIII, 7). Hinc item dicit : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei* (*Psal.* LXXI, 11). Velut enim psalterium in laudem Redemptoris tenuit, qui superiorem partem laudis obtinuit, et Redemptoris adventum a summo cœlo prædicavit. Tympanum mortificationis ejus Isaias tetigit, dicens : *Et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem : et quasi absconditus vultus ejus et despectus ; unde nec reputavimus eum* (*Isa.* LIII, 3). Tibiam mortis ejus item sonans, ait : *Tanquam ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus obmutuit* (*Ibid.*, 7). Citharam resurrectionis David increpans, ait : *Commoveatur a facie ejus universa terra, dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno : etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur* (*Psal.* XCV, 10). Citharam ascensionis etiam tangens, dixit : *Regna terræ cantate Deo, qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem* (*Psal.* LXVII, 33, 34). Prophetæ ergo de excelso descendunt, quando sancti prædicatores illa sacramenta nobis annuntiant, quæ alta contemplatione didicere. Et psalterium, tibiam, et citharam dicunt : quia Redemptorem nostrum æterni regni Dominum asserunt, et per humanam conditionem humiliatum, et morte sua mundum redimere, et resurgendo cœlestia reparare. Quæ nimirum laudis instrumenta ante se **242** habent : quia ea, quæ dicunt, intelligunt. E contra vero Caiphas prophetare dicitur (*Joan.* XI), et ea quæ dixit, ignorare ; cum tibiam Dominicæ mortis, quam tetigit, et non ut electus propheta haberet ante se, sed post se. Bene ergo de electis prophetis subjungitur : *Ipsosque prophetantes*. Quia dum vident quæ dicant, velut ante se habent instrumenta, quæ tangant ; et dum prædicant, illud proferunt, quod prævidendo cognoverunt. Saul ergo ad collem Domini venit, quando electus et rudis prædicator spirituali scientia proficit, et Redemptorem humani generis non in plano humanitatis, sed in alta divinitatis ejus majestate cognoscit. Tunc quidem prophetarum choros concinentes audit : quia omnes Scripturas, quæ de ipso sunt, perfecte intelligit. Qui igitur viros magnas foveas salientes vidit, qui hædos, et tortas panis, et amphoram vini portantes aspexit, ad collem Domini pervenit ; quando is, qui per electorum exempla profecisse cognoscitur, ad culmen scientiæ sublimatur, et Redemptorem sublimiter sciens, ineffabiliter diligit, a quo quod item scire de eo appetit, quasi familiaris amicus possit.

18. Bene [a] subditur : *Et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis*. Insilire spiritus Domini dicitur, quia electorum corda donis ejus subito replentur. Qui statim prophetare incipiunt : quia qui divino spiritu pleni sunt, Dei magnalia tacere non possunt. Vel prophetaturus asseritur, cui Samuel divini verbi gratiam pollicetur. Quod tale est, ac si dicat : Qui modo in illa abundantia in te supervenientis spiritus loqui non potes, quando illa se tibi plenitudo infuderit, loquendi copia abundabis. Hunc quippe insilientem spiritum discipulis promittens Dominus, ait : *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 13). In eos quidem superveniens spiritus insilit, quorum corda repente veniens, illustravit (*Act.* II, 2). Et illustrati prophetavere, quia Redemptorem humani generis omni lingua prædicaverunt. Quod certe in sancta Ecclesia etiam nunc fieri cernimus : quia sæpe qui divina loqui appetunt, ab eodem spiritu subito docentur, et loqui optime ea etiam possunt, quæ præmeditatione nulla didicere. Pro custodia quippe mandatorum Dei, percipiunt gratiam verbi in sublimi revelatione Redemptoris. Quid enim mirum, si lucem scientiæ percipere subito possunt, qui per vitæ puritatem sedes

[a] Vatic. et Gilot., *bene itaque*.

sancti Spiritus semper sunt ? Sed quale esset sancti Spiritus donum, si scientiam daret, et affectum magnæ charitatis non daret ? Qui enim illo spiritu replentur, cœlestia prædicant, sed quæ loquuntur, amant. Apte ergo subjungit : *Et mutaberis in virum alium.* Amor electæ mentis quid est aliud, quam immutatio vetustatis ? Natura enim nostra per lapsum primi hominis sic damnata est, ut quotidie labendo deficiat, et deficiendo veterascat. Sed qui in nobismetipsis deficimus, cum in nos ille spiritus insilit, renovamur : quia statim quod non eramus, efficimur. Tepidus erat quis, sed repente visitatus a spiritu, fervens efficitur. Incipit ardere per devotionem, fortiter exerceri in bono opere. In virum ergo alium mutatus est : quia esse cœpit, quod ante insilientem spiritum in se, esse non potuit. Jam bonæ conversationis est aliquis, cœlestia amat, terrena despicit, sed pro iis, quæ sursum diligit, et pro iis, quæ odit in infimis, flere non prævalet. Sæpe vero flere appetit et non **243** potest qui plura, quæ flere debeat, commisisse recolit : sed cum subito ille spiritus insilit, in lacrymarum fontes erumpit. In virum ergo alium mutatur, qui compunctionis gratiam per advenientem spiritum suscipit, quam ante adventum ejusdem spiritus non habebat. Puritatem cordis quis obtinere appetit, cœlestia cogitare, nullis curarum sæcularium occursionibus impediri; sed ad id, quod per devotionem appetit, assurgere nequit per affectum puritatis. Repente autem raptus in virtute supervenientis spiritus esse carnalis desinit, potenter sæculi curas abjicit, et in æternorum contemplationem mira puritate consurgit. Miratur se tunc esse, quod non erat : miratur se tunc non fuisse, quod est. Nam cum in spiritualibus talem se vidit, miratur qui talis est, quod talis fuisse non potuit. In virum ergo alium mutatur, qui illud, quod non fuit, se videt esse, et illud, quod fuerat, non esse. Bene ergo de Saul : *Mutaberis in virum alium.* Quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ cum gratiam divinæ prædicationis accipiunt, non accipiunt solam scientiam verbi, sed virtutem amoris: ut per verbum aliis prodesse valeant, et per verbi amorem ipsi meliores fiant. Quando etenim loquuntur, mutantur in virum alium : quia cum per eos spiritus loquitur, ipsi mira charitate eidem spiritui conjunguntur, et ab ejus voluntate jam nec verbo nec operatione dissentiunt. Talem namque virum sacra Scriptura collaudans, dicit : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Deo namque adhæremus, quando Spiritus sancti gratiam abundanter accipimus ; et unus spiritus cum eo efficimur, quando divinæ voluntati mente, ore, et opere concordamus. Bene ergo propheta Samuel subjunxit, dicens :

(Vers. 7.) *Quando enim venerint tibi omnia signa hæc, fac quodcunque invenit manus tua : quia Dominus tecum est.*

19. Hæc quidem signa sunt in quibus se prædicator agnoscat, et tunc omne, quod disponit agere, audeat, cum certa experientia noverit ; quia in A magna charitatis abundantia virtutem suscipit Spiritus sancti. Sed docere ea debet prædicator, quæ agit, sicut de Domino Lucas dicit : *Quia cæpit Jesus facere et docere, usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est* (*Act.* I, 1, 2). Hinc Paulus ait : *Non audeo loqui ea, quæ per me non effecit Deus, in obedientia gentium verbo et factis* (*Rom.* XV, 18). Samuel itaque uncto regi præcipit, dicens : *Fac quodcunque invenit manus tua.* Quasi dicat : Cum te divina gratia plenum videris, doce alios quidquid facis, quia ex præsidente tibi eadem divina gratia habes et optime vivere, et utiliter prædicare. Sed tamen quid ante hæc omnia observare debeat subjungit, dicens :

(Vers. 8.) *Et descendes ante me in Galgala. Ego* B *quippe descendam ad te, ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas. Septem diebus exspectabis me, donec veniam et ostendam tibi quæ facias.*

20. Quid est, quod prius dicit : *Fac quodcunque invenit manus tua,* deinde subdit : *Septem diebus exspectabis me, donec veniam, et ostendam tibi, quæ facias.* Sed qui signa perceperat, quibus se unctum regem a Domino sciret, probandus erat an ipsa signa cognosceret. Quod quidem magis spirituali, quam historicæ explanationi convenit. Nam venire in collem Domini, ad perfectam cognitionem et amorem Redemptoris pertinere diximus : prophetiæ dono repleri, ad virtutem Spiritus sancti. Dicit ergo : *Quando tibi omnia hæc signa venerint,* **244** *fac quodcunque manus tua invenit.* Quia quisquis certus C est de intima inspiratione sancti Spiritus, præsumere potest tam de proposito boni operis, quam de dispositione prædicationis. Dixit item : *Septem diebus exspectabis me, donec veniam ; et ostendam tibi, quæ facias.* Quia summi pastores sanctæ Ecclesiæ dum de minorum profectione dubitant, solliciti valde sunt, ut hanc in eis certis indiciis recognoscant. Quæ autem sunt indicia spiritus, nisi excellentia dona humilitatis. Sanctus enim Spiritus, quo majori luce virtutum electorum corda irradiat, eo et abundantiori dono humilitatis ditat. Quo enim celsiores sunt meritis, planiores sunt per virtutem humilitatis. Qui ergo ante prophetam in Galgala descendere et exspectare jubetur, ei nimirum pro cognoscenda humilitate, obedientiæ onus injungitur. Rectus quoque D ordo electæ conversationis est, ut obedientiam non injungat aliis, quam ipse aliis impendere non curavit. Exspectare ergo præcipitur, ut, an sit vere humilis, agnoscatur. Si ergo signum perfecti prædicatoris est repletio sancti Spiritus, et virtus humilitatis signum illius plenitudinis, quid in laude humilitatis dicitur, nisi quia ejus dona sunt signa signorum ?

21. Sed quia immolaturus rex per prophetam præire jubetur, ea, quæ dicuntur, melius cernimus, si ex ordine videantur. Galgala quidem interpretatur rota. Quid vero rota in isto loco significat, nisi vitam obedientium ? Rota quidem volvendo graditur, et modo alta petit, modo inferiora. Sic nimirum vita obedientium, quia inferius agit quod sursum pertrahit, et

sursum videt quod inferius exhibet, quasi ad alta sublevatur, et ad ima deponitur. Nam quod obedientes inferius agunt, sursum tollunt; quia quando prælatorum jussis obediunt, terrena sunt quæ operantur; sed de terrenis, quæ faciunt, superna præmia præstolantur. Item quod sursum habent, ad terram flectunt, quia ut bene terrena agant, cœlestia contemplantur, et illud solummodo operantur, quod summæ illi felicitati convenire conspiciunt. Hanc profecto rotam flectere Moysi Dominus præcipiens, ait: *Omnia fac sicut ostensum est tibi in monte* (*Exod.* xxv, 40). Qui enim in summis vidit, quod fecit in infimis; nimirum superiorem rotæ partem ad terram flexit. Inferiorem quoque partem ad superiora extulerat, qui dicebat: *Vivit Dominus in cujus conspectu sto* (*III Reg.* xvii, 1). In imo quidem stabat per humilitatem obedientiæ, dum regi perfido exprobraret; sed planitiem operis in sublimitate extulit divinæ contemplationis, ut velut currentem rotam optime volveret, dum in terreno opere, quid cœleste mereretur, aspiceret. Hæc profecto forma est electæ obedientiæ; ut in omni, quod foris agimus, ad potentiam Conditoris ubique præsentem respiciamus. Sic nimirum in subditione obedientiæ nostræ habere possumus et rectitudinem operis, et incrementa devotionis. Recti quidem tunc sumus opere, quia pro eo, quem cernimus, nos in labore obedientiæ exercemus. Devoti etiam sumus, quia ei nos placere credimus, quem inspectorem nostrorum laborum attendimus, et largitorem æternæ retributionis. Et quia majorum imperia perfecta humilitate observanda sunt, bene Saul dicitur: *Septem diebus exspectabis.* Septenarius quippe numerus propter dona septiformis Spiritus est. Septem diebus doctores Ecclesiæ exspectamus, quando per virtutem septiformis Spiritus, tantam intimæ devotionis claritatem suscipimus, ut eorum præcepta nullatenus negligamus. **245** Quo in loco notandum est, quia non dixit: Septem diebus eris in Galgala, sed: *Septem diebus exspectabis me, postquam descenderis ante me.* Ante prædicatorem descendimus, quando hoc agimus, quod ejus nobis judicio imperatur. Tunc quidem descendere dicimur, quia mentes nostras eorum imperio subjugamus. Septem vero diebus exspectare est bonum obedientiæ omni luce cordis implere. Quod tunc certe agimus quando majorum mandata nec dura nec levia præterimus. Nullam quippe dierum ab hac luce vacantem Dominus esse volebat, quando dicebat: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19). Et quia perfecta obedientia quam hominibus exhibemus munus est Creatoris; qui septem diebus exspectat oblationem offerre dicitur et pacificas victimas immolare. Oblatio quidem Domini est quia hominibus pro Deo offertur, sed oblata hominibus a Deo suscipitur. Victimæ sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur.

22. Sed notandum est quia Samuel ante se Saul in Galgala descendere præcipit, sine se autem eum offerre oblationem et victimas noluit. Nam dixit: *Ego quidem descendam ad te ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas. Septem diebus exspectabis me, donec veniam ad te, et ostendam tibi quæ facias.* Quid est hoc nisi quia ipsa bona nostra et ignorare sapienter, et scire aliquando utiliter debemus? Ignoranda quidem sunt, ne infirmis nobis elationem præbeant: sed a perfectioribus scienda sunt, ut per devotionem crescant. Unde et bene in Evangelio de Elisabeth prægnante dicitur: *Et occultabat se mensibus quinque* (*Luc.* i, 24). Qui enim spirituales ac fortes esse nequeunt adhuc, per quinarium numerum designantur. Quæ autem noviter concipit, quinque se mensibus celat: quia per sensus corporis bona agit: sed quia spiritualis ac fortis in hoc bono opere nondum est, ea quæ agit sapienter abscondit. Ille ergo victimas Deo, ille oblationem offert, qui septem diebus exspectans venientem prophetam recipit: quia tunc Deo dignum est quod impendit, cum impendens justus est virtute obedientiæ, et divinæ immensitatis consideratione timoratus; cum se aliud esse non credit, nisi quod majorum probatione cognoscit. Quasi enim, præsente propheta, offerimus, quando illa solummodo opera nostra digna esse divina susceptione credimus, quæ sanctorum prædicatorum judicio comprobantur. Et quia coram propheta immolare dicitur, hoc profecto signat: quia operibus [Forte *in operibus*] nostris sapientibus atque spiritualibus viris credere debemus. Quia item septem diebus exspectat Saul, prædicator sanctæ Ecclesiæ virtutem subjecti disponere sapienter debet, ut coram eo bona ejus non laudet nisi quando laudis suæ contemnere favorem potest. Unde et eadem oblatio et victimæ Deo [a] offerri a Saul prædicuntur, et non sibi. Deo quippe victimas offert, qui de virtute quam habet inaniter non extollitur, sed omne quod perficit gratiæ tribuit conditoris. Hoc etiam, quia doctorum magisterio discimus, bene Samuel sermonem concludens, ait: *Et ostendam tibi quæ facias.* Exspectanti quidem **246** quæ faciat, indicat: quando is, qui perfecte obedire cognoscitur, qualiter imperare aliis debeat, edocetur. Sed istud Saul adhuc non exhibetur, sed promittitur. Non enim mittitur ad immolandum, sed ad exspectandum. Et quia sanctorum collocutione proficimus, apte illatum est.

(Vers 9.) *Itaque, cum avertisset humerum suum, ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud.*

23. Cor enim aliud immutatur, quando ad appetenda meliora dirigitur; cor etiam immutatur; quando ad malum deseritur. In Saul autem qui prius bonus, postea malus fuit, quomodo potius intelligi ad litteram debeat non valde clarum est. Sed si pro

[a] Gilot., *offerre... prædicetur.*

profectu ejus dicitur, cor immutatum habebat, quia qui asinas quæsierat, jam de regni dispositione cogitabat. Si vero malum cor tunc recepisse cognoscitur, coram propheta humilis fuit : sed ut cœpit discedere, pariter cœpit et superbire. In mente sua jam non esse parvulum sed regem cogitabat. Adhuc non erat sublimis ordine, sed erat sublimis æstimatione. Sed quia per hanc sacram historiam adhuc de ejus superbia aperte nihil dicitur, rectius nos quoque agimus, si interim quod de eo sinistrum videri potest reticemus. Quod vero adhuc manenti ejus innocentiæ suffragari potest, in sequentibus dicitur : *Quia filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit super Israel* (*I Reg.* XIII, 1). Si enim duobus annis humilis rex fuit, immutatum ei cor asseritur pro vigore propositi, non pro novitate tumoris. In eo ergo quod immutatum cor Saul habere dicitur, novis prædicatoribus sanctæ Ecclesiæ similatur, qui cum ordinem prædicationis accipiunt, per divinam gratiam meliores fiunt. Samuel quippe Saul in principem unxit, Deus autem ei cor aliud immutavit, quia sacrorum ordinum sacramenta ab Ecclesiæ doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur. Virtus vero sacramenti gratia est spiritus septiformis. Quam certe gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur, quia quos gratia sua sanctus Spiritus roborat, esse eos facit protinus quod non erant. Sic nimirum et Redemptoris discipuli ante metuebant; sed ubi per adventum sancti Spiritus cor aliud eis immutatum est, verbum Dei cum fiducia prædicabant (*Act.* IV, 31). Aliud quippe Deus cor eis immutavit, quibus linguarum omnium peritiam tribuit (*Act.* II, 6). Aliud quippe cor eis immutavit quos mira charitate induit et virtutum omnium splendoribus illustravit. Et notandum, quia tunc ei Deus cor aliud immutavit, quando ut abiret a propheta humerum avertit. Quasi enim ut abeat, humerum avertit, quando is qui prædicationis ordinem suscipit, id quod sibi de pastorali officio præcipitur agere disponit. Disponit quidem, sed non prævalet, si Deus ei cor aliud non immutet, quia summus locus bene non regitur, nisi rectoris mens divini muneris summa gratia repleatur. Hæc autem, quia ei in futuro promittitur, subjunctum est :

(Vers. 10.) *Et venerunt ei omnia signa hæc in die illa.*

24. Doctrina etenim electi prædicatoris, quid est aliud, quam dies eruditi discipuli? Nam qui in die ambulat, videt et plana quæ ambulet, et præcipitia quæ declinet. Sic nimirum, dum sanctorum prædicator in doctrinis illuminamur, quod agendum et quod vitandum est patenter aspicimus. In illa ergo die quæ propheta prædicat, bonus auditor suæ electionis signa percipit, qui in se ea virtutum dona **247** conspicit quæ ante ei affutura suus prædicator ostendit. Signa quidem sunt, quia per hæc se a Deo electos intelligunt qui ad prædicationis ordinem promoventur. Unctum ergo se aliquis ad Ecclesiæ principatum non teneat, qui olei illius signa adesse non viderit in virtute perfectionis. Primum ergo signum prius attente conspiciat, videlicet si exemplo virorum salire jam magnas foveas sciat. Sequens etiam signum cognoscat, si ad quercum Thabor tres viros obvios habuit, quos hædos et panis tortas portare in Bethel ad domum Domini vidit, si panes duos de eorum manibus accepit. Tertium nihilominus videat, si ad collem Domini venit, si prophetantes cuneos aspexit, si in eum spiritus Domini insilivit et in eorum medio prophetare jam possit. Et viros quidem salientes foveas vidit, si perfectorum exemplo omnia sæculi confutare jam didicit. Ad quercum Thabor venit, si contemplativæ vitæ fortitudinem atque amœnitatem experiri jam novit. In qua et hædos et panis tortas et vinum ad Dominum portantes aspexit, quia ab amatoribus vitæ contemplativæ jam didicit, et peccatorem se indesinenter agnoscere, et pro eisdem peccatis carnem affligere, et afflictionis suæ dolorem omnipotenti Deo gratanter offerre. Ad collem Domini venit, si ad revelatam intimam Redemptoris gloriam aut Scripturarum sublimem intellectum proficiendo conscendit. Obvium gregem prophetarum habuit, si prædicatorum sanctæ Ecclesiæ concordem scientiam intellexit. In quorum medio insilientem in se spiritum Domini sensit, [a] in illa ineffabili suavitate internæ experientiæ in se donum supervenientis divinitatis agnovit, et notæ gratiæ abundantiam loquendo effudit. Hæc quoties sancti prædicatores imperfectis nobis ostendunt, per doctrinam, qua nos illuminant, quasi clarissimum diem produnt. Et ista quidem omnia jam promoti prædicatores, exponentibus ordinatoribus, sciunt.

25. Quia ergo diem signorum habent, salubriter attendant si promissa signa jam videant. Nam qui mundi gloriam contemnere nondum didicit, primum signum audire promissum potuit, sed non vidit ostensum. Si contemplativæ vitæ robur et dulcedinem nescit, sequentis signi bonum videre non meruit. Si altitudinem Scripturarum per intimæ eruditionis notitiam non conscendit, ad collem Domini nondum venit. Si supervenientis in se Spiritus sancti virtutem nondum habet, prophetare non potest. Sine illo etenim spiritu pastor carnalis est, et quod loquitur, non ad dignitatem prædicationis referri potest, sed ad ausum temeritatis. Qua ergo formidine nos miseri terreri possumus? Ecce enim aliorum ducatum suscepimus, qui virtutem suscepti regiminis non habemus. Signa spiritualis prælationis audivimus quæ in nobis per lucem experientiæ non videmus. Terrena concupiscimus, curis exterioribus occupamur, et tanto longius a cœlesti contemplatione repellimur, quanto terrenorum actuum sollicitudine prægravamur. Hac quoque terrenæ vitæ mole depressi, quando illum splendorem intimæ gloriæ Redemptoris attingere, quando ad altissimos sanctarum Scripturarum sensus possumus pervenire? Sed et cœlestia, quæ nescimus, loqui quasi nota non possumus. Et qui per quietem amori internæ vitæ vacare nolumus,

[a] Vatic. et Gilot., *si illa ineffabili suavitate*, etc.

insilientem in nos spiritum Domini non sentimus. Nota ergo et non habita signa nos terreant : ut cum **248** pro negligentiæ nostræ immensitate compungimur, virtutem suscepti ordinis per fletus et lamenta requiramus. Hinc Psalmista voce infirmorum deplorat dicens : *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta* (*Psal.* LXXIII, 9). Nam propheta est, cum jam dicta hæc prophetiæ signa ei adesse prævidentur. Si ergo ad culmen prælationis assumitur, non se teneat, quod est altitudine ordinis, sed quod est virtute perfectionis. Dicat ergo : *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta.* Quasi dicat : Esse nunc prophetam dicerem, si dona spiritus cernerem, quibus prophetæ persona fulgere debet. Qui ergo suscepti ordinis pastoralis perfectionem audivit quam in se obtinere vivendo non meruit, idoneus sanctæ Ecclesiæ doctor non est. In primo igitur rege, pastorum omnium sanctæ Ecclesiæ profectus ostenditur, dum dicitur : *Venerunt ei omnia signa hæc in die illa.* Et quia idem profectus electorum prædicatorum mirabilis est, sequitur :

(Vers. 11.) *Videntes autem eum, qui noverant eum heri et nudiustertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem : Quænam res est, quæ accidit filio Cis? Num Saul inter prophetas?*

26. Quid est, quod dicunt : *Quæ res est, quæ accidit,* nisi valde admirari, quod ab eis non poterat comprehendi? Hominem hominis filium noverant, prophetis sociatum videbant : carnalem noverant, spiritualem videbant : simplicem noverant, prophetam videbant. Dicunt ergo : *Quænam res accidit filio Cis?* Qui nosse quod fuerat poterant : quod erat, qualiter esse posset ignorabant. Hic denique profectus spiritualis prædicatoris est, ut qui in communi vita aliquando notus est, in superiori ordine habeat, quod ignoretur. Tres quidem gradus perfectionis ostensi sunt, quia dicit : *Heri, et nudiustertius.* In duobus quidem diebus prædicator agnoscitur, in tertio habet quod etiam ii, qui noverant, non cognoscant. Primus namque dies auditoribus pertinet, secundus sodalibus, tertius est prædicationis. Primum namque diem pastor habuit, quando prælatis suis [a] discipulus obedivit. Quasi enim in magna luce cernitur, qui in virtute obedientiæ devotus est. Secundum diem habuit, quando meliorum coadjutor esse jam cœpit. Ista quippe claritas magnæ conversationis, in electorum exemplo maximum diem facit. Hanc diem Dominus in nuans, ait : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). Tertius vero dies insilientis spiritus est, et prophetiæ. In tertio quippe die pastor aspicitur, quando sublimitatem dignitatis suæ adæquat splendore conversationis, quando cœlesti virtute indutus, ea vita eaque doctrina subditis lucet, ut videri ab eis possit, discuti, et judicari non possit. Talis quidem erat Moyses, quando lucidissimo vultu a monte descendit, cujus subditi fulgorem videbant, sed in fulgentem claritatem intendere visum non poterant (*Exod.* XXXIV, 35 ; *I. Cor.* III, 7). Talis erat. qui gloriabatur, dicens : *Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur, tanquam a Domini spiritu* (*I Cor.* III, 18). Tales utique erant, quos Spiritus sanctus repleverat. Unde et qui in Jerusalem convenerant, admirantes dicunt : *Nonne isti, qui loquuntur, Galilæi sunt* (*Act.* II, 7) ? Interrogabant quippe, ut scirent quod audiebant, et scire non poterant. Qui autem noverant Saul, de re quæ ei accidit admirantes interrogant; quia eos aliquando in humiliori ordine sanctæ Ecclesiæ humiles et despectos cernimus, **249** quos dum sanctus Spiritus ad ordinem prædicationis assumit, gratiarum suarum splendoribus induit et in eisdem splendoribus mirabiles ostendit. Sed bene sanctorum virtutes admiramur, cum eas bonitati conditoris ascribimus. Quare et Moyses Domino confitens ait : *Quis similis tibi in diis, Domine, quis similis tibi gloriosus in sanctis, mirabilis in majestate, faciens prodigia* (*Exod.* XV, 11). Hinc Psalmista dicit : *Mirabilis Deus in sanctis suis, ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ* (*Psal.* LXVII, 36)? Bene subjungitur :

(Vers. 12.) *Respondit alter ad alterum, dicens : Et quis pater eorum?*

27. Quid est quod hucusque de solo Saul dicebatur : *Quænam res accidit filio Cis?* Et nunc quasi de multis repondetur : *Et quis pater eorum?* Sed si ad historiam intelligatur, stare nullo modo potest. Restat ergo ut sensus qui litteræ demitur in spirituali significatione requiratur. Cum ergo dicitur : *Quis pater eorum?* Non solum Saul prophetans attenditur, sed omnis ille cuneus prophetarum. Qui nimirum prophetæ omnes, quia valde spirituales erant, non ex carnali progenie, sed ex cœlesti origine censebantur. Pater quidem prophetarum ille est, qui per Malachiam exquirit, dicens : *Si Dominus sum, ubi est timor meus? Et si pater sum, ubi est amor meus* (*Malach.* I, 6)? Quia enim omnipotenti Deo in magna charitate conjuncti sunt, ejus, quem quasi patrem diligunt, filii nominantur. Quod novæ Ecclesiæ prædicatoribus tanto decentius convenit quanto ille eos in cœlestem nobilitatem altius extulit, qui eis claritatem tanti generis in forma detexit orationis. *Sic,* inquit, *orabitis : Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Quod tale est, ac si dicat : Mirandi essent sancti prædicatores, si mira quæ agunt, sua virtute perficerent : nunc mirum non est quod cernitur; quia per eos ille hoc agit cui aliquid difficile non videtur. Dicat ergo alter ad alterum : *Et quis pater eorum?* Quasi dicat : Quid mirum est, si mirabiliter doceant cum non ipsi sint, qui loquuntur : sed spiritus patris eorum qui loquitur in eis? Non ergo dicitur : *Quis pater ejus* (*Joan.* VI, 42)? Ne, quod pluribus convenit filiis, unico conferatur. Solus etenim ille, qui natura Filius est, dicere audet : *Pater meus usque modo operatur* (*Joan.* V, 17). Et item : *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Nam ut utriusque dignitatis

[a] In aliis Editis legitur, *discipulis;* quod emendandum judicavimus.

differentiam promeret, Mariæ Magdalenæ loquitur, dicens : *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; Deum meum, et Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17). Quoties ergo unus prædicator mirabili vita aut prædicatione clarus aspicitur, in superna generatione non solus, sed cum aliis innumeris videtur; quia omnipotens Deus qui mirabilis in uno ostenditur mirabiliorem valde hominum admirationem facit, cum innumerabiles attenduntur, qui id, quod in uno mirantur, habuerunt. Quod tamen ad detractionem carnalium referri convenienter potest : nam cum spiritualium virorum famam minuere tentant, eorum carnalia explorant quæ ad derogationem proferant. Et plerumque in sancta Ecclesia miram sanctitatis famam habent qui sæcularem altitudinem nullam habent. Cum ergo carnales quique aut carnis originem aut paupertatem in eis reprehendunt, qui divina generatione jam magni et divites sunt, quasi subsannando de prophetarum patre sciscitantur. Et quia pro re valde nova habent quod parvi homines sæculi tam magni videri possunt, subjungitur:

250 (Ibidem.) *Propterea versum est in proverbium: Num Saul inter prophetas?*

28. Quod nimirum si oculis cordis[a] inspicerent, pro nova re non haberent. More etenim suo agit Spiritus sanctus, cum ad virtutum culmen pauperes, humiles, atque simplices erigit. Nam de eo scriptum est : *Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate* (*Job.* v, 11). Hinc omnipotens Pater de eodem omnipotente suo Spiritu per prophetam dicit : *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos* (*Isa.* LXVI, 2)? Hinc Paulus ait : *Non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia mundi elegit Deus, ut ea, quæ sunt, destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* (*I Cor.* I, 26, etc.) Quod certe proverbium etiam electis ascribi potest. Non enim minor admiratio habita est de beato Paulo apostolo, quando auditum est ab Ecclesia quia ille evangelizaret, qui Ecclesiam minando et cædendo expugnare solebat, nunc prædicando defenderet. Tunc quidem ii qui audiebant dicere poterant : Num Saulus inter apostolos? Nunquid ille Jesum prædicat, qui Jesum persequi solebat? Sed hoc jam in electorum proverbium versum est. Proverbium quidem est, quando in eo, quod dicitur, aliud occultatur. Conversio autem beati Pauli apostoli, facta est proverbium peccatoris. Audiat ergo unusquisque peccator beati Pauli conversionem, et non desperet de criminum multitudine. Saulus enim spirans minarum et cædis in discipulos Domini, ubique electos affligebat, lapidantium protomartyrem Stephanum vestimenta servabat, et velut omnium manibus lapidabat, qui expeditos ad lapidandum omnes reddebat (*Act.* IX, 1 *seq.*). Sed qui talis exstitit Christum persequens, ad Christum conversus, caput effectus est nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum. Dum ego tam magnum peccatorem conversum, tam sublimi dignitate a Domino honoratum conspicimus, peccatorum nostrorum invenire nos posse remissionem præsumamus. Proverbium ergo nostrum id est quod ad evangelizandum persecutor assumitur, quod hoc mysterium continet; quia conversus peccator non solum sperare a Domino veniam, sed quod viriliter certando pertingere valeat ad coronam. Sed hoc distare inter carnales et spirituales prædicatores solet, quia carnales post alta verba prædicationis, ad ima descendunt pravi operis, spirituales vero post sublimia quæ loquuntur in altiora valde cœlestis patriæ desideria se sustollunt. Unde et subditur :

(Vers. 13.) *Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum.*

29. Ad excelsum post prophetiæ ministerium venit, qui ad cœlestia gaudia, quæ prædicat, mentem erigit : et ad ea amando se sublevat, quæ loquendo monstrat. Doctores quidem cum minoribus plana prædicant, cum eis quos docent[b], quasi in plano sunt. Et quia post verba prædicationis ad promerenda ea quæ prædicant se bonis operibus præparant, ad excelsum venire perhibentur. Qui certe sublimes verbo et opere sunt, cogitatione elationis non sunt. Magna quidem semper agunt, sed magni videri nunquam appetunt. Bene ergo subjungitur :

(Vers. 14, 15 et 16.) *Dixit autem patruus Saul ad eum, et ad puerum ejus : Quo abistis? Qui respondere : Quærere asinas, quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. Et dixit ei patruus suus : Indica mihi, quid dixerit Samuel.* **251** *Et ait Saul ad patruum suum : Indicavit nobis, quia inventæ sunt asinæ. Sermonem autem regni non indicavit ei, quem locutus ei Samuel fuerat.*

30. Sermo regni est honorabilis dignitas pastoralis. Ipsa enim repræsentatione sua loquitur : quia patruus non est qui tanto ordine sublimatur. Verbum ergo regni rex non indicat : quia pastor Ecclesiæ magno divinitatis splendore loquitur, sed elatione non loquitur. Qui vero verbum non indicat illud celat quod loquitur. Verbum enim semper loquitur cui verbum est, alioquin verbum non est. Verbum ergo regni habet qui ea conversatione fulget, quæ exempla cœlestis itineris aliis quasi loquendo præbet. Verbum ergo non indicat qui magnitudinem sanctitatis per vanam gloriam non revelat. Habet quidem quod indicet, sed quod per seipsum ostenditur indicare non vult. Nam qui magna dignitate magnaque sanctitate radiat, multa vivendo ostendit quæ loquendo non dicit. Hoc profecto regni verbum habere Dominus prædicatorem voluit, quando in veste pontificis tintinnabula poni mandavit (*Exod.* XXVIII, 34). Vestis quidem pontificis est ostensio bonæ conversationis. Quæ quasi tintinnabulis multis inseritur, quando opera bona multiplicat quæ ad minorum exemplum clamant. Sed indicare rex regni verbum non audet : quia præceptum est sacerdotibus

[a] Gilot. *recte inspicerent.*

[b] Hæc desunt in Gussanv.

ut coram Domino vestis decorem portent. Coram Domino quidem vestis decorem portat et qui bona ostendit, et de ostensione bonorum operum non hominibus per vanitatem foris, sed Deo intus per amorem placere appetit. Tunc certe sacerdos tacet, sed dum incedit quod portat clamat ; quia electus prædicator se jactando non indicat, sed bene vivendo loqui nequaquam cessat. Dicatur ergo de Saul, quia patruo suo sermonem regni non indicavit : quia electi viri, cum splendorem dignitatis aut bonæ vitæ incrementa percipiunt, per exempla se proferunt, sed silentio occultant. Et quia aliis electis se esse meritis minores credunt, ille cui sermonem non indicat ejus patruus esse dicitur. Patruus quippe dicitur frater patris. Redemptor autem generis humani quotquot fidei suæ et doctrinæ sacramentis instituit, ad immarcescibilem æternæ hæreditatis gloriam tot filios facit. Qui enim instituuntur in Ecclesia, quasi parvuli adhuc filii sunt. Sed, qui magnis meritis ei jam in virum perfectum occurrit, frater est redemptoris. Tales nimirum beatus Paulus apostolus collaudans, ait : *Hæredes Dei, cohæredes Christi* (*Rom.* VIII, 17). Quia ergo perfecti prædicatores electos alios perfectos tenent et se imperfectos, patruus Saul dicitur qui de regni sermone eum interrogasse perhibetur. Eumdem vero regni sermonem Saul Samuel dixerat : quia electi viri spiritualem conversationem quam habent majorum locutione didicerunt. Sed rex qui initiatus per unctionem fuerat, a populo adhuc electus non erat. Unde et sequitur :

(Vers. 17.) *Vocavit Samuel populum ad Dominum in Masphath.*

31. Masphath, ut dixi, speculatio interpretatur. In ordinatione autem regis populus in Masphath vocatur, quia qui ad ordinandum sanctæ Ecclesiæ pastorem conveniunt, ejus spiritualia, non carnalia attendere docentur. Speculari quidem est per formam sacræ Scripturæ ordinandum prædicatorem cognoscere. Nam electorum speculum sacra Scriptura est. Quasi enim per speculum noscitur pastor, **252** quando moribus talis ostenditur, qualis in sacro eloquio prædicatur. Bene igitur Samuel populum in Masphath convocat, ut electio boni antistitis non sit humano judicio, sed divino : cum non talis eligitur, qualis hominum arbitrio decerni potest, sed qualis in sacro eloquio declaratur. Quod quia divini muneris est, oportet ut populus qui a Deo tam magna exspectare cognoscitur a reatu suo per pœnitentiæ satisfactionem purgetur. Ipsa autem cognitio peccati est præparatio divini muneris, quia sæpe cum nos divino munere indignos credimus, id per humilitatem promeremur. Unde et Samuel eos qui ad excipiendum regem convenerant prius ad peccatorum suorum considerationem convertere satagit, quia subjunctum est :

(Vers. 18, 19.) *Et ait Samuel ad filios Israel : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu omnium regum, qui affligebant vos. Vos autem hodie projecistis Dominum Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris, et dixistis : Nequaquam, sed rex erit super nos.*

32. Attente quidem ostendit eis et bona quæ eis impendit Dominus et mala quæ Domino fecerunt ipsi ut tanto gravius se deliquisse cognoscerent, quanto illum peccando offendere ausi sunt, a quo tanta bona perceperant. Quid vero sit abjicere Dominum, et qualiter secundum litteram et secundum spiritualem sensum intelligi debeat, superius late expositum est (*Supra in exposit. vers.* 7, *cap.* VIII), ubi ad Samuelem Dominus ait : *Non te abjecerunt, sed me, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de terra Ægypti.* Sed quia sancti prædicatores eos quos arguendo compungunt, docendo instruunt, subintulit, dicens :

(Vers. 19.) *Nunc ergo state coram Domino per tribus et familias vestras.*

33. Coram Domino quidem stare præcipimur, quando majorum præcepto corda nostra ad scienda ejus mandata præparamus. Vel coram Domino stant electi, quando a summis viris in spiritualibus virtutibus considerantur : ut qui melior in eis aspicitur, per pastoralem curam cæteris præferatur. Et quia plures sunt fidelium ordines, per tribus et familias stare coram Domino jubentur. Quod profecto latius exsequens, subdit dicens :

(Vers. 20, 21.) *Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors super tribum Benjamin, et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad filium Cis.*

34. Stare omnes per tribus et familias fecit ; ut omnes consideraret, et consideratis omnibus utiliorem eligeret. Sed quia ipse jam, Domino revelante, regem cognoverat, eumque ipso præcipiente in principem unxerat, quid est quod adhuc eligendum [*Forte*, eligendus] per tribus et familias quæritur ? sed inventus rex a solo propheta erat. Inventus ergo quæritur, ut non inventus a populo inveniatur. Sorte etiam quæritur, ut eum quem propheta eligeret dispensatione divina [a] provisum populus non posset dubitare. Quid ergo in hoc facto signatur, nisi quia sanctæ Ecclesiæ principes multa consideratione eligendi sunt ? Summi etenim prædicatores, ex interna gratia sancti spiritus quam habent, magno providentiæ lumine pleni sunt. Et quia valde sunt humiles, de internæ illuminationis suæ magnitudine non præsumunt. Quare et ea quæ apud se bene ordinant coram aliis probant. Solus enim propheta **253** regem futurum noscit, quando summus sanctæ Ecclesiæ rector personam ordinandi rectoris et merita conspicit. Quem etiam in principem ungit quando eum donis spiritualibus plenum asserit. Tamen adhuc populum convocat, per tribus et cognationes dividit, sortes ponit, et eum quem novit quasi per artem invenit. Tribus quidem et familiæ quasi divisæ stant, quando in statu virtutum diversi sanctæ Ecclesiæ

[a] Vatic. et Gilot. *provisus populus non esset dubitare.*

ordines attenduntur. Nam cum perfectiones electorum plures intuemur, cum candorem virginum, cum robur continentium, cum honesta ministeria clericorum, cum monachorum sollicitudinem videmus, velut stantes tribus attendimus. Et quia in Dei servitio horum multa varietas est, dum ea quæ sunt in singulis ordinibus, item varietates aspicimus, quasi stantes non solum tribus, sed etiam cognationes videmus. Et sors super tribum cadit : quia meliores viri sæpe in uno ordine quam in alio inveniuntur. Nam velut sortem tribus accipit, quando ii qui perfectiores sunt aliis convenire videntur ministerio prædicationis. Sed non super personam adhuc, sed super tribum sors cadit, quando plures sunt in quibus persona digna reconditur. Adhuc itaque summis viris remanet quod inquirant. Bene ergo sors super tribum Benjamin cecidisse dicitur ; Samuel autem ipsam tribum et ejus cognationes applicuisse et ad Cis filium pervenisse, quia electi et summi viri sanctæ Ecclesiæ considerare virtutes singulorum non desinunt, donec ad eum veniant qui ministerii pastoralis sorte dignus inveniatur. Sed qui digni sunt, onus tanti ordinis suscipere vehementer expavescunt. Unde et sequitur :

(Vers. 21, 22.) *Quæsierunt ergo eum, et non invenerunt : et consuluerunt pro eo Dominum, utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus : Ecce absconditus est domi.*

35. Abscondunt quippe se ne inveniantur : quia subire dignitatem refugiunt cujus oneri se esse impares arbitrantur. Habet quippe spiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis, habet et interioris magnitudinem operis. Nam rector et onoratur a subditis, et portat eos a quibus honoratur. Cum honoris ergo principio causa nascitur honeris, quia unde honor a rectore excipitur, inde illud suscipit quo gravetur. Quanquam ipse honor dignitatis per seipsum magnum sit onus mentis, quia contemni debet, et placet. Contemni quidem debet ne mentem per superbiam elevet ; et suscipi debet, ut cœlestia quæ doctor loquitur, subjecti venerentur. Gravius ergo onus de honore nascitur, quia electus pastor magna animi virtute ferre potest, ut despiciat illud in se quod pro Deo recipit in se, ut videlicet talis pro Deo sit, sed sibi talis non sit et semetipsum abneget et non abneget ; ut sit quod est pro Deo, et quod est pro semetipso, non sit. Honor itaque oblatus a subjecto suscipitur, ut prædicatio commendetur. Honorem quoque oblatum prædicator despicit quia non extollitur quod honoratur, sed gaudet quod verbi Dei ministerium commendetur. Hoc autem quam difficile agatur, cogitando melius quam loquendo comprehenditur. Nam infirmis mentibus impossibile est onus aliorum fortiter ferre et oblati honoris reverentiam mentis virtute disponere ; ut inter ejusdem honoris obsequia, de profectu subditorum gaudere sciat, et pro reverentia sua tumere nesciat. Quia ergo electi viri displicere Deo nolunt, **254**, prælationis officium suscipere vocati refugiunt. Sed et eamdem fugam ministerii ad virtutem humilitatis habent, non ad jactantiam dignitatis. Nam quantum possunt fugiunt ; sed si a Domino provisi sunt, delitescere nequaquam possunt. Quare et idem Saul domi absconditur, sed Domino pandente monstratur, quia electi viri exterioribus se sanctæ Ecclesiæ ministeriis subtrahunt, sed tamen ad exteriora ministeria disponenda Domino dispensante producuntur. Quia vero nunc in sancta Ecclesia qui se subtrahant tantis honoribus pauci sunt, qui se ingerant multi, notare qui se ingerunt debent ; quia is qui a propheta domi absconditus dicitur, non ad spiritualem Ecclesiæ dignitatem, sed ad sæcularem regni gloriam quærebatur. Non enim in pontificem hunc quærebant, sed regem facere volebant. Videat ergo sacerdos, qua mente fugiendum sit culmen sanctæ Ecclesiæ, si culmen sæculi conscendere tam caute reges fugere. Sed quia sancti viri quo instantius suscipere ordinem prælationis refugiunt a devotis plebibus devotius requiruntur, sequitur :

(Vers. 23.) *Concurrerunt et tulerunt eum inde.*

Post hæc etiam subditur :

(Ibidem.) *Stetitque in medio populi.*

36. In medio populi stat prælatus, quando ab universis subditis ejus fortitudo conspicitur. Stare namque virtutis est. Qui ergo bona operatur instanter stat. Et quia eadem bona opera exemplum minoribus præstant, in medio populi stare non in solitudine cernitur. Quod etiam pro rectitudine intentionis dictum esse convenienter accipitur. Qui enim stat rectitudine corporis, caput in sublime tollit. Qui vero bona publice agit non stat fortitudine operis si rectitudinem non habet intentionis. In medio ergo populi stare rex dicitur, ut prælatorum sanctæ Ecclesiæ forma monstretur ; quia ad exemplum subditorum bona opera debent ostendere, sed de eodem bono opere suscipere mundi gloriam devitare. Sed et quantus apparere debeat subdit, atque ait :

(Ibidem.) *Et altior erat omni populo ab humero et sursum.*

37. Late supra ostendimus (*Lib.* IV, *cap.* 4, *num.* 20), quod excellens magnitudo corporis in sanctis prædicatoribus designet augmentum perfectionis. In medio ergo populi sublimis aspicitur, qui in virtutum culmine positus, a subditis non nescitur. Rectus quidem ordo electi prædicatoris est ut ante sublimitatem ecclesiastici culminis, culmen conscendat virtutis, pro honore Dei culmen obtineat gloriæ, sed majori sublimitate fulgeat. [a] revelata virtutum perfectione Talis quidem Pastor a perfectis viris valde prædicandus est, a minoribus cupiendus atque diligendus. Bene ergo subjunctum est : *Et ait ad omnem populum : Certe videtis, quem elegit Dominus, quod non sit ei similis in omni populo.*

[a] Vatic. et Gilot. addunt *in*.

(Vers. 23.) *Et clamavit cunctus populus : Vivat* A *rex.*

Sequitur :

(Vers. 24.) *Locutus est Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et posuit coram Domino.*

38. De jure regio, quia late superius diximus (*Lib.* IV, *cap.* 4, *num.* 4, *seq.*), hoc tantum de illo memoramus, quia ad historiam non præcipitur, sed ostenditur quid acturi sint reges reprobi, quid vitaturi sint boni. A regibus quidem defendendi sunt subditi, non bonis propriis spoliandi. Auxilium præstare subjectis debent, agros, vineas et oliveta auferre non debent. Quod si non vitanda, sed agenda scripta hæc contendere **255** quis voluerit, tyrannorum jus pro eo rege scribitur qui, abjecto Domino, postulatur. B Crudelis ergo lex regni, ultio est Dominum abjicientis populi. Non enim injustum erat ut agros et vineas perderet, qui regnantem super se Dominum sponte perdebat. Cuncta ergo quæ contra æquitatem in hoc jure regio continentur æqua esse cernimus, si in petendo rege quidquid populus deliquerat consideramus. Nam quod magnum in divinæ æquitatis examine onus legis est, si filios et filias in regis opere inviti ponerent quos a Dei libertate sponte tulissent? Et quid inconveniens esse cernitur, si quod ad ultimum ponitur, ipsi fierent servi hominum qui abjiciebant super se regnantem Deum ? Dum ergo regni lex scribitur, perpetuæ memoriæ pœna traditur qua audaces puniantur ; quæ quia per Domini justitiam lata fuerat, coram Domino reponi perhibetur. Sed fortasse C jus illud aliud fuit quam lex ista quæ scribitur. Quod si verum est, hanc Samuel coram rege ad populum loquitur, ut rex sciat a populo quid exquirat, sciat populus quid exhibere suis regibus debeat. Quæ lex in libro scribitur ut pro futurorum memoria reservetur. Coram Domino ponitur, ut venerabilis habeatur. Nos autem reges Ecclesiarum esse sanctos prædicatores diximus, quibus aperte omnia convenire ostendimus quæ jure regio continentur. Hanc ergo legem Samuel ad populum loquitur, quando electus doctor fideles sanctæ Ecclesiæ instruit, qua humilitate suis præpositis debeant subjugari. In libro etiam scribitur quando in eorum mente hæc firmiter inserit. Nam qui sic loquitur, ut audita auditores ejus obliviscantur, ad populum legem dicit, sed hanc in D libro non scribit. Verba ergo, quæ doctor loquitur, in libro scribere, est auditorum suorum mentibus attente commendare. Quasi scribere volebat Dominus, quæ dixerat, quando dicebat : *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est servus major Domino suo* (*Joan.* XV, 20). Hinc Paulus locutam regni legem in libro describens, ait : *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (*Heb.* XIII, 7). Si vero et hic aliam legem quis esse præsignatam accipere voluerit, illam aspiciat, quam beatus Paulus ostendit, dicens : *Qui evangelium annuntiat, de evangelio vivat : et qui altario servit, de altario vivat* (*I Cor.* IX, 14). Hanc quippe legem regni Dominus loquebatur ad populum, quando dicebat : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet ; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* X, 41). Et ut arctius hanc in libro describeret, a minori verbum roborans, ait : *Qui dederit uni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam* (*Marc.* IX, 40). Sequitur :

(Vers. 25, 26, 27.) *Dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. Sed Saul abiit in domum suam in Gabaa, et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigit Deus corda. Filii vero Belial dixerunt : Nunquid salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum.*

39. Si simplex historia quæritur, quid unquam planius dici potuit ? Sed si vim verborum singulorum attendimus, magna sunt quæ in hac simplicitate verborum clauduntur. Nam populus in domum suam dimissus asseritur, rex autem in domum non esse dimissus, sed abiisse perhibetur. Separatim quoque de domibus populi et de domo regis dicitur : quia populus refertur dimissus in domum suam, et rex abiisse in suam. Prius tamen populus **256** dimissus est quam abiret rex. De abeunte etiam populo caute signatur, et non simul, sed singuli abiisse in domum suam referuntur. De his vero qui regem secuti sunt non dicitur : Abiit pars exercitus, singuli post regem, sed : *Abiit cum eo pars exercitus.* Ad extremum vero qui regem sequuntur, eorum corda a Deo tacta referuntur ; qui regem spernunt, Belial filii nominantur. Hic profecto modus dicendi non simplex, sed valde ei subtilis est, qui considerare novit, non quod simpliciter foris sonat, sed quod sapienter intus insinuat. Quid est ergo, quod rex in domum suam abire, populus vero dimitti dicitur? Sed regem, Ecclesiæ pastorem, populos, subjectos designare ostendimus. Ire autem liberi est ; dimitti ejus, qui retineri potest. Rex ergo abire dicitur ut in persona prædicatoris libertas animi prædicetur. Abire quippe doctores possunt, cum volunt, et redire, quia fortes sunt in bono opere, sapientes in interna dispositione. Veniunt quippe, quando ad subditos exeunt aut exemplo boni operis aut verbo prædicationis. Abeunt autem, quando ad mentis secretum redeunt, et quod foris acturi sunt, intus disponunt. In qua nimirum consideratione quia quotidie permanent quasi intra domum latent. Abire ergo in domum suam rex dicitur, quia prædicator æternæ vitæ operatione probatus, sapientiæ doctrina securus, liber ad opera potest egredi, et ad consilia mentis intrare.

40. Populus autem in domum suam dimittitur, quia fideles subjecti non sunt liberi ad disponenda quæ volunt, sed ad ea quæ jubentur. Quasi tenti quidem dimittuntur, dum jussa præcipiuntur agere ; præsumere non jussa, devitare. Et quia ad opera diversa mittuntur, in suam domum eorum unusquisque dimittitur. Ut enim ea quæ nobis præcipiunt bene perficiamus, priusquam appareamus in opere, intus re-

condimur in interna consideratione. Reges ergo nostri nos singulos in domum nostram dimittunt, quia ad ea quæ nobis injungunt, nos per secretam mentis dispositionem ire præcipiunt. Bene quidem ipsi præcipiunt, sed si operationis nostræ modum negligimus prævidere, quæ bene præcepta sunt, inconsulta mente dissipamus. Singuli ergo in domum suam redeunt, quando unusquisque fidelis subditus opus obedientiæ quod proponit consilio mentis disponendo prævenit. Quia vero electo rege in domum suam ante populus dimissus, quam rex abiisse asseritur, potest in hoc aliud designari. Qui enim regem excipiunt in domum suam vadunt quando se unusquisque subjectus considerando præparat, ut ei quem præesse sibi petiit fidelem obedientiam impendat. In hoc ergo loco non est imperata considerare, sed imperandis infima se dispositione substernere. Regi quoque in domum suam abire est ut discrete paratis imperet considerare. Alia ergo est domus regis, alia populi subjecti; quia alta illi mente subditorum itinera disponenda considerant, isti prælatorum imperia exsequi per intimi propositi robur parant. Unde et domus regis in Gabaa sita perhibetur. Gabaa quippe sublimis dicitur. Domus ergo regis in Gabaa esse ostenditur; quia electus doctor non ima et terrena cogitando incolere, sed alta et cœlestia meditari studet. Unde et bene pars exercitus cum eo ire in Gabaa dicitur, quia hi, qui contra diabolum fortes sunt, electum pastorem suum ad virtutum alta prosequuntur. Pars ergo exercitus ire cum rege dicitur, quia in sancta ecclesia plerique fideles sunt, qui prælatis suis humiliter obedire sciunt, alta **257** cogitare nesciunt. Sciunt quidem imperata perficere, nesciunt aliis imperanda prævidere. Quasi enim hujus partis milites commemorabat Paulus, cum Colossensibus scriberet, dicens: *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, et Joannes qui dicitur Justus, qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei* (*Colos.* IV, 10). Item Romanos alloquens, ait: *Salutate Priscam et Aquilam adjutores meos* (*Rom.* XVI, 5). Et post pauca: *Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucas, et Jason* (*Ibid.* 21). Adjutores quippe suos discipulos vocavit, quia ordine minores erant, sed laboris participes; obedientiæ humilitate Apostolo subjecti erant, sed dum cum eo æterni regni gloriam prædicarent, cum eo pariter veritatem defenderent, infidelibus obsisterent, illatas persecutiones fortiter sustinerent, quasi in bello Dei milites regis erant. Cum rege in Gabaa pars exercitus ire dicitur, quia perfecti discipuli in alta dispositione sanctæ Ecclesiæ magistrorum suorum coadjutores sunt; auxilia, quæ possunt, per altitudinem virtutis ferunt, sed eis quos adjuvant per humilitatem serviunt.

41. Et quia hoc nonnisi illi possunt, qui Spiritus sancti gratia præventi sunt, cum pars exercitus ire cum rege dicitur, subjungitur. *Quorum Deus tetigit corda.* Quia enim digito tangere solemus, Deus corda Sanctorum tangit, quando eis Spiritus sancti gratiam tribuit. Et ejus tactum sentiunt: quia, receptо internæ virtutis munere, a carnalitatis suæ debilitate commoventur. Qui protinus cœlestis exercitus milites fiunt, quia per virtutem sancti Spiritus infirma deserunt, et ad agenda fortia in Christi bello præparantur. Quia vero intra sanctam Ecclesiam quidam prælatos suos despicere non verentur, audiant, quia qui regem despiciunt Belial filii dicuntur. Per superbiæ quidem vitium in illius imitatione generantur, de quo scriptum est: *Omne sublime videt, et ipse est caput super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI, 25). Qui apte superborum mores insinuant, quia dicunt: *Nunquid iste salvare nos poterit?* Sancti etenim viri, quia præsentia despiciunt, æterna inquirunt, contemptum mundi quem in mente retinent proferunt etiam in exteriori conversatione; intus venerabiles sunt, foris despicabiles videntur. Superbi ergo, quia illud solum quod in Sanctis foris despici potest aspiciunt; illud vero, quod valde venerandum est, cernere non merentur, dicunt: *Nunquid iste salvare nos poterit?* Quasi despiciendo interrogent: A tam parvo tam grandia speranda sunt? Iste tam parvus, nos tam magnos, tam debilis, tam fortes salvare posse credendus est? Nam quid est aliud quod dicunt: *Iste et nos;* nisi quod superbi et arrogantes inspicientes alios, semper parvos **258** et debiles esse credunt; se autem magnos, fortes, atque sapientes? Merito igitur Belial filii dicuntur, quia dum superbiendo se extollunt, illi se conformant, qui eodem modo cecidisse de cœlo dicitur. De quibus etiam regem despicientibus dicitur:

(Ibidem). *Et non attulere ei munera.*

42. Si ad litteram ista discutimus, hoc profecto insinuant, quia et terrarum domini, et spirituales sanctæ Ecclesiæ prælati exterioribus officiis honorandi sunt. Unde et beatus Paulus Apostolus elatos Romanos alloquitur, dicens: *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal* (*Rom.* XIII, 7). Hinc Apostolorum princeps exhortans, ait: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis* (*I Petr.* II, 13). Spiritualia vero munera rectoribus nostris tribuimus, quando debitam eis honoris reverentiam offerimus, et ea quæ præcipiunt cum magna devotione servamus. Magna enim munera sunt reverentia honoris et humilitas subjectionis; quia dum rectoribus nostris, et intus per humilitatem subdimur, et per exteriora obsequia foris honoris reverentiam exhibemus, munus eis unum præbemus a corpore, aliud a corde. Ut ergo superborum typum insinuet propheta, non dicit: *Non attulere ei munus;* sed, *non attulere ei munera;* quia dum electos prædicatores despiciunt, eis utique honorem a corpore offerre dedignantur et humilitatem a corde. Sed cum electi prædicatores subditorum culpam agnoscunt, aliquando eam statim corrigere increpando gestiunt, aliquando hanc se nosse dissimulant; ut ad eam delendam congruum tempus quærant. Unde et de eodem despecto rege protinus subditur:

(Ibidem.) *Ille vero dissimulabat se audire.*

43. Subditorum quidem pravitatem audit, qui noscit; sed audit, et non respondet, imo se audire dissimulat : quia plerumque, causa exigente, nota subditorum superbia incorrepta deseritur, ut opportuniori tempore, quasi cognita feriatur. Quam profecto ecclesiasticæ censuræ discretionem bene in hoc ipso Israelis rege agnoscimus, si regni tempora et acta diversa videamus. Nam rudis adhuc, et noviter ordinatus dissimulare se audire despicientium A verba dicitur, sed confirmato regno super Israel ad dexteram et sinistram pugnare, et quocunque se vertebat, superare perhibetur. Culpa ergo quæ feriri digna severitate non potest, dissimulanda, non exponenda est, quia audacius a subjectis delinquitur, si prælatorum infirmitas agnoscatur. Hæc in quarto hujus operis libro disputata sufficiant, ut per loquendi principium ad exponenda, quæ restant, studium renovemus.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

1. Cum sacræ hujus historiæ profunditatem asserere in istius operis præfatione voluissem, in eo potissimum videri posse asserui, quod scripta fuerit a prophetis. Ipsi quidem mystica dicere, non solum verbis, sed etiam rebus consueverant; plana proferre, B sed alta signare. Quia enim per eos Spiritus sanctus loquebatur, et planum erat, quod ipsi, velut homines dicebant, sed profundum et mysticum; quia locutionem hominibus summus et incircumscriptus Spiritus suggerebat. Quia ergo prophetam Samuelem loquentem exponimus, tanto majori studio indigemus, quanto ipse in Spiritus sancti gratia sublimiter assumptus, exteriora dixit, sed interiora vidit. Carnalia plerumque asseruit, sed intima et spiritualia signavit. Sed quia humano studio ad divina pervenire impossibile est, non est **259** nobis confidendum de viribus propriis, sed de dignatione Spiritus sancti qui a Redemptore missus, *Replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, in omnibus jam scientiam habet vocis* (*Sap.* I, 7). Quid ergo jam idem pro- C pheta de incœptis Israelitarum gestis exsequatur, audiamus.

(I Reg. cap. XI, vers. 1, 2.) *Et factum est* (inquit) *quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare cœpit adversus Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas : Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites : In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel.*

2. Si historia quæritur, nihil planius dici, nihil facilius potest intelligi. Si vero spiritum sequi volumus, Paulum prius loquentem audiamus qui vetera intuens ait : *Omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X, 11). Esse etiam spiritualia bella insinuat, dicens : *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). Cum ergo Naas ascendere et pugnare contra Jabes Galaad dicitur, interiora vitiorum prælia designantur. Quibus nimirum verbis sacræ historiæ processus ostenditur, ut novo regi nova bella moverentur; quæ dum bene conficeret, strenuitatis suæ gloriam demonstraret. Quis est ergo iste Naas Ammonites? quæ est Jabes Galaad? Sed Naas interpretatur, serpens, Jabes exsiccata. De serpente autem in Genesi dicitur : *Quia callidior erat cunctis animantibus* (*Gen.* III, 1). Cujus profecto serpentis similitudo si in vitiis quæritur, quid similius quam violentum gastrimargiæ, id est gulæ motum invenimus? Luxuriæ quidem motus, furti crimen, turpis lucri appetitus, iræ impetus, amaritudo sæcularis tristitiæ, desidia acediæ, appetitus vanæ gloriæ, tumor superbiæ aperte detestabilis est; gulæ vero vitium tanto est fraudulentius, quanto et occultius, quia et quasi necessarium suggerit cibum corpori, sed dum abundanter carnem reficit, luxuriæ gladium in mentem mergit. Suadet quod peccatum non est, sed unde comestio quasi non peccatum recipitur, inde peccato luxuriæ anima subjugatur. Unde et in paradiso ad mulierem gulæ vitio decipiendam serpens venisse ostenditur qui aliud suggereret, aliud obtineret; ut dum comedenda ostenderet, improvisam mortem propinaret. Serpens ergo iste gulæ designat aviditatem, quia et respectu justæ necessitatis repit et virus impiæ delectationis spargit. Bene etiam Ammonites dicitur, qui populus mœroris interpretatur, quia lætum videtur quod suadet, sed valde luctuosum erit in æterna damnatione. Populus autem dicitur, quia gulosi quique pro sollicitudine ventris innumerabilium curarum frequentia deprimuntur. Qui ad Jabes Galaad ascendit, quia in alta abstinentiæ virtute posita justorum corpora ad ciborum concupiscentiam præcipitare appetit. Exsiccata quidem recte caro dicitur, quæ humore pinguedinis non gravatur. Ad eos quidem Naas ascendit, quos exsiccatos videt : quia illis graviora bella gulæ spiritus ingerit, quos attenuatos jejuniis agnoscit. Bene autem pugnare cœpisse Naas dicitur : quia sancti viri gulæ suggestionem non ha- D bent in fœdere amicitiæ, sed in pugnæ contrarietatem. Abstinentes enim, quasi cum serpente pugnant, quando gulæ appetitum magna virtute deprimunt, ut veneno luxuriæ non inficiantur. Pugnare quidem gulæ est esurientia abstinentium corpora ad **260** inordinatam ventris repletionem provocare.

3. Sed perfectos viros gulæ appetitus tentare potest, superare non potest. Bene ergo pugnare cœpisse contra exsiccatam dicitur, non vicisse, quia electi viri desideriorum carnalium impetum sentiunt, sed eisdem desideriis sciunt virtute mentis obsistere, sciunt

necessaria per discretionem providere. Sciunt quidem gulæ impetum ferociter insurgentem deprimere, sciunt necessitati corporis alimenta justa præstare. Hinc namque Doctor egregius dicit : *Scio manducare et esurire* (*Philip.* IV, 12). Manducare quidem et esurire novit, qui et corpus moderate reficit, et ad immoderatam ciborum perceptionem suggerenti gulæ vitio non consentit. Quare et ad Naas respondentes, dicunt : *Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi.* Fœdus quippe a gula petunt qui vellent carnem pro voto relicere, si in carne nulla possent incitamenta sentire luxuriæ. Quasi dicant : Nos dabimus quod tibi justum est ut tu nobis non inferas quod justum non est. Justum quidem est ut reficiatur corpus, sed iniquum valde est ut refecta caro per ardorem libidinis ad contumeliam spiritus excitetur. Fœdus ergo expetimus, cum sic favere carni ad ciborum perceptionem volumus, ut a carne nulla luxuriæ mala sentiamus. Sed hoc profecto velle possumus, obtinere non possumus, quia nimirum nos justam refectionem quasi tributum carni offerimus, sed a carne nobis nulla pacis bona promittuntur. Nam cum auditum mentis ad vitiorum responsa bene dirigimus, hoc profecto in gulæ voce cognoscimus, quia si carnem impinguemus per excrescentem concupiscentiam, cordis cæcitate percutimur. Quare et idem Naas dicit : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros.* Dexter oculus noster est intuitus æternæ claritatis, sinister vero oculus est concupiscentia carnalis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, ut ultra ad videnda cœlestia non aperiatur. Eruitur quidem oculus quando a mente reproba sic lumen evellitur, ut radix ei nulla remaneat de qua redivivum lumen erumpat. Naas ergo dextros oculos fœderatorum suorum eruit, quando gula sic devictis abstinentibus prævalet ut carnalia sola cupiant, et ultra quæ solebant amare non attendant. Et quia quisquis in hac vita projicitur, in futura coram angelis et electis hominibus condemnatur, subjungitur : *Ponamque vos opprobrium in universo Israel.* Tunc quippe reprobi in universo Israel opprobrium ponuntur, quando in extremo examine, coram electis omnibus de perpetratis iniquitatibus erubescunt. Vel in opprobrium in hac vita ponuntur : quia, dum ipsi obcæcato corde mala audacter perpetrant, sancti viri pro eorum culpis erubescunt. Sed qui turpes videri, avulsis dextris oculis, dedignantur, attendant quod sequitur :

(Vers. 3.) *Et dixerunt ad eum habitatores Jabes : Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad terminos Israel; et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.*

4. Qui sunt habitatores Jabes, id est exsiccatæ, nisi qui castigationem extenuatæ carnis in longo habent usu virtutis? Nam plerique resistere gulæ incipiunt, sed dum fatigari abstinentiæ labore inchoant, ad usum se consuetæ gulositatis inclinant. Velut enim urbem Jabes ingredi et effici ejus cives appetunt, sed dum exsiccatæ et esurientis carnis cruciatum non perferunt, fieri ejus habitatores nequaquam possunt. Jabes ergo inhabitant, qui attenuationem corporis **261** per vigorem mentis in jus habent possessionis, et velut exsiccatæ muris ambiuntur, dum per id quod corpus extenuant ab ignitis luxuriæ jaculis protegunt. Qui cum validissimis insurgentibus gulæ stimulis fatigantur, septem diebus inducias expetunt, in quibus si auxilia desunt, ad Naas egrediantur. Sed hoc Ammonitarum bellum melius exponimus, si in eo deprehensæ carnis infirmitatem intueamur et sagacitatem eruditæ mentis. Hanc quoque clarius videmus, si quod contrarium est, in stultis infirmis subtilius attendamus. Nam quidam intra sanctam Ecclesiam devoti per desiderium sunt, sed consueta vitiorum debilitate remissi. Possunt quidem bona proponere, sed quia exsequi quod proponunt nequeunt, et a præsenti concupiscentia superantur, et bonum quod in præsenti deserunt in vicino tempore se recuperare posse confidunt. Sæpe quidem jejunare disponunt, sed cum consueta gula vincuntur, eo die manducandum judicant, in futuros jejunandum. Cumque gulæ feritas semper eis præsens sit, præsens et desiderium futuræ bonitatis, hoc serpentis fraude agitur, ut bonum quod proponitur non inveniatur. Cras enim quod semper promittitur nunquam reperitur. Sed quia hoc ab illis agitur quorum mens debilis est, caro fortis, videamus qualiter serpenti illudant illi quorum mens fortis est, caro autem infirma. Nam de eodem serpente Psalmista ad Dominum dicit : *Draco iste, quem formasti, ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 27). Nunquam enim convenientius vincitur quam cum ejus versutia pia fraude superatur. Unde et sapientiæ suæ astutiam beato Job Redemptor improperans, ait: *In oculis, quasi hamo, capies eum* (*Job* XL, 10). In oculis quippe, quasi hamo serpentem cepit qui ei carnem exhibuit, divinitatem celavit; et dum cepit ille quod appetiit, eo [a] tentus, et peremptus est, quod non vidit.

5. Sancti ergo viri, ut hosti illudant, rigorem conversationis in præsenti virtute habent; pro illusione infirmitatis carni commodum quoddam in futuro promittunt. Nam sæpe ingentia sunt, quæ agunt, sed pro infirmitate carnis semper agere dura, et aspera promittere non præsumunt. Tanto quidem facilius eadem dura sustinent, quanto eorum onera sibi inesse in perpetua promissione non vident. Sed dum optime vivunt, et quotidie proficere et non deficere conantur, illud carnis licitum blandimentum, de quo desperare non possunt, semper carni in futura æstimatione promittunt; sed ei cœptæ afflictionis dolorem infligere nequaquam desinunt. Per id ergo, quod in appetitu suo spes carni relinquitur, quasi ad futurum bonum ejusdem carnis, sui adventus præsentiam spiritus pollicetur. Sed quia solitum continentiæ rigorem deficiendo non deserit, promissum voluptatis caro habet in futuro, et electa mens virtutis robur in præsenti. Quo in loco notandum est, quia ad Naas

[a] Gilot. *temptus.*

egredi sub conditione promittunt, sed urbis meenibus sine conditione muniuntur : quia abstinentes eo etiam, quod secundum carnem infirmi sunt, roborari per divinam misericordiam confidunt. Et quia gulæ vitium decipiendo supplantare se gestiunt, dicunt : *Concede nobis septem dies.* Quasi enim a gula tempus conceditur, quando eo respectu comprimitur ut ejus desideriis quandoque servia ur. Quo nimirum dierum spatio Naas egressum ad se obsessorum civium, cives vero Jabes auxilia præstolantur, quia nimirum gulæ appetitus de infirma carne refici **262** appetit, sed electa mens in abstinentiæ virtute roborari. In septem vero diebus auxilia quæruntur, quando contra tentamentorum tenebras omni luce cordis erigimur, quando adversus prava consilia quidquid possumus, invenimus ratione nostra; et lucis radios quos in nobis non cernimus de eruditione munimur aliena. Dum enim ad robur nostræ virtutis, perfectorum conversationes aspicimus, quasi per septem dies auxilia defensionis invenimus. Inducias quidem petimus; quia cum Naas, id est serpente, pugnamus, cujus quo latentia sunt venena, eo nobis subtiliora sunt quærenda consilia. Unde et in universos terminos Israel mittere nuntios se promittunt : quia electi viri ad ædificationis suæ commodum, omnium videntium Deum exemplis adjuvantur, sed quod dicitur : *Si non est qui defendat, egrediemur ad vos :* in electorum voce, non auxiliorum dubitatio, sed certitudo monstratur. Quasi astutis verbis suadenti adversario illudentes, verba proferunt quibus illi spem tribuant et sibi fiduciam nequaquam tollant. Qui enim dicunt : *Si non fuerit qui defendat, egrediemur ad vos;* quamdam exeundi spem tribuunt. Sed quia illi hoc dicunt, qui de auxilio certi sunt, hostes suos promittendo decipiunt. Sed ubi jam eadem auxilia inveniantur, exponit dicens :

(Vers: 4 et 5.) *Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saul, et locuti sunt verba hæc, audiente populo, et levavit omnis populus vocem suam, et flevit. Et ecce Saul veniebat mane sequens boves de agro, et vidit plorantem populum, et ait : Quid habet populus, quod plorat?*

6. Gabaa, ut supra jam diximus, sublimis interpretatur. Et quia omnium electorum non est æqualis altitudo meritorum, in Gabaa Saul nuntii venisse perhibentur; ut spirituali significatione doceamur, ut cum validis tentamentis impellimur, ad prædicatorum nostrorum consilia recurramus. Sed et flentis populi afflictione instruimur, ut fraternis necessitatibus intima mentis compassione jungamur. Saul autem flentem populum vidit, ob quam causam fleret interrogavit, quia electus doctor subditorum necessitatem compatiendo suam facit, et hanc relevare appetit. De agro quidem venit, quia a secreto sui fertilis cordis exit. Mane vero de agro venit, quia in oriente sibi splendore veri luminis subditorum causas inquirit. Et boves sequitur, quia eum validi affectus charitatis antecedunt. Quasi enim duos boves ante se habet, qui et proximis per amorem jungitur, et divina charitate inflammatur et inde proximum ordinate diligit, quia hunc amor Dei fortiter accendit. Quare et per Moysen Dominus ait : *Non arabis in bove et asino (Deut.* XXII, 10). Asinus quippe est amor carnalis, quia qui portat quos amat, quasi forte est animal; et quia inordinate idem non pro Deo diligit, lascivum. In bove ergo et asino arari non potest, quia fructu æternæ mercedis anima non excolitur, si puritas amoris, quo Deo conjungitur, inordinato proximi amore polluitur. Saul ergo de agro veniens, boves sequitur quia electus doctor utrumque affectum charitatis in frugifero corde integrum retinet, ex quibus præparare sibi æternæ retributionis uberes fructus potest. Et mane venit, quia cum ad subditos exit, diem suæ virtutis aperit. Sed jam cognitis necessitatibus populi, quid egerit audiamus. Nam sequitur :

(Ibid. et vers. 6, 7.) *Et narraverant ei verba virorum Jabes. Et insiluit spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc; et* **263** *iratus est furor ejus nimis. Et assumens utrumque bovem, cecidit in frusta misitque in omnes terminos Israel per manus nuntiorum, dicens : Quicunque non exierit, secutusque fuerit Saul et Samuelem, sic fiet bobus ejus.*

7. Quid in his verbis dicimus, nisi quia sanctorum infirma, et quæ videntur carnalia, non sunt infirma et carnalia, sed spiritualia et robusta? Iræ quippe nimietatem in religiosis viris reprehendere solemus, sed ecce Saul, ut irasci nimis potuerit, prius in eum spiritus Domini insiliit. Quam metuenda sit ergo sanctorum ira cernimus, si insilientem in eos Domini spiritum cogitamus, si dum illos foris irascentes aspicimus, commoventem spiritum intus pariter attendamus. Quoties ergo majorum zelo corrigimur, sub eorum indignatione vehementer possumus pavere, si eorum impetum motum sancti Spiritus credimus. Et quia Saul utrumque bovem in frusta concidit, in omnes terminos Israel misit, minas protulit, sic omnium bobus fieret, qui se et Samuelem sequi noluissent, quid aliud insinuat, nisi quia pigriores quique ad auxilia præbenda proximis, non solum invitandi, sed cogendi sunt? Unde et statim subjunctum est.

(Vers. 7.) *Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus.*

8. Quia enim proximos sicut nos ipsos diligere jubemur, recto ordine eis auxilia præbemus, quando ad hæc exhibenda non timore cogimur, sed amore provocamur. Cum vero nos effectum hujus debiti amoris perdimus, ad prædicatorum nostrorum zelum pertinet, ut in fratrum auxilia ex timore consurgamus. Bene ergo dicitur : *Invasit timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus :* quia plerumque sumus in amore proximorum tepidi ; sed prælatorum nostrorum minis erigimur ad statum devotionis, et ex timore bonum opus aggredimur, sed ex initio timoris, ad vinculum perducimur magnæ charitatis. Unde et bene timor invasisse populum dicitur, sed quasi vir unus omnes egressi perhibentur. Quasi vir quippe

unus plures non possunt egredi, nisi qui ad parem conscendunt unitatem dilectionis. Hinc namque et de perfectis discipulis Redemptoris dicitur : *Erat illis cor unum, et anima una* (*Act.* IV, 32). Sequitur :

(Vers. 8.) *Et recensuit eos in Bezech; fueruntque filiorum Israel trecenta millia, virorum autem Juda triginta millia.*

9. Prius dicuntur filii Israel egressi, deinde a Saul recensiti, quia electus prædicator, cum contra occultos hostes movere subjectorum suorum militiam tentat, prius eorum forte propositum aspicit, deinde eos in numero bellatorum ponit. Quasi enim intus sumus, et recenseri non possumus, quandiu virtus nostræ mentis nostris pastoribus occultatur. Et cum egredimur recensemur, quia cum mentium nostrarum eis fortitudinem pandimus, nos jam habere socios in spirituali pugna confidunt. Sed cum infirmas mentes ad propositum boni operis erigere appetunt, non solum majorum doctrinis nos erudire conantur, sed etiam minorum electorum exemplis accendere. Bene ergo filiorum Israel trecenta millia, virorum autem Juda triginta millia, recensita fuisse perhibentur. Tricenarius quippe numerus ad rectitudinem fidei et studium pertinet bonæ operationis : quia nulla sunt præcepta legis, si ad contemplationem non tendunt summæ Trinitatis. Apte ergo viri Juda dicuntur, qui triginta millibus continentur, quia confessionem **264** habent rectæ fidei, et robur bonæ operationis. Patres autem nostri ejusdem fidei atque operationis fuere, sed in contemplatione divinitatis, quo longe altius quam nos profecerant, eo et opera fidei fortiora exhibebant. Quare etiam filiorum Israel trecenta millia recensentur. Triginta quidem a tribus, et decem in triginta veniunt, sed in tricenario numero tam denarius, quam ternarius simplex est; sed ut usque ad trecentos numeremus, et denarium tricesies, tricenarium decies multiplicamus, quia et si magna est contemplatio, magna sunt opera subjectæ plebis, illa tamen quæ præcesserunt in patribus nostris incomparabilia fuerunt. Velut enim denarius noster numerus decies in illorum perfectione glomeratur, dum eorum perfectioni valde nostra submittuntur. Triginta ergo millia virorum Juda, et trecenta filiorum Israel nobiscum recensita, ad pugnandum contra Naas prædicatores ducunt; si cum adjuvare tentatos abstinentes subditos volunt, et fortissimorum patrum eis eximia facta proponunt et minorum. Israel quidem dicitur Videns Deum, sive, in quo est Deus; quod profecto nomen infirmo adhuc aut imperito non convenit. Quotquot perfectos viros in afflictione carnis et contemplatione mentis proferimus, serpentem Naas tot armatis elidimus. Sed jam obsessos quibus verbis regis exercitus confortet audiamus.

(Vers. 9.) *Et dixerunt iis qui venerant : Sic dicetis viris, qui sunt Jabes Galaad : Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.*

10. Tale fortasse est illud, quod nobis sapientis illius consilio dicitur : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum cito non deseras* (*Eccle.* x, 4). Locus uniuscujusque electi est situs bonæ conversationis. Quando autem permittitur, impugnans spiritus potestatem habere potest, quia impugnare electorum corda nullatenus posset, nisi hoc dispensatio divina permitteret. Præcipit ergo, ut locum nostrum non deseramus, quia si inter tentationum breves tenebras fortes sumus, cito divina lux aderit, in cujus adventu tenebrarum virtus evanescit. Bene ergo dicitur : *Cras enim, cum incaluerit sol, erit vobis salus.* Sanctorum prædicatorum exhortatio dies est, quia dum tentata minorum corda tangit, ad spem victoriæ erigit. Sed hanc nox sequitur, quia etsi divina auxilia separantur, adhuc tamen irruentes desideriorum carnalium tenebræ non discedunt. Quis est ergo dies crastinus nisi divinæ visitationis adventus? Crastinus enim dies dicitur, quia tentatis electis divini auxilii splendor valde vicinus est. Unde et per prophetam Dominus dicit : *Ego Deus de vicino, et non Deus de longe* (*Jerem.* XXIII, 23). Hinc Psalmista dicit : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal.* CXLIV, 18). Hinc item ipse Dominus repromittit, dicens : *Antequam me invocetis, dicam : Ecce, adsum* (*Isa.* LVIII, 9). Dies ergo primus, lux prædicationis, crastinus divinæ gratiæ est. Sed notandum quia dixit : *Cum incaluerit sol;* ut diei claritas obscuritatem sensus illuminet, et calor solis accendat amorem cordis; ut mens bonum quod cupiat per lucem videat, et quod videt per calorem mentis concupiscat. Geminum quippe hoc mentis remedium contra duplum diaboli bellum exhibetur. Nam malignus spiritus, ut mentes electorum tentando superet, prius tenebras cogitationum malarum objicit, deinde concupiscentiarum flammas accendit, quia nisi prius mentem cæcaverit, ad pravitatem concupiscentiæ non impellit. Electa vero **265** mens dum tentari permittitur, ejus status in utroque turbatur, quia in tantum concupiscentiarum molestias sentire potest, in quantum, permittente Deo, cogitationum tenebras abjicere a se non potest. Sed quia a Deo tentari permittitur, in adventu ejus gratiæ, ab utroque malo relevatur : dum contra tenebras lucem accipit, et per calorem adventientis spiritus, abjicit frigus mentis. Incipit enim videre cœlestia qui levare mentem a carnalibus non valebat, et quæ amanter aspicit ardenter cupit. Bene ergo dicitur : *Cras erit vobis salus, cum incalucrit sol;* quia si validas antiqui hostis impugnationes viriliter ferimus, divinæ gratiæ celeritate sublevamur ad lucem cordis et virtutem magnæ charitatis. Et quia hoc sanctorum prædicatorum consilium electa subditorum corda gratanter excipiunt, sequitur :

(Vers. 9.) *Venerunt ergo nuntii et annuntiaverunt viris Jabes. Qui lætati sunt.*

Sed etiam promisso sibi auxilio, quid Ammonitis respondeant audiamus. Nam sequitur :

(Vers. 10.) *Et dixerunt : Mane exibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis.*

11. Hoc profecto, quia illi dicunt qui jam de vicino auxilio securi sunt quamdam spem hostibus tribuunt quos promittendo illudunt. Voce quidem debilitatem simulant, sed fortitudinem promissi auxilii intus servant. Aliud ergo promittunt, aliud credunt. Qui enim dicebant : *Cras exibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis*, hoc dabant hostibus credere, quod sic se in eorum manibus traderent, ut facere de eis possent quæcunque voluissent. Sed qui in diem sequentem venturum regem in suum auxilium noverant, exire cum eo non ad hostium manus, sed ad interfectionem cogitabant. Secundum spiritualem vero sensum serpenti Naas, id est gulæ concupiscentiæ in die suo nostrum exitum promittimus, sed nos in die nostro ejus acies debellamus. Dies quidem ejus est delectatio corporeæ saturitatis. Qui enim proponit ventrem pro voto replere, quasi diem primum concupiscentiæ dedicat, et tamen adhuc intus est, quia quamdam lucem delectationis proposuit, quam operando non vidit. Cras ergo exiit, qui hoc lætum quod carni promisit, et operando et delectando exhibuit. Sed sancti viri, ut superius dixi, gulæ illudunt ; quia cum ab ejus appetitu desperare in perpetuum nequeunt, illud quod promittunt et non sumunt, quasi in futura luce delectationis repromittunt. Coacti quidem sunt foris nimia fragilitate carnis, et intus induti robore magnæ charitatis. Per illud quidem, qui appetitibus renuntiare nequeunt, quasi exteriori voce promittunt, quod in intentione non habent. Per illud vero, quia de divino securi sunt, aliud proponunt agere, quam loquuntur infirmitatis voce. In die igitur suo ad Naas exeunt, quia ad oppugnandum gulæ concupiscentiam, per lucem superni auxilii progrediuntur, et visitati superna gratia, jam contra omnem carnis impetum fortes sunt, qui derelicti ad modicum, ejus impugnamenta timuere. Qui profecto divinæ gratiæ splendor, quia per ora prædicatorum aliquando minoribus sanctæ Ecclesiæ membris infunditur, sequitur :

(Vers. 11.) *Et factum est, cum venisset dies crastinus, constituit Saul populum in tres partes, et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret sol.*

12. In partes quidem dividitur populus, ut serpentem Naas **266** non una acie feriamus. Et quidem in tres partes dividitur, ut sacræ abstinentiæ fructus et dignitas ostendatur : quia ad eam, quam mandu-cando perdimus, sanctæ Trinitatis contemplationem jejunando revocamur. Hinc est enim, quod legis, et Prophetiæ, et Evangelii jejunia commendantur. Nam Moyses ut legem percipere mereretur, bis quadraginta dierum numero jejunavit (*Exod.* XXXIV, 28). Elias ut Jesabel manus evaderet, quadraginta diebus in unius cibi fortitudine ad Oreb Dei montem pervenit (*III Reg.* XIX, 8). Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus per quadraginta dies in eremo jejunans, nullum omnimodo cibum sumpsit (*Matth.* IV. 2). In tres ergo partes Saul populum dividit : quia in exemplum abstinentium, Legis et Prophetarum, atque Evangelii jejunia producuntur. Et veniente die crastino, media castra doctor ingreditur : quia cum divina gratia, quæ ad docendum corda prædicatorum illuminat, auditorum etiam mentes irradiat, et ad spem victoriæ potenter levat. In die igitur crastino doctor triumphaturus castra inimicorum ingreditur, et aperit, in eisque concupiscentiarum acies potenter ferit. Et quia ipsorum subditorum mentes audiendo proficiunt, in vigilia matutina rex dicitur castra Ammonitarum ingredi, et usque dum dies incalesceret, in eorum cædibus immorari. Vigilia quidem matutina in Dei aspiratione est fervor solis in ejus plenitudine. Velut enim matutina nobis lux oritur, quando tenebris tentationum depressi, lucem virtutis ab ore prædicatorum videre incipimus, quam sequamur. Et sol nobis incalescit, cum per eorum verba mens nostra succenditur, et quasi ferventis solis calore decocta, desideriis inflammatur. Tunc quippe Ammon vehementer cæditur : quia vitiorum populus de nostris sensibus effugatur. Rector igitur, qui in vigilia matutina Ammonitarum castra ingreditur, usque dum incalescat dies, ab interfectione gladium non recondat, quia tandiu debet subditorum suorum eruditioni insistere, quandiu illos aspiciat magnis interni luminis caloribus inflammari. Quo in loco notandum est : quia Naas, id est serpens Ammonitarum rex esse dicitur : ipse autem Ammon populus mœroris interpretatur. Et quia in hoc serdente gulæ vitium designari diximus, cum Naas percutitur, mœroris populus debellatur : quia ex uno gulæ vitio, innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. Et cum idem gulæ vitium reciditur, alia multa nobis vitia subjugamus. Unum quidem gulæ vitium est, sed aculei libidinis innumeri sunt, qui præcedentem illum, quasi regem sequuntur. Qui læta quidem suggerunt, sed ad æterni fletus lamenta perducunt. Cum Naas ergo pugnatur, sed mœroris populus cæditur : quia cum gulam domamus, libidinum incitamenta perimuntur. Unde bene non ipse Naas, sed Ammon subjectus sibi, id est populus interfectus asseritur : quia appetitus comestionis restringendus, non exstinguendus est. Sed bene nunquam restringitur, si subsequens mœroris populus, id est turpes motus libidinum non necantur. Contra Naas ergo nobis principale certamen est : quia cum iste superatur, Ammon interficitur : quia libido tunc bene cæditur, si ejus principale initium subjugatur. Sed profectus pudicitiæ quousque procedat, latenter ostenditur per ea quæ subsequuntur. Nam dicit :

(Vers. 11.) *Reliqui vero dispersi sunt, ita ut nec relinquerentur duo pariter.*

13. Probatio veræ abstinentiæ non est in attenuatione corporis, sed in perfectione castitatis. Nam **267** bene serpens atteritur, si sic gula restringitur, ut libidinosi motus corporis omnis violentia minuatur. Nam motus illicitus carni, quandiu ipsa caro est, tolli non potest, violentia movendi tolli potest. Non quidem tolli potest carni, quod lex carnis mem-

bra non moveat; sed tamen tolli potest carni violentia motionis, ut relinquatur ei motus; sed eidem motui omnis delectationis obscœnitas auferatur, et simplex motus ille sit, in quo [a] reliqua libidinis turpitudo non sit. Bene ergo alii in fugam versi perhibentur, quia cum abstinentes quosque divina gratia perfecte remunerat a corporalibus eorum motibus omnium obscœnitatum aculeos tollit; sed eis ipsos motus naturales deserit, ut tentari semper possint, vinci nunquam possint; dum id deserit, quod eis valde displicet, sed sic debilitat quod deserit, ut prævalere victoribus non permittat. Ammonitas quippe percusserat, qui dicebat: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne aliis prædicans, reprobus efficiar* (*I Cor.* IX, 27). Interfectis etiam aliis, fugitivos interficere non poterat, quia deplorat, dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 23). Item quia debilitatos videbat, qui remanserant, dicit: *Nulla creatura poterit nos separare a charitate Christi* (*Ibid.* VIII, 39). Quid est ergo, quod deplorat legem inesse membris legi mentis repugnantem, si extinctis aliis, alii in fugam versi sunt; nisi quia perfecti viri hoc ipsum, quod simplices motus carnis contra voluntatem sustinent, vehementer dolent? Vellent quippe sic manere in carne, ut contra mentis voluntatem de carne nulla sustinerent. Quod quidem, quia impossibile est, præmisit dicens: *Velle adjacet mihi, posse autem non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio* (*Ibid.* VII, 18, 19). Quasi dicat: Vellem esse in carne, non ea perfectione, qua perfectus in carne perfectus est, sed sicut Angeli Dei in cœlo. Sed hoc posse non invenio, quia quandiu mors peccati absorpta in futura resurrectione non fuerit, illud, quod in me peccatum inhabitat, movet me contra me. Sed quod exstingui peccatum non potest, effugari potest. Motus quippe carnis quasi in fugam vertitur, dum ipsa bene jejunando castigatur. Tanto enim rarius ac difficilius se contra spiritum erigit, quanto sibi eam præsidens spiritus per extenuationem subdit, cum sic eam domat, ut tarde superbiat, cito conquiescat.

14. Sed subtiliter est intuendum, quod dicitur: *Ut non relinquerentur duo pariter.* Duo quidem remanent, sed pariter non remanent. Duo quidem sunt, cogitatio immunda, et naturalis motus carnis. Ad sanctorum quidem conflictum aliquando immunda cogitatio prævenit, aliquando insurgentem sibi sentiunt legem carnis contra legem mentis; sed qui victores jam sunt, hostes in fugam versos non timent, si iterum ad pugnam redeunt; quia cum eis pariter pugnare non possunt. Nam cum prava cogitatio obviat, prius eam abjiciunt, quam de ejus suggestione caro moveatur. Et cum carnis lex membra commovet, lex mentis turpem motum, turpia cogitando nequaquam fovet; et dum alterum abjicit, alterius pugnam nequaquam sentit. Bene ergo de electorum perfecta victoria dicitur, quia: *Dispersi sunt alii, ut duo pariter ex eis non sint relicti:* quia per macerationem corporis in tantum proficiunt culmen perfectionis, ut ab eis quidquid a carne, quidquid a mente ingeritur, leviter superetur, dum convenire in pugnam non sinitur. **268** Et hæc quidem victoria de omnibus sensibus corporis electi percipiunt, qui obsidentem Naas sibi subjicere per abstinentiæ virtutem possunt. Nam refecta caro et impinguata, ad lapsum linguæ, oculorum, auditus, olfactus, et tactus facilis est. Dum ergo illiciti corporalium sensuum motus a gulæ vitio, ad mentis pugnam deducuntur, quasi Ammon populus Naas regem ad Israelitarum obsidionem comitatur. Sed dum Naas perfecte vincitur, Ammon et exstinguitur ex parte, et ex parte sic in fugam vertitur, ut ex eo duo pariter non inveniantur; quia dum per abstinentiam corpus atterimus, innumeros nostrorum sensuum illicitos motus enervamus; et quos omnino eradicare non possumus, quasi debiles effugamus. Ex quibus duo pariter nobis in pugnam non remanent; quia in oblectatione alicujus sensus corporei, non conjungimus sensum mentis. Nam sæpe oculis aspicimus, sæpæ audimus auribus, sæpe tactu, sæpe olfactu percipimus, quæ carnalem animum trahere ad illicitum amorem possunt, sed nostram perfecte carnem macerando victores sumus, quia duos pariter de victis adversariis non videmus. Concupiscenda quidem tunc cernimus, sed oculorum motibus appetitum animæ conjungere devitamus. Sæpe etiam cordi cogitatio illicita obviat, sed victor serpentis, fugitivum motum suum, quem attendit, solum invenit. Ad ea enim, quæ corde accidenter cogitat, aliquem de sensibus corporis per motum illicitum nequaquam levat. Tales quippe sunt, quos propheta miratur, dicens: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas* (*Isa.* LX, 8). Quasi enim columbæ ad fenestras suas sunt, qui concupiscenda recipiunt, sed simplicitatem mundi cordis concupiscendo non perdunt; quia vident quæ appetant, sed illici e appetere quod cernunt, vitant. Ad hanc profecto victoriam, quia prædicatorum nostrorum exhortatione proficimus, bene per Saul Ammonitarum populus devictus et cæsus esse memoratur. Quorum profecto bella non uniformia, sed diversa sunt. Nam aliquando occultos adversarios potenter opprimunt, aliquando falsos fratres sapienter ferunt. Illos intus magna virtute domant, istos foris mira patientia tolerant. Intus per immensa certamina magnorum triumphorum gloria insignes sunt, sed foris incomparabilibus tantæ mansuetudinis suæ titulis adornantur. Qui ergo internæ victoriæ narrationem cognovimus, qualiter etiam foris vincant, audiamus. Nam sequitur:

Et ait populus ad Samuelem: Quis est, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, et interficiemus eos. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia fecit Dominus salutem in Israel.

15. Ad Samuelem quippe Dominus superius dixerat: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*

[a] Aliter, *aliqua libidinis turpitudo non sit.*

(*I Reg.* VIII, 7). De Saul autem paulo ante dictum est : *Quia despexerunt eum, et non attulerunt ei munera* (*Ibid.*, X, 27). Sed ille abjectus, iste despectus, cæsis jam hostibus consecuta victoria, vociferantem populum audivit : *Date nobis viros, et interficiemus eos.* Posset quidem uterque, non interficiendo, sed consentiendo, de inimicis vindicari, sed etiam quia abjectus fuerat propheta loquitur, rex despectus favet dicenti : *Non occidetur quisquam*, quia sancti prædicatores nostri majori victoria coronantur, cum [a] adversa proximorum tolerant, quam cum foris hostes expugnant. Unde et vera sapientia in Salomone loquitur, **269** dicens : *Melior est* [b] *patiens, viro forti* (*Prov*, XVI, 32). Sed notandum, quod dicitur : *In die hac.* In die quidem victoriæ suæ occidere appetit, qui eos, quos claritate virtutum ad amorem Dei pertrahit, ad nocendum aliis accendit. Vel in die victoriæ occidit ; quia ea luce claritatis, qua in veneratione prædicatoris adducitur, ad odia eidem doctori detrahentium excitatur. *Qui enim odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III, 15). Quia enim de doctrina boni pastoris sic adjuvandi sunt boni, ut tolerentur mali ; causa, qua nemo occidendus sit, bene subjungitur : *Quia*, inquit, *hodie fecit Dominus salutem in Israel.* Sequitur :

Dixit autem Samuel ad populum : Venite, eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecere ibi regem Saul coram Domino.

16. Si ergo omnia eo modo, quo superius in ordinando regem, fiunt, ad sanctæ Ecclesiæ morem deducimus, magna subtilitate ejus rectores ordinantur. Prius quippe prophetæ rex eligendus ostensus est, deinde quæsitus quasi incognitus : postea etiam sorte inventus, domi absconditus, revelatus a Domino, a populo sublatus, et in regiam dignitatem ab omnibus receptus est. Quid est ergo, quod adhuc in Galgala tenditur, ut illic regnum innovetur ? Sed magna discretione rex quæritur et invenitur, quia altissima sunt Ecclesiarum negotia, quæ si infirmi et imperiti suscipiunt, ipsa rerum magnitudine deprimuntur. Attente ergo et subtilissima investigatione perquiritur, qui tanto culmini præferatur. Qui profecto valde prædicandus est, non cum quærentium judicio constituitur, sed quando in ipsa dispositione summi ministerii strenuus invenitur. Bene ergo jam triumphante constituto rege dicitur : *Perrexerunt in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino :* quia cum prædicatoris fortitudo cognoscitur, in auditorum suorum mentibus honoratur. In Galgala quidem, id est rotam, imus, quando per sacrum eloquium doctoris nostri operationem discutimus, et eum illic coram Domino regem facimus : quia, quem probabilem cernimus, dignum esse tanto culmine judicamus. Prius ergo dicitur Saul a populo electus, ad extremum rex in Galgala constitutus coram Domino : quia licet multa consilii gravitate in sancta Ecclesia pastor eligatur, utrum sit merito, quod est ordine, non cognoscitur, nisi cum operum fortitudine declaratur. Dicatur ergo non de alio, sed de eo alio [*Forte* alio *superfluit*], qui magna victoria claruit : *Perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino*, ut dignitas summi pontificis non constet in ambitione culminis, sed in summa virtutis. Et in Galgala quidem itur, ut judicare de summo loco non audeat, cui Scripturæ sacræ abscondita sunt præcepta. Et coram Domino rex constituitur : quia tunc doctor subjectorum suorum devotione colitur, cum ipsi acceptam ejus vitam omnipotenti Domino recognoscunt. De ipsa autem cognitione vitæ, et doctrinæ pastoris sui : quia sæpe non sibi, sed melioribus creditur, bene dicitur populus in Galgala regem coram Domino constituisse : sed idem populus in Galgala, monente Samuele perrexisse. *Eamus*, inquit, *in Galgala, et innovemus ibi regnum.* Regnum quippe innovatur : quia dum electus prædicator in magna virtute conspicitur, ei nova et recenti devotione auditorum corda submittuntur. Unde quasi ostensa regis victoria regnum innovatur, quando cognita magna **270** conversatione doctoris, ipsa subditorum corda splendorem novæ devotionis accipiunt, et per ejus exemplum ad propositum magnæ virtutis excitantur. Sed jam qui in uno internorum prælio triumphos aspeximus, in altero jam pacis tempora mirabili æquitate decursa videamus.

CAPUT II.

(I Reg. XII, 1-3.) *Dixit autem Samuel ad universum Israel : Ecce audivi vocem vestram juxta omnia, quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem : et nunc rex gradiatur ante vos. Ego autem senui, et incanui. Porro filii mei vobiscum sunt. Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc, ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum. Si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, contemnam illud hodie, restituamque vobis.*

1. Cum reprobi pastores præsunt, principale eis propositum est in rapina subditorum. Quia enim æternorum bonorum abundantiam aspicere nesciunt, quo præsentia ardentius concupiscunt, eo avidius oblata recipiunt, non oblata violenter tollunt. Innocentibus insidiantur, debiles opprimunt, munera accipiunt, juraque pervertunt. De his pastoribus per prophetam Dominus Judææ improperat, dicens : *Pastores tui lupi vespere, non relinquentes in mane* (*Sopli.* III, 3). Calumniatores innocentium pariter et oppressores debilium item percutit, dicens : *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super illum bellum. Quapropter nox eis pro visione erit, et tenebræ pro divinatione* (*Mich.* III, 5, 6). Nam dum iniquitatem cognoscunt quam faciunt, per audaciam nequissimi operis, cadunt in cæcitatem cordis, ut per amorem, lucem veritatis ultra non videant, per quam

[a] Hoc est, adversa a proximis illata. Eodem sensu vox *adversitas* sumitur lib. XI. Moral. num. 38 ; lib. XVI, num. 45, et alibi.

[b] Vitiose in Vatic., Gilot. et Gussanv. *sapiens.*

a pravitate resipiscant. Item munerum acceptionem reprehendit Isaias, dicens : *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones* (*Isa.* I, 23). Sanctus ergo vir, dum innocentiæ suæ simplicitatem ostendit, qua meritorum altitudine fuerit, sublimis apparuit. Quod quidem virtutis præconium in eo uno ostenditur, ut omnibus electis doctoribus eadem bonitatis conformitas ostendatur.

2. Vitæ quidem innocentiam pro nobis habemus, sed prælationis culmen pro aliis, non pro nobis ascendimus. Per innocentiæ bonum ad æternam patriam tendimus, per altitudinem prælationis in aliorum custodia vigilamus. In illa virtute securi sumus, istam vero celsitudinem cum magno metu possidemus : quia qui nostrorum operum rationem reddere vehementer expavescimus, de eo quod aliis præsumus, Deo reddere rationem debemus. Si ergo electi viri, volente Deo, etiam prælationis culmen inviti conscendunt, volente Deo, idem culmen devotionis deserunt. Sanctus ergo vir dicit : *Ecce audivi vocem vestram, et constitui super vos regem; et nunc rex* [a] *graditur ante vos. Ego autem senui, et incanui. Porro filii mei vobiscum sunt.* Quasi aliis vocibus dicat : Quia non pro me, sed pro vobis præfui, dignitatem quam tenui, libenter alii dedi. In eadem dignitate jam senui, et tamen longus usus præeminendi, quem tenui, obligatum me in sui ambitione non tenuit. Quid ergo est quod ait : *Filii mei vobiscum sunt*, nisi quia in sanctis viris magna vis spiritualis amoris est, qua filiis ad culmen nascentibus, jus auferunt successionis? Sed qui summam ordinis tam quietus deserit, **271** qualis in eodem culmine manserit, ostendit. Quia enim rapinæ violentiam non exercuit, dicit : *Loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum.* Item quia nulli nocendi occasionem quæsivit, subjunxit, dicens : *Si quempiam calumniatus sum.* Item quia debilibus gravis non fuit, dicit : *Si oppressi aliquem.* Item quia de prælatione sua non terrena, sed cœlestia quæsivit, dicit : *Si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Quia vero in tanto contemptu rerum ab omnibus notus extiterat, sequitur :

(Vers. 4-6.) *Et dixerunt : Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam. Dixitque ad eos : Testis mihi Dominus adversus vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non invenietis in manu mea quippiam. Et dixerunt : Testis. Ipse vero adhuc subdit, dicens : Dominus, qui fecit Moysen et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Ægypti, ipse testis est.*

3. Quo in loco notandum est, quia bona quæ fecit vir sanctus, non dixit : mala vero, quæ non fecit, exposuit; ut silendo ad æterna lucra bona servaret, et loquendo odorem bonæ opinionis non perderet. Paulus vero loquitur, dicens : *Christi bonus odor sumus in omni loco* (*II Cor.* II, 15). Ipse etiam quosdam redarguens, ait : *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes* (*Rom.* II, 24). Hinc item discipulum admonet, dicens : *Oportet etiam Episcopum bonum testimonium habere ab iis qui foris sunt* (*I Tim.* III, 7). Dum ergo mala se tam caute vitasse asseruit, et ingentia bona, quæ fecit, siluit : aperte vir beatus ostendit, in quanto culmine virtutum stetit, dum mala reprobando, ad electorum exemplum odorem servavit bonæ opinionis : et occultando virtutum opera, præmia custodivit æternæ retributionis. Sed notandum, quia cum Dominum testem suæ innocentiæ assereret, ipsum Dominum fecisse Moysen et Aaron dixit. Quid est hoc aliud, nisi quia et virtutis suæ culmen ostendit, sed in tanto culmine solus apparere noluit? Quasi latentibus sensibus dicat : In tanta animi virtute mirandus non sum : quia in ea solus non sum. Contemptum rerum in munere virtutis habeo, sed hunc in intentione vanæ laudis non habeo : in quo valde meliores atque sublimiores cerno. Et quia ipsum Moysen et Aaron Dominum fecisse asseruit, tale est item ac si dicat : Quod mala tam fortiter cavere potui, illius debet gratiæ ascribi, qui Moysen et Aaron tales fecit. Sed ad quid sanctus vir ista præmiserit, ostendit : quia subintulit, dicens :

(Vers. 7.) *Nunc ergo state, et judicio contendam adversus vos coram Domino de omnibus misericordiis quas fecit vobiscum et cum patribus vestris*

4. Ordo summæ rationis est, ut qui bona agere non curat, mala in aliis nequaquam reprehendat. Sanctus ergo vir prius mala se vitasse caute asseruit, deinde ad reprehensionem aliorum prosiliit; ut electi prædicatoris mores insinuet, qui prædicationis fructum bene ferre non prævalet, nisi cum id, quod de æternitate lucidum prædicat, splendida etiam conversatione demonstrat. Dicit ergo : *Nunc state, et judicio contendam adversus vos de omnibus misericordiis Domini.* Stare quidem auditoribus, est intentionem mentis ad verbum prædicatoris erigere. Merito ergo stare præcipiuntur : quia doctor nihil exhortando proficit, si auditor mentem ad ea, quæ loquitur, non intendit. Easdem misericordias enumerans, ait :

272 (Vers. 8-11.) *Quomodo ingressus est Jacob in Ægyptum, et exclamaverunt patres nostri ad Dominum, et misit Dominus Moysen et Aaron : et eduxit patres nostros ex Ægypto, et collocavit eos in loco hoc. Et quia obliti sunt Domini Dei sui, tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Assur, et in manus Philisthinorum, et regis Moab : et pugnaverunt adversus vos. Postea clamavere ad Dominum, et dixere : Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim, et Astaroth : nunc ergo erue nos de manu Philisthinorum, et servietnus tibi. Et dimisit Dominus Jerobaal, et Barach, et Jepte, et Samuel; et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter.*

5. Has quidem misericordias factas secundum historiam idcirco commemorat, ut in eo, quod re-

[a] Vatic., *gradiatur ante vos.*

gem petiit, reum se coram Domino populus agnoscat. Nam qui ad omnia pericula submovenda Dominum præsentem habuit, hominem super se regem necessarium non habuit. Ipsam autem præsentiam Domini per impensas misericordias ostendit, dum de manu Ægyptiorum per Moysen et Aaron, et de manu Sisaræ et Philistinorum, et de manu regis Moab per Jerobaal, Barach, et Jepte, et a Samuele eos liberatos asseruit. Quo in loco valde quærendum est, cur petitio, qua rex petitur, tam districte et reprehenditur, et ipsa divinæ misericordiæ auxilia populo Dei per prælatos homines impensa esse doceantur. Qua in re quid respondendum est, nisi quia valde diversa est prælatio regum a prælatione judicum? Isti quidem ut pares præsunt, illi vero in potestate præeminendi arrogantiam exhibent dominationis. Isti innocentiæ suæ testimonium coram Domino et omni populo commendant : quia nec aliquem opprimunt, nec alienum aliquid in suis usibus tollunt : illi vero non solum propria subditis auferunt, sed etiam ipsas subditorum personas onere servitutis premunt. Subdens ergo ait :

(Vers. 12.) *Videntes autem, quod Naas ascenderet, et pugnaret adversus vos : Nequaquam, dixistis : sed rex erit super nos; cum Dominus regnaret in vobis.*

6. Quasi dicat : Ad hoc vobis hominem elegistis, ad quod Deum habere solebatis. Quem nimirum locum si spiritualiter discutere volumus, hoc ex eo colligitur : quia qui carnalem sibi præesse expetunt, divinam gratiam a se repellunt. Nam dum humilium doctorum exemplo vivunt, velut ab Ægypto liberantur : quia caliginem mundani amoris toto desiderio fugiunt. Quia etiam omnium vitiorum tyrannidem eorum doctrina evadunt, velut de manu Sisaræ, Philistinorum, et regis Moab, missis ducibus, liberantur. In quibus Deus jam solus omnipotens regnat : quia dum humiles pastores foris imitantur, regnantis inter se divinitatis amorem gratanter excipiunt. Dicat ergo propheta : *Dixistis mihi : Nequaquam, sed rex erit super nos; cum Dominus regnaret in vobis :* ut ostendat quia qui carnalibus se imitando subjiciunt, divinæ gratiæ dignitatem perdunt. Notandum etiam, quia propheta Samuel per virtutem humilitatis ubique se electis ostendit in norma rectitudinis. Nam cum Israeliticæ plebis liberationem assereret, non ait : Misit Dominus Jepte et me; sed : *Jepte et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum.* Se quidem quasi alium nominavit, ut virtus liberationis non ascriberetur personæ missi : sed gratiæ mittentis Dei. *Misit*, inquit, *Dominus Samuel, et eruit vos.* Quasi dicat : Quem voluit, misit; et per quem **273** voluit, fecit. Et fortasse de se quasi de alio loquitur : quia non ipse est, qui per seipsum loquitur : sed Spiritus sanctus. Et quia permissione Dei, jam rege constituto, vir Domini ista loquebatur; ad hoc profecto loquebatur, ut regem et populum ad Dei cultum dirigeret, non ut ipsam dignitatem regiam evacuaret. Unde et subjungens, ait :

(Vers. 13-15.) *Nunc præsto est rex vester, quem A elegistis, et petistis. Ecce dedit Deus vester vobis regem. Si timueritis Deum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini, eritis et vos, et rex vester qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non exaudieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, et super patres vestros.*

7. Hæc profecto non mystica, sed historica sunt in omnibus. Nam ubi prælati et subditi reprobam vitam ducunt, divinæ ultionis pœnam pariter subeunt. Sed quia separatim ducuntur [*Forte legendum*, dicuntur] bona, separatim mala; illa, pro quibus manus Domini super eos futura prædicitur, subtilius consideranda sunt. Quid ergo, quod ait : *Si timueritis Dominum, et servieritis ei :* nisi quia plerique divinæ B districtionis judicia metuunt, et tamen prava agere non desistunt? Paventi quidem corde futura judicia cogitant, sed præsenti voluptate devicti, mala committere nequaquam vitant. Bene ergo post timorem Domini ejus servitia memorantur : quia ille solus timor probabilis est, qui dum mentem concutit, ad boni operis studium trahit. Item quia nonnulli sunt qui per timorem Domini quædam mala respuunt, aliqua bona agunt; et tamen nec mala plene deserunt, nec bona sufficienter operantur, adjungitur : *Et audieritis vocem ejus.* Qui vocem Domini audit, et bona plene agit, et mala penitus deserit. Eadem vero bona opera in delectatione suavitatis habenda sunt, non in æstimatione asperitatis. Nam quibus semper dura et aspera videntur quæ a Domino præ- C cipiuntur, paulatim decidunt et deficiunt. Hinc enim per semetipsam Veritas dicit : *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 30). Hinc Joannes ait : *Mandata ejus gravia non sunt* (*I Joan.* V, 3). Gravia quippe non sunt electis : quia dum æternæ vitæ gloriam magno desiderio appetunt, præcepta Evangelica gratanter ferunt. Potest et os Domini prædicatio perfectæ charitatis intelligi. Quasi enim oris sui blandimenta volebat ostendere, cum dicebat : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (*Joan.* XV, 12). Hoc quippe præceptum Domini, hoc jugum est divinæ suavitatis. Quid enim levius, aut unquam gratius, quam amor fertur? Quid præterea grave non leviter tolerat, qui amat? Quidquid enim diligitur, cum D magna devotione portatur. Quia ergo vinculum perfectionis est charitas Dei et proximi, bene in ultimo loco propheta denuntiat, dicens : *Si non exasperaveritis os Domini, eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.* Quasi dicat : Tunc bene divinam voluntatem perficitis, si et contemptum pravitatis, et boni operis studium in divina charitate solidatis. Tunc ad summam æternæ vitæ beatitudinem bene post Redemptorem curritis, si ea quæ carnalibus aspera sunt præcepta charitatis, usque ad vitæ finem cum jucunditate deducitis.

8. Sed quia infirmis et carnalibus loquebatur, subsequenter denuntians ait : *Si non audieritis vocem*

Domini, sed exasperaveritis sermonem ejus, erit manus Domini super vos, et super patres vestros. **274** Manus Domini divinæ est severitas ultionis. Quæ profecto manus super filios et patres extenditur, cum divini contemptus merito, et reprobi prælati et subditi puniuntur. Eadem quoque manus ad ultionem extenditur, cum vox Domini non auditur, cum ejus sermones exasperantur: quia ii, qui divina mandata quasi dura et importabilia respuunt, intolerabili pœnæ onere in futuro deprimuntur. Stulta quippe audacia hominis, unde ad modicum subire ea, quæ sibi videntur aspera, refugit; inde se asperioribus in æternum subdit. Nam si sapienter saperet, hoc sibi quod displicet suaderet: ut per dura et aspera hujus brevissimi temporis, dura et aspera evaderet futuræ damnationis. Hæc profecto dura corda carnalium velociter audiunt, sed per salubre consilium facile molliri non possunt. Bene ergo subjungitur:

(Vers. 16, 17.) *Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus, in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias; et scietis et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.*

9. Quia tam attente, et toties ista petitio regis reprehenditur, hoc electis insinuat: quia qui ad culmen sanctæ Ecclesiæ carnales provehunt, gravissima peccati obligatione retinentur. Nam peccata reliqua singularis pœnæ meritum obtinent, qui vero carnalem præpositum constituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille fidelibus subditis præbet pravitatis exempla. Sed grave pondus criminis deponi non potest, nisi austeritate magnæ compunctionis. Compunctionis autem gratia menti non infunditur, nisi prius ipsa ei peccati magnitudo monstretur. Propheta ergo Domini, ut ad congruæ pœnitentiæ fructum peccantem populum provocaret, per mirabilem motum aeris, ei insinuat magnum peccatum transgressionis. In messe autem tritici, pluviæ et tonitrua in illa regione non fiunt. Bene autem subsequenter adjunctum est:

(Vers. 18, 19.) *Clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces, et pluvias in die illa: et timuit omnis populus nimis Dominum, et Samuelem. Dixitque universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidimus enim universis malis nostris, ut peteremus nobis regem.*

10. Quod sane, si ad nostra tempora deducimus, ut populus ad cognitionem peccatorum veniat, prædicatores pro eis ad Deum clamant: quia fidelium salutem magnis desideriis flagitant. Clamare quidem prædicatoribus, est electorum salutem magna devotione postulare. Ad quorum clamorem Dominus vocem dat: quia peccatorum corda excitat, ut pravitatis suæ nequitiam recognoscant. Dat pluvias: quia excitata corda per infusionem supernæ gratiæ adjuvat; ut non solum deserat mala quisque quæ A fecit, sed etiam bona fortiter agat, quæ appetit. Sed hoc in die messis tritici fieri dicitur, ut virtus miraculi designetur. Non est quidem minus miraculum immutatio cordis, quam perturbatio aeris. Non minus miraculum est arentia corda reviviscere, quam æstivis ardoribus inusitato more pluvias inundare. Majus quippe miraculum est, intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quam, collisis per ventum nubibus, tonitruum insonare. Sed rectus ordo conversionis ostenditur in ordinata positione verborum. Nam dicit: *Dedit Dominus voces et pluvias: et timuit omnis populus nimis Dominum* **275** *et Samuelem.* Ordinatissima quippe conversione cum malum deseritur, bonum in mente propagatur; cum conversi mens quasi per pluviam bonum semen nutrit, et se B Deo et hominibus per obedientiæ virtutem subdit. Bene ergo dicitur: *Timuit omnis populus Dominum et Samuelem*, quia qui summi Spiritus adventum suscipit, et mala deserit, et bona apprehendit, et sic Deo subditur, ut pro Deo etiam hominibus substernatur. Et quia præsumptionem in ipsa obedientiæ virtute non habent, dicunt: *Ora pro servis tuis ad Dominum, ut non moriamur.* Cum spiritus vitæ se menti infundit, protinus eam ad mortis pavorem erigit: quia magisterium ejusdem spiritus est, ut timendo mens agat, ne quod timet inveniat: sed sancti viri pro eis orantes exaudiri possunt, qui et occulta peccata cordis per humilitatem revelant confessionis. Unde et subditur: *Addidimus enim universis malis nostris, ut peteremus nobis regem.* C Quia vero hæc satis jam exponendo ventilata sunt, sequentia videamus.

(Vers. 20.) *Dixit autem Samuel: Nolite timere. Vos fecistis universum malum hoc. Verumtamen nolite recedere a tergo Domini.*

11. Pœnitentis mens tunc bene dirigitur, si divina judicia metuat, et de Dei omnipotentis miseratione confidat. Timor quidem sine spe in desperationem præcipitat, sed cum spei conjungitur, salutem mentis operatur. Quare et summo studio invigilare optimus doctor debet, ut peccantem terreat, et territum ad veniæ spem reducat: quatenus per metum peccare desinat, et per spem impetrandæ indulgentiæ, divinæ misericordiæ portum quærat. Territos ergo subditos ad spei virtutem Samuel erigens, dicit: *Vos fecistis* D *universum malum hoc, verumtamen nolite recedere a tergo Domini.* Quasi dicat: Si peccare desinitis, ad obtinendam commissorum veniam pervenire citius potestis. *Nolite ergo recedere a tergo Domini.* De justi laude promittitur. *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* (*Luc*, I, 76). Hinc Elias ait: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* (*III Reg.* XVII, 1). Hinc Psalmista dicit: *Exsultent justi in conspectu Dei* (*Psal.* LXVII, 4). In conspectu quidem Domini, vel ante Dominum stare, est testimonio bonæ conscientiæ de amore Conditoris præsumere. Stant quidem in conspectu ejus, qui ex merito magnæ actionis, de superna Conditoris sui gratia securi sunt. Peccatores autem cum mala commit-

sunt, a facie Domini fugiunt, sed cum redire pœnitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt: quia et discedere longius nolunt, et tamen præsumere de Deo quasi amici non possunt. Hinc est, quod peccatrix mulier retro stetisse dicitur, ut pedes Domini deosculari mereretur (*Luc.* VII, 38). Retro etiam illa stetit, quæ fimbrias ejus tetigit, et a fluxu sanguinis sui curari meruit (*Matth.* IX, 20). Retro quidem stat pro verecundia peccati, sed tangit per virtutem spei. Quia ergo pro commissis iniquitatibus semper erubescere debemus, et in quibus confundimur devitare, Samuel peccatoribus imperat, ut a tergo Domini non recedant. Sed quia non sufficit [a] conversio peccatori, ut peccata non agat, subsequenter adjunxit:

(Vers. 20.) *Et servite Domino in omni corde vestro.*

12. Tunc namque promereri veniam possumus, si peccare desinimus, et bonis operibus inhæremus. In omni etenim corde Domino servire, est peccandi nullam in corde intentionem retinere. Omne quidem cor ad servitium Conditoris inflectitur, **276** quando sic bona agimus, ut mala per propositum nulla teneamus. Quod et propheta Domini Samuel aperte insinuat, cum subjungit:

(Vers. 21.) *Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos: quia vana sunt.*

13. Ad litteram vana, simulacra dæmonum appellat. Nobis autem vana illa hic accipienda sunt, quæ concienater ostendit, dicens: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* In comparatione etenim æternorum bonorum, vana sunt omnia, etiam bona temporalia. Quidquid enim in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto est: quia difficile habetur, et cito amittitur. Repente quidem alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta et prospera evanescunt. Nam cum stare in his floribus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina, et omnia deturbante morte, concluditur. Vana ergo sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blandiuntur: sed amatores suos, cito transeundo, decipiunt. Dicat ergo propheta Samuel: *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis.* Quasi dicat: Stulte appetuntur bona sæculi, quæ ab appetitoribus suis non poterunt diutius teneri. Et notandum, quia de futuro dicitur: *Non proderunt vobis:* quia nimirum nunc prodesse cernuntur; sed cum in futuro pro eis puniri cœperint nequaquam prosunt. Unde et apte subditur: *Neque eruent vos, quia vana sunt.* Quasi dicat: Idcirco vos tunc non adjuvant, quia cum mundo deficiunt, et post sæculum non habentur. Multum quidem sæculi bona durant, si cum amatore usque ad extremum vitæ perveniunt. Post sæculum ergo non prosunt, quæ finem vitæ transire non possunt. In hac quidem vita suos amatores peccatis obligant; sed tunc non eruent, ubi quidem per meritum sunt, sed per auxilium non sunt. Qua in re caute notandum est: quia eis temporalia bona non proderunt, qui post hæc declinare perhibentur. Post bona etenim temporis declinare, est in eorum appetitum deluere, amorem illorum divino amori præferre. Merito ergo his vana non proderunt: quia ea eo ordine, quo condita sunt, habere noluere. Sed quo fructu vana despiciantur, insinuatur, dum subditur:

(Vers. 22.) *Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum: quia juravit Dominus facere sibi populum.*

14. Magnum malum hæc vana post se declinantibus ingerunt: quia dum inordinate terrena appetunt, a summo et omnipotenti Deo ad sustinenda futura tormenta deseruntur. His ergo, qui declinare post vana prohibentur, merito propheta repromittit, dicens: *Non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum.* Quia qui pro ejus amore vana despiciunt, a veris malis eruuntur, et ex fide promissionis mercedem accipiunt æternæ hæreditatis. Populum quippe suum Dominus facit, quem ad æternæ beatitudinis gaudia sustollit. Ibi quippe revelata majestatis suæ gloria illi præsidet, quem in mundo ab amore vanitatis per occultam gratiam assumptum tenet. Jurare quidem Domino, repromittere est eumque populum suum facere, Dominus jurat, qui non declinat post vana: quia terrena despicienda sunt, ut æternæ hæreditatis adipisci bona mereamur. Nec tamen ad ea posse his meritis se perduci aliquis credat; quia hic districte expressum est: *Propter nomen suum magnum.* Non enim bonitate nostra, sed Dei fit, **277** ut homo terrenus bonis cœlestibus perfruatur. Donum quippe Dei est, non ex nobis. Sequitur:

(Vers. 23.) *Absit autem a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis.*

15. Hæc ista loquitur, cui superius de iis, quibus loquitur, Dominus ait: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ecce abjicitur propheta, et abjicientibus se roquitur dicens: *Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis.* Equidem, si secundum Legis præceptum hoc discutitur, peccatum non esset, si pro abjicientibus se non oraret. Nam Lex Moysi præcipit, dicens: *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Levit.* XIX, 18). Sed et qui prophetam abjiciebant, non amici, sed inimici exstiterant. Quid est ergo, quod dicit: *Absit a me hoc peccatum*, nisi quia vir sanctus ad charitatis verticem sublimatus, non solum diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos? Legis quidem veteris mandato instructus, sed novæ gratiæ fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis Evangelica perfectione reprehendit. Quo nimirum in facto, nos nobiscum facere rationes cogimur. Hinc enim per Evangelium jubetur: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos* (*Matth.* V, 44). Quantum ergo nunc inimici diligendi sunt, cum præcipimur (*Præfat. num.* 6), si tunc amari potuere cum odio haberi jubebantur? Et quia non solum orare

[a] Gilot., *Conversio peccatori.*

pro eis, sed eos erudire conabatur, subjungens, ait:

(Vers. 23.) *Et docebo vos viam bonam, et rectam.*

16. Cur enim viam divini obsequii bonam dicit, et rectam : cum bona non sit, si non sit recta; nec recta, si non sit bona? Sed bona fuit via, quia populus ab Ægypto ad terram promissionis ascendit, et tamen dum per eremum circuivit, recta non fuit. Bona ergo via est, qua ad supernam patriam tenditur : recta, qua facile pervenitur. Via ergo bona et recta est, cum ad religiosam vitam convertimur, divina obsequia cum instanti fervore magnæ devotionis exercemus. Unde et bene eamdem viam Samuel exponit, dicens :

(Vers. 24.) *Igitur* [a] *timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro.*

17. Hæc quidem via bona et recta est : quia ad æternam vitam tendit, et velociter pervenit. Per timorem quippe Domini devitantur mala; serviendo ei, ejus mandata complentur. Cui nimirum in veritate servimus, quando ejus præcepta pro sola superna retributione perficimus. Nam qui de bono opere temporalem mercedem expetit, Deo in veritate non servit, quem falso proposito in sua operatione non diligit. Qui autem in veritate Deo servire cupiunt, totum cor in divinis obsequiis ponere jubentur, ut sic quæ Dei sunt agant, ut in mente aliquid quod contra Deum sit, non retineant. Hæc profecto via non solum bona, sed recta est : quia ad salutem tendit, et viatorem suum ad perfectionem velociter deducit. Velut enim altera via terræ repromissionis ostenditur bona, quæ perducat; recta, quæ diverticulum caveat. Per hanc quippe unusquisque tanto melius ad culmen virtutum pervenit, quanto per negligentiarum circuitus non divertit. Hæc quidem via recta in illa exprimitur, per quam Dominus filios Israel ducere ad terram promissionis voluisse perhibetur. Voluit qnippe illis labores deserti committere, ut nobis post unigeniti sui vestigia gradientibus cursum tanti itineris levigaret. Non enim adhuc audire poterant : *Si vis* **278** *perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et sequere me; et habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX, 21). Dum enim licentia rerum temporalium vetus populus per diversa discurreret, quasi per circuitum laboris ad terram promissionis cito duci non potuit. Ut ergo nobis novæ vitæ viam propheta insinuet, viam bonam et rectam esse dicit, et Deum metuere, et ei in veritate, et ex toto corde servire : quia ad sublimitatem divinæ gratiæ cito perveniunt, qui omnipotentem Deum et bono opere, et ferventibus desideriis inquirere non desistunt. Et quia eumdem populum ad audienda prædicationis verba per miraculum attentum fecerat, subdit :

(Vers. 24.) *Vidistis enim magnifica, quæ in nobis gesserit Dominus.*

18. Quasi dicat: Ex iis, quæ vidistis, colligite omnipotentem Deum quam terribiliter metuere, et quam devote ei semper servire debeatis. Quæ profecto verba, si ad nos trahere volumus, tanto nobis est et venerabilius metuendum, et devotius Deo serviendum, quanto in Redemptore nostro mirabiliora perspeximus. Sed quia quod boni audiunt, audacter mali contemnunt, subjunxit, dicens : *Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.*

CAPUT III.

(I Reg. XIII, 1.) *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset : duobus autem annis regnavit super Israel.*

1. Superius cum ordinandi regis negotium tractaretur, de eo, qui divino judicio præferendus erat cæteris, dictum est, *Quia erat electus, et bonus.* Item de eo jam electo in regnum, et in medio populi statuto Samuel ait : *Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non est ei similis in omni populo* (*I Reg.* IX, 24). De eodem item rege nunc dicitur : *Filius unius anni erat Saul;* ut dum attente laudatur, a Domino bonus electus fuisse sentiatur. Cur ergo unius anni esse dicitur, cum regnare cœpisset, nisi ut ejus innocentia prædicetur? Nam ad litteram, unius anni quomodo esse filius potuit, qui universo populo ab humero et sursum eminebat? Quod ergo secundum litteram intelligi non potest, intelligi per internæ intelligentiæ rationem debet. Unius itaque anni rex esse describitur, ut donum pueritiæ in persona regis innocentiæ bonum signet. Unde et æterni regni filiis jubetur : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote* (*I Cor.* XIV, 20). Quod certe et Ecclesiarum pastoribus ipsa Veritas comminatur, dicens : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 3). De rege ergo, qui prius bonus, postea malus exstitit, dicitur: quia unius anni fuit, cum cœpit regnare, et duobus annis regnavit. Licet enim multis annis regnaverit, illis solis regnare dicitur, in quibus innocens et humilis fuisse perhibetur. Nam postea superbus et inobediens audivit : *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex* (*I Reg.* XV, 26). Se quidem a regno projectum cognovit, et tamen projectus regnare non timuit. Quanta postea fortiter egit? Sed ecce omnia illa tempora ad regnum ei deputata non sunt. Illo ergo solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter et humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate, et fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita minime memorantur. Sunt adhuc quoque, qui ad rapiendum culmen sanctæ Ecclesiæ ingeruntur : de quibus per prophetam **279** Dominus queritur, dicens : *Regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et ego ignoravi* (*Osee* VIII, 4). Qui nimirum dum quædam fortiter agunt, rapinam invasi culminis a

[a] Ordine præpostero in aliis Edit. legitur : *Servite Domino et timete eum.* In Hebr. textu et in omnibus versionibus, timor præmittitur. Sic etiam legisse Gregorium, liquet; cum ea verba exponendo, prius dicat : *per timorem*, etc., postea : *serviendo ei*, etc.

Deo oblivioni traditam arbitrantur. Secum sua opera numerant, et quod præter Deum agunt, a Deo remunerandum putant. Qui certe, ut rectius ea, quæ agunt, enumerent, Saul abjecti tot fortia facta numerent, quæ divinus numerus nequaquam tenet. Dicat ergo Saul : *Duobus annis regnavit super Israel*, ut de omnibus sentiatur : quia quod nobis vivimus, mercede vacuatur; et nequiter præesse, non est veritas præeminendi, sed temeritas puniendæ præsumptionis. Sed jam quid unius anni rex fecerit, audiamus.

(Vers. 2.) *Et elegit Saul tria millia de Israel, et erant cum Saul duo millia in Magmas, et in monte Bethel; mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin.*

2. Millenarius numerus, qui a centenario decies collecto perficitur, summam perfectionis insinuat. Qui profecto cum ter repetitur, in eo electorum perfectiones variæ designantur. Saul ergo tria millia virorum de Israel elegit : quia prædicator veritatis ad defensionem sanctæ Ecclesiæ non infirmos et debiles, sed robustos et validos bellatores ducit. Tria quippe millia esse perhibentur : quia in summa perfectionis facie, virgines proferunt : juxta quos et continentes, et veritatis defensores ponunt. Dum enim exemplo virginum ad summam incorruptionis alios accendunt, dum continentium vita alios a sæculi corruptionibus auferunt, dum humilium debilitatem per auxilia potentium defendunt, contra hostes sanctæ Ecclesiæ boni doctores quasi cum tribus electorum virorum millibus veniunt. Viri autem dicuntur pro fortitudine, de Israel esse referuntur pro divina contemplatione. In summo enim defectionis numero contineri non potest, qui aut virtute caret magni operis, aut notitia internæ visionis. Quid est quod alii cum Saul, alii cum Jonatha ex electis viris esse perhibentur? Sed et ipsa locorum nomina, in quibus esse dicuntur, mysteriis vacua credenda non sunt. Jonathas, qui filius regis esse describitur, et partem bellatorum habet, eos profecto insinuat, qui in prædicationis ministerio doctorum adjutores sunt. Filii quippe eorum sunt : quia vehementer eos diligunt, quorum ministerio Deo generantur. Sed parti bellatorum præsunt : quia sanctæ Ecclesiæ curam gerunt, et exemplo alios, alios vero exhortationibus ad amorem virtutum provehunt. Quasi enim magnus rex filium in exercitum miserat, qui Corinthiis loquebatur, dicens : *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, et fidelis, in Domino : qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo* (*I Cor.* IV, 17). Hinc item dicit : *Cum venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos : opus enim Domini operatur, sicut ego* (*I Cor.* XVI, 10).

3. Jonathas vero cum mille viris in Gabaa Benjamin esse dicitur, Saul autem cum duobus millibus in Magmas, et in monte Bethel. Gabaa, ut sæpe jam diximus, sublimis interpretatur : Magmas, humilitas; Bethel, domus Dei; Saul, petitio; Jonathas, columbæ donum dicitur. Tria vero millia virorum electorum de Israel, ad virgines, et continentes, et veritatis defensores retulimus. Dum ergo columbæ donum Jonathas dicitur, et in Gabaa, id est sublimi, mille cum eo esse viri perhibentur : quid aliud, quam illos insinuat, qui lucidissimo **280** virginitatis exemplo, aliis præbent ejusdem normam pudoris? Bene autem columbæ donum, institutor virginum dicitur : quia incomparabili gratia Spiritus sancti efficitur, ut a manentibus in carne, carnis corruptio nesciatur. Bene et in sublimi esse virgines dicuntur : quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Unde et virgo ille dilectus Jesu locum virginum insinuans, ait : *Vidi supra montem Sion agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen ejus, et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis* (*Apoc.* XIV, 1). Quos etiam ex luce propriæ conversationis insinuat, dicens : *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocumque ierit* (*Ibid.*, 4). In monte quidem esse cum agno dicuntur; quia per meritum incorruptionis, quo a terrenis et carnalibus delectationibus se dividunt, in superna Redemptoris gloria sublimantur. Cum Saul vero duo millia esse dicuntur in Magmas, et in monte Bethel. Magmas quæ humilitas interpretatur, quid aliud, quam continentium ruborem significat? Nam dum præterita carnis oblectamenta recolunt, erubescunt. Sed quia viri fortes sunt, cum Saul esse referuntur; et dum experta sæculi blandimenta despiciunt, exemplo suæ virtutis innumeros alios ad ejusdem sæculi contemptum trahunt. Sed tamen Magmas inhabitant : quia dum recolunt, quales fuerunt in sæculo, superbire non possunt, de eo, quod magnos se vident esse in Deo. Qui bene cum Saul esse referuntur, qui petitio dicitur. Prædicator etenim veritatis tantæ charitatis esse debet, ut instanti desiderio non petitor, sed petitio esse sentiatur. Salutem quippe fidelium tam instantius debet appetere, ut ex usu interni gustus, omnem motum cordis in affectum ducat supplicationis. Cum quo mille viri sunt : quia perfectiores auditores cum electis doctoribus in charitate conveniunt, et pro salute fidelium omnipotentem Dominum communiter deprecantur. In Magmas ergo cum rege sunt : quia humilitatem pro se incolunt; ut exaudiri pro aliis mereantur. Sed dum electus doctor omnibus subditis utiliter præest, omnium virtutes ad victoriæ coronas promovet. Nam cum humilibus supplicat, cum fortibus pugnat, cum remotis viris, orationibus insistit, cum expositis Ecclesiæ defensoribus, debiles et infirmos protegit. Bene ergo non solum in Magmas, sed in monte Bethel esse cum Saul in bellatorum millibus dicuntur : quia prædicator Ecclesiæ sicut diversis ordinibus electorum præeminet, ita eorum esse cooperator debet. Bethel quippe, id est Dei domum custodiunt, qui verbi auctoritate sanctam defendunt Ecclesiam. Cum quibusque tyrannis voce liberæ auctoritatis obviant, cum contra hujus sæculi potentes se erigunt, cum pro defen-

sione humilium, sæculi hujus potestatibus contradicunt. Bethel domum Dei quasi regis [a] bellatores custodiunt. Qui certe cum Saul esse referuntur; quia in defensione Ecclesiæ magnorum doctorum coadjutores sunt. Bene autem de reliquis dicitur:

(Vers. 2.) *Porro cæterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua.*

281 4. Cæterum populum dicit, quem millenarius numerus non concludit. In tabernacula quisque sua remittitur, quia ad summa et fortia opera infirmi, et imperfecti producendi non sunt. Nam nec continentes, nec virgines, nec martyres fieri debiles possunt. Illis quidem, ut ad eos præterita carnis oblectamenta non redeant: istis, ut inexperta carnis blandimenta contemnant; illis, ut adversa mundi non metuant, maxima fortitudo necessaria est. In tabernacula ergo sua cætera plebs remittitur, ne de altioris vitæ temeritate damnetur, et velut debilis et infirma in bello pereat, dum altæ conversationis fidem spondet, quæ altæ virtutis robur non habet. Quasi enim unumquemque in tabernacula sua dimittebat beatus Paulus apostolus, cum dicebat: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque suum virum* (*I Cor.* VII, 2). Velut enim peritus magister internæ militiæ, et coronas victoriæ, et pugnæ considerans gravitatem, militum vires in belli pondere librabat, optimum judicans infirmis, ut in urbibus viverent, ne acerbo marte perirent. Quare et item eos a castris fortium segregans, ait: *Revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (*Ibid.*, 5). Sed remotis debilibus, quid in fortissima virginum acie agatur, exponitur, cum subjungitur:

(Vers. 3.) *Et percussit Jonathas statìonem Philistinorum, quæ erat in Gabaa.*

5. Sicut excellit ordine sponsi acies, ita et victoriæ titulos prima suscepit. Jonathas quippe stationem Philistinorum percutit: quia electa virginitas de carne, continentiæ arce sublimata, motus turpes exstinguit. Bene autem statio Philistinorum dicitur: quia in corpore virginali, carnales motus non habent requiem delectationis, sed statum certaminis. Stant quippe: quia impugnant, sed requiescere non possunt: quia mentem sanctam minime oblectant. Statio ergo Philistinorum in Gabaa percutitur, quando ab electis virginibus carnis desideria penitus enervantur, et pacem triumphi obtinent, dum solita bella non habent. Ad quam profecto victoriam, quia majorum exhortatione sæpe proficiunt, mille viri in Gabaa cum Jonatha sunt: sed Jonathas percutere Philistinorum castra perhibetur. Et quia exemplo aliorum, sæpe alii ad æmulationem virtutis excitantur, sequitur:

(Vers. 3, 4.) *Et percussit Jonathas statìonem Philistinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philistæi, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. Et universus Israel audivit hujusce-modi famam. Percussit Saul statìonem Philistinorum, et erexit se Israel adversus Philistæos. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala.*

6. Percussa quippe Philistinorum statione, Saul buccina canit, et post Saul populus clamat: quia auditas electorum virtutes sancti prædicatores prædicant, et subditorum corda ad exemplum boni operis inflammant. Buccina quidem canere, est et victoriam nuntiare, et exemplo victorum aliorum mentes ad spiritualis belli propositum excitare. Populo etiam post Saul clamare, est de audita prædicatione magnæ devotionis ausum suscipere. Quo in loco notandum est, quia Jonathas stationem Philistinorum percussit: sed Saul tuba canens, se percussisse eamdem stationem perhibuit. Quia nimirum electorum prædicatorum triumphis ascribitur, quod a subditis occulti adversarii superentur. Sed quoties alios hostes vincimus, necesse est ut ad aliorum devincenda certamina præparemur. Omnipotens enim Deus, quia electos suos copiosius remunerat, eos semper vult in pugna consistere: ut ipsi semper possint sibi æterni muneris bona præparare. Quare et cum populus clamasse post Saul dicitur, subjunctum est:

282 (Vers. 5.) *Et Philistæi congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus sicut arena, quæ est in littore maris plurima.*

7. Superius rex Saul tria millia virorum sibi elegisse describitur. Si ergo partes utriusque exercitus conferre volumus, contra unumquemque virum Saul, decem currus Philistinorum, et duo equites deputantur. Decies enim tria millia, triginta millia sunt. In senario quoque numero ternarius geminatur. Quo nimirum bello occultorum hostium tam multitudo, quam feritas designatur. In curribus quidem et equis contra nos veniunt: quia modo malas cogitationes electorum cordibus, modo eorum corporeis sensibus rerum visibilium blandimenta noxia offerre moliuntur. Equi namque ad cursum celeres sunt, ad impetum fortes. Quibus nimirum cogitationes malæ apte comparantur, quæ ad cor velociter veniunt, et fortiter pungunt. Equites contra nos in prælium veniunt, quando maligni spiritus nobis malas cogitationes et celeriter excitant, et nos per eas fortiter impugnant. Sed contra unumquemque fidelium duo equites veniunt: quia si occultas reproborum spirituum insidias in considerationis summam colligimus, illud eorum speciale propositum est: ut videlicet nobis principalem virtutem feriant, et charitatem Dei et proximi penitus exstinguant. Equus vero unus sævire cernitur, quando reproba cogitatione nobis malignus spiritus suggerit, ut proximus odio habeatur. Sed equus, qui solus cernitur, solus non est: quia Deum nemo diligit, qui fratrem odit (*I Joan.* IV, 20). Quia item divina charitas cum nullo principali vitio in mente convenit, quoties spirituale vitium nobis dæmonum fraude suggeritur, equitum sævientium cavere debemus velocitatem nimiam et ferocitatem violentam. In comparatione quidem equitis, sagittari

[a] Gilot. et Vatic., *bellateris.*

aut peditis ictus omnimode debilis est. Impetus vero equitis, equi viribus violentus est : quia nimirum virtus maligni spiritus nulla est in electorum certamine, si ipse residere non permittitur in mala cogitatione. Quia ergo valde fortes in bello hostes nostri sunt, quando insidere internis cogitationibus permittuntur, in Philistinorum exercitu equitum turba numeratur. Currus vero decem unicuique electo in prælium deputantur. Quinque enim nobis sunt sensus corporis, quibus experimentum accipimus delectationis. Sed spiritus maligni, quando per blandimenta carnis mentem decipere gestiunt, corporeis sensibus rerum species ostendunt quas caro appetat, et per earumdem rerum species suggerit, ut mens oblata concupiscat. Quasi enim in rotis suis currum adversarius erigit, dum hinc rerum blandimenta offert, inde cogitationes retinet ; ista porrigit, illas immittit, et quasi volvendo se sublimem ad animam invehit, dum contra electos se malignus spiritus erigit, et per blandimenta rerum et per artem suggestionum. Decem ergo currus sunt : quia contra singulos sensus corporis nostri habent species blandimentorum visibilium, habent contra totidem sensus animæ, et deceptorias artes suasionum.

8. Quid est autem quod reliquum vulgus sicut arena, quæ est in littore maris, esse plurima memoratur, nisi quia ad ducatum malorum spirituum, innumerabilis sævit contra nos turba vitiorum ? Velut enim subjectum vulgus, currus et equites sequitur, quando dæmonum insidiæ mentem impugnando præveniunt : ut a subsequentibus vitiis, quasi ab **283** irrationabilis vulgi multitudine, devastetur. Bene autem prius currus et equites, deinde vulgi numerositas in spirituali sanctorum pugna describitur : quia nimirum nulla est numerositas, nulla fortitudo vitiorum, si excitando et immittendo non præcedat hanc malignorum turba spirituum. Quibus etiam verbis innuitur, quam cauta et circumspecta semper esse debeat vita sanctorum. Nam si vulgus reliquum arenæ maris plurimæ comparatur, innumerabilis et fere inevitabilis est multitudo jaculorum. Quamvis enim peritis fidelibus omnia nota sint vitia, quantis tamen cor motibus pulsent, quibus modis, aut quibus causis semper ad cor veniant, omnino scire non possunt. Apertas quidem tentationum tenebras potenter abjiciunt; sed sæpe caliginem ignorantiæ in rebus levioribus quasi arenæ minutias non evadunt. Semper fortitudinem ostendunt boni operis ; sed qui magnos exercitus equitum magna virtute superant, linguam penitus ab omni superflua locutione non refrenant. Continuo usu corpus in Dei omnipotentis servitio dirigunt ; sed eorum mens, quæ foris membra perfecte ordinat, cogitationes superfluas aliquando nequaquam vitat. Quid enim aliud tunc, quam vulgi importunam multitudinem sentiunt, qui currus et equites magna virtute prostraverunt ?

9. Sed doctor egregius dicit : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28). Permittit quidem Deus electos suos magnis tentationibus impeti, ut magnificentissime in cœlesti regno debeant coronari : sed magna prælia permittit, quæ vincant ; levia excitat, in quibus cadant : ut victoria fortium magna sit, casus innoxius ; ut cadentes se facile erigant, et eos fortia, in quibus victores steterant, non extollant. Nam si currus, et equites vincimus, extolli de victoria non debemus : quia innumerabilia sunt, quæ cogitando, loquendo, vivendo, gustando, et audiendo, et operando committimus. Hujus namque vulgi innumerabilis tela, etiam ille vitare non poterat, qui dicebat : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Hinc item dilectus Jesu loquitur, dicens : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). Quis ergo jam quasi victor extolli audeat, si tanti viri peccatorum tela se omnino evadere non posse manifestant ? Sed quia hæc in spirtuali bello describuntur, non debemus nunc æstimare, quid patimur, sed qualiter hostium nostrorum impetum infirmare valeamus. Vulgus Philistinorum arenæ comparatur, quæ est in littore maris plurima : quia omnis virtus vitiorum et numerus ex sæculi perturbationibus augetur. Mare quippe hoc sæculum designat : quia dum magna rerum et temporum varietate impellitur, quasi ventis furentibus perturbatur. In littore autem, quando impulsa maris aqua refunditur, innumerabiles arenæ minutiæ glomerantur. Quid est ergo littus maris, nisi cor uniuscujusque in spirituali conversatione negligentis ? Per ordinem quippe religionis, quasi in solido stare cernitur ; sed dum sæculares cogitationes non reprimit, quasi frangentes in se maris fluctus excipit, et cumulos arenarum : et inde quidem impelli fluctibus, et obrui arena potest, unde mari appropinquare non timet : quia si sæculi cogitationes spiritualium rerum contemplatione reprimeret, vitia mentis et corporis, quæ sæculi occupatio velut arenas et fluctus invehit, non sentiret. Cur ergo vulgus hostium arenæ simile esse dicitur, nisi quia maligni spiritus eisdem vitiis electos Christi **284** athletas impugnant, quibus negligentes superant ? Cum turba quidem sæcularis strepitus contra eos veniunt, qui sæculum in suis delectationibus spernere tota mente didicerunt. Pompas rerum visibilium formant, contemptum jam sæculi amorem fingendo renovant : ut corda superno amore flammantia, ad noxias delectationes trahant. Sed sancti viri, quia innumerabilem hanc nequam cogitationum turbam de sæculi pelago prodire considerant, sæculum tota mente fugiendo, fieri littora maris vitant, et tantum vulgus hostium jam non timent : quia dum in intima contemplatione se retinent, vitiorum turba ad eos accessum habere non potest. Sequitur :

(Vers. 5.) *Et ascendentes, castrametati sunt in Magmas ad orientem Bethaven.*

10. Maligni spiritibus ascendere, est ad decipienda sanctorum corda, per cœleste desiderium alta conari. Bene autem dicitur : *Castrametati sunt in Magmas :* quia in illis cordibus residunt, quæ in alto

amore cœlestium sublimata non vident. Magmas quippe humilitas interpretatur. Humiliari vero in sacro eloquio pro defectu sæpe virtutis accipitur. Unde et in hac eadem regum historia Thamar David regis filia, quam violasse Amon frater ejus legitur, humiliata perhibetur. Corrupta quidem humiliata est : quia sublimis steterat virgo, et dum altum honoris virginei culmen perdidit, velut de sublimi ad planum et humilem locum venit (*II Reg.* XIII). De futura etiam superborum depressione dicitur : *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11) : quia in examine superni judicis corruunt, qui vane de hujus sæculi sublimitate gloriantur. Bene ergo in Magmas castra ponere Philistæi perhibentur : quia per iniqua consilia in eis dæmonia [a] habitant, qui alta virtutum culmina tenere non curant. Nam dum terrena quærunt, velut plana et humilia incolunt, ubi invisibiles hostes castra ponere leviter possunt. De quibus nimirum hostibus per prophetam dicitur : *Qui dicunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus* (*Isai.* LI, 23). Erecta quidem sublimis est anima, incurvata humilis : quia per virtutum celsitudinem, est per cœleste desiderium in alta sustollitur : sed quando ad vitia, vel ad sæculi amorem defluit, illuc quidem cadit, ubi hanc hostis irruens leviter atterit. Dicunt ergo animæ tuæ : incurvare, ut transeamus : quia si hanc ad agenda, vel cogitanda terrena non humiliant, nec malignis persuasionibus penetrant, nec vitiorum bello perturbant.

11. Hinc ergo colligere possumus, quantum a sæculo actu, verbo et cogitatione longe fieri debeamus. Verba quippe nostra, cogitationes, et opera plana et humilia sunt, quando sæcularia. Per hæc quidem ibi sumus, ubi occultorum hostium castra libere ponuntur, ubi tanto facilius capi possumus, quanto nulla munitionis arce sublevamur. Quis enim jam fidelis nesciat : quia culpas verborum, cogitationum, et operum nostrorum colligant, et ad accusationem nostram in adventu venturi judicis servent ? Unde et hunc humilem atque despectum locum Magmas fugiendum nobis esse Dominus insinuans, dicit : *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Locus ergo hostium humilis dicitur ; ut profecto nobis insinuet, quia verbo, cogitatione et opere semper sublimes esse debeamus. Et quia dum in humili remissioris vitæ suæ loco reprobi capiuntur, exempla pravitatis ostendunt, quæ aliis imitanda proponantur : ab oriente Bethaven Magmas esse dicitur. **285** Ab oriente quidem solis lucem oriri cernimus. Reproborum autem vita, quamquam veritatem obscuritatis habeat ; qui hanc tamen pro vana sæculi delectatione semper appetunt, nimirum velut falsæ lucis splendore falluntur. Unde et per beatum Job dicitur : *Auferetur ab impiis lux sua* (*Job.* XXXVIII, 15). Modo quidem velut lucidum eis placet blandimentum sæculi ; sed dum de sæculo exeunt, perpetuas subibunt tenebras, quas lucem esse crediderunt. Tunc videbunt quia lux non fuit, quando in adversitatem proA speritas, lux in tenebras, risus in mœrorem, dulcedo in vermem, decor in deformitatem, honor in dedecus, blandimenta in pœnas et æterna tormenta commutantur. Hæc profecto, quia nunc impiorum corda non sentiunt, bonorum mores imitari refugiunt ; et exemplo perditorum, quidquid de sæculo eis placet, sumere nequaquam timent : quia illos imitantur, qui per vitam reprobam habitacula dæmonum facti sunt. Unde et merito domus inutilis dicuntur : quia sæpe sanctorum prædicationem suscipiunt, sed verbum quod ab eorum ore audiunt, in se habitare per amorem nequaquam patiuntur. Inutilis ergo domus sunt : quia aptam in se Deo habitationem non faciunt. Hanc inutilem domum per semetipsam Veritas in Evangelio designat, dicens : *Vulpes foveas habent,* B *et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII, 20). Hinc iterum scriptum est : *Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum, et non habitat in corpore subdito peccatis* (*Sap.* I, 5). Bene ergo inutilis domus habere in orientis parte Magmas dicitur : quia, qui sanctorum prædicationem spernunt, in reproborum exemplo ima et terrena quærentium, velut in magnæ lucis exortu gratulantur. Sed dum, loquentibus sacræ historiæ mysteriis, malorum conversatio demonstratur, quam sit cauta sanctorum vita, subsequenter ostenditur. Nam sequitur :

(Vers. 6.) *Quod cum viasssent viri Israel, se in arcto sitos, afflictus est populus, et absconderunt se in* C *speluncis, et in abditis, in petris quoque, et in antris, et cisternis.*

12. In arcto quidem sumus, quando ab immundis spiritibus intus tentamur, et foris malorum hominum exempla conspicimus. Contra internam ergo malorum spirituum tentationem bene dictum est : *Afflictus est populus*, et contra exteriora exempla impiorum hominum, *Absconderunt se.* Quia blanda et læta nobis appetenda callidus adversarius suggerit, qui nunquam melius vincitur quam si tentati ad devotæ orationis lamenta curramus. Et exempla pravorum vitare citius possumus, si ea etiam respicienda non esse judicemus. Abscondi ergo sanctorum, est reproba videre dedignari. Et quia quinque sensus corporis a reproborum imitatione custodiunt, quinque etiam latibulorum genera describuntur : speluncæ D scilicet, abdita, petræ, antra, et cisternæ. Speluncæ vero montium occulta sunt : quia vero alta in cœlesti desiderio sunt corda sanctorum, et malignis spiritibus clausa et inaccessibilia sunt. Speluncas ergo ingredimur, quando ad mentium secreta recurrimus, ne vagantibus oculis foris concupiscenda videamus. In abditis abscondimur, quando clausi oris silentia occulta servamus. Petras ascendimus, quando actum corporis in robusta operatione locamus. Unde et de his absconditis per prophetam dicitur sub unius assignatione : *Qui claudit oculos suos, ne videat malum, et obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et excutit manus ab omni munere : in excelsis habitabit*, mun-

[a] Gilot. et Vatic., *habent.*

menta **286** *saxorum sublimitas ejus* (*Isa.* XXXIII, 15). Antra et cisternas intramus, quando et olfactum ab obscœnitatibus mundi, et aures ab audiendis vaniloquiis custodimus. Cisternæ namque aquarum sanctarum Scripturarum verba sunt. In cisternis ergo abscondimur, quando ad sacri eloquii aquas ingredimur, ut per aurium officium mentium prata rigemus. Bene autem in electorum typo Israelis latibula memorantur : quia qui sensus corporis a delectationum carnalium inquinamento non protegit, occultorum hostium gladium non evadit. Dicat ergo occultæ illius congressionis victoriam, dicat : *Afflictus est pulus*. Dicat aperte objecti extra certaminis triumphos : *Absconderunt se*. Afflictio quippe electæ mentis, omnis diabolicæ tentationis peremptorius mucro est. Nam dum profunde compungitur, in superni gaudii amorem sublevatur; et tanto jam fortius oblata mundi oblectamenta respuit, quanto jam cœlestia ferventius diligit, ad quæ flendo conscendit. Doctor namque egregius dicit : *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). Qui certe regni cœlestis introitus sic speratur in fine temporum, ut in quotidiana sanctorum vita sentiatur. Tribulatio igitur nostra superni gaudii introitus est. Merito ergo quoties electa mens in afflictionis suæ lamento compungitur, se tribulando, hoc obtinet, ut intret in contemplationem illius superni regni, in quo ineffabiliter gratuletur. Et dum sancti viri amatores mundi in flore transeuntis lætitiæ videre refugiunt, dum corporeos sensus suos ab eorum imitatione abscondunt, eorum, quæ cernitur non est fuga, sed gloriosa victoria. Actus quidem terrenos fugiunt, sed cœlestes assequuntur; mundo delitescere videntur, sed cœlesti gloriæ revelantur. Fugiendo igitur noxia, hostes suos validius insequuntur, et valde nobilius triumphant, cum sic ad cœlestia properant, ut eos adversariorum [a] polluta sævitia non contingant. Sequitur :

(Vers. 7.) *Hebræi autem transiere Jordanem ad terram Gad, et Galaad.*

13. Hoc profecto si prius juxta litteram scire volumus, Hebræi isti et timore perterriti, et ad hostes suos confugisse sentiuntur. Nam non multo post in aperta Jonathæ victoria scribitur : *Hebræi, qui fuerant cum Philistiim heri et nudiustertius ascenderuntque cum eis in castra, reversi sunt ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Jonatha* (*I Reg.* XIV, 21). Quid vero in hoc facto signatur, nisi quod quotidie in sancta Ecclesia fieri cernimus, bonorum esse tutam et cautissimam vitam, negligentium præcipitem impatientiam? Infirmi quidem et audaces sunt curiosi ad actiones sæculi; debiles ad tolerandum bellum tentationis. Et si in his nostra discutimus, in monasteriis plerique tales inveniuntur. Intra portus quidem tranquilla inhabitant, sed aperti pelagi procellas, et tempestatum turbines nequaquam pensant. Cumque foris quasi fortes agere se magna æstimant, ad gravissima tentationum prælia faciles exeunt; ad fortes adversarios, impotentes. Ratione quidem improvidi, robore infirmi, sicut astutæ tentationis fraudes non intelligunt, ita et apertas blandimentorum decipulas non evadunt. Jordanem ergo transeunt, quia ad perpetranda carnis flagitia incurvantur Jordanis quidem, descensus eorum interpretatur Qui ergo justitiam deserunt, ab alto monte virtutum cadunt. Quia ergo infirmi quique libenter appetunt mundi blandimenta quæ cernunt, in eorum typo Hebræi non trans Jordanem perlati, sed Jordanem transire perhibentur. **287** Transire quidem volentis est. Jordanem itaque transeunt, qui ad carnales delectationes voluntaria et festina deliberatione flectuntur. Possunt autem intelligi Jordanem transire, qui noviter peccare incipiunt, sed aliorum peccatorum hominum nequitias peccando transcendunt. Ad descensum quippe eorum desinendo, non transeundo pertingerent, si aliis æqualia mala facerent, et non ea audendo superarent. Et quia in nequiori etiam vita pares suos inveniunt, bene ad terram Gad et Galaad, trans Jordanem pervenire memorantur. Velut enim trans Jordanem habitant, qui per peccandi usum malis pejores fiunt. Ab hoc descensu culpæ erigere peccatores venerat ille, de quo scriptum est : *Venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (*Luc.* III, 3). Qui de omnibus culpis prædicare pœnitentiam venerat, in omnes utique descensus regiones venisse prædicatur. Sequitur :

(Vers. 7-9.) *Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum. Exspectavit autem septem diebus juxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum et pacifica : et obtulit holocaustum.*

14. Hucusque quia de Saul, ut superius dictum est, electo et bono divinus sermo locutus est; rationabile visum est, ut quæ de eo dicebantur, tam per historiam quam per moralitatem, in bonam partem acciperemus. Nunc vero, quia ad locum transgressionis ejus pervenimus, nimirum necesse est, ut in eo etiam, quæ sunt vitanda, videamus. Sed quid unquam studiosius vitandum electis omnibus, quam superbiæ et inobedientiæ malum videri debuit? Hæc quippe primi angeli sublimitatem deposuit, hæc perditorum spirituum gloriam stravit. Hæc primo homini felicitatem abstulit; hæc captivitatis humanæ perpetuas ærumnas invexit. Et ecce primo angelo, primo homini, electi populi per inobedientiam rex primus adjungitur, ut dum magna proruunt, minima erigantur. Bene quippe erigimur, si et illorum lapsus aspicimus, et vitamus. Ubi ergo Saul ceciderit, attente considerandum est. Superius namque ei dixerat Samuel : *Descendas ante me in Galgala. Ego quidem descendam ad te, ut offeras holocaustum, et oblationem, et immoles victimas pacificas. Septem*

[a] Locus obscurus. Forte legendum *polluta vitia non contingant*. Vel expungendo *eos* : *adversariorum polluta se vitia non contingant*.

diebus exspectabis me, donec veniam ad te : et ostendam tibi, quæ facias (*I Reg.* x, 20). Idcirco igitur per inobedientiam cecidit, quia integris septem diebus, sicut jussus fuerat, non exspectavit. Nam in eodem loco repente subjungitur :

(Vers. 10.) *Cumque complesset offerens holocaustum, esse Samuel veniebat.*

15. Quo in loco trementi corde considerandum est, quam brevissimi temporis exspectatione neglecta, repulsus sit. *Cum complesset*, inquit, *holocaustum, ecce Samuel veniebat.* Si ergo eum solo temporis brevissimo intervallo exspectaret, quo obtulit holocaustum, securus jam regni sui robur obtinere potuisset. Itaque si tanta pœna est, quando propheta despicitur ; quid putamus de pelago illo divinæ animadversionis incurratur, cum ipsa divina præcepta dissipantur? Et quia in momento transit carnis delectatio, et omnis peccatorum commissio, et brevis quidem est hora transgressionis, non tamen brevis pœna flagitii ; quia dum ad momentum in nobis regnum peccati erigimus, illa regna perdimus omnium sæculorum. Statim enim post peccatum sermo propheticus venit, ut increpet : qui adesset, si **289** non peccaremus, ut in bono roboraret. Polluta quidem conscientia habet jam divinum eloquium contra se ; quæ si pollui vitaret, ab eo adjuta, et relevata proprio vigore subsisteret. Quid enim nobis aliud spiritualiter designat, quod dicitur : *Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat?* Et si non obtulisset holocaustum, nihilominus et Samuel veniret. Sic nimirum et cum tentamur, divina gratia juxta est, quæ sustinentes adjuvet : juxta et divina justitia, quæ deficientes damnet. Unde sacra Scriptura nos exspectare cohortans, ait : *Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum cito non deseras* (*Eccle.* x, 4). Hinc propheta testificans, ait : *Dominus auxiliator meus, et ideo non sum confusus* (*Isai.* l, 7). Hinc Psalmista vicina eadem auxilia respiciens, ait : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* xv, 8). Sed jam propheta quid non exspectanti dicat ; quid is, qui exspectare noluit, respondeat, audiamus :

(Vers. 11.) *Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti?*

16. Sciebat quidem propheta quid fecerat, sed interrogando, inobedientiæ factum reprobabat. Unde et ad peccantem Adam in paradiso a Domino dicitur : *Adam ubi es?* (*Gen.* III, 9). Potest etiam per hanc interrogationem magnitudo reatus intimari. Ac si aperte dicat : Parum tibi videtur, quod inobediendo deliqueris, sed a sublimi gloriæ tuæ culmine delinquendo cecidisti. Nunc ergo plerique intra sanctam Ecclesiam se flagitiis obruunt, et quasi qui nulla aut minima perdant, securi sunt. Dicatur ergo lapso, dicatur : *Quid fecisti?* Parum tibi videtur, quod te peccati sorde pollueris, quia quam æternitatis gloriam perdideris, quam gehennæ pœnam meruerit, non attendis. Interrogatur quidem peccator quid fecerit, ut ad cor per lamenta perducatur, ut magna se incurrisse sciat, et parum non doleat. Sed quia ex radice superbiæ ipsa culpa inobedientiæ nascitur, solent inobedientes reatus sui magnitudinem objurgantibus doctoribus audire, sed non humiliter confitendo satisfacere. Nam cum sublimes videri appetunt, lapsus suos ostendere dedignantur ; et ideo excusationes proferunt, justitiam prætendunt ; quia apparere peccatores erubescunt. Bene ergo subjungitur :

(Vers. 11, 12.) *Respondit Saul : Quia vidi, quod dilaberetur a me populus, et tu non veneras juxta placitos dies. Porro Philistiim congregati fuerant in Magmas. Dixique : Nunc descendent Philistiim ad me in Galgala, et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus obtuli holocaustum.*

17. Ecce qui de magnæ transgressionis temeritate arguitur, magnas causas justitiæ asserere non veretur. *Vidi*, inquit, *quod dilaberetur populus a me.* Ecce hic asseritur destitutus a populo : *Porro non veneras juxta placitos dies.* Hic se ostendit prophetæ promissione fraudatum. *Porro Philistiim congregati fuerant in Magmas.* Hic pariter objicit imminens periculum congressionis. Quare ex actione sua verbum subinferens, ait : *Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Quasi dicat : Tu me de magno reatu arguis, cum reatus tanto sit levior, quanto non temeritate constat, sed necessitate. Sed qualem eum cognoscat propheta, qui se cognoscere noluit, subjungens, ait :

(Vers. 13.) *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui.*

18. Superbi quique, quia per tumorem supra homines se esse arbitrantur, competenter arguuntur, cum eis divina voluntas objicitur, quam offendunt. **289** Saul ergo superborum more arguitur, qui Domini Dei sui mandata contempsisse perhibetur. Quod tale est, ac si superbientem et contemnentem terreat, dicens : Et si homines despicis, nunc non consilium hominum, sed Domini Dei tui mandata dissipasti. Recte ergo tuum reatum pensas, si illum, quem contemnis, trementi corde consideras. Et notandum, quia non ait : Non custodisti mandata Dei tui, aut, mandata Domini tui, sed : *Non custodisti mandata Domini Dei tui.* Ac si aperte dicat : Ausus magnæ transgressionis esset, si ille, cujus mandata despicis, tantum Dominus tuus, non etiam Deus existeret. Quantum ergo est quod committitur, cum Dei et Domini mandata negliguntur? Quia item non dixit : Domini Dei mei, aut Domini Dei nostri, divinæ familiaritatis gratiam eum offendisse redarguit. Quasi dicat : Ejus præcepta contempsisti, qui dum te de imo extulit, dum super alios te constituit, dum regem fecit, per impositionem tantorum munerum, velut specialiter tuus fuit. Adhuc quoque subjungitur, unde transgressionis ejus audacia major esse doceatur :

(Vers. 13.) *Quæ*, inquit, *præcepit tibi.*

19. Quædam denique Dei præcepta sunt communia omnium, non specialia aliquorum. Ut ergo audacem reum temeritatis suæ patenti objectione convincat, non eum præcepta communia, sed propria et singularia contempsisse demonstrat. *Quæ*, ait, *præcepit tibi*. Ac si dicat : Illa Dei et Domini tui mandata contempsisti, quæ non velut communia omnibus, sed velut propria, et soli tibi singulariter credita observare debuisti. Sed quid mereatur, exponit, dicens :

(Vers. 13, 14.) *Quod si non fecisses, jam præparasset Dominus regnum tuum super Israel usque in sempiternum, sed nequaquam ultra consurget.*

20. Ecce quam magna perdidit, qui, ut putabat, nulla contempsit. Ecce septem diebus prophetam sustinuit ; sed dum præstolari eum in fine diei desiit, gloriam tantæ dignitatis amisit. Unde et per prophetam dicitur : *Væ iis qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II, 16). Sustinentiam quidem perdunt, qui bona, quæ inchoant, non consummant. Quibus nimirum væ esse dicitur : quia non solum incœpti laboris mercedem perdunt, sed etiam apostatatus sui pœna feriuntur. Pœna autem superbi et inobedientis regis declaratur, cum dicitur : *Quod si non fecisses, præparasset jam Dominus regnum tuum super Israel amodo et usque in sempiternum ; sed non consurget.* Amodo et usque in sempiternum electum regnum paratur : quia qui temporalia bene ordinant, æternæ gloriæ sibi sublimitatem parant. Modo quidem electorum regnum paratur, cum per divinam gratiam recte eorum ministeria dispensantur. Quod amodo et usque in sempiternum proficit : quia de sublimi actione hujus temporis, sublimiorem illam æternitatis gloriam promerentur in cœlis. In finem itaque reprobo regi dicitur : *Regnum tuum nequaquam ultra consurget.* Quasi dicat : Dum a temporali rectitudine deficit, ad æternitatis celsitudinem non pertingit. Vel ideirco ad litteram non consurgere dicitur : quia cum ipso corruit, et post ipsum in ejus filiis non remansit. Sed, ut livoris pœna feriatur, non solum repulsionem suam, sed etiam electionem alienam audire compellitur. Nam subjungens propheta ait :

(Vers. 14.) *Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, et præcepit ei, ut esset dux super populum suum Israel.*

21. Per omnia verba hæc superbus eliditur : **290** *Quæsivit*, inquit, *virum juxta cor suum.* Quasi dicat ; Ideo eum quæsivit, quia tu juxta eor suum esse noluisti. Quasi dicat : Talem virum populi sui ducem constituit, qui præceptum divini consilii exsequatur virtute devotionis. Quia enim corde ea quæ agere volumus, deliberare solemus : dum usu nostræ locutionis cor Dei in sacro eloquio ponitur, per eum voluntas ejus intima designatur, quæ a nobis tunc foris agnoscitur, quando inobedientiæ præcepta revelantur. Juxta eam vero sumus, quando hanc, et per intellectum agnoscimus, et per amorem custodimus. Bene ergo de Domino propheta Samuel dicit : *Quæsivit sibi virum juxta cor suum, et præcepit, ut esset dux super populum suum.* Quia ille aliis utiliter præcipit, qui obedire Deo perfecte jam novit ; qui solum hoc præcipit, quod ex consilio procedit intimæ veritatis.

22. Sed quid est, quod quasi de præterito dicitur : *Quæsivit sibi Dominus virum, et præcepit ei, ut esset dux*, cum non fuerit quæsitus, nec ei, ut populo suo præesset, injunctum ? Nam postquam Saul percussit Amalech, eidem prophetæ Dominus ait : *Imple cornu tuum oleo, et veni, mittam te ad Isai Bethlehemitem* (*I Reg.* XVI, 1). Sed hæc quæstio facile solvitur, si omnipotentis Dei præscientia, et prædestinatio videatur. Ei quidem prædestinare, facere est, et apud ipsum jam facta sunt, quæ ab ipso fieri præordinata sunt. Unde et de eo scriptum est : *Fecit, quæ futura sunt* (*Isa.* XLV, 11, *sec. LXX*). Sed quæsisse virum Deus dicitur, ut eligendorum antistitum forma hominibus præbeatur. Quærere enim solemus, quæ aut præsentia non cognoscimus, aut absentia non videmus. Deus autem, cui nihil est absens, nihil latens, non dicitur quæsisse virum, ut absentem, aut absconditum : sed quæsisse dicitur, ut omnis, qui ad sanctæ Ecclesiæ culmen eligitur, discutiendus ab hominibus esse doceatur. Sed quæri debet secundum cor Dei ; ut videlicet non solum divinam voluntatem intelligat, sed bonis operibus ostendat. Quia item electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt, sed coacti perducuntur, bene dictum est : *Et præcepit ei, ut esset dux :* Quasi dicat : In honorem prælationis non per ambitionem subiit, sed coactus ascendit. Potest etiam intelligi vir pro fortitudine ; secundum cor Dei, pro interna charitate. Quando igitur necessitas exigit, ad curam sanctæ Ecclesiæ quæratur vir, ut sit conversatione fortis ; quæratur secundum cor Dei, ut per effectum magni amoris, quasi unitus sit divinæ voluntati : præcipiatur ei, ut sit dux ; quatenus sublimitatis ordinem conscendere ex cupiditate non ambiat, sed ex humilitate pertimescat : sicque sibi humilis metuat, ut subdi præcepto Dei devotius agnoscat. Sed quia his verbis propheta lapsi regis vitam reprehenderat, sequitur :

(Vers. 15.) *Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin.*

23. Quasi ab alto ad planum sanctæ Ecclesiæ doctor venit, quando peccatorum culpas redarguit, et status sui sublimitatem curvat, cum ad discutienda malorum crimina se per affectum charitatis humiliat. Bene ergo de eo, qui peccatorem arguerat, dicitur : *Surrexit, et ascendit.* Surgit quippe electus prædicator, quando ad altitudinem suæ spiritualis conversationis se per intentionem erigit : ascendit autem, quando ad arduam ejusdem vitæ suæ celsitudinem per consuetum opus venit. Cœlestia quidem desideria, spirituales virtutes, bona opera in sublimi sunt : affectus terreni, concupiscentiæ sæculares, vitia et peccata in infimis. Doctor vero, **291** ut lapsos bene corrigat, prius culpas discutiendo invenit, deinde inventas ferit. Ut ergo quæ feriat, perspicue et aperte videat, mentis oculos ad videnda ima peccatorum vulnera curvat. Sed perspecta non ferit, si ad tangenda ea in infimis, non descendit. Surgere ergo et

ascendere propheat dicitur, quia electi dolores sic ad ima nostra videnda et emendanda plerumque veniunt, ut redire statim ad alta conversationis suæ nunquam obliviscantur. Quibus etiam verbis sacerdotalis animi libertas asseritur. Nam plerique alios increpant, qui semetipsos validissimo iræ bello perturbant. Post increpatas vero culpas surgere et ascendere nequeunt: quia in semetipsis turbidi, ad alta intimæ quietis progredi nequaquam permittuntur. Quidem coercendas aliorum turpitudines audiunt; sed cum ad cogitanda ima descenderint, noxia eorum delectatione sordidantur. Infirmi quidem et tanti ministerii impares, dum solvere inferius aliorum [a] nodos gestiunt, illos non liberant, sed semetipsos ligant. Quid ergo significat, quod de Samuele dicitur: *Surrexit, et ascendit*, nisi quod in perfectioribus viris aspicimus, qui sic nostra inquinamenta respiciunt, ut ab eis nequaquam sordidentur: sic nobis irascuntur, ut quietis intus secreti sui alta conscendere velociter possint? Fortes namque et potentes sunt, et qui magna et fortia sua leviter ferunt, nostris infirmitatibus non gravantur. Et quia in correctione nostra sanctæ Scripturæ testimonia proferunt, a Galgalis surgere, et ascendere perhibentur. Galgala quidem, ut plerumque jam dixi, rota nominatur. Testimonia vero Scripturarum, quia per diversos sensus in nostra eruditione volvuntur, velut rotæ sunt. Et quia cum sancti prædicatores subditorum sollicitudinem deserunt, in æternæ vitæ contemplatione sublimantur, in Gabaa Benjamin Samuel ascendere dicitur. Gabaa denique Benjamin, collis filii dextræ interpretatur. Quis ergo est filius dextræ, nisi quem sancta Evangelia confitentur ad cœlos ascendere, et ad dextram Dei Patris sedere? Collis igitur filii dextræ, æterna est celsitudo Redemptoris. Quando enim ima nostra sancti prædicatores deserunt; in alta illa divina Redemptoris per intentionem surgunt, et per visionem conscendunt.

24. Potest et secundum historicum sensum simplicius intelligi hoc, quod dicitur: *Surrexit, et ascendit:* quia videlicet in rege, quem arguerat, humilitatem pœnitentiæ, qua manere cogeretur, minime cognovit. Idem tamen rex in ministerio relinquitur, ut ipsa prophetæ separatione corrigatur; quia plerumque quos prædicatoris verba non corrigunt, dividi a prædicatorum familiaritate, vel a sanctæ Ecclesiæ unitate pertimescunt. Juxta prædicatores duri sunt, sed separati resipiscunt; et qui inobediendo peccaverunt, obedire Deo, jam humiliter parant. Unde et rex Saul non multo post demoliri Amalechitas præcipitur: ut, si mandatum Domini ejusdem cæde gentis perficeret, prioris inobedientiæ nexus enodaret (*I Reg.* XV). Separatus quidem a propheta, ea agere visus est, ut ad agenda alia juberetur. Quare et subditur:

(Vers. 15.) *Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabat illos: venientes ex Galgala in Gabaa Benjamin.*

25. Nonnulli sic in peccato corruunt, ut in nullo bono opere teneantur: nonnulli vero dum mala se perpetrasse recolunt, agere bona instantius conantur. **292** Agendo quippe bona, mala quæ relinquunt operiunt: ne ab æterno judice detecta judicentur. Hoc nimirum si factum Saul in bonam partem deducimus, hoc invenimus; quia qui prius in sacrificio, metuens prophetæ mandata contempsit, postea vero ad eos, quos metuerat, conterendos populi Dei adversarios festinavit. Quo in loco etiam hoc notandum est, quia quem propheta deseruit, ad experienda bella hostium de Galgalis ascendit. Plerosque etenim peccatores justa prædicatorum severitas projicit, quos tamen divina memoria non relinquit. Solatia et adhortationes rectorum propter culpas amittunt: sed sacras Scripturas consulunt, propositum resumunt; et qui inobedientiæ malo velut lapsi iacuerant, erecti per obedientiæ fervorem ad occultorum hostium bella procedunt. Bene ergo de Galgalis, id est de rotis venire memorantur: quia de sanctis Scripturis accipiunt, unde adversæ partis militiam comprimere fortiter possint. Quia vero perditæ conversationis altitudinem recuperare vincendo satagunt, in Gabaa Benjamin ascendere dicuntur. Quia item alii in latibulis se clauserant, alii ad hostes confugerant, reliqui populi vocantur, qui nullo sunt timore perterriti, sed cum rege suo ad locum festinant congressionis. Quod etiam nunc in Ecclesia videmus: quia videlicet plerique quasi parvuli proficere per privatæ vitæ studium proponunt, plerique fortes in expositis quoque maligni hostis certaminibus audaces sunt; ut aperte videant sæculi blandimenta, quæ appetant, sed appetere visa contemnunt. Hi quidem non in latibulis, sed in aperti certaminis campo consistunt, expositi ad prælium, fortes ad triumphum, qui pugnare possunt, et nequeunt superari. Unde et per perfectum numerum designantur, cum subditur:

(Vers. 15.) *Et recensuit Saul populum qui inventus fuerat cum eo, quasi sexcentos viros.*

26. Septem quippe diebus hebdomada impletur, sed unus eorum ad operandum prohibitus est, sex vero in boni operis studio conceduntur. Centenarius autem numerus summam continet numerorum. In sexcentis ergo viris, qui alii designantur, nisi qui opere, et cordis deliberatione robusti sunt? Nam quidam fortia proponunt, sed quia quod proponunt, non faciunt, ad sexcentorum virorum numerum non pertingunt. In sexcentis ergo viris, fortes operarii sanctæ Ecclesiæ designantur, quia magna proponunt, et rigorem propositi, fortitudine complent bonæ operationis. Qui bene cum rege inventi perhibentur, quia cum pastoribus sanctæ Ecclesiæ in bona voluntate, et pia actione conveniunt. Cum eis namque sunt, a quibus nec voluntate discrepant, nec operatione discordant. Qui sic convenire dicuntur, ut excellere prædicatorum dignitas sentiatur; quia etsi idem bonum subditi, quod prædicatores volunt, faciunt, illi tamen in eodem bono præcipui sunt, quorum, ut ordo est celsior, ita et ardentior virtus animi, et ro-

[a] In Gilot. et Vatic., *modos*, quod minime recipiendum.

bustior nixus operationis. Quare et separatim de rege, et ejus filio dicitur :

(Vers. 16.) *Et Saul, et Jonathas.*

Ut quid enim separatim rex, et ejus filius nominatur, nisi quia actio boni præsulis claret esse singularis? Et quia omnium fidelium subditorum non est uniformis æqualitas, sequitur :

(Vers. 16.) *Et populus, qui inventus in Gabaa Benjamin.*

27. Satis replicatum est, quod Gabaa collis interpretatur. **293** Collis vero non summitas, sed montium est altitudo summitati vicina. Quid vero in isto colle, nisi alta et perfecta vita intelligitur fidelium subditorum? Hæc nimirum quamvis prædicatorum celsitudini æqua non sit, tamen ab aliorum meritis valde cernitur esse sublimis. Unde et de quibusdam præcipuis electis in Apocalypsi legitur : *Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor milliа* (*Apoc.* XIV, 3). Quos et clarius demonstrans, ait : *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur agnum, quocunque ierit.* Dum ergo spiritualia prælia describuntur, populus inventus in Gabaa Benjamin specialiter recensetur, quia virginum chorus contra immundorum spirituum ferocitatem tanto violentior est, quanto nullo eorum vulnere saucius, nulla eorum suggestionis sorde pollutus. Liber quippe et integer, expeditus est ad occursum, fortis ad ictum. An non in colle filii dextræ sunt, quos integritatis suæ merito dilectus Jesu respicit, dicens : *Vidi supra montem Sion agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia?* (*Apoc.* XIV, 1.) Sed et nisi valdè fortes essent, ad tantam celsitudinem fatigati ascendere nequaquam possent. Item nisi omnium cogitationum liberi essent, post agnum ubique currere non valerent. Quia ergo in occulti certaminis triumpho virgo quisque mirabilis est, dum ordo congressionis describitur, sub typo populi Gabaa, virginitatis specialis dignitas memoratur. Sequitur :

(Vers. 16-18.) *Porro Philistiim conscenderant in Magmas. Et egressi sunt ad prælіandum de castris Philistiim tres cunei : unus cuneus pergebat contra viam Ephraim, ad terram Saul; porro alius ingrediebatur per viam Bethoron; tertius autem vertit se ad viam termini in terra Sabaa, imminenti valli Seboim, contra desertum.*

28. Quid est, quod Philistæi tres cuneos faciunt nisi quia maligni spiritus cordi nostro, linguæ, et operi inserere perversa moliuntur? Quia enim cogitando, vel loquendo, sive faciendo omne peccatum committitur, tres sunt Philistinorum cunei : quia maligni spiritus impellere ad peccandum animas satagunt, negligentia cordis, effrenatione oris, audacia perversi operis. Unde et primus cuneus contra viam Ephraim pergere dicitur, quia expugnare innocentiam a corde incipiunt. Via quippe Ephraim, id est fructiferi cordis, bona est cogitatio. Contra viam ergo Ephraim primus Philistinorum cuneus pergit : quia occulti adversarii, si prius usum bonæ cogitationis a mente non auferunt, ad eradicandos virtutum ejus fructus pervenire non possunt. Contra Ephraim igitur viam veniunt, quando bonæ cogitationi insidiantur, qua via ad terram Saul tendere dicitur. Quid enim est aliud mens electi discipuli, nisi fructifera valde terra doctoris? Unde et Dominus in Evangelio parabolam seminum exponens, ait : *Quod cecidit in terram bonam hi sunt, qui in corde bono et optimo verbum excipiunt, et fructum afferunt in patientia* (*Luc.* VIII, 15). Dicitur ergo de primo cuneo Philistinorum : *Pergebant contra viam Ephraim:* ut dum litteræ sensum spiritualem percipimus, cogitationis aditum malignis spiritibus obstruamus. Sed dum cor munimus, linguam pariter a superfluis locutionibus refrenare compellimur. Unde et secundus cuneus per viam Bethoron ingredi dicitur; Bethoron quippe, domus iræ interpretatur. Domus vero iræ, est mens usui serviens linguæ litigiosæ. Quam certe domum sapiens **294** ille insinuat, qui ait : *Ira requiescit in sinu stulti* (*Eccl.* VII, 11). Per hanc quidem ad cor stulti hostes ingrediuntur, quia maligni spiritus, dum ad effrenata verba linguam solvunt, iras accendunt, et mutuam fidelium charitatem feriunt. Qui ergo cavere cogitationes noxias didicit, si oris custodiam tenere non novit, unius cunei impetum vicit, alterius non evasit. Tertius vero cuneus vertit se ad iter termini. Quis est terminus cogitationis et verbi, nisi consummatio boni operis? Nam idcirco bona cogitamus et loquimur, ut ea ad finem boni operis perducamus. Sed cum antiquus hostis verbis et cogitationibus nocere non prævalet, in finem laqueos tendit, et bonum opus fidelium evacuare, vel impedire appetit. Quod vero est iter termini, nisi studium bonæ operationis? Quia ergo multis insidiis maligni spiritus nituntur, ut studium boni operis deseratur, ad iter termini tertius cuneus verti dicitur. Potest etiam in hoc termino, vitæ nostræ finis intelligi. Ad iter vero termini cuneus vertitur, quia interrumpere hostis opus bonum nititur, ne usque ad vitæ finem perducatur. Unde et Psalmista lapsorum fletus in se exprimens, ait : *Funes extenderunt in laqueum pedibus meis, juxta iter scandalum posuerunt mihi* (*Psal.* CXXXIX, 6). Juxta iter quidem scandalum ponitur, ut bona electorum opera ante hujus vitæ consummationem deserantur.

29. Quid est autem quod ait : *In terra Sabaa, imminenti valli Seboim contra desertum?* Sed hæc nomina locorum ad designandum situm termini, quem dixerat, posita sunt. Sabaa vero in lingua nostra, captiva dicitur : Seboim, capreæ nuncupantur. Quæ est autem ista captiva, nisi humana natura, quæ in paradiso fuit posita, et nunc ad perferendas hujus mortalitatis ærumnas in hoc sæculum est ligata? Quæ est autem terra captivæ hujus, nisi peregrinatio vitæ temporalis? Bene igitur, dum verti cuneus dicitur terra captivæ memoratur : quia maligni spiritus in hac terra peregrinationis nostræ prælia contra nos movere possunt; in illa vero vita nostra non possunt. Sed electorum præsens conversatio quam-

vis in hoc captivitatis exsilio posita sit, si iter termini perfecte custodit, post termini hujus angustias, ad altitudinem immortalitatis pervenit. Unde et termini hujus terræ valli Seboim, id est caprearum imminere perhibentur. Vallis quippe caprearum, est mors pretiosa sanctorum : quia unde moriendo deponuntur, inde ad gaudia æterna sublevantur. Capreas quidem velocia animalia esse, et magnos saltus dare quis nesciat? Recte ergo sanctarum animarum dignitatem capreæ designant, quæ in morte corpora deserunt, sed quasi magnos saltus dantes, per ingentia merita ad superna regna conscendunt. Dicat ergo, quia terminus terræ captivæ imminet valli Seboim : quia etsi damnata est humana conditio, sic tamen est in Dei filio exaltata, ut cum ad vitæ temporalis terminum ducitur, in morte datur, ut in æternæ vitæ celsitudinem sublevetur. Dicat ergo : *Quia tertius cuneus ad iter se vertit termini in terra captivæ, quæ imminet valli caprearum* : ut malignos spiritus ad hoc electorum extrema bona pervertere conari asserat, ut ad superna gaudia non conscendant. Quæ etiam vallis sita contra desertum dicitur. Quid deserti nomine hoc loco, nisi infernum accipitur? Desertum quidem recte intelligitur, ubi electorum nullus invenitur. Desertum etiam dicitur, in quo ærumnarum solatia nulla sentiuntur. Vallis ergo caprearum contra desertum sita perhibetur : quia sanctorum mors **295** diversum omne ab inferni meritis habet, et conveniens aliquid, et dignum inferni pœnis non habet. Sequitur :

(Vers. 20, 21.) *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel. Caverant enim Philistiim ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim, ut exacueret unusquisque vomerem, aut ligonem, et securim, et sarculum.*

30. Hæc profecto omnia describuntur, ut modus subsecuturæ victoriæ insinuetur. Armati quippe ab inermibus victi sunt, ut totum, quod vincitur, omnipotentis Dei laudibus tribuatur. Nos autem si more nostro spiritualiter ista prosequimur, mysteriis vacua non inveniemus. Quid est ergo, quod dicitur : *Faber ferrarius non inveniebatur in Israel* : nisi quia ad spiritualia bella non per sæculares litteras, sed per divinas instruimur. Faber quippe ferrarius in Israel non invenitur, quia fideles Domini videntes, arte sæcularis scientiæ contra malignos spiritus nequaquam præliantur. Fabri namque arte adjuti vincerent, si sæcularis eloquentiæ jaculis, occultis hostibus prævalerent. Quæ profecto sæcularium librorum eruditio, et si per semetipsam ad spiritualem sanctorum conflictum non prodest, si divinæ Scripturæ conjungitur, ejusdem Scripturæ scientia subtilius eruditur. Ad hoc quidem tantum liberales artes discendæ sunt, ut per instructionem illarum divina eloquia subtilius intelligantur. A nonnullorum cordibus discendi desiderium maligni spiritus tollunt : ut et sæcularia nesciant, et ad sublimitatem spiritalium non pertingant. Bene ergo dicitur : *Caverant Philistiim ne forte facerent Hebræi gladium, et lanceam*. Aperte quidem dæmones sciunt, quia dum sæcularibus litteris instruimur, in spiritualibus adjuvamur. Cum ergo nos ea discere dissuadent, quid aliud, quam ne lanceam aut gladium faciamus præcavent? Dicat ergo historica, et studium electorum propheta insinuet, et exponat : *Descendebat Israel ad Philistiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, aut ligonem*. Ad Philistæos descendimus, quando ad discendos sæculares libros animum inclinamus. Et descensus dicitur, quia Christiana simplicitas in alto est. Sed quid est, quod sæculares litteræ dicuntur in plano esse, modus vero [a] docendi sublimis? Quia cum cœlestia nulla narrent, et miro dicendi ordine, quæ proponuntur, explicant, et narrando sublimantur, et [b] carnalia dicendo deponuntur. Quem profecto dicendi, sive intelligendi modum qui scire appetit, descendat ad Philistiim, vomerem et ligonem actuat, ut ad sæcularium etiam carnalia audienda deponatur, qui eorum eloquentia instrui penitus nititur. Hanc quippe sæcularem scientiam omnipotens Deus in plano anteposuit, ut nobis ascendendi gradum faceret, qui nos ad divinæ Scripturæ altitudinem levare debuisset. Idcirco eam præmittere voluit, ut in ipsa nos instrueret ad spiritualia transire. Unde et Moyses, qui nobis divinorum eloquiorum principia edidit, non prius divina didicit, sed ut ea pere, vel exprimere divina posset, in omni Ægyptiorum scientia eruditum animum informavit. Isaias etiam prophetis aliis eloquentior extitit : quia nec, ut Jeremias Anathothites, nec, ut Amos armentarius, sed nobiliter instructus atque urbanus fuit. Paulus quoque vas electionis ante ad Gamalielis pedes instruitur, quam rapiatur in paradisum, vel ad cœli tertii altitudinem sublevetur (*Act.* XXII). Et ideo fortasse per doctrinam **296** aliis apostolis excellit : quia futurus in cœlestibus, terrena prius studiosus didicit.

31. Sed jam, ut arbitror, ruralium instrumentorum proprietates spiritualiter exquirendæ sunt. Quid ergo in vomere, qui præeuntibus bobus trahitur, nisi affectus geminæ charitatis insinuatur? Et quid in ligone, quo solus quisque in agri cultura exercetur, nisi privatæ vitæ studium ostenditur? Quidam namque et dites et fortes ruricolæ in bobus erant : quia et Dominum fortiter diligunt, et per fraternam animarum lucris diligentius intendunt. Vomerem igitur apud Philistinorum fabros acuunt : quia sanctæ prædicationis studium de sæculari eruditione componunt. Nonnulli vero, ut pauperes, ligone utuntur : quia qui ad lucrandas aliorum animas se non posse sufficere arbitrantur, sibi solis non desinunt præparare de æternitate quod possunt. Velut ligone quisque eorum utitur : quia agrum sæmentis divino cultui præparare non desinunt. Et quia in hoc etiam privatæ vitæ studio valde sibi sæcularis eruditio prodest, ligonem, dum docetur exuit : quia in propriæ vitæ studio eruditus quæque subtilius intendit. Securi autem non terram fodimus, sed ramos arborum

[a] Gilot., *dicendi sublimis?*

[b] Gilot. et Vatic., *et carnalia docendi deponuntur*

detruncamus. Quid ergo aliud signat securis, nisi zelum bonæ æmulationis? Nam quando ad imitanda meliorum exempla succendimur, velut ramos nobis incidimus, quibus ignem depellendis negligentiæ nostræ frigoribus nutriamus. Hanc securem nos tenere Paulus apostolus præcipit, dicens : *Bonum æmulamini in bono omnes* (*Gal.* IV, 18). Quæ nimirum securis acuitur : quia eruditi fideles, sicut melius agnoscunt exempla fidelium, ita et ferventius imitari concupiscunt. Sarculum sive tridens subtilius terram fodit ; ita ut non tam fodere, quam scalpere, et glebas contringere cognoscatur. Quid per hoc tridens sarculum, nisi virtus discretionis exprimitur ? Per quam certe dum acta, vel agenda subtili consideratione discutimus, velut serendæ terræ nostræ glebas in tenuem pulverem complanamus. Quod profecto sarculum tridens asseritur, quia vis discretionis non solum agenda, sed etiam cogitanda, et loquenda componit. A manu quidem, corde, et lingua cuncta noxia reserat ; ut semen, quod terræ mentis nostræ committimus, uberem fructum ferat. Apte itaque dicitur : *Descendebat omnis Israel ad Philistiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, ligonem, securem, et sarculum :* quia affectum geminæ charitatis, privatæ vitæ studium, alienæ perfectionis exempla in sacro eloquio legimus ; sed ejusdem sacri eloquii profunditatem penetrare ignari sæcularis scientiæ non valemus. Unde et rationabiliter subinferens, ait :

(Vers. 21.) *Retusæ itaque erant acies vomerum, et ligonum, et securium, et tridentium, usque ad stimulum corrigendum.*

32. Non dicuntur acies replicatæ, aut attritæ : sed retusæ. Nam si replicatæ essent, vel attritæ, omnino nihil inciderent. Retusa vero acies, etsi celeriter non incidit omnia, quædam objecta in mora laboris secat. Sic nimirum sunt corda simplicium, quæ si subtiliter spiritualia non intelligunt, [a] dum tamen tarde quædam intelligunt, acuitatem ingenii non acutam habent, sed retusam. Sæpe enim discutere obscura volunt ; sed dum vix diu cogitando ad ea etiam, quæ sunt aperta, perveniunt, velut retusa acie morando incidunt. Quod certe non solum **297** in occultis sacramentis Scripturarum ostenditur, sed etiam in latentibus suggestionibus dæmonum. Depellere quippe a se hostem nequeunt, quem cognoscere cito non possunt. Dum ergo magna mora cogitationis, insidias malæ suggestionis expellunt, velut retusa acie secant, quod per acuitatem ingenii abscindere velocius poterant. Quid est autem quod dicitur : *Usque ad stimulum corrigendum* ? Stimulus dicitur increpatio prælatorum. Unde et scriptum est : *Verba sapientum sunt quasi stimuli* (*Eccl.* XII, 11). Stimulus quidem increpatio dicitur, quia dum culpas arguit, mentem pungit. Sed retusus est stimulus, quando prælati languet intellectus, ut subditorum culpas, nec cognoscendo reperiat, nec inveniendo reprehendat. Bene ergo increpatio rectoris stimulus asseritur, quia tumores vitiorum pungere non prævalet, si ejus mens erudita per scientiam, pungenda non videt. Unde et in typo eruditorum prælatorum bene subjungitur :

(Vers. 22.) *Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis, et lancea in manu totius populi qui erat cum Saul et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus.*

33. Quid per lanceam, nisi sanctorum prædicatorum acuta providentia accipitur? Et quid per ensem, nisi eorum intelligentiæ subtilitas demonstratur? Per lanceam quippe longe nobis ante objecta perfodimus. Per ensem vero vicini, et fere conjuncti nobis hostes trucidantur. Bene ergo in lancea, providentia electorum ostenditur, per quam occultos hostes percutiunt, aliquam vicinum eorum impetum patiantur. Dum enim futuras dæmonum insidias cavendo præveniunt, velut a longe lancea feriunt, quorum vicinos excipere ictus nolunt. Unde et beatus Paulus apostolus dum a longe armatos fornicationis spiritus cerneret, conjugalem castimoniam quasi lanceam tenuit, et eos accedere propius non permisit, dicens : *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unusquæque virum. Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro* (*I Cor.* VII, 2). Et iterum : *Revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (*Ibid.* 5). Hinc etiam de semetipso ait : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne prædicans aliis, reprobus efficiar* (*I Cor.* IX, 27). Qui enim ne reprobus fieret, corpus castigaverat, nimirum lancea hostes suos longiuscule positos ante se perfodiebat. Providentia ergo abstinentiæ pro edomanda carnis libidine quasi lancea accipitur, per quam venturi hostes feriuntur. Bene etiam per ensem intellectus exprimitur : quia qui pravas maligni spiritus suggestiones in præsenti tempore cognoscit et abjicit, velut vicinum, et juxta se positum hostem ferit. Qui etiam velut ense utraque parte acuto incidit : quia tam falsa bona, quam vera mala reprehendit. Quid vero est, quod in manu Saul et Jonathæ ensis esse perhibetur? Sed in manu non sunt eorum, qui acute vicina et præsentia intelligunt, et futura prævident, et ad exstinguenda ea fortia non exercent. Aperte sciunt, quia antiquus hostis maximam partem humani generis per robur carnis in fornicationem præcipitat, qui tamen carnem per abstinentiam castigare non curant. Sic etiam nonnulli præsentia mala aperte conspiciunt, sed hæc vitare minime conantur. Hi nimirum ensem et lanceam habent, sed in manu non habent. Bene ergo in die prælii in manu Saul et Jonathæ ensis et lancea invenitur : quia solum electi viri sunt, qui et præsentia et futura mala intelligant, et ea cordis intentione vincere ardentius concupiscant. Quod tamen hoc loco ideo dicitur, ut populus **298** nihil in manu tenuisse doceatur, qui vomeres, ligones, secures, et sarculos tenere ostenditur. His enim verbis non electi distinguuntur a reprobis, sed hebetes a peritis. Sed quia jam armatos viros ostendimus, modum certaminis explicemus. Sequitur.

CAPUT IV.

(I Reg. XIV, 1.) *Egressa est statio Philistinorum*

[a] Vatic., et Gilot., *dum tam tarde.*

ut ascenderet in Magmas, et accidit quadam die ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum : Veni, et transeamus ad stationem Philistinorum, quæ est trans locum illum.

1. Philistinorum statio egreditur, quando malorum spirituum turba electis mentibus per suggestiones noxias demonstratur. Quæ nimirum idcirco statio dicitur, quia electorum bella describuntur. Stare quippe malignis spiritibus, est in electorum pugna magnas vires exercere. Nam stando validius unusquisque, quam sedendo, conari ad aliquid faciendum potest. Philistinorum igitur statio egressa dicitur, ut dæmonum conatus in bello nostro aperte colligatur. Et quia velut se inferiores, atque minores opprimere fideles cogitant, in Magmas ascendere egredientes parant. Vel in Magmas ascendere gestiunt, quando parvulorum corda decipere tentando moliuntur. Sed electi prædicatores, dum tentata corda subditorum intelligunt, ferre auxilia non morantur. Hos velut in tuto reponunt, illos secum ad sustentanda pericula bellorum ducunt. Quid est quod ab bella armiger ducitur, nisi quia per scientiam eruditi subditi ad internorum certaminum victoriam promovendi sunt? Quidam namque artem physicam sciunt, qui medendi experientiam nesciunt : sic nimirum in sancta Ecclesia quidam sunt qui artem interioris pugnæ didicerunt, sed ad districtas necessitates certaminum adhuc perducti non sunt. Magnos viros pugnantes audiunt, sed prælia, quæ magni magnifice tolerant, auditu sciunt, virtute nesciunt. Tales quippe sunt qui ad imitanda vestigia Redemptoris invitantur. *Qui vult,* inquit, *venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24). Arma vero Jonathæ sunt hortamenta doctoris. Armiger vero arma portat, cum quibus non ipse, sed alius pugnat. Sic nimirum sunt, qui in sancta Ecclesia noviter instruuntur. Dum enim virtutes a doctoribus audiunt, quibus ipsi doctores contra malorum spirituum versutiam pugnant, illud nimirum habent in ore, quod nondum habent in virtutis exhibitione. *Dixit* ergo *Jonathas ad armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem Philistinorum :* quia electi doctores, subditos suos docent non solum artem, qua dimicent, sed etiam ab bella pertrahunt, quo triumphent.

2. Et quia remissi pastores bella, quæ insinuant, suscipere nequaquam curant, non dicit : Vade, et transi ad stationem Philistinorum : sed : *Veni, transeamus.* Alios quidem ad certamen provocant, sed eadem certamina ipsi priores tentant. Quid vero est, quod dicit : *Quæ est trans locum illum?* Sed quidam locus in sancta Ecclesia est, qui magnis præliis clausus, non expositus est. Possidere quidem bona seculi, uxorem ducere, filios procreare, blandimenta de omnibus rebus licitis corporibus exhibere, eo munitum ab hoste manere est, quo aliquid impositum in eo ordine positis onerosum non est. Sed hunc locum si quis melioris vitæ desiderio accensus transire nititur, necesse est ut ad gravissima bella 299 præparetur. Divitias namque contemnentes, paupertatem Christi amplectentes, spernentes conjugia, amorem pudicitiæ semper amplecti debent. Habent continuo isti insurgentia gravissima prælia carnis, illi impugnationem cordis : quia nec paupertas leviter fertur, nec sine magnis agonibus pudicitiæ corpora subjugantur. Unde bene per quemdam sapientem dicitur : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Quasi dicat : Quia egredi voluisti de loco muniminis, necesse est ut jam patenti bello contra fortissima hostium castra muniaris. Dum ergo *trans locum illum*, non *istum* dicit, doctorum Jonathas virtutem insinuat, qui per singulare propositum religionis, semper sunt in aperto campo certaminis. Et quia de omni, quod strenue dimicant, de omni quod nobiliter triumphant, jactantiæ et elationis vitium fugiunt, sequitur :

(Vers. 1.) *Patri autem suo hoc ipsum non indicavit.*

3. Tacendæ quidem sunt electorum virtutes, ne per jactantiam dicantur, sed aliquando ad Dei gloriam eas manifestare culpa non est. Quia vero nos in Saul magnos prædicatores expressimus, hoc profecto, quod patrem Jonathas pugnæ initium celat, illud insinuat : quia magna quæ agimus, quandoque propter humilitatem laudabiliter celamus. Tales quidem jam facti per corruptionem sumus, ut boni videri etiam ab illis, qui præsunt nobis, sine elatione nunquam valemus. Cum ergo de manifesto latens malum nascitur, sapienter bonum absconditur, ne malo superveniente maculetur. Sed inter hæc sciendum est, quia illi virtutes celare prælatis suis ista necessitate possunt, qui bene cognoscere bonum quod agunt, sciunt. Si enim nimis sunt simplices, sæpe non est bonum, quod esse bonum arbitrantur; et dum vitium quasi virtutem non indicant, in se absconditum hostem portant. Unde et Jonathas, qui patri belli propositum texit, tantus asseritur : ut sub ejus ducatu pars exercitus producta referatur. *Erunt,* inquit, *duo millia virorum cum Saul in Magmas, et in monte Bethel, mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin* (*I Reg.* XIII, 2). Dicatur ergo de Jonatha : *Patri autem suo hoc ipsum non indicavit :* quia eruditi viri, dum elationis vitium incurrere de magnis operibus suis metuunt, ea nimirum ipsis abscondunt, a quibus adjuvari potuerunt. Quæ nimirum prædicatoris auxilia melius discimus, si ipsos in loco suæ perfectionis videamus. Nam sequitur :

(Vers. 2.) *Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa* [a] *sub malo granato, quæ erat in Magron.*

4. Gabaa, ut diximus, collis interpretatur; Magron, de fauce dicitur. Prædicatores autem sancti sublimes valde sunt, non solum opere, sed etiam contemplatione. Extrema ergo pars ista sublimitas est operis, intima vero illa, contemplationis. Per hanc quidem extremam partem suæ celsitudinis, ad exemplum a nobis conspiciuntur; per illam vero intimam, in magno amore conditori conjuncti sunt. Hos quidem nobis extrema parte sublimitatis suæ propheta mirandos

[a] Male hic et infra in aliis Editis legitur, *malo granata* et *malus granata.*

ostendit, quando ait : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* (*Isa.* LX, 8.) Volant quippe ut nubes : quia a gravedine culpæ sunt leves, et gratia sancti Spiritus in bono opere veloces. Quasi columbæ vero sunt ad fenestras, quia ad exemplum per bona opera se nobis, quasi per foramina porrigunt, sed de ostensa vitæ munditia, laudis appetitu nequaquam **300** capiuntur. Sed et sub malo granato rex residet; quia in umbra Redemptoris prædicator requiem habet. Magno quidem labore fatigatur, sed verborum Domini consolatione reficitur. Unde et eadem malus arbor in eo loco, qui de fauce dicitur, morari perhibetur. Quid enim hoc loco istud de fauce dicitur aptius quam sancti Evangelii dulcedo designatur? Sic enim nunc morari in umbra Redemptoris possumus, si videlicet verba ejus ad consolationem B de Evangeliorum meditatione capiamus. Sed in hoc residere quietius prædicatores possunt, qui quo altius et propius illud divinæ faucis verbum suscipiunt, dulcius saginantur. Hæc etiam causa est qua rex Saul non stare, neque sedere, sed morari sub malo granato in Magron dicitur; quia perfectus doctor Dei docibilis est : et dum pascere cibo alios nititur, ipse multiformium deliciarum spiritualium dulcedine satiatur. Nam dum Redemptoris amœna singulariter aspicit, in miram contemplationem virtutum surgit : et quasi de uno cortice plurima grana colligit, dum per ea omnia, quæ in Redemptorem recolit, deliciosam mentem gratanter ducit. In hac quidem Redemptoris amœnitate sponsa se requievisse gloriatur, quæ dicit : *Sub umbra ejus, quem desideraveram, sedi* C (*Cant.* II, 3). In umbra quippe ejus sedere est in ejus contemplatione requiescere. Ejus certe contemplatio umbra est, quia in ejus visione protegimur, ne diabolica tentatione velut solis ardore denigremur. Qui ergo tam sublimiter requiescunt, ferre se consulentibus auxilia utiliter possunt. Sed tamen nonnulli electi subditi dum infirmitatem propriam metuunt; dum solum Deum agonis sui testem requirunt, tantorum hominum judicia fugiunt, ut a solo Deo in bona sua actione videantur. Bene ergo et Saul in extrema parte Gabaa sub malo granato morari dicitur, et Jonathas belli propositum ei non indicasse : quia dum perfecte cavere elationem non possumus, bonum, de quo nasci potest, omnibus abscondi debet. Sequitur :

(Vers. 2.) *Erat populus cum eo quasi sexcentorum* D *virorum.*

5. Hoc numero fortes viros in bono opere superius designari diximus, qui cum rege esse referuntur : quia per studium boni operis, concordes sunt vitæ doctoris sui. Sed habent prædicatores Ecclesiæ sub se, non solum qui magna agant, sed et verbi comministros qui summa doceant. Habent duces, qui ad bella ferventes roborent, habent qui audacter currant, habent qui potenter protegant. Bene ergo subjungitur :

(Vers. 3.) *Achias filius Achitob fratris Ichabot, filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo. Qui portabat Ephod.*

6. Achias namque umbraculum nostro sermone dicitur. Quid vero per umbraculum hoc in loco, nisi protectio designatur? Qui ergo in sancta Ecclesia minores quoslibet ab occultis adversariis protegunt, per umbraculum recte designantur. Qui autem umbraculo residet, ardorem solis sentire non potest. Cur vero in sacro eloquio umbracula prædicantur, nisi quia etiam solem reprobum ostendunt, quo viror mentis exuritur? De quo nimirum sole Veritas in divisione seminum dicit : *Orto sole, aruerunt* (*Matth.* XIII, 6). Fervens quippe ardor concupiscentiæ sol est, qui velut luce candeat, sed qui mentem, cui lucet, exurat. Dum ergo majorum exhortationibus omnium concupiscentiarum blandimenta respuimus, quo alibi, quam in umbraculo amœno substernimur, B **301** ubi tentationum incendia declinemus? Sed diminutive umbraculum Ecclesiæ minister dicitur, ut Redemptori nemo comparetur. De illius namque protectione sponsa in Canticis gloriatur, dicens : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi* (*Cant.* II, 3). Et Psalmista deprecans, ait : *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI, 9). Sed unde tantus Achias iste procedit, exponitur, quia filius Achitob esse memoratur. Achitob, frater meus bonus dicitur. Quis igitur iste frater bonus intelligitur, nisi Redemptor noster? Frater quippe, quia naturæ nostræ particeps : sed bonus, qui naturam nostram quam suscepit, ab æterna morte liberavit. Vel bonus, quia omnes nos mali sumus, dicente ipso : *Si vos mali cum sitis, nostis bona data dare filiis vestris* (*Matth.* VII, 11). Achias ergo filius Achitob dicitur : ut qui C in Ecclesia potentes sunt, eorum potentia ex sola Redemptoris imitatione eis inesse sentiatur. Idem vero Achitob frater Ichabot asseritur, quia a translatione gloriæ nuncupatur. Nam Redemptor noster secundum carnem de Judæorum gente est natus. A quo nimirum populo, quia omnis ornatus templi, omnes sacrificiorum ritus, omnia Scripturarum mysteria ad gentilem populum transierunt, translatio gloriæ in Achitob fratre recte memoratur. Ipse quoque Achitob Phinees fuisse filius dicitur : quia Judaicus populus in erroris sui perfidia, qua se mersit, ejusdem gentis suæ doctores se valde nequiores habuit. Unde et idem Phinees, os mutum, sive, ori parcens interpretatur. Os quippe dicitur, quia per D eumdem populum Dominus locutus est. Sed mutum os nunc esse cognoscitur, quia dum Redemptorem repulit, loquentem in se olim Spiritum pariter amisit. Qui etiam ori parcens recte dicitur, quia sic semel in reatu tanti sanguinis cecidit, ut per pœnitentiam, et confessionem ad eum converti nequaquam possit. Ori igitur parcens dicitur, quia confitendo pie erubescere dedignatur. Quo contra beatus Job ex persona conversorum promittit, dicens : *Non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei* (*Job* VII, 11). Sed quia item religionis dignitatem in patriarchis et prophetis habuit, idem Phinees ex Heli sacerdote Domini natus asseritur. Heli quippe Deus meus, Silo missus interpretatur. Dii vero aliquando

in sancta Scriptura electi prædicatores intelliguntur. Unde et ad Moysen a Domino dicitur : *Posui te Deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1). Et in lege præcepit dicens : *Diis non detrahes* (*Exod.* XXII, 28). Pater ergo Phinees, Deus meus dicitur, quia nimirum Judaicus populus eorum secundum litteram Scripturas imitatur, qui verbum Dei et revelata mente meruerunt cernere, et theca litteræ ne videretur occultare. Hos nimirum per semetipsam Veritas ostendit, cum verba Psalmistæ exposuit, dicens : *Illos dixit Deos, ad quos factus est sermo Dei* (*Joan.* X, 35). In Silo autem natus asseritur : quia Judaicus populus, licet carnaliter, adhuc tamen in Scripturis spiritualibus eruditur. Quia ergo electus quisque et sapiens in sancta Ecclesia natum Dominum ex Judaico populo per doctrinam sequitur, Achias, qui umbraculum dicitur, filius Achitob fratris Ichabot, filii Phinees, filii Helí esse perhibetur. Qui etiam ephod portare describitur, ut aperte monstretur quia protegere alios nequaquam potest, qui pulchritudine bonæ conversationis, luceque non fulget. Sequitur :

302 (Vers. 3.) *Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas.*

7. Quid est quod populus quo eat Jonathas nescit, nisi quia electus doctor ea quæ intendit agere, studet per humilitatem celare? Unde et in Evangelio Dominus dicit : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI, 3). Si enim per dexteram æterna, per sinistram vero præsens vita figuratur : homines in sinistra, angelos ad dexteram habemus. Quando autem per bona opera ad consortium supernorum civium tendimus, dextera manus nostra operari perhibetur. Sinistra vero manus nostra opera nescit dexteræ, si cooperatores nostros, fideles videlicet sanctæ Ecclesiæ, adjutores habemus in opere, et laudatores habere nolumus ad elationem. Bene ergo dicitur : *Populus ignorabat quo isset Jonathas*, quia tunc solum bene agere magna nitimur, cum ea quæ agimus pandere ad ostensionem vitamus. Sed quia ad exemplum electorum ista proferimus, non solum quo eat, sed etiam qua eat, explorare attentius debemus. Sequitur :

(Vers. 4.) *Erant inter ascensus per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philistiim, eminentes petræ ex utraque parte, quasi in modum dentium, scopuli hinc inde prærupti :* [a] *nomen uni Bores, nomen alteri* [b] *Sene.*

8. Cum electorum vita alta sit meritis, ima vero conditio malignorum spirituum, quid est quod ascensus esse dicitur, unde ad Philistinorum stationem Jonathas tendere conatur? Nam de eisdem Philistæis in typo dæmonum non longe superius dictum est : *Ascendentes castrametati sunt in Magmas* (*I Reg.* XIII, 5). Sed super nos esse dicuntur, quo minores fortitudine videamur. Super nos etiam esse cognoscitur, quod penetrare per intelligentiam non valemus. Quoties ergo cum spiritibus reprobis certare proponimus, robur parare debemus ad ascensum, quia homines cum angelis pugnare contendimus. Unde et ille athleta strenuus confortans vehementer commilitones suos, ait : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Eph.* VI, 12). Quia enim contra principatuum et potestatum spirituales nequitias se pugnaturum prænoverat, nimirum robur mentis ad altitudinis ascensum parabat. Peccatorum corda dum nequam spiritus sibi subjiciunt, eis utique per multiformia vitia dominantur. Si ergo illuc quoque eos expugnare contendimus, valde nos oportet ascendere, ut eorum possimus agmina potenter ferire. Aliter enim lubrici, aliter salvandi sunt acediosi : aliter vaneglorii, aliter superbi. Ut vero ad hæc omnia electus doctor possit sufficere, quia per assiduæ meditationis acuta consilia mentem levat, quasi ad ascensum Philistinorum se roborat.

9. Bene autem non unus asseritur, sed plures dicti sunt ascensus : quia innumeris hostibus multis itineribus occurrendum est. Quod tunc bene agitur, quando vitiis singulis congruentes, et propriæ curationes adhibentur. Nam, ut aliqua ex eis breviter perstringamus, fornicationis spiritus continentiæ virtute depellitur : sed tamen levius superatur, si caro impetum suum per abstinentiam minuat, ne se mundanæ concupiscentiæ victa substernat. Gula per abstinentiam frangitur : sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui **303** mentem spiritualibus cibis non replet. Potenter enim corpus extenuat, qui amore cœlestium cor inflammat : quia dum spiritualia fortiter diligit, desideria carnis valenter premit. Avaritiæ quoque vitio bonum paupertatis voluntariæ contrarium est, sed pauper spiritu esse non poterit, qui amare adhuc æternos thesauros nescit. Sic nimirum ira vincitur, si amore cœlestium perfecte terrena omnia despiciantur : quia unde irascatur, jam non habet, qui damnum temporale non timet. Sic quoque acediæ vitium, id est tædium cordis depellitur, si semper bona cœlestia cogitentur. Tædere quidem mens nullatenus potest, quæ tam jucunda bona lætanter videt. Tristitiæ [c] etiam angustiosum malum spiritualis lætitiæ campo devoratur : sed tamen ipsa spiritualis lætitia se menti non infundit, quæ temporalis vitæ angustias transgredi contemplando non novit. Bene quidem tristitia vincitur, si temporalium laborum præmia videantur, quia unde electa mens temporaliter se affligi considerat, inde gaudere in cœlesti patria æternaliter sperat. Quia ergo magna diversitate con-

[a] In textu Hebr. et in Versionibus omnibus legitur *Boses*, per duplicem *Tsade*. Gregorium tamen legisse *Bores*, constat ex significatione quam huic voci affingit infra num. 9. *Bores quippe, in primatu dicitur*, deducta nimirum a ראש *ros*, vel ראשית *resith* : quæ significant *principium*, *caput* et similia.

[b] Cum hæc vox, ut infra docet Gregorius num. 9. significet solem vel auditionem, legendum hic potius videtur *Seme*. Nam *Semes* Hebr. est sol, *Seme* vel *Sama* auditio.

[c] Vatic. et Gilot., *enim*.

silii ad diversos animarum morbos curandos prædicator utitur, quia idem consilium alta mentis consideratione comprehenditur, bene unde Jonathas transire ad stationem Philistinorum appetit, ascensus esse perhibentur. Et quia ad expugnandos malignos spiritus a peccatorum cordibus plures difficultates obviant, petræ inter ascensus esse memorantur. Quid enim per istas duas petras, videlicet Bores et Sene, nisi concupiscentia et peccatum designatur? Bores quippe in primatu dicitur, Sene sol, sive auditio. Bene autem concupiscentiæ primatus nomen convenit, quia ipsa prior mentem occupat, quam se mens peccato substernat. Solis etiam nomine recte peccati delectatio figuratur : quia a veritatis intuitu mentis oculos claudit, et ad vanitatem aperit. Unde et in primis hominibus a seductore spiritu per serpentem dicitur : *In quacunque die comederitis de ligno, quod est in medio paradisi, aperientur oculi vestri* (*Genes.* III). In comessatione quidem illa, peccando aperti sunt oculi transgressorum, ut falsæ lucis radios in experientia delicti perciperent, et a supernæ claritatis alta contemplatione caligarent. In hanc quippe lucem aperire oculos Psalmista refugiens, Dominum obsecrat, dicens : *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* (*Psal.* CXVIII, 37). Hanc beatus Job alta mente despiciens, perfectorum meritis se inseri exoptans, ait : *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem : aut, sicut abortivum absconditum non subsisterem : vel qui concepti non viderunt lucem* (*Job.*, III, 13). Qui sunt isti, nisi qui peccare fortiter caverunt? Unus ergo scopulus Bores, alter Sene dicitur, quia si concupiscentia in mente sibi locum vindicat, ejusdem mentis oculos ad placidum peccati blandimentum, quasi ad solis lucem videndam levat. Bene item petræ nominantur, quia iniquorum mentibus ista duo conveniunt, ut jam redire prædicatores ad se facile non admittant. Sed et dicuntur scopuli : quia hinc inde, videlicet tam mente quam corpore præruptum retinent usum pravitatis. Dum enim nulla morum, nulla operum integritate solidantur, in modum scopuli, hinc et inde prærupti sunt. Et quia dicitur in modum dentium, quid dat intelligi, nisi quod sæpe vidimus, quia qui prædicatorum hortamenta despiciunt, eorum vitam **304** mordere detractionibus conantur? Sed de eisdem scopulis subditur :

(Vers. 5.) *Unus prominens ad Aquilonem, ex adverso Magmas, et alter ad Meridiem, contra Gabaa.*

10. Ad Aquilonem primus scopulus prominet, alter ad Meridiem, quia per concupiscentiam fervor charitatis exstinguitur, et per peccatum ardor concupiscentiæ augmentatur. Mens enim reproba, dum concupiscentiæ subditur, charitate spoliatur, et dum peccare non metuit, acriora in se valde peccandi desideria accendit. Quasi enim in summa dici suæ altitudine et calore posita, in fluxu peccati, et immoderate lætatur, et ardenter resolvitur. Male ergo nederi concupiscentiæ morbo satagit, qui ad hoc explere concupiscentias peccando cogitat ut quiescat. Tanto quidem erit post peccatum concupiscentia major, quanto ipsa sibi esse incipit peccati delectatio gratior. Sed primus scopulus ex adverso Magmas situs, alter contra Gabaa prominere perhibetur. Magmas, ut jam satis diximus, humilitas, Gabaa collis interpretatur. Ex adverso utique concupiscentia humilitatem habet, blandimentum vero peccati cœlestem conversationem. Omnis enim, qui vetita concupiscit, dum præceptorem despicit, superbit. Ex adverso itaque humilitatem habet, quam in obedientiæ devotionem non retinet. Sed et qui in peccati fervore, velut meridiana claritate resolvitur, contra Gabaa, id est collem prominet, quia dum adversatur cœlestibus, pœnis tartareis præparatur. Sed quia tales etiam ad æternam vitam Sanctorum prædicatione perducuntur, ipsorum prædicatorum studium in Jonathæ facto videamus. Nam sequitur :

(Vers. 6.) *Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis, quia non est Domino difficile salvare, vel in multitudine, vel in paucis.*

11. Quæ est statio Philistinorum, nisi robur malignorum spirituum? Sancti etenim viri, cum ad peccatorum correctionem se præparant, aperte sciunt quia cum de cœlo lapsis angelis pugnant. Pugna ergo hæc, quia angelorum est et hominum, pugnatur a fortibus cum infirmis, cum simplicibus ab astutis. Nam ab his fortibus insultum acceperat, qui dicebat : *Irruerunt in me fortes, neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine* (*Psal.* LVIII, 4). Astutias lapsi angeli etiam Paulus intuens, ait : *Non ignoramus ejus astutias* (*II Cor.* II, 11). Contra astutos igitur via cautæ rationis quærenda est, contra fortes vero divina sunt auxilia petenda. Ut ergo magna cautela prædicatio exhibenda esse sentiatur, Jonathas armigerum suum ad secum transeundum invitasse dicitur. Et ut in expellendis hostibus de Dei miseratione præsumatur, loquitur dicens : *Quia non est Deo difficile salvare, vel in multitudine, vel in paucis;* et quia flagitiosorum conversio facilis non est, dicit : *Si forte faciat Deus pro nobis. Si forte* dicit, quia de plena criminosorum salute adhuc plenius non præsumit. Sed formam electi subditi in virtute ostendit humilitatis, quia subdit :

(Vers. 7.) *Dixitque ei armiger suus : Fac omnia quæ placent animo tuo. Perge quo cupis, et ero tecum quocunque volueris.*

12. Nonnulli subjecti, dum mensuram ordinis sui negligunt, eamdem mensuram sic confundunt, ut prælatorum suorum dispositioni communicent, sed **305** obedire imperiis recusent. Emendare quidem majorum dicta facile audent, sed facile implere quæ præcipiunt, non conantur. Quid ergo in hujus armigeri voce nobis ostenditur, nisi quia relinquenda est præpositis dispositio libera, tenenda est subditis virtus obedientiæ non remissa? Ut enim liberam disponendi auctoritatem prædicatoribus assignent, ait : *Fac omnia, quæ placent animo tuo.* Et ut subditorum pronam voluntatem ad omnia servitia ostenderet, sub-

dit : *Perge quo cupis, et ero tecum quocunque volueris.* Nec ibi quidem dixit : Quædam fac quæ sunt in animo tuo, quædam non fac, vel aliter fac; nec hic, perge illuc, et ero tecum, et illuc non ero tecum. *Omnia*, inquit, *fac*, quia dispositione prælatorum disponenda sunt omnia : *Ero* item, ait, *tecum quocunque volueris;* quia alicui præcepto obedientiæ subjectus optimus deesse non debet. Sequitur :

(Vers. 8-10.) *Et ait Jonathas, ecce nos transibimus ad viros istos, cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos : Manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint : Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.*

13. Certa et indubitata sanctæ Ecclesiæ sententia est, quia electi prædicatores non solum quid, quantum et quando loquantur considerare debent, sed quibus etiam loquantur. Unde et Dominus a quorumdam notitia verbum recondens, discipulos prohibet, dicens : *Nolite ponere margaritas ante porcos* (*Matth.* VII, 6). Hinc item Scriptura inutiliter effundi verbum vetat, et dicit : *Ubi non est auditus, non effundas sermonem* (*Eccli.* XXXII, 6). Quid ergo, quod Jonathas dicit : *Si dixerint : Manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro : Si vero : Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris*, nisi quia electus prædicator attente debet colligere, quibus verbum vitæ debeat proferre. Sed quia hoc ostendi nunc in sensu litteræ videtur, nos subtilius exprimamus. Ad peccatores, prædicatores transeunt, quando his quibus verba exhibent, non solum verbo, sed etiam vita placent. Qui ergo sunt qui dicunt : *Ascendite ad nos*, nisi hi qui devotionis signa proferunt, quia salutis verbum et venerabiliter audiant, et retinere fortiter concupiscant? Ad istos itaque ascendendum est, in quibus etsi magnus labor est in opere ministerii, sunt et magna lucra salutis. E contrario vero ad doctores peccatores transire gestiunt, quando tam profunda cæcitate merguntur, ut ad imitandæ suæ pravitatis exemplum ipsos etiam prædicatores convertere nitantur. Proni quippe ad malum sunt, corde impœnitentes, et peccati lepra, quam induunt, maculare alios non expavescunt. De quibus sapiens ille loquitur, dicens : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II, 14). Et item Propheta de his vaticinans, ait : *Prædicaverunt peccatum suum sicut Sodoma* (*Isai* III, 9). Quid est ergo quod ait : *Stemus in loco nostro?* Sed tale est, ac si dicat : Si illos lucrari non possumus, nosmetipsos in bona conversatione servemus. Locus enim noster bona conversatio est, de quo nimirum loco alias scriptum est : *Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum non deseras* (*Eccl.* X, 4). Locus quidem iste non solum a spiritu, sed etiam ab homine cavendus est : quia ipse spiritus non solum per se nobis obviat, sed contra nos etiam per hominem pugnat. Si vero locus noster Dominus est, cum mali se nobis objiciunt, in loco nostro persistamus, quia cum incorrigibiles 306 prædicatorum monita non recipiunt, solerter debent ipsi circumspicere, ut ad se nulla possint eorum exempla pervenire. Sequitur :

(Vers. 11, 12.) *Apparuit itaque stationi Philistinorum, dixeruntque Philistiim : En Hebræi egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant. Et locuti sunt viri de statione Philistinorum ad Jonatham, et ad armigerum suum : Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem.*

14. Quidnam est, quod apparere Jonathas Philistæis cum armigero dicitur : nisi quia doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios contendit edocere? Non enim potest in prædicatione venerabiliter recipi, si prius in se honorem ministerii non præfert luce bonæ conversationis. Unde et egregius prædicator confidenter asserit, dicens : *Quandiu quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo* (*Rom.* XI, 13). Apparet ergo doctor, non tam cum verbo loquitur quam cum vita et moribus venerabiliter demonstratur. Propheta igitur cum typis sacræ historiæ prædicatorum mores ostenderet, rationabiliter subintulit, dicens : *Apparuit itaque uterque stationi Philistinorum.* Quasi dicat : Quia docere proposuit, prius iis, quibus loqui disposuit, vitam monstravit. Sed quid est, quod Philistæi apparentes despiciunt, et tamen eis, *Ascendite ad nos*, dicunt, nisi quia plerumque illi etiam prædicatorum optimam vitam despiciunt, qui eorum prædicatione ad pœnitentiæ lamenta cursuri sunt? Et dum eos deserere vitæ remotioris studium reprehendunt, eos nimirum de cavernis egressos asseverant. Quasi dicant : Illi nunc sub colore prædicationis ad sæculum exeunt, qui hoc fugisse tota intentione videbantur. Sed plerique justos prædicatores arguunt, qui mala quæ eis objiciunt, in eis esse suspicantur. Qui nimirum eo ipso quo malum damnant, spem prædicatoribus tribuunt, quia ad bonum quod defendunt, exsequendum pertrahi facilius possunt. Dum ergo bona intentione falsa justorum mala vituperant, insaniunt quidem voce, sed prædicatoribus fructum suæ salutis, etiam insaniendo spondent. Et quia de ascensu superius dictum est, restat inquirere quid sit quod dicunt : *Ostendemus vobis rem.* Sed hoc ad litteram minas significat. Quod tale est ac si dicant : Si huc ascenderitis, quantum valemus patiendo sentietis. In malorum vero conversione item facile est colligere, cum justos expellunt, quantum soleant nocere. Sed quia, auctore Deo, carnalitatem historiæ ad spiritualem intelligentiam duximus, dum sancti doctores, erumpentibus quibusdam signis, peccatorum conversionem considerant, res etiam ab eis promittitur, quia ad verum esse redire pollicentur. Res quidem aliquid habet esse, peccatum vero esse nullum habet. Unde et Paulus Corinthiis dicit : *Scimus quia nihil est idolum in mundo* (*I Cor.* VIII, 4). Peccator autem, quia peccando ad nihilum tendit, cum nihil illud cui inhæsit deserit, quasi ad esse redit. Rem ergo in se ostendere, id est aliquid quod esse habet, potest, quia jam per divinam gratiam opera virtutis tenet. Dicunt ergo : *Ascendite*

ad nos, et ostendemus vobis rem. Quasi signo quodam peccatores repromittant, et dicant : Si verbo ita in nobis laborare proponitis, sine magno lucro non erit quod laboratis. Quare et de aliorum certitudine subjunctum est :

(Vers. 12.) *Et ait Jonathas ad armigerum suum : Ascendamus, sequere me, tradidit eos Dominus in manus Israel.*

307 15. Quisquis nititur magna agere, hæc bene pensare novit, si semper studuit divinis laudibus imputare. Bene ergo Jonathas de consequenda victoria confidens, non in manus suas, sed in manus Israel tradendos inimicos asseruit, ut triumphum ostenderet, et qualis esse debeat triumphator pariter designaret. Israel quippe videns Deum interpretatur. Cui ergo in manus hostes tribuuntur, videns Deum dicitur, ut non ei ea quæ in manu data sunt doceatur attendere, sed tenens datum, ad largitorem munerum cor levare. Aliud enim tenet manibus, aliud oculis videt, ut triumphi palmam fortiter teneat, sed videntem Deum retenta palma victoriæ non extollat. Hæc autem quia confidendo, non possidendo loquitur, qualiter ad eadem possidenda veniat, audiamus. Sequitur :

(Vers. 13.) *Ascendit Jonathas reptans manibus, et armiger ejus post eum.*

16. Quid est reptare manibus, nisi corpus omne curvare, nihil in se sublime relinquere, superiora membra ad inferiora officia peragenda inclinare? Quid autem in hoc facto nobis insinuatur, nisi quia multa prædicatorum compassione indiget conversio peccatorum? Quid enim aliud quam reptare manibus videbatur Redemptor noster, cum publicanorum amicus fieret, et peccatores reciperet, et cum ipsis manducaret? Manibus quidem reptabat cum dicebat : *Non habent opus sani medico, sed male habentes* (*Matth.* IX, 12). Hinc iterum dicit : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Hanc etiam incurvationem reptandi, in sacro eloquio cameli appellatio designat. Quia ad hoc Salvator usque ad ima nostra se voluit humiliare, ut nos ad alta suæ divinitatis extolleret. Hunc namque reptantem manibus Paulus sequi se insinuans, ait : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* IX, 22). Sed et quia in manibus opera solent significari, reptat manibus pastor, quando peccatoribus viam quam tenere conversi debeant, non profert sapientia verbi, sed exemplo conversationis. Reptare quidem manibus prædicatores suos docebat Dominus cum dicebat : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Bene autem reptans ascendere ad stationem Philistinorum dicitur, quia ad destruenda peccatorum vitia pervenire ille doctor potest, qui ipsos peccatores magna humilitatis ostensione, et magna charitatis affectione demulcet. Nam dum convenientiam gratiæ foris porrigit, manum intus ad incidendum mentis languorem mittit. Unde et bene subjungitur :

(Vers. 13.) *Et cum vidissent faciem Jonathæ, alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat.*

17. Facies Jonathæ cernitur, quando qui verbum prædicatoris audiunt, charitatem etiam mentis ejus agnoscunt; cum videlicet hunc audiunt et cœlestia prædicare, et eos, quibus ipsa pandit cœlestia, mira charitate diligere. Bene autem ante faciem cadere dicuntur, quia dum bona quæ sunt in mente prædicatoris agnoscunt, statum pravitatis deserunt. Sed et dum ad remedium pœnitentiæ plures veniunt, alii in magnorum, alii in minorum exempla confugiunt. Apte igitur dictum est: *Alios armiger ejus interficiebat.* A vita quidem reproba privari, interfici est : et cujus exemplo, vel monitis malum quis deserit, ante ejus pedes quasi interfectus cadit. Generali quippe sententia singulorum victorias exponens Jacobus ait : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte,* **308** *et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* V, 20). Sequitur :

(Vers. 14.) *Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas et armiger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit.*

18. Plaga prima hæc dicitur, quia sancti percutere noxios etiam post, in ultimo judicio describuntur. Unde et Paulus Corinthios excitat, dicens : *An nescitis quia angelos judicabimus ?* (*I Cor.* VI, 3.) Hinc Psalmista vaticinans, ait : *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exsultationes Dei in faucibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis* (*Psal.* CXLIX, 5, 6). Plaga prima ista conversionis est, secunda damnationis, quia modo sancti converti nos ad Dominum rogant, sed non conversos tunc durius damnant. In qua viginti viri mortui referuntur, ut quinarii numeri mysterium commendetur. Quinquies enim quatuor repetiti, aut quater quinque viginti fiunt. Et quia vigore quinque sensuum omne tempus peccati perficitur, et in quatuor evangelistarum libris remedia nostræ salutis invenimus, viginti virorum typo omnes salvandi peccatores exprimuntur. Qui in media parte jugeri interfecti perhibentur, quam par boum in die arare consuevit. Boves sunt prædicatores Ecclesiæ, qui dum prædicant, arant, qui dum verbis cœlestibus corda auditorum aperiunt, quasi in bona terra semen spargunt. Sed in die arant boves, quia Dominus commi-natur, dicens : *Veniet nox, quando nemo potest operari* (*Joan.* IX, 4). Item duo boves arant, Jonathas videlicet et armiger ejus. Quibus nimirum bobus, aut sapientes et simplices intelligendi sunt, aut minores, et altioris ordinis sacerdotes. Possunt autem generaliter in duobus bobus omnes sanctæ Ecclesiæ prædicatores intelligi, quia et geminæ charitatis gratia pleni sunt, et se privato amore non diligunt. Media ergo pars jugeri ista est vita præsens. Ista quidem temperata ad cultum imbribus mollescit hiemis, illa ad sterilitatem pigrorum caloribus torretur æstatis. Istam partem jugeri boves arare possunt, illam vero non possunt, quia in hac vita bona opera seminanda

sunt, in illa vero non seminanda opera, sed operum retributio metenda. Bene ergo in media parte jugeri, viginti viri interfecti perhibentur, quia converti peccatores hic solum salubriter possunt, ubi magnitudo criminis purgari creditur per lamenta conversionis. Sed nonnulli in subita peccatorum conversione mirantur, quia eis propter usum curæ exterioris quotidiana tot quæ agit Deus mira viluerunt. Unde et subditur :

(Vers. 15.) *Et factum est miraculum in castris per agros.*

19. Perfecti quique in omnibus quæ facta sunt, sive fiunt, omnipotentis Dei virtutem et sapientiam mirari non desinunt. Unde et Psalmista divinis laudibus insistens, ait : *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus* (*Psal.* LXVII, 36). Hinc Moyses eidem Domino confitetur, dicens : *Quis similis tui in diis, Domine, quis similis tui in sanctis gloriosus, mirabilis in majestate, faciens prodigia* (*Exod.* XV, 11)? In sanctis quidem mirabilis dicitur, quia quo altius divina conspiciunt, eo et mirabilius obstupescunt, quia nimirum altissima contemplatione vident quibus stupeant, non quæ ratione comprehendant. Quoties ergo præter quotidianum usum nova quædam accidunt, quæ carnales ac simplices admirentur, miraculum per agros fieri dicitur. In comparatione namque sanctorum velut agrestes homines sunt, qui tot conditoris antiqua opera, tot dispositiones temporum, **309** et tot ordines creaturarum mirari nesciunt. Bene igitur in eadem rusticitatis hebetudine omnes generaliter concluduntur, cum subditur :

(Vers. 15.) *Sed et omnis populus stationis eorum, qui ierat ad prædandum, obstupuit.*

20. Quam stationem nominant, nisi Philistinorum? Quid est ergo quod Philistiim admirantur, nisi quia aliquando conversionem peccatorum alii peccatores obstupescentes aspiciunt, et dum bonitatem Dei in illorum visitatione intelligunt, ad simile conversionis propositum accenduntur? Ad prædandum quippe stationis populus pergit, quando agere perversa non metuit. Quod enim, prohibente Deo, Scripturis minantibus, contradicentibus doctoribus, quis audet agere, quasi per violentiam nititur suis usibus usurpare. Si quis per hunc populum dæmonia intelligere voluerit, potest, quia ad prædandum pergunt, cum violentas tentationes ingerunt, et captivas animas peccatorum ducunt. Qui certe populus obstupescere dicitur, quia cor pœnitens, quod dæmones habere non possunt, qua gratia conversi peccatores recipiant, non intelligunt. Sed dum peccatores resipiscunt, tam sibi quam aliis prosunt, quia nonnulli eorum exemplo corriguntur. Unde et subditur :

(Vers. 15.) *Et conturbata est terra.*

21. Dum populares viri nova mira conspiciunt, terra turbatur, quia sæpe contingit, ut dum per exteriora miracula alii convertuntur, aliorum duritia incitamentis quibusdam ad propositum boni operis moveatur. Male etenim tranquilla est terra, A quando vita carnalium in mundi jacet delectationibus secura, quando peritura quæ ardenter desiderat, hanc dulciter oblectant. Terra vero turbatur quando carnalis mens a mala sua soliditate concutitur, et cogitare fluctuando inchoat, inter mala quæ respuit, et bona quæ amat. Turbari etenim menti tunc est, serenitatem malæ delectationis proposito Christianæ religionis obducere. Sed carnalis affectus concutitur, ut spiritualis vita reveletur. Unde et subditur :

(Vers. 15.) *Et accidit quasi miraculum a Deo.*

22. Quando namque mens hominis carnali delectatione deprimitur, ejus utique visus obtunditur, ut spiritualia bona ignorare mereatur. Sed cum in suis carnalibus infirmari incipit, paulatim in spiritualibus B convalescit, ut superna proficiendo videat, infirma obliviscendo derelinquat, profectus quidem conversæ mentis ostenditur, quia prius terra turbari dicitur, deinde miraculum quasi a Deo accidisse memoratur. Miraculum vero a Deo est, quod sine homine facit Deus. Quod enim manna in deserto filiis Israel pluerit Dominus (*Exod.* XVI), quod concupiscentibus volatilia præbuerit (*Exod.* XIV), miraculum utique sine homine Deus fecit; sed dum mare dividere voluit, virga hoc Moysen tangere præcepit, ut miraculum ostenderet, quod per hominem populo demonstraret. Sic nimirum virga petra percutitur, ut aquæ fluenta producantur (*Num.* XX), quia nimirum miraculum quod ostendere voluit, per hominem, non per semetipsum fecit, ut dum hominem venerabilem redderet, huic Israeliticus populus humiliter subjici, et devote obedire debuisset. Quid est ergo quod miraculum quasi a Deo accidisse asseritur, postquam C terra turbatur, nisi quia dum sanctus Spiritus mentem ad conversionem commovet, commotæ menti electorum exempla insinuat; quæ et venerabiliter videat, et imitari devote concupiscat? Hoc quidem miraculum **310** juxta historiam sic accipitur, quia plures interficiebantur. Nunc vero in sancta Ecclesia ad religiosam vitam peccatores convertuntur, quos alii ad virtutis exempla sequuntur. Spiritus quidem sanctus illos trahit, et quia trahuntur aliis ostendit, ut tractos trahat, et videntes tractis inserat, quatenus per largitatem suæ gratiæ utrosque comprehendat. Quando enim hoc sine homine per semetipsum D operatur in cordibus fidelium, utique miraculum non fit quasi a Deo, sed a Deo. Quando autem prædicantibus hoc æternæ vitæ doctoribus agit, quasi a Deo est miraculum, quia mirabiles suos ministros ostendit, ut qui eos aspiciunt, devote valeant imitari. Sed quia summos sacerdotes Saul signare superius diximus, Jonatham vero filium ejus subditas prædicatorum personas, si sequentia attendimus, sollicitudinem apostolicam in summis pontificibus, quam retinent, invenimus. De quo nimirum beatus Paulus loquitur, dicens : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum* (*II Cor.* XI,

29). Qui vero omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerebat, non solum parvulorum, sed etiam ad discutienda majorum facta vigilabat. Unde et hic subjungitur :

(Vers. 16, 17.) *Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, et ecce multitudo prostrata huc illucque diffugiens. Et ait Saul populo qui erat cum eo : Requirite, et videte quis abierit ex nobis. Et repertum est non adesse Jonatham et armigerum ejus.*

23. Pugnam Jonathæ Saul speculatores aspiciunt, quia summi pontifices, son solum subditorum facta discutiunt, sed doctrinam prælatorum. Istos quidem explorant, si bene agant; illos autem an recte doceant. Sæpe conversationem aliorum audiunt, sed ne sint bene eruditi, pertimescunt. Quid enim est aliud quod quis abierit, quæritur, nisi quia qui ad prædicandum mittitur talis esse debet, ut onus ministerii ei secure imponatur; ut mens mittentis nulla dubitatione fluctuet quod recte doceat, et doctrinæ verba operibus ostendat. Et quia innumeri sunt Ecclesiarum præsules, a speculatoribus Jonathas aspicitur, quia summum culmen universalis Ecclesiæ, sic per orbem prædicatores ordinat, ut circa se ministros habeat, per quos illorum doctrinam discutiat, et opera diligenter inquirat. Sed qui summi culminis ministerio et legatione funguntur, in alta vitæ et scientiæ sede sublimantur. Unde et bene iidem speculatores in Gabaa Benjamin esse memorantur. Gabaa quidem Benjamin collis filii dextræ nuncupatur. In colle quidem filii dextræ sunt, qui jam per sublimem vitam, et per altam scientiam, ad conformationem videntur pertingere Redemptoris. Hi nimirum victorum acta de sublimi conspiciunt, quia bonorum vitam probare, et malos discutere, ex vitæ merentur celsitudine, et summæ scientiæ perfecta eruditione. Qui Jonatham non adesse reperiunt, quia lucra prædicationis tunc optima esse considerant, cum prædicatoris laudabilem personam probant. Sequitur :

(Vers. 18.) *Et ait Saul ad Achiam : Applica arcam Dei.*

24. Cur Achiam sacerdotem Saul applicare arcam præcipit, nisi quia modum certaminis a speculatoribus audiunt? Quod quidem a summis sacerdotibus bene spiritualiter agitur, cum ea quæ a relatoribus audiunt non ante dijudicant, quam eorum rationem in consilio internæ meditationis **311** quærant. Et, quia sæpe alienæ etiam mentis consilia sequuntur, Achias arcam applicare jubetur. Arcam quippe sacerdos habet, qui scientia spirituali mentem vacuam non habet. Saul ergo arcam applicare Achiam jubet, quando summus doctor consilium a minoribus suis et eruditis quærit. Ibi enim sunt postulanda consilia, ubi spiritualis scientiæ gratia coruscat. Unde et subditur :

(Vers. 18.) *Erat enim arca Dei in die illa cum filiis Israel.*

25. Quasi dicat : Hoc applicare præcepit, quod esse A cognovit. Ab irreligiosis quidem religionis consilium, aut sapientiæ a stultis petere, non est consilium accipere, sed præcipitare. Bene ergo dicitur : *Erat enim ibi arca Dei*, quia in rebus dubiis illos debemus consulere, quibus aperte scimus spiritualia dona non deesse. Sed quædam sunt quæ per consilium, quædam vero quæ per auxilium meliorantur. Ubi enim aperta et indubitata necessitas est, illic non est idonea mora consilii, sed celeritas subventionis. Ambigua quidem, et obscura melius consulendo peragimus, sed aperta et cognita subveniendo et festinando sublevamus. Unde et subditur :

(Vers. 19, 20.) *Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistiim, crescebatque paulatim, et clarius resonabat. Et* B *ait Saul ad sacerdotem : Contrahe manum tuam. Conclamavit Saul, et omnis populus qui cum eo erat, et venerunt usque ad locum certaminis.*

26. Quid enim aliud signat quod prius Saul applicare arcam petiit, deinde sacerdotem contrahere manum jussit, nisi quia et obscura debemus consulendo disponere, et quæ clarius innotescunt, cum festinatione complere? Sed prædicatori tumultum crescentem paulatim audire, est conversorum peccatorum devotionem cognoscere. Quod paulatim crescere dicitur, quia dum mentem nostram ad bona opera spiritus dirigit, hanc ad meliora per quotidianos profectus leniter ducit. Quid vero est, quod Saul et omnis qui cum eo est populus clamat, nisi, quia se prœliatoribus sociant? Sed et usque ad locum certaminis veniunt. Locus certaminis cor est verbum Dei audientis. Certaminis vero locus dicitur quia verbum quod recipitur, cum præterita conversatione prœliatur. Placent enim ei jam cœlestia quæ audit, sed vetus consuetudo insurgit, et ut audita contemnat, suggerit. Fit pugna item gravior, quia quod prædicator laudat, hoc maligni spiritus dissuadendo vituperant, et quasi prœliando se contra sanctos erigunt, dum illud bellando destruunt, quod istorum voce prædicatur. Quid est ergo venire usque ad locum certaminis, nisi per exquisitionis aditum pervenire ad secreta cordis auditoris, ubi hostes celeriter inveniat, et potenter cædat? Nam qui discutere interna nesciunt, ad locum certaminis pervenire non possunt. Vel locus certaminis est, ubi crebra fama magnæ religionis est. Illuc quippe dum ab innumeris curritur, qui et vitam deponere veterem, et induere novam concupiscunt, certaminis locus recte nuncupatur, quia quotidie illic spiritualium virtutum exercitus pugnat cum numerositate vitiorum. Illic quidem quanto graves pugnæ, tanto gloriosæ victoriæ. Illic quo frequentius accessus hostium, eo et laudabilior numerus triumphorum : ubi non solum magnorum alta virtus extollitur, sed communis omnium strenuitas mira fortitudinis ostensione monstratur. Unde et sequitur :

(Vers. 20.) *Et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum,* **312** *et cædes magnanimis.*

27. Quis est hic gladius, nisi gladius spiritus, quod est vérbum Dei? Qui enim innumerabilibus locis ad omnipotentis Dei servitium conversi sunt, quia verbo Dei inseparabiliter inhærent, quasi juxta se quisquis gladium tenet. Gladius ergo uniuscujusque ad proximum vertitur, quando hi qui in monasteriis conversi sunt, et vicissim se verbo Dei perforant, et carnalitatem in se penitus necant. Velut enim alterutro vulnere interficiuntur, dum alter alterum verbo Dei percutit, et quidquid in se carnaliter vivit, exstinguit. Qui, quia nuper conversi, a seculari vita ceciderant, Philistinorum typo signati sunt. Vel, gladius alterius ad proximum vertitur, quando per conversorum exhortationem, nondum conversi peccatores ad Dominum convertuntur; quando non solum hi qui .præsunt verbo prædicationis alios lucrifaciunt, sed multitudo subditorum quotquot possunt verbis et exemplis instruere, et præsentis vitæ desideriis conantur velut interfectos subducere, et æternæ vitæ vivos exhibere. Hæc quidem lucra peremptorum jam in tota Ecclesia per orbem universum diffusa conspicimus, quia quicunque per divinam gratiam jam Deo vivunt, alternæ charitatis mucrone huic mundo mortui videntur. Gladius quippe uniuscujusque ad proximum vertitur, quia omnes electi se in sancta Ecclesia vicissim roborant, et ad cœlestem patriam studio alternæ prædicationis inflammant. Et quia innumerabilis populus quotidie Deo acquiritur, bene illic subditum est : *Et cædes magna nimis.* Magnum utique nimis est, quod in magnitudine potest quomodocunque dignosci, sed excellentia non valet comprehendi. Ad hanc quidem magnam nimis cædem oculos extulerat, qui dicebat : *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum; dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* (*Psal.* CXXXVIII, 17). Potest etiam magna nimis cædes intelligi, non solum ut multi, sed etiam ut bene interfecti videantur. Quod quidem in conversione peccatorum fieri cernitur, cum sic præterita deserunt, ut ad eadem delectamenta nunquam reviviscant. Cædi utique peccatoribus, est ad tempus a turpi vita separari. Vehementer ergo, sive nimis cædi, est temporalis vitæ illecebras perfecte deserere, et futuræ gaudiis inhiare. Ipsorum vero, qui convertuntur, quia multa diversitas est, sequitur :

(Vers. 21.) *Sed et Hebræi, qui fuerant cum Philistiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt, ut essent cum Israel, et his qui erant cum Saul et Jonatha.*

28. Qui sunt Hebræi, qui fuerant cum Philistæis, nisi peccatores a religiosa conversatione lapsi? De quibus non valde supra dictum est : *Hebræi transierunt Jordanem.* Hebræi quidem sunt ordine religionis, sed cum Philistæis sunt, et cum eis ascendunt, quandiu per suggestiones noxias illuduntur, et in prava operatione proficiunt. Cum malignis quidem spiritibus sunt proposito et voluntate peccati, sed cum eis ascendunt, quia ipsis impellentibus, in audaciam se extollunt iniquæ operationis. Vel cum eis sunt, cum peccata sua operando perficiunt; cum eis vero ascendunt, cum pravitatis suæ exempla aliis imitanda proferre non metuunt. Quid est ergo quod reverti et esse cum Israele dicuntur, nisi quia tales etiam plerumque resipiscunt? Reverti enim amorem religiosæ vitæ resumere est. Et cum Israele esse, est intra sanctam Ecclesiam in charitatis unitate persistere. Ad hoc quippe revertendum, **313** ut cum Israele esse proponatur, quia nulla est conversio peccatoris, si conversus perseverantia careat boni operis, et unitate charitatis. Sequitur :

(Vers. 22.) *Omnes quoque Israelitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philistiim, sociaverunt se cum suis in prælio.*

29. Hoc quidem toties fit quoties remotiori vitæ dediti, ad quærenda animarum lucra intorquere studium dignantur. Cum suis namque se in prælio sociant, cum vera æternæ vitæ gaudia cum sanctæ Ecclesiæ doctoribus prædicant, pariterque a peccatorum cordibus malignos spiritus fugant. Sed quærendum valde est quomodo dicatur : *Audientes quod fugissent Philistiim.* Præclara quidem victoria non est fugientes insequi, sed resistentes effugare. Quid est ergo quod dicitur : *Audientes quod fugissent Philistiim, sociaverunt se cum suis in prælio,* nisi quia his verbis ejusdem remotæ vitæ convenientia lucra signantur? Mos namque illorum virorum esse solet, ut verbum potius consulentibus se quam sibi obsistentibus proferant, quia nisi devotum cor auditoris agnoscunt, prædicationem suam quasi in vacuum perituram emittere dedignantur. Prius ergo quam se suis in prælio socient, Philistæos fugisse audiunt : quia non tam scelestis convertendis invigilant, quam conversis ad perfectioris vitæ fastigia sublevandis. Ipsa autem sublimitas vitæ perfectioris, quia suaderi magnæ exhortationis laboribus solet, qui fugisse Philistæos audiunt, prælíari merito dicuntur. Hostes itaque fugiunt, sed nuper absconditi præliantur, quia remotæ vitæ viri non dignantur loqui, nisi devotis auditoribus, sed loquentes vitæ quam ipsi tenent, altitudinem magna verborum atque exemplorum pugna suadere vix possunt. Et quia magna lucra prædicationis infirmi, et imperfecti colligere non possunt, sequitur :

(Vers. 22.) *Erant cum Saul quasi decem millia virorum.*

Non ait decem millia, sed quasi decem millia. Hujus denique numeri perfecta perfectio in terra non invenitur, sed in cœlo. Quia enim novem sunt ordines angelorum, et ad illorum societatem electorum illa hominum multitudo sustollitur, decem millia virorum illa sunt, quæ in sanctis angelis, et electis hominibus in illa æternæ gloriæ sede gratulantur. Quasi ergo decem millia virorum illa sunt, quæ in istius adhuc sæculi exsilio posita, illius beatæ societatis formam in moribus susceperunt. Quia item illius supernæ vitæ amore peccatorum tenebræ relinquuntur, sequitur :

(Vers. 23.) *Et salvavit Dominus in die illa Israel,*

Contemplatio quidem internæ lucis splendida valde atque clarissima dies est, in qua Dominus Israelem salvat, quia quorum corda luce intimi splendoris irradiat, in celsitudinem perpetuæ salutis levat. Salvare quippe in die illa Dominus dicitur, quia ad æternæ vitæ amorem nemo succenditur, cui intimæ lucis splendor occultatur. Ad hanc salutis gratiam non solum electa, sed etiam despecta quæ videntur mundi perveniunt. Unde et subditur :

(Vers. 23.) *Pugna autem pervenit usque Bethaven.*

30. Bethaven dicitur domus inutilis. Hanc quippe inutilem Dominus in parabolis ostendens, regem servo in nuptiis [a] præcipientem introducit, dicens : *Exi cito in plateas et in vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos ac claudos introduc huc* (*Luc.* XIV, 21). Pauperes quidem sunt, qui verbi Dei thesauros in corde suo **314** minime recondunt. Debiles vero sunt, qui laborare satis pro æterna vita non possunt. Cæci vero idiotæ ac simplices designantur, quia dum cœlestia nequaquam vident, lumine mentis carent. Claudi vero sunt, qui gressum boni operis perdiderunt. Sed, *Pugna pervenit usque Bethaven*, quia sæpe inutiles personæ dum sermonis Dei bello capiuntur, in ejus redactæ servitium utiles fiunt. Pugnatur quidem cum cæcis ut videant, cum claudis ut subsistant, cum pauperibus ut morum thesauros accipiant, cum debilibus ut ad robur boni operis convalescant. Usque ergo Bethaven pugna perducitur, quando illi sanctorum prædicatione capiuntur, qui utilitatem alicui necessariam habere nullam videbantur. Unde et subditur :

(Vers. 24.) *Et omnis vir Israel sociatus est sibi in die illa.*

31. Omnis quidem vir prædicatori conjungitur, quando conditio hominum nulla relinquitur, ex qua conversi ad bonam conversationem minime perducantur. Sed qui Saul sociantur viri dicti sunt, quia qualescunque in sæculo sumus, in Dei omnipotentis servitio esse fortes admonemur. Nisi viri etenim prædicatoribus nequaquam sociantur, quia cum eis non conveniunt, nisi fortia ipsi agant, quæ illi docendo laudant. Sed jam devictis hostibus, jam sibi fortibus conjunctis, quid rex agat, attente considerandum est. Sequitur :

(Vers. 24.) *Et adjuravit Saul populum, dicens : Maledictus vir qui comederit usque ad vesperum, donec ulciscar de inimicis meis.*

32. Inimici prædicatorum illi sunt, de quibus Psalmista obsecrat, dicens : *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me* (*Psal.* LVIII, 1). Inimici quidem sanctorum recte immundi spiritus dicuntur, quia mundi blandimenta quæ illi suggerunt, amplecti isti magno studio detestantur. Nam quibus adhuc aliquid de maligni spiritus consiliis placet, ejus utique inimicus non est, quia odisse nondum novit, cujus blandimenta non respuit. Inimici etiam sanctorum dicuntur, ut ex sacro eloquio detegantur. Nam per omne quod suggerunt, per omne quod blandiuntur, eas animas quibus delectabiliter favent, perdere conantur. Quid est ergo quod populum adjurat, ne usque ad vesperum comedat, donec de inimicis suis ultionem sumat? Sed notandum quia jam devictis hostibus ista loquebatur. Quid vero est comedere victoribus, nisi de peracto virtutis opere cibos vanæ laudis delectanter excipere? *Maledictus*, inquit, *omnis, qui ante vesperum comederit*, quia qui modo vanas laudes gratanter excipit, tunc æternas Creatoris laudes amittit. Adjuratur ergo populus ne comedat, quia doctorum præcepto constringitur, ut de bono opere inaniter nunquam glorietur. Fortia bene vivendo agat, sed quandiu vixerit, appetere de fortitudine laudes caveat, ut laudari post mortem æternaliter non amittat. Qui enim ante vesperum populum manducare prohibuit, ad vesperum utique esse comedendum concessit. Et quia in vespere finis diei est, in vesperum comedunt qui abstinere ante vesperum possunt, quia qui laudari modo de magna actione despicit, cum ad vitæ finem ducitur, æternis dignus laudibus invenitur. Hoc est, quod Dominus se daturum electis in Evangelio repromittit, dicens : *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 23). Hinc iterum ad judicium veniens, dicit : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum,* **315** *quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*Ibid.*, 34). Tunc quidem de inimicis nostris ulciscimur, quia omnes tunc diabolicæ tentationes evanescunt. Quia enim ultra dæmonum insidiæ tendo nihil obsunt, cum per carnem morimur, de inimicis nostris ulciscimur, quos jam velut interfectos penitus non pavemus. Vel ergo usque ad vesperum comestionem differimus, si laudis nostræ præconia in fine venturo judici reservemus. Tunc quidem manducandum est, quia qui judex tunc venit, modo dux nostri exercitus commilitonibus repromittit, dicens : *Faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis* (*Luc.* XII, 37). Tunc quippe victores discumbunt, quia internæ quietis alta sede recepti, perennis vitæ laudibus delectantur, quando ipsis tacentibus omnium bonorum operum præconia concinunt, et simul proferuntur ad gloriam quæ hic magna virtute ferebantur ad pugnam. Sequitur :

(Vers. 25, 26.) *Omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum suam ad os suum.*

33. Saltus, silvosus atque clivosus locus est. Quo nimirum nomine apte corda sæcularium designantur, quia dum tota intentione curis exterioribus serviunt, velut silvosa loca, culta ad fructum boni operis prædicationis vomere non sunt. Qui vero vulgus [*Forte leg.* vulgi] nomine hoc loco signantur, nisi religiosi viri et simplices? Terræ quidem vulgus dicitur : quia in bono opere magni sunt, sed tamen altissima contemplatione magni non sunt. Nobiles quidem actione, sed vulgus summorum virorum comparatione. Quid

[a] Gussanv. cum Vatic., *præcipiendum introducit.*

ergo est quod *vulgus terræ venit in saltum*, nisi quia religiosi et simplices viri per exempla bonorum operum, sæpe ad notitiam sæcularium deducuntur? Ubi mel in agro apparet, quia de exemplo boni operis apud sæculares inveniunt, et devotionis latitudinem, et fructum venerationis. Quid enim est ager in saltu, nisi devotio in inculto et inexpurgato corde sæcularium? Et quid mel super faciem agri, nisi dulcedo favoris? Qui merito post ingressum vulgi apparere dicitur, quia videlicet aspera sæcularium corda, si prius religiosorum exempla non vident, nec latitudine devotionis se valent distendere, nec alienæ sanctitatis gloriam prædicare. Ante ingressum quidem, tantum saltus est, nec agrum habet, nec fluens mel. Post ingressum vero, et latitudinem agri habet, et dulcedinem mellis, quia sæpe qui mundum diligunt, sanctorum exempla ferventi amore recipiunt, ut bonum quod vident, sibi non solum placeat, sed etiam prædicare attentius concupiscant. Ipsa tamen sanctorum vita laudanda est, et laus ista ab eis, quorum est, per vanam gloriam nullatenus capienda. Videri tantum debet, excipi non debet, ut glorificari Deum quisque in suo opere gaudeat, sed de Dei gratia extolli contemnat. Unde et caute expressum est, quia fluens mel super faciem agri apparuit, et tamen manum cum melle ad os nemo applicuit. Mel quidem fluit, quia dulcis fama sanctorum dulciter velociterque currit. Sed manus ad os nullus ducit, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Manum quidem cum melle ad os applicare est laudem operis sui gratanter accipere. Decurrat ergo mel, et nemo ad os manum applicet, ut sanctorum fama dulciter fluat, et ipsos a quibus defluit non extollat. Fluat, ut alios satiet, sed non sumatur, ne mortem propinet. Unde et subditur :

(Vers. 26.) *Timebat enim populus juramentum.*

316 Juramentum regis est : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XVIII, 14). Item juramentum regis est, quod contra hypocritas profert, dicens : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 16). Juramentum ergo populus timet, quia ne æternas amittat, temporales recipere laudes cavet. Sequitur :

(Vers. 27.) *Porro Jonathas non audierat, cum adjuraret pater ejus populum, extenditque summitatem virgæ quam habebat in manu, et intinxit in favo mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus.*

34. Quos in hoc loco Jonathas, nisi illos insinuat, qui verbo et opere magni sunt, sed tamen studio circumspectionis magni non sunt? Alta quidem prædicant, fortia exercent, sed in humilitatis circumspectione se non viriliter tenent. Quid est enim, quod virgam tenet in manu, nisi quia disciplina, qua peccare alios prohibet, semetipsum non coercet? Virga quidem qua parvuli solent corripi, sermo correctionis potest apte designari. Prædicatio ergo et opus bonum, virga et manus est. Quid est igitur virgam extendere, et manum ad os cum melle revocare, nisi tam de prædicationis verbo, quam de studio boni operis vani favoris gustum recipere? Sed quia more electorum peccat, non virga, sed extremitate virgæ mel levare dicitur. Virgam quippe et manum melle plenam ad os convertunt, qui juxta veritatis vocem : *Omnia opera sua faciunt, ut ab hominibus videantur* (*Matth.* XXIII, 5). Dum enim suis laudibus saturantur, mel non ad tenuem gustum habent in summitate virgæ, sed vel in tota virga, vel in manu ad plenam refectionem. Tales utique erant, quibus Dominus in Evangelio exprobrat, dicens : *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem recipientes?* (*Joan.* V, 44.) Quid ergo est hæc virgæ extremitas, nisi quia plerumque et Dominum glorificare in suo opere quidem volunt, et apparere ipsi laudabiles non refugiunt? Merito igitur vocem patris, qua populum adjuravit Jonathas non audisse dicitur, quia Dei, sive ejus prædicatoris verba non audit, qui ea implere negligit. Quid vero est, quod ex gustu mellis illuminati sunt oculi Jonathæ, nisi quia qui vani favoris auram recipiunt, ex eodem ad agenda fortia roborantur? Hoc quidem loco non dicuntur aperti oculi, ut clausi fuisse sentiantur, sed ut reparato vigore corporis, ad videndos intelligantur, et ad exstinguendos hostes reparati. Quod nimirum elatis omnino convenit, qui ex eo majora et fortia agunt, quo laudabilia opera sua efferri conspiciunt. Sed sæpe minor zelo charitatis accenditur, qui delinquentes magnos viros ad Scripturarum memoriam reducere conatur. Unde et sequitur :

(Vers. 28.) *Respondensque unus de populo, ait : Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens : Maledictus vir qui comederit panem hodie.*

35. Patrem quippe adjurasse populum, et maledictum protulisse retulit, quia cum minor errantem vult prælatum dirigere, non debet aspere objurgare, sed dulciter atque humiliter ad majorum statuta memoranda reducere. Unde dicit : *Jurejurando constrinxit pater tuus populum.* Ut enim eum dulciter admoneat eum qui jurejurando populum constrinxit, patrem ejus esse asseruit. Quasi enim aliis verbis dicat : Tanto dilectius debes majorum instituta conservare, quanto eorum locum altius videris per successionis dignitatem retinere. Constrictus etiam populus jurejurando patris asseritur, ut non loquentis personæ humilitas, sed ostensæ auctoritas attendatur : ut si suggerentis ordo despicitur, illius, **317** qui monstratur, celsitudo timeatur. Quem tamen patrem asserit, ut præcepta majorum et timori esse debeant et amori. Dicat ergo : *Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens : Maledictus qui comederit panem hodie.* Quod tale est ac si dicat : Eorum te memorem esse volo, quæ tua, non mea sunt, quia dum culmen majorum obtines, eorum leges quasi hæreditario jure servare debes. Panis vero nomine favor adulantium recte exprimitur, quia mentem vanitati intentam et satiat et confortat, dum hanc ad agenda quæ laudari debeant, valentiorem reddit. Quod quidem arrogantibus valde convenire cernitur, qui ad loquendum prolatis laudibus animantur. Et quia arrogans præ-

dicator habet similes sibi subditos laudis cupidos, sequitur :

(Vers. 28.) *Defecerat autem populus.*

36. Quid est ad litteram deficere, nisi lassescere? Qui enim laudes transitorias de verbi prædicatione requirunt, deficiunt cum laudantur, quia nullo vigore verba proferunt, quæ non laudari cernunt. Velut enim lassescentes deficiunt dum despecti obmutescunt. Sed et dum non comedunt, videntur deficere, quia si licitum haberent cibum favoris, velut refecti et fortes insequerentur vitia prædicatione verbi. Unde et arrogantis prædicatoris forma ostenditur, per id quod subjunctum est :

(Vers. 29, 30.) *Dixitque Jonathas : Turbavit pater meus terram. Vidistis enim ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto; quanto magis si comedisset populus prædam inimicorum suorum quam reperit, nonne major facta fuisset plaga in Philistiim?*

37. Quid est enim quod turbasse terram patrem reprehendit, nisi quia majores statuta sua per imperitiam confudisse redarguit? Terræ quidem nomine subditorum humilitas designatur, quæ nimirum turbari cernitur, quando errante pastorum judicio, tranquillæ veritatis ordinem deserere videtur. Et quia dum favores hominum arrogantes inhianter ambiunt, et hoc licitum esse asserere conantur, profectus suos in testimonium perducunt. *Vidistis enim,* ait, *quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto.* Quasi dicat : Ex laude subjectorum crevi, dum non esse minor laudibus studui. Nam et electorum prædicatorum mos esse solet, ut dum se laudari considerant, hoc quod de se foris audiunt, esse viribus contendant. Et idcirco paululum mellis se Jonathas comedisse retulit : quia arrogans linguæ favores se excipere licenter putat ad vitæ profectum, non ad intentionem vanitatis. Sed omnino aliud est laudis præconia moribus adæquare contendere, aliud laudes appetere, ut in iisdem laudibus profectum vitæ possit invenire. Laudes quippe suas moribus exæquare conantur, qui ipsas laudes despiciunt, qui laudari ab hominibus nunquam volunt. Quantum certe in eis est laudari vehementer refugiunt, sed quia non possunt omnino effugere ne laudentur, conantur esse quod audiunt. Sed quidam, bonis ostensis operibus, idcirco laudari volunt, ut laudati majus conscendant in opus virtutis. Qua profecto præsumptionis suæ æstimatione falluntur, quia qui in minimis laudes appetit, cum majora opera fecerit, ardentius et valde avidius laudes quærit. Et fortasse ideo post patrem Jonathas non potuit regnare, quia illos signabat qui dum vane se extollunt vere deficiunt. Addidit quoque ratiocinando, et dicit : *Quanto magis si comedisset populus prædam inimicorum suorum, nonne major facta fuisset plaga in Philistiim?* Mellis paululum in virgæ summitate gustare, est de **318** doctrinæ facundia qualitercunque gloriari. Prædam vero inimicorum comedere, est virtutis opera per memoriam repetere, et recolendo gaudere. Quasi enim prædam inimicorum facit, dum ea, in quibus occultis hostibus quis prævaluit, ad memoriam ducit. Ea quoque ad saturitatem comedit, qui quasi sua virtute hæc fecerit, se inaniter et vehementer extollit. Dicit ergo : *Quanto magis si comedisset populus prædam inimicorum suorum, nonne major facta fuisset plaga in Philistiim?* Quasi dicat : Cum ex brevi gustu favoris, tantus profectus sit, quid electi prædicatores facerent, si plenas operum laudes licitas ac justas haberent? Sequitur :

(Vers. 31.) *Percusserunt ergo Philistæos in die illo a Magmis usque in Aion.*

38. Dies mentis est splendor eruditionis. Sed illi quos arrogantes erudiunt, quia ambitione temporalis gloriæ accenduntur, simulationem lucis accipiunt, non veritatem. Dum ergo dies illa dicitur, quid aliud signatur, nisi quia sæpe proposito temporalis gloriæ fortia fieri viderentur? In die namque illa, id est doctrina, vel exemplo superborum percutiunt, quia ad hoc ministerio prædicationis inserviunt, ut splendorem gloriæ temporalis adipiscantur. Et quia omnibus innotescere cupiunt, dicit : *A Magmis usque in Aion.* Magmas, ut jam satis dictum est, humilitas, Aion vero frater meus mœrens interpretatur. Humiles autem hoc loco, pusilli ac simplices in sancta Ecclesia designantur. Mœrens vero frater quos alios insinuat, nisi eos quos Dominus in Evangelio collaudat, dicens : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur?* (*Matth.* v, 5.) Qui enim jam temporalia cuncta novit despicere, et ad æterna magnis desideriis anhelare, dum horret teneri in corpore, et gemit in illa æternæ vitæ lætitia nondum esse, frater meus mœrens recte nominatur. Frater quidem, quia Christi cohæres jam esse cœpit, ad cujus beatissimam illam atque lætissimam hæreditatem totis desideriis ingemiscit. Mœrens autem dicitur, ut perfectorum luctus inenarrabilis esse designetur. Mœrere autem non quomodolibet, sed affectuosissime flere est. Quia enim Spiritus sancti gratia repleti sunt, ad illam fletuum ubertatem pervenerunt quam egregius doctor asserit, dicens : *Ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Mœrens etiam frater dicitur, quia Redemptori in magna familiaritate perfecti quique conjuncti sunt. Quem enim singulariter Redemptor diligit, quem singulari dignitate ad perpetuæ hæreditatis possessionem nutrit, cum frater ejus asseritur, singulari numero declaratur. Unde et ad Moysen quasi singularem amicum dicit : *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII, 12). Hinc est quod de Joanne in Evangelio dicitur : *Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus* (*Joan.* XXI, 20). Qui enim omnes discipulos valde diligebat, dum hunc diligere dicitur, frater singulari numero demonstratur. In die illa a Magmis usque in Aion Philistæos arrogantes percutiunt, quia ut lucem gloriæ sæcularis accipiant, non solum parvulis parva prædicant, sed alta quæ perfectiores agnoscant. Et quia cum sibi per intentionis perversitatem obsunt nonnullis in Christo parvulis, pluribus etiam perfectioribus prosunt loquendo, a

Magnis usque in Aion non pugnare, sed percutere dicuntur. Philistæos quidem percutere, est dæmonum insidias, vel vitiorum tyrannidem ab electorum corde perimere. Sed sæpe elati doctores aliis per verbum prosunt, et ejusdem verbi laudes nullas accipiunt quas concupiscunt. Unde et frequenter accidit, ut dum laudari et efferri se **319** non considerant, velut fatigati magnis laboribus obmutescant. Quare et subditur :

(Vers. 31.) *Defatigatus est autem populus nimis.*

Mos quoque esse elatorum solet ut cum ab eorum laudibus lingua aliena silet, æstimatio sua non sileat. Tacentibus quidem aliis clamant, quia æstimationis suæ præconia in corde portant. Bene ergo de eodem populo subditur :

(Vers. 32.) *Et versus populus ad prædam, tulit oves, et boves, et vitulos, et mactavere in terra, comeditque populus cum sanguine.*

39. Oves quidem tollit, qui innocentiæ suæ causas multiplices ad elationem recolit. Boves in prædam tollit, quando labores prædicationis suæ cogitat, et quidquid aliis loquendo, velut terram excolendo profecit, memorando coacervat. Vitulos tollit, cum de eo extollitur quod compressi motus lasciviæ ad mentem reducuntur. Quia enim duo in magna justorum laude præcepta sunt; videlicet splendor charitatis, cum luce boni operis, dum æstimatione sua quisque arrogans extollitur, et oves, et vitulos tollere perhibetur. Oves quidem in innocentia bonorum operum, vitulos vero in mortificatione corporalium passionum. Quibus nimirum boves inseruit, quia perfecte non extollitur, qui se infirmum et impotentem in parte aliqua contemplatur. Magnus quidem apud se jam est æstimatione pudicitiæ et boni operis, sed in fastu amplioris elationis se elevat, dum perfectum se recolit in labore prædicationis.

Sed hæc omnia ad quem finem perducantur, subsequenter expositum est : *Et mactavere in terra.* In terra oves, et boves, et vitulos mactare, est de virtutum conscientia, ima et carnali lætitia exsultare. Unde et per Oseam de elatis et arrogantibus dicitur : *Victimas demergebant in profundum* (*Ose.* v, 2). In profundum quidem victimas mergunt, qui cœlestes virtutum hostias non in cœlum per gratiarum actionem sublevant, sed ad terram per appetitum vanæ laudis inclinant. Unde et bene subditur : *Comeditque populus cum sanguine.* Mentis cibus interna ejus lætitia est. Quid est ergo comedere cum sanguine, nisi ab interno appetitu mentis intentionem vani favoris nequaquam removere? Velut enim sanguis abjicitur, cum mens a gaudio boni operis intentionem removet vanitatis. Hujusmodi enim mens lætari in bono opere novit, quia appropinquare cœlestibus per opera bona gaudet, quæ in eisdem operibus videri ad tempus refugit. Cum sanguine ergo comedere, est gaudium boni operis sumere permixtum vanitatis intentione. Quod nimirum cum ab aliis offertur, elatis simplex cibus est; cum vero nullis laudantibus, conscientia superborum intumescit, quasi per prædam violenter tollunt quod aliquis sponte non tribuit. Sequitur :

(Vers. 33, 34.) *Nuntiavere autem Saul dicentes quod populus peccaret Domino, comedens cum sanguine. Qui ait, prævaricati estis. Volvite ad me jam saxum grande. Et dixit Saul : Dispergimini in vulgus, et dicite eis ut adducat unusquisque bovem suum, et arietem, et occidite super istum lapidem, et vescimini, et non peccabitis Domino cum sanguine comedentes.*

40. Prædicatorum sanctæ Ecclesiæ proprium est, et perpetratas culpas reprehendere, et qualiter reprehensæ vitari debeant, monstrare. Reprehensæ quidem innotescunt, sed si vitari nesciantur, ostensæ repetuntur. Quid in hac sanguinis comestione, nisi latens elationis virus ostenditur? Latentia autem vitia nisi exposita non curantur. Ut ergo prædicatorum mores **320** insinuet, Saul prius prævaricatum fuisse populum asserit, deinde in lapide occidi quæ manducent animalia præcipit. Sed saxum, sive lapidem novimus, quia hunc Paulus ostendit, dicens : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* x, 4). Lapis vero ad prædicatorem volvitur, cum coram eo Redemptoris exempla memorantur. Devolvi etiam dicitur, ut ex omni parte videatur. Grandis vero dictus est, quia per Danielem crescere perhibetur, et omnem orbis faciem implere (*Dan.* II). Non ergo quomodolibet, sed ab utroque latere revolutus aspicitur, ut ab arrogantibus conspiciatur Deus, et eorum arrogantia deprimatur. Videat ergo arrogans quam potens in virtute, quam sublimis in majestate, quam humilis in virtute, Redemptor noster apparuit. Nam cæcos illuminans, ægros sanans (*Matth.* IX), præcipiebat ut quod potenter egisset nemini diceretur. In monte resplenduit, Patrem testimonium suæ divinitatis produxit, et tamen discipulis ait : *Nemini dixeritis visionem hanc, donec Filius hominis a mortuis resurgat* (*Matth.* XVII, 9). Et fortasse idcirco resurgente jam Domino, ad monumentum angelus apparuit, qui ab ejus ostio lapidem revolvit. Tunc quippe revolvendus erat lapis, quia Christus verus homo et potens Deus post resurrectionis gloriam erat agnoscendus. Si ergo unam partem lapidis aspexit elatus, volvat lapidem, et aliam videat. Non qualitercunque lapidem videat, quia non est mortuus Christus, sed revolutum ab angelo, quia a mortuis resurrexit. Aspiciat ergo facundiam prædicationis hinc, et volvat, et miretur illinc splendorem humilitatis. Videat signorum potentiam hinc, et inde videat quia qui virtutis potentia claruit, eamdem virtutem præcepto silentii occultavit. Sed dum videt partem humilem, videat et sublimem. Ecce humilis pars lapidis cernitur, quia dicit : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (*Philip.* II, 8). Sed si ista pars volvitur, altera revelatur, quia subjungitur : *Propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Ad prædicatorem ergo lapidem volvimus, cum coram ipso Redemptoris nostri potentiam, et humilitatem memoramus; cum et in operibus eum attendimus humilem, et ex humilitate in cœlo sublimem. In hoc quidem lapide bos, et aries occidatur, ut in omni homi-

num genere elationis vitium Christi contemplatione mactetur. Ibi quippe omnis sanguis effunditur, quia qui exemplo Christi instruitur, magna agit, sed de illis magnis operibus se non extollit. Pascitur quidem lætitia boni operis, sed non cruentatur cibus ejus sanguine vanæ laudis. Nam lapis ille si in verbis revolvitur, dicit : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 24). Sed quia de verbis non tumuit, volvens se, ait : *Ego non quæro gloriam meam* (*Joan.* VIII, 50). Bos ergo et aries in lapide occiditur, quando exemplo Redemptoris omnis cornuta elatio condemnatur; quando electus quilibet, et bene agit, et optime docet, sed nec vita eum erigit propria, nec eruditio aliena. In ariete quippe robur propriæ innocentiæ exprimitur, in bove autem labor, et fortitudo prædicationis. Qui in petra occiduntur; ut sic electam mentem gaudendo reficiant, ut ei mixtum in se cruorem carnibus non impendant. Hoc quidem electus prædicator non solum loquitur, sed etiam persuadet. Unde et subditur :

(Vers. 34.) *Adduxit itaque populus unusquisque bovem in manu sua, usque ad noctem, et occiderunt ibi.*

41. Bovem in manu adducere, est peccatum elationis pœnitentiæ afflictione delere. Dum enim operando **321** delet, quod superbiendo deliquit, mactandum bovem in lapide per manum ducit. Quid est autem, quod dicit : *Usque ad noctem*, nisi quia et peccare non licet, sed delere peccata usque ad mortem licet? Usque ad noctem ergo boves mactandi sunt, non in nocte, quia dum vivimus, peccata delere pœnitendo possumus, post mortem fructuosam agere pœnitentiam non valemus. Bene autem in eodem loco subditur :

(Vers. 35.) *Ædificavit autem Saul altare Domino.*

41. Quia dum peccatores convertuntur, quasi ex lapidibus cœleste ædificium fabricatur. Et quia plerique codices habent : *Tumque primum cœpit Saul ædificare*, potest altaris nomine compunctio cordis intelligi. Quando enim per verbum doctoris compunctio cordis erigitur, nimirum altare Domino ædificatur. Et primum ædificatum dicitur, quia est compunctio amoris. Unde et in tabernaculo fœderis duo altaria fieri a Domino jussa sunt, adolendis scilicet thymiamatibus unum, alterum comburendæ carnis (*Exod.* XXVII, XXXVII). Primum altare foris erat, secundum intra sancta sanctorum. Altare ergo primum compunctio timoris est, altare secundum compunctio amoris. Illud quippe peccata lugentium est, istud vero ad æterna gaudia totis desideriis inhiantium; illius lapides, recogitationes peccatorum, hujus lapides, meditationes perennium gaudiorum. Altare ergo primum doctor ædificat, quando culpas exponit quas dum in se peccator aspicit, ingemiscit. Merito etiam altare compunctio dicitur, quia incensat. Sed cum diu pro peccatis suis unusquisque compungitur, pœnitendo proficit ad usum securitatis. Nam post afflictionis tempora ardere incipit ad æternam vitam, et qui prius lugebat pro pavore supplicii, flere jam copiosius incipit pro dilatione mercedis. Quia ergo prima electorum compunctio ex timore nascitur, dum per typum regis et populi, prædicatores et nuper conversi subditi designantur, altare tunc primum Saul ædificasse dicitur. Sed ex aliorum profectu sæpe doctor ad aliorum lucra consequenda succenditur. Unde et subditur :

(Vers. 36.) *Et dixit Saul : Irruamus super Philistiim nocte, et vastemus eum usquequo illucescat mane, et non relinquamus de eis virum.*

42. Hoc supra satis expositum est, sed quia in nocte, usquequo illucescat dies, percutere Philistæos appetit, hoc profecto insinuat, quia ne in futurum nocere dæmones possint, a cordibus peccatorum modo expellendi et perimendi sunt. Nox quidem vita hæc dicitur, cum æternæ comparatur. Nam qui illam vitam contemplari digne potuerit, illius comparatione quidquid hic lucidum cernitur, noctis obscuritas esse judicatur. Illucescit autem dies illa, quando in fine hujus vitæ electis animabus se aperit. In egressu quippe suo de corpore electa anima illucescentem sibi æternitatem videt, quia lucem præsentis sæculi quasi tenebras non aspexit.

43. Quid vero est quod dicitur : *Et non relinquamus ex eis virum?* Sed omnis Philistæus vir vastari debet, parvulus omnis nequaquam vastari potest. Nemo enim sine peccato, nisi solus Deus. Viri ergo capitalia crimina et vitia principalia sunt. Sed tunc virorum, id est fortium nomine designantur, cum peccatorum sibi corda subjiciunt. Bene ergo dicitur : *Non relinquamus ex eis virum*, quia conversi peccatores sanctorum prædicatorum consilio fortia quæque peccata, et vitia deserunt, sed nullum peccatum aut vitium habere non possunt. **322** Possunt cavere crimina, sed omnia non possunt vitare peccata. Possunt vitia exstinguere, sed ne aliquo eorum quomodocunque pulsentur, non prævalent exercere. Dicit ergo : *Non relinquamus ex eis virum*, quia prædicatores sanctæ Ecclesiæ et vitia nos eradicare præcipiunt; sed dum fortia et principalia in nobis necant agere nequeunt ut quædam eorum per tenuem motum nequaquam vivant. Et de populi obedientia subjungens, ait :

(Vers. 36.) *Dixit populus : Omne, quod bonum est in oculis tuis, fac.*

44. Oculi prædicatorum sunt intuitus rationis. Qui ergo arbitrio doctoris committitur, dicere ei recte perhibetur : *Omne quod bonum est in oculis tuis, fac.* Quasi dicat : Qui nos de rationis nostræ illuminatione diffidimus, rationis tuæ luci committimus, quod nobis deesse judicamus. Sed hoc quod dixit Saul : *Irruamus super Philistiim*, potest intelligi quia non deliberata protulit, sed hoc dicendo, an esset super Philistiim irruendum consuluit. Quod autem populus cito assensum præbuit, hoc quod videmus insinuat, quia nonnulli intra sanctam Ecclesiam, antequam verba majorum intelligant, probant. Nam protinus subditur :

(Vers. 36, 37.) *Et ait Sacerdos : Accedamus huc ad*

Dominum. Et consuluit Saul Dominum, dicens : Num persequar Philistiim ? Et non respondit ei Dominus in die illa.

45. Quid est quod consulentis regis verba, quæ populus laudat, sacerdos ad Dominum esse deferenda denuntiat, nisi quia obscura et magna negotia, quæ simplices latent, nunquam bene disponuntur, si eorum exitum in sacrario mentis subtili meditatione non quærimus? Ad Dominum quippe accedere, est ejus voluntatem secreta contemplatione cognoscere. Et bene accessus dicitur, quia ab exterioribus ad interna tendimus, quando operis nostri exitum in divina voluntate cognoscere tentamus. Nam qui occulta et intima quærit, et exteriora non deserit, ea quæ nescit adire non invenit. Quando ergo a nobis de occultis rebus consilium quæritur, ad Dominum accedamus, ut tunc demum quod agendum est proponatur, cum in divina voluntate cognoscitur. Multa enim videntur bona esse et non sunt. Pleraque etiam facienda sunt, sed utilius fiunt si congruo tempori reserventur. Quædam quoque alii facere debent, alii vero non debent. Quæ nimirum si electus quilibet in secreto meditationis videre negligit, ea utique recto ordine non disponit. E contra autem qui discutere ea, vel agere meditando consuevit, non solum agenda, sed etiam vitanda cognoscit. Unde et bene dicitur :

(Vers. 37.) *Consuluit Saul Dominum, et non respondit ei Dominus in die illa.*

46. Dies est cogitatio mentis, quæ bona putatur et non cognoscitur. Nam dum bonam se esse simulat, quasi lucem portat. In die ergo illa Dominus consulenti se non respondit, quia verbum Dei cum mala deliberatione convenire non potest. Per responsum quidem verbi patefacere solemus sensum intimæ voluntatis. In illa igitur die Dominus non respondet : quia omnipotens Deus in simulata cogitationis luce non cernitur, qui semper in claritate veritatis invenitur. Et notandum, quia qui accedendi ad Dominum consilium tribuit, sacerdos fuit. Quid enim sanctius, quam consilium accedendi ad Deum? Sacerdotes ergo toties sumus, quoties fratribus bona consilia ministramus. Sacrius enim nihil dari potest, quam id per quod quisque ire ad conditorem debet. Nos autem quia ordinem spiritualis pugnæ describimus, **323** continuare priora sequentibus debemus.

47. Verbum quidem Saul fuit, ut sic Philistæos vastaret, ut ex iis virum non relinqueret. Quod sic etiam intelligi potest; quia ita volebat Philistæos perimere, ut eorum nullus ultra movere bella potuisset. Magna quidem hæc dies mentis est, qua sic æterna quæruntur, ut temporalis hostis nullus a cæde relinquatur. Sed quia nulli conceditur sic temporaliter vincere, ut non debeat omni tempore pugnare, merito dicitur : *Non respondit ei Dominus in die illa.* Respondere Dei non solum intimi verbi ejus est, sed gratiæ et muneris. Quando enim benigne concedit quod pie petitur, respondere perhibetur. Non ergo respondet Dominus in die illa, quia permittit quidem electis ut vincant, sed de hostibus quasi viventes deserit, ut cum quibus semper pugnent, inveniant. Quod tamen si ideo dicitur, quia Jonathæ culpa celatur, magnus timor prælatis incutitur. Filius quidem peccat, et patri ejus responsionem negat. Unus etiam deliquisse cognoscitur, sed pro unius culpa insequi hostes suos cuncti pertimescunt. Quid in hoc facto signatur, nisi quia peccata subditorum non solum sibi, sed etiam prælatis et secum communiter viventibus nocent? Quia vero latens hæc culpa a rege discutitur, videamus jam qua sublimitate latentia quæque perquirantur. Nam sequitur :

(Vers. 38, 39.) *Applicate huc universos angulos populi, et scitote, et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. Vivit Dominus salvator Israelis, quia si per Jonatham factum est, absque retractione* [*Forte legendum* retractatione *hic et inf.*] *morietur.*

48. Quibus nimirum verbis ordinatum valde judicii ordinem demonstravit, quia culpa prius invenienda est, deinde pœna irroganda. Nam judicii ordo confunditur, si ante inventæ culpæ discussionem proferatur. Ne enim ante discussionem feriat, dicit : *Applicate huc universos angulos populi, et videte, et scitote per quem acciderit hoc peccatum hodie.* Et quia cognita culpa austerius ferienda est, jurat, dicens : *Vivit Dominus, quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractione morietur.* Tractari quidem diutius debet, ut inveniatur culpa, sed postquam inventa est, in ea vivus aliquis relinqui non debet. Absque retractione perimitur, qui vivere in peccato, statim ut immotuerit, prohibetur. Sed istud absque retractione, scilicet perimere, absque retractione non est, quia multa consideratione pastor utitur, ut culpa, quam retractando invenit, feriri absque retractione, et exstingui velociter possit.

49. Quod si juxta historiam hujus paterni juramenti pondus attendimus, et illius temporis fervorem, et hujus teporem pariter contuemur. Antiqui etenim patres, ut Deo placerent, ad mortem filiis etiam non parcebant. Nos autem eos quos secundum carnem diligimus, etiam tenui asperitate verborum insequi non audemus. Ecce qui ad regnum filium nutriebat, dicit : *Quia si per eum peccatum factum est, absque retractione morietur.* Nos peccantes cernimus, et objurgare peccantes aut nolumus, aut timemus. Cur ergo hoc facimus, nisi quia Deum sicut illi nequam diligimus? Nam Moyses, ut bene peccatum idololatriæ vindicaret, Levitas viginti tria millia virorum jussit occidere. In cujus nimirum exercitatione cædis dixit : *Si quis est Domini, jungatur mihi. Ponat vir gladium super femur suum. Ite et redite de porta usque ad portam, et occidat unusquisque fratrem suum, et amicum, et proximum* (*Exod.* XXXII, 26, 27). Quasi dicat : In hoc ostendet quisque **324** quia sit Domini, si pro ejus amore fratri, proximo, vel amico non parcit. Dicit ergo Saul de filio : *Quia absque retractione morietur*, quia nobis jam sub Redemptoris gratia viventibus, etsi mors non decernitur corporis,

peccati non debet vita dilatari. Absque retractione quippe rector interficit, cum affectus carnis non aspicit, sed cum crimen invenit veleciter ferit. Retractat quidem, qui ne scelestum acriter pungat, obsequia ab eo sibi impensa, aut consanguinitatis affectum cogitat. Qua in re notandum est, quod non omnes culpæ acriter feriendæ sunt. Nam leves pulveris maculæ melius excutiendo quam lavando, aut ignem apponendo, terguntur. Graves etiam culpæ in omnibus æqua asperitate insequendæ non sunt, quia vulnera corporum pro ipsorum corporum natura et robore, vigorem exigunt medicinæ. Plerumque tamen prælati Ecclesiæ, cum culpas audiunt, plus justo infervescunt; et dum vindictam metiuntur, nec vulnerum qualitatem, nec personarum delinquentium vigorem respiciunt. Qui nimirum tolerandi sunt cum minantur, sed ab ultione bonorum consilio sedandi sunt. Unde et hic subjungitur :

(Vers. 39.) *Ad quod nullus contradixit ei ex omni populo.*

Quia enim majorum minæ humiliter ferendæ sunt, dicitur : *Nullus contradixit ei.* Et quia eorum nimietas salubri piorum consilio refrenanda est, non valde inferius cum eamdem mortem filio inferre rex tentat, omnis populus clamat : *Ergone morietur Jonathas, qui fecit salutem hanc in Israel?* Liberavit ergo populus Jonatham ne moreretur. Sed quia nondum inventam culpam non ferire, sed invenire satagit latentem, sequitur :

(Vers. 40.) *Et ait ad universum Israel : Separamini vos in parte una, et ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera.*

50. Quid est, quod regis præcepto populus a rege, et ejus filio separatur, nisi quia dum culpa latens, et suspecta quæritur, et superiores et inferiores personæ discutiendæ sunt? Sæpe quidem populus, sæpe eorum rector delinquit : et aliquando ipsa subditorum culpa prælato ascribitur, quo negligente impleri perhibetur. Cum ergo ostensis superius indiciis, quia lateat in populo culpa cognoscitur, et in quo sit abscondita nescitur, se rex admisceat, ut an sua sit culpa, vel populi, pastor sciat. Equidem rex Saul conscius culpæ non erat quam ipse nec consensu, nec opere perpetraverat, et tamen discutiendus miscetur, ut si in se etiam latet, inveniatur. Quasi enim se peccati inscium perquirebat, qui dicebat : *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est* (*I Cor.* IV, 4). Quasi dicat : Quærere meipsum, et invenire non desino, quia si mihi lateo, cui nuda sunt omnia non latebo. Dicat ergo rex peccati illius, quod discutiebatur, non conscius : *Ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera;* quia electi doctores, cum in aliis per rectitudinis zelum sæviunt, sibimetipsis et suis familiaribus nequaquam parcunt. Quasi enim in una parte populum separant, et semetipsos non separant, qui subditorum culpas discutiunt, et ut semetipsos inveniant, investigare non curant. Magnum quippe est humanæ ignorantiæ pelagus. Nam si nosmetipsos quærere, et quales simus invenire vix aut nunquam possumus, alios quando possumus? Quid est enim, quod Propheta deplorat, dicens : *Cor meum dereliquit me* (*Psal.* XXXIX, 13). Quid est, quod Scriptura sacra denuntiat : *Ignorat homo utrum odio vel amore dignus sit* (*Eccl.* IX, 2). Item quæstionis suæ fructum Propheta denuntiat, dicens : *Invenit servus tuus cor suum* (*II Reg.* VII, 27). **325** Si vix invenire cor sancti possunt, nosmetipsos inquirere qua temeritate cessamus? Sed fortasse nec Propheta potuit, quia subjunxit : *Ut timeat te.* Inveniret utique cor suum, si pleniter cognovisset, odio an amore dignus existeret. Qui ergo non invenit, ut coram Deo securus esset, invenit utique ut timeret. At nos nec istud facile possumus, quia dum invenire peccata nostra, et inventa pensare negligimus, quasi perdito corde securi sumus. In parte ergo altera hi, illi in altera statuuntur, ut singulorum occulta considerentur, et inventa culpa digna pœna feriatur. Quod quia laudandum valde non dissuadendum est, sequitur :

(Vers. 40.) *Respondit populus Saul : Quod bonum est in oculis tuis, fac.*

51. Quid est autem, quod populo Saul, ut se in partem unam separaret præcipit, et populus facere regem rogat quod præcipit, nisi quia inquirere semetipsos simplices nesciunt, etiam cum jubentur? Dicit ergo : *Fac quod bonum est in oculis tuis.* Quasi dicat : Tu melius agere nostra poteris, qui lumen cordis non solum tibi, sed etiam nostris prævidendis itineribus suscepisti. Sed rector de interna illuminatione laudatur, quam per gratiam habet, per æstimationem non habet. Laudatur quidem, quia cognoscere secreta aliorum possit, sed ipse semetipsum posse scire diffidit. Quia ergo lumen sibi tantæ gratiæ non adscribit, a Deo postulare hoc precibus non omittit. Unde et sequitur :

(Vers. 41.) *Et dixit ad Dominum Deum Israel : Da indicium. Quid est, quod non responderis servo tuo hodie? Si in me aut in Jonatha filio meo hæc iniquitas est, da ostensionem : aut si est in populo tuo hæc iniquitas, da sanctitatem.*

52. Indicium ergo dari petimus, quando nobis abscondita revelari flagitamus. Sed quærendum est quid sibi vult tanta verborum diversitas? Nam in se et filio ostensionem dari petit, si in populo est iniquitas sanctitatem. Quod tamen dici breviter potest, quia electi doctores sciunt propriam fortitudinem, sciunt populi subjecti infirmitatem. Pro se ergo solam ostensionem culpæ petunt, quia austeritate pœnitentiæ hanc soleant insequi, sciunt. Pro populo autem sanctitatem quærunt, quia culpas subditorum solum scire appetunt; sed quos inveniunt prava agere, rogant ad veniam per lamenta pervenire. Quid est enim dicere : *Da sanctitatem*, nisi : Sanctifica, quos demonstras? Mihi eorum occulta detegis, sed detegendo nihil agitur, si quos ostendis, gratiam refundendo, non operis. Quia vero sæpe stant subditi et prælati cadunt, sequitur :

(Vers. 41.) *Et deprehensus est Jonathas et Saul.*

Et quia ipsa etiam culpa non facile a quo sit perpetrata cognoscitur, sequitur :

(Vers. 42.) *Et ait Saul : Mittite sortem inter me et filium meum. Et captus est Jonathas.*

53. Qui sortes mittunt, per visibilium rerum conjecturas latentia sæpe deprehendunt. Sic nimirum Jonas fugiens noscitur (*Jon.* I) ; sic Matthias Apostolus Apostolica celsitudine dignus invenitur (*Act.* I). Sortes ergo spirituales ponimus, quando per exteriora signa operum, ad occultorum notitiam pervenimus. Sors enim uniuscujusque propria est conversatio. Unde in Sapientia reprobi dicunt : *Coronemus nos rosis, antequam marcescant ; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra; ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors nostra* (*Sap.* II, 8). E contra autem Psalmista precatur, dicens : **326** *Portio mea, Domine, sit in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6). Quod etiam Paulus denuntians, ait : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Doctor ergo quasi singulorum sortes tenet, dum uniuscujusque conversationem videt. Et dum culpa noscitur, et rei persona nescitur, quasi sortes mittit, dum modum facinoris comparat personæ negligentis. Sed et forte culpam deprehendit, dum quodam signo conjecturæ pervenit ad evidentem criminis veritatem. Negligenter quidem præeminet, qui commissorum sibi fidelium nescit et fortitudinem et infirmitatem. Nosse enim debet fortes subditos, quibus sint virtutibus apti, quibus infirmi sint vitiis per negligentiam proximi. Nosse debet quæ virtutum devotio istos excitet, quæ illorum negligentiam qualitas vitiorum turbet. Quasi ergo in exterioribus sortes singulorum tenet, dum prævidet quibus alli possunt vitiis obrui, quibus isti virtutibus exaltari. Causa igitur cognita, quasi sortibus signa imprimit, dum patentis culpæ notam illius conversationi ascribimus, qui per negligentiam pronus, et vicinus ad illud facinus perpetrandum ante fuisse videbatur. Sed conjectura hæc habeatur ad indagandam veritatem, non ad rei inventæ certitudinem, quia illic statim subditum est :

(Vers. 43.) *Dixit autem Saul ad Jonatham : Indica mihi quid feceris.*

54. Quid est enim quod captus interrogatur, nisi quia culpæ, quæ signis aut conjecturis deprehensæ videntur, feriendæ adhuc non sunt ? Quasi enim jam vulnus tenetur, sed adhuc tectum est. Discooperiatur ergo, ut mederi valeat, et curari. Cogendus quidem aut admonendus est, ut culpam, quæ jam velut palam cernitur, confiteatur. Dicit ergo : *Indica mihi quid feceris*, quia crimen quod apertis quibusdam indiciis noscitur, ante judicandum non est quam apertissime demonstretur. Et quia electorum est peccare et resipiscere, culpas perpetrare, et perpetratas confitendo detegere, sequitur :

(Vers. 43.) *Et indicavit ei Jonathas, et ait : Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, et ecce morior.*

55. Quid est quod ait : *Gustans gustavi?* Quare non dixit superius : *Gustans gustavi paululum de melle isto ;* cum dixit : *Vidistis quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto ?* Sed quidam dum peccata confitentur, ea nimirum quibusdam vocibus minuunt, dum se non ex toto animo commisisse ostendunt. E contra autem electi viri quando se de minimis accusant ; ea utique non quasi parva, sed quasi magna pronuntiant. Quid est dicere : *Gustans gustavi*, nisi quod foris peccatum exercui, magno concupiscentiæ ardore complevi ? Et quid est post peccati confessionem dicere, *Morior*, nisi mortem a se pœnitendo et confitendo expellere, et expulsam timere ? Quod quidem proprie est electorum, qui peccata sua deserunt : et tamen hæc, quasi non deserta, pertimescunt. Et quidem puris confessionibus, et austeris pœnitentiæ cruciatibus delent, sed quasi non deleta vehementer timent. Sed quid est, quod ait : *In summitate virgæ ?* nisi quia dum nos confitendo insequimur, proferre contra nos mendacium non debemus. Peccatum quidem in confessione prodendum est, sed augmentandum mendacio non est. Tale quidem debet esse in confessione, quale fuit in opere. Ut ergo ardor concupiscentiæ bene prodatur, dicit : *Gustans gustavi ;* Et ut qualitas ejus appareat, subditur : *In* **327** *summitate virgæ*, quasi dicat : Audacter inflammatus feci, sed hoc feci. Et quia filius regis confitetur, dicit : *Quæ erat in manu mea.* Virga Jonathæ prædicatoris doctrinam atque disciplinam signat. Quæ in manu tenetur, quando non solum docet, sed quod docet, operando exercet. Quid est ergo, quod ait : *Quæ erat*, non, *Quæ est in manu mea ?* nisi quia æstimationem electorum insinuat, qui etiam cum prava committunt, prædicationis ministerio se indignos arbitrantur. Dicit ergo : *In summitate virgæ, quæ erat in manu mea.* Quasi dicat : De illo superbiens peccavi, quo peccando me indignum feci. Erat ergo in manu mea, et non est, quia etsi aliquando feci quod docui, illud quod operando tenui superbiendo amisi. Nunc igitur timore perterritus dicit : *Ecce morior.* Et quia idem metus aliquando divina inspiratione menti incutitur, aliquando comminatione doctorum, subditur :

(Vers. 44.) *Et ait Saul : Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat ; quia morte morieris, Jonatha.*

Sequitur :

(Vers. 45.) *Dixitque populus ad Saul : Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem magnam in Israel ? Hoc nefas est. Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram ; quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonatham, ne moreretur.*

56. Quid est ergo, quod dicit : *Ergone Jonathas morietur*, nisi quia [a] alius de eadem culpa morere-

[a] In aliis excusis legitur, *quia aliud :* Quod retinere non potuimus.

tur? Quibus nimirum verbis populi nobis ostenditur virtus magnæ discretionis, quia in electorum examine non solum culparum causæ pensandæ sunt, sed etiam merita personarum. Quod aperte his verbis ostenditur, quia non ideo Jonathas non moriturus asseritur, quia erat filius regis, sed quia in Israel magnam salutem fecit. Cum ergo magni viri cadunt, communi judicio tradendi non sunt, quia priora opera promerentur, ut posteriorum gravitas levigetur. Ipsa autem culpæ levigatio non acceptione personæ decernenda est, sed respectu prioris vitæ, quia ad absolutionem illius sanctæ Ecclesiæ lucra pensanda sunt, non carnalis affectio admittenda. Sed quid mirum, si ad absolutionem peccatoris propria merita suffragantur, quando in sacri eloquii auctoritate discamus, quia alii pro aliis liberati sunt? Aliorum quidem bono opere alii adjuvantur, sicut ad peccantem regem Salomonem a Domino dicitur: *Quia non custodisti præcepta mea, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum, sed de manu filii tui scindam illud* (*III Reg.* XI, 11). Hinc est quod non solum patrum opera filiis prosunt, sed etiam cives pro civibus liberandos agnovimus. Evertendæ quidem Sodomæ se promisit Dominus parcere, si in ea tantum decem justos inveniret (*Gen.* XVIII). Jerusalem quoque respici misericorditer dicitur, quia aliquanta bona opera in ea inventa sunt. Hinc est quod Heli vita propria justus, sed auctoritate pastorali remissus, a viro Dei audivit: *Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem pervenerit; verumtamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo* (*I Reg.* II, 33); ut sacra Scriptura hic aperte monstraret, et pro dissolutione percussum, et pro præterita conversatione respectum. Sed percuti fortasse ex parte potuit, quia qualemcunque vitæ immunditiam habuit. De Jonatha ergo bene dicitur: *Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est; Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo* **328** *operatus est hodie.* Quasi dicat: Qui magna opera fecit, absolvi ex toto digne promeruit. Quia igitur in Ecclesiastica censura, etsi non est acceptio personarum, est tamen discretio meritorum, apte conclusit sententiam, dicens; *Liberavit ergo Jonatham populus, ne moreretur.*

57. Quo in loco notandum est quia rex bis jusjurandum interfectionis Jonathæ superius protulit, quem tamen victus populi instantia non occidit. Quid est quod juravit, et juramenti assertionem nequaquam servavit? Sed ex hac re duo nobis documenta proveniunt, ut cauti scilicet, et discreti esse debeamus. Cauti quidem, ne juremus, discreti, si agere perversa juramus. Qui enim jurare cavet, perjurare omnino non potest. Sed cum male juratur, justius jusjurandum dimittitur quam compleantur crimina quæ jurantur. Sit ergo unusquisque cautus antequam juret, ut aut ne omnino juret, aut facturum se mala non juret. Cautos quidem nos esse Dominus insinuat, dicens: *Sit sermo vester: Est, est, non, non. Nolite jurare per cœlum, neque per terram* (*Matth.* V, 37). E contra autem reprobi, et incauti quidem sunt, et discreti non sunt. Nam sæpe se acturos mala repromittunt, et revocare promissa, quasi perjurium incursuri, non satagunt. Hinc est, quod Herodes incaute juravit, et nefarium jusjurandum quod protulit, in præcursoris Domini morte complevit (*Marc.* VI). Cauti ergo in nostris dispositionibus esse debemus, sed si cauti esse negligimus, prætermittenda sunt proposita, non implenda. Sic quippe a proposito desistere non est vitium levitatis, sed virtus discretionis. Tamen jurare quæ revocanda sunt et detestanda, omnino cavendum est, et vehementer horrendum, quia cum tale jusjurandum non impletur, non omnino culpa vitatur, sed minor eligitur. Sequitur:

(Vers. 46.) *Recessitque Saul, nec persecutus est Philistiim.*

58. Cum Jonathæ culpa reperitur, cum jusjurandum rex non perfecisse cognoscitur, cessare Philistæos persequi perhibetur, quia dum propria infirmitate pastores deprimuntur, lucra aliorum exquirere fortiter nequeunt. Cessare etenim persequi Philistæos, est ad tempus vitia aliorum insequi, prædicando desistere. Prius enim esse intendendum judicant ad purificationem suam, deinde purgati vigilandum ad salutem alienam, quia dum silent semetipsos præparant, ut quasi per pœnitentiam suam ad lucra aliorum fortiter surgant. Et quia sæpe dum doctor sibi conscius silet, quibusdam ejus subditis maligni spiritus, impia suggerendo non silent. Sequitur:

(Vers. 46.) *Porro Philistiim abiere in loca sua.*

59. Tacentibus quidem doctoribus, in loca sua dæmones abeunt; quia per pastorum silentium non pereunt, nisi quia ad vitam æternam prædestinati non sunt. Loca etenim dæmonum sunt, quia divina præscientia in habitaculum Dei præordinati non sunt. Hinc est quod prædicantibus primis doctoribus dicitur: *Credebant quotquot prædestinati erant ad vitam æternam* (*Act.* XIII, 48). Hinc Paulus ait: *Quos præscivit, et prædestinavit, et quos prædestinavit, vocavit* (*Rom.* VIII, 30). Hinc est quod volentes apostoli transire in Asiam, a Spiritu sancto prohibiti sunt (*Act.* XVI). Qui ergo non prædestinati sunt, sive audiant doctorum verba, sive non audiant, vocari in Dei habitaculum nequeunt, quia per nequitiam, in qua sunt ante constitutionem mundi præcogniti, locum in se malignis spiritibus paraverunt. Bene igitur, dum insequi Philistæos **329** cessare [*Forte* cessari] dicitur, in loca sua dæmones abiisse referuntur, quia aliquando Dei dispensatione doctores tacent, ut illis tacentibus hi qui Domini non sunt, a malis spiritibus recipiantur. Sed, ut dixi, cum post culpam pastores tacent, semetipsos humiliant, ut purgati in ministerium prædicationis potenter surgant. Dum tacent, infirmitatem suam pensant, sed considerando semetipsos, contra occultos hostes se validius roborant. Unde et bene subjungitur:

(Vers. 47.) *At Saul, confirmato regno super Israel,* **A** *pugnabat per circuitum contra inimicos ejus.*

60. Debilitatur quidem regnum, quando pastores in aliquibus culpis cadunt. Sed debile confirmatur cum per satisfactionem pœnitentiæ ad opus magnæ virtutis eriguntur. Et super Israel confirmari dicitur, quia dum ad vitæ altitudinem proficit, eos quibus præeminet ordine, vincit conversatione. Videntibus Deum prælatus est, sed supra Deum videntes extollitur, cum præ cæteris in divina assumitur contemplatione. Merito ergo dicitur : *Pugnabat contra omnes inimicos ejus, et quocunque se vertebat superabat* [a] : quia qui æterna altius conspicit, facile conterit quidquid de infimis sibi ad pugnam venit. Quia enim nulla terrena sibi jam placent, qui per magnam charitatem super Israel, id est in cœlestibus regnat, quocunque **B** se vertit, superat. Quid enim huic malignus spiritus suggerat, qui terrena nulla considerat, qui læta sæculi nulla jam amat? Pugnat doctor, dum prædicat, sed superat, quia quod prædicando prohibet de mundi delectatione contingere, conversationis virtute persuadet. Et quia pugnare in circuitu contra inimicos dicitur, magnæ laudis ejus victoria esse demonstratur. Ex omni quidem parte perfectum esse doctorem docet, qui ex omni parte fortissimos habet inimicos. Dum ergo ubique verti et superare dicitur, quanta ejus gloria prædicatur? Quid est ergo quod in circuitu hostes habere dicitur, nisi quia maligni spiritus omnibus sensibus nostris insidiantur? Nam loquendo alios, alios videndo decipiunt. Alios per auditum, **C** alios per gustum vel olfactum fallunt. Alios etiam per insidias, illecebrosæ delectationis vel cogitationis pertrahere ad immunditias satagunt. Aliis foris obscœna offerunt, quæ mentis deliberatione sequantur. Sed ut rectius hunc circuitum demonstremus, hunc dum ad læta pertrahunt, eis quasi ad dexteram insidias ponunt. Illum dum per adversa dejiciunt, quasi a læva parte constringunt. Nos dum ad præterita oblectamenta invitant, quasi a retro præcipitant. Illis quasi ab anteriori parte obviant, quia sæpe infirmorum mentibus districtæ conversationis et vitæ longitudinem quasi consulendo monstrant. Ab ante enim veniunt, quia proficisci ad cœlum animas non permittunt. In circuitu ergo inimicos habemus, quia ante, retro, in dexteram et sinistram malignorum **D** spirituum certamen patimur. Unde et beatus Petrus apostolus nos cohortatur, dicens : *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* v, 8).

61. Sed jam belli circuitum novimus, qualiter per circuitum reges vincant, videamus. In circuitu quidem vincunt, qui linguam, et os, et oculos, et omnia corporis membra ab illicita actione custodiunt. Dum enim linguam perfecte per silentium munjunt, quasi in una parte victores sunt, et dum vident oculis quæ concupiscere dedignantur, ex alia parte victores fiunt. Sæpe etiam mala audiunt **330** et repellunt, et quia noxia reprobant, et reprobando triumphant. Cunctis ergo sensibus victores sunt, qui per eorum aliquem subdi malignis spiritibus nolunt. Sed et dum cordi inepta cogitatio offertur, hostis qui reprobatur eliditur. Qui enim noxia quæque abjicit, hostem potenter premit. Et quia item læta contemnit, et adversa non metuit, quæ reliquit aliquando perversa non repetit, et ad cœlestia ferventer currit, hostes, quos in circuitu patitur, superare declaratur. In quibus profecto adversariis, quia insidiæ oppositæ quinque corporalibus sensibus designantur, apte per quinarium numerum exprimuntur.

(Vers. 47) *Contra Moab*, inquit, *et filios Ammon, et Edom, et regem Suba, et Philistæos.*

62. Qui enim quinque gentium nomina posuit, oppositas quinque sensibus corporis fraudes dæmonum designavit. Sed quia doctor non solum vivendo, sed etiam docendo dimicat, cum contra omnia vitia disputat, cum ea verbi gladio in auditorum suorum mentibus necat, nimirum in circuitu et pugnare cernitur, et quocunque se vertit superare. Sed quædam specialiter nominantur, quæ sibi principaliter obstant: *Contra Moab*, inquit, *et filios Ammon, Edom, et regem Suba, et Philistæos*. Moab, ex patre interpretatur, Ammon, populus mœroris, Edom, rufus, Suba, incensa, sive convertens, Philistæus, poculo cadens. Quid enim his nominibus nisi gradus [b] pessimæ vitæ exprimitur? In Moab quippe, qui ex patre dicitur, concupiscentia designatur. In mente quidem reproba, quia a diabolo ponitur, quasi a patre generatur. Quid vero per Ammon, qui populus mœroris interpretatur, ostenditur, nisi frequentia malorum operum? Quia enim multa sunt, populus dicitur, et quia ad æterni luctus amaritudinem reprobum unumquemque perducunt, mœroris populus recte nominatur. Edom vero, qui rufus dicitur, quid nisi peccandi nimium fervorem insinuat? Prius enim peccare quisque consuevit, deinde per usum peccandi proficit in augmentum fervoris, ut peccare sæpius audeat, et hoc, quod audendo ingeminat, semper iterare ardentius concupiscat. Quo nimirum peccandi ardore agitur, ut in mente reproba quidquid virtutis aut boni operis viruit, comburatur. Incensa ergo post Edom in spirituali bello describitur, quia ita est perditæ mentis casus, ut cum ferventer mala congregare nititur, bonis omnibus quasi per combustionem perditis et redactis ad nihilum spolietur. Suba etiam convertens dicitur, quia et formam Dei de reproba mente fervens peccatum tollit, et hanc ad apostatæ angeli formam redigit. De qua jam per divinam sententiam dicitur : *Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Superba quidem mens jam divina mandata despicit, et semetipsam carnalibus desideriis subdit. Quis ergo est rex Suba, nisi ille, de quo ad beatum Job a Domino dicitur : *Ipse est rex super universos filios superbiæ* (*Job.* XLI, 2). Philistæi vero, qui poculo cadunt, qui sunt, nisi qui omnibus

[a] Deest *superabat*, in Gilot. et Vatic.

[b] Gilot. et Vatic., *pessimæ exprimitur*.

supradictis malis ebrii sunt? Qui sic cœlestia obliviscuntur, ut ad hæc evigilare aut vix, aut nunquam videantur. Per Moab ergo concupiscentia carnis exprimitur, per Ammon, frequens usus malæ operationis; per Edom, peccandi ardens desiderium; per Suba, vastatio et combustio virtutum; per Philistæos, oblivio cœlestium. Cum ergo electus doctor aliquem educere de tantorum laqueorum medio appetit, quantæ virtutis certamen **331** sumit? Et quia de omni hoc perditionis gradu per doctorum laborem ad pœnitentiam redeunt, quocunque se vertit superare perhibetur. Prædicando etenim aliquando concupiscentiam in alicujus corde interficit, aliquando usum pravæ operationis. Modo illos trahit, qui in usum peccandi translerant, modo illos qui combustis et ad nihilum redactis virtutibus, regi suo diabolo quasi incensi serviebant. Et quia prædicando superna memorat, cadentes poculo, et cœlestium oblitos ad spiritualis vitæ studium excitat et per amorem ardenter inflammat. Bene ergo dicitur :

(Vers. 47.) *Quocunque se vertebat, superabat.*

63. Quia dum de omni genere peccatores ad vitam trahit, triumphare ubique cognoscitur. Hos nimirum triumphos agere suos milites, suos principes imperabat Dominus, cum dicebat : *Ite in orbem universum, et prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marci* XVI, 15). Omni creaturæ Evangelium prædicare præcipit, qui omnia genera hominum duci ad fidem voluit, ut dum nobiles regum suorum triumphos ostenderet, eos superare ubique monstraret. Unde scriptum est : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II, 4). Omnes quippe homines vult C salvos fieri, quia de omni hominum genere eligit, quos ad gaudium æternæ salutis trahit. Sed quid speciali fortitudine agat, exponit, quia dicit :

(Vers. 48.) *Congregatoque exercitu, percussit Amalech, et eruit Israel de manu vastatorum ejus.*

64. Amalech populus lambens interpretatur. Quid ergo per Amalech, nisi fornicationis spiritus designantur? Lambere enim eorum est, ad peccandum mentem carnis blandimento delinire. Velut enim linguæ tactu lambere ambiunt, cum levibus suggestionibus mentem tangunt. Quid est quod contra Moab et Ammon, quod contra Edom et regem Suba pugnasse et vicisse dicitur, non tamen exercitum congregasse, sed ut Amalech vinceret, exercitum congregavit? Quid est quod exercitum congregavit, nisi quia ad D exstinguendum fornicationis spiritum, virtus una non sufficit? Abstinentia quidem ciborum contra hoc vitium fortissima est, sed sola non prævalet; velut enim miles est, et pugnare potest, superare non potest, quia Amalech non vincitur, nisi exercitus congregetur. Qui ergo fornicationem percutere appetit, addat abstinentiæ corporis virtutem humilitatis. Nam si mens Deo subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando ac præeminendo non premit. Sed adhuc necesse est, ut congreget, quia exercitum parvum habet. Virtuti ergo humilitatis et abstinentiæ corporis addatur frequens numerus orationis. Affectus quidem cordis intenti cœlestibus, contra carnis A bellum fortes milites sunt. Jam ergo in frequenti assiduitate precum aciem habet, sed exercitus non unam tantum aciem, sed plures habet. Adhuc itaque exercitum perfectum non habet, et Amalech percutere nequaquam valet. Nunquid ei prodest quod jejunando se atterit, quod ad tempus orando compungitur, si mens lubrica cogitet, et phantasmata lasciviæ in semetipsam portet? Sed vitare turpes cogitationes non prævalet, qui honestas in se non habet. Quia enim semper cogitamus, exquirenda sunt nobis bona, ne mala cogitemus. Quid vero sunt omnes turbæ bonarum cogitationum, nisi innumerabiles mentis acies? Nam dum mentem ambiunt et minuunt, ad eam accedere turpissimos inimicos non permittunt. Et **332** quia cogitando ad desiderium magnæ puritatis accendimur, armis potentibus milites nostri induti sunt, quibus fornicationis impetus et depellendo, in fugam vertunt, et ad nihilum deducendo perimunt. Nam unde ad animam intrare cogitationes possint, non habent, quæ quasi fortissimo milite, honestate cogitationum bonarum undique ornata est. Nunc ergo exercitum anima congreget, quæ Amalech vult perimere, et de manu vastatorum ejus videntem spiritum liberare. In horum medio resideat, ut cuncta exemplis electorum fortium, circumdata doctrinis Scripturarum, nullam partem sui vacuam habeat unde hostis irrumpat. Quia ergo innumerabilia sunt exempla fidelium, quia multa documenta Scripturarum, exercitus magnus et fortis est, sed ad congregandum difficile non est. Bene ergo de Israelis rege dicitur : *Congregato exercitu, percussit Amalech*, quia fornicationis spiritus non ante vincitur quam per abstinentiam corpus atteratur, et omnis turpitudo obscœnæ cogitationis, bonis mentem replentibus, effugatur. Tunc quippe eum lambere, id est delinire populus lambens delectando non potest, quia domita carne jejuniis, humilitatis arce prædita mente, orationis armis accincta, intenta doctrinis cœlestibus, exemplis munita, impiæ suggestioni aditum præbere consentiendo non prævalet. Quæ nimirum exercitus congregatio bene regibus, id est Ecclesiæ doctoribus convenit, quia quisquis ad exstinguendam fornicationis rabiem electos subditos instruere nititur, hæc plura auxiliorum agmina ei verbo congreganda sunt.

65. Bene et Israel erutus de manu vastatorum ejus asseritur. Erui quidem evelli dicitur. Et quod evellitur, altas radices in profundiora mersisse sentitur. Manus vero vastatorum potestas est malorum spirituum. Unde etiam scriptum est : *A quo quis vincitur ejus servus efficitur* (*II Petr.* II, 19). Quid ergo colligitur, nisi quia dum fornicatores desideriis carnis assentiunt, potestati malorum spirituum subiguntur? Quia item altum est fornicationis blandimentum, dum in hoc anima per desiderium mergitur, quasi in profundum radicibus tenetur. Erui ergo de manu vastatorum est a fornicationis abysso, qui in potestate dæmonum est, liberari. Bene etiam vastatores fornicationis impetus dicuntur : quia de vitio luxuriæ per

beatum Job dicitur : *Ignis est usque ad perditionem germinans; et omnia eradicans germina* (*Job* xxxi, 12). Vastator quippe fornicationis spiritus dicitur, quia quem invaserit, ei nimirum nulla virtutum dona derelinquit. Ad laborem quidem ministerii, bona quidem aliqua habere potest, sed ad meritum salutis ea habere non potest. Vastari ergo dicitur, cui perdita castitate ad vitam bona alia nulla prosunt. Vastari etiam horti tenera dicuntur. Qui enim sunt horti superni sponsi, nisi corda sanctorum per custodiam munita, et per castitatis odorem florida? Nam dum nullos motus turpes recipiunt, albo pudoris flore decorantur. Unde et sponsæ in Cantico sponsi laudibus dicitur : *Quæ habitas in hortis, audire me fac vocem tuam* (*Cant. ult.*, 13). Et rursus : *Hortus conclusus soror mea sponsa* (*Cant.* iv, 12). Hortus quidem, quia virtute eximiæ castitatis floridus, conclusus autem, quia per continentiam munitus. Hinc sponsa quid sponsum oblectet, exponit, dicens : *Sponsus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (*Cant.* ii, 16). Immundi ergo spiritus vastatores sunt, quia si pudica corda decipiunt, decepta teneros flores tantæ virtutis perdunt. Qui itaque cum ab immunditiis ad castitatem redeunt, **333** quia diras dæmonum potestates effugiunt, et a profundo perditionis ascendunt, de manu vastatorum erui apte memorantur. Sed rex, qui eruere populum dicitur, quales adjutores habeat videamus. Nam sequitur :

(Vers. 49.) *Fuere autem filii Saul Jonathas, et Jesui, et Melchisva : nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, et nomen minoris Michol.*

66. Filii Saul, qui non ad quamlibet hæreditatem, sed ad regnum nascuntur, illos insinuat, de quibus sanctæ Ecclesiæ per Psalmistam dicitur : *Pro patribus tui nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* xliv, 17). Quos tres esse agnovimus, quia fidem sanctæ Trinitatis prædicando defendunt. Sed quia percusso Amalech, regis filii nominantur, eorum numerum ad virtutum merita referamus. Maceratio quidem corporis, circumspectio mentis, simplicitas intentionis, tria sunt. Quia ergo doctores sanctæ Ecclesiæ ad reprimendam carnis libidinem fortes sunt, ad cordis custodiam sapientes, intentionem cordis in cœlum sublevando sublimes, tres esse Saul filii dicuntur. Tria etiam sunt, fortitudo operis, virtus charitatis, et affluentissima gratia prædicationis. Doctores quippe sanctæ Ecclesiæ, quia magna conversatione sublimes sunt, magna charitate ferventes, magna verbi sapientia facundi, ternario numero apte signati sunt. Quorum certe virtutibus nomina conveniunt, quia Jonathas columbæ donum dicitur; Jesui, planities, sive desiderium meum; Melchisva, rex meus salus. Quia enim præcellentia dona Spiritus sancti doctores habent, columbæ donum recte nominantur. Quia item inter dona sublimia humiles sunt, planities dicuntur. Quia pro subditis sibi fidelibus ardenter æterna postulant, desiderium meum esse perhibentur. Quæ quidem vox parvulorum subditorum esse cognoscitur, virtus vero tanti nominis prælatorum. Qui enim parvuli et frigidi adhuc in nostris negligentiis jacemus, ad cœlestem patriam ardentibus desideriis non flagramus. Sed quod nos ardenter flagitare non possumus, pro nobis postulat [a] qui ad illam quam nobis adipisci desiderant patriam magnis desideriis anhelant. Pro excellentia ergo charitatis non desiderantes, sed desiderium regis filius dicitur, ut in doctoris mente flagrare ignis dilectionis specialiter demonstretur. Unde et de Domino per Psalmistam dicitur : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Psal.* ciii, 4). Hinc est item quod Daniel vir desideriorum dicitur (*Dan.* ix), quia prospera populi sui magnis precibus postulasse perhibetur. Melchisva vero dicitur, rex meus salus. Rex quippe prædicator dicitur, quia celsitudinem tenet ordinis, et dignitatem magnæ conversationis. Rex item dicitur, quia summam tenet celsitudinis et vigorem auctoritatis. Salus etiam dicitur, ut ejus integritate ægritudo populi depelli posse sentiatur. Merito enim vitæ et devota oratione homo agere quotidie debet doctor, ut subjectus sibi quisque pertingere valeat ad salutem.

Sed notare iterum doctor debet quia cum a subditis nominatur, non rex noster, sed rex meus dicitur. Quid est ergo quod rex meus dicitur, nisi quia tam familiaris esse debet omnibus, ut singulorum esse per amorem sentiatur? Sed qui meus dicitur, rex nominatur, quia humilis et affabilis prædicator hoc ipsum quod præeminet non videtur esse suum singulariter, sed speciale singulorum, cum tam communis per gratiam esse nititur, ut **334** ejus celsitudo propria uniuscujusque fore videatur. Onus autem verbi dicitur, quia videlicet salus mea dicitur, per quod nimirum diligens prædicatoris studium et sollicitudo commendetur, quia sic debet intendere simul omnibus, ut quærat et agat propria singulorum. Ab unoquoque etenim salus mea dicitur, si uniuscujusque infirmi curam suscipit, et hunc ad æternæ salutis bona perducit.

67. Quæ vero sunt Saul filiæ, nisi prædicatori subditæ electorum qualitates? Alii quippe activæ vitæ studiis serviunt, alii vero contemplativæ remotionibus absconduntur. Filiæ quidem dicuntur pro fecunditate. Illa quidem parit multitudinem bonorum operum, ista vero internorum plenitudinem gaudiorum. Merito igitur regis filiæ nominantur, quia dum concipiunt de verbo Dei, cœlestes fructus parturiunt. Unde bene Merob de multitudine dicitur. Activa etenim vita, quia ex multis bonis operibus perficitur, de multitudine recte nominatur. Vel de multitudine dicitur, quia qui Deo per activam vitam placent multi sunt. Quia enim pauciores numero sunt qui per contemplativam cœlestibus gaudiis inhiant, in eorum comparatione illos qui activæ vitæ inserviunt multos vocat. Qui profecto multi sunt numero, ministerio divisi, quia etsi unam cœlestem patriam

[a] Gilot. et Vatic., *quia ad illam.*

bonis operibus quærunt, tamen variis operibus pietatis inserviunt. Quorum certe nonnulli in tantum amorem conditoris proficiunt, ut ipsa etiam opera bona deserant, atque ad contemplativæ vitæ dulcedinem transire, et in ea Deo vacare concupiscant. Unde et bene Michol in lingua nostra ex omnibus dicitur. Ex omnibus quidem fit, quia nullus est perfectus in contemplatione, qui ex labore boni operis non pervenit ad arcem ejusdem contemplationis. Unde et in Evangelio Dominus dicit : *Venite ad me, omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Tunc qui laborat vocatur, quando bene agendi desiderium æternitatis infunditur. Et ad vocantem se accedunt, quando ad contemplativæ vitæ quietem veniunt. In quo nimirum laborantes reficiuntur, quia amoris gaudia de divina contemplatione abundanter sumunt. Ipse quidem accedentes reficit, qui puris mentibus semetipsum ostendit. In cujus revelatione quia contemplationis gaudia multa inveniunt, quasi omnimoda delectationis dulcedine, non ab alio, sed ab ipso saturantur. Michol ergo ex omnibus dicitur, quia contemplativæ vitæ secretum nullus expetit, qui in aliqua prius operatione bona non fuit. Minor ergo soror dicitur, non quia inferior dignitate, sed quia posterior tempore. Si quis autem velit per primogenitam filiam contemplativam vitam, per minorem activam potest accipere. Et tunc quidem Merob de multitudine dicitur, quia multitudinis turbas deserit, et ad rariorem numerum in contemplatione perfectorum venit. Non ergo multitudo, sed de multitudine esse dicitur, ut non hi cum quibus est, sed unde venerat agnoscatur. Michol vero ex omnibus dicitur, ut in activa vita universalis vita sanctæ Ecclesiæ designetur. In activa etenim vita etiam illi sunt prius qui postea ad contemplativæ secretum transeunt, sed in contemplativæ remotione, exterioris vitæ sollicitudine gravati non sunt. Illa ergo de multitudine, ista vero de omnibus dici potest, quia activa vita omnes continet, contemplativa omnium conspectum declinat, ut se, conspectu mentis, **335** cœlestibus jungat. Quomodo igitur Saul filiæ dicuntur, nisi quia [a] utraque vita studio boni rectoris ostenditur? Qui enim nos docent bona agere, æternæ vitæ studiis vacare, ab illo nobis generantur, cujus magisterio in corde nostro discuntur. Quod quidem quia de activæ vitæ operibus constat, mirum de contemplativa videtur, quæ per Mariam Marthæ sororem, quæ ad pedes Domini sedere et verbum ejus audire describitur (*Luc.* X). Sed facile respondetur quia dum sedet Maria, perfectos in contemplatione signat. Filia tamen Saul Merob recte dicitur, quia etsi sedens ad pedes Domini quæ vult ab eo audit et discit, tamen prius discere debet quomodo sedere possit. Hoc nimirum quia sapientis et eruditi doctoris eruditione cognoscitur, Saul esse filiam Merob recte memoratur (*I Reg.* XVIII). Quam profecto in conjugium David dare promisit, sed ei minorem dedit, quia nonnulli contemplativæ vitæ pulchritudinem diligunt, ad cujus amplexus accedere nequaquam permittuntur. Quia enim regendis fidelibus gregibus foris necessarii sunt, summus rex sic ordinat, ut Michol minorem accipiant, et Merob majorem nunquam comprehendant. Plerique autem post minorem majorem accipiunt, quia post devota charitatis opera ad intimi secreti amorem recipiuntur ; quod bene Jacob insinuat, qui Rachelem amavit, sed prius Liam accepit, et sic deinde Rachelem in conjugium sumpsit (*Gen.* XXIX). Quid est hoc, quod Jacob utramque sororem habere licuit, David autem ad majoris thalamum non pervenit, nisi quia David rex fuit, Jacob vero rex non fuit? Qui ergo regimen animarum suscipit, hunc censura ecclesiastica susceptum gregem deserere et remotæ vitæ otiis vacare non sinit. Sed Merob David promittitur, et nunquam datur ; Michol sola datur, quia nonnulli cum curam animarum suscipiunt, putant se sic aliorum sollicitudinem gerere, ut sibi ipsis valeant per sollicitudinem vacare ; et tamen quietem quam in prælatione quærunt nunquam inveniunt ; fitque ut dum impetrare a Domino gratiam tantæ puritatis nequeunt, quasi iram incurrisse nt Domini, pertimescunt. Quasi ergo irato rege promissam sibi primogenitam perdunt, quia eum quem se putabant in prælatione habituros amorem quietis intimæ amplecti non possunt. Hæc autem breviter per excessum diximus, nunc ergo ad dimissa redeamus.

68. Ambæ ergo Saul filiæ dicuntur, sed nomina diversa sortiuntur, quia et differunt et conveniunt. Conveniunt quidem, quia ad æternam vitam, quam diligunt, per amorem tendunt. Item conveniunt, quia bona opera, quibus hæc indesinenter extenditur, illa quomodolibet operatur. Quia igitur ambæ amant quæ vident æterna, ambæ ad illa per bonam operationem pervenire desiderant, quomodocunque conveniunt ; differunt autem, quia plus agit una, plus videt altera. Nam et Lia non dicitur fuisse cæca, sed lippa. Et Rachel si non tantos peperit, omnino tamen sterilis non remansit. Nam si altera vita alteram contemplando aut operando superat, nulli autem eorum visionis claritas demitur, nulli fecunditatis gloria denegatur. Videndo tamen et agendo differunt, quia activa vita visionem habet in transitu, opus vero in intentione ; contemplativa vero opus in itinere, intentionem in quiete. Unde bene evangelista Marcus, cum sub illarum trium mulierum specie contemplativæ vitæ amorem ostenderet, ait : **336** *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum* (*Marc.* XVI, 1). Quasi dicat : Steterunt in opere, ut currere valerent ad contemplationem. Aromata quidem emere est per laborem boni operis, bonæ opinionis odorem circumquaque dilatare. Et Jesum in sepulcro ungere est per mortificationem carnis ad devotionis intimæ pinguedinem pervenire. Nam velut in sepulcro ungitur, quando a consepultis ad gaudium intimæ claritatis suæ devotissime pervenitur. In transitu ergo operationem habent, quia etsi aliquando operantur, quasi currendo hoc deserunt, qui ad locum dilectæ solitudinis magno spiritus impetu impelluntur. Nam quia

[a] Gilot. et Vatic., *quia utraque ista.*

totis desiderils in æternorum amore requiescunt, videre magis quam ministrare appetunt. Rari ergo sunt in publico operis, assidui in secreto contemplationis; foris parum, satis intus immorantur. Nam et fornicationem esse solent judicare, vel ad momentum a Christi contemplatione discedere.

69. Econtra autem activa vita, quæ frequens circa ministerium satagit, rara est in secreto contemplationis. Nam quæ æterna sibi præparare non sedendo, et audiendo, sed satagendo et ministrando proposuit, non damnum, sed dispendium putat, si sibi vacans, et sua petens, et non quæ aliorum, a solita obsequiorum oblatione requiescat. Plus igitur operando laborat, minus obsecrat. Unde et Martha, *quæ circa frequens ministerium satagebat, stetit, et locuta est* (*Luc.* x, 40). Quæ enim stetit, ei nimirum sedere non licuit, quia si ad audiendum sederet, imparatum fortasse ministerium et insufficiens impendisset. Et notandum quia transeundo, Dominum Martha vidit, non tamen transeundo, sed stando loquitur. Nam evangelista caute expressit, dicens : *Quæ stetit, et ait* (*Ibid.*). Quo profecto exemplo instruimur, ut qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad Redemptoris pedes non possumus, per aliquantulam morulam Redemptori assistere debeamus. Sed bene ei assistimus, si transeundo et serviendo videamus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere ad ipsum cordis dirigere intentionem? Transimus enim, quando huc illuc discurrendo in membris suis Domino ministramus. Sed transeundo Dominum cernimus, si per omne quod agimus præsentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplamur. Quo in loco notandum est quia confidenter Martha loquitur, dicens : *Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* (*Luc.* x, 40.) Quod certe perfectis quibusdam operariis sanctæ Ecclesiæ convenit, qui omnipotenti Deo preces tanto fiducialius offerunt quanto laboriosius ei in membris suis se ministrasse meminerunt. Sed quia in ipsis etiam quæ activæ vitæ deserviunt nimietas sollicitudinis cohibenda est, Martha reprehenditur, quæ tam sollicita asseritur, ut erga plurima turbetur. Actionis quidem fervor tunc recte disponitur, cum sic insistimus operi, ut tranquillo corde eum cui opera nostra consecrare nitimur videamus. Quid est ergo nimietas sollicitudinis, nisi confusio supernæ intentionis? quia dum se erga plurima dividit, divisa jam ad supernorum intuitum non assurgit. Illud enim æternum et simplex bonum æternæ visionis anima quia vix unita comprehendit, se nimirum ad id divisa non erigit. Dicit ergo operum nostrorum dispositor et receptor : *Unum est necessarium*, ne se mens ad multa dividat, ut, per tranquillitatem unita, ad summi boni intuitum potenter surgat. **337** Duæ igitur filiæ Saul, etsi pariter regis sunt filiæ, nominibus differunt, quia vita activa et contemplativa nobilitate religionis generosæ sunt, sed non sunt pares pro diversitate officii. Sed quia earum patrem ostendimus, matrem pariter demonstremus. Sequitur :

(Vers. 50.) *Et nomen uxoris Saul Achinoe, filia Achimaas.*

70. Quæ est enim prædicatoris uxor, nisi bona voluntas? Qui enim per amorem bonæ voluntati conjungitur, ei utique quasi ex nobili conjuge filii oriuntur. Nam cum bonorum operum fructus proferre volumus, necesse est ut prius eos in bona voluntate seminemus. Unde bene Achinoe, fratris requies interpretatur. Frater quippe noster ille est, qui a mortuis resurgens, Mariæ Magdalenæ locutus est dicens : *Vade, et dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* (*Joann.* xx, 17). Hinc Paulus nobilitatem electorum asserens, ait : *Hæredes autem Dei, cohæredes Christi* (*Rom.* viii, 17). Quid est quod dicitur, fratris requies, nisi quia Redemptor humani generis in bona cohæredum suorum voluntate requiescit? Et quia ab ipso nobis bona voluntas impenditur a quo inhabitatur, filia Achimaas esse perhibetur. Achimaas enim fratris decor, vel frater decor interpretatur. Frater quippe et decor Redemptor noster dicitur, quia humana natura per peccatum primi hominis dignitatis suæ vigorem perdidit, sed in persona Redemptoris, aucto sibi splendore radiavit. Decor quippe noster est, quia quicunque in sancta Ecclesia virtutum claritate fulgescunt, de plenitudine lucis illius omnes accipiunt. Hinc Paulus ait : *Ei se infudit omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* ii, 9). Dum ergo bonam prædicatorum nostrorum voluntatem propheta Samuel respicit, typis visa exprimit, dicens : *Achinoe filia Achimaas*, quia nimirum magna est pulchritudo bonæ voluntatis, sed de infusione nascitur Redemptoris. Debet namque amari ut conjux, sed si pater aspicitur, ex nobilitate amplius amatur.

(Vers. 50.) *Et nomen principis* [a] *ejus Abner, filius Ner, patruelis ejus.*

71. Abner dicitur pater meus lucerna, Ner etiam lucerna dicitur. Quid ergo Ner, nisi sermo Scripturarum accipitur? Littera quidem sanctæ Scripturæ quasi hujus lucernæ testa est, intellectus vero spiritualis claritas luminis, oleum vero ejus devotio amoris. Filius ergo lucernæ est, qui verba Scripturarum libenter audit, et sapienter intelligit, et quæ per intellectum colligit, per affectum charitatis apprehendit. Cur itaque dicitur filius lucernæ, nisi quia quod de lumine nascitur lumen est? Quid enim peccatum, nisi tenebræ? Quid item bonum opus, nisi lumen? Sancti enim viri dum ad ducatum Scripturarum gressus operum dirigunt, quasi ex lumine lumen accipiunt spiritualis eruditionis. Hoc quippe lumen de lumine Joannes exprimens, ait : *Omnis qui natus ex Deo est non peccat, quia generatio cælestis servat eum* (*Joan.* v, 18). Quid est nasci de Deo, nisi cogni-

[a] Legendum videtur, *principis militiæ*, ut exstat in sacro contextu. Attamen Gregorium legisse *principis ejus*, constat ex verborum illorum expositione num. sequenti : *Lucernæ vero filius, dicitur princeps regis.*

tam in sanctis Scripturis ejus voluntatem diligere? Et quid est non peccare, nisi in luce justitiæ semper consistere? Quasi enim de luce nos lucem facere volebat beatus Petrus apostolus, cum dicebat: *Habetis propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec aspiret dies, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (*II Petr.* I, 19). Merito igitur Abner pater meus lucerna dicitur, ipse quoque pater ejus lucerna nominatur, **338** quia illi in sancta Ecclesia lucere per exempla aliis possunt, qui eruditione Scripturarum et claritatem acceperunt luminis, et oleum perfectæ charitatis. Sed per Joannem non peccare dicitur, ut prædicatorum robur insinuet, qui sic peccatoribus manum porrigunt, ut tamen ipsi peccatorum tenebris non fedentur. Sed quid est quod patruelis Saul dicitur? Patruelis autem dicitur qui nascitur ex fratre patris. Unde et hic quoque subjungitur:

(Vers. 51.) *Cis fuerat pater Saul, et Ner pater Abner filius Abiæ.*

72. Et cum eligendus rex peteretur, dictum est: *Et erat vir nomine Cis filius Abiæ* (*I Reg.* IX, 1). Quia vero ista stirpis regiæ nomina quid significent, plenius exposuimus; hoc tantummodo exprimamus, quomodo Abner patruelis Saul esse refetatur. Sed Saul filius Cis, id est duri esse cognoscitur; Abner etiam lucernæ filius perhibetur. Durum hunc, austeræ nimis conversationis viros ostendimus designare, Ner lucernam interpretari. Quid est igitur quod lucerna, et durus ejusdem patris esse filii dicuntur, nisi quia a Deo est, et quod Scriptura sancta austerum præcipit, et virtus exterior duræ conversationis? Frater quippe lucernæ durus est, quia gratiam implendæ legis ab eo habet a quo ipsa lex ortum habet. Unde et Psalmista confidenter repromittit, dicens: *Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit* (*Psal.* LXXXIII, 7). Legem quippe dare est præcepta vitæ electis proferre, benedictionem etiam dare est gratiam implendæ legis impendere. Quia ergo ab uno sunt tam lumen Scripturæ quam asperitas vitæ nostræ, Cis et Ner unius patris filii esse referuntur. Abner ergo filius Ner, Saul regis patruelis esse recte dicitur, quia qui ad curam animarum eligitur, duræ et asperæ vitæ debere esse judicatur. Sed qui prædicatorum adjutores esse cupiunt, nunquam agunt, quod cupiunt, si lumen Scripturæ sanctæ, in quo per cognitionem concepti sunt, in bona operatione atque sancta prædicatione, velut nascendo, non perficiunt. Cum vero Scripturarum sanctarum cognitio magis summis doctoribus quam eorum adjutoribus subditis adscribatur, et exempla conversationis sequi magis minoribus quam majoribus convenire videantur; quid est quod duri filius rex dicitur, lucernæ vero filius dicitur princeps regis? Sed his verbis non significat quod summi doctores et eorum adjutores habent, sed suppresso quod habent, exponit quod singulis agendum est. Rex quippe, videlicet summus et electus prædicator, quia jam per altissimæ eruditionis scientiam, Scripturæ lumen habet, non sic confidat de scientia, ut aliorum exempla minime sequatur. Princeps quoque, id est magni doctoris adjutor, quia exemplis ejusdem sui præpositi subditur, ad lumen innitatur, ut qui exempla sequitur, in doctrinæ altioris eruditionem, quasi in magna lucernæ luce nascatur. Qui ergo eruditus ad majorum exempla per humilitatem reducitur, exemplis instructus ad Scripturarum splendorem discendo sublevatur, bene rex filius duri, et princeps lucernæ filius esse perhibetur. Tales viri, quia electis fidelibus utiliter præeminent, quia subjectos ad virtutum victorias fortiter provehunt; sequitur:

(Vers. 52.) *Erat autem bellum potens adversus Philistæos omnibus diebus Saul.*

73. Debile et omnino infirmum bellum illorum doctorum est, qui nec lumen habent divinæ cognitionis **339** nec fortitudinem boni operis. Potens ergo bellum dicitur, quando electis plebibus duri filii dominantur, quia ille potest aliis utiliter bona dicere, qui consuevit verba magna operatione præire. Sed et subtiliter est intuendum quod implexius dicitur: *Cunctis diebus Saul.* Quid sunt dies Saul, nisi lucis opera? Quod bellum doctoris est aliud quam quod lingua conficitur? Omnibus itaque diebus pugnat, qui multa alios docet, sed nil docendo profert, nisi quod suo prius fulget opere. In die etenim sua pugnat, qui verba prædicationis ex propria trahit luce virtutis. In die ergo alieno pugnare vult, qui contraire reprobis spiritibus satagit, non loquendo quæ agit, sed prædicando quæ novit. Sed omnibus diebus pugnat: quia omnia præcepta Dei ostendit in luce operis, quæ subsequendo vult pandere per curam prædicationis. Merito itaque bellum potens dicitur, in quo cum omnimoda virtutum, vel operum luce pugnatur. Potest etiam per hoc quod omnibus diebus pugnare dicitur, agonis spiritualis instantia designari. Qui enim vitam ducit plenam virtutibus, in diebus vivit. Cunctis ergo diebus bellum potens electi doctoris agnoscitur, quia is semper malos spiritus superare cernitur, qui a luce virtutum nunquam separatur. Sed habent electi viri virtutem præliandi, habent et humilitatem timoris. Per virtutem triumphant, sed per timorem auxilia congregare non cessant. Unde tanto fortius præliantur, quanto et vires confligendi congregare non desinunt. Bene ergo causa potentis belli subjungitur:

(Vers. 52.) *Nam quemcunque videbat Saul virum fortem et aptum ad prælium, sociabat eum sibi.*

74. Quasi dicat: Idcirco bellare potenter poterat, quia congregare exercitum non cessabat. Sed quia non solum fortes, sed etiam aptos ad prælium sibi sociasse dicitur, cautus doctor in eligendis Christi militibus demonstratur. Fortes autem ad ferenda onera quidam sunt, non ad prælia exercenda, quia præliari de fortitudine sua dum nesciunt, nequaquam possunt. Viri ergo fortes et ad prælium apti sunt, qui sciunt pugnare, et volunt. Per voluntatem quippe fortes sunt, et per scientiam apti ad præliandum. **340** Quorumdam ergo temeritas a Christi bello

repellitur, cum apti et fortes electi memorantur. Nam quidam sciunt cum diabolo pugnare, et nolunt. Sapientes quidem sunt, ut faciant mala, bona autem facere nesciunt (*Jerem.* IV, 22). Hi antiquo hosti servire volunt, resistere nolunt. Quid enim faciat doctor, si aptos istos ad prælium sibi societ. Magis tales possunt alios per exempla destruere quam ipse per verbum ædificare. Nam et sæpe tales docere audent, et docendi virtutem operando non tenent. Cum loquuntur nobiscum, in hostes irruunt, sed per opera subito in viscera nostra torquentur. Velut proditores quidam exercitus, arma Christianæ doctrinæ induunt, et per exempla subito parvulos Christi feriunt, quos velle protegere loquendo putabamus. Non apti ergo viri fortes repellendi, non sociandi nobis sunt, quia per sapientes reprobos robur nostrum destruitur, non augetur. Qui ergo sunt fortes et non apti, nisi quos videmus onera sæculi fortiter ferre, et fortitudinem suam in servitium Conditoris transferre nescire? Nam jugum hominum, et magnos sæculi labores fortiter ferunt, sed ad servitutem Dei accedere velut infirmi pertimescunt. Quid ergo isti, nisi fortes et non apti sunt, qui sæculi magna faciunt, et Christi agere levia et blanda non possunt? Sæpe etiam in monasteriis convertuntur, et qui sæculi onera fortiter tulerant in parvis, quæ agunt, quasi inter magnos labores sudant. Quid ergo his verbis ostenditur, nisi ut viros ad Christi militiam cum magna nobis discretione sociemus, nec accedentibus ante præbeamus ingressum quam eos et aptos per scientiam, et fortes per bonam voluntatem esse sciamus? Possunt autem idcirco viri fortes et apti ad prælium dici, qui Amalech, id est libidinum bella subsequuntur. Nam viri fortes non sunt, qui carnales concupiscentias exstinguere nequeunt. Et apti ad prælium non videntur, qui pro pudicitia apti ad præliandum non sunt. Eligat ergo doctor milites Christi, eligat fortes, ut dum carnem fortiter domant, immundos spiritus potenter vincant. Eligat ergo aptos ad prælium; ut dum inter dona fortitudinis non superbiunt, triumphi gloria in cœlestibus sublimentur.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

(I Reg. XV, 1-3.) *Et dixit Samuel ad Saul : Me misit Dominus ungere te in regem super populum ejus Israel. Nunc ergo audi vocem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum : Recensui quæcunque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, et percute Amalech, et demolire universa ejus.*

1. Superius Amalech luxuriæ vitium designare diximus, quæ velut lambit, dum voluptatem blandiendo suggerit. Profectus ergo conversationis ostenditur, eo quod superius a Saul percussus asseritur, et nunc non simpliciter jubetur percuti, sed omnia ejus demoliri. Primo quidem hunc doctor percutit, quando per ejus verbum agitur, ut pudicitia in conversorum cordibus et corporibus teneatur. Quasi enim percussa est libido, quando caro armis pudicitiæ qualitercunque subacta est, et perfecte subacta non est. Nam qui luxuriæ jam inquinamenta **340** deserit, sed adhuc motus turpes ex se contra se insurgentes sentit, jam opus nefarium non exercet, sed tamen abigere hoc a cogitatione non potest. Sæpe invitus et incautus ad immundas cogitationes trahitur, sed ea quæ negligendo intus cogitat, carnem foris excitant, ut ad turpes motus voluptatis surgat. Quid ergo est quod percussus Amalech iterum percuti et demoliri præcipitur, nisi quia prædicator eos quos ad pudicam vitam erudit, promovere debet ad perfectionem virtutis? Iterum ergo jubetur Amalech percuti, quia adhuc non bene interfectus vivit. Iterum Amalech percutitur, cum verbis doctoris illi etiam motus qui carnem pulsant eliduntur, cum ob hoc coronari subditos doctor docet, ut sic corpus domare debeant, ut ad illecebrosos motus nequaquam surgat. Sed quia nunquam sic caro restringitur, si mens ad immunda cogitando labitur, post percussionem, Amalech demoliri præcipitur. Percutitur ergo in corpore, demolitur in corde, dum caro digne per abstinentiam **341** teritur, et mens a cunctis immundis cogitationibus refrenatur. Quo in loco priora etiam consideranda sunt, quæ ex persona Domini Samuel loquitur, dicens : *Recensui quæcunque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto.*

2. Quid est quod Amalechitarum opera recensentur, nisi quia luxuriæ inquinamenta Deo valde odibilia sunt? Unde beatus Paulus apostolus dicit : *Omne peccatum extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI, 17). Item dicit: *Fornicatores et adulteros judicabit Deus* (*Hebr.* XIII, 4). Hinc etiam acrius increpans, et a regno Dei eos segregans, ait : *Neque immundi regnum Dei possidebunt* (*Ephes.* V, 5). Cur luxuria recensetur, nisi quia justitia Dei peccator projicitur, quando ad perpetranda ejus inquinamenta curvatur? Qui ergo recensetur ut cadat, aliquando recensetur ut pereat, aliquando recensetur ut surgat. Et quia post tanta temporum spatia recensita, Amalech facta memorantur, utcunque nobis insinuatur; quia tales aliquando post longa tempora resipiscant. Ipsa autem ejus opera exprimuntur, cum dicitur : *Quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto.* Israel videns Deum dicitur. Qui quia de Ægypto perhibetur ascendere, noviter conversos insinuat, qui peccatorum tenebras et ima deserunt, et ad lumen veritatis accedunt, et montem boni operis ascendunt.

3. In via autem Amalech Israel restitit, quia libido ad perfectionis summam tendentibus arma voluptatis objicit, et corda quæ potest, gladio immundæ sug-

gestionis ferit. Et quia valde fortis et violenta est pugna fornicationis, non quomodolibet obviasse Israeli, sed restitisse perhibetur. Resistere quidem forti oppugnationi instare est. Hos nimirum resistentes Amalechitas videbat Israelita ille ascendens, cum dicebat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 23). Unde et ad auxiliatorem respiciens, ait: *Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Domini nostri Jesu Christi* (*Rom.* VII, 24). Resistere ergo Amalech dicitur, quia dum in carne sumus, libidinis fortia bella sustinemus. Sed quid de Ægypto ascendentibus resistere dicitur? Ecce qui ad tertii cœli se secreta sustulerat, resistentes motus carnis habebat. Merito igitur non solum novitios, sed etiam magna virtute præditos, Israel de Ægypto ascendens insinuat. Ægypti quidem nomine hujus mundi tenebræ designantur. Israel autem de Ægypto ascendit, quia electi omnes dum sancte vivendo proficiunt, ad supernam patriam pertingere conantur. Et quia quandiu in carne sunt, carnis legem legi mentis contrariam habent, sibi utique per validos motus Amalech resistentem vident. Hujus namque violentia passionis ostenditur, cum eadem, quæ recensentur, Amalech bella describuntur. Nam pugnante Israele, cum elevabat manus Moyses, vincebatur Amalech; et vincebat ille, cum iste manus deponeret (*Exod.* XVII). Quid est autem, quod contra alios solis armis pugnabat Moyses, contra Amalech vero non solis armis, sed etiam virtute orationis? Quæ autem virtus et instantia supplicationis erat tunc necessaria, ubi si manus deponeret, Amalech victoriæ honorem daret? Sed profecto magnum certamen fornicationis ostenditur, quod tanta virtute, tanta difficultate superatur. Arma igitur exercitus oratio intentissima necessaria est. Arma quidem necessaria sunt, quia qui contra fornicationem pugnare volunt, vincere **342** nequeunt, si non cæteris virtutibus muniuntur. Exercitus, ut supra ostendimus, exempla Patrum et Scripturarum præcepta sunt, quæ quidem quilibet etiam considerare debet, ac illis sic mentem occupare, ut lasciviæ inquinamenta non spectet. Sed exemplis atque doctrinis instructus, de se confidere nequaquam potest. Levet ergo manus suas, levet mentem, ut opere bono et devotione resplendeat, qui abscindere perfecte a se libidinis bellum tentat.

4. Quid item est quod depositis manibus vincitur, nisi quia sæpe per audaciam pravi operis, ipsa etiam tollitur pulchritudo castitatis? Sæpe ex toto non [a] tollitur, sed cum infirmantibus operibus infirmatur. Inter opera quidem, et labores spirituales, contra stimulos carnis fortes sumus, sed si quasi fessi a solitæ conversationis rigore torpescimus, vel mollescimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus Israelem vincunt (*Exod.* XVII). Ne ergo manus lassescant, Aaron et Hur lapidem supponant, et graves Moysi manus deponi nequaquam sinant. Aaron quidem, mons fortitudinis, Hur, ignis vocatur. Quando enim lassescimus consideratis cœlestibus roboramur. Mons ergo fortitudinis quid est, nisi altitudo supernæ contemplationis? Quæ profecto, quia in electo corde sine magna charitate non est, mons fortitudinis Moysi adstare recte perhibetur. Qui nimirum lapidem supponunt, et manus sustinent, quia qui summa cœlorum præmia ardenter aspicit, fortitudinem magnam sumit, et bene operari, et conditorem exorare non desinit. Quia ergo valida sunt, et omnino violenta bella carnis, ascendenti Israeli Amalech restitisse apte perhibetur. Regi igitur Propheta præcipit dicens: *Audi vocem Domini. Recensui quæcunque fecit Amalech Israeli.*

5. Quid est, quod dicit: *Audi vocem Domini*, nisi quia caste vivere volentibus, contra fraudes fornicationis spiritus subtiliter vigilandum est? Quasi dicat: Considerare non desinas quantis insidiis sibi subdere electos parat. Et idcirco non dixit: Recensui quod restitit Israeli, sed: *Audi vocem Domini. Recensui quomodo restitit Israeli.* Quasi dicat: Si modum insidiarum cognoscis, hostem superare facilius valebis. Merito igitur subintulit, dicens: *Nunc ergo vade, et percute Amalech, et demolire universa ejus.* Quasi dicat: Quia nosti quemadmodum ire debeas: *Vade, et demolire universa ejus*, et sic eum deleas, ut aliquid de eo ultra non vivat. Sed quis ita sibi subjicere carnem, quis unquam sibi restringere mentem potuit, quis sic manere in carne, ut de carne turpes motus nullos sustineret? Quis ita refrenare cogitationem potuit, ut ad eam immunditiarum obscuritas per cogitationem nulla perveniret? Sed si de carne non tollitur turpitudo motionis, tamen turpitudinis robur enervatur, cum motus quidem simplex in carne est, sed in motu pruritus libidinis nullus est. Hic quidem motus Amalechita non est, quia menti non lambit quam oblectare non poterit. Non potest tolli menti, quod aliquo modo immunda non videat, sed in mirabilem usum puritatis deducitur, ut immunda videns, nulla delectationis labe maculetur. Quisquis ergo sic præest carni, quisquis sic mentem regit, ideo præest, ideo regit, quia Amalech cuncta demoliri fortiter potuit. Sed jam quæ sunt ejus universa subsequenter exponit, dicens:

(Vers. 3.) **343** *Non parcas ei, et non concupisces ipsius aliquid; sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum, et lactentem, et bovem, et asinum, et ovem, et camelum.*

6. Quis est hic qui parcit Amalech, nisi qui aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne lasciviæ aliquid retinet? Nam plerique turpitudinis opera non exercent, sed linguam a turpi locutione non cohibent. Plerique per opus luxuriam vitant, per cogitationem non vitant. Quidam nihil turpe agunt, sed quod actu refugiunt corde concupiscunt. Parcit ergo Amalech qui blandimenta lasciviæ, aut in locutione, aut per intentionem, aut per cogitationem tenet. Dicit itaque: *Non parcas ei*, quia de tam nequissimo vitio nihil accendi

[a] Gilot., *extollitur.*

debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Dicat ergo : *Non parcas ei*, ut omnes libidinosi motus, omnes obscenæ locutiones prorsus perimantur in corpore. Dicit ergo : *Non concupisces ipsius aliquid* ; ut penitus eradicetur a cogitatione. Quid enim est libido, nisi ignis? Et quid de carne, et mente exortæ virtutes, nisi flores? Quid item turpes cogitationes, nisi paleæ? Quis etiam nesciat, quia si in paleis ignis negligenter exstinguitur, ex parva scintilla quæ remanet, omnes paleæ accenduntur? Qui ergo virtutum flores in mente non vult exurere, ita debet libidinis ignem exstinguere, ut per tenuem scintillam nunquam possit ardere. Carnalium etiam cogitationum stipulas auferat, ne dum is, qui exstingui non potest, calor naturalis accenditur, virores virtutum, qui per se accendi nequeunt, quasi per admixtas paleas exurantur.

7. Quid est ergo : *Non parcas ei, et non concupisces ipsius aliquid*, nisi quia luxuria omnis in carne perfecte domanda est, et a mente radicitus extirpanda? Potest etiam intelligi : *Non parcas ei, et non concupisces ex eo aliquid*, quia et viri, et mulieres, parvuli et lactentes interfici præcipiuntur. Nam mulieres concupisci poterant, parvuli et lactentes ad misericordiam provocare. Qui ergo sunt viri interficiendi, quæ mulieres, qui parvuli, qui boves, quæ oves, qui cameli, qui asini, subtiliter considerandum est. Qui enim sunt Amalechitæ viri, nisi suadentes motus turpitudinis? Viri etenim sunt, quia violenter suggerunt, et corruptis mentibus semina pravitatis infundunt. Mulieres sunt mentis concupiscentiæ, quæ prædictis motibus ad fetus impios subministrantur. Sed et parvuli, et lactentes qui sunt, nisi qui de Amalechitarum virorum et mulierum commixtione generantur? Nam si motus malæ suggestionis, quasi adulter in mente recipitur, concupiscentia quasi meretrix impregnatur. Ipsa ergo concupiscentia, si nefarium effundere partum sinitur, libidinum motus jam non solum mente, sed etiam in carne generantur. Qui dum nascuntur parvuli sunt, quia adhuc carni violentiam movendo non inferunt. Lactentes vero sunt, cum tenui et negligenti cogitatione nutriuntur. Qui enim jam libera cogitatione motus turpes in carne reficit, non jam lac parvulis, sed cibum adultis impendit. Lac ergo parvulorum Amalechitarum tenuis est cogitatio immunditiæ, quia si motus turpis per cogitationem non pascitur, quasi negato sibi lacte, parvuli necantur. Quod profecto lac meretrix mater porrigit, quia dum ardor concupiscentiæ mentem prævenit, quasi ex pessima cordis ubertate agitatur, ut pejores motuum soboles in carne nutriantur. Quid vero in bove, nisi consilium fraudulentum **344** accipitur, quod exemplo veterum carnis voluptatem suggerit, qui inter carnis opera omnipotenti Deo placuere? Nam quasi discretionis vomere scindere terram cernitur ; sed si ex deliberatione suscipitur, jugo turpitudinis colla miseræ mentis illaqueat, quem per simulationem gestat.

8. Ovis autem nomine innocentium vita significatur. Unde electi omnes Redemptoris nostri voce oves nominantur, cum dicit : *Oves meæ vocem meam audiunt* (*Joan.* x, 27). Quæ est ergo ovis Amalech, nisi simulatio innocentiæ? Nam quidam dum et ipsam formam humani corporis, et proprietates sexus utriusque, dum insitam libidinem membris considerant, quasi naturali bono se hoc posse uti licenter putant. Quasi ergo ovis Amalechita est, quando continentibus illud quasi bonum suggeritur, quod vere bonum non esse liquido comprobatur. Quid etiam in camelo signatur? Sed camelus ruminat, et ungulam nequaquam findit. Quid ergo in camelo signatur, nisi cogitatio quædam luxuriæ, quæ quasi a ratione incipit, sed per discretionem non finitur? Nam dum cogitat, quasi intus camelus ruminat, sed dum quod cogitat per veritatem non disponitur, ejus ungula dividi non videtur. Nonnulli etenim continentiam professi, dum a carnis concupiscentia superantur, in conjugali vita salvari posse confidunt. Quidam et dum apostoli licentiam audiunt : *Unusquisque suam uxorem habeat et unaquæque suum virum* (*1 Cor.* VII, 2), sine discretione personarum omnes in hoc præcepto concludi, et sacrorum ordinum viros conjugali copula uti posse fatentur. Hujusmodi enim sensus Amalechita camelus est, quia quasi ex ratione incipit, sed ad irrationabilem vitam trahit. Quid ergo asinus, nisi aperta nequitia fornicationis accipitur? Quosdam enim diabolus in apertum chaos fornicationis invehit, quibusdam per fraudes illudit. Asinus etiam aliena onera portare consuevit. Doctor vero gentium dum virum sui corporis potestatem non habere, sed mulierem docuit, item : *Nec mulierem sui corporis habere potestatem, sed virum* (*Ibid.*, 4), quid aliud quam aliena onera eos portare jussit? Asini ergo nomine robur conjugalis copulæ designatur, quia electi conjuges invicem onera sua fortiter portant, [a] ne per carnis infirmitatem in fornicationis baratrum remissius corruant. Asinus ergo interficiendus est, sed Amalechita, quia copula conjugalis in honestate thalami roboranda est, sed a turpitudine interficienda. Debent quidem conjuges debitum sibi invicem reddere, sed turpiter convenire non debent. Asinus ergo Amalech interficitur, cum in bonis conjugibus charitas tenetur honestæ copulæ, sed omnis obscenitas vitatur in turpi conjunctione. Omnia igitur Amalech demoliri jubentur, quia qui caste proponunt vivere, de blandimento carnis in se aliquid retinere non debeant. In carne quidem esse debent, ut bona per carnem agant, sed sic debent a carnis voluptate per mentis sublimitatem discedere, ut contumelias de carne non tolerent. Tales quidem eos esse volebat, quibus Apostolus loquebatur, dicens : *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9). Sed qui Amalech delere præcipitur, quibus adjutoribus ad hæc sufficiat attendamus. Nam sequitur :

(Vers. 4.) *Præcepit Saul populo, et recensuit eos quasi agnos.*

9. Agnorum nomine solent viri magnæ prudentiæ

[a] Gilot. et Vatic., *ut*.

designari. Unde per Joannem dicitur : *Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentia nomen ejus, et* **345** *nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis* (*Apoc.* XIV, 1). Qui enim nomen Agni assumpserant, agni dicebantur. Ipsos etiam exponens, ait : *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* Quid est ergo, quod cum Amalech deleri præcipitur, quasi agni regis milites recensentur, nisi quia cum fornicationis spiritum delere prædicando volumus, perfectorum exempla producere debemus? Quotquot enim pudicitiæ gloria insignes sæcularibus convertendis ostendimus, velut tot milites quasi agnos recensitos ad Amalech bella portamus. Possunt autem horum recensitorum nomine ipsi ministri divinæ prædicationis intelligi. Quasi agni ergo sunt, quia per gloriam perfectæ pudicitiæ, jam illis virginibus cum Christo in regno gaudentibus similantur. Quibus profecto verbis ostenditur, quia qui prædicationis ministerium sumunt, præcipuo castitatis fulgore ante decorandi sunt, quia si per incontinentiam defluunt, continentes alios facere nequaquam possunt, et ad tantæ lucis bonum provocare non prævalent, qui ejus radios in propriæ conversationis fulgore non habent. Bene ergo dicitur : *Recensuit eos quasi agnos*, quia pudicos valde esse eos oportet, qui fornicationis effugare spiritum per accepti ordinis potestatem debent. Unde in Evangelio eis Dominus dicit : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35), ut verbum prædicationis subditi audiant, sed eos ad bonum castitatis, quod audiunt, exempla lucidissimæ conversationis trahant. Unde bene perfecto numero designantur, cum subditur :

(Vers. 3.) *Ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda.*

10. Peditum nomine electi figurantur, non cum alta prædicant, sed cum per bona exempla cœlestis itineris rectitudinem aliis demonstrant. Pedites quidem gressibus currunt, quo producere arma volunt. Quid vero sunt exempla castitatis, nisi cœlestium militum terris impressa vestigia? Nam ut vitia libidinum in lubricis feriant, ad cordium eorum tenebras, cum bonorum exemplorum luce festinant, et quasi gressu pervenientes, hostes perimunt, qui postquam per opera cognoscuntur, corda peccatorum ad pudicitiæ bonum trahunt. Cum ergo per exempla castitatis in peccatorum cordibus tenebras immunditiarum destruunt, pedites recte nominantur. Et quia non solum prætextu corporalis munditiæ splendidi sunt, sed etiam luce cordis, ducenta millia esse perhibentur. In centenario quippe, et millenario numero, omnis decalogi summa concluditur. Perfecti ergo viri in ducentis millibus continentur, quia per divinam gratiam tam corporis continentia quam integritate mentis ad summam pudicitiæ arcem pervenere. Tam enim in corpore quam in mente habent perfectionem intentionis. Vel quia non remisse aut negligenter Deo per pudicitiam serviunt, centenarium habent operis, et quia ei servire non desinunt, habent millenarium multiplicationis. Sed fortes et assidui sunt ad continentiam corporis, perfecti et instantes ad circumspectionem cordis perfectione virtutis. Talem quidem etiam viduam Apostolus esse præcipiens, ait : *Ut sit sancta carne et spiritu* (*I Cor.* VII, 34). Sancta quippe carne et spiritu est, si perfectione castitatis qua fulget in corpore, fulgeat etiam in mente. Quod si viduæ tales sunt, quales esse jussæ sunt virgines? De illis namque pluribus, sub unius descriptione dictum est : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato* (*Psal.* XLIV, 10). **346** In eodem quoque psalmo (*vers.* 14) laudatur eadem regina, cum dicitur : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quid est enim vestitus aureus, nisi decor et honor corporis virginalis? Vestitus quidem dicitur, quia foris fulget in corpore, aureus autem, quia præcellit dignitate. Omnis autem metalli species auro inferior est. Sic nimirum omnis pudicitia alia decori virgineo comparari non potest. Quid est ergo quod dicitur : *Omnis gloria filiæ regum ab intus*, si foris esse gloria vestitus aurei prædicatur? Si enim foris est aliqua magna aurei vestitus gloria, intus omnis gloria videri non potest. Quid est ergo, quod omnis gloria intus esse perhibetur, nisi quia et illa, quæ foris est, gloria, cum aliis innumeris intus esse cognoscitur? Aurea enim virginitas non est, si foris est, et intus non est. Quia ergo intus, et foris est, quia eadem splendet in corpore, eadem fulget in mente, omnis gloria filiæ regum intus esse sentiri convenienter potest. Omnis gloria intus est, quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multæ sunt virtutum claritates in mente virginis, sic virgineus splendor asseritur, ut intus omnis gloria prædicetur. Hoc nimirum est, quod subsequitur : *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Fimbriæ enim aureæ sunt claritates a mente nunquam deficientes. Fimbriæ quidem finales vestimenti partes sunt. Quæ idcirco in sponsæ Christi decore laudantur, quia nulla est virtutum gloria, si lucere ante vitæ consummationem desistat. Regina ergo [a] amore dicitur, in vestitu aureo virginitas prædicatur. Sed omnis gloria intus, et in fimbriis aureis, et varietate circumamicta asseritur, ut innumeris virtutibus adjuncta integritas, usque in finem deduci sentiatur. Bene itaque contra Amalech ducenta peditum millia recensentur, quia illi ad debellandos immundos spiritus idonei sunt per exempla castitatis, qui eam tenere didicerunt et in luce operis, et in splendore circumspectionis.

11. Quia item eruditi ac perfecti sunt verbo Dei, decem millium virorum Juda numero demonstratur. Viri etenim sunt fortitudine, Juda autem prædicatione. Juda etenim, confitens interpretatur. Sed denario numero designatur, quia perfectionem doctrinæ per gratiam Spiritus sancti consecuti sunt. Unde

[a] Gussanv. et Vatic., *amor dicitur.*

et Moysi decem legis præcepta tribuuntur, quæ Dei digito scripta sunt (*Exod.* xxxi). Quid est enim digitus Dei, nisi Spiritus sanctus? Qui cum legem scripsit, hanc utique in decem præceptis edidit, quia etsi in ea carnale aliquid foris protulit, intus hanc spiritualis intelligentiæ perfectionem signavit. Decem millia igitur virorum Juda contra Amalech producenda sunt, ut fornicationis spiritus apti viribus superetur. Lambit quippe suggestione, quia levia et blanda consulit, sed res quas lambendo consulit, per cogitationum phantasias ostendit. Ergo ut mens obscena sibi a dæmonibus ostensa non videat, electorum exempla revelanda sunt. Et ut eam suggestionibus turpibus immundus spiritus delinire non possit, lingua prædicatorum debet per pudicitiæ laudem tangi. Lingat hanc prædicator, ut malignus spiritus lingere nequaquam possit. Et hanc verbis oblectet, ne cui cœlestia desunt, hanc diabolus per suggestionum oblectamenta dilaniet. Contra duplex ergo bellum cordis, quia duplex est necessarium bonum auxilii, bene contra Amalech et pedites, et viri Juda parari perhibentur. Si quis autem alios per pedites, alios per viros **347** Juda vult intelligi, sensus aperte veritatis patet, quia summi doctores habent, qui docere nesciunt prædicatione, prodesse autem valeant opere. Sed jam recensiti ad tanta prælia audiamus qua arte subsequenter dimicent. Sequitur :

(Vers. 5.) *Cumque venisset Saul* [a] *usque ad civitatem Amalech, tetendit insidias ad torrentem.*

12. Quis hic torrens est, nisi ille de quo per Psalmistam dicitur : *De torrente in via bibit* (*Psal.* cix, 7)? Torrens quippe decursum nostræ mortalitatis designat. Saul ergo in torrente insidias tendit, quando prædicator Ecclesiæ æternis præmiis considerationem nostræ mortalitatis inserit. Ut enim lubricas animas quasi per fraudem capiat, modo cœlestia loqui inchoat, sed repente ad exponendam æternarum pœnarum acerbitatem convertitur, ut securæ in carnis delectatione mentes terreantur. Quasi enim per fraudem educit, per insidias percutit, dum læta loquens ad audiendum provocat, et mortis [b] tristia inserit, ut audiant lubrici quod expavescant. Saul ergo ad Amalech civitatem venit, cum doctor munita per illicitum amorem corda peccatorum dulcedine æternæ jucunditatis attrahit. Sed insidias ei in torrente abscondit, quia mortis considerationem inducit, ut quasi ex insidiis erumpentem contra se militem peccator videat, et dum se velociter moriturum considerat, moram peccati tendere ultra pertimescat. Sequitur :

(Vers. 6.) *Dixit Saul Cyneo : Discede ab Amalech, ne forte involvam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum* [c] *ascenderent de Ægypto.*

13. Quis est Cyneus, qui cum Amalech habitare cognoscitur, qui et discedere cogitur, ne cum eo pariter involvatur? Sed fortasse hic ille est, de quo dicit Apostolus : *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro* (*I Cor.* vii, 3). Cui etiam nomen convenit, quia Cyneus, possidens dicitur. Qui profecto conjugati, quia conjugio obligati sunt, relinquere omnia non coguntur. Quid est ergo quod Cyneo dicitur : *Discede ab Amalech*, nisi quia his verbis in conjugibus omnis obscenitatis turpitudo damnatur? Cum Amalech quidem conjuncti sunt, qui meretricio more junguntur. Quos discedere ab Amalech doctor præcipit, cum ad honestatem conjugalem eos revocare contendit. Quasi dicat : Si continere ab invicem non potestis, honorabile connubium vobis sit, et thorus immaculatus. Ab Amalech itaque discedere, est conjuges seipsis uti, non ad turpitudinem meretriciæ obscenitatis, sed ad temperantiam honestatis, et ad fructum propaginis. Unde et idem doctor egregius de vidua, quæ juxta ejus consilium sic permanere non potest, dicit : *Quod si se non continet, nubat tantum in Domino* (*Ibid.*, 9). Non in Amalech, sed in Domino; ut quæ a nuptiis abstinere non prævalet, obscenos gestus in fœdere nuptiarum vitet. Cui etiam comminatur, dicens : *Ne involvam te cum eo.* Involvi peccatoribus est æterna pœna damnari. Unde et de nequam servo in Evangelio Dominus dicit : *Ligatis pedibus, et manibus, projicite in tenebras exteriores* (*Matth.* xxii, 13). Modo ergo prædicatores auditores reprobos non involvunt, quia etsi verbum contemnunt, redire tamen ad pœnitentiam donec vivunt, cum volunt, possunt. Instanter ergo conjugibus conjugalis honestas imperanda est, quia valida mulctatione dicitur : *Abite*, **348** *recedite absque læsione. Discede ab Amalech, ne involvam te cum eo.* Absque læsione quidem nunc, non tunc receditur, quia qui per omnia turpibus similantur, eorum læsionis expertes non erunt. Qui etiam fecisse cum filiis Israel de Ægypto ascendentibus misericordiam dicitur, quia infirmi sanctæ Ecclesiæ filii, dum perpetuæ continentiæ bonum servare nequeunt, conjugii miseratione suscipiuntur. Ab Ægypto quidem ascendunt, quia luxuriæ et fornicationis tenebras deserunt. Et misericordiam a Cyneo suscipiunt, quia conjugii indulgentiam promerentur. Unde et doctor gentium dicit : *Hoc dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*I Cor.* vii, 6). Et quia sancta Ecclesia electis subditis bona quæ loquendo exhibet persuadet, sequitur :

(Vers. 6.) *Et recessit Cyneus de medio Amalech.*

14. De medio quidem Amalech discedit conjunx, de parte non potest, quia etsi gestus vitat turpitudinis, vitare non potest affectum voluptatis. Ignem quippe temperare per honestatem conjuges possunt. De medio igitur Amalech exeunt, quia etsi carnalibus desideriis omnino carere nequeunt, ipsum tamen carnis imperium sub præcepto honestatis vinculo moderantur. Sequitur :

(Vers. 7.) *Percussitque Saul Amalech ab Evilat,*

[a] Deest, *usque* in Gilot.
[b] Gilot. et Vatic., *mortis tristitia.*
[c] Gilot., *ascenderet de Ægypto.*

donec veniret Sur, quæ est e regione Ægypti.

15. Evilat parturiens interpretatur, Sur angustia, Ægyptus tenebræ. Concupiscentia autem peccatum parit. Merito igitur parturientis nomine concupiscentia designatur. Propheta etiam impœnitentis cordis angustias incurrere metuens obsecrat, dicens : *Ne absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum* (*Psal.* LXVIII, 16). Doctor ergo ab Evilat usque Sur Amalech percutit, cum in auditorum suorum cordibus vitia conceptæ delectationis comprimit, et fidem deliberationis. Sur etiam percutit, cum eas mentes videtur ad pudicitiæ amorem trahere, quæ in luxuriæ fetore proposuerant vitam finire. In angustia enim sunt qui capti jam malæ consuetudinis laqueo constringuntur. Et notandum, quia Sur e regione Ægypti esse ostenditur, quia qui in luxuria vitam finire deliberat, modo in interioribus tenebris clauditur a quibus ad exteriores perducatur. Sed etiam liber [a] iste claudatur, ut ad consequentis considerationem per silentium veniamus.

CAPUT II.

1. Rex Saul, qui principia bona habuit, sed in bonis quæ cœperat nequaquam perseveravit, per sacræ Historiæ textum ostenditur, ut in eo imitanda et cavenda videamus. Sic nimirum et male cultas segetes carpimus, quæ ad messionem spinis admixtæ consurgunt. Bene quidem eas legere novit, qui sic curat spicas carpere, ut spinas studeat evitare. Sic dum horti cura negligitur, cum olere quod reficit nascitur vicia quæ pungit. Quasi enim male cultos agros ingredi caute discipulis præcipiebat Dominus, cum dicebat : *Super cathedram Moysi sederunt principes et Pharisæi. Quæcunque dixerint vobis, facite ; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 2). Quasi dicat : Quia mista sunt acta, et verba reproborum, sic utendi sunt, ut in eis sumatur quod vivificat, vitetur quod necat. Hinc iterum prænuntians, dicit : *Venient ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII, 15). Hucusque ergo **349** regem Saul strenue regni curam gerentem, libenter attendimus, contemptorem jam Dominicæ jussionis, in quo vitari et abjici debeat subtiliter videamus. Nam sequitur :

(Vers. 8, 9.) *Apprehendit Agag regem Amalech vivum, omne autem vulgus interfecit in ore gladii. Et pepercit Saul et populus Agag, et optimis gregibus ovium, et armentorum ; et vestibus, et arietibus, et universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt.*

2. Verbum Domini fuit : *Nunc vade, et percute Amalech, et demolire universa ejus. Non* [b] *parcas ei, et non concupisces ex eis aliquid.* Aperte ergo transgressor per inobedientiam exstitit, quia implere præceptum Domini per superbiam recusavit. Dominus quidem prophetæ præcepit, dicens : *Ne parcas ei, et non concupisces ex rebus ipsius aliquid.* Hic vero et A pepercisse, et omnia electa ejus concupisse ostenditur : ut, dum transgressionis modus ostenditur, quam sit detestabilis inobedientiæ culpa monstretur.

3. Quod si carnis bella describimus, magnos esse lapsus regios invenimus. Unde et Dominus in Evangelio dicit : *Si sal evanuerit, in quo salietur ?* (*Matth.* v, 13.) Reges vero Ecclesiæ, ejus sunt prædicatores, sicut supra jam ostensum est. Quis ergo est Agag rex Amalech, nisi sensus carnalis? Nam cum ex anima rationalitatem ac sensualitatem habeamus, rationalitas menti, sensualitas carni adscribitur ; et per illam cum angelis, per istam cum brutis animalibus convenimus. In illa quo altius extollimur, supernis civibus appropinquamus. Per istam vero quo ad carnis blandimenta dilabimur, carnaliores, ut ita B dixerim, invenimur. Unde et visis et concupitis jam filiabus hominum, jam impletis in luxuria voluptatibus, de his qui puritatis merito filii Dei vocabantur, in Genesi Dominus minatur, dicens : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, eo quod caro sit* (*Genes.* VI, 3). Caro quippe homo efficitur, quando sensui carnis ratio subjugatur. Rex ergo Amalech vigor est sensus carnalis, qui motibus turpibus imperat, ut captivam rationem ad illecebras obscenitatis trahat. Bene autem carnali sensui nomen congruit Amalechitæ regis. Agag quippe, meditans, sive loquens interpretatur. Meditari quippe ei est, phantasmata lasciviæ interna meditatione colligere. Et loqui ei est carnem motibus turpibus ad libidinem excitare. Quasi enim magnum clamorem locutionis habet, quia carnem pulsando ardentius commovet. C Nam et meditando colligit quod loquendo exponat : quia unusquisque carnali sensui subditus, quo liberius lasciviæ simulacra intus conspicit, eo validiores motus turpitudinis foris sentit. Meditatur ergo per internam visionem turpitudinis, loquitur autem per exteriorem motum delectationis. Rex ergo Amalech loquens et meditans dicitur, quia illis labentia blandimenta carnis excitare potest, quibus per turpes cogitationes illudit, et quos per experientiam blandæ motionis erudit. Sed notandum, quia quo liberius meditatur, eo et liberius loquitur : quia carnem eo fortius commovet, quo causas suæ commotionis intus impressas per cogitationem tenet. More etenim ignis quo attentius insufflatur, eo magis accenditur : D quia si flatus immundæ cogitationis deest, ardor libidinosæ commotionis adesse non potest. Rex ergo Israel contra Amalech regem pugnat, cum doctor Ecclesiæ contra fornicationem disputat. Quem victum capit, quando ad veniam **350** conversos peccatores non solum pœnitentes, sed etiam confitentes accipi. Quasi ergo Amalech regem jam vinctum tenet, qui carnalem sensum, in conversis peccatoribus per amorem pudicitiæ, jam rationi subjectum videt. Sed quid est quod vinctus vivit, nisi quia nonnulli sunt qui propriis passionibus non moventur, sed, auditis alie-

[a] Forte hic liber quintus absolvitur, et sextus inchoatur, adeoque caput præcedens libro quinto debetur. A communi tamen Editorum omnium divisione recedere non licet, nullis Mss. nobis prælucentibus.

[b] Gilot et Vatic., *non parcas eis.*

nis obscenitatibus, moventur ? Pugnantes fortes sunt, sed victores cadunt. Qui enim expugnatum regem vivum servavit, liquet quia in ejusdem belli triumpho capti sibi regis persona placuit.

4. Quid vero aliud faciunt, qui ab aliis peccatorum confessionem recipiunt ? Nam dum cogitant, quæ confitentes fecerunt, ad scelera, quæ audiunt, inardescunt ; nam sæpe dum audiunt, quibus se alii blandimentis obruerant, amare ipsi incipiunt, quæ jam eorum exhortatione morientes illi confitentur. Jam ergo in urbe sua victus et captus est Agag, sed a victore servatur, cum quod detestatur a subditis, diligitur a prælatis : quia carnalis sensus in eis vigere incipit, qui in illis vigorem iniquæ dominationis amisit. Et quia dum pastores currunt ad præcipitium, subjecti comitantur ; rex vivum Agag cepisse dicitur, sed idem rex, et populus eidem regi, et quibusque Amalech optimis pepercisse memorantur. Parcere enim, affectæ mentis est, amore ejus cui parcit. Quod certe libidinis vitio convenit : quia ut placere incipit, mentem in sui amorem trahit. Quia etiam vehemens est virtus illius, statum habere non novit : quia nimirum cito perficit, si a se hanc cito evigilans animus non expellit. Nam dum mentem invadit, se per innumeras turpitudinum cogitationes spargit. Unde et bene optimis gregibus et armentis, et Saul et populus pepercisse memorantur. Cogitationes quidem libidinum greges, et armenta dicuntur : quia et innumeræ sunt, et de contemplatione immunditiæ in reprobo corde pascuntur. Optimi etiam sunt, non probatione bonitatis, sed appetitu eligentis. In corde etenim reprobo, quia nihil diligitur charius, optimi greges dicuntur, quibus alia nulla comparantur. Sed optimi dicuntur pro cæcitate cordis, armenta vero pro reatu transgressionis. Reprobis quippe mentibus magnum non est, immunda cogitare ; sed coram Deo [a] parvum non est, in templo Dei, hoc est in regenerato spiritu immunda reponere. Parcit ergo non solum ovibus, sed armentis : quia qui per amorem libidinis, quasi parvas immunditiæ culpas aspicit, quasi parvis modo parcit, sed merita pœnarum parva non invenit. Possunt autem ovium nomine leviores luxuriæ cogitationes intelligi, armenta vero fortiores et molestiores. Quibus utique rex et populus parcit, cum reprobus doctor, et subditi tam levibus quam fortibus immundæ cogitationis vexationibus substernuntur. Quid vero est parcere vestibus, nisi damnatæ jam menti immunda deliberare ? Si enim aureus vestitus sponsæ virginalis gloria est, quæ sunt vestes Amalech, nisi fœda inquinamenta luxuriæ ? Sed vestimenta dicuntur : quia eorum velamine tam anima, quam corpus inficitur. Quia enim animam fœdat et corpus perpetratio luxuriæ, non vestis, sed vestes nominantur. Sed, ut dixi, parcere deliberare, per affectum mentis immunda diligere est. Infelix vero anima sic capta, sic illaqueata, quia miris impulsionibus ad deliberatam pravitatem perpetrandam cogitur, bene post oves, armenta, et vestes, arietibus pepercisse memoratur. **351** Quasi enim arietum cornua sibi in lenes libidinum ictus placent, qui hoc in se unum retinere nititur, unde ad immunditiæ mortem perforetur. Arietibus ergo parcit, qui præcipitationis suæ ictus gratanter recipit. Pungitur quippe, ut carnis suæ desideriis serviat ; sed quod se fortiter pungit, leviter oblectat. Quia item per innumeros modos obscenitatis mentem libido [b] illicit, non solum bis nominatis rebus, sed omnibus, quæ pulchra erant, pepercisse memorantur. Omnia quæ sibi immunda anima de luxuriæ voluptate [c] gratanter fingere cernitur, Amalech pulchra nominantur. Appetere hæc quippe nullatenus posset, si vehementer sibi eorum species non placeret.

5. Sed quia casus victorum asseritur, dicitur: *Nec voluerunt disperdere ea.* Quasi dicat : Potuissent disperdere, si voluissent. Nam nil facilius, quam libido vincitur, si omnis immunda cogitatio devitetur. Tanto igitur facilius disperdi potest, quanto unusquisque cogitare alia quam carnis oblectamenta potest. Quia enim duas simul res imaginari non possumus, dum quidquid est, aliud cogitamus, cogitare immunda non possumus. Celer ergo et facilis victoria libidinis, est circumspectio cogitationis : si quoties carnalia obviant, ad aliquid omnium recurramus, quod libidinis non sit blandimentum. Hoc quidem facile stantibus, non lapsis facile dixerim : quia qui perpetratione peccati immundi spiritus servus efficitur, nec carnis cogitationes libere potest vitare, nec ad alias cito recurrere. De victoribus ergo dicitur : Noluerunt ea disperdere, qui potuerunt, quia ante casum a liberis facile peccata vitantur ; sed si nolunt vitare, cum possunt, postea non possunt, si volunt, quia perfecte velle non possunt. Quibus utique per se Veritas dicit : *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Quasi dicat : Quia sponte liberi esse desistis, potestatem adipiscendæ libertatis in vobis jam non habetis. Quid vero est, quod dicitur : *Quidquid vero fuit vile et reprobum, hoc demoliti sunt*, nisi quia nonnulli majorum delectationum usu, minores fastidiunt? Reprobum quidem et vile eis est, quod electione eorum quæ magis placent, vilipendunt. Quia enim delicatiora peccata expetunt, quædam reprobant ; et quia pretiosiora peccata approbant, vilia minora putant. Bene ergo dicitur : *Quidquid vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt.* Quia delicatiora peccata eligunt, et quæ minus placent, quasi inepta reprobant et velut vilia contemnunt.

6. Ista vero omnia moraliter intellecta, libidinum pugnas atque victorias ; sed ad historiam, superborum et inobedientium tumorem designant. Nam præceptum a Domino Saul fuerat, ut Amalech sic deleret, ut alicui eorum non parceret, nihilque concupisceret. Qui ergo et regi Amalech pepercisse, et optimis quibusque rebus asseritur, superbus et inobe-

[a] Vatic. et Gilot., *peccatum parvum.*
[b] Vitiose in Vatic. et Guss., *illicite.*
[c] Corrupte in Guss. et Vatic., *gratantem.*

diens aperte monstratur. Sed fortasse præceptum contempsit : quia hoc a propheta, non a Domino audivit. Qui certe sic prophetam audire debuit, ut auctoritatem attenderet, quam præmisit. Nam præceptaturus propheta, ut Amalech regem percuteret, præmisit dicens ; *Hæc dicit Dominus;* ut præceptum quod per hominem audisset, quasi hominis despicere non auderet. Ne iterum ministerium ejus rex elatus vilipenderet, item præmisit, dicens : *Me misit Dominus ungere te in regem.* Quasi dicat : Per illum tibi Dominus regale ministerium præcipit, per quem te in dignitatem regiam **352** sublimavit. Tanto igitur humilius obedire debuit, quanto hunc esse a Deo missum apertius agnovit. Sed dum missum prophetam sprevit, mittentem pariter Dominum contempsit. Unde subdit :

(Vers 10, 11.) *Factum est verbum Domini ad Samuelem, dicens : Pœnitet me, quod constituerim regem Saul ; quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit.*

7. Ille prophetæ verba se non audire credidit, sed Dominus se derelictum conqueritur, dum verba sua opere non impleta ostendit. Nunc Ecclesiæ Dominus loquitur, dicens : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x, 16). Qui ergo per inobedientiam a prædicatorum verbo discedunt, Dominum derelinquunt : quia ab illis recedunt, per quorum ministerium divinæ voluntati præsentes fiunt. Verba Domini tunc opere non implent : quia foris homines loquuntur, intus vero in hominibus Deus loquitur. *Non ergo ipsi sunt qui loquuntur, sed Spiritus sanctus* (*Matth.* x, 20). In prædicatoribus ergo contemnenda non est foris vilitas carnis, quorum mentes tam dignanter incolit sublimitas deitatis. Quid est ergo, quod pœnitere Dominus dicitur, cum mutari affectibus non credatur? Sed quia cum mutabilibus summa immutabilitas loquitur, more eorum, quibuscum loquitur, dum pœnitere dicitur, displicere sibi superborum temeritas designatur. Pœnitere enim solemus, cum mala nobis illi retribuunt, quibus nos honores aut dona impendisse memoramus. Quia ergo more nostro omnipotens Deus de superbi regis ingratitudine queritur, dignitatem regiam contulisse se illi, pœnitere perhibetur. Quod profecto ad cumulum magnæ damnationis de superbis dicitur : quia quod sunt, jam non ad meritum, sed ad pœnam sunt, quia in voluntate Dei non sunt. Pœnitere ergo Dei, est voluntatem in reprobis non habere, cum a se honores impensos meminit, sed eos quibus bona contulit, male uti bonis quæ contulit, agnoscit. Hanc quippe pœnitentiam suam Deus verbis aliis per Malachiam prophetam Judæis insinuat, dicens : *Non est mihi voluntas in vobis, et sacrificium non suscipiam de manu vestra* (*Malach.* I, 10). Quantum ergo cavenda sit inobedientiæ culpa cernimus, si his verbis Domini, quam districte peroutitur, attendamus.

8. Nos autem in bello Amalech fornicationis pugnam descripsimus, qui nobis omnino deleri per sacra eloquia jubetur. Merito igitur de lapsis in carnis bello doctoribus intelligi potest, hoc quod Dominus queritur, dicens : *Pœnitet me, quod constituerim regem Saul : quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit.* Verbum quippe ejus præceptum prædicatoribus est : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35). Qui ergo verbum in prædicatione habet, et in præcinctu castitatis non habet : loquendo, Dei esse cernitur, sed operando, Deum derelinquere probatur. Foris divina exsequitur, sed occulte, dum in carnis voluptate resolvitur, verba Domini opere non implere declaratur. Dominum quippe dereliquit, mala proponendo ; verba ejus non implet, prohibita præsumendo. Bene ergo dicitur : *Pœnitet me, quod constituerim regem Saul.* Quasi dicat : Quem præesse aliis tunc volui, modo nolo : quia quem humilem prætuli, nunc superbientem et elatum transgressorem cerno. Quod nimirum de quibuslibet lapsis non dicitur ; sed de his quorum lapsus ostenditur, et pœnitentia nequaquam prævidetur. Nam de justorum casu scriptum est : *Septies in die cadit justus,* **353** *et resurgit* (*Prov.* XXIV, 16). Eorum certe casus quodam modo status eorum est : quia aliquando permittuntur cadere, ut semper valeant fortius stare. Permittuntur ut in malis corruant, ne summa virtutum dona per elationem perdant. Hi profecto, etsi verba Domini quandoque non implent, a Domino non recedunt : quia ad tempus relinquuntur, ut æternaliter teneantur ; et in modico desipiunt, sed post modicum resipiscunt. Dum ergo Saul non solum verba Domini opere non implesse reprehenditur, sed ipsum Dominum reliquisse, quos melius, quam lapsos, et impœnitentes significat? De quibus profecto per prophetam dicitur : *Percusserunt fœdus cum morte et inferno* (*Isa.* XXVIII, 15). Cum morte quidem fœdus percutere, est mala audacter perpetrare, et ea semper agenda promittere. Mala quippe indesinenter faciunt, sed diligendo quod faciunt, quasi a mortis amicitia se nunquam recedere pollicentur. Hi quippe in mortis fœdere quanto insensibiliores fiunt, viscera matris Ecclesiæ tanto acrius miserando quatiuntur. Unde bene subjungitur,

(Vers. 11.) *Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte.*

9. Samuel quidem contristatur, quia de perditione subditi summus prædicator affligitur. Et tota nocte ad Dominum clamat, quia pro restitutione lapsi divinam misericordiam devotis precibus obsecrat. Clamare quippe doctori, est pro peccatis subditorum magnis desideriis omnipotentis Dei misericordiam postulare. Qui tota nocte clamat, cum per affectum totam illius peccati caliginem suscipit, et pro ea, quasi pro proprio crimine, Deo pœnitens satisfacit. Tota ergo nocte prædicatori clamare, est totam subditi causam suscipere, et omnem caliginem peccati illius, devotæ compunctionis affectu destruere conari. Sed quid est, quod clamasse dicitur, et Dominum non respondisse, nisi quia ea quam dixi cordis impœnitentis caligo, in illa pro qua clamat, Saul

culpa signatur? Responderet quidem Dominus, si vocem clamantis exaudiret. Sequitur :

(Vers. 12.) *Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem.*

10. Quidnam est peccatoris vita, nisi nox? Et quid justi lux aliud, quam dies? Unde et per Paulum conversis peccatoribus dicitur : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). De nocte autem prædicatori surgere, est ab alienæ culpæ susceptione affectum mentis erigere. Quasi enim in nocte jacet doctor quando alieni peccati tenebras luget, quia ab alta innocentiæ suæ securitate deponitur, ut in imo alienæ considerationis peccatorum caligo destruatur. De nocte ergo surgit, cum ab afflictione se erigit; et mane ad reum venire disponit, quia occulte per compassionem plangit, et aperta increpatione per zelum percutit. Nocte etiam luget doctor, sed mane ad arguendum venit; quia intus peccantem subditum diligit, sed palam errantem arguere nequaquam erubescit. Quasi enim mane lucescit, cum doctor aperire crimen, quod latet, incipit. Quid ergo est, quod in Carmelum venisse, et fornicem sibi triumphalem erexisse, is ad quem venit asseritur, nisi quia profectus mali liquido prædicatur? Post inobedientiæ quidem culpam, triumphalem arcum, vel fabricam erigere, est mala agere, et de eorumdem malorum perpetratione superbire. Quasi enim triumphalia signa erigunt, **354** quando cum quadem ostentatione ea proferunt, quibus aliis se excellere arbitrantur. Quod certe tam arrogantibus quam lubricis doctoribus convenit. Illi quidem, dum magna dicunt, se in sublime æstimationis erigunt; et quales se intus aspiciunt, per jactantiam et ostentationem foris innotescunt. Cumque et illud, quod per se alii proficiunt, ad favorem propriæ laudis trahunt, quid aliud videntur agere, nisi altum victoriæ signum insigni titulo demonstrare? Nonnulli vero et cum turpiter vivunt, et honestissime loquuntur, considerant verborum honestatem, non tamen reputant propriæ vitæ turpitudinem. Cum ergo non rebus operum, sed splendore verborum apparere gestiunt; nimirum triumphalem arcum fabricant, in quo se quasi victores extollant. Et quia turpium verbo, turpes plerique alii resipiscunt, post expugnatum Amalech, eis in Carmelum venire est, et fornicem triumphalem erigere, de exstincta in subjectis libidine, inaniter coram simplicibus gloriari. Carmelus quidem, mollis, sive tener interpretatur. Qui enim teneri hujus nomine, nisi in sancta conversatione rudes intelliguntur? Qui etiam molles vocantur, nisi qui adhuc per usum virtutis non sunt in inchoata bonitate solidati? In Carmelo igitur signum victoriæ erigunt; quia rudibus et debilibus se ostendunt, ne a peritis fortibus, quales in veritate sunt, inveniantur.

11. Hi enim non in verbis, sed in operibus fulgorem victoriæ quærunt; quia arbores non in decore foliorum judicant, sed in sapore pomorum probant. Unde et Dominus docens, ait : *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 20). Quia ergo laudari inaniter appetunt, quia probatissimorum virorum judicia fugiunt, et rudibus ac debilibus aliud quam sunt se esse mentiuntur, Saul in Carmelum venisse et fornicem sibi triumphalem erexisse dicitur. Quid vero est, quod in Galgala transit, nisi quia eo modo, quo se simplicibus et religiosis ostendit, in religiosis et doctis innotescere appetit? Galgala quippe, ut jam multoties dixi, rota nominatur. Quidam vero intra sanctam Ecclesiam et eruditi in sacra Scriptura sunt et religiosi non sunt, quia virtutem Scripturæ, videlicet charitatem, non habent. Qui dum loquentes facundos viros et carnales audiunt, verba quæ sciunt admirantur. Sed discutere non possunt eorum occulta, quæ nesciunt. Bene igitur Saul in Galgala transire dicitur; quia qui favorem de facunda locutione quærunt, id quod cupiunt, non apud eruditos religiosos, sed apud simplices et rudes, aut apud irreligiosos sapientes inveniunt. Sed summi viri cum reprobi bona docent, electis subditis magis timent : ne quos lingua ædificant, manu, id est operatione pervertant. Quia ergo diu in ministerio prædicationis lubrici doctores dimittendi non sunt, apte illatum est :

(Vers. 12.) *Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino, initia prædarum, quæ attulerat de Amalech.*

12. Venit quippe ad Saul, ut superbum deponat, quem humilem ad regni culmen extulerat. Quem qualis erat invenit, non qualem se superbiæ signis ostenderat. Quid est ergo, quod holocaustum Domino Amalech primitias offert, nisi quia nonnulli et prave vivunt, et placere se Deo per aliorum profectum arbitrantur? Et quia non parum placere credunt Deo quod offerunt, non sacrificium aut victimam, sed holocaustum offerre perhibentur. Initia vero prædarum dicuntur, ut in Samuele summi **355** et electi antistitis vigilans studium designetur, a quo malorum principia velociter comprimuntur. Quasi dicat : Valde festinus occurrit, quo absente nec initium holocaustorum habere liberum potuit. Possunt initia prædarum intelligi electa quæque de prædis. Quæ aperto ore lubrici, sed occulta cæcitate percussi offerunt, quando inde se placere Deo credunt, quod in auditoribus suis ea perimunt, quæ in se vivere permittunt. Quasi enim indiscrete offerentem apertius reprehendens dicat : Illud vivum offerebat, quod melius offerret exstinctum. Nam si juxta verba Domini prædam omnem in Amalech exstinguere ret, holocaustum omnino acceptabile omnipotenti Deo obtulisset. Sic nimirum et doctor lubricus, si cuncta blandimenta carnis, quæ loquendo reprobat, volendo reprobaret, holocaustum combureret, quod reprobari non posset. Quid est ergo, quod dicitur, quia *offerebat prædarum initia, quæ attulerat de Amalech*, nisi quia cæci cordis caligo damnatur, quod sic de eo reputat, quod prodest aliis, ut videre ne-

gligat, quod obest sibi? Quasi dicat : De illo quasi victor gaudebat victor in aliis, quod in se vivum et invictum portabat. Et quia plerumque tam dementer insaniunt, ut etiam ipsis electis et summis prædicatoribus prætextum virtutis offerre conentur. Sequitur :

(Vers. 13.) *Et dum venisset Samuel ad Saul, dixit Saul? Benedictus tu a Domino, implevi verbum Domini.*

13. Verbum Domini fuit, ut Amalech delere debuisset. Quid est autem, quod dicit, *implevi verbum Domini*, nisi quia culpa fornicationis quo fœdior cernitur, eo a reprobis studiosius occultatur? Quia ergo ii, qui eidem fornicationis vitio subjecti sunt, semper latere appetunt, in eorum typo et Amalech Saul demoliri despexit, et ad Samuelem dixit : *Implevi verbum Domini*. Quasi dicat : Et in aliis libidinem domui, et in meipso ejus blandimenta peremi. Et quia blanda adulatione summi viri flectere mentem nititur, præmisit, dicens : *Benedictus tu a Domino*. Quasi dicat : Hoc quidem ego egi, sed agere non meis viribus, sed tuis meritis, et intercessionibus potui. Sed perfecti viri audire laudes suas possunt, a rigore autem justitiæ flecti nequeunt. Quare et subditur :

(Vers. 14.) *Dixitque Samuel : Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio?*

14. Vox gregum et armentorum Amalech, fama turpitudinum est. Quando de minoribus luxuriæ culpis quilibet diffamatur, vox gregum resonare dicitur. Quando item de criminosioribus et obscenioribus accusatur, vox armentorum. Quasi sub falsæ virtutis suæ simulatione reconditum denudet, dicens : Tu te proprio ore justificas; sed immunditiarum tuarum turbæ per omnium ora clamant. Sed jam qui excusationes prætendere cœpit, quibus defensionibus objectæ infamiæ crimen evadat, videamus. Sequitur :

(Vers. 15.) *De Amalech adduxerunt ea. Pepercit populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarent Domino Deo tuo : reliqua occidimus.*

15. Quid est quod ait : *De Amalech adduxerunt ea*, et non dixit, Adduximus? Sed quando reprobi arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquando in alios transferunt. Tegunt quidem negando, cum latere possunt; sed, dum quasi in aperto deprehensi tenentur, quod negare nequeunt, aliis ascribunt. Horum siquidem mores Saul insinuans, **356** ait : *De Amalech adduxerunt ea. Pepercit populus melioribus ovibus et armentis.* Quasi dicat : Malum, quod auditur, ex populi fragilitate pensandum est, non ex virtute pastoris. Peccata quidem subditorum in prælatorum comparatione despicienda sunt. Dicit ergo : *De Amalech adduxerunt ea.* Quasi dicat : Hoc, quod de turpi vita resonat, verum est, sed tamen eadem turpitudo in parvulis viguit, non in magnis. Adhue item eamdem culpam levigans, ait : *Pepercit populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo.* Quasi dicat : Vere peccavit populus, sed non ad mortem; quia peccata operis, jam, me exhortante, delere nititur humilitate confessionis. Greges quippe Amalech, et armenta Domino immolantur, quando lubrici et incontinentes ad confessionem veniunt, et quod nequiter egerunt, pœnitendo delere satagunt. Dicit ergo : *Pepercit populus;* id est, peccato indulsit. *Sed adduxerunt ea, ut immolarentur;* quia in quibus se cecidisse populus recolit, jam se confitendo et pœnitendo compungit. Meliores vero greges et armenta, ut supra, electiora peccata luxuriæ designantur. Quasi dicat : Et si graviter deliquit populus, arguendi non sumus; quia pro magnitudine criminis habet lamenta compunctionis. Quid est, quod ait : *Ut immolarentur Domino Deo tuo?* Sed fallacium per hoc consuetudo ostenditur, qui dum summis viris latere appetunt, adulantur. Quid enim est, quod Deum suum singulariter asserit, nisi quia eum familiarem Dei amicum ostendit? *Domino*, inquit, *Deo tuo*. Non *meo*, sed *tuo;* quia ego peccator, tu singulariter sanctus es. Sed mirabili usu fraudis fallaces sic se tegunt ut proferant, et justificant ut accusent. Accusationis quoque modum sic temperant, ut accusando justi appareant, ne excusando innotescant. Dum enim suum Deum dicit, illum quidem extollit, se minuit. Sed, dum adducta ab Amalech asserit quæ Domino immolentur, tacite profert non unde reprehendi debeat, sed laudari. Et adhuc addens, dicit : *Reliqua vero occidimus.* Occiduntur quidem peccata, quæ dimittuntur. Viva quidem peccata sunt, quæ aut in mente adhuc per concupiscentiam regnant, aut quæ per conversionem contempta, sed per pœnitentiam adhuc non sunt deleta. Illa quidem vivunt adhuc ad voluptatem, ista vivunt ad pœnam; quia etsi jam peccare deseruimus, nisi commissa plangamus, commissorum obligatione retinemur. Sed majora minoribus, leviora majoribus tribuit. Nam quid est, quod dicit : *Reliqua occidimus*, nisi quia sunt parvissima peccata majoribus, quæ sola confessione lavantur? Quæ doctores occidunt, quando humiliter confitentibus apostolica auctoritate dimittunt. His enim verbis omnibus, quia se fallaces tegere nituntur, non prodere, qua electorum prædicatorum auctoritate reprobentur, adjungitur :

(Vers. 16.) *Dixit enim Samuel ad Saul : Sine me, indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte.*

16. Quid est, quod ait : *Sine me, et indicabo tibi;* nisi quia dum fallaces verbositati insistunt, examinantibus prælatis loquendi locum non tribuunt? Quasi dicat : Dum a verbositate non desinis, ea quæ audire debes, loqui me non permittis. Potest etiam hoc verbo adulatoris intentio derideri; qui dum blandimento laudis placere se credit, eos quos laudat, se quasi tenere eisdem laudibus arbitratur. Talo est ergo ac si laudatorem suum electus præsul honesta gravitate derideat, dicens : Qui me laudas, **357** loqui tibi dura non possum. Sine ergo, id est permitte me loqui, et ea quæ sum locuturus intel-

lige. Et quia, ut dixi, placere se laudando adulatores credunt, audire ab eis dura, quos laudant, nequaquam putant. Quasi ergo jam læta et prospera auditurus, subsequitur Saul, dicens : *Loquere.* Sed electi viri, cum laudes suas audiunt, inter fomenta laudis a rigore justitiæ non mollescunt. Nam qui reproborum acta despiciunt, excipere verba nequaquam possunt. Quia ergo flecti laudibus nequeunt, laudatores improbos et subtili ratione discutiunt, et districtis sententiis insequuntur. Unde sequitur :

(Vers. 17-19.) *Et ait Samuel : Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Unxitque te Dominus in regem super Israel; misitque te Dominus in viam, et ait : Vade, interfice peccatores Amalech, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum. Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini?*

17. His quippe verbis superbi regis inobedientia subtiliter examinatur : quia et prius dona collata objicit; deinde audaciam transgressionis per ejusdem culpæ exquisitionem ferit. Subtilis namque examinatio est, quando sic versutus quisque peccator discutitur, ut ei culpæ excusatio nulla relinquatur, ut hunc ad mortem flagitii quasi vinctum Dei sententia teneat, cui peccati confugium nullum restat. Ut ergo omnis via fugiendi fallacibus superbis obstruatur, memorantur ei et sublimitas dignitatis et modus ministerii, cum dicit : *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es : et ait tibi Dominus : Interfice peccatores Amalech?* Et ut circumdatum jam et obsessum ratiocinationibus capiat, manum culpæ injicit, dicens : *Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, et fecisti malum coram oculis Domini?* Quasi dicat : Ecce quid eras, qui factus es, quid debuisti facere, ecce quid fecisti; ecce quantum ab eo, quod debuisti exercere, recesseris. Dum ergo intulit, dicens : *Quare fecisti malum in oculis Domini?* quasi fallacem reum circumdando comprehendit.

18. Sed in hoc loco notandum est quia, dum rex superbus arguitur, electionis ejus tempora memorantur, ut tumor cordis sentiatur, non adfuisse eligendo, sed ex culmine crevisse prælato. A Domino quidem bonus electus est, sed dum crevit ex culmine, decrevit elatione. Dicit ergo : *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es; modo versus ad prædam, fecisti malum in oculis Domini.* Quasi dicat : Per veritatem humilitatis regnum promeruisti, sed nunc prætextu humilis, veritate tumidus regnum perdis. Quid enim sunt oculi cordis, nisi aspectus rationis? Nam qui integros visus rationis habet, perfecte illuminatus est. In oculis ergo suis est humilis, qui se perfecte respicit, et humilem perfecta visione cognoscit. His ergo verbis lapsi regis non solum præterita humilitas, sed etiam rationis acuitas commendatur : quia videlicet tantus erat ratione, ut se perfecte cognosceret; et tantus virtute, ut se subtiliter intuens, vere humilem videret. Quia igitur cum arguitur, ejus præterita memorantur, quid aliud, quam his, quæ habebat, carere describitur? Nam superbire nequeunt, nisi qui prius oculos cordis perdunt. De libidinosis vero valde clarius constat : quia in fornicationis baratro se nunquam obruerent, si a luce intimæ gloriæ non ante caligarent. Qui quia alta **358** pudicitiæ præcepta contemnunt, etiam tumoris arguuntur. Qui ergo deponere præpositum regem venerat, dicit : *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es; nunc fecisti malum in oculis Domini.* Quasi dicat : Superbus modo, et cæcus juste deponeris, qui prius videns et humilis regnum sortiri meruisti. Nam et superbi Pharisæi ab ipsa veritate cæci nominantur, quæ ad discipulos ait : *Sinite eos; cæci sunt, et duces cæcorum* (*Matth.* xv, 14). Quæ utique cæcitas specialiter libidinosis ascribitur, quia nulla sunt vitia quæ spissiores tenebras menti ingerant quam libido. At nunc plerosque videas stetisse clericos, sacerdotes corruisse. Quibus certe per Samuelis imperium dicitur : *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Quasi dicat : Cum in minori ordine illuminato corde pudicitiæ præcepta servaveris : nunc, amissis oculis, in fornicationis baratrum corruisti. *Ad prædam versus es*, quia divina præcepta violenta præsumptione rupisti. Quia enim prohibente, et quasi minis armato et obstante Deo, ad violandum sacrarium castitatis irrumpunt : quasi per rapinam prædæ, Amalech electa ad Domini terram ducunt. Et quia quantum possunt, lubrici prædicatoribus absconduntur, in conspectu Domini malum Saul fecisse reprehenditur. Quasi enim minans et terrens prædicator in carnis voluptate lapso dicat : Crimen immunditiæ hominibus quidem absconditur, sed videnti omnia non celatur. Hæc quidem et his similia cum impœnitentes audiunt, terreri nequaquam possunt. Unde etsi jam ratiocinatione capti sunt, velut angues per lubricum dilabi a tenentis se manibus satagunt. Caudam proferunt, caput abscondunt : quia videntur jam extrema operum, sed earumdem tegitur qualitas actionum. Unde et sequitur :

(Vers. 20.) *Et ait Saul ad Samuelem : Imo audivi vocem Domini, et ambulavi per viam qua misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalech, et Amalech interfeci.*

19. Quasi enim occulta tegens, aliorum discooperta proferens, se lubricus doctor de profectu prædicationis commendat, dicens : De subditorum culpa reprehendi non debeo, sed laudari, quam in delinquentibus prædicando delevi. Amalech percussi : quia fornicationis spiritus in auditorum meorum cordibus linguæ meæ gladio corruit. Rex etsi vivit, adductus est : quia etsi sensus carnis, quandiu sumus in carne, omnino perdi non potest, captus est, ut capi potuit quia prævalere rationi non potest. Ipsos subditos correptos, et peccata confitentes ostendere gestiens, subjunxit dicens :

(Vers. 21.) *Tulit autem populus de præda oves et*

boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolaret Domino Deo suo in Galgalis.

20. Quando armatorum violentia alicujus aliquid proprium tollitur, præda nominatur. Vitia autem carnis et animæ, quia diabolo suggerente propagantur, ejus velut proprium sunt. Quisquis ergo in se nuper remissus, nunc autem violentus vitia destruit, prædam facit ; quia quæ aliena sunt, potenter rapit. Et notandum, quia *cædere* et *præda* dicitur, ut alia mortua relicta, alia viva delata esse doceatur. Cæduntur quidem oblectamenta libidinis, quando virtute supernæ intentionis depelluntur a corde, et contritione spiritus reciduntur a corpore. Sed viva ad immolandum deducuntur ; quia etsi conversione peccatoris, carnis aut mentis delectamentum deseritur, pœna præteritæ delectationis penitus non deletur. Cædantur ergo vitia, **359** primitiæ vivæ ad immolandum nullatenus serventur : ut qui vim peccati in contemptum oblectationum potenter perimit, vivere sibi ad immolandum timeat pœnam delectationis. Primitiæ ergo cæsorum quid sunt, nisi delectationes peccaminum ? Has quidem offerre dicitur, qui coram Deo sacerdotibus confitetur. Et oblata immolantur, quando eorum pœna pœnitendo destruitur. Quasi enim in primitiis cæsa offeruntur, et per posteriora vivunt : quando aliquis peccata confitetur, et immolare, hoc est coram Deo mactare, pœnitendo non nititur. Dum ergo cæsorum primitiæ reservari ad immolandum dicuntur, quorumdam error confunditur, qui peccata deserunt, nec tamen plangunt. Quia ergo non solum confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda, dum boni doctoris Saul typum simulat, subjectos suos cæsorum primitias immolandas tulisse asseverat. Quia etiam ratione scripturarum modus pœnitentiæ decernendus est, in Galgalis primitiæ immolandæ deducuntur. Boves autem non solum, sed et oves ad immolandum servantur : ut qui circa salutem suam solliciti sunt, sic delere pœnitendo magna studeant, ut minora plangere non omittant. De superbis autem manifestum est : quia, cum semper magni videri appetant, notari peccatores erubescunt. Deprehensi etiam resistunt, et in his etiam justi apparere cupiunt, quæ agunt. Quid est ergo, quod ait : *Imo audivi vocem Domini?* Samuel autem dicit : *Sine me, et indicabo tibi, quid locutus sit mihi Dominus nocte.* Et post pauca : *Quare versus ad prædam es, et fecisti malum coram oculis Domini?* Patet ergo, quam mirabiliter tumeat, qui tunc se justificare appetit, quando Dominum se reprehendere de peccato recognoscit.

21. Si vero idcirco sic respondisse creditur, quia verba prophetæ, non Domini esse crediderit, sed prophetæ, videmus adhuc imitatores Saul, qui dum in propria eruditione confidunt, majorum jussa quæ audiunt, et per tumorem despiciunt, et meliorare permutando credunt. Quid est ergo, quod dicit : *Imo audivi vocem Domini, et adduxi Agag regem Amalech?* Sed tale est, ac si dicat : Et quod præceptum fuit, implere studui, et quod minus erat supplevi. Agendum fuit, ut Amalech percuteretur : sed quia, Deo auxiliante, vincitur, supplendum erat, ut quæ in ejus immolarentur sacrificio servarentur. Quod aperte in superbis apparet : quia cum apertam culpa celare non possunt, permutare aut minuere conantur. Quasi dicat : Et si judicas apertas culpas operis, attendenda est occulta simplicitas intentionis. Culpa quidem esset de Amalech aliquid afferre, nisi allata Deo deberent immolari. Hoc quidem sæpe in monasteriis accidit, cum quisque nimis religiosus subditus spiritualium prælatorum imperiis adjicere præsumit ; cum regularem communem vitam despicit, et propriæ sequitur arbitrium voluntatis. Dum enim meliorare vitam eligendo quam obediendo nititur, quid aliud quam apertam inobedientiam intentione virtutis colorare monstratur ? Quem profecto locum non solum subditi, sed etiam prælati intueri subtiliter debent. Subjecti quidem notare subtiliter debent : quia ex eo Saul Deo displicuit, quod Deo immolare præter prophetæ præceptum tentavit. Subtiliter notent prælati, quia demoliendi Amalech propheta regi præceptum dedit. Sic enim debet doctor laudare communia, ut singulorum propria non contemnat. Illa quidem communis vita laudatur, quæ **360** charitate conjungitur, vitiis mediantibus non fuscatur. Apostoli quidem sententia est : *Quia unusquisque proprium donum habet a Deo, unus quidem sic, alius vero sic* (*I Cor.* VII, 7). Quorum ergo cibi et mensa communes sunt, debent attendere non solum commune bonum refectionis, sed proprietatem passionis : ut pariter comedant, sed contra fornicationis stimulos certare per abstinentiam pariter non contendant. Ejus vero caro amplius domanda est, cui carnis stimulus magis infestus est. Jam ergo non excitare communis est vita, ubi communitas refectionis attenditur, sed contra singularem pugnam pugnare singulariter perhibetur. Nec doctor bene præcipit, si non præcipit, unde Amalech percutitur, sed unde vivit. Præcipiat ergo doctor, sed ut fornicationis spiritus superetur. Non obedire subjecti refugiant, sed ubi superbiæ crimen incurritur, non unde baratrum mortis devitatur. Inobedientes autem dum tumenti corde majorum jussa non faciunt, cum meliorare quod eis injungitur conantur, sua opera Deo offerre dum cupiunt, semetipsos tollunt. Nam per alias virtutes nostra ei impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus. Samuel ergo subjungens, ait :

(Vers. 22.) *Nunquid vult Deus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini?*

22. Quid enim sunt bona electorum hominum opera, nisi victimæ et holocausta ? Cum ergo holocausta et victimas per legem offerri Dominus præcepisset, quid est, quod Dominus holocausta et victimas nolle dicitur, velle autem ut ei obediatur pollicetur, nisi quia quæ præter obedientiam fiunt, holocausta et victimæ non sunt ? Quasi dicat : Tunc bona sunt bona opera, quando a præpositorum conscientia non discordant. Si vero hoc ideo dicitur ut virtus obedientiæ commendetur, liquet quam sublime bonum sit, quod

victimis et sacrificiis excellit. Quid est ergo, quod dicitur, *vult ut obediatur voci Domini*, nisi quia omnia bona opera postponenda sunt his bonis quæ jubentur? Nam cum bene prælati jubent, bona quæ ex arbitrio subjecti eligunt, prælatorum imperiis postponuntur. Ipsa vero opera illis postposita, holocausta et victimæ nominantur, ut non solum sentiantur non esse conferenda majorum imperiis minorum parva, sed maxima holocausta quidem eorum sunt, qui se omnino subtrahere volunt a publico opere, ut Deo se totos per amorem combustos offerant in secreto contemplationis. Victimæ sunt eorum qui se a communi publico nequaquam separant, sed singulari virtute agunt, ut virtutes aliorum districtius vivendo transcendant. Hæc quidem, et hujusmodi cum bonorum rectorum permissione aguntur, victimæ et holocausta sunt, quæ Deus probat : cum vero sic fiunt, ut per ea majorum præcepta negligantur, audiant qui offerunt, quid a Domino missus ad inobedientem regem propheta loquitur : *Nunquid vult Deus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci domini?* Quasi jussa patrum velut minora despicientes, et sua quasi majora exhibentes terreat, dicens : Hoc quia magnum agere putatis, parvum, et abjectum despicitis; sed si aperte cernitis, per hoc Domino non placetis. Bene autem, dum superborum opus discutitur, propheta acute exquirit, dicens : *Nunquid vult Deus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini?* Exquirit siquidem, ut superbiæ tumor pastorali auctoritate feriatur. Dicit : *Nunquid vult Deus holocausta et victimas?* Quia qui sequi propriam voluntem **361** eligunt, Deo placere se putant; sed Deus eorum opera, cum magna et ingentia sunt, nequaquam probat. Sed jam quibus laudibus obedientia prædicanda sit subjunxit, atque ait :

(Vers. 22.) *Melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum.*

23. Quia enim superius ait : *Nunquid vult Deus holocausta et victimas?* Nunquid utrumque obedientiæ laudibus subjiciens, dum victimas et arietum adipem posuit, in adipe holocaustum intellexit? Quidquid melius est, bono utique melius est. Illa autem holocausta et victimæ, quas non vult Deus, bona minime sunt. Quid est ergo, quod in obedientiæ laudes dicitur, *Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare quam offerre adipem arietum*, nisi quia tunc obedientia melior est, cum holocaustum et victima mala non est? Quasi ergo superbientes, inobedientesque ad tanti boni considerationem reducat, dicens : Et si nil a vobis per præsumptionem fieret, obedientiæ virtus operibus quæ eligitis melior esset. Liquet ergo, quo sita sit culmine, quam divinis oblationibus propheta vidit altiorem. Quod si, ut supra, spiritualem sensum sequimur, victimæ ad magnæ conversationis austeritatem, holocausta ad compunctionem vitæ secretioris referenda sunt. *Melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre arietum adipem.* Quia longe altioris meriti est propriam voluntatem alienæ semper voluntati subjicere quam magnis jejuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est enim adeps arietum nisi pinguis et interna devotio electoris? Adipem ergo arietum offert, qui in studio secretæ conversationis devotæ orationis affectum habet. *Melior est tamen obedientia quam victimæ, et quam offerre adipem arietum.* Quia qui perfecte voluntatem præceptoris sui implere didicit, in cœlesti regno, et abstinentibus et flentibus excellit. Hoc certe, quia contra superbientem atque aperte Domini mandata contemnentem dicit, non confert bonum quod fecit bono quod contempsit; sed boni simulationem destruit, melioris boni ostensa veritate. Quasi dicat; Et si pro excellentiori virtutum gloria excellens bonum quærebas, bonum obedientiæ, quod excellentibus etiam excellit, eligere potius debuisti. Sic profecto loquens simulationem boni argumentando destruit; sed subjungendo, parens inobedientiæ malum aperte confundit, dicens :

(Vers. 23.) *Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.*

24. Quidnam est, quod ariolis et idololatris, repugnantes, et acquiescere nolentes a propheta [a] similantur, nisi quia arioli divina cognoscere atque absconsa divinare nitebantur; idololatræ autem figmentis se venerando subdidere? Qui autem repugnant prælatorum imperiis, ideo utique repugnant, quia divinam voluntatem se scire melius æstimant. Quasi ergo peccatum ariolandi est repugnare : quia, velut contempto divino altari, ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt, et salubribus prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur. Nolle autem acquiescere, idololatriæ sceleri simile dicitur; quia nimirum in inobedientiæ suæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde, quasi idolum non gestaret. Dum enim agenda in corde concipit, quasi **362** idolum facit, et dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulacrum se inclinat. Quasi ergo scelus idololatriæ est, nolle acquiescere : quia quisquis in propria deliberatione obstinatus est, idcirco foris in majorum contemptum erigitur, quia intus eis quæ fingendo statuit propositi sui simulacris incurvatur. Sed quærendum valde est, cur repugnare ariolandi peccato, et nolle acquiescere sceleri idololatriæ comparatur. Scelus quippe nonnisi magnum peccatum dicitur, peccatum vero etiam quod leve est nominatur; sed si ab ara dicebantur arioli, eo quod responsa percipere consulendo consueverant, idololatriæ peccatum in ejus comparatione scelus erat, quia dementius erat lapides adorare quam sub specie divinorum falsa bene vivendi responsa percipere. Cur ergo repugnare peccatum per similitudinem esse dicitur, acquiescere autem nolle scelus? Sed repugnare est ab imperantis voluntate

[a] Corrupte in aliis editis *simulantur*.

dissidere. Plerique autem ad horam repugnare videntur, dum statim præpositorum imperia non recipiunt, qui tamen eisdem imperiis post modicum acquiescunt. Nolle autem acquiescere, quid est nisi et injunctæ obedientiæ repugnare, et in ejusdem repugnationis obstinatione persistere? Non enim acquiescunt, qui in cordis sui proposito invincibiles sunt, et quæ decernunt agere nullius auctoritate prætermittunt. Merito igitur in comparatione repugnandi scelus nolle acquiescere dicitur, quod majus valde atque horribilius peccatori esse videatur. Quia ergo qui hujusmodi sunt, rationibus non vincuntur, qua pœna cohibeantur, propheta intulit, dicens :

(Vers. 23.) *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex.*

25. Quid est enim, quod Saul abjicitur, nisi quia incorrigibilis judicatur? Quasi ergo dicat : Quia cuncta salutis consilia respuis, pro culpa pervicaciæ non debes verbis ulterius corrigi, sed abjectionis pœna damnari. Quantum itaque timeri debeat inobedientiæ culpa ostenditur, si hoc attente consideretur, quia propter hanc etiam reges deponuntur. Quid est, quod ait : *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus*? Sed sermo projicitur, quando in sui sublimitate venerabiliter non servatur ; projicere enim, est de manu aliquando labi in terram aut negligenter sinere, aut violenter jactare. Sermo autem Domini, quia salubria loquitur cœlestis aut sublimis est ; qui in terram negligenter projicitur, quando per desidiam non impletur. Per contemptum vero projicitur, quando hunc superbi et inobedientes tumenti corde repellunt, et manu operationis observare dedignantur. Quia vero non projicere, sed abjicere sermonem reprehenditur, hoc signat ; quia dum superbi proprium arbitrium sequuntur, a Domino longe fiunt. Abjicere enim, est aliquid longe repellere. Qui enim aliorum ducatum digne suscipiunt, non solum per obedientiam Deo vicini sunt, sed etiam illos ei vicinos faciunt, qui per vitia et scelera ab eo longe sunt. Tale est igitur, ac si dicat : Longe ab ordine dignitatis expelleris, quia dignitatis ejusdem merito præsens esse noluisti. Meritum quippe dignitatis est, observatio divini verbi. Quod cum abjicitur, quia meritum dignitatis amittitur, ipsa quoque dignitas amovetur. Libet ergo intueri, quanta per inobedientiam superbis pereant, humiles quanta lucrentur. Illi dum implere propriæ voluntatis arbitrium **363** gaudent, Deo magnos operum labores exhibent, et laborum præmia nulla habent ; isti dum se deserunt, dum alienæ voluntatis arbitrium sequuntur, æternæ sublimitatis gloriam promerentur ; unde et per beatissimam Mariam Domini Redemptoris nostri genitricem, dicitur : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (*Luc.* I, 52). Potentes quidem de sede Dominus deponit, cum inobedientes superbos abjicit, et humiles exaltat ; quia æterna gloria obedientes glorificat, superbos autem verba non corrigunt, sed tantum, dum amittere honores trepidant, humilitatem, quam non habent, simulant. ne gloriæ cul- men perdant ; unde et subditur :

(Vers. 24.) *Dixitque Saul ad Samuelem : Peccavi, quia prævaricatus sum sermones Domini et verba tua.*

26. Quid est, quod Saul a propheta vocem Domini non audisse, et malum in oculis ejus fecisse reprehenditur, et se peccasse minime fatetur ; sed, cum se abjici de regno conspicit ; se peccasse et prævaricasse Domini sermonem et ejus verba fatetur? nisi quia superbi ad contemnenda verba humilium audaces sunt, sed electorum more honores, quos ambiunt, contemnere non possunt. Audaces quidem sunt ut majorum contemnant imperia, sed parati non sunt ut alta relinquant. Econtra autem humiles ad majorum imperia prompti sunt, et ad alta perdenda securi. Quia enim non terrena, sed cœlestia appetunt, terrenæ sublimitatis alta despiciunt, laborare pro cœlestibus conantur ; subdi libenter volunt, præferri refugiunt. Saul ergo obedire Deo refugiens, perdere regnum timens, quid aliud nobis, quam superborum mores insinuat, qui cum prævalent, videri parvi aut peccatores vitant ; cum coguntur, humilitatis virtutem simulant. Sed, cum compulsi confitentur, peccatum quod accusant loquendo minuunt. Quia etsi peccasse sermonem Domini prævaricando perhibuit, eamdem prævaricationem dispensatione potius quam voluntate se incurrisse memoravit, dicens : *Timens populum, et obediens voci eorum.* Quasi dicat : Peccatum quod fecisse reprehendor, tanto leviori pœna feriri debet, quanto commissum non constat per malitiam, sed per infirmitatem. Studio autem et voluntate peccare magna prævaricatio est ; infirmitate vero peccare, tanto tolerabilius est, quanto is, qui peccato subjacet, ejusdem peccati viribus impar est. Et quia eadem cordis sui versutia se prævalere simplicium doctorum humilitati æstimant, quasi jam suasim subjunxit, dicens :

(Vers. 25.) *Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum.*

27. Corrigibilia equidem peccata portantur, quia postquam a delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt. Non autem portantur peccata eorum, in quorum mentibus per impœnitudinem inviscerata sunt. Unde et Joannes ait : *Est peccatum ad mortem, ne pro illo oret quis* (*I Joan.* v, 16). Peccatum quippe ad mortem est, quod ab eo committitur, qui resipiscere nunquam potest. Quod nimirum peccatum a præpositis non portatur, quia sacerdotum orationibus aut oblationibus non deletur. Saul autem per omnia superbos obstinatosque designans, et tumere non cessat, et peccatum suum portari obsecrat ; importabile onus congerit, et quasi leve portari petit. Hoc quidem toties in Ecclesia agitur, quoties hi, qui magna scelera libenter committunt, eorum magnitudinem non attendunt. Importabilia congregant, et hæc levia, atque **364** nullius esse ponderis pensant. Peccata sua suis præpositis abscondunt, et ut vix inveniri possint et argui, quan-

tum possunt, eadem peccata levigant, ne qui eis præsunt, eorum granditudinem attendant. Ad peccatum etiam fortes sunt, ad flenda peccata debiles; volunt quidem peccati delectationibus resolvi, sed pœnitentiæ nolunt acerbitate purgari. Quid est ergo, quod dicit, *Porta peccatum meum*, nisi quia et peccatorum dulcedinem in se ipsis excipiunt, sed onerare prælatos onere eorumdem peccatorum volunt? Quidam etiam sponte ad confitendum veniunt, sed pro quibus se accusant, non ipsi lugent, sed pœnitere alios obsecrant, fide sola salvari æstimant, per pœnitentiam revertere abjecti non curant. Unde et Saul subdit, dicens: *Et revertere mecum ut adorem Dominum.* Quasi enim recedens est prædicator, cum impudentes abjicit; dicit ergo: *Revertere mecum ut adorem Dominum.* Cum eo tantum a communione electorum non dividi putat, quod fidem communem servat; vel certe Dominum adorare est subdi religioni fidei, et custodiæ bonæ operationis. Quia vero fictos hypocritas Saul insinuat, sequitur:

(Vers. 26.) *Ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex.*

28. Quid est ergo, quod propheta portare peccatum pœnitentis regis renuit, nisi quia hunc non vere pœnitentem vidit? Cui ea quæ prius abjectionis verba respondit, quia eum immutandum [a] minime cognovit. Qua nimirum prophetæ constantia quidam nimis clementes hujus temporis sacerdotes arguuntur, qui conversatione infirmi sunt, temeritate fortes. Se se vix sustinent, et portanda suscipere aliorum onera audent; levia sua non ferunt, et importabilibus se subjiciunt. Ecce fortis propheta refugit suscipere onus regalis peccati, ut sacerdos Ecclesiæ timeat, et peccatorum importabilium pondera subire pertimescat. Plerumque autem sic aliena peccata suscipiat, ut tamen ea quæ expianda suscipit, flere eum, a quo sint commissa, permittat. Unde et Samuel portare peccatum regis minime promisit, et tamen eum, quem retulit, abjectum planxit. Nam de eo post pauca scriptum est: *Lugebat Samuel Saul, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum regem super Israel.* Non quidem promisit ei portare peccatum regis, ut rex illud flere studeret. Sed tamen quem retulerat flebat, ut Dominum ei propitium faceret. Ad litteram vero, dum sententiam propheta ingeminat, irrevocabilem divinæ æquitatis sententiam monstrat qua sic peccator projicitur, ut redire ad divinæ misericordiæ manum nunquam permittatur. Potest et aliter intelligi, quod reverti secum prophetam, ut adoret Dominum, rogat. Nam sancti viri, qui Dominum peccando non deserunt, ad eum necesse non habent ut pœnitendo revertantur. Reverti enim abeuntis est. Quod nimirum peccatoribus per peccatum a Domino recedentibus convenit, justis permanentibus non convenit. Quid est ergo, quod reverti cum peccante Saul justus Samuel petitur, nisi quia electi prædicatores pro lapsis subditis velut pœnitentes affliguntur et quasi recedentes veniunt, dum lapsos subditos paterna afflictione comitantur? Cum eis ergo revertuntur, cum peccata subditorum et ipsi subditi, qui peccaverunt, et prælati qui steterunt, pariter plangunt. Tale est igitur ac si dicat: Jam te paternis visceribus adhærere **365** per increpationem prædicationis mihi agnovi, quem nec longius peccare reliquisti. Quia ergo, te objurgante, resipui, mecum redire te rogo, quia propriis viribus ad tantæ pravitatis magnitudinem delendam nequaquam sufficio. Sed tanti affectus preces recipiendæ essent, si ex cordis veritate procederent; apte ergo hypocritæ responsum est: *Non revertar tecum.* Quasi dicat: Pro te sacrificare Deo nescio, quem veritate humilitatis Deo subditum non attendo; et quæ priora ingeminans, ait: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex;* et, quia versuti et abjiciendi et deserendi sunt, sequitur:

(Vers. 27.) *Et conversus est Samuel, ut abiret.*

In qua profecto majorum decessione magis hypocritæ amissionem temporalis honoris timent, quam æternæ hæreditatis. Unde et quiescere etiam derelicti non possunt, sed ea quæ agere per se non audent, impetrare aliis intervenientibus student. Bene ergo subjungitur:

(Vers. 27.) *Ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ scissa est.*

29. Quæ sunt vestimenta doctoris, nisi docere sibi adhærentium subditorum qualitates? De quibus profecto vestibus magno pastori per prophetam reprobatur: *Vivit Dominus, quia his omnibus velut vestimento vestiris* (*Isa.* XLIX, 18). Et per Psalmistam canitur: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem* (*Psal.* XCXII, 1). Induit quippe decorem, qui ad seipsum splendidas fidelium mentes, quasi vestimenta conjunxit. Saul ergo Samuelis pallium apprehendit, cum superbus quisque et abjectus honorem culminis sibi deferri a summis viris per cohærentes sibi dilectos et familiares quærit, et quia pro reprobo perfectorum auditorum nullus obsecrat, non pallium, sed pallii summitatem, id est extremitatem apprehendisse perhibetur; sed ea extremitas scinditur, quia qui inutilia suggerit, reprobatur. Cum enim minor indiscreta rogans repellitur, velut vestimenti summitas scindi perhibetur. Velut enim pars pallii summi prophetæ scissa est, quando male suggerenti Petro respondit, dicens: *Vade retro me Satana, non enim sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum* (*Matth.* XVI, 23). Hinc item præcipit, dicens: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te;* item, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te* (*Matth.* V, 30). Quibus nimirum verbis non solum summitas pallii, sed etiam media abscindenda designantur: quia cum male suggerunt, perfecti etiam auditores contemnendi sunt. Hinc namque est, quod Zebedæi filii simul cum matre unus ad dexteram, alter vero ad sinistram Redemptoris sedere petunt; sed quasi bonæ

[a] Vatic. et Gussanv., *nomine cognovit.* Error est, quem ex Gilot. emendavimus.

petitionis ignari, repelluntur (*Matth.* xx). Velut enim partem chlamydis Dominus scidit, cum ea membra, quæ movebant scandalum, increpando confutavit. Et notandum quia non totum pallium, sed pars pallii scinditur : quia dum bonus mala suggerit, in eo quod male suggerit repelli debet, et in eo quod aliter bonus est, ex dilectione retineri.

30. Per vestimentum etiam rectoris conversatio designatur, Psalmista attestante, qui ait : *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* cxxxi, 9). Summitas ergo pallii apprehenditur, quando doctor de magna sanctitate laudatur, cum illud in ejus laudem dicitur, quod decorum foris ostendit. Sed quia justorum plura sunt bona quæ latent, pallii tantum summitas apprehendi potest : quia parum est quod de electi doctoris justitia cernitur, multum vero quod occultatur. **366** Ipsum vero parum quod scitur, cum apprehenditur, scinditur : quia justi suis laudibus non tenentur. Quia enim eas in momento contemnunt, quasi scissura pallii teneri nequeunt. Tenetur quidem pars scissa vestimenti, propheta non tenetur : quia verum est, quod de justi laude dicitur, et tamen justi, dum contemnunt quod audiunt, quasi scissuram in tenentis manibus relinquunt. Majorum ergo quia quædam sciri possunt, quasi pars apprehenditur. Cum vero totum scitur a parvulis quod agetur, si laudatur, nihilominus abjiciendum est ; quia aliquid bonorum operum per vanitatem tenendum non est. Hinc namque est, quod dum Joannes adhuc adolescens comprehensum jam Dominum sequitur, et per pallium tenetur, et relicto pallio nudus fugisse describitur (*Marc.* xiv). Per vestimentum namque adolescens capitur, quando de bonæ conversationis initio collaudatur ; sed relicta sindone nudus profugit, qui laudes quas audit vilipendit. Nudum namque fugere, est laudabilem vitam habere, sed electæ vitæ laudem despicere. Quasi enim nudus fugit, qui de ornatu virtutum sibi per vanam gloriam nihil ascribit. Potest etiam idcirco nudus fugisse intelligi, quia qui per partes sindonis captus asseritur, reliquisse sindonem perhibetur ; quia plerumque in electorum conscientia agitur, ut, per hoc quod ex parte laudantur, non pars meritorum, sed omne bonæ vitæ meritum perdidisse suspicentur. Samuelis ergo pallium scinditur, quia laudes suas electi doctores vilipendunt. Et quia laudibus non flectuntur, severitatem prioris sententiæ replicat, dicens :

(Vers. 28.) *Scindit Dominus regnum Israel de manu tua hodie.*

31. Perfecti etenim viri, quia a rigore justitiæ nulla laude mollescunt, tales ante quales post laudis suæ testimonium sunt, et quæ prius dixerant, eadem post repetendo confirmant. Sed quærendum est, quid significet hoc, quod dicitur : *Hodie.* Si enim reproborum vita nox est, quid est quod in die Saul regnum scinditur ? Sed si nox est vita pastoris reprobi, cum ejus regnum scinditur, diem facit. Dies quippe non fit, nisi cum nox recedit. Dicit ergo, *Hodie*, quia caligo inobedientis damnari perhibetur. Unde et exeunte Juda Dominus dicit : *Nunc clarificatus est filius hominis* (*Joan.* xiii, 31) ; quia noctem vitæ illius vidit discedere, et puram lucem justitiæ in aliis discipulis permanere. Dicitur etiam : *Hodie*, quia amoto superbo, regi humili regnum tradebatur. Unde et subditur :

(Vers. 28.) *Et tradidit illud proximo tuo meliori te.*

Cum ergo dies dicitur, non abjecti regis lucidum aliquid cernitur, sed substituti gloria prædicatur, qui de regni culmine magnæ virtutis debebat splendore radiare. Et divinæ sententiæ incommutabilitatem asserens subdit, dicens :

(Vers. 29.) *Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur.*

32. Quis enim hujus triumphatoris nomine, nisi Conditor humani generis intelligendus est ? Nam occultos adversarios quicunque superat, ejus virtute vincit, qui ei gratiam superandæ tentationis impendit. Quid est quod triumphator non parcere dicitur, cum Samuel rogatur ? quia cum prædicatores peccantibus subditis irascuntur, cum superbos aut lubricos divina sententia feriunt, non impetu furoris sui, sed divinæ voluntatis judicium exsequuntur. Quasi certe dicat : Ego quidem non meam, sed illius sententiam proferi, qui quod decernendo profert, revocari non potest. Non ergo parcit, **367** et pœnitudine non flectitur ; sed eis qui, nec a peccatis suis desinere, nec peccatorum possunt quæ diligunt pœnitere · et causam subjiciens, ait :

(Vers. 29.) *Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.*

Quasi dicat : Et iterum esse ei est, cui mutabilitas nulla est. Potest etiam triumphatoris nomine substituti regis perfectio designari, qui et multorum triumphorum gloriam habiturus erat, et contra voluntatem Conditoris parcere alicui non auderet. Unde et in hoc ipso eodem libro, de eo scriptum est : *Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum, et mulierem* (*I Reg.* xxvii, 9). De eo etiam dicitur : *Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Quid enim hoc loco homo, nisi carnalibus passionibus subditus designatur ? Quasi adhuc superbum mordeat, dicens : Te modo peccatorum pœnitet, cum audaciæ tuæ sententiam percipis ; sed ille pœnitentiam non aget, qui, ut homo et inobedientiæ, et tumori non subjacet. Et ille adhuc in ore suo confitetur, dicens :

(Vers. 30.) *Peccavi.*

Ipsius autem confessionis qualitatem ostendit, quia subjunxit, dicens :

(Vers. 30.) *Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel.*

33. Liquet, quam pœnitudinem gerat, qui adhuc honorari desiderat. Nam si sui peccati hunc veraciter pœniteret, inhonorari potius quam honorari concupivisset. Admirari igitur libet projecti cordis duritiam. Ut vir Dei mandatum Conditoris exsequens, dicit : *Projecit te Dominus, ne sis rex :* econtra vero qui abjectionis sententiam suscipit, per appetitum

elationis, honores quærit. Quid est ergo, quod dicit: *Peccavi?* Confessionem quidem peccati non honor aut gloria, sed utilitas et contemptus sequi debet. Quid enim prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? Tria quippe in unoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente, videlicet, conversio mentis, confessio oris, et vindicta peccati. Nam, qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? Peccatum quod diligitur confitendo minime deletur. Nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo, nequaquam detestantur. Hi profecto confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde et salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat, dicens: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10). Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem, per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis, fructum habet bonæ conversionis. Hic certe jam ad salutem confitetur, quia plus loquendo de vulnere ejicit quam conversione compunxit. Tertia ergo species, id est vindicta, quasi medicina necessaria est; ut apostema reatus, quod conversione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicina sanetur. Ergo qui corde ad justitiam non credit, confessionem ad salutem nequaquam facit, quia velut malæ arboris folia ostendit, cujus altas radices figit in corde. Signum ergo veræ confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Joannes Baptista **368** male conversos Judæos ad se confluentes increpans, ait: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ* (*Matth.* III, 7). In fructu ergo, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba quid sunt aliud, nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt; quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde et Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit (*Marc.* XI); quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis. Saul ergo, qui confitetur et honorari vult, non affligi et humiliari, quid designat, nisi eos qui confessionem sterilem habent, et fructum non habent; qui decorem confessionis verbis humilibus præferunt, sed verborum virorem, non humilitate pœnitentiæ, sequuntur?

34. Sed quid antiquos attendimus, cum nunc tantam lapsorum regum multitudinem videamus? Catervatim namque nunc in flagitia corruunt, non solum subjecti debiles, sed etiam prælati et sacerdotes negligentes. Lubrica peccando agunt, qui ordine ministerii sacramentis cœlestibus deputati sunt. Sed plerique illorum dum quodammodo ad cor redeunt, se errasse confitentur. Qui tamen sic volunt contra se peccata proferre, ut velint adhuc de officio sacri ordinis honorari; turpes in secreto se proferunt, sed foris præter ordinis celsitudinem videri humiles erubescunt. Quid ergo isti nisi abjectos se vident, et tamen velle honorari audent? Sæpe autem non a seipsis veniunt, sed inviti capiuntur; abjectionis suæ mandata percipiunt, et tamen rogant, ut honorentur. Volunt quippe immunda agere, sed audent sacris altaribus inhærere. Ecce quot Saules attendimus, quot reges lapsos a sanctæ Ecclesiæ culmine contemplamur. Quorum profecto singulis dicendum est: *quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex:* ut ministerium cœleste non agant, quos terrena flagitia inquinare non cessant. Sed hoc profecto licere possumus, lubricis tamen ministris suadere non possumus. Nam Saul et abjectum se audivit et regnavit; quia immundi sacerdotes se sacerdotali culmine dejectos per luxuriæ inquinamenta cognoscunt; et tamen contra Dei voluntatem sacra mysteria tractare non desinunt. Sed rex contra Domini voluntatem regnans, non est rex, sed tyrannus fuit; quia sacerdos indignus, qui merito suæ inquinationis abjicitur, cum ministrare præsumit, ad tantæ gloriæ culmen [a] damnandus ascendit. Unde et tyrannos terrere volens cœli ille magnus senator: *Qui manducat panem*, inquit, *et bibit sanguinem Domini indigne, judicium sibi manducat, et bibit* (*I Cor.* XI, 27). Plerumque autem instanti confessione agitur, ut confitentibus de cordis etiam conversione credatur. Aliquando reproborum falsam humilitatem electi prædicatores accipiunt, ut exemplo eorum alii ad salutem perducantur. Duo quippe in hypocritis agnoscunt, unum intus, alterum foris. Intus quidem purum malum, foris bonum simulatum. Utrumque detestantur, sed sæpe prætextum boni in eis simulant; ut qui bonum foris cernunt malum interius nesciunt, boni quod aspiciunt exempla sequantur. Bene ergo subjunctum est:

(Vers. 31.) *Reversus ergo Samuel secutus est Saul, et adoravit Saul Dominum.*

35. Per malum quippe, quod interius latebat, **369** audire meruit: *Projecit te Dominus, ne sis rex.* Sed ut prætextu boni ad ejusdem boni veritatem alios traheret, Samuel Saul sequi voluit, et eum adorare Dominum vidit. Quandoque etiam mala regum, et terræ magnorum toleranda sunt, ne exasperati ad pejora dilabantur. Deos quippe gentium filii Israel sæpe coluerunt. Unde et de conversis a Samuele superius dictum est: *Abstulerunt filii Israel de medio sui Baalim et Astaroth* (*I Reg.* VII, 4). Et fortasse si abjectus rex secum ad adorandum Dominum revertentem prophetam non cerneret, dæmonum simulacra adoraret. Et projicit ergo eum, et cum eo revertitur; quia in potentibus hujus sæculi sic est damnanda iniquitas, ut bonum quod habent exasperati non perdant. Sæpe enim mali sunt in occulto, et bonum

[a] Gilot., *damnatus ascendit.*

quod cernitur alii devotius imitantur. Mala certe potentum sæculi, magna eis mala sunt; sed bona quæ proferunt, ad exemplum fidelium, magis quam bona aliorum prosunt. Bene ergo Samuel cum abjecto rege revertitur; quia electi prædicatores, sæculi potentes et pro iniquitate percutiunt, et pro exemplo bona agere quædam sinunt. Unde et sequitur :

(Vers. 32.) *Dixitque Samuel : Adducite Agag regem Amalech. Et oblatus est ei Agag pinguissimus tremens.*

36. Reges Dominum adorant, quando superbi et contemptores se ad Domini mandata facienda humiliant. Adorant lubrici, quando Deo subjiciuntur per obedientiam castitatis. Aliquando autem adorare se simulant ; quia nonnulli prætextum humilitatis aut castitatis habent, sed dum habere in veritate bonum creduntur, alii per bonum quod credunt mali operis usum perdunt. Agag ergo regem Samueli tradunt, quia sensualitatis suæ vigorem confitendo proferunt. Quando enim confitentur peccata luxuriæ, quæ pervigorem carnis commiserunt, quid aliud, quam Amalech regem interficiendum prophetis offerunt? Sed quid est quod pinguissimus Agag dicitur, sed sensualitatis vigor in aliis pinguis, in aliis macer est? Quid est ergo, quod pinguis offertur, nisi quia a subditis regis reprobi ducebatur? Nam sæpe negligentes sunt subditi; sed dum electi pastoris sui exempla conspiciunt, inter mala quæ faciunt ingemiscunt. Per fragilitatem carnis ad immunditias cadunt; sed percussi exemplis majorum, omnino gaudere inter immunditiæ oblectamenta non possunt. In quibus ergo pinguissimus est Agag, nisi in illis de quibus dicitur : *Lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis?* (*Prov.* II, 14). Subjecti namque lascivi doctoris tanto audacius peccant, quanto majorum suorum nulla coram posita habent exempla, quæ videant. Sed valde dementius se præcipitant, cum in pastoribus suis bonum, quod sequantur non vident, et cujus exemplo pereant malum vident. In his quippe Agag pinguescit : quia gaudenter, secure et libere vigor carnis in luxuriæ voluptate distenditur, qui usu illecebræ, nulla re obviante, fraudatur. Pinguissimus ergo interficiendus offertur, quando illi convertuntur, qui in voluptate luxuriæ valde lætati sunt : quasi enim traditur rex, quando is, qui menti imperabat, carnalis sensus, Christi sacerdotibus per confessionem revelatur. Nutrire etiam ignem pinguedo solet. Bene ergo Amalechitæ regi ascribitur : quia dum mentem fornicationis spiritus obtinet, quo dulcius ac sæpius illic per turpes cogitationes pascitur, ad [a] augendum ignem concupiscentiæ uberiora sibi fomenta tribuuntur. Tremens vero **370** dicitur, quia carnalis sensus, quando spiritualibus viris per confessionem traditur, infirmatur. Signum ergo dat tremens, quia membrorum robur non habet. Dum ergo infirmari vigor sensualitatis incipit, quid aliud, quam rex Amalechitarum tremit? Vel tremere dicitur, quia rigorem pœnitentiæ plerique, dum converti incipiunt, expavescunt. Et quia carnales quique relinquere oblectamenta carnis solita sine mœrore non possunt, sequitur :

(Vers. 32.) *Dixitque : Siccine separat amara mors?*

37. Hoc quippe dicere carnali sensui, est mentem, pro amissione voluptatis solitæ, tristitiæ conversione pulsare. Quia enim magna amaritudinis tela nuper conversi patiuntur, quasi rex, cui servierant, de morte queritur : quia in eis carnalitas sine magna tribulatione minime necatur. Interrogare ergo de separatione mortis, carnali sensui, est tristem adhuc conversi mentem de præteritæ delectationis amissione pulsare. Sed et modus separationis exquiritur, cum dicit : *siccine?* Quasi enim visis austeritatibus, quibus subdenda est, dicat menti sensualitas sua : Læta pro tam tristibus spernis? Hanc certe vocem Samuel audit : quia tentatum cor subditi, quibusdam indiciis electus prædicator agnoscit. Sed quid prodest agnoscere, si contra id, quod intus in corde subjecti infremit, aliquid ipse non dicit? Sequitur ergo :

(Vers. 33.) *Et ait Samuel : Sicut fecit mulieres absque liberis gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.*

38. Quæ est mater carnalis sensus, nisi originalis culpa? Quia enim ante peccatum primi hominis nulla membris libido inerat, rex Amalechita non erat. Erat quippe sensus carnis, sed turpis ac libidinosus non erat; sed statim ut ad culpam cecidit, pruritum membrorum sensit : quia obedientem motum carnis habere non potuit, quando ipse Deo inobediens fuit. Culpa ergo originalis mater contumeliosi sensus carnis recte intelligitur, quia ex illa nascendo prodit, qui esse ab illa cœpit. Unde et Apostolus quasi severissimi tyranni legem carnalis sensus exhorrens, non solum ipsum regem, sed matrem ostendit, dicens : *Itaque jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum* (*Rom.* VII, 29). Peccatum namque, quod se non operari perhibuit, motum carnis intellexit; peccatum autem in se inhabitans, originalem culpam. Quia ergo ex originali culpa fit peccatum motionis carnis, dum regem carnalem sensum attendimus, matrem ejus esse primam culpam recte nominamus. Liberi autem hujus matris sunt omnes concupiscentiæ, peccata, et vitia. Absque liberis utique fit mater, quando omnis a carne, omnis a mente jam culpa remanere videtur. Sine liberis namque tunc est, quia etsi a carne nulla jam turpitudo est, si nulla jam regnat concupiscentia in mente, manens tamen in nos illa culpa, nunc doctoris virtute perdi non potest. Quid est enim, quod ait Apostolus : *Jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum?* Ex illa quidem culpa, quam ex vitiosa naturæ nostræ radice contrahimus, habemus ut corrumpi vitiorum passionibus valeamus. Lex ergo inordinata membrorum quando præter voluntatem nostram membra movet, nos non hoc operamur, sed quod inhabitat in nos peccatum. Velle quidem

[a] Male in Vatic. et Guss., *ad agendum.*

nobis tunc adjacet, sed adhuc posse non invenimus; siquidem vellemus, ut nobis invitis, aliquid in nobis moveri non posset. Et hi fortasse **371** pessimæ matris conceptus, quibus culpa illa imprægnatur, si in turpes actus et obscœnos sinuntur effundi, quasi nasci perhibentur. Filii ergo sunt motus, qui non solum naturaliter intus sunt, sed qui in turpibus et obscœnis operibus manifestantur. Mater ergo Agag sine liberis fit, quando originalis culpa sic restringitur, ut nullos actus aut motus edere permittatur. Vel fortasse sine liberis fit, quia liberos habuit. Quando ergo peccatores conversi, esse turpes tam actu, quam gestibus luxuriæ desinunt, quasi mater habitans in eis culpa filiis orbatur.

39. Et notandum, quia sine filiis fieri dicitur mater per comparationem. *Sicut*, inquit, *sine liberis fecit mulieres gladius tuus, sic erit sine liberis mater tua.* Virtutes mentis, ex quibus bona opera procedunt, matres sunt : gladius vero Agag luxuriæ telum dicitur, qui nimirum mulieres absque liberis facit, quia cuncta bona opera libido interficit. Vel certe mulieres fidelium mentes intelliguntur, filii vero sanctarum mentium bonæ cogitationes, virtutes et bona opera sunt. Agag vero gladius matres absque liberis fecit ; quia delectatio luxuriæ, si evaginari quasi gladius sinitur, ab eis nimirum omnes bonæ cogitationes, omnes virtutes, et bona opera necantur. Acuta quippe pestis hujus delectationis, si a mente recipitur, dum libet attentius immundum cernere, mundum et sanctum cogitare nihil potest ; et dum ardenter ad nefarii operis expletionem pertrahit, virtutis aliquid agere nihil permittit. Et quia per ejus combustionem omnia pereunt, non solum Agag filii, sed omnes mulierum filii trucidantur. Absque liberis ergo matres facit, quia delectatio luxuriæ ad instar gladii dum fructus mentium percutit, virtutis cogitationes aut operis bonum vivere nequaquam sinit. Sicut ergo absque liberis fecit matres, ita et mater ejus fit absque liberis, cum sic peccator convertitur, ut præter culpam nobis insitam naturalem, nil conversis de obscœnis operibus, aut motibus remanere videatur. Unde et apte subjungitur :

(Vers. 33.) *Et in frusta concidit Agag Samuel coram Domino in Galgalis.*

40. Quod in frusta conciditur, per parvas particulas mortuus secatur. Agag quippe interficitur, quando carnis vigor abstinentiis, vigiliis, ac spiritualibus meditationibus sic eliditur, ut nihil lascivum, nihil libidinosum movere sentiatur. Interfici quippe ejus, est carnem turpiter movere non posse. Sed interfecti cadaver integrum est, quando ejus motus remanet. Libido non remanet, quando solo pondere mentem gravat ; cum videlicet membris simplex ac naturalis insidet motus carnis, sed libidinosi nil habet ardoris. Hoc ipsum autem, quia electorum mentes graviter tolerant, quasi regis mortui integrum cadaver portant. Quid vero est, quod in frusta conciditur, nisi quia nec ipsi naturali motui relinquere vigorem volunt? In frusta ergo concidi-

A tur, quia quoties pulsat, necatur. Dum ergo vices motuum convenire non sinuntur, quasi cadaver Agag in frusta conciditur. Vel fortasse talis est Agag iste, ut nisi concisus in frusta mori non possit. Ut enim superius dixi, more ignis libido succenditur ; et, si negligenter exstinguitur, adjacens stipula velociter inflammatur. Magnus quoque ignis dispersus sæpe exstingui melius potest. Nam cum in unum multi carbones conveniunt, ingentem massam prunarum faciunt. Ne ergo exstinguens comburatur, prunarum massa ante sapienter dispergitur, **372** ut per singulorum carbonum frusta velociter exstinguatur. Quid enim cogitationes luxuriæ, quid sunt libidinosi corporis motus, nisi carbones ignis? Qui nimirum si in corde aut in carne conveniunt, comburere cito

B possunt, exstingui facile nunquam possunt. Dispergatur ergo ignis, in frusta concidatur Agag, et custodiatur mens, ut immundas cogitationes dispergat, ne unam alteri adhærere permittat. Quia enim agere non potest, ut innoxia nunquam cogitet, agat quod potest, ut statim cogitationem ejiciat, quæ negligenter ad mentem intrat. Sic nimirum quasi ignem maximum in carbones singulos et velociter dividit, et celeriter exstinguit, si omnes flammas cogitationum sic separat, ut conjungi in mente neque per negligentiam, neque per desiderium sinat. Sic nimirum et motus corporis vigorem mentis reprimit, cum ad invicem convenire minime permittit. Motus quippe illecebrosus carnis, si per cogitationem minime pa-

C scitur, convenire cum altero non videtur. Glutinum quippe illecebrosorum motuum, immunda cogitatio est : quia qui libenter immunda videt, statim carnem ad amata concupiscendo violenter movet ; quo libentius ac morosius cogitat, quasi carbones carbonibus, turpes turpioribus motus ligat. Teneat ergo fortem custodiam animi, qui potenter vult dispergere motus carnis. Intus quippe ante Agag dividitur, ut foris pariter in frusta dividatur ; quia qui cogitationes malas convenire non patitur, ei nimirum turpes motus carnis, quasi in frusta dividuntur. Sic nimirum Agag pinguissimus occiditur, si in frusta dividatur ; quia sensum carnis cum immundis motibus, cum in corpore, tum in anima tunc potenter exstinguimus, si ad ejus singulas insidias singulari intentione vigilemus. Unde et Sapiens ille diligenter admonet, di-

D cens : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit, et de neglecto mors exit* (*Proverb.* IV, 23). Vita namque procedit, cum cor servatur, quia, dum immunditia omnis repellitur, ad virtutes conversorum spiritus animatur. In frusta ergo Agag a propheta conciditur, quando per doctorum consilium singulæ immunditiarum particulæ, et in corpore auditorum, et in mente perimuntur. Bene autem et coram Domino et in Galgalis concidi perhibetur ; quia illi minutias illecebrosarum cogitationum, et turpium motuum dividere potenter possunt, qui et de omnipotente Deo, et de sanctis Scripturis cogitare sapienter sciunt. Sed, ut dixi, simulata bona malorum, sæpe doctores non pro ipsis, sed pro aliis

sustinent; quia quod simulate agunt non simulatoribus, sed videntibus prodest. Sæpe quidem electi simulata bona malorum vident; sed quia corda nesciunt, bonum, quod fulgere videtur exterius imitantur. Saul Samuelem ut secum ad adorandum Dominum reverteretur, rogavit; sed ille reversus Agag in frusta concidit, quia electi doctores per opera, quæ reprobi faciunt, electos ad bene vivendi studia convertunt. Sed quia idipsum dispensative, id est propter aliud faciunt, cum dispensationis necessitas transit, ipsos reprobos, quos quasi ad bona opera sequuntur, ad reprobi cordis impœnitudinem lapsos deserunt. Bene itaque subditur :

(Vers. 34, 35.) *Abiit autem Samuel in Ramatha, Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa, et non vidit Samuel ultra usque ad diem mortis suæ.*

41. Quæ est domus trangressoris, nisi consuetudo pravi operis? Quisquis enim in perversa consuetudine clauditur, quasi in domo conversatur. In **373** domum ergo suam Saul ascendit, quando reprobus quisque post increpationem doctorum ad mali operis usum redit. Quasi enim ad plana descendit, quando humilitatem simulat, ut præsulum mandata cognoscat. Quid est vero, quod prius Samuel abire, quam Saul in domum suam ascendere dicitur? Sed, ut dixi, cum necessitas aliorum non est, manere cum versuto electus prædicator non potest; et quia in absentia doctoris simulator proficit, Saul in domum non abiit, sed ascendit. Ascendere quippe reprobis, est de malo ad pejus proficere. Cum item descendere superbus dicitur, ascendere perhibetur. Ascendere quippe in domum suam superbo, est superbiendo usque ad mensuram, [a] qua damnandus est, se extollere. Domus namque superbi, est nequitiæ suæ mensura. Dum enim per prospera sæculi agere tyrannidem, turbare terram, premere bonos, innocentes affligere permittuntur, quid aliud, quam ascendere superbi videntur Sed quia præfinitum est a Deo quantum noceant, quantum sæviant, quantum per tyrannidem se extollant, usque ad domum suam ascendere permittuntur. Domus namque eorum, mensura nequitiæ est, in qua semper erunt : quia ubi ad plena flagitia venerint, rapiuntur per mortem, et per æterna tormenta puniuntur. Quasi enim in domo manet, qui a conversationis suæ pœnis egredi nunquam potest. Quod non solum de superbis, sed et de luxuriosis, et omnibus reprobis convenienter intelligi potest. In ascensu quippe, et non in domo adhuc erant, de quibus dicitur : *Nondum impleta sunt peccata Amorrhæorum* (*Gen.* xv, 16). Hinc item beatus Paulus apostolus dicit : *Ut impleant peccata sua* (*I Thess.* II, 16). Ergo ad domum ascendunt, quando profectu mali ad opera nequiora proficiunt, pro quibus æterna tormenta sustinebunt.

42. Samuel autem in Ramatha abire dicitur. A reprobis quippe divisi doctores non eunt, sed abeunt. Vadunt quippe, quando corrigendos deserunt, quia quos velut irati dimittunt, ab eis postmodum bona emendatione invitati redeunt. Abire ergo doctoris, est impœnitentes impios perpetua animadversione deserere. Sic enim peccata ad mortem per impœnitudinem operantes deserunt, ut ad eos redire ulterius non cogantur. Bene ergo dixit : *Non vidit Saul Samuelem ultra usque ad diem mortis suæ.* Et quia hoc esse agendum in summæ veritatis contemplatione percipiunt, in Ramatha abire memoratur. Consummata namque visio, est intimæ veritatis ratio perfecta Ne ergo prædicatorum districtio nimia esse carnalibus judicetur, cum ab Ecclesiæ communione reprobos in perpetuum separant, audiant; quia postquam Samuel in Ramatha venit, Saul ultra non vidit; quia illum doctor æternaliter dividit, quem pertinere ad electorum numerum non cognoscit. Sed hoc fiducialiter creditur, si in forma Samuelis prædicatorum sanctæ Ecclesiæ charitatis affectus districtius videatur. Districtionis quippe zelus ostenditur, quia non vidisse Saul usque ad diem mortis suæ memoratur. De affectu vero charitatis subjunctum est :

(Vers. 35.) *Verumtamen lugebat Samuel Saul, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset regem Saul super Israel.*

43. Quid enim est, quod luget, quem cernere dedignatur, nisi quia et cum zelo rectitudinis sancti doctores habent affectum magnæ charitatis, ipsa autem charitatis magnitudo ostenditur, quia projectum regem **374** plangere perhibetur? Quo ergo affectu electorum subditorum peccata plangunt, qui pro projectis reprobis plangere tam affectuose didicerunt? Instantia namque luctus ostenditur, quia subjunctum est :

CAPUT III.

(I Reg. XVI, 1.) *Dixit Dominus ad Samuelem : Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel?*

1. Cui enim dicitur : *Usquequo tu luges?* instanter lugere declaratur. Magnus ergo est affectus sanctorum, etiam cum austeritatem vindictæ exterius proferunt. Nam foris sæviunt, sed intus per amorem liquescunt. More matrum parvulos verberant, sed affectu gemunt cum parvulis, quos castigant. Sed quid est, quod Dominus ait : *Usquequo tu luges Saul?* An potest mater filium morientem cernere, et per scissionem viscerum nequaquam flere? Mortuum sine luctu tolerat, quæ moritur, sed infirmatur. Quid est, quod dicit : *Usquequo tu luges Saul?* Nisi quia perditi nimis lugendi non sunt? Nam sæpe doctor de perditione subditi vehementer affligitur, sed respectu summæ justitiæ consolatur. Hoc ergo dicere Dei ad prophetam quid est, nisi prædicatoris mentem per internum solatium ab afflictione relevare? Et quia lapsis prælatis electi per divinam misericordiam subrogantur, subjungens Dominus, ait :

(Vers. 1.) *Imple cornu tuum oleo, et veni : mittam te ad Isai Bethlehemitem. Providi enim in filiis ejus mihi regem.*

2. Quasi enim lugentem consolans, ait : Cur pro-

[a] Gilot., *qua damnatus est.*

jecti persona plangitur, cum melior subrogatur? Unde et Saul non provisus, David autem provisus ostenditur. Quantus ergo, et qualis fuerit, citata consideratione pensetur, qui judicio et electione Dei omnipotentis decernitur. Quid est autem quod Deus providet, et propheta ad ungendum mittitur; nisi quia sanctæ Ecclesiæ spirituales mores describuntur, quæ constituere nulla cernitur, nisi quæ præeligere et præordinare Deum contemplatur? *Veni*, inquit, *mittam te ad Isai Bethlehemitem. Providi enim in filiis ejus regem.* Quasi dicat: A te nihil præsumas, sed illum, quem prævidi, ordinando subsequeris. Unde et paulo post subdit, dicens: *Et unges quem monstravero tibi.* Quid est hoc, nisi quia prophetæ esse debent, qui in culmine Ecclesiæ alios volunt ordinare? Prævisum namque a Deo cognoscere possunt, si ad inveniendum personam eligendi pontificis sacras consulunt Scripturas. Quasi enim loquente Deo ostenditur, cum talis Pastor eligitur, qualis per sacrum eloquium commendatur. Ad litteram vero Samueli venire a Domino dicitur, ut a reprobi et abjecti regis compassione revocetur. Si vero luctu assiduo lapsi restitutionem poscebat, ei venire fuit, a tali intentione quiescere. Et cornu suum oleo implevit, quia pastoralem sublimitatem in ungendo rege laudis nitore temperavit. Cornu quippe aspero Saul impetiit, quia peccantem velut magno impetu prostravit, dicens: *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex* (*I Reg.* xv, 23). Quid est ergo, quod cornu impleri oleo præcipitur, nisi quia ungendi regis justitia commendatur? Quasi dicat: Rex, qui modo ungitur, non erit increpatione feriendus, sed miræ laudis favore prædicandus, non eget impeti, sed faveri. Ad Isai Bethlehemitem mittitur, ut rex, qui eligitur, permansurus esse **375** doceretur. Per patriarcham quippe Jacob longe ante regni mansuri status ostensus est, quia dixit: *Non deficiet sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat, qui mittendus est* (*Gen.* xlix, 10). In filiis ergo Isai rex prævisus asseritur, ut rex, qui ungi præcipitur, non ut Saul recessurus, sed durabilis doceatur. Quasi prophetam in abjecti angustia tabescentem excitet, dicens: Cur abjectus pro culpa plangitur, cum laudandus subrogetur?

3. Hæc autem ad litteram tetigimus; nunc sub litteræ narratione prælatorum nostrorum electionem videamus. Quid est, quod cornu oleo implere præcipitur, nisi quia talis in sancta Ecclesia pastor eligendus est, qui non argui velut transgressor debeat, sed ad exemplum aliorum miris laudibus commendari? Cornu namque telum animalium est. Auctoritas autem et increpatio summi antistitis quid sunt aliud, nisi tela? Cornu quippe feriunt, quando peccatoribus per increpationem acumina conjunguntur. Ferire etenim cornu, est peccatores acute redarguere. Cornu oleo impletur, quando prædicatoris sublimitas non habet asperitatem minarum, sed blandimenta favorum. Vel cornu oleo impletur, quando electo pastori simul datur et sublimatus culminis, et virtus unctionis, quando et sublimis gradus ascenditur, sed qui ad alta sustollitur, meritorum ubertate repletur. Cornu ergo pleno sacerdotes unguntur, qui ad summum gradum perveniunt cum plenitudine gratiarum. Quia vero oleo ignis accenditur, oleum doctoris amor est cordis. In quo ignis accenditur, quia in pinguedine oris virtus et gratia ardet Spiritus sancti. Quia ergo pinguedinem magnæ charitatis habere doctor debet, rex, qui ungi præcipitur, pleno cornu ungi perhibetur. Dicitur etiam plenitudo cornu pro perseverantia gratiarum; nam qui ante finem deficiunt, ungi cornu plenitudine non merentur. Adhuc quoque dicendum de cornu hujus plenitudine est; quia idcirco præcipitur, quia magna unctione indiget, qui de sua plenitudine replere alios debet. Unde et Moyses tam plenus exstitisse dicitur, ut de spiritu ejus Dominus tulisse et aliis dedisse doceatur (*Num.* xi). Vel cornu prophetæ impletur, cum pontificalis sublimitas ad perfectiora docenda præparatur. Quando enim Ecclesiæ principes ordinantur, eis, quæ agere debeant, semiplena prædicanda non sunt. Cornu ergo pontifices implent, quando plenas atque perfectas virtutes proferunt, quas electi Ecclesiæ principes imitentur. Quia vero ipsi, qui ungunt, esse spiritales debent, cornu jubentur implere. Cornu quidem de carne est, sed clausum in carne non est. Cornu ergo spiritualis conversatio doctoris est. Cornu vero oleum effundit, cum ille alta prædicat, qui hæc alta conversatione demonstrat. Cornu ergo oleo implere, est prædicationem magnarum virtutum in alta conversatione suscipere. Et in capite effundit, quando in mente illius imprimit, qui ad summum ordinem novus venit. Quando ergo electi promoventur, pleno cornu unguntur, quia ad altitudinem ordinis proficiunt virtute perfectionis.

4. Sed propheta ad Isai Bethlehemitem mittitur, rex in ejus filiis providetur, quia ille pastor eligitur, qui ecclesiastica religione eruditus est. Bethlehem igitur, quæ domus panis dicitur, quid aliud, quam unamquamque designat domum religionis? Panis namque nomine doctrina perfectionis ostenditur, Paulo attestante, qui ad conversionem debiles excitans, ait: *Lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed necdum potestis* (*I Cor.* iii, 2). **376** Si enim lac parvulorum est, panis non est nisi perfectorum. Unde et de perfecti viri robore dictum est: *In excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est* (*Isai.* xxv, 12). In domo ergo panis rex ad ungendum quæritur, quia utiliter promoventur, qui in perfectæ conversationis ordine nutriuntur. Ille etenim facere fortes alios potest, qui remissa et negligenti conversatione nutritus non est. In domo igitur quæritur panis, quia in promovendo antistite, quærendum est robur conversationis. De congregatione quidem debili fere nunquam accipitur persona virtutis. Unde bene in Isai filiis quæritur, qui salus Domini, aut certe salus absolute nominatur. Salus quidem recte prælatus dicitur. Quid enim sunt peccata et vitia, nisi languores animarum? Electus

autem prædicator per integritatem sanæ doctrinæ, per soliditatem innocentiæ, per splendorem electæ vitæ, salus Domini recte nominatur. Alii quidem sunt doctores, quorum sermo serpit, sicut cancer. De horum quippe familia rex non assumitur, quia ægras mentes ad salutem non ducit, sed interficit. Et notandum, quia Isai alio nomine Jesse dicitur. Duplex quidem nomen habet, quia bonus doctor non semper in pace est. In pacis quidem tempore salus Domini dicitur, ut bellorum munera, quasi intra domus secura vestibula sanare doceatur. In bello autem Jesse nomen habet, quia et seipsum fortiter munit, et alios valenter protegit. Jesse quippe insulæ levamen dicitur. Quid autem insulæ nomine, nisi mentes tentationum fluctibus vallatæ intelliguntur? Insulæ quidem sunt, quia etsi magnos conflictus sustinent, non moventur. Unde et electorum victoriam Psalmista prædicans, ait : *Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ* (*Psal.* XCVI, 1). Dominus quidem regnat, quando ejus sedem, electas videlicet mentes, turbo hostium nullus inquietat; sed lætatur terra, quia solida corda doctorum gratulantur. Lætantur insulæ, quia cum ejus gratiam tentamenta superant, majorum auditores hilarescunt. Terra quidem est mens fortis, et firma lingua doctoris. Insula vero dicitur, cor forte subjecti, quod adhuc tentamentis impetitur, nec tamen movetur. Quid est ergo, quod Jesse levamen insulæ dicitur, nisi quia per robur doctorum minorum corda sublevantur? Nam inter tot fluctus tentamentorum corruerent, si non majorum robore ad altæ vitæ desiderium eorum corda levarentur. In Isai ergo, et Jesse filiis rex latere describitur, quia illi utiliter ad Ecclesiæ culmen veniunt, qui electorum magisterio et pacem custodire et disponere, sive conficere spiritualia bella didicere. Bene ergo dicitur : *Providi enim in filiis ejus mihi regem.* In his quippe non in aliis rex providetur, quia ad culmen Ecclesiæ per divinam gratiam nulli perveniunt, qui electorum magisterium per omnes temporum ordines non sequuntur. Sequitur :

(Vers. 2, 3.) *Et ait Samuel : Quomodo vadam? Audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus : Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices : Ad immolandum Domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias.*

5. Quid his verbis ostenditur, nisi quia tyrannorum versutia atque sævitia quandoque est pia fraude deludenda? Præcepto namque Domini de armento vitulus tollitur, immolatio simulatur, et ad regiam unctionem pervenitur, quia dum nocere tyranni cupiunt, objicienda sunt eis quædam, quæ credant, ut nocendi aditum non inveniant. Sic tyranni **377** deludendi sunt, ut câveatur culpa mendacii. Quod tunc bene perficitur, cum illud fit, quod asseritur, sed quod fit sic dicitur, ut celetur, quia ex parte dicitur, et ex parte reticetur. Prophetæ namque Samueli præcipitur, ut ad ungendum regem vadat, et se immolaturum Domino, non regem uncturum asserat; ut immolans verum dicat, et unctionem celans, tyranni sævitiam, vera dicens, deludat. Quia enim immolaturus abiit, paulo post manifeste exponit, ubi dicit : *Sanctificavit ergo Isai, et filios ejus, et vocavit eos ad victimam.*

6. Sed jam melius agitur, si quid spiritualiter designent ista, videamus. Quid est ergo, quod vitulum in manu propheta tollit, et sic ad ungendum regem pervenit? Sed vitulus quid est, nisi splendor imaginis Redemptoris? Quia enim eum, quem eligit, conformem facere Redemptori studet, quando formam ipsam Redemptoris prædicat, quasi vitulum in manu portat. Et quia splendorem Dominicæ conversationis, quem prædicat, in virtute operis monstrat; vitulum, quem de armento suscipit, per manum ducit. Vitulum namque in manu tollere, est prædicationem Dominicæ conversationis servare in virtute operis. Sic nimirum vadens non occiditur, aliter occideretur : quia qui dicit, et non facit, oris proprii gladio condemnatur. Quid est, quod dicere jubetur : *Ad immolandum Domino veni*? Quid est item, quia facit, quod dicit, dum venit et immolat, nisi quia tantæ debet esse efficaciæ qui alios promovet, ut bona non solum dicat, sed persuadeat? Immolationis quidem victima, quæ in prophetæ manu videtur, in altari cognoscitur. Quid est enim cor electi auditoris, nisi altare Dei? Quando enim bona doctor loquitur ore, et ostendit opere, vitulus in manu est. Quando autem et quod dicit, et agit, auditoribus persuadet, victima in altari est. Tunc ergo immolat, quando electa corda per amorem suscipiunt, hoc quod in verbo et exemplo doctoris radiat, de imitatione Redemptoris. Sequitur: *Et vocabis Isai ad victimam* : Fortasse hoc, locus iste insinuat, quod præter prælatorum conscientiam subditi promovendi non sunt. Isai prius ad victimam vocatur, ut bonum, quod subire subjectus cernitur, in magistri sui mente fundetur. Bene subjungitur : *Et ostendam tibi quid facias.* Idipsum quoque exprimens, ait :

(Vers. 3.) *Et unges, quem monstravero tibi.*

7. Nisi enim Isai prius vocetur, ei, quæ facienda sunt, non pandentur : quia sine magistri voluntate aliquid de subjecti persona faciendum non est. Illo ergo vocato, quod est faciendum, ostenditur, quia cum voluntate religiosi doctoris, subjecti humilitas ad arcem sustollitur prælationis. Quid est autem, quod dicitur : *Unges quem monstravero tibi*, nisi quia electi pastoris æquales discipuli omnes non sunt? Sunt namque ex illis, alii utiles ad obediendum : alii et humiliter obediunt, et jubere discrete didicerunt. Dicit ergo : *Unges quem monstravero tibi :* ut, cum ad culmen sacerdotii persona quæritur, cum magna subtilitate requiratur. Quibus nimirum verbis ordinatoribus Ecclesiarum in electione aliorum nihil suum relinquitur. *Quem*, ait, *monstravero tibi, illum unges.* Qui sunt qui ungunt quos non monstrat Deus, nisi qui carnali affectu ad Ecclesiarum culmen ordinandos ducunt, qui non merita discernunt, sed personas accipiunt? Isti quidem reges ungunt, sed non qui a Deo monstrantur. Quod suum est, faciunt; quod Dei est, tollunt. Dei quidem personam mons-

rare est, ordinatoris **378** præbere unctionem. Dum ergo ipsi sibi monstrant quos ungant, habere Deum cooperatorem nolunt. Unde et per prophetam Oseam de talibus electis Dominus queritur, dicens : *Ipsi regnaverunt, non ex me; principes exstiterunt, et ego ignoravi* (*Osee.* VIII, 5). Dicitur ergo electis, quod audire non possunt reprobi : *Unges quem monstravero tibi :* ut nullus promoveatur, nisi qui dignus tanto ordine, Scripturarum sanctarum laude decernitur. In eis quidem Dominus loquitur, ibi qualis et quantus esse debeat magister Ecclesiæ, memoratur. Ille ergo monstratus a Domino eligitur, qui per sacrum eloquium commendatur. Hæc quidem mali rectores contemnunt, boni faciunt. De bonorum ergo obedientia recte subjungitur :

(Vers. 4.) *Fecit ergo Samuel, quod locutus est ei Dominus. Venit in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei.*

8. Ad historiam seniores admirantur, quia illuc venire propheta non erat solitus. Quo in loco fortasse signatur : quia electi doctores vix aliquando videri in publico debent, esse frequentes in secreto, negotiis civilibus vacui, spiritualibus pleni. Miraculum ergo fit populi, in publico visa persona pastoris. Mirantur quod exeat, quem secreti cultorem sciebant. Qui quia in magna populi veneratione sustollitur, seniores civitatis et admirati, et ei occurrisse referuntur. Quia vero non populus, sed seniores admirantur, perfecta doctorum virtus ostenditur, quæ non a parvulis et simplicibus, sed a magnis et eruditis prædicatur. Qui etiam de pacifico ingressu prophetæ sciscitantur. Quasi ergo ingressum non pacificum minabatur, qui dicebat : *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* (*I Cor.* IV, 21.) Quid est ergo, quod dicitur :

(Vers. 4.) *Pacificus est ingressus tuus?*

9. Nisi quia electi fideles dum bene spiritualium doctorum acta considerant, in eis utique divinam voluntatem pensant. Quia enim esse Samuelem prophetam sciebant, utique quia divinæ dispensationis secreta cognoverat. Dum ergo de pacifico ingressu interrogant, quid aliud interrogando faciunt, quam divini consilii nosse velle secretum? Utinam et nos quoties sanctos viros cernimus, inquirere de pacis nostræ securitate studeremus, et diligenter ab eis scire, quales a Deo cernamur, qui cognitionis nostræ oculos non habemus. Pacificus ergo ingressus doctorum est, cum ad eos veniunt, qui non sunt pro culpa feriendi, sed pro justitia prædicandi. Qui ergo promotum justum venerat, respondit dicens :

(Vers. 5.) *Pacificus, ad immolandum Domino veni. Sanctificamini, et venite mecum, ut immolemus.*

10. Cum doctoribus, ut immolent, vadunt, qui intentionem ad superna dirigunt. Et coram euntibus propheta immolat, quando id doctor, quod verbo pronuntiat, in assistentium cordibus per amorem ligat. Sed ut historiam paululum attendamus, vigilanter est discutiendum, quod dicitur : *Sanctificamini et venite mecum.* Si enim interesse sacrificeantibus non audent, nisi sanctificati, quid de sacrificantibus censendum? Sanctificare enim purgare est. Quantum ergo puros decet esse pontifices, ubi invitatæ ad sacrificium nonnisi sanctificatæ admittendæ sunt plebes? Sanctificatio quippe corporis pudicitia est, sanctificatio mentis charitas et humilitas. Sanctificetur ergo ad sacrificium invitatus, sed magis ille cogitur, a quo invitatur. Notent sacerdotes, quæ invitatis dicant : *Venite mecum.* Secum quippe **379** sanctificati veniunt, si cum mundis plebibus ad Dei obsequia mundi sacerdotes accedunt. Secum quippe ire, est mundos cum mundis accedere. Nam si mundæ sunt plebes, non mundi sacerdotes, secum non veniunt : quia æquali puritatis ordine non accedunt. Audiant hujusmodi quid alter propheta admonet, dicens : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isai.* LII, 11). Audiant item, quod dicit : *Lavamini, mundi estote* (*Isai.* I, 16). Quia ergo mundandæ sunt plebes, dicit : *Sanctificamini.* Quia item summi viri in continuo munditiæ suæ statu semper debent permanere et ad formam suæ puritatis alios trahere, subdit : *Et venite mecum.* Sed quia seniores ad victimam invitantur, quid per typum demonstrant, nisi quia ad eligendum antistitem, sive ad ungendum et consecrandum, plures sapientes atque religiosi viri vocandi sunt? Qui nimirum sanctificantur et veniunt, si proponunt, ut in electione illa carnale aliquid non sequantur. Sanctificari quidem eis est, ad præbenda dona sancti Spiritus spiritualem et sanctam intentionem adducere. Bene autem in typo electorum et de Isai, et ejus filiis dicitur :

(Vers. 5.) *Sanctificavit ergo Isai, et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium.*

11. Et quia per sacra eloquia Dominum eligendos antistites monstrare docuimus, jam quales monstret, qualesque reprobet subsequenter, loquentibus sacræ hujus historiæ mysteriis, videamus. Sequitur :

(Vers. 6, 7.) *Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait : Num coram Domino est Christus ejus? Et dixit Dominus ad Samuelem : Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominum judico.* [a] *Homo enim videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuebitur cor.*

Quid enim est sapientibus ingredi, nisi ad subtile discretionis sacrarium intrare? Sed ingressum Eliab vidit : quia illum esse dignum prælatione sanctæ Ecclesiæ pastor agnoscit, qui et fortitudinem habet boni operis, et scientiam veritatis. Quid est autem, quod ei Dominus nec staturam ejus, nec vultum aspicere præcipit, nisi quia in sancta Ecclesia nec opus, nec scientia sine humilitate prædicatur? Quid est enim vultus alicujus, nisi exterior conversatio, per quam noscitur? Et quid est statura ejus, nisi altitudo scientiæ, per quam ad superiora sublimatur? Quos ergo Eliab rectius, quam bona agentes, et eruditos significat, sed arrogantes? Unde et Eliab, Deus meus pater, interpretatur. Hoc quippe ejus nomen, quod

[a] Gilot. et Vatic., *non enim videt.*

audent præsumere. Quid namque est, quod Deus meus pater dicitur : nisi quia dum fortiter bona agunt, spiritualia sapienter intelligunt, se per singulare meritum in filiorum Dei numerum transisse gloriantur? Nam pater non meus, sed noster omnipotenti Domino dicerent, si per humilitatem se cum electis cæteris in supernæ generationis ordine communiter viderent. Merito ergo repellitur, quia in spirituali culmine nonnisi humiles præferuntur. Subtiliter ergo propheta de ungendi persona exquirit, dicens : *Num coram Domino est Christus ejus?* Modo hoc fit, quando summus doctor, et vitam et intelligentiam eligendi cognoscit, sed adhuc de humilitatis virtute perquirit. Sed vultum et staturam ejus abjectam videt, quando ei, quidquid pulchrum habet in opere, quidquid altum in eruditione inest ei, absque humilitatis virtute cognoscit. Merito igitur Dominus dicit: **380** *Projeci eum, nec juxta intuitum hominis judico : quia homo videt in facie, Deus autem intuebitur cor.* Quasi dicat : Homines solent magna opera, et scientiæ verba laudare : ego autem nec verba, nec opera laudo, quæ in humilitate vera fundata non video. Indignitatis quippe suæ repulsam, qui ejusmodi sunt, expavescerent, si attente audire vellent, quod ad prophetam Dominus dicit : *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quia projeci eum.* Pro magno namque habent, quod arrogantes faciunt : sed ecce tam vile esse a Domino dicitur, ut nec respiciendum esse judicetur. Sed isto amoto, quid sequatur ostenditur :

(Vers. 8.) *Et vocavit Isai Aminadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit : Nec hunc elegit Dominus.*

12. Aminadab interpretatur, urbanus. Merito igitur, Domino consulto, repellitur : quia sancta ecclesia ad regimen animarum non eligit negotiis sæcularibus strenuum, sed spirituali conversatione decorum. Urbani quidem sunt, qui postposita intentione cœlestium, exterioribus studiis se ostendere strenuos conantur. Nec hunc ergo elegit Dominus, quia pii pastoris studio cœlestia, non terrena, provideri fidelium gregibus debent, non infirma et labentia, sed sublimia et æterna.

(Vers. 9.) *Adduxit autem Sama, de quo et ait : Etiam hunc non elegit Dominus.*

13. Sama, audiens, interpretatur. Quid ergo Sama designat, nisi obedientes et simplices? Audire quidem eis, est ea quæ a majoribus jubentur, obediendo perficere. Unde et de obedientia gentilis populi per Psalmistam dicitur : *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi* (*Psal.* XVII, 45). Quid est autem, quod non eligi a Domino dicuntur : nisi quia in Ecclesiæ culmine non ponuntur imperiti humiles, sed humiles sapientes, qui et facere jussa sciant, et quæ facienda sunt, sapienter jubeant? Facere quidem eum oportet, et docere. Faciat ergo humiliter, doceat sapienter. Quia ergo qui facere per humilitatem sciunt, et jubere per eruditionem nesciunt, in dignitatem regiam assumendi non sunt, Sama ad regnum a Domino non eligi perhibetur. Hinc ergo, hinc simplices et inobedientes colligant, quam pœnaliter ad præeminendum se ingerunt, si omnipotens Deus nec illum ad regimen suscipit, qui per humilitatem obedientiæ audiens vocatur. Et quia plures sancta Ecclesia hujusmodi tam simplices et bene viventes, quam humiles sapientes habet, sequitur :

(Vers. 10.) *Adduxit itaque Isai omnes filios suos coram Samuele. Et ait Samuel : Non elegit Dominus ex istis.*

14. Quia in septenario numero soleat perfectio designari, testatur Isaias propheta, qui dona sancti Spiritus Redemptore nostro manentia asserens, ait : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 2). Quid est ergo, quod hi, qui a prædicationis officio repelluntur, septenario numero designantur, cum idem numerus perfectionem designet, quam alius nisi de sancti Spiritus infusione non habet? Sed convenienter hoc asseritur : quia pluribus gratia Spiritus sancti ad bene vivendum datur, ad docendum non datur. Qui quia plures sunt, et in bona operatione perfecti, apte septenario numero continentur. Item quia robusta faciunt, et subtilia non intelligunt, a regni gubernatione **381** repelluntur. Et septem ergo sunt filii, et eorum aliquis ad animarum regimen non assumitur : quia etsi bene vivendo regere fortiter semetipsos sciunt, tueri alios fortiter per doctrinam nequaquam possunt. Nunquam se tam in ordinando præcipitet ordinator Ecclesiæ, quia, etsi plures habet, qui ad suscipiendam animarum curam non sunt idonei, qui tamen præesse possint ei deesse non possunt. Quærat ergo doctor instanter, non deficiat quærere, donec latentes possit invenire. Magnæ quidem electorum virtutes quasi thesauri omnipotentis Dei fere semper in occulto sunt. More etenim timoratorum divitum omnipotens Deus facit : quia ne virtutum thesauros perdat, hos et in electis mentibus collocat, et ipsas mentes per secretum celat. Quærat ergo, qui ordinare, imo ornare, Ecclesiæ caput cupit, occultos thesauros. Christi sponsam ornare gestit; sed non potest, nisi occultos sponsi thesauros ad ejus ornatum producat, et non desistat, donec latentes inveniat. Sed quid hortor pastores quærere, cum nisi Deus oculos [*Legendum videtur* occultos] proferat, nequeant inveniri? Quid est enim aliud : *Unges quem monstravero tibi?* Tamen quærendi sunt, quia, nisi quæsiti diu, minime monstrantur. Nam et Dominus se monstraturum promittit, et tamen propheta quærere nititur, ut invenire mereatur. Unde et Dominus quærendi instantiam imperat, dicens : *Quærite et invenietis, petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). Quærens ergo propheta, et tot jam repulsis, quærere perseverans, quid nobis insinuat, nisi ut nulla dispensatione indigni ad culmen religionis venire permittamur [*Forte* permittantur]? Nam cum in plerisque sanctæ Ecclesiæ negotiis salubris sit dispensatio, le-

thalis profecto et mortifera est, ubi aut cæci per ignorantiam, aut irreligiosi sapientes, aut ad sæcularia negotia projecti ad aliorum primatum venire permittuntur. Hi enim ignorando, illi sciendo et non faciendo, subditorum animas perimunt : illi item negligendo spiritualia, sequendo carnalia et terrena. Illi quidem totis viribus laborant, ut laudentur quæ dicunt; isti quæ dicant nesciunt; illi ad hoc omni intentione conantur, ut inter summos sæculi abundantius honorentur : qui profecto tanto pejores prioribus sunt, quanto illi in spiritalibus, isti in carnalibus et sæcularibus apparere sublimes volunt. Horum finis desiderium est, fulciri divitiis, honoribus extolli, potentum hujus sæculi familiaritatibus sublimari. De quibus omnibus reprobæ mentis affectibus oriri potest negligentia animarum subditorum, contemptus Christi, et Ecclesiæ dilapidatio facultatum. Quærat itaque doctor, ut nulla dispensatione indignos præferat : quia quod lethiferum est, nunquam permitti debet. Unde et subditur :

Dixitque Samuel ad Isai : Nunquid completi sunt filii?

Quid est, quod alium quærit, nisi quia non debet ante quærens quiescere, quam mereatur invenire? Et quia sæpe abjecta foris et vilia, intus excelsa sunt, sequitur :

(Vers. 11.) *Qui respondit : Adhuc reliquus est, et qui pascit oves.*

15. Quid est reliquus, nisi abjectus? Abjectum dico a se, non a Deo : quia a Deo per superbiam quis abjicitur; a se abjectus est, qui vilis et humilis æstimatur. Vel reliquus dicitur, qui in aliorum comparatione esse aliquid non videtur. Abjectus ergo humilis dicitur ; quia contemni se videt, et tolerat, **382** ostendi nequaquam curat, sed oves pascit; quia cogitationes simplices in contemplatione æternæ hæreditatis nutrit. De his certe pascuis electorum a Domino dicitur : *Ingredientur et egredientur, et pascua invenient* (*Joan.* x, 9). Intus quippe habent pascua contemplationis, foris pascua boni operis. Intus mentem devotionibus impinguant, foris se piis operibus satiant. Merito parvulus iste dicitur oves pascere, quia electus quisque humilis est, et sterilis non est, qui quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Merito ergo non solum parvulus, sed pastor asseritur : quia qui vere humiles sunt, foris se dejiciunt, sed per internam societatem in summis, et æternis pascuis immorantur. Nam scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* v, 5). Quæ autem gratia? Nisi ut summa videant et cognoscant, cognoscant et diligant, atque ad ipsa dilecta quasi pingues et fortes currant. Hic itaque, quia valde idoneus est, instanter exhiberi jubetur. Nam sequitur :

(Vers. 11.) *Et ait Samuel ad Isai : Mittite, et adducite eum. Neque enim discumbemus, priusquam ille veniat.*

16. Quid est autem, *Non discumoemus, priusquam veniat?* Quem requirit, nisi quia in observatione jejunii celebranda sunt sacramenta unctionis? Nobis autem non solum ipsa sacramenta, sed vis sacramentorum attendenda est. Nam quidam cibi sunt, qui si non caventur, ungere bene reges nequaquam sinunt. Exteriora quidem Ecclesiæ negotia quidam cibi animæ sunt, qui ab electis devote administrantur. Sed si negotiorum multitudine anima saturetur, ad suscipienda spiritualia intrare perfecte non sinitur. Cum ergo spiritalia instant, exteriora differantur : quia cum magna mentis quiete disponenda sunt. Sequitur :

(Vers. 12.) *Misit ergo, et adduxit eum.*

Rex futurus adducitur, quando ab occultationis suæ latibulis humiles producuntur. Latent quidem, sed in pascuis; quia, etsi hominibus intra carnis vilia et infirma se tegunt, magna est supernæ contemplationis latitudo, in qua morantur. Sed qualis jam prælatus appareat, videamus. Sequitur enim, et dicit :

(Vers. 12.) *Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoraque facie.*

17. Quid est, quod tanta pulchritudo regis asseritur, nisi quia magnis virtutum fulgoribus ornari debet persona doctoris? Nam de Redemptore dictum est : [a] *Spiritus ejus ornavit cœlos* (*Job.* xxvi, 13). Cœli namque sunt sublimes prædicatores. Qui profecto cœli a spiritu ornati sunt, quia virtutes quibus emicant a Spiritu sancto percipiunt. Quid est ergo, quod rufus asseritur, nisi quia in rubra sæpe materia charitatis fervor designatur? Unde et in veste pontificis coccus ponitur bis tinctus, ut duplici vestiatur charitate. Rufus ergo dicitur per ardorem charitatis, quia dum ardentia præcepta charitatis exhibet, quasi per calorem rubet. Quid item est pulcher aspectu, nisi interna contemplatione conspicuus? Quasi enim pulchrum aspectum habet, qui decore visionis radiat in interna contemplatione. Quid ergo facies designat, nisi exteriorem gloriam honestatis? Nam quia per faciem quisque cognoscitur, decor faciei est præclara honestas conversationis. Quasi enim per faciei decorem cernitur, qui in omni gestu corporis splendidus invenitur. Rufus ergo amore est, pulcher aspectu propter scientiam decora facie, splendidus honestate. Quia vero charitatis fervor **383** per sancta opera demonstratur, potest per ruborem ipse labor operis designari. Qui enim nimis laborat, faciei ruborem repræsentat : quia dum intus incalescit, foris in vultu ruborem trahit. Sic namque est omnis spiritualis labor. Quia enim unusquisque quanto amplius pro æterna vita laborare conatur, tanto ferventius ad laborandum sancti Spiritus ardore succenditur, velut in fervescendo ruborem excitat, quem foris portat. Rufus est ergo doctor labore pii operis, pulcher aspectu in fulgore contemplationis. Decor vero faciei ipsa est pulchritudo charitatis. Per alias quippe virtutes formam sanctitatis accipimus; per ipsam cha-

[a] Corrupte in aliis excusis, *spiritu ejus ornavit cœlos.*

ritatem, ipsam formam nobis quasi mirabili decore vestimus. Illæ aliæ virtutes corpus justitiæ sunt, charitas vero hujus corporis facies recte intelligitur. Per faciem quippe, non per corpus unusquisque cognoscitur. Nam si corpus videas, et faciem non videas, eum cujus solum corpus aspicis non agnoscis. Quid vero est aliud, quod fatuis virginibus respondetur a sponso: *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12)? Ecce per magnos labores virginitas conservatur, ipsa quoque virginitas magna et incomparabilis virtus agnoscitur. Quid est ergo, quod fatuæ virgines a sponso non cognoscuntur, nisi quia corpus habent quo subsistant, decorem vero non habent faciei quem sponsus agnoscat. Habent quidem laborem in conservando corpore, non habent decorem vultus in perfecta charitate. Hæc namque tria eo quo ponuntur ordine, in electi conversatione proficiunt. Nam pulchros contemplationis aspectus habere non prævalet, nisi qui prius se in labore pii operis vehementer exercet. Æternæ quidem lucis gaudia illius summi luminis immensitas, æternus ille vigor splendoris ineffabilis, quo laboriosius quæritur, se quærentibus laxius aperitur. Qui ergo jam talis est, idoneus quidem ad docendum cernitur; sed nisi decora facie fulgeat, nisi mentem charitatis perfectæ radiis illustratam gerat, dignus tanta celsitudine non probatur. Sit ergo rufus pastor, et non sit remissus in opere; sit pulcher aspectu, videlicet sublimis in eo contemplatio; sit decora facie, ut totum robur operis, et altitudo contemplationis, supernæ majestatis oculis notum, sit per ineffabilem pulchritudinem charitatis. Hæc quippe tria immensi decoris insignia, quia sanctæ Ecclesiæ doctor habere debet, pro omnibus Petrus assumitur, et an amet Redemptorem tertio interrogatur. Primo namque ei dicitur: *Petre, amas me* (*Joan.* XXI, 16)? ut per amorem agere fortia studeat; secundo, ut in contemplando alta cognoscat; tertio, ut perfectæ charitatis affectu, et erga proximum ferveat, et ad speciem Conditoris ferventius inardescat. Talis ergo ac tantus tam pulcher, tam decorus puer, quo testimonio proferatur, audiamus. Nam sequitur:

(Vers. 12.) *Surge, et unge eum, ipse enim est.*

18. Quid est, *Surge, et unge eum?* An tantus erat parvulus, ut sedendo ungi non posset? Sedendo quippe, tangere alta non possumus. Magna ergo est virtus, magna celsitudo humilium, si ad eorum summa nec prophetæ pertingunt. Surgit ergo propheta, cum se pontifex in miram electi prædicatoris venerationem erigit. Nam foris humilem quasi videndo conspicit; sed interius ejus meritum, nisi se in interna contemplatione erigat, non agnoscit. Surgere ergo doctor præcipitur: quia cui tanta vult sacramenta impendere, ejus ante cognoscere meritorum sublimitatem debet. Quid est ergo, quod dicitur, *Surge, et unge eum, quia ipse est*, nisi sublimi **384** sublimia sacramenta sublimiter præbe? Nam sæpe indiscreti pastores negligentem et reprobam accedentium vitam sciunt, et eos promovere non metuunt. Hi profecto ungunt, et non surgunt; quia quibus sacramenta unctionis tribuunt, in alto sitos meritorum loco non cernunt. Quando igitur docter sublimis ostenditur, ejus ordinator surgere monetur; quia per ministerium tunc digne tribuuntur sacramenta unctionis, cum ungendus in alta conspicitur sublimitate virtutis. De quo nimirum, *Quia ipse est*, dicitur: Si ergo ipse est, alius non est; quia, nisi his virtutibus fulgeat, necesse est ut ordinem tantæ celsitudinis non attingat. Quem ergo monstraturum se Dominus promisit, rufum et pulchrum aspectu, et decora facie ostendit, dicens: *Ipse est enim.* Quia nullus debet subire culmen reginiinis, qui robur non habet magni operis, scilicet contemplationis scientiam, et fervorem charitatis. Bene ergo subjungitur:

(Vers. 13.) *Tulit igitur Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum suorum.*

19. Cornu olei tollitur, ut tota vita pontificis spiritualis esse doceatur. Cornu olei tollitur, ut in excellenti liquore magister Ecclesiæ vir esse studeat magnæ misericordiæ. Oleo ungitur caput regis, quia lucere super candelabrum debet per flammam verbi. Cornu oleum recipit, ut increpando purget, et miserando per blandimentum trahat. Cornu etiam recipit in sublimitate ordinis, oleum ad fomenta virtutis. Sed pleno cornu ungitur, ut virtus pontificis plena doceatur. Cornu namque plenum in unctione sua habet, si tam in virtute misericordiæ quam charitatis et verbi perfectus est. Plenum etiam cornu in unctione sua habere cognoscitur, cujus omnis potestas per misericordiam dispensatur. Ipsa quippe auctoritas sanctæ Ecclesiæ, cum sine misericordia est, nulla est; quia tunc spiritualis est rigor disciplinæ, cum a linimento non vacat misericordiæ. Cornu ergo et oleum simul ostenditur, ut disciplina semper cum misericordia teneatur. Cornu namque oleo plenum dicitur; ut ubicunque cornu acumen exhibet, exhibeat refusæ gratiæ unctionem. Sed dum ad ungendum regem unctio ducitur, cornu foris cernitur, intus plenitudo olei occultatur. Portet igitur propheta cornu foris, intus oleo repleat; foris textum insinuet, intus sacramenta declaret. Sciat ergo propheta quod tribuat; sciat rex unctus exhibita recipiendo, quid agat. Quid est ergo, quod foris est cornu, intus oleum, nisi quia plerumque subditorum duritia meretur, ut pastoris increpationem sentiat, sed misericordiæ ejus aliquid non attendat? Rector ergo cornu exhibet, in quo oleum latet; quia, cum quis acriter ex charitate corrigitur, pœna sentitur, charitas non videtur. Sævus enim rector aspicitur, qui sic increpat, quasi qui non amat; quasi qui vehementer odit, sic objurgat. Quid tunc a compunctis cernitur, nisi cornu acumen, quo acrius feriantur? Sed quia valde intus prius pastor diligit, quem foris arguendo ferit; quid aliud quam cornu increpando monstrat, oleum diligendo celat? Plenum ergo cornu in unctione regis asseritur, ut in electo prædicatore perfectum utrumque esse doceatur. Nam

acutus ad arguendum esse debet, mollis ad misere-
dum. Perfecte feriat, ut omnem vim morbi perfecte confodiat; perfecte per misericordiam ungat, ut plagas quas pungit ad sanitatem reducat. Si enim minus violenter quam debet ferit, plus quod latet non ejicit. Et si violenter ferit, et **385** abunde non ungit, percussum per austeritatem interficit, et saluti non reddit. Sit ergo integrum cornu, integra olei plenitudo, ut austere per cornu feriantur vulnera, et per oleum foveantur.

20. Sed quid est, quod in medio fratrum ungitur, nisi quia virtutis exempla circumquaque spargere jubetur? In medio fratrum ungitur, ut tantæ unctionis fieri participes omnes possint. Qui enim in medio ponitur, ab omni parte videtur. Oleo quippe in medio aliorum ungitur: quia qui in aliorum exemplum positus est, nullam sui partem habere obscuram debet, ut hunc omnes aspiciant, et ab eo lucis exemplum sumant. Unde et sancta animalia in circuitu oculos habere describuntur (*Ezech.* I): quia electus doctor dum ardorem charitatis, dum virtutem misericordiæ, dum zelum rectitudinis ex dono sancti Spiritus recipit, quasi globum habitat luminis, qui eum ex omni parte circumstantibus fulgentem reddit. Vel in medio fratrum ungitur, ut unctum et medium se esse semper arbitretur. Agnoscat ergo dignitatem suam, et vim dignitatis exerceat, quia unctus est. Videat se medium, et communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos quibus eminet recognoscat. In medio ergo fratrum ungitur, ut sit humilis et sublimis. Sublimis ordine, humilis æstimatione. In medio item ungitur, ut se privato amore non diligat, sed ex omni quod præeminet lucra aliorum quærat. Unde et Saul solus in extrema parte civitatis unctus fuisse perhibetur (*I Reg.* IX). Quid est enim, quod solus a solo inungitur, nisi quia de culminis potestate per amorem privatum debebat intumescere! Dum enim de accepta dignitate se singulariter amare voluit, velut fomentum luminis solus tulit. Unde et puer, qui comitabatur, præmittitur: quia electorum nullus ejus exempla sequitur, qui divina auctoritate reprobatur. David ergo in medio fratrum ungitur: quia electus doctor de eo, quod singulari sublimitate sustollitur, singulari amore nequaquam gloriatur. Et quia per ministerium hominum spiritualia in electis rectoribus dona cumulantur, adjunctum est:

(Vers. 13.) *Et directus est spiritus Domini in David a die illa, et in reliquum.*

21. Spiritus quippe Domini post unctionem dirigitur: quia foris sacramenta percipimus, ut intus sancti Spiritus gratia repleamur. Foris namque homo, intus Deus operatur, et non homo. Foris namque homo surgit, intus se spiritus dirigit: quia ordinem religionis homo homini præbet, sed in eum cui ordo datur spiritus dirigitur, ut foris sublimitatem suscipiat ordinis, et intus robur sancti Spiritus. Foris ordo committitur, ut quæ Dei sunt, agere debeat; intus dirigitur spiritus, ut quod injungitur, potenter agat. Magnum quippe est onus ordinis, magna fragilitas carnis. Onus ergo tantum quia debili committitur, dirigitur spiritus; ut debilis roboretur, et magnum onus[a] tanto gratius ferat, quanto ipsum omnipotens spiritus fortius ad ferendum juvat. Sed dirigi spiritus dicitur, ut conversus a rege superbo sentiatur. Se ergo spiritus in alterum dirigit, quando ejusdem spiritus gratia superbos ac fictos fugit. Unde et scriptum est: *Spiritus Domini disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* I, 7). Hinc et per semetipsum in Evangelio ait: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* III, 8). Spiritus quidem venit et vadit, quia reprobos deserit, electos assumit. Et quia judicium omnipotentis Dei imperscrutabile est, unde veniat et quo vadat homo **386** nescit: quia sciri non potest, an quis in gratia quam recipit perseverare in perpetuum debeat. Ab eo igitur qui defecit venire spiritus dicitur, ire ad eum qui perseveraturus est: quia alios in tempore deserit, alios assumit, nec tamen deserit. Unde et in typo electorum de David dicitur: *Directus est spiritus Domini in David a die illa in reliquum.* In die quidem unctionis dirigitur, quando sic foris Christi sacramenta percipimus, ut intus sancti Spiritus gratia repleamur. Et in reliquum dirigitur spiritus, qui a gratia quam percipit nunquam recedit. Hanc quippe gratiam directi spiritus sic prædicatoribus ascribimus, ut omnibus ordinibus sanctæ Ecclesiæ tribuamus. Quisquis enim Redemptoris nostri fidem suscipit, per redemptionis nostræ baptismum renascitur, et Spiritus sancti gratia ab omni peccato redimitur. Unde et electis redemptis ejusdem Spiritus sancti donum insinuans Paulus apostolus, ait: *In quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes.* IV, 30). Si ergo consideremus populum dudum in circumcisione superbum, Spiritum sanctum amittere, videmus pariter in baptizatos ejusdem spiritus directionem. In quo nos quidem dirigimur, quia per superbiam illi sancti Spiritus gratiam perdiderunt. Quid est ergo, quod dicitur, *A die illa et in reliquum*, nisi quia sancti Spiritus gratia sic recipitur, ut in ea electi usque in finem perseverare doceantur? Multi quidem post remissionem peccatorum peccata ad mortem faciunt, in quibus nimirum spiritus in reliquum dirigi non videtur. Dirigitur ergo spiritus in electis tantum in die illa in reliquum, quia reprobis in exortu fidei per Spiritum sanctum peccata dimittuntur, sed Spiritus sancti gratiam postmodum per iniquitatem perdunt. Dirigitur namque in reliquum, sed in David, quia manu fortis interpretatur. Manu quidem fortis est qui diabolo prævalet, et bonum quod accipit per perseverantiam usque in finem tenet. De quibus certe Dominus ait: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit* (*Matth.* X, 22). Quod si universalis Ecclesiæ status conspicitur, spiritus Domini in David in reliquum directum videmus: quia electos sanctæ Ecclesiæ ab ejusdem Ecclesiæ primordiis Spiritus sancti gratia replere cœpit,

[a] Gussanv., *tanto gravius ferat.*

quos usque ad mundi finem custodire non desinit.

22. Jam quippe juxta propositum nostrum claudi liber ad finem debet; sed ad memoriam redit quia principia voluminis ad conversationem retulimus Redemptoris. Et quia per Joannem initium, et finis idem Redemptor noster asseritur, optimo liber fine clauditur, si in Redemptoris nostri narratione [a] consummetur (*Apoc.* I, 8). David ergo manu fortis ipsum Redemptorem humani generis insinuat, qui antiquo hosti prævaluit, et de ejus potestate electos tulit. Qui Bethlehemitæ Isai filius dicitur, quia de eo populo nasci voluit, quem Scripturarum sanctarum scientia quasi ex pane saturavit. Domus quippe panis Judæa fuit, quæ solidum Scripturarum cibum in spirituali intelligentia, quasi ex pane habuit. Quid vero Samuel, nisi, ut jam sæpe diximus, novorum prædicatorum ordinem signat? Quid vero David, nisi Redemptorem insinuat? Ad eum ergo ungendum Samuel mittitur. Ungere quippe eum, est ejus incomparabilem sanctificationem ignorantibus prædicare. Nam quasi ungitur, quando nescientibus opinionis ejus odor aperitur. Hunc namque ungebat, qui dicebat: *Quia ei se infundit omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Colos.* II, 9). Sed quid tantum **387** novos prædicatores ad ejus unctionem recipimus, cum etiam veteres tam venerabiliter unxisse videamus? Quid enim melius ac suavius redolet, quam illud, quod in eo propheta Isaias effudit, dicens: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isai.* XI, 2)? [b] Hinc item, qui tenetur in manibus, David ei loquens, ait: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (*Psal.* XLIV, 3). Et post pauca: *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hunc autem Daniel unxit, et omnis unctionis sacramentum Judæis præbuit, dicens: *Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra* (*Dan.* IX). Ad ungendum ergo propheta mittitur; quia ejus odor a parvulis nunquam capitur, nisi per prædicatorum ora pandatur. Unde et tres illæ mulieres aromata præparant, et in sepulcro Redemptorem ungunt (*Marc.* XVI). In sepulcro quidem Jesus ungitur, cum resurrectionis ejus gloria prædicatur. Unde et cum veniunt, Jesus non invenitur; quia cum bene de Dominica morte disputant, mortuum jam resurgentem monstrant, et quasi veniendo non inveniunt; quia ubi bene mortis causam cognoscunt, vitam esse redditam per illius mortem inveniunt.

23. Sed quid est, quod implere cornu oleo jubetur? Quid namque fuit austeritas legis, nisi cornu acuitas? Quasi enim cornu percussit, dum peccata non per misericordiam indulsit, sed pœnam infligendo vindicavit. Cornu ergo oleo impletur; quia talis Rex ungitur, qui peccata hominum misericorditer dimittat, non per legis austeritatem puniat. Nam Moysi cornu præferebant, qui de ea quæ in adulterio deprehensa fuerat Domino dicebant: *Moyses jubet hujusmodi lapidare; tu quid dicis de ea* (*Joan.* VIII, 15)? Sed qui pleno cornu unctus fuerat, dicit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Quasi cornu feriendi ille, assumpserat, qui dicebat; *Hic si esset propheta, sciret quæ et qualis est hæc mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est* (*Luc.* VII, 39). Sed qui ex plenitudine cornu unctus Jesus fuerat, totum remittebat, dicens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hinc de peccatorum assumptione murmurantibus dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX, 13). Cornu ergo pleno ad ungendum David propheta mittitur, quia illum modo doctores prædicant, qui duritiam legis solvit, et omne, quod rigidum prætulit, per gratiæ suæ fomenta reparavit. An non ungebat eum ille, ad eum ungendum missus, de quo dicitur: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes; hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine* (*Joan.* I, 6)? Sed audivimus quomodo missus fuerat, audiamus quomodo ungat: *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Ibid.*, 29).

24. Potest per cornu, regni ejus videlicet, sanctæ Ecclesiæ sublimitas designari, quæ magna est, sed austera et superba non est. De quo nimirum cornu superius per Annam Samuelis matrem dicitur: *Sublimabit cornu Christi sui* (*I Reg.* II, 10). Hinc namque per Zachariam dicitur: *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui* (*Luc.* I, 69). Cornu quidem salutis quid est, nisi sublimitas ecclesiasticæ potestatis? Nam quod antiquis nusquam dicitur, modo universali Ecclesiæ dicitur: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Quod profecto cornu erectum et oleo plenum dicitur, quia sancta Ecclesia, **388** cum sublimitate potestatis, extendit viscera miserationis. Et quia per damnatæ humanitatis vitium, facilius in auctoritatem potestatis extolli possumus quam flecti ad mollitiem pietatis; bene non cornu, sed præparare oleum jubetur. Qui enim, *imple cornu tuum oleo*, dicit, cornu sine oleo esse signavit. Quid est hoc, nisi quia irasci et arguere etiam inconsulti possumus, sed flecti ad misericordiam, nisi ex magna meditatione, non possumus? Quasi dicat: Zelum, quem naturaliter habes, imple oleo, quod si non habes ex te, habere potes ex virtute. Quod certe ei dicitur, qui ungere Redemptorem mittitur; ut qui in officio prædicationis ponitur, dives esse misericordia semper conetur.

25. [c] Potest hoc cornu mentis affectus ostendi. Quod certe cornu impleri præcipitur, quia perfecte debet Redemptoris nostri unctio, id est sanctificatio, ante sciri quam sufficienter valeat prædicari. Cornu ergo impletur, quando bene sanctitas Redemptoris agnoscitur. Et pleno cornu ungitur, quando optime

[a] Vatic. et Gilot., *consumetur*.
[b] Gilot. et Vatic., *hic item*.
[c] Vatic. et Gussanv., *post hoc cornu*, ubi omnino deficit sensus.

prædicatur. Nam Joannes quia prædicando ungere venerat, quasi cornu implevit sciendo; ut eum ungere bene loquendo potuisset. Si autem bene scire impletionem volumus, audiamus quod in Evangelio dicitur : *Factum est verbum super Joannem Zachariæ filium in deserto* (*Luc.* III, 2). Cornu ergo pleno eum unxit, qui perfecte prius a verbo doctus est quam verbi divinitatem et assumptam hominis naturam loqui potuisset. Sed veniens, in manu vitulum habuit; quia, ut dignus præco Redemptoris fieret, carnem suam Deo per abstinentiam mactavit. Potest etiam vituli appellatione ipse Dominus designari. Quid ergo est, quod propheta in manu vitulum tulit, nisi quia, qui Jesum vult prædicando ostendere, per mortificationem carnis debet ejus, quem prædicat, passiones imitari? Vitulum quippe in manu tenere, est similitudinem passionis Christi in virtute operationis ostendere. Aliter enim, qui ad ungendum regem venit, occiditur; quia nimirum in salutis suæ periculum prædicator veritatis efficitur, qui verbum quod ore prædicat prava operatione conculcat. Samuel itaque ad ungendum regem veniens, in manu vitulum tulit; quia præcursor Domini se prius mirabilem per supernæ conversationis fulgorem præbuit, et sic bonum tantæ gratiæ nescientibus indicavit.

26. Sed quid est, quod quæri inter filios Isai jubetur, nisi quia et de veteri populo nasciturus erat, et æqualem nullum habiturus? Quæri itaque præcipitur, ut ei rationabiliter credamus. Et quia per semetipsum dicit : *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI, 44), bene Samueli a patre dicitur : *Unges quem monstravero tibi.* Quasi enim monstratum unxerat prius, qui ab eo, quem unxerat, audiebat : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis* (*Matth.* XVI, 17). In Bethlehem ergo mittitur, quia cum secundum carnem quæritur Christus, natus ex Judæorum populo invenitur. Venit etiam in Bethlehem, quia ordo prædicatorum ante Judæam convertere studuit, et postea gentibus Redemptoris finem [*Legendum videtur* fidem] prædicavit. Quid est autem, quod seniores civitatis mirantur, nisi quia, qui ad maturitatis sensum pervenerant, in tantæ novitatis prædicatione stupebant? Sed admirantes ei occurrunt, quia prædicationem veritatis libenter audiunt. Occurrere quidem prædicatoribus, est verbum fidei quod prædicant desideranter audire. Quid de pacifico ingressu ejus **389** interrogant? Quid est ingressus pacificus, nisi cum præsentia pacis venerit? Hanc item pacem ostendit, qui ait : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Quid est ergo quod de pacifico ingressu interrogant, nisi quia patrum promissionem electorum Judæorum corda desideranter exspectabant? Quasi nutantes, qui exspectabant, dicant : Nunquidnam venit pax, quæ se venturam, tanto temporum spatio præcurrente, prædixit? Et quia novi doctores, quod antiqui patres promiserant, exhibitum narrant, dicunt : *Pacificus.* Quasi dicat : Nos non futura promittimus, sed præsentia pacis dona monstramus. In ingressu nostro præsens est, in verbo nostro futura non est. Jam justus Simeon vidit, jam tenuit et adoravit, dicens : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (*Luc.* II, 29). Jam pastoribus apparuit, jam missa de cœlis diu exspectata pace, angelorum multitudo cantavit : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Et quia non solum prædicare pacem venerat, sed etiam persuadere, subdit, dicens : *Ad immolandum veni.*

27. Quid est sacerdoti immolare, nisi Redemptori nostro corda electorum per amorem conjungere? Quasi dicat : Vos, an venerit, scire vultis, sed non prodest sciri, nisi prosit amari. *Ad immolandum ergo Domino veni.* Hinc est, quod Paulus eos in quibus immolare non poterat expellit, dicens : *Qui non amat Dominum Jesum, anathema sit* (*I Cor.* XVI, 22). Sed invitatis ad victimam dicitur : *Sanctificamini, et venite.* Judæi idcirco nobiscum ad fidei sacrificium venire nequeunt, quia Dominum Jesum ex Scripturis judicare nolunt, sed solo odio audire ejus prædicationem refugiunt. Unde per semetipsum Dominus queritur, dicens : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent, quia viderunt et oderunt me, et Patrem meum* (*Joan.* XV, 24). Quid est ergo, quod dicitur : *Sanctificamini, et venite?* Sed sanctificari auditoribus, est audiendum puræ mentis secretum præparare. Sanctificari quippe eis, est odium de corde projicere, et ad audiendum verbum prædicationis, intentionis puritatem parare. Sanctificatis ergo venire præcipitur, quia venire nihil prodest qui intentionem puritatis audiendo non habent. Et quia per doctores sanctos sanctus loquitur Spiritus, dicit : Venite mecum : quasi dicat : Sic loquentem attendite, ut vobiscum credatis audientem, quia sic loquor ut audiam, dum ipse sum qui loquor et locutionem administro. Et quia in initio nascentis Ecclesiæ multi ex Judæis, et devote audierunt, et fideliter crediderunt, bene dicitur, quia Isai et ejus filii sanctificati a Samuele sunt, et ad victimam invitati.

28. Sed in septem Isai filiis rex non invenitur. Quid enim septem Isai filii, nisi omnes sunt Synagogæ perfecti? Qui ad prophetam veniunt, sed eorum nullus eligitur : quia electus prædicator, et perfectos Synagogæ filios aspicit, et ex eis Redemptorem humani generis nullum credit. Adducit ergo omnes priores filios, ut cum perfectos omnes aspicimus, Redemptoris excellentiam cogitemus. In quibus profecto nisi parvulus adducitur, rex esse a Domino non monstratur : quia nimirum cum Redemptori nostro magnos viros conferimus, quantum excellat ejus dignitas, videtur. Non invenitur ergo in aliis, quia puri homines sunt. Quæritur ergo in pascuis puer qui pascit oves, quia usque ad mortem Patri obediendo se subdit : *generationem* tamen *ejus* **390** *quis enarrabit* (*Isa.* LIII, 8)? Parvulus quippe dicitur, quia humilitatis ejus gratia commendatur. Parvulus ergo dicitur, qui minoratus ab angelis per Psalmi-

stam perhibetur (*Psal.* v). Sed parvulus oves pascit, quia per humilitatem est humilis, et per majestatem sublimis. Hic laborat et esurit, sed ibi de gloria majestatis suæ angelos pascit. Dum enim de plenitudine gloriæ ejus omnes accipiunt, quasi in illis beatissimis pascuis per puerum saturantur. Parvulus etiam pastor asseritur : quia de carnis ejus assumptione, superni cives ineffabiliter gaudent. Gaudium quippe illud ineffabile beatorum civium, quasi ovium cibus est. Hic ergo adduci instanter præcipitur, hic donec veniat, discubitus necesse est differatur. Discumberet quippe, antequam veniret, si plebs in alium credidisset. Exspectari ergo debuit, qui beatarum animarum singularis et unicus cibus fuit. Unde et per semetipsum dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51). Sed quia *qui ascendit, ipse est, qui descendit* (*Ephes.* IV, 10), illuc mittitur, ut adducatur. Mittere namque ad pascua, est mentem supra Angelos usque ad æqualitatem æterni Patris extendere. Et invenire eum, est summo patri eum per omnia æqualem credere. Adducit autem eum, qui etiam ad Redemptionem humani generis per assumptam humanitatem venisse jam asserit. Miserat namque, et adduxerat eum hic, ad quem in ejus typo mittitur, cum dicebat : *Qui de cœlo venit, super omnes est* (*Joan.* III, 31). Parvum pascentem oves adducebat Isaias, cum dicebat : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis* (*Isai.* IX, 6). Sed quia doctoris fides ad salutem sibi tantum, non etiam auditoribus proficit, mitti et adduci præcipitur, ut unusquisque fidem ejus habeat, per quam salvari mereatur. Ire etenim singuli, et adducere eum debent, quia firmiter debent eum credere per divinitatem æterno Patri æqualem, et per manitatem naturæ nostræ participem.

29. De cujus etiam descriptione dicitur : *Qui erat rufus, et pulcher aspectu, et decora facie.* Rufus quippe, quia lancea vulneratus : rufus, quia ex passione rubicundus. Unde et per prophetam ei dicitur : *Quare rubrum est indumentum tuum* (*Isai.* LXIII, 2) ? Rufus quippe exstitit, cui candorem tantæ innocentiæ pretiosi sanguinis rubore coloravit. Pulcher etiam aspectu fuit, quia et resurgendo immortalitatis pulchritudinem induit, et mortales nos ex magna charitate respexit. Quasi enim aspectus sui pulchritudinem repromittens discipulis, ait : *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (*Joan.* XVI, 22). Hinc item repromittens, ait : *Vado parare vobis locum, et veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut, ubi ego sum, et vos sitis.* Quis est decor faciei, nisi ejus gloria majestatis? Facies namque ejus perfecta cognitio est. Hanc etiam Paulus commemorans, ait : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII, 12). Decor ergo faciei quid est, nisi splendor æternæ divinitatis? Qui nimirum decor modo creditur, non videtur : tunc non creditur, sed videtur, quia apostolus ait : *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (*I Joan.* III, 2). Unde et Moysi quærenti eumdem faciei decorem, respondit : *Posteriora mea videbis* (*Exod.* XXXIII, 23). Quidquid de illius divinitate contemplari nunc possumus, non est ipse decor, sed velamentum decoris. Posteriora quidem cernimus, ut sequamur; sed, dum sequendo pervenimus ad eum, anteriora, id est faciei decorem cernimus. **391** Rufus ergo in sæculo fuit, pulcher in paradiso, decora facie perennis in cœlo. Potest et omnis hæc trina pulchritudo in hac præsentis vitæ ejus conversatione cognosci. Rufus quippe exstitit : quia ferventer amavit eos, pro quibus animam posuit. Pulcher aspectu fuit : quia omnia novit. Decora facie : quia bona omnia fecit. Sed quæ illa aspectus pulchritudo? *Nemo novit patrem, nisi filius* (*Matth.* XI, 27). Hunc item Petrus admirans, ait : *Nunc scimus, quia scis omnia, et non est opus, ut quis te interroget* (*Joan.* XVI, 30). Decorem faciei turbæ intuentium protestantur, quæ dicunt : *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui* (*Marc.* VII, 37). Hinc item alii admirantes, dicunt : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei* (*Matth.* VIII, 27)? Decor ergo faciei quid est, nisi pulchritudo sanctitatis? Quid item est decor faciei, nisi splendor conversationis ejus incomparabilis? quia per omne, quod egit, incomparabili luce gratiæ resplenduit. Hunc namque faciei decorem Psalmista admirans, ait : *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (*Psal.* XLIV, 3). Hanc Paulus prædicans, ait : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Hebr.* I, 3) ? De hoc igitur recte prophetæ præcipitur : *Surge, et unge eum, ipse est enim.*

30. Petrus quoque apostolus non solum propheta, sed summus patriarcha, vidit inenarrabilem lucem fusam desuper, nubem obumbrantem, clamantem patrem : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII, 5; *Marc.* I, 11; *Luc.* III, 22; *II Petr.* I, 17). Ibi dicitur : *Ipse est enim.* Hic dicitur : *Hic est filius meus dilectus.* Ibi quia in typis ostendebatur, quasi absentior cernitur, dum dicitur : *Ipse est.* Hic autem, quia jam revelata claritas ejus erat, præsentior cernitur, quia dicit : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hic ergo ungendus est, hic laudandus, et perpetuis favoribus demulcendus. Sed quis digne laudare sufficiat, cum non sufficiat gloriam videre, quam laudat? Quid est, quod Petrus cadit, cum vocem audit insonantem tanti verba præconii? Sed parvulus erat, adhuc videbat, quod videre non sufficiebat. Videbat, et quia videndo cadebat, significat, quod ad id non poterat attingere, quod merebatur videre. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII, 3). Quia ergo Petrus nondum illam plenitudinem spiritus acceperat, prædicare Jesum quasi parvulus non valebat.

ergo surgere jubetur prius, et visionem nemini dicere, donec a mortuis resurrexisset. Post resurrectionem quippe accepturus erat Spiritum sanctum. Unde scriptum est : *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat* **392** *glorificatus* (*Joan.* VII, 39). Nondum debebat ergo Petrus ante resurrectionem visionem dicere, quoniam quidem bene vidit, sed antequam spiritum haberet, non intellexit.

31. Quid est ergo quod ad Samuelem Dominus ait : *Surge, et unge eum?* Quid est, quod surgere jubetur, ut ungat, nisi quia multum oportet eum erigi ad superna, qui sublimitatem Domini gestit prædicare? Sed quantum erectus erat Petrus, qui ad tanta videnda sustollebatur? Sed si ille adhuc altiorem statum perfectionis exspectat, quis tantæ prædicationis officium subire non metuat? Si prophetam Dominus surgere admonet, prædicare Dominum audet, qui per lapsum pravitatis jacet? Hinc est enim, quod unicuique prædicatori per Isaiam præcipitur : *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion* (*Isai.* XL, 9). Mons excelsus, perfectio doctrinæ, et operis est. Surgat ergo, qui ungere regem præcipitur, in sublimia se extendat. Surgat in alto opere, surgat in alta contemplatione, surgat in sapientia verbi, surgat in virtute charitatis. Ille quidem, qui prædicantis ungitur, tantus est, ut vix ad eum a sublimibus perveniatur. Et fortasse Paulus hunc ideo ungere poterat, quia dicit : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Ideo hunc ungere poterat, quia ad tertii cœli secreta se erexerat, et in paradiso arcana verba audiebat. Quia ergo Dominus Jesus sublimiter a sublimibus prædicari debet, surgere propheta præcipitur : quia eum, per quem ipse signatur, ungere jubetur. Alta quidem, imo altissima hæc perfectæ conversationis virtus est, sed a multis perfecte perficitur. Magna quidem sublimitas hæc est, sed tamen sublimes Ecclesia sancta multos habet. Nam ex quo Synagogam repulit, in innumerabilem celsitudinem virtutis sanctam Ecclesiam sublimavit. Bene ergo dicitur : *Et directus est spiritus Domini in David a die illa in reliquum.* Dies quidem est fides Redemptoris : in qua nimirum et sancta Ecclesia illuminatur, et repulsa Synagoga mira cæcitate deprimitur. In die ergo illa Spiritus sanctus in David dirigitur : quia ejus gratia Synagogæ tollitur, et sanctæ Ecclesiæ electis datur. Dirigitur enim, quia illos deserit, istos assumit. Sed in die dirigitur, quia qui in fide Redemptoris illuminatus non est, in se se dirigentem spiritum habere non potest. Spiritus ergo in die dirigitur, quia fidei lumen habentibus datur. Dirigitur autem in David, quia hunc sola sancta Ecclesia suscipit, quæ corpus est Redemptoris. Sed quia, auctore Deo, ea, quæ proposuimus, de libro Regum tractanda complevimus, orandus est summus atque omnipotens Spiritus, ut qui verba per quem voluit, protulit, tam scribenti, quam legenti tribuat affectum virtutis. Amen.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTEM CANTICORUM EXPOSITIONEM.

393 I. Cum ex omnibus sacræ Scripturæ Canticis, illud præstantissimum sit, quod ideo *Canticum Canticorum* tam ab Hebræis quam a Græcis et a Latinis dicitur, mirum videri non debet in ipso interpretando et exponendo, non solum ex Christianis, sed etiam ex Judæis tot virorum eruditorum ingenia desudasse. Inter Hebræorum doctores celeberrimi recensentur Rabbi Salomon, Aben Ezra, David Kimhi. At ex Christianis, ut a Græcis incipiamus, insigniores Ecclesiæ Græcæ Patres ac magistri, in investigandis et rimandis hujus divini Cantici mysteriis suam exercuerunt industriam, præsertim Origenes, Gregorius Nyssenus, Theodoritus. Inter Latinos autem, omissis etiam recentioribus interpretibus, Nicolao Lyrano, Hugone cardinali, Dionysio Carthusiano, et sexcentis aliis ; quotquot fere sæculis superioribus pietatis ac doctrinæ laude floruerunt, in hujus sacri Cantici reconditis sensibus, unde se aliosque ad divinum amorem inflammarent, sollicite scrutati sunt. In his Thomas Aquinas, Honorius Augustodunensis, Richardus a S. Victore, Bernardus Claræ Vallensis, Rupertus Tuitiensis abbas, Robertus de Tumbalenia, cujus Commentarii meminit Ordericus Vitalis lib. VIII (ad an. 1087), Angelomus Luxoviensis, Alcuinus, Venerabilis Beda, Aponius, Cassiodorus, aut quivis alius auctor Commentarii Cassiodoro ascripti, et Justus Urgelitanus. Julianum Celanensem, vel potius Ecclanensem, in Campania episcopum, quem in Cantica scripsisse testatur Venerabilis Beda (*Lib. I in Cant.*), præterimus, utpote gratiæ hostem, quæ in hoc libro sacro copiosissime effunditur.

II. Attamen ante nostrum Gregorium, ex quatuor sanctis doctoribus, quos potissimum colit et observat Ecclesia Latina, nemo data opera librum Cantici Canticorum explanare aggressus fuerat.

Itaque non satis fuit sanctissimo Patri sparsim suis scriptis excerptos ex Cantico Canticorum flores interserere, et adjectis juxta multiplices Scripturæ sacræ sensus, variis interpretationibus, velut totidem vittis coccineis et aureis innectere (ex quibus tamen flosculis, eorum odore delectatus Venerabilis Beda, integrum librum septimum in Cantica contexuit ; quo in scribendi genere Paterium sibi prælusisse libenter fatetur) ; verum suavissima divinorum mysteriorum in illo sacro libro reconditorum contemplatione inebriatus, in Commentario quem hic edendum aggredimur, quod assidua meditatione biberat, eructavit.

III. Egregiam quidem hanc expositionem Gregorio nostro abjudicare conatus est, qui ipsius operibus evulgandis ultimus insudavit Petrus Gussanvillæus, quem errantem olim secuti sumus in Vita sancti Gregorii Gallice scripta, cum nondum incidissemus in tot libros manu exaratos, tum expositionis hujus, in quibus hucusque magna ex parte latitarat, tum genuinæ collectionis Paterianæ, ex qua invictum eruitur argumentum, ad hoc opus Gregorio ascribendum. Verum rationes omnes, quibus opinionem suam astruit, exsufflare operosum non est, ex tot veteribus monumentis in lucem a nobis erutis.

IV. Sane inficiari nemo potest Gregorium de Canticis Canticorum disseruisse, et Homilias habuisse, quæ

ab ejus discipulo Claudio postea abbate descriptæ sunt, id enim docet ipse epist. 24 libri XII, indict. V, Joanni subdiacono, jam laudata in Præfatione ad Commentarium in librum primum Regum.

Præterea non negat ipse Gussanvillæus Ildefonsum Toletanum episcopum, opus morale in Cantica Canticorum Gregorio nostro tribuere. Neque vero tanti viri auctoritatem elevare absque negotio est, ut putat Gussanvillæus. Sexaginta solum annis Gregorio junior fuit Ildefonsus; floruitque Hispanica in Ecclesia, quæ prima fere libris eximii hujus pontificis potita est, nempe missis ad S. Leandrum Hispalensem episcopum ejus amicissimum.

Libenter tamen assentimur Gussanvillæo respondenti, *unius Paterii hac in causa auctoritatem, multis præponderare.* At pro nobis militat ipse Paterius, non quidem spurius, qualem Gussanvillæus edidit, alios prius errantes secutus, sed genuinus et sincerus, quem ex plurimis indubitatæ fidei Mss. mox in lucem sumus emissuri. Nimirum in Explanatione Evangelii secundum Lucam cap. XVII, ad illa verba : *Et erat pernoctans in oratione Dei*, legitur in Paterio nostro : *Item de eodem,* **394** *in Expositione Cantici Canticorum lib.* I : *Compunctio quæ per charitatem fit, quæ ex desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est. Toties enim anima osculatur Deum, quoties in amore ejus compungitur*, etc., ut leges lib. I, num. 5, pene integro; scilicet usque ad hæc verba : *nulla necessitas est* (vel *nequaquam necesse est*) *ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus.* Hæc in omnibus veri Paterii codicibus quos consulere nobis licuit exstant; nimirum in Vaticano, in Belvacensi S. Petri, in Beccensi, in Val. Cl. et in Michaelino; quæ diu casso labore in expositione Cantici Canticorum Gregorii nomine in vulgatis munita inquisivimus. At in omnibus Mss. quos mox recensebimus, loco jam indicato, totidem verbis leguntur. Ergo Paterius Gregorii discipulus et notarius pro legitimo sancti Patris fœtu habuit expositionem in Cantica Canticorum, pro qua hic decertamus. Si cui vero scrupulus superesset de nostri Paterii sinceritate, legat quæ ad eum præfati sumus; ubi non solum indubitatis testimoniis, Paterio restituimus ipsius Collectanea e tenebris eruta, verum etiam Alulfo longe sequioris ævi monacho vindicamus excerptiones, quæ pro Paterianis hucusque venditatæ sunt. Nunc vero mss. codicum Expositionis in Cantica fides statuenda est ac sinceritas; ex qua dirimendæ hujus controversiæ ratio aliqua ex parte pendet.

V. In primis magnam antiquitatem redolet codex Divionensis S. Benigni, ubi legitur : *In nomine Domini*, etc. *Incipit Expositio in Cantica Canticorum Beati Gregorii papæ urbis Romæ. Postquam a Paradisi gaudiis*, etc. In homilia prima continetur insignis locus a Paterio prolatus. In his verbis desinit homilia prior, *tunc enim post currimus, quando et amando et timendo divina judicia non prævenimus.* Post hæc verba quæ legesis lib. I, n. 11, in fine, sequitur : *Explicit Hom.* 1. *Incipit* 2. *Introduxit me rex*, etc. *Ecclesia Dei quasi quædam domus regis est. Et ista domus*, etc.

Mirum non videbitur hic in Homilias distribui hoc Gregorii opus, cum in ejusdem epistola superius in testimonium adducta constet Expositiones in lib. Regum, in Cantica, etc., ex Homiliis exceptas et collectas fuisse : *Quia*, inquit, *charissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis Canticorum... de libris quoque Regum... quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ed suo sensu et stylo dictavit*, etc. Ad primam igitur ac rudiorem hujus operis delineationem spectando, potuit in Homilias dividi. Tempore tamen Paterii partitionem in libros jam receptam fuisse liquet, cum insignem locum pro compunctione decerptum laudet ex libro primo Expositionis S. Gregorii in Cant.

Hæc varios in libros divisio perseverare videtur in codice optimæ notæ S. Martini Turon. plusquam 500 annorum. Nam initio præmittitur : *Incipit liber I Beati Gregorii papæ urbis Romæ super Cantica : Postquam a paradisi.* Qui usque ad versum 3 capitis I Cant., *Introduxit me rex*, continuatur; hic enim, quasi alterius libri exordium sit, linea incipit a maxima littera. Ibi etiam absolvitur prima homilia in codice Divionensi, et in Val. Cl. similis divisionis exstant signa. Secundus hic liber pervenit usque ad partem versus noni cap. II, *en ipse stat post parietem*, etc., quæ verba præmissa littera quadrata maxima inchoant lineam, et novum veluti librum, scilicet tertium. Desinit hic in Expositione versus 5 capitis IV, post quam sequitur, adhibita maxima littera initio lineæ : *Vadam mihi ad montem myrrhæ*, qui versus est ejusdem capitis sextus. Quartus liber hic incipiens protrahitur usque ad versum 3 capitis VI, *Pulchra es, amica mea*, quæ eodem modo scribuntur ac aliorum librorum initia; unde conjicimus hic libri V esse exordium, cujus finis simulque sexti libri et ultimi principium signari videntur ad hæc verba versus noni capitis VI : *Quæ est ista quæ progreditur*, etc.; ut ex grandiori littera initio observata deprehendimus. Libro primo occurrit prolatus a Paterio de compunctione contextus, uti in aliis Mss. infra enumerandis.

Horum præstantior est, qui in monasterio Vallis Claræ asservatur; imo cæteris a nobis adhibitis ob antiquitatem elegantiamque videtur anteponendus, ideoque accuratius hic describendus. Codex hic primo loco continet librum Regulæ Pastoralis, in cujus calce legitur litteris rubris : *Explicit liber Pastoralis beati Gregorii papæ urbis Romæ.* Deinde eadem manu, iisdemque characteribus minio splendentibus : *Incipit Prologus beati Gregorii papæ super Cantica : Postquam a paradisi*, etc. Absoluto prologo, minio scriptum legitur : *Explicit Prologus. Incipit Explanatio in Canticis Canticorum. Osculetur me.* Nulla est hoc in codice sive librorum, sive capitum distinctio. Ultima verba sunt, uti in editis et in nostris Mss. : *Cui pro nobis tradito in mortem, et resurgenti in immortalitatem, nos ipsos et spiritum et corpus debemus. Qui vivit*, etc. Mox subditur : *Explicit Expositio beati Gregorii papæ super Cantica Canticorum.*

Eadem manu codex videtur exaratus ac priores chartæ ad monasterii fundationem dotationemque pertinentes; illius autem cœnobii exordium assignatur anni 1134. Lectum olim fuisse codicem hunc in conventu Fratrum ante Completorium, ut apud Cistercienses et alios sub S. Benedicti regula militantes **395** monachos moris est, manifestum fit ex interpunctione ac notulis vocem modo attollendam, modo deprimendam signantibus. Unde non leve argumentum suppetit, scriptum fuisse et ad quotidianas lectiones publicas adhibitum fuisse, antequam eximium S. Bernardi opus super Cantica elucubratum foret, aut saltem vulgatum. Neque enim par est credere Cistercienses, post hanc Canticorum explanationem cæteris longe præstantissimam, in lucem emissam a tanto Cisterciensis familiæ alumno, imo patre, aliam legendam in collatione ante Completorium adhibere voluisse.

Ex codicis hujus antiquitate facile conficitur prologum in eo descriptum : *Postquam a paradisi*, Richardo Victorino immerito attributum; qui nimirum de scribendo super Cantica necdum fortasse cogitaverat, quando laudatus codex est exaratus. Quid igitur responderent Richardi operum editores, si ipsis exhiberentur codices Richardo longe antiquiores, qualis est codex Divionensis, de quo jam dictum, sæculo 10, vel saltem 11, descriptus?

Ad hanc ætatem accedit Uticensis seu monasterii S. Ebrulphi codex. Hic quidem (ne quidquam dissimulare videamur quod causæ nostræ officiat) S. Gregorii, vel alterius auctoris nomen non habet, aut in exordio, aut in fine; sed simpliciter legitur : *Incipit Prologus*, etc. Verum cum in ipso, sicut in cæteris Mss. legatur

insignis sententia de Compunctione, quam Paterius Collectioni suæ inserendam judicavit, dubitare non licet, quin assutus Expositioni Gregorianæ prologus, his verbis continuo et consequenter scriptis : *Explicit Prologus. Incipit Expositio super Cantica Canticorum*, pro Gregoriano tunc habitus sit. Verum qui codicem hunc descripserunt, et in eo multa ex diversis Patribus opuscula complexi sunt, non solent ipsis auctorum nomina præfigere. Liber hic accuratissime est exaratus, ita ut in ipso vix unum mendum notaverimus. Non dividitur in libros, aut in homilias, imo nec in capitula ; sed eadem serie scriptura decurrit absque ulla linearum interruptione, etiam ubi absoluta unius versus explicatione, alius profertur explanandus, si septem duntaxat versus excipias, qui lineam incipiunt, scilicet : *Filii matris meæ pugnaverunt adversus me. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Egredimini, filiæ Sion. Duo ubera tua sicut duo hinnuli. Revertere, revertere Sunamitis. Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Vinea fuit pacifico.* Alii tamen versus plurimi littera grandiori rubra inchoantur, at non interrumpitur idcirco scripturæ series.

Ultimo loco commemorandi veniunt duo alii codices, unus ex Bibliotheca Remigiana apud Remos, alter ex Theodericensi monasterio, non longe ab eadem urbe. Uterque codex cccc annorum ætatem non superat, sed Theodericensis ex longe antiquiori ejusdem monasterii, qui nunc desideratur, descriptus est.

VI. Tot Mss. inspectione, testimonioque præsertim Paterii confirmati, non dubitavimus quin Gregorio lucubratio hæc, tanto sane doctore digna, restituenda foret. Accessit Magistri Sententiarum auctoritas, lib. I, dist. 37, num. 1, ubi legitur : *Beatus Gregorius super Cantica Cantic. inquit*, LICET *Deus communi modo omnibus rebus insit, præsentia, potentia, substantia*, etc., quem locum laudat etiam S. Thomas. Etsi vero uterque in hac sententia laudanda, videatur hallucinatus (abest enim ab expositione in Cantica), inde tamen probatur Petri Lombardi temporibus, qui floruit duodecimo sæculo, Richardique Victorini coævus fuit, ac postea, dubium non fuisse S. Gregorium exposuisse Cantica ; cujus opus tunc in omnium manibus versabatur.

VII. Neque vero quis suspicetur, pro Gregoriano potius opere habendum, quod jam typis mandatum est, cujus Prologus ita incipit : *Quia si cæco, si longe a Deo posito*. Exstant sane nonnulli codices mss. in quibus ita legitur Prologus, quem sequitur Expositio ab his verbis incipiens : *Os sponsi inspiratio Christi*, etc., ut in vulgatis. Tres invenimus Parisiis in Bibliotheca Victorina, in quibus auctoris nomen tacetur, nisi quod in uno recentior manus S. Gregorium inscripsit, cum alterius nominis erasi supersint vestigia. His aut similibus codicibus usi sunt, qui priorem expositionis Gregorii in Cantica editionem curarunt Parisiis apud Remboldum ann. 1498, quam videre nobis non licuit; at usi sumus alia Parisiensi anni 1518, Gilotiana 1571, Vaticana, etc. Et facile deprehendimus Prologum hunc nihil aliud esse quam nostri compendium, quod cuilibet legenti et conferenti statim patebit.

Quod spectat ad Expositionem jam vulgatam, quæ a nostra discrepat, usque ad illa verba : *Pulchræ sunt genæ tuæ*, vers. 9 cap. I, post indubitatum Paterii testimonium pro nostra prolatum, hanc alteri anteponendam esse quis neget?

Noverat hoc opus Joannes Trithemius, qui in indice voluminum a S. Gregorio papa scriptorum, quem ipse Gussanvillæus exhibet, illa designans per priora verba a quibus incipiunt, istud commemorat : *Scripsit*, inquit, *plura necessaria volumina, in quibus feruntur subjecta : In lib. Job* : Inter multos sæpe quæritur..... *In Cantica Cantic.* Postquam a paradisi gaudiis, etc.

VIII. Itaque tot in Mss. latitans insigne opus e tenebris eruendum et publica luce donandum **396** censuimus. At de ipsius divisione et partitione, in qua codices non conveniunt, diu ancipites deliberavimus. Tandem potior illa visa est, quam offerre videtur liber ipse sacer hic expositus. Ut enim octo in capita secatur, ita in totidem dividendam duximus ipsius explanationem. At capita varios in articulos numeris designatos pro more nostro distribuimus. In cæteris quoque eamdem secuti sumus methodum, quoad breves annotationes, tum marginibus inscribendas, tum columnis subjiciendas, quam in aliis S. Gregorii operibus edendis adhibuimus, et a viris doctis novimus approbari.

IX. Superest ut objectioni, quæ ex styli diversitate fieri potest, occurramus; aliquam enim hic deprehendi non inficiamur. Stylum tantisper mutare fortasse coegit argumenti propositi et pertractati quædam insolentia, nimirum Canticorum liber explanandus, in quo aliud omnino scribendi genus observatum, quam in cæteris sacræ Scripturæ libris. Præterea cum hanc expositionem a Claudio exceptam legamus, ut de Commentariis in lib. Regum jam dictum est, audiamusque Gregorium de immutato suo stylo conquerentem in epistola jam superius laudata ; ex hac styli discrepantia, quæ in proœmio potissimum observatur, magis ac magis nostra confirmatur sententia. Nimirum hoc opus ita Gregorio vindicamus, ut Claudio, qui illud excepit ac digessit, nonnullaque ob memoriæ lapsum supplere coactus est, tantilla ex parte quoque tribuatur. Aliunde vero styli Gregoriani multa supersunt vestigia, uti diligens lector haud difficile observabit, maxime usque ad versum 9 capitis primi, ubi iidem versus in varios sensus, typicos, allegoricos, morales, inflectuntur et vertuntur, methodo sancto Doctori familiari, et in libris Moralium notissima. Hæc eruditi lectoris diligentiam non fugient. Præcipua tamen cura legentis sit, in hoc evolvendo libro, cujus quot verba, tot scintillæ sunt divini amoris, his sacris flammis cum Gregorio aduri, per quem *Deus ignem misit in terram ; et quid vult nisi ut accendatur?*

SANCTI GREGORII MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

SUPER CANTICA CANTICORUM EXPOSITIO.

[a] **PROŒMIUM.**

397 1. Postquam a paradisi gaudiis expulsum est genus humanum, in istam peregrinationem vitæ A præsentis veniens, cæcum cor a spirituali intellectu habet. Cui cæco cordi si diceretur voce humana, sequere Deum, vel dilige Deum, sicut ei in Lege di-

[a] In cod. Rothom., *Prologus*, ut in edit. Richardi a S. Victore.

ctum est, semel foris missum et per torporem infidelitatis frigidum non caperet quod audiret. Idcirco per quædam ænigmata sermo divinus animæ torpenti et frigidæ loquitur, et de rebus quas novit, latenter insinuat ei amorem quem non novit.

2. Allegoria enim animæ longe a Deo positæ quasi quamdam machinam facit, ut per illam levetur ad Deum. Interpositis quippe ænigmatibus dum quoddam in verbis cognoscit quod suum est, in sensu verborum intelligit quod non suum est; et per terrena verba separatur a terra. Per hoc enim quod non abhorret cognitum, intelligit quoddam incognitum. Rebus enim nobis notis per quas allegoriæ conficiuntur sententiæ divinæ vestiuntur, et, dum re cognoscimus exteriora verba, pervenimus ad interiorem intelligentiam.

3. Hinc est enim quod in hoc libro, qui in Canticis canticorum conscriptus est, amoris quasi corporei verba ponuntur, ut a torpore suo anima per sermones suæ consuetudinis refricata recalescat; et per verba amoris qui infra est, excitatur ad amorem qui supra est. Nominantur enim in hoc libro oscula, nominantur ubera, nominantur genæ, nominantur femora; in quibus verbis non irridenda est **398** [a] sacra descriptio, sed major Dei misericordia consideranda est; quia dum membra corporis nominat, et sic ad amorem vocat, notandum est quam mirabiliter nobiscum et misericorditer operatur. Qui ut cor nostrum [b] ad instigationem sacri amoris accenderet, usque ad turpis amoris nostri [c] se verba distendit. Sed unde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat; quia ex sermonibus hujus amoris discimus qua virtute in divinitatis amore ferveamus.

4. Hoc autem nobis solerter intuendum est, ne cum verba exterioris amoris audimus, ad exteriora sentienda remaneamus; et machina, quæ ponitur ut levet, ipsa magis opprimat, ne levemur. Debemus ergo in verbis istis corporeis, in verbis exterioribus quidquid interius est quærere, et loquentes de corpore, quasi extra corpus fieri [d] debemus. Ad has nuptias sponsi et sponsæ cum intellectu intimæ charitatis, id est cum veste venire nuptiali necesse est; ne si veste nuptiali, id est digna charitatis intelligentia non induimur, ab hoc nuptiarum convivio in exteriores tenebras, id est in ignorantiæ cæcitate repellamur. Debemus per hæc verba passionis transire ad virtutem impassibilitatis. Sic est enim Scriptura sacra in verbis et sensibus, sicut pictura in coloribus et rebus; et nimis stultus est qui sic picturæ coloribus inhæret, ut res quæ pictæ sunt ignoret. Nos enim, si verba quæ exterius dicuntur amplectimur, et sensus ignoramus, quasi ignorantes res quæ depictæ sunt, solos colores tenemus. *Littera occidit*, sicut scriptum est, *spiritus autem* **399** *vivificat* (*II Cor.* III, 6); sic enim littera cooperit spiritum, sicut palea tegit frumentum; sed jumentorum est, paleis vesci; hominum, frumentis. Qui ergo humana ratione utitur, jumentorum paleas abjiciat, et frumenta spiritus edere festinet; ad hoc quippe utilis est, ut mysteria litteræ involuta tegantur. Hinc enim scriptum est: *Sapientes abscondunt intelligentiam* (*Prov.* x, 14). Quia nimirum sub tegmine litteræ spiritalis intelligentia cooperitur. Hinc rursum in eodem libro scriptum est: *Gloria Dei celare verbum* (*Prov.* xxv, 2). Menti enim Deum quærenti tanto Deus gloriosius apparet, quanto subtilius atque interius investigatur, ut appareat; sed nunquid quod in mysteriis Deus celat, nos requirere non debemus? Debemus utique, nam sequitur: *Et gloria regum investigare sermonem* (*Ibid.*). Qui enim jam corpora sua vel motus carnis regere et investigare noverunt, reges sunt. Regum ergo gloria investigare sermonem, quia bene viventium laus est perscrutari secreta mandatorum Dei. Humanæ ergo conversationis verba audientes, quasi extra homines esse debemus; ne si humanitus quæ dicuntur audimus, nihil divinitatis de his quæ audire debemus, sentire possimus. Quasi jam non homines desiderabat esse Paulus discipulos suos, quibus dicebat: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis* (*I Cor.* III, 3)? Quasi jam non æstimabat homines discipulos suos Dominus, cum dicebat: *Quem dicunt homines esse filium hominis* (*Matth.* XVI, 13)? Cui cum verba hominum respondissent, illico adjunxit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Cum enim supra dicit *homines*, ac deinde subjungit *vos autem*, inter homines et discipulos quamdam distantiam facit, quia videlicet divina eis insinuans, esse eos super homines faciebat, ut ait Apostolus: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt* (*II Cor.* V, 17). Et scimus quia in resurrectione nostra ita corpus spiritui adnectitur, ut omne quod fuerat passionis in virtute spiritus assumatur. Is ergo qui Deum sequitur, imitari debet quotidie resurrectionem suam; ut sicut tunc nihil passibile habebit in corpore, ita nunc nihil passibile habeat in corde; ut secundum interiorem hominem jam nova creatura sit, jam quidquid vetustum fuerit calcet, et in verbis veteribus solam vim novitatis inquirat.

5. Scriptura enim sacra mons quidem est, de quo in nostris cordibus ad intelligendum Dominus venit; de quo monte per prophetam dicitur: *Deus a Libano veniet, et Sanctus de monte umbroso et condensa* (*Habac.* III, 3). Iste mons et condensus est per sententias, et umbrosus per allegorias. Sed sciendum est quia cum vox Domini in monte sonat, vestimenta lavare præcipimur, et ab omni carnis inquinatione mundari, si ad montem accedere festinamus. Scriptum namque est, quia, *si bestia tetigerit montem*,

[a] Rich., *Sacra Scriptura.*
[b] Rem. et Theod., *ad investigationem.* Sequimur Rothom., Val. Cl. et edit. Rich.
[c] Abest *se* a Theod. et Rem. In Rothom. et Rich. legitur, *ad turpis amoris nostri verba descendit.*
[d] Hoc verbum in Val. Cl. et in Rich. incipit sequentem periodum; in qua minime legitur, *necesse est.*

lapidabitur (*Hebr.* XII, 20). Bestia enim tangit montem, quando irrationabilibus motibus dediti, Scripturæ sacræ celsitudini propinquant, et non eam secundum quod debent, intelligunt, sed irrationabiliter ad suæ voluptatis [*Forte* voluntatis] intelligentiam flectunt. Omnis enim absurdus, vel sensu piger, si circa hunc montem visus fuerit, atrocissimis sententiis veluti lapidibus necatur. Ardet enim mons iste, quia Scriptura sacra videlicet, quem spiritaliter replet, amoris igne succendit. Unde scriptum est: *Ignitum eloquium tuum* (*Psal.* CXVIII, 140). Unde cum verba Dei audirent quidam in via ambulantes, dixerunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)? Unde per Moysen dicitur: *In dextera ejus ignea lex* (*Deuter.* XXXIII, 2). Sinistra Dei iniqui accipiuntur, qui in dextera parte non **400** transeunt; dextera Dei electi sunt, qui a sinistris separantur. In dextera ergo Dei lex ignea est, quia in electorum cordibus, qui ad dexteram ponendi sunt, flagrant divina præcepta, et charitatis ardore succensi sunt. Iste ergo ignis, quidquid in nobis est exterius rubiginis et vetustatis, exurat, ut mentem nostram velut holocaustum in Dei contemplatione offerat.

6. Nec vacue attendendum est quod liber iste non Canticum, sed Canticum canticorum vocatur; sicut enim in veteri Testamento alia sunt sancta, et alia Sancta sanctorum, alia Sabbata, et alia Sabbata Sabbatorum; ita in Scriptura sacra, alia sunt Cantica, et alia Cantica canticorum. Sancta erant quæ in Tabernaculo, et quæ exterius agebantur; Sabbata erant quæ et singulis hebdomadibus celebrabantur; sed Sancta sanctorum secretiori quadam veneratione suscipiebantur, et Sabbata Sabbatorum nonnisi in suis festivitatibus colebantur. Ita Cantica canticorum secretum et solemne quoddam interius est, quod secretum in occultis intelligentiis penetratur. Nam si exterioribus verbis attenditur, secretum non est.

7. Sciendum est etiam, quia in Scriptura sacra alia sunt Cantica victoriæ, alia Cantica exhortationis et contestationis, alia Cantica exsultationis, alia Cantica adjutorii, alia Cantica conjunctionis cum Deo. Canticum victoriæ est, quod Maria transacto mari rubro cecinit, dicens: *Cantemus Domino; gloriose enim honorificatus est: equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* XV, 1). Canticum exhortationis et contestationis est, quod Moyses Israelitis ad terram promissionis propinquantibus dixit: *Attende cœlum quæ loquar, audiat terra verba ex ore meo* (*Deuter.* XXXII, 1). Canticum exsultationis est, quod Anna, perspecta fecunditate Ecclesiæ in semetipsa, cecinit dicens: *Exsultavit cor meum in Domino* (*1 Reg.* II, 1). Ubi per semetipsam figuratam fecunditatem prolis ecclesiasticæ expressit, cum dicit: *Sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est* (*Ibid.*, 5). Canticum adjutorii David quod post prælium cecinit, dicens: *Diligam te, Domine, virtus mea* (*Psal.* XVII, 1). Canticum vero conjunctionis cum Deo, hoc est quod in nuptiis sponsi et sponsæ canitur, id est Canticum canticorum; quod tanto est omnibus Canticis sublimius, quanto et in nuptiis solemnitatis sublimioris offertur. Per illa enim Cantica vitia devitantur, per ista vero unusquisque virtutibus locupletatur; per illa cavetur hostis, per hæc Dominus familiari amore complectitur.

8. Et notandum, quia aliquando se Dominus in Scriptura sacra Dominum vocat, aliquando patrem, aliquando sponsum. Quando enim se vult timeri, Dominum se nominat; quando vult honorari, patrem; quando vult amari, sponsum. Ipse per prophetam dicit: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Si pater ego sum, ubi est honor meus* (*Malach.* I, 6)? Et rursum dicit: *Desponsavi te mihi in justitia et fide* (*Osee* II, 20). Vel certe: *Recordatus sum diei desponsationis tuæ in deserto* (*Jerem.* II, 2). Et quidem apud Deum quando et quando non est, sed quia prius timeri se vult ut honoretur, et prius honorari ut ad eum perveniatur, et Dominum se propter timorem nominat, et patrem propter honorem, et sponsum propter amorem. Per timorem veniatur ad honorem, per honorem vero ejus perveniatur ad amorem. Quanto ergo dignius honor quam timor, tanto plus gaudet Deus pater quam Dominus dici; et quanto charius est amor quam honor, tanto plus gaudet Deus sponsus dici quam pater. In hoc ergo libro **401** Dominus et Ecclesia, non Dominus et ancilla, sed sponsus nominatur et sponsa; ut non soli timori, non soli reverentiæ, sed etiam amori deserviatur, et in his verbis exterioribus incitetur affectus interior. Cum se Dominum nominat, indicat quod creati sumus; cum se patrem nominat, indicat quod adoptati; cum sponsum se nominat; indicat quod conjuncti. Plus est autem conjunctos esse Deo, quam creatos et adoptatos. In hoc ergo libro ubi sponsus dicitur, aliquid sublimius insinuatur, dum in eo fœdus conjunctionis ostenditur. Quæ nomina in Testamento novo (quia jam peracta conjunctio Verbi et carnis Christi et Ecclesiæ celebrata est) frequenti iteratione memorantur. Unde Joannes dicit, Domino veniente: *Qui habet sponsam, sponsus est* (*Joan.* III, 29). Unde idem Dominus dicit: *Non jejunabunt filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus* (*Matth.* IX, 15). Unde Ecclesiæ dicitur: *Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI, 2). Rursum: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* V, 27). Et rursum in Apocalypsi Joannis: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt* (*Apoc.* XIX, 9). Et rursum ibidem: *Et vidi sponsam quasi novam nuptam descendentem de cœlo* (*Apoc.* XXI, 2).

9. Nec hoc a magno mysterio abhorret, quod liber iste Salomonis tertius in opusculis ejus ponitur. Veteres enim tres vitæ ordines esse dixerunt, moralem, naturalem, et contemplativam; quas Græci vitas, ethicam, physicam, theoricam nominaverunt. In Proverbiis quoque moralis vita exprimitur, ubi dicitur:

Audi, fili mi, sapientiam meam, et prudentiæ meæ in- A *clina aurem tuam* (*Prov.* I, 8). In Ecclesiaste vero naturalis : ibi quippe quod omnia ad finem tendunt, consideratur, cum dicitur : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccles.* I, 2). In Canticis canticorum contemplativa vita exprimitur, dum in eis ipsius Domini adventus et aspectus desideratur ; cum sponsi voce dicitur : *Veni de Libano, veni* (*Cant.* IV, 8). Vel etiam ordines trium patriarcharum et vitas significavit, Abraham videlicet, Isaac, et Jacob. Moralitatem quippe Abraham per obedientiam tenuit ; Isaac vero naturalem vitam puteos fodiendo figuravit. In imo enim puteos fodere, est per considerationem naturalem omnia quæ infra sunt, perscrutando rimari. Jacob vero contemplativam vitam tenuit, qui ascendentes et descendentes angelos vidit. Sed quia naturalis consi- B deratio ad perfectionem non perducitur, nisi prius moralitas teneatur ; recte post Proverbia, Ecclesiastes ponitur. Et quia superna contemplatio non conspicitur, nisi prius hæc infra labentia despiciantur, recte post Ecclesiasten Cantica canticorum ponuntur. Prius quippe est mores componere ; postmodum omnia quæ adsunt, tanquam non adsint considerare ; tertio vero loco munda cordis acie superna et interna conspicere. His itaque librorum gradibus quasi quamdam ad contemplationem scalam fecit, ut dum primum in sæculo bene geruntur, postmodum et honesta sæculi despiciantur : ad extremum etiam Dei intima conspiciantur. Sic autem generaliter ex voce Ecclesiæ adventus Domini in hoc opere præstolatur, ut etiam specialiter unaquæque anima ingressum Dei ad cor suum, tan- C quam aditum sponsi in thalamum conspiciat.

10. Et sciendum est, quia in hoc libro quatuor personæ loquentes introducuntur ; sponsus videlicet **402** et sponsa ; adolescentulæ vero cum sponsa, et greges sodalium cum sponso. Sponsa enim ipsa perfecta Ecclesia est ; sponsus, Dominus ; adolescentulæ vero cum sponsa, sunt inchoantes animæ, et per novum studium pubescentes ; sodales vero sponsi, sunt sive angeli, qui sæpe hominibus ab ipso venientes apparuerunt, seu certe perfecti quique viri in Ecclesia, qui veritatem hominibus nuntiare noverunt. Sed hi qui singillatim adolescentulæ vel sodales sunt, toti simul sponsa sunt, quia toti simul Ecclesia sunt. Quamvis et juxta unumquemque tota hæc tria nomina accipi possunt. Nam qui Deum perfecte amat, D sponsa est ; qui sponsum prædicat, sodalis est ; qui adhuc novellus viam bonorum sequitur, adolescentula est. [a] Invitamur ergo ut simus sponsa ; si hoc necdum prævalemus, simus sodales ; si neque hoc adepti sumus, saltem ad hunc thalamum adolescentulæ conveniamus. Quia igitur sponsum et sponsam, Dominum et Ecclesiam diximus, velut adolescentulæ vel sodales audiamus verba sponsi, audiamus verba sponsæ ; et in eorum sermonibus fervorem discamus amoris. Itaque sancta Ecclesia diu præstolans adventum Domini, diu sitiens fontem vitæ, quomodo optet videre præsentiam sponsi sui, quomodo desideret, edicat.

CAPUT PRIMUM.

(Cap. I, vers. 1.) *Osculetur me osculo oris sui.*

1. Angelos ad eam Dominus, patriarchas ad illam et prophetas miserat, spiritualia dona deferentes ; sed ipsa munera non per servos sponsi, sed per ipsum sponsum percipere quærebat. Ponamus ante oculos omne genus humanum ab exordio mundi usque ad finem mundi, totam videlicet Ecclesiam, unam esse sponsam quæ arrhas spirituali dono per Legem perceperat ; sed tamen sponsi sui præsentiam quærebat, quæ dicit : *Osculetur me osculo oris sui.* Suspirans enim sancta Ecclesia pro adventu Mediatoris Dei et hominum, pro adventu Redemptoris sui, ad patrem orationem facit, ut filium dirigat, et sua illam præsentia illustret : ut eidem Ecclesiæ non jam per prophetarum, sed suo ore allocutionem faciat. Unde et de eodem sponso in Evangelio scriptum est, cum sederet in monte, et sublimium præceptorum verba faceret : *Aperiens autem os suum dixit* (*Matth.* V, 2) : ac si aperte dicatur : Tunc os suum aperuit, qui prius ad exhortationem Ecclesiæ aperuerat ora prophetarum. Sed ecce cum suspirat, cum quasi absentem quærit, subito intuetur præsentem. Habet hoc gratia Creatoris nostri, ut cum de illo quærentes, eum loquimur, ejus præsentia perfruamur. Unde in Evangelio scriptum est, quia dum Cleophas et alius de illo in itinere verba facerent, præsentem eum videre meruerunt. Dum ergo sancta Ecclesia incarnandum sponsum adhuc absentem desiderat, subito intuetur præsentem, atque subjungit :

(Vers. 1.) *Quia meliora sunt ubera tua vino. Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

2. Vinum fuit scientia Legis, scientia prophetarum. Sed veniens Dominus, quia sapientiam per carnem [b] voluit prædicare ; quasi fecit eam in carnis ubera latescere : quam [c] enim in divinitate sua capere minime poteramus, in incarnatione ejus agnosceremus. Unde non immerito ejus ubera laudantur, quia prædicationis ejus condescensio hoc egit **403** in cordibus nostris, quod doctrina Legis minime valuit ; [d] prius enim nos nutrivit incarnationis prædicatio, quam Legis doctrina. Dicat ergo : *Meliora sunt ubera tua super vinum.* Quod adhuc confirmans subjungit ac dicit : *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Unguenta Domini virtutes sunt ; unguenta Domini Spiritus sanctus fuit, de quo per prophetam dicitur : *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Hoc oleo tunc unctus est, cum incarnatus ; non enim prius homo exstitit, et postmodum Spiritum sanctum accepit ; sed quia

[a] Ita omnes codices Mss. In edit. Richardi legitur : *invitamur.*

[b] In Cod. Theod. *noluit*, cæteris dissentientibus.

[c] Hic aliqua desiderari videntur. Sensus pateret si legeretur : *ut quam in divinitate*, etc. Sed quia in hac lectione conveniunt Mss. omnes, ab illa recedere non audemus.

[d] Val. Cl. et Rothomag., *prius enim.*

Spiritu sancto mediante incarnatus est, eodem [a] hoc oleo tunc unctus est, cum homo creatus. Odor ergo unguenti ejus, est flagrantia Spiritus sancti, qui ex illo procedens, in illo permansit; odor unguentorum ejus, est flagrantia virtutum quas operatus est. [b] Habuit autem Ecclesia aromata, quia habuit multa Spiritus sancti dona, quæ in domo Dei, id est in congregatione sanctorum, odorem bonæ opinionis redderent, et suavitatem futuri Mediatoris nuntiarent. Sed *odor unguentorum tuorum super omnia aromata* : quia flagrantia virtutum sponsi, quæ per incarnationem ejus facta est, vicit prædicamenta Legis, quæ in arbis a sponso fuerant prærogata. Tanto quippe amplius ad intellectum crevit Ecclesia, quanto et amplioris visionis gratia meruit illustrari. Illa Legis aromata per angelos administrata sunt : istud unguentum per præsentiam datum est. Sed quia claritate ejus præsentiæ superata sunt bona Legis, quæ sublimia esse credebantur, dicatur recte : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

3. Hoc autem quod generaliter de cuncta Ecclesia diximus, nunc specialiter de unaquaque anima sentiamus. Ponamus ante oculos esse animam quamdam donorum studiis inhærentem, intellectum ex aliena prædicatione percipientem, quæ per divinam gratiam etiam ipsa illustrari desiderat; ut aliquando etiam per se intelligat, quæ nihil se intelligere, nisi per verba prædicatorum; considerat, et dicit : *Osculetur me osculo oris sui.* Ipse me tangat intus, ut cognoscam intelligentia; et non jam prædicatorum vocibus, sed internæ gratiæ [c] ex tactu perfruar. Quasi osculo oris sui osculabatur Moysen, cum ei per fiduciam familiaris gratiæ intellectum porrigeret. Unde scriptum est : *Si fuerit propheta, in somnio loquar ad eum; et non sicut famulo meo Moysi : os enim ad os loquor ei* (*Num.* XII, 6). Os quippe ad os loqui, quasi osculari est, et internam intelligentiam mente tangere. Sequitur :

(Vers. 1.) *Quia meliora sunt ubera tua vino.*

4. Ubera Dei sunt, sicut prius diximus, humillimæ incarnationis ejus condescensio. Sapientia autem sæculi quasi quoddam vinum est : debriat enim mentem, quia ab intellectu humilitatis alienam reddit. Quasi quodam vino debriantur philosophi, dum per sæcularem vulgi amorem transeunt. Quam sapientiam Ecclesia despiciat, humillimam Dominicæ incarnationis prædicationem appetat (plus ei sapiat quod per infirmitatem carnis ejus nutritur, quam quod mundus hic per elationem falsæ prudentiæ extollitur), et dicat : *Quia meliora sunt ubera tua vino*, id est humillima incarnationis tuæ prædicatio, velatam A mundi sapientiam superat. Unde 404 scriptum est : *Quod infirmum est Dei, fortius est quam hominis; et quod stultum est Dei, sapientius est quam homin's* (*I Cor.* I, 25). Sed quia ipsi hujus sæculi sapientes nonnunquam videntur quibusdam virtutibus studere (videas enim plerosque habere charitatem, servare mansuetudinem, honestatem exteriorem in omnibus exercere; quas virtutes, non ut Deo, sed ut hominibus placeant, exhibent : quæ idcirco virtutes, virtutes non sunt, quia placere Deo non appetunt : olet tamen in humanis naribus, dum humano judicio bonam opinionem reddunt), sed comparentur hæc vero odori Redemptoris nostri, comparentur veris virtutibus, et dicatur : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Id est, flagrantia virtutum tuarum, omnem speciem virtutum sapientium mundi superat, quia videlicet fictas imaB gines eorum ex veritate transcendit. Quia secundo loco sentiri hoc, quod dictum est, de unaquaque anima diximus; adhuc eumdem sensum, si possumus, adjuvante Domino, subtilius exsequamur.

5. Omnis anima quæ timet Deum, jam sub jugo ejus est, sed adhuc longe, quia timet : nam tantum quisque ad Deum proficit, quantum pœnam timoris amittit, et gratiam de illo charitatis percipit. Ponamus ante oculos animam cujuslibet electi, quæ continuo desiderio in amorem visionis sponsi accenditur, quia quod in hac vita perfecte percipere non valet, contemplatur ejus celsitudinem, et ex ipso amore compungitur; [d] ipsa enim compunctio quæ per charC itatem fit, quæ et desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est; toties enim anima osculatur Deum, quoties in ejus amore compungitur. Sunt enim multi, qui jam quidem Dominum metuunt, jam bonam operationem recipiunt; sed necdum osculantur, quia amore ejus minime compunguntur. Quod bene in convivio Pharisæi signatum est, qui cum Dominum recepisset, cumque osculanti mulieri pedes ejus, in corde suo derogaret, audivit : *Intranti in domum tuam, osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo ingressa est, non cessavit osculari pedes meos* (*Luc.* VII, 44). Omnis qui jam eleemosynas facit, qui jam bonis operibus studet, quasi Christum in convivium recipit, Christum pascit, qui eum in membris suis sustentare non desinit; sed si nondum per amorem compungiD tur, adhuc ejus vestigia non osculatur. Præponitur ergo pastori mulier quæ osculatur, quia [e] præponitur exteriora sua danti, is qui interno mentis ardore in desiderio Domini compungitur. Bene autem dictum est : *Non cessavit osculari pedes meos.* Non enim sufficit in amorem Dei semel compungi et quiescere, sed compunctio esse debet et crebrescere : unde mulier ideo laudatur, quia osculari non destitit, id est

[a] Rem. ac Theod., *hoc loco.*

[b] Ita Val. Cl. aliis contradicentibus ubi legitur, *hauriat autem.*

[c] Sic habet Rothom. In tribus aliis, *ex actu.* Priorem lectionem pluris habendam suaserunt quæ paulo post leguntur : *Os quippe ad os loqui, quasi osculari est, et internam intelligentiam mente tangere.*

[d] Hic locus in genuina Paterii collectione, quam daturi sumus, laudatur tanquam a Gregorio prolatus in Canticorum expositione, quod observatione dignum. Ne vero fraudis oriatur suspicio, admoneo sententiam hanc ex integro reperiri in omnibus Mss. nostris, scilicet Turonensi S. Martini, Divionensi S. Benigni, Val. Cl., Theod., Rem. ac Rothomag.

[e] In Theod. et Rem. solum legitur, *præponitur danti.*

compungi minime cessavit. Unde per prophetam dicitur : *Constituite diem solemnem in frequentationibus, usque ad cornu altaris* (*Psal.* CXVII, 27). Dies solemnis Domino est compunctio cordis nostri ; sed tunc in frequentatione dies solemnis constituitur, cum ad lacrymas pro amore ejus assidue movetur. Cui velut si diceremus : Quandiu ista acturi sumus ? Quandiu tribulationibus afficiemur ? Illico terminum quousque fieri debeat subjunxit, dicens : *Usque ad cornu altaris.* Cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris, **405** ubi cum pervenerimus, jam nequaquam necesse est, ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus. Anima ergo quæ jam per amorem compungi desiderat, quæ jam contemplari visionem sponsi sui appetit, dicat : *Osculetur me osculo oris sui.*

6. Vel certe osculum ejus oris, est ipsa perfectio pacis internæ, ad quam cum pervenerimus, nihil remanebit amplius quod quæramus. Unde et apte subjungitur. *Quia meliora sunt ubera ejus vino.* Vinum enim est scientia Dei, quam in ista vita positi accepimus ; ubera autem sponsi tunc amplectimur, cum eum jam in æterna patria per amplexum præsentiæ contemplamur. Dicat ergo : *Meliora sunt ubera tua vino.* Ac si dicat : Magna est quidem scientia, quam de te mihi in hac vita contulisti ; magnum est vinum notitiæ tuæ, quo me debrias ; sed ubera tua sunt vino meliora, quia tunc per speciem et per sublimitatem contemplationis transcenditur quidquid de te modo per fidem scitur. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata ;* dum virtute scientiæ, virtute castitatis, virtute misericordiæ, virtute humilitatis, virtute charitatis pollet. Si sanctorum vita odorem aromatum ex virtutibus non haberet, Paulus non diceret : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* I, 15). Sed longe excellentior est illa unctio Dei, ad quam quandoque ducendi sumus ; longe excellentior est odor unguentorum Dei aromatibus virtutum nostrarum : Et si jam magna sunt quæ accepimus, valde tamen potiora sunt quæ de contemplatione Creatoris nostri accepturi sumus. Unde anhelet anima et dicat : *odor unguentorum tuorum super omnia aromata ;* id est, bona illa quæ per contemplationem præparas, ista omnia virtutum munera quæ in hac vita tribuisti, transcendunt. Dicamus huic Ecclesiæ, dicamus huic animæ, sic amanti, sic æstuanti in amorem sponsi sui, unde tantum desiderium perceperit ? Unde notitiam divinitatis ejus apprehenderit ? Sed ecce unde exprimeret, dicit :

(Vers. 2.) *Unguentum effusum nomen tuum.*

7. Unguentum effusum, est divinitas incarnata. Si enim sit unguentum in vasculo, olet minus, si vero effunditur, odor effusi unguenti dilatatur. Nomen ergo Dei, unguentum effusum est, quia ab immensitate divinitatis suæ ad naturam nostram se exterius fudit, et ab eo quod est invisibilis, se visibilem reddidit ; si enim non se effunderet, nequaquam nobis innotesceret. Effudit se unguentum, cum se Deum servavit, et hominem exhibuit. De qua effusione Paulus dicit : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philip.* II, 7). Quod Paulus dixit, *exinanivit ;* hoc Salomon dixit, *effudit.* Quia ergo humano generi Dominus per humilitatem incarnationis innotuit, dicatur ei : *Unguentum effusum nomen tuum.* Sequitur :

(Vers. 2.) *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.*

8. Quid hoc loco adolescentulas, nisi electorum animas per baptismum renovatas accipimus ? Vita quippe peccati ad veterem hominem pertinet, vita justitiæ ad novum. Quia ergo unguentum foras effudit, in amore suo adolescentulas ardentes fecit ; quia renovatas animas desiderio suo fragrantes exhibuit. Puerilis ætas amori necdum congruit ; senilis ab amore desinit. Puer est, qui vitæ ardentis studium necdum cœpit ; senex est, qui cœperat quidem, sed desiit. Quia ergo neque hi flagrant in **406** Domino, qui necdum ceperunt, neque hi qui jam ceperant, sed friguerunt ; postposita puerili vel senili ætate, adolescentulæ currere dicuntur, id est illæ animæ quæ in ipso fervoris amore sunt.

9. Quod tamen intelligere aliter possumus. Potest enim adolescentia ad infirmitatem referri. Juveniles quippe ætates sunt ordo angelorum, qui nulla debilitate victi sunt, nulla infirmitate superati. Dicatur ergo : *Unguentum effusum est nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te ;* id est, quia per incarnationem tuam, notitiam tuam exterius effudisti, idcirco infirmæ animæ naturam humanam diligere prævalent. Illæ quippe Virtutes summæ quasi ætatis juvenilis, etiam ibi te diligunt, ubi fusus non es, quia et ibi te vident, ubi in statu divinitatis te contines. Qui ergo ab illis summis ordinibus, quasi a juvenilibus ætatibus etiam non fusus videris, exterius propter homines funderis ; ut etiam ab adolescentulis, id est ab infirmis mentibus diligaris. Sequitur :

(Vers. 3.) *Trahe me.*

10. Omnis qui trahitur, aut non valens, aut non volens, invitus trahitur. Sed qui dicit : *Trahe me,* habet aliquid quod vult, habet aliquid quod non vult [*Forte legendum* non valet]. Natura humana sequi Deum vult, sed infirmitatis consuetudine superata, sicut debet sequi [a] non prævalet. Videt ergo aliud in se esse quo tendit, aliud in se esse quod non valet, et recte dicit : *Trahe me.* Quasi volentem, nec valentem se viderat Paulus, cum diceret : *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25) ; et, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* (*Ibid.*, 23). Quia ergo aliud est in nobis quod nos incitat, aliud quod gravat, dicamus : *Trahe me post te ; curremus in odorem unguentorum tuorum.* In odorem unguentorum Dei currimus, cum donis ejus spiritualibus afflati, in amorem visionis ejus inhiamus.

11. Sciendum vero est, quia in eo quod homines Deum sequuntur, aliquando ambulant, aliquando

[a] Val. Cl., *non potest.*

currunt, aliquando fortiter currunt. Quasi post Deum ambulat, qui tepide sequitur; currit, qui frequenter sequitur; perfecte currit, qui perseveranter sequitur. Immobile enim erat cor ad sequendum Deum, et post eum ambulare nolebat, cum adventus Domini in mundo apparuit, et ab insensibili sua statione humanas mentes movit. Unde scriptum est : *Pedes* [a] *ejus steterunt, et mota est terra* (*Habac.* III, 5, *juxta LXX*). Hic autem non motus, sed cursus dicitur, quia non sufficit ut sequamur, nisi etiam desiderando curramus. Quia vero neque currere sufficit, nisi etiam perfecte curratur, Paulus dicit : *Sic currite ut comprehendatis* (*I Cor.* IX, 24). Et nonnulli dum nimis currunt, in indiscretionem dilabuntur; plus enim quam necesse est sapiunt, et se jam ei quem sequebantur præferunt, dum suas virtutes eligunt, et ejus quem sequebantur judicia postponunt. Unde bene cum diceretur, *curremus*, præmissum est, *post te*. Post Deum enim currunt, qui ejus judicia consideraut, ejus voluntatem sibi præferunt; et pervenire ad eum sub digna operatione, discretione contendunt. Hinc propheta voluntatem Dei considerans ait : *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII, 9). Hinc Petro consilium danti dicitur : *Redi post me, Satanas; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum* (*Matth.* XVI, 23; *Marc.* VIII, 33). Quia ergo perfectæ animæ summa cautela Dei judicia contuentur, et neque per torporem, neque per indiscretum fervorem prævenire præsumunt, bene dicitur : *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum*. Tunc enim **407** post te currimus, quando et amando sequimur, et timendo divina judicia non prævenimus [b].

(Vers. 3.) *Introduxit me rex in cubiculum suum : exsultabimus, et lætabimur in te.*

12. Ecclesia Dei, quasi quædam domus regis est; et ista domus habet portam, habet ascensum, habet triclinium, habet cubicula. Et omnis [c] qui intra Ecclesiam fidem habet, jam portam istius ingressus est; quia, sicut porta reliqua domus aperit, ita fides reliquarum virtutum ostium aperit. [d] Omnis qui intra Ecclesiam spem habet, jam ad ascensum domus venit; spes enim elevat cor, ut sublimia appetat, et ima deserat. Omnis qui in ista domo positus, charitatem habet, quasi in triclinium deambulat; lata enim est charitas, quæ usque ad inimicorum dilectionem tenditur. Omnis qui in Ecclesia positus, jam sublimia rimatur, jam occulta judicia considerat, quasi in cubiculum intravit. De porta domus istius dicebat quidam : *Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino* (*Psal.* CXVII, 19). De ascensu spei dicebat : *Ascensus in ejus corde disposuit* (*Psal.* LXXXIII, 6). De tricliniis latis domus istius dicitur : *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII, 96). In mandato lato specialiter charitas designatur. De cubiculo regis loquebatur, qui dicebat : *Secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV, 16). Et alias : *Audivi arcana verba, quæ non licet hominibus loqui* (*II Cor.* XII, 4). Primus ergo aditus domus istius, porta fidei; secundus provectus, ascensus spei; tertius, latitudo charitatis; quartus, jam perfectio charitatis ad cognitionem secretorum Dei. Quia Ecclesia sancta in membris suis perfectis, in sanctis ergo doctoribus, in eis qui jam pleni et radicati sunt in mysteriis Dei, quasi ad sublimia secreta pervenit, et adhuc in ista voce posita, jam illa penetrat. *Introduxit me rex in cubiculum suum*, ait : per prophetas enim, per apostolos, per doctores, qui in ista vita positi jam sublimia secreta illius vitæ penetrabant, Ecclesia in cubiculum regis illius ingressa fuerat.

13. Et caute intuendum est, quia non dicit *in cubiculum sponsi*, sed *in cubiculum regis*. Nominando enim regem, reverentiam secretorum vult ostendere, quia quanto potens est cubiculum, tanto major est reverentia exhibenda *in* his ad quæ intratur. Ne ergo dum cognoscit secreta Dei unusquisque, dum occulta judicia rimatur, dum ad sublimia contemplationis attollitur, extollatur et in superbiam dilabatur, regis dicitur cubiculum intrare; id est, cui tanto major reverentia exhibenda est, quanto magis anima ad cognoscenda ejus secreta ducitur. Ut unusquisque proficiat, qui jam exaltatus per gratiam ad sublimia secreta pervenit, seipsum attendat, et ex ipso profectu amplius humilietur. Unde et Ezechiel, quoties ad sublimia contemplanda ducitur, filius hominis vocatur, ac si ei dicatur : Attende quid es, et non extollaris de his ad quæ attolleris. Sed paucorum est in Ecclesia, ista sublimia et occulta judicia Dei rimari et comprehendere. Tamen dum videmus fortes viros posse ad tantam sapientiam pervenire, ut contemplentur secreta Dei in cordibus suis, et nos parvuli habeamus fiduciam; quia quandoque ad veniam, quandoque ad ejus gratiam veniamus. Unde et ex verbis adolescentularum subditur :

(Vers. 3.) *Exsultabimus et lætabimur in te.*

408 14. Dum Ecclesia in his qui perfecti sunt, ingreditur cubiculum regis, adolescentulæ spem sibi exsultationis promittunt; quia dum fortes ad sublimia contemplanda perveniunt, infirmi spem de venia peccatorum sumunt.

(Vers. 3.) *Introduxit me rex in cubiculum suum, exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.*

15. Habet iste sponsus ubera, qui etiam rex propter reverentiam vocatur. Habet ubera, sanctos viros corde adhærentes sibi. Ubera [e] in arca pectoris fixa sunt, et interno nutrimento trahunt ad eos quos fortes nutriunt. Sancti ergo viri ubera sponsi sunt; qui ex intimis trahunt, et exterius nutriunt. Ubera illius

[a] Apud LXX. Interpr. legitur : *ad pedes ejus stetit et commota est terra.*

[b] In Divion. absolvitur hic homilia prima. In Val-Cl. quoque, veluti finito primo libro, scribitur, *Introduxit*, majori littera variis coloribus ornata et depicta.

[c] Ita Divion. et Val-Cl. In Rothom. legitur, *qui intrat Ecclesiam*, consentientibus Rhem. et Theod.

[d] Hic sequimur adhuc Divion. et Val-Cl., cum in aliis legatur, *omnis qui intrat Ecclesiam.*

[e] Val-Cl., *in arcano pectoris fixa sunt.*

sunt apostoli, ubera illius sunt omnes prædicatores Ecclesiæ. Vinum, sicut superius diximus, fuit in prophetis, vinum fuit in lege; sed quia ampliora sunt data per apostolos mandata, quam data fuerant per prophetas, recte nunc dicitur : *Memores uberum tuorum super vinum :* quia qui ista possunt implere quæ in Novo Testamento mandata sunt, illam scientiam Legis sine dubio transcendunt.

16. Quod tamen et aliter intelligere possumus : *Memores uberum tuorum super vinum.* Sunt multi qui vinum quidem sapientiæ habent, sed cognitionem humilitatis non habent. Istos scientia inflat, quia charitas non ædificat. Sunt vero multi qui sic vinum scientiæ habent, ut sciant considerare dona doctrinæ, dona spiritualis gratiæ; dona enim spiritualis gratiæ, quasi quædam mamillæ sunt in pectore, quæ subtiliter occultis meatibus spiritualibus ministrant, et nutriunt. *Memores* ergo *uberum tuorum super vinum :* quia hi qui sectari sciunt dona gratiæ tuæ, ut sibi non tribuant quod sapiunt, sed de eadem sapientia quam acceperunt, non extolluntur; super illos qui de sapientia sua extolluntur, efferuntur. Plus est enim humiliter sapere quam sapere; neque enim vere sapere est, humiliter non sapere. *Memores* ergo *uberum tuorum super vinum:* quia scientes dona spiritualis gratiæ considerare, transcendunt eos qui scientiam quidem habent, sed cognitionem in memoriam donorum non habent. Aperte ergo dicere est : *Memores uberum tuorum super vinum :* quia fortior est humilitas quam scientia. Vinum enim, est scientia quæ inebriat, memoria uberum quæ debriat, quæ ad cognitionem donorum revocat. *Memores uberum tuorum super vinum :* quia vincit humilitas abundantiam scientiæ.

17. *Recti diligunt te :* Ac si diceret : Non recti adhuc timent. *Recti diligunt te :* omnis enim qui bona opera agit pro timore, etsi in opere rectus est, in desiderio rectus non est; vellet enim non esse quod timeret, et bona opera non faceret. Qui vero bona opera pro amore agit, et in opere et in desiderio rectus est, [a] sed dulcedo amoris timentibus absconditur. Unde scriptum est : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, et perfecisti eis qui sperant in te* (*Psal.* xxx, 20). Dulcedo enim Dei, timentibus Deum incognita est, amantibus fit nota. Qui ergo per amorem studuerit rectus esse, perfecta dilectio illius est, ut judicem venientem non timeat, ut quidquid de æternis suppliciis audierit, 409 non formidet. Unde et Paulus dum adventum judicis exspectaret, dum præmia vitæ æternæ quæreret, dicit : *Quæ præparavit Deus non solum mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus* (*II Tim.* iv, 8). Præmia enim diligentibus a judice præparantur æterna, quia omnis qui se mala opera agere scit, judicem venientem timet; qui vero de operibus suis præsumit, judicis adventum quærit. Parantur ergo præmia exspectantibus adventum Dei, et diligentibus adventum ejus; quia non diligunt adventum judicis, nisi de causa sua præsumentes. Omnis autem certitudo, [b] rectitudo certitudinis in dilectione est; et ideo recte dicitur : *Recti diligunt te.*

(Vers. 4, 5.) *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar,* [c] *sicut pellis Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.*

18. Scimus quia in primordiis Ecclesiæ, dum prædicata fuisset gratia Redemptoris nostri, alii crediderunt, alii non crediderunt; sed hi qui crediderunt, ab infidelibus despecti sunt, et quasi persecutionem passi, quasi in viam Gentium discessisse judicati sunt. Unde Ecclesia in eisdem clamat adversus eos qui conversi non sunt : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem.* Nigra sum quidem vestro judicio, sed formosa per illustrationem gratiæ. Quomodo nigra? *Sicut tabernacula Cedar.* Cedar interpretatur tenebræ; Cedar enim secundus fuit de genere Ismahel, et Cedar tabernacula Esau fuerunt. Quomodo ergo nigra sicut tabernacula Cedar? quia in conspectu vestro ad similitudinem Gentium judicata sum, id est ad similitudinem peccatorum. Quomodo formosa sicut pellis Salomonis? Fertur Salomon quando templum ædificavit, omnia illa vasa templi factis pellibus cooperuisse. Sed nimirum pelles Salomonis decoræ esse potuerunt in obsequium regis. Sed quia Salomon interpretatur pacificus, nos ipsum verum Salomonem intelligamus; quia omnes animæ adhærentes Deo, pelles Salomonis sunt, macerantes seipsas et in obsequium regis pacis redeuntes. Sum vero in judicio sicut tabernacula Cedar, quæ quasi in viam Gentium discessisse judicor; sed juxta veritatem sicut pellis Salomonis sum, quia in obsequium regis adhæreo.

(Vers. 5.) *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.*

19. Peccatricem attendebat, illam partem quæ Christo crediderat. Sed dicat ista : *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Sol ipse Dominus, ipse veniens decoloravit me. Præceptis suis ostendit, quia pulchra non fui in præceptis Legis. Sol quem arctius tangit, ipsum decolorat; ita et Dominus veniens, quem per gratiam suam districtius tetigit, decoloravit; quia dum plus appropinquamus ad gratiam, plus nos esse peccatores agnoscimus. Videamus Paulum ex Judæa venientem decoloratum : *Quod si volentes in Christo justificari inventi sumus et ipsi peccatores* (*Gal.* ii, 17). Qui se in Christo peccatorem invenit, in sole se decoloratum invenit. Sed ecce pars ista quæ ex Judæa credidit, persecutionem ab infidelibus Judæis passa est, afflicta multis tribulationibus. Unde sequitur :

(Vers. 5.) *Filii matris meæ pugnaverunt adversum me.*

[a] Desunt hæc in codd. Val-Cl., Theod. ac Rhem. Sumpta sunt ex Rothomag.

[b] Ita Rothom., Theod., etc. In Val. Cl. legitur : *Omnis autem certitudo rectitudinis in dilectione.*

[c] Rothom. *sicut pelles*, at infra cum cæteris habet, *sicut pellis.*

20. Quia filii Synagogæ qui in infidelitate permanserunt, bellum persecutionis contra Synagogæ fideles gesserunt; sed dum persecutionem patitur ea pars, quæ ex Judæis venit ad fidem, discessit ad **410** prædicationem Gentium. Unde et sequitur :

(Vers. 5.) *Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi.*

21. Quia dum me persequuntur hi qui in Judæa sunt, [a] in Ecclesiis me custodem fecerunt. Vineam meam non custodivi, quia Judæam deserui. Unde et Paulus dicit, unde et apostoli : *Vobis missum fuerat verbum Dei; sed quia indignos vos judicastis, ecce imus ad Gentes* (*Act.* XIII, 46). Ac si dicat : Nos vineam nostram custodire volumus, sed quia nos ipsi respuistis, ad alienarum vinearum custodiam nos transmittitis. Itaque quæ diximus de Synagoga ad fidem conversa, dicamus modo de Ecclesia ad fidem vocata : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem.* Ecclesia ex Gentibus veniens considerat fidelium animas, quas invenit, quas et filias Jerusalem vocat. Jerusalem quippe visio pacis dicitur; considerat quid fecit, quid facta est; et confitetur præteritas culpas, ne superba sit; confitetur præsentem vitam, ne ingrata sit, et dicit : *Nigra sum, sed formosa.* Nigra per meritum, formosa per gratiam; nigra per vitam præteritam, formosa per conversationem sequentem. Quomodo nigra sicut tabernacula Cedar? Cedar, tabernacula gentium fuerunt, tabernacula tenebrarum fuerunt. Et gentibus dictum est : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Quomodo formosa sicut pellis Salomonis? Macerati enim sumus per pœnitentiam. Mortificata caro per pœnitentiam, quasi pellis in obsequium regis adducitur. Omnes per pœnitentiam seipsos affligentes, membra Christi se faciunt. Membra ergo Christi per pœnitentiam afflicta, pelles Salomonis sunt, quia mortificata caro fiunt.

22. Sed ecce erant in Judæa fideles, qui dedignabantur ad fidem venire gentiles; unde et Petrum redarguunt, quod Cornelium susceperat. Unde in Ecclesia Gentium subjungitur : *Nolite me considerare quod fusca sim.* Nolite despicere gentilitatem meæ infidelitatis, nolite despicere peccata priora, nolite attendere quid fui. Quare? quia decoloravit me sol. Sol in eo decolorat, in quo arctius et districtius se imprimit. Deus quando districtum judicium tenet, quasi districtionem suam amplius exhibet; et decolorat dum amplius fulget, quia dum districtionem subtilius exercet, districte adjudicat. Quasi enim radios suos suspendit sol, quando clementer opera nostra considerat; quasi districte virtutem suam exhibet, quando districte opera nostra pensat. Dicat ergo Ecclesia; inde sum fusca, unde peccatrix, quia me sol decoloravit; quia Creator meus dum me deserit, ego in errore lapsa sum.

23. Sed ô tu sic afflicta, sic destituta, quid meruisti? quid ex dono consecuta es? *Filii matris meæ pugnaverunt adversum me.* Filii matris sunt apostoli; mater enim omnium Jerusalem superna est. Ipsi pugnaverunt contra Ecclesiam, dum ab infidelitate ad fidem prædicationibus suis, quasi quibusdam lanceis confoderunt. Unde et Paulus quasi quidam pugnator dicit : *Cogitationum consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei* (*II Cor.* x, 5). Qui altitudinem destruit, utique pugnator est. Isti ergo pugnatores, isti filii matris Jerusalem debellaverunt Ecclesiam ab errore suo, ut illam fundarent ad justitiam. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Et quid fecerunt pugnantes? *Posuerunt me custodem in vineis.* Vineæ Ecclesiæ, sunt virtutes quæ fructificant; quia dum depugnant in me vitia, quasi de mala mea me expugnant fructificatione, **411** et virtutum studia mihi dederunt; in vineis me custodem fecerunt, ut fructificationem afferrent. Post expugnationem specialiter dicat : *Vineam meam non custodivi.* Vinea Ecclesiæ, antiqua consuetudo erroris est, quæ dum custos ad virtutes ponitur, deseruit antiquam consuetudinem erroris sui.

24. Diximus de Synagoga ad fidem veniente; diximus de Gentilitate conversa; dicamus ergo generaliter de tota simul Ecclesia, et specialiter quid de unaquaque anima sentiendum est. Solent pravi auditores, doctores suos non considerare quod sunt, sed quod fuerunt. Sani ergo doctores ei confitentur quod fuerunt, et proferunt quod sunt; ut nec peccatores se abscondant, nec iterum dona velut ingrati denegent. Dicat ergo in istis Ecclesia : *Nigra sum, sed formosa.* Nigra per me, formosa per donum; nigra sum de præterito, formosa ex eo quod facta sum in futuris. Quomodo nigra, quomodo formosa? Nigra sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pellis Salomonis. Et non est justum ut aliquis ex præterita vita pensetur, [b] et non magis attendatur quod fuit, sed quod est. Unde subjungit : *Nolite me considerare quod fusca sim; quia decoloravit me sol.* Aliquando in Scriptura sacra, sol ponitur nimius æstus terrenorum desideriorum. Unde ergo fusca? *Quia decoloravit me sol*, et ardore amoris terreni apud sponsum decolorata sum, id est indecora apud regem facta.

(Vers. 5.) *Filii matris meæ pugnaverunt adversum me.*

25. In omni creatura duæ creaturæ rationales sunt conditæ, humana et angelica : cecidit angelus; persuasit homini [c]. Mater enim omnis creaturæ, benignitas et potentia Dei. Nos ergo et Angeli, ex eo quod rationales conditi sumus, quasi quamdam societatem fraternitatis habemus. Sed quia angeli ab eadem potentia conditi sunt, a qua et nos, qui tamen cadentes angeli contra nos quotidie bellum gerunt;

[a] Vat. Cl., *in Ecclesia.*

[b] Hic *non magis*, idem significare videtur ac *minime.*

[c] Supple *ut caderet*, angeli lapsi superbiam sequendo.

dicat : *Filii matris Ecclesiæ pugnaverunt contra me.* Ecce dum pugnant isti spiritus rationales, isti spiritus filii matris dum pugnant contra animam, faciunt eam rebus terrenis incumbere, actionibus sæcularibus vacare, res transitorias quærere. Unde et subjungit : *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Vineæ enim sunt actiones terrenæ. Ac si dicat : in actibus terrenis custodem me posuerunt, [a] et quæ vineam meam, id est animam meam non custodivi, vitam meam, mentem meam custodire neglexi; quia dum exterius in rerum terrenarum actione involuta sum, ab interna custodia elapsa sum. Plerique ex eo se considerant quod juxta ipsos est, non ex eo quod sunt. Juxta ipsos sunt dignitates, juxta ipsos sunt exteriora ministeria; et dum custodiunt quod juxta se habent, seipsos custodire negligunt. Dicat ergo : *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi;* id est, dum exteriori custodiæ in actibus sæculi deservio, interioris custodiæ sollicitudinem amisi. Sed ecce reducta anima ad gratiam Creatoris sui, jam amet, jam requirat ubi Redemptorem suum inveniat.

(Vers. 6.) *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.*

26. In meridie sol ferventior est. Omnis qui in fide fervet, in amore desiderii fervet. Iste sponsus qui subter hinnulus vocatur, in corde ipsorum pascit virtutum viriditatem; in corde ipsorum recumbit in meridie, in fervore charitatis. *Indica mihi,* **412** *quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Quare sic quærat ubi pascat, ubi cubet, reddit causam inquisitionis suæ.

(Vers. 6.) *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.*

27. Sodales Dei sunt amici familiares, sicut omnes qui bene vivunt; sed multi apparent sodales esse, et sodales non sunt. Multi enim doctores dum perversam doctrinam suaderent, sodales quidem videbantur, sed inimici exstiterunt. Dum adhuc doctor esset Arius, Sabellius, Montanus, quasi sodales videbantur; sed dum districte diffusi sunt, inimici apparuerunt. Et plerumque fideles animæ, dum inhærent verbo Dei, dum amant in doctoribus unde proficiant, cavere nesciunt perversorum verba doctorum, et ex ipsorum ore deficiunt. Quam multæ enim plebes istæ, quæ de sodalibus crediderunt, et dum eas persequuntur, per greges sodalium erraverunt! Dicat ergo : *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Indica in quorum corda veraciter requiescas, ne incipiam vagari post greges eorum, qui sodales tibi videntur, id est qui familiares tui creduntur, et non sunt. Omnes sacerdotes, omnes doctores sodales Dei sunt, quantum ad speciem; quantum vero ad vitam, multi non sodales, sed adversarii sunt. Sed hæc ipsa quæ diximus de hæreticis magistris, possumus de catholicis non bene agentibus dicere. Multi enim parvuli intra Ecclesiam fideles appetunt bene vivere, volunt vitam rectitudinis tenere, considerant vitam sacerdotum qui eis præpositi sunt; et dum sacerdotes ipsi non bene vivunt, dum hi qui præsunt, non recte vivunt, hi qui subsequuntur in errorem dilabuntur. Unde et Ecclesia quasi in eis parvulis et fidelibus dicit : *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Vitam mihi veraciter servientium tibi indica, ut sciam ubi pascas; viriditatem virtutum, ut sciam ubi cubes in meridie, id est ubi quiescas in fervore charitatis; ne dum greges sodalium tuorum aspicio, ipsa vagari incipiam, nesciens cujus verbis me et doctrinis committam. Caute enim debet omnis auditor, omnis infirmus, considerare cujus verbis se credere debeat, cujus magisterio uti debeat, cujus exempla sequi debeat. Et ecce verba sponsi redduntur ad sponsam.

(Vers. 7.) *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.*

28. Omnis anima nihil debet amplius curare, quam ut seipsam sciat. Qui enim seipsum scit, cognoscit quia ad imaginem Dei factus est, non debet similitudinem jumentorum sequi, sive in luxuria, sive in appetitu præsenti dissolvi. De qua ignorantia alibi dicitur : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII, 13). Vestigia gregum sunt actiones populorum, quæ quanto multæ sunt, tanto impeditæ, tanto perversæ. Dicatur ergo Ecclesiæ : *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos, juxta tabernacula pastorum.* O tu, quæ fœda per ignorantiam, per fidem pulchra facta es inter aliorum animas. Quod evidenter dicitur ad Ecclesiam electorum; si ignoras te, id est hoc ipsum, quod ad imaginem meam facta es, ignoras; egredere, id est foras. Si vero non cognoscis [b] a quo facta es, egredere et abi; vade post vestigia gregum; sequere, non exempla mea, **413** sed exempla populorum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. Hædi nostri sunt motus carnales, hædi nostri sunt tentationes illicitæ. Abi post vestigia gregum, id est descende post vestigia populorum, et pasce hædos tuos, id est nutri motus carnales, non jam sensus spirituales, sed motus carnales. Abi juxta tabernacula pastorum, si agnos pascis in tabernaculo pastorum, pasceris, id est in doctrinis magistrorum, in doctrinis Apostolorum, in doctrinis prophetarum. Si vero hædos pascis, juxta tabernacula pastorum pasce, ut fide voceris Christiana, et non operibus; quia intra videris esse per fidem, et non intra per opera. Quia ecce increpasti, ecce redarguisti (quid enim non dicis), quid tu benigne ea jam operatus es? Dic plane : Nam sequitur :

[a] Forte legendum, *atque.*

[b] Val. Cl., *ad quid, a quo facta es.*

(Vers. 8.) *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.*

29. Omnes qui luxuriæ, qui superbiæ, qui avaritiæ, qui invidiæ, qui fallaciæ deserviunt, adhuc sub curru Pharaonis sunt, id est sub regimine diaboli; omnis vero qui in humilitate, in castitate, in doctrina, in charitate fervet, jam equus effectus est Creatoris nostri, jam in curru Dei positus est, jam sessorem Deum habet. Unde cuidam cui Dominus præsidebat, dicitur : *Durum est tibi adversus stimulum calcitrare* (*Act.* IX, 5). Ac si diceret : Meus equus es, jam contra me calcitrare non potes, jam tibi ego præsideo. De istis equis alibi dicitur : *Misisti in mari equos tuos turbantes aquas multas* (*Habac.* III, 15). Habet ergo currus Deus, quia animabus sanctis præsidet, et per animas sanctas circumquaque percurrit. Unde scriptum est : *Currus Dei decem millia, multiplex millia lætantium Dominus* (*Psal.* LXVII, 18). Habet currus Pharao, qui tamen currus in mari rubro submersi sunt, quia multi perversi in baptismate mutati sunt. Dicat ergo Sponsus : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea;* id est, dum adhuc tu esses in curribus Pharaonis, dum adhuc operibus dæmonicis deservires : ego te equitatui meo assimilavi, quia attendi quid prædestinatione in te fecerim, et equis meis te comparavi. Videt enim Deus adhuc multos luxuriæ, adhuc avaritiæ servientes, et tamen attendit in secreto judicio quid jam de ipsis operatus est, quia habet equos Deus : sed multos videt adhuc equos esse Pharaonis. Et quia considerat occulto judicio, occulta prædestinatione ad bonum commutandos, similes illos attendit jam equis suis, quia videt [a] illos ad currum suum ducturus, qui prius in curru Pharaonis deserviebant. Ubi consideranda sunt occulta judicia, quia multi videntur per prædicationem, per sapientiam, per castitatem, per largitatem, per longanimitatem equi Dei esse; et tamen occulto judicio Dei, equis Pharaonis assimilantur : et multi videntur per avaritiam, per superbiam, per invidiam, per luxuriam equi Pharaonis esse; et tamen occulto Dei judicio equis Dei assimilantur. Quia et illos videt de bonis ad mala verti, et istos videt de malis ad bona reduci. Sicut ergo [b] per discretionem multi qui equi videntur Dei, equi sunt Pharaonis per reprobam vitam quæ illos sequitur; ita per pietatem multi qui equi Pharaonis videntur, ejus electi per sanctam vitam quam in fine suo servaturi sunt, equis Dei assimilantur. Unde 414 blanditur Sponsus et dicit : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* Id est, tu adhuc in curribus Pharaonis subdita deserviebas, sub vitiis currebas, sed ego attendi quid de te per prædestinationem feci. *Equitatui meo assimilavi te,* id est electis meis similem te [c] attendi.

(Vers. 9.) *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis : collum tuum sicut monilia.*

30. Turtur postquam parem suum perdiderit semel, nunquam alteri se jungit, sed semper solitarie habitans in gemitu perseverat; quia quem diligebat non inveniens quærit. Sic sancta quæque anima dum a Sponso suo absens est, ab ejus amore non recedit, sed in ejus desiderium semper anhelat et gemit; et dum illum quem valde diligit, non invenit, quia ab omni alieno amore se retrahit, quasi in genarum verecundia castitatem cordis ipso habitu et actu exteriori ostendit. Sequitur : *Collum tuum sicut monilia.* Per collum sponsæ, prædicatores sanctæ Ecclesiæ designantur. [d] In monilibus gemmæ in auro ponuntur. Per aurum quippe sapientia, per lapides opera exprimuntur. Collum ergo sponsæ sicut monilia existit; quia quilibet rectus Ecclesiæ prædicator et sapientia interius se induit, et opera exterius exercet, quæ in sapientia videt. Cui et adhuc dicitur :

(Vers. 10.) *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

31. [e] Murenulis monilia collo ligantur; quia et sapientia et religio a Scripturis sanctis prædicatoribus adjungitur; per murenulas enim sancta Scriptura intelligitur. Quæ, bene aureæ et argento vermiculatæ dicuntur; quia et sapientia sancta Scriptura fulget, et sonora prædicatione per mundum auditur. Sicut enim per aurum sapientia, sic per argentum sancta prædicatio demonstratur. His verbis Sponsi sponsa respondet, et per corporeas rerum species amorem intimat, quo spiritualiter intus ardet, dicens :

(Vers. 11.) *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

32. [f] Accubitum suum rex tunc intravit, quando Dominus noster Jesus Christus corporaliter cœli interiora penetravit. Quo ibi requiescente, nardus sponsæ odorem suum dedit; quia virtus sanctæ Ecclesiæ suavem famam bonitatis longe lateque sparsit. Ad cœlos enim Dominus ascendit, et Spiritum sanctum suum super discipulos misit (*Act.* II); quo impleti verba salutis mundo prædicarent, et per sancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent. Hunc quippe Spiritum in baptismo unaquæque fidelis anima recipit; ut per eum sibi ex virtutum confectione unguenta componat, et proximos exempli exhibitione quasi unguenti odore reficiat. Sequitur :

[a] Val. Cl., *illos currum suum ducturos.*

[b] Val. Cl., *per indiscretionem* Rothomag., *per prædestinationem.*

[c] Hic absolvitur homilia secunda in codice Divionensi.

[d] In vulgatis additur, *monilibus prædicatores comparantur, vel quia Ecclesiæ sunt ornamentum, vel quia Ecclesiam muniunt, ut pectus monile; vel a rotunditate, id est perfectione. In mon.* Quæ nulli ex Mss. codicibus nostris exhibent.

[e] In nullis Mss. invenimus quæ in editis hæc antecedunt, scilicet : *Murena piscis est, qui caput vertit se in circulum, ad cujus exemplar fit inauris quæ murenula dicitur; qua designatur prædicatio, quæ auribus inhæret, et eas penetrat. Murenulis....*

[f] Præmittitur in excusis : *Nardus est herba humilis, quæ gustata frigus expellit, et calefacit membra;* quæ mss. nesciunt.

(Vers. 12.) *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

33. Mortuorum corpora myrrha condiri solent, ne putrescant. Myrrham quippe corporibus ne putrescant adhibemus, dum membra nostra in Christi exemplum, per eorumdem mortificationem a putredine luxuriæ restringimus; ne dum ea sine condimento dimiserimus, dissoluta putredine escam **415** vermibus æternis nostra corpora faciamus. Sed quid est quod dilectum suum sponsa non myrrham, sed fasciculum myrrhæ nominat, nisi quod dum sancta mens Christi vitam ex omni parte considerat, contra omnia vitia ex ejus imitatione repugnantes virtutes congregat; ex quibus sibi fasciculum aptat, quo carnis suæ putredinem sempiternam abstergat? Qui bene inter ubera commorari dicitur, quia in dilectione Dei et proximi habitatio Christi sancta ædificatur. Sancta quippe anima dum Deum sic diligit, ut proximum non contemnat, et proximi amorem sic exsequitur, ut divinum non minuat, procul dubio ubera in pectore sibi locat, quibus Christum amplectens ipsum nutriat. Quasi enim uberibus Christus nutritus roboratur, dum hac gemina dilectione, ut fortius inhæreat, delectatur. De quo et adhuc dicitur :

(Vers. 13.) *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.*

34. Cyprus insula est, in qua uberiores vineæ quam alibi nascuntur. Per Cyprum ergo Ecclesia universalis designatur, quæ multas vineas nutrit, dum in multas Ecclesias divisa, vinum quod lætificat cor hominis, gignit. [a] Engaddi interpretatur fons hædi. Hædus autem antiquitus pro peccatis immolabatur. Quid ergo per fontem hædi nisi baptismus Christi figuratur? In quo dum corpus intinguitur, anima abluitur; et per illius fidem qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana a peccatis omnibus mundari se credit. Cui mox dilectus respondet :

(Vers. 14.) *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.*

35. Bis pulchram Sponsus sponsam suam vocat; quia cui dilectionem Dei et proximi donat, geminam pulchritudinem ei inserit, qua delectatur, et quam laudat. Cujus oculi bene columbarum esse perhibentur; quia dum in temporalibus gemit, et ad æterna [b] desiderio rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, et carnales concupiscentias detestatur. Columba quippe in amore pro cantu gemit. Et bene sancta anima columbæ comparatur; quia dum reprobi quique in amore mundi garriunt et lætantur, mens electa in cœlesti desiderio atteritur; quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur. Possunt etiam per oculos columbarum, Ecclesiarum prædicatores intelligi; qui simplicitatem quam prædicant, servant, et visibilia contemnentes, ad æterna cum magnis gemitibus anhelant. Sequitur vox sponsæ dicentis :

(Vers. 15, 16.) *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus : lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.*

36. Pulcher et decorus dilectus dicitur, quia in divinitate et humanitate ab omni amanti se mente sine macula reprehensionis aspicitur. Quem dum sponsa pleno desiderio sequitur, omnium mundi perturbationum obliviscitur; et dum in ejus pace quiescit, magis ac magis decoratur. Unde sequitur : *Lectulus noster floridus.* Quid lectulum sponsæ, nisi otii quietem intelligimus? Mens enim quæ sponsum suum Christum singulariter amat, inquantum potest, ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, virtutes quibus Sponso suo placeat, intus accumulat. **416** Quæ dum omnia quæ temporalia sunt contemnit, lectulum sibi cum Sponso in pace victoriæ facit, ubi quo quietius pausat, eo amplius flores invenit quibus se decoram Sponso ostendat. Sequitur : *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* [c] Per domos, plures Ecclesias intelligimus, [d] per tigna cedrina prædicatores designamus, per laquearia cypressina ipsos populos figuramus. Tigna enim tectum sustentant, laquearia vero domum implent et ornant. Sic sic in sancta Ecclesia prædicatores boni Scripturam divinam in corde et ore portant, quam fidelibus [e] expandentes prædicant; ut dum Ecclesia prædicatione cœlesti instruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur. Cedrus autem et cypressus imputribilia ligna esse perhibentur. Quibus bene omnes electi figurantur; quia dum temporalia nullo desiderio sectantur, æterni fiunt, eo quod mente in æterna figuntur. Respondet Sponsus et dicit :

CAPUT II.

(Cap. II. — Vers. 1.) *Ego flos campi, et lilium convallium.*

1. Bene florem Christus se nominat, qui dum spinas peccatorum exterminat, mentem sponsæ et pulchritudine suæ justitiæ exornat, et naribus cordis dum cœleste desiderium applicat, interiora animæ quasi odore refocillat. Qui sequitur adhuc et dicit :

(Vers. 2.) *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

2. Bene sicut lilium inter spinas, sponsa inter filias esse perhibetur; quia cum multi sint in Ecclesia qui solis verbis Christum confitentur, operibus vero nihil nisi humanas sollicitudines sectantur, dum sola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ a mortalitatis radice ad cœlestem pulchritudinem assurgit, et

[a] Hic inseritur in aliis excusis : *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur. Engaddi*, etc. Quæ, utpote mss. ignota expunximus. Desumpta videntur ex Beda lib. II in Cant. ad eumdem vers. *Botrus.*

[b] Editi, *ad æterna desideria.*

[c] Hoc loco octo linearum assumentum resecuimus, Mss. omnium consensu rejiciendum.

[d] Hæc omissa ex Mss. revocavimus.

[e] In vulgatis, contra Mss. fidem, *quasi tectum expandentes.*

munditiæ candorem corde et corpore sibiipsi custodit, et proximos quosque bonæ opinionis odore reficit. Sed quia Sponsus sponsam suam tanta laude dignam habuit, ipsa jam ex debito laudat, a quo laudari perspicit, et dicit :

(Vers. 3.) *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.*

3. Ligna sylvestria esui hominum habiles fructus non gignunt ; malus vero quod gignit, congrue et salubriter homines edunt. Merito ergo per malum Christus, per sylvestria vero ligna cæteri homines figurantur ; quia in solo Christo cibum salutis quoties quærimus invenimus ; in ejus verbis et exemplis animas nostras fructu suavi et salubri reficimus. Ipse est quippe lignum vitæ, [a] quod nobis tribuit. Ipse est qui dum nobis semetipsum inspirat, animam pascit. In cæteris vero si quid refocillationis invenimus, non quod illorum, sed quod Christi est, ab illis sumimus ; quia quidquid in eis præter Deum est, mortiferum nobis procul dubio invenimus.

(Vers. 3.) *Sub umbra illius quem desiderabam, sedi ; et fructus ejus dulcis gutturi meo.*

4. Umbra Christi protectio est Spiritus sancti. Spiritus quippe sanctus mentem quam replet, obumbrat ; quia omnem tentationum fervorem temperat ; et dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxii caloris sustinebat expellit ; et quam jam forsitan nimius vitiorum æstus **417** marcidam fecerat, umbra sancti Spiritus protegens recreat ; ut dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligat quibus ad æternam vitam robustius currat. Sequitur : *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Arbor quippe fructifera ipse Christus in corde plantatus consistit ; quam si mens nostra digne diligit, et instanter excolit, fructus nimirum interius pulchros et utiles gignit. Quos dum mens capiens avide comedit, omnes mundi voluptates præ ejus dulcedine postponit. Dulce enim est valde sibi cœlestia cogitare, in æternitate oculum intimum figere, ut aliquando in fletibus etiam mens accensa compungatur, et inter lacrymas sublevata, angelorum cibo, ipsa videlicet sapientia, quanto dulcius, tanto avidius pascatur. Unde est quod subditur :

(Vers. 4.) *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.*

5. Quid enim per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus ? In hac æternitate angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spiritali satiantur. Hanc sancta mens (postpositis omnibus temporalibus) si a sponso introducatur intrat, in qua ex illis angelicis deliciis quantum sibi conceditur, gustat. Et quia adhuc in corpore corruptibili detinetur, se perfecte non satiat, tamen ex illo minimo quod cursim sumit, considerat quantum debeat amare quod amat. Potest tamen per cellam vinariam Scriptura divina figurari. Per hanc quippe in sponsa charitas ordinatur, quia in ejus doctrina manifeste discitur qualiter Deus et proximus ordinate diligantur. Hac charitate percussa sequitur et dicit :

(Vers. 5.) *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*

6. Per flores teneri quique et incipientes, per mala vero perfecti fideles designantur. Sponsa quippe quia amore languet, fulciri se floribus et stipari malis appetit, quia dum se æternitatis desiderio afficit, dum qualiter illuc perveniat, tota anxietate perquirit, [b] sed perventionem dum in carne vivit, omnino non invenit, fatigata in desiderio suo requiescit, et in hoc solo gaudet, si circa se prospicit vel quibus ipsa, vel in quorum perfectione consolationem de languore suo perspicere possit. Quibus de sponso suo subsequenter hæc dicit :

(Vers. 6.) *Læva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me.*

7. Per lævam sponsi vita præsens, per dexteram vero vita æterna designatur. Per caput autem sponsæ, mens quæ animæ dominatur assumitur. Sed læva sponsi sub capite sponsæ esse dicitur, et dextera ejus amplexatur eam, quia vitam temporalem sub mente sua semper ponit, vitam vero æternam ut omni modo amplexetur concupiscit. Hæc quippe quæ videt, magnanimiter mente sublimi conculcat, officiis cœlestibus se occupat. Hæc ex necessitate tolerat, ad illa summo desiderio quasi brachio dextero sponsi astricta suspirat. In quæ cum aliquantulum intrat, delectabiliter quiescit, cujus quietis dilectione mundanos tumultus omnino fastidit. Sic quiescentem utique sponsus amplius diligit, et ab ejus excitatione improbos quosque repellit, dicens :

(Vers. 7.) *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque* **418** *camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam,* [c] *donec ipsa velit.*

8. Cervi et capreæ munda animalia in lege esse perhibentur. Quid ergo per cervos et capreas, nisi fidem, spem et charitatem accipimus ? Quas dum nobis mundas servamus, per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima sponsa Christi a cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit, in sinu sponsi sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit, ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, soliusque sponsi collocutione quanto quietius, tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem carnales qui sunt in Ecclesia, nonnunquam importune excitant, negotiis mundi eam implicare desiderant ; quia ejus vitam inutilem existimant, dum ab eorum curis eam se abstinentem considerant. Hi tales satis congrue

[a] Excusi, *quam nobis tribuit.*

[b] Sic legitur in omnibus Mss. Quam lectionem, etsi obscuriorem, præferendam duximus Editorum alteri ; *perquirit, eo quod perfectionem, dum in carne vivit... requiescit. Et in hoc solo gaudet si circa se respicit ; vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum profectione consolationem de languore suo recipere possit.*

[c] In Rothomag. et Val. Cl. *quoadusque ipsa velit.*

non filii, sed filiæ nominantur, quia dum effeminatos mores nutriunt, virili dignitate amissa, quales interius habentur, exterius nomine femineo designantur. Hi dilectam suscitare sub adjurationis pondere prohibentur, ne videlicet mentem quæ ad vacandum Deo se accingit, et solis spiritalibus studiis inhærere concupiscit, importunis sollicitationibus inquietent, et tenebris curarum terrenarum oculum cordis ejus obnubilent. Et tamen non ei omnis cura proximi interdicitur, sed quando suscitari debeat, ejus voluntati relinquitur, quia profecto omni perfectæ animæ discernendum est, et quando cœlesti contemplatione studeat, et quando proximorum utilitatibus inserviat. Hanc vacandi Deo licentiam libentissime sponsa suscipit, statimque verbum sponsi amplectitur et dicit :

(Vers. 8.) *Vox dilecti mei : ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.*

9. Ac si diceret : Hanc vocem dilecti mei sponsi esse recognosco, hanc ab ejus ore semper audire desidero, quia in hoc video quantum me diligat, cum me ab amplexibus ejus desiderabilibus impediri prohibeat. Ad hos amplexus qualiter pervenerit, subito narrat, dicens : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Ad amplexus sponsæ suæ Christus venire disponens, humanitatem nostram dignanter assumpsit. Ad quod mysterium peragendum, quasi saliens in montibus venit, quia quædam opera inter homines ostendit, quæ valde sublimia et super homines esse perspiciens humanum genus admirari potuit, attingere non potuit. Quod enim de virgine natus est C quod ad vagientem adorandum ire pastores angelus admonuit, magos stella perduxit ; quod pendens in cruce qua hora voluit spiritum emisit ; quod mortuus tertia die seipsum suscitavit, quod cœlum ingressus, Spiritum sanctum quibus sibi placuit donavit ; quod fidei suæ per piscatores et idiotas mundum subjugavit ; hæc faciens quasi in montibus ambulavit, quo eum nulla creatura assequi valuit. In his nimirum operibus colles transilivit, quia sanctos omnes, quantumcunque excreverint, potentia suæ operationis transcendit. De quo et sequitur :

(Vers. 9.) *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.*

Similis capreæ bene esse dicitur, quia ex Synagoga carnem traxit, quæ per capream ostenditur. **419** D Et quia ex antiquorum sanctorum stirpe progenitus est, quasi hinnulus cervorum recte esse perhibetur. Sequitur :

(Vers. 9.) *En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens per fenestras,* [a] *prospiciens per cancellos.*

10. Quasi post parietem nostrum Christus incarnatus stetit, quia in humanitate assumpta divinitas latuit. Et quia ejus immensitatem si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum objecit, et quidquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit. Per fenestras A autem et cancellos qui aspicit partim videtur, partim vero se abscondit. Sic et Dominus Jesus Christus dum et miracula per divinitatis potentiam fecit, et abjecta per carnis infirmitatem pertulit, quasi per fenestram et cancellos prospexit, quia in alio latens, in alio quis esset apparuit. Incarnatus itaque Ecclesiæ suæ, vel unicuique perfectæ animæ loquitur, et ad æternam exhortatur patriam, dicens :

(Vers. 10.) *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.*

11. Propter fidem Christus sponsam suam amicam vocat, columbam propter simplicitatem, formosam propter operationem. Quia enim sine fide Deo placere non possumus, bene per fidem amici vocamur, quia dum fide cœlestia appetimus, abjectis terrenis B Deo adhæremus. Columba vero bene anima propter simplicitatem dicitur, quia dum simplicem Deum cordis simplicitate perscrutatur, nequaquam mundi ineptam lætitiam dissoluta sectatur, sed semper ad æterna festinans, columbæ gemitum diligendo imitatur. Propter operationem anima formosa recte appellatur, quia dum præteritæ vitæ peccata per bona opera redimit, quasi antiquam turpitudinem assumpta forma meliori ante sponsi oculos abscondit. Hanc itaque hortatur Sponsus ut surgat et veniat ; quia dignum est ut quicunque ad amorem Christi properat, carnis torporem quantum potest abjiciat, et se ad æterna consequenda celeriter accingat. Sed quia ut ad cœlestia festinemus, per exhibitionem Novi Testamenti a Deo accepimus, ideo recte sequitur :

(Vers. 11.) *Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit.*

12. Quid per hyemem, nisi legis austeritas intelligendum est ? Quæ dum in carnalibus sacrificiis populum antiquum detinuit, ad appetenda spiritalia et cœlestia observatores suos non adjuvit. Possumus etiam per hyemem vitam præsentem intelligere, quæ dum nos assiduis tentationibus impetit, quasi imbribus importunis ad sequendum Christum torpere compellit. Sed jam sponsa surgat, quia hyems transiit, quoniam quanto magis dies ultimus instat, præsens vita recedit, et quo amplius tempus ad terminum ducitur, eo citius currendum est, ne electa anima oblatis sibi muneribus æternis privetur. *Transiit* enim dicitur, quia in proximo transitura esse non dubitatur. Sequitur :

(Vers. 12.) *Flores apparuerunt in terra, tempus putationis advenit.*

13. Flores apparuisse in terra dicuntur, quia sanctæ animæ cum a corporibus recedunt, in cœlo recipiuntur. Et quia in hac vita quamvis hyems fuerit, a bono opere non torpuerunt, mox ut recesserunt, in terra viventium gloriose floruerunt. Bene ergo sequitur quod dicit : *Tempus putationis advenit*, quia quo amplius in cœlo electorum numerus **420** congregatur, eo celerius reprobi ab Ecclesia tanquam sar-

[a] Val. Cl., *per fenestras et per cancellos.* Rothom., *per fenestras et cancellos.*

menta inutilia amputantur, ut mundus citius finiatur. Sequitur :

(Vers. 12, 13.) *Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.*

14. Quid per turturem, nisi Ecclesia; quid per terram sponsi, nisi vita illa beata designatur ? Sed vox turturis in terra sponsi audita esse dicitur ; quia dum pro desiderio suo sancta Ecclesia deprecatur, a Christo in cœlo clementissime exauditur. De qua recte subditur : *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Ficus quippe grossos suos protulit, quia sancta Ecclesia martyres suos ad æternam patriam præmisit. Post quos vineæ florentes odorem suum dederunt, quia per universum mundum exempla bonorum operum excreverunt. Vineæ utique flores producunt, cum singulæ Ecclesiæ animas prius infideles ad fidei novitatem per baptismum educunt. Sed flores ipsi odorem proferunt, cum credentes animæ exempla bona per suavem opinionem sibi invicem et aliis aspergunt. Sed quia Christus utroque modo exhortationis nos trahit, ut videlicet et præceptis nos admoneat, et exemplis sanctorum nos erigat, idcirco sponsæ suæ prius ut surgeret admonendo præcepit, et deinde exempla sanctorum ad cognitionem adduxit, et post exemplorum exhibitionem iterum se ad præcepti commonitionem convertit, dicens :

(Vers. 13, 14.) *Surge, amica mea, soror mea, et veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.*

15. Surgit anima, cum a peccati perpetratione se erigit ; venit, cum per bona opera desiderii sancti passibus sanctis ad cœlestia tendit. Sancta etenim mens cum præteritæ vitæ turpitudinem conspicit, cum peccata sua enumerat quæ fecit, mox secum in conscientia erubescit, et quæcunque in mundo dilexerat, ad odium sibi transferens fletibus se punit, et ipsa pœnitentia facta robustior, ab omni inquinatione etiam [a] exilit, et ab omni torpore negligentiæ se excutit, ut jam in infimis cogitationibus non jaceat, sed ad appetenda invisibilia per sancta desideria se extendat. Hæc itaque mens surgit et venit, quia et a torporis infirmitate per compunctionem se erigit, et in sanctis studiis se exercens, ad æterna pedibus amoris currit. Per foramina autem petræ, vulnera manuum et pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim. Cavernam vero maceriæ, vulnus lateris quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ et in caverna maceriæ esse dicitur, quia dum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum quo convalescat, invenit. Possunt tamen per foramina petræ, incarnationis Christi sacramenta signari, et per cavernam maceriæ, ipsa protectio angelicæ custodiæ figurari. In qua custodia cum anima ponitur, bene ei a sponso dicitur :

(Vers. 14.) *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*

16. Quid enim per faciem, nisi fidem qua a Deo cognoscimur, accipimus ? Et quid per vocem, nisi prædicationem intelligimus ? Sed præcipit sponsus ut ei sponsa faciem suam ostendat, quia quicunque se fidem dicit habere, necesse est ut in bonis operibus 421 se exerceat, ut in operibus exterioribus fides interior innotescat. Sed et opera necesse est ut vox prædicationis sequatur, quia quicunque in sanctis operibus se dilatat, consequens est ut ad eadem facienda proximos quosque exhortetur. Ideo sequitur : *Vox enim tua dulcis et facies tua decora.* Tunc enim et vox placet, et facies decoratur, quando et opera prædicatio sequitur, et rursum prædicationem bona opera comitantur. Hujusmodi prædicatoribus consequenter dicitur :

(Vers. 15.) *Capite nobis* [b] *vulpeculas, quæ demoliuntur vineas : nam vinea nostra floruit.*

17. Per vulpes hæretici, per vineas singulæ Ecclesiæ designantur. Sed vulpes vineas demoliuntur; quia per hæreticos Ecclesiæ a rectæ fidei viriditate exsiccantur. Quæ bene parvulæ dicuntur, quia quamvis contra veritatem intus superbiant, exterius tamen in verbis humilitatem per simulationem sectantur. Quæ tunc a sanctis prædicatoribus capiuntur, quando instante altercatione, sententiis veritatis convincuntur. Prædicatores quippe sancti aliquando canes per similitudinem dicuntur : quia prædicationibus assiduis, quasi latratibus importunis, adversarios quosque a grege ovium arcere nituntur. Isti canes vulpes Christo capiunt; quia ducem suum dum fideliter diligunt, pro ejus amore laborantes, tergiversantes hæreticos ab involutionibus quæstionum, quasi a tenebrosis caveis ad lucem veritatis educunt. Quare vero vulpium demolitio timeatur, manifestatur cum dicitur : *Nam vinea nostra floruit.* Vinea quippe floruit, quia sancta Ecclesia per baptismum filios ad fidei novam conversationem perduxit. Quibus timendum est, ne ab hæreticis depraventur, quia dum quique credentes in novitatem Christi regenerantur, quo quisque tenerior est, eo citius ad pravitatem seducitur. Floribus omnino timendum est, ne pereant, quia dum adhuc quisque ad perfectionem per exercitium diuturnum non convaluit, facile si a dente venenoso mordetur, ab hoc quod nactus fuerat, evanescit. Perfecta enim quæque anima in quo se jam diu exercuit, facile non amittit, quia quo frequentius palato intimo quam dulcis sit Dominus gustavit, eo constantius sponsi rectitudinem tenet, et distorta fastidit. Quæ prosequitur convenienter, et dicit :

(Vers. 16, 17.) *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.*

[a] In Excusis, *etiam cogitationis exilit.*

[b] Sic legimus in omnibus Mss. ubi Editi habent, *vulpes parvulas*, forte quia postea legitur : *parvulæ dic.*

18. Ac si diceret : Dilecti mei amicitiam constanter teneo, quia ejus constantem benevolentiam erga me sentio. Quia dum ejus familiaritatem benignam habeo, durum mihi est quidquid ei adversum inimicos latrantes audio. Et dum in ejus assiduitate qualis sit video, si quid erroris proferunt adversarii, a veritate quam in ejus visione cognovi, non recedo. De quo bene sequitur : *Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Quid per lilia; [a] nisi animæ designantur? Quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suaviter olent. Inter lilia sponsus ergo pascitur, quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ et in se mundiliam carnis conservant, et per nitidas cogitationes coram eo placent, et exempla proximis quasi odoris **422** suavitatem donant. Dies vero tunc aspirabit, et umbræ inclinabuntur, quando vita æterna apparebit, et præsens vita finietur. Quippe dies erit, hic vero [b] nox; quia hic in visione caligamus, ibi dies ipsa tota veritas mentibus elucebit. Ad hanc diem prorsus animæ enituntur ut perveniant : propter hanc, justitiam illibatam in quantum possunt conservant; et quia sine Christo nihil possunt, ejus auxilium invocant, ejus familiaritatem desiderant. Quarum dum mentem considerat, prope est benignus et adjuvat, et quo amplius proficiunt, eo familiarius semper amat, donec finitis tenebris mundi, ad vitæ æternæ lucem perfectas educat. Quam lucem quia valde desiderant, eamque cum Dominus ad judicium venerit, videndam esse putant, idcirco cum summo desiderio dicunt :

(Vers. 17.) *Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel.*

19. A nobis dilectus corporaliter tunc abiit, quando post resurrectionem in cœlum ascendit. Tunc autem reverteter, quando in fine mundi resuscitatis corporibus hominum, omnibus in judicio manifestabitur. Qui vere similis capreæ et hinnulo cervorum apparebit, quia in carne nostra veniens ad judicium, omnibus se monstrabit. Per capream enim, quæ mundum est animal, Ecclesia designatur, quæ dum in cœlestibus mente habitat, quasi in montibus pascitur. Per cervos autem quid aliud quam patres antiqui designantur, ex quorum carne Christus natus, quasi hinnulus cervorum mundo est præsentatus? Bethel autem domus Dei interpretatur. Quæ bene Ecclesia Dei dicitur, quia in ea Dominus habitat, dum per fidem corda nostra mundantur. Super montes ergo Bethel similis capreæ hinnuloque cervorum apparebit; quia in ea humanitatis forma ad judicium veniet, quam ab Ecclesia sumpsit, quando in hoc mundo ex patrum progenie quasi hinnulus ex cervis humilis natus fuit. Qui vere et similis capreæ, et super montes Bethel apparebit, quia ex humanitatis forma similis Ecclesiæ erit, et tamen super ipsos summos, qui quasi montes excellunt, in Ecclesia sublimior eminebit. Qui dum venire moratur, quia eum semper sancta anima perquirere nititur, ideo sequitur :

CAPUT III.

(Cap. III. —Vers. 1.) *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni.*

1. Lectulum sibi sancta anima per noctes facit, dum omnes perturbationes mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescit. In hoc lectulo quem diligit quærit, quia dum ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, in ejus inquisitione quomodo ad illum perveniat, non quiescit. Notandum est autem quia per noctes quærit, qui modo in hoc mundo vivit, et perfecte tenebras temporalitatis [c] a se excutit. Quas quo graviores patitur, eo ferventius quærit eum, quo invento, tenebras amplius non patietur. Sed quia quem quærit, nunquam perfecte in hoc mundo invenit, ideo subjungit : *Quæsivi illum et non inveni.* Quia vero maximo desiderio æstuat, et quidquid tenet, ei non sufficit, donec dilectum inveniat, ideo constantiam inquisitionis subjungit, dicens :

423 (Vers. 2.) *Surgam, circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni.*

2. Quid per civitatem in hoc loco, nisi Ecclesiam; quid per vicos civitatis, nisi spiritales quosque accipimus? Qui dum [d] ad Ecclesiam toto corde gradiuntur, angustam viam tenent, qua ad vitam perducantur. Per plateas autem, sæculares designantur, qui dum voluptates suas multas sequuntur, latas vias gradiuntur. Surgit ergo sponsa et civitatem circuit, quia perfecta anima quæ visibilia fastidit, omnes sanctos qui sunt vel fuerunt in Ecclesia, mente conspicit, si quid forte in eorum actibus reperit quod imitando, ad sponsi inventionem aliquando pervenire possit. Per vicos autem et per plateas quærit, quia dum per bonorum imitationem ad dilecti familiares amplexus pervenire satagit, non solum in spiritalibus, sed et in ipsis etiam carnalibus aliquando invenit quod imitari digne possit. Sed postquam laborem geminatum insinuavit, iterum difficultatem inventionis subdit, dicens : *Quæsivi illum, et non inveni.* Sed dum quærit et non invenit, ipsa etiam quæritur et invenitur, et ideo subditur :

(Vers. 3.) *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem : Num quem diligit anima mea vidistis?*

3. Quid per vigiles, nisi doctores Ecclesiæ designantur? Qui dum lucrandis animabus et scriptis et dictis invigilant, ubi desiderii aliquantulum sentiunt, augmentare ad melius nunquam cessant. Hi sponsam quærentem inveniunt, quia piam animam Christum

[a] Addunt Vulgati, *nisi mundæ animæ*, silentibus Mss.

[b] Ita legitur in omnibus Mss. At in Excusis : *hic quippe nox est, ibi vero dies erit, quia hic in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus elucebit.*

[c] Vulgati, reluctantibus omnibus Mss., *a se non excutit.* Lectio nostra, etsi prima fronte, veritate carere videatur, est tamen verior, juxta S. Gregorii mentem, anima enim *quæ omnes mundi perturbationes fugiens lectulum sibi facit*, tenebras temporalitatis perfecte, quantum in ipsa est, a se excutit.

[d] Excusi, *qui dum ad cœlestia.*

invenire satagentem excipiunt, et ut citius inveniat, præceptis instruunt, exemplis accendunt. Quos illa interrogans, dicit : *Num quem diligit anima mea vidistis?* Bene eos sponsa interrogare dicitur, quia dum eorum scripta vel verba vigilanti animo perscrutatur, tanquam præsentibus etiam absentibus animi intentione loquens, quid de Christo senserint, sciscitatur. Quia vero dum in eos intendit, nunquam sponsum invenit, consequenter subjungit :

(Vers. 4.) *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.*

4. Paululum vigiles transit, et dilectum invenit, quia dum eos puros homines esse cogitat, ad divinitatem mentem erigit, ibique sponsum suum supra homines Patri æqualem cognoscit. Quem tunc invenisse se dicit, cum sanctis laboribus adjuta, in ejus divinitatis claritatem oculum fidei tanquam per speculum contemplando aliquantulum figit. Quod tantillum quanta aviditate mentis suscipiat, ostendit, dicens :

(Vers. 4.) *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.*

5. Mater Ecclesiæ Synagoga exstitit ; quia ex ipsa sanctos prædicatores habuit, a quibus verbum veritatis suscepit, per quod in fide regenerata fuit. Tenet ergo sponsum Ecclesia donec in domum matris eum introducat, quia usque in finem mundi ab ejus fide et amore non recedit, donec ad fidem Judæos adducat. Non quod postea recedat ; quippe quem in exsilio diligit, in patria videns amplius amabit. Sed de illo tempore dici debuit, de quo a quibuslibet propter obsistentes tentationes dubitari potuit. In domum ergo matris dilectum introducet, quando in fine mundi Ecclesia per prædicationem **424** in plebem judaicam Christiana sacramenta immittet. In cubiculum autem quasi in secretiorem partem domus eum introducet, quia ex eadem plebe ita plurimos convertet, ut omnes mundi sarcinas abjiciant, et in intimis cogitationibus soli Deo placere concupiscant. Hujuscemodi homines cubiculum facient sponso, quia dum a se omnes sordes cupiditatis abjicient, quasi secretum locum in mente in quo delectetur, component. A quorum inquietatione in eis delectabiliter pausans sponsus, improbos prohibet, dicens :

(Vers. 5.) *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

6. In hoc utique ostendit, quia ejusdem perfectionis quosdam de Synagoga post conversionem inveniet, cujus de Ecclesia quam plurimos, dum in eorum quiete similiter delectatur, ab eis [a] inquietatorem prohibet, sicut ab Ecclesia prohibuit. Introducta ergo ad fidem Synagoga, Ecclesiæ mentem per opera quæ videt, conspicit, et sublimitatem ejus valde admirans, dicit :

(Vers. 6.) *Quæ est ista quæ asendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?*

7. In deserto itaque, in hoc mundo Ecclesia, sive sancta quæque anima vivit, dum a regno exsul inter bestias, dæmones videlicet, degit. Hic enim etsi non omnino a sponso deseritur, tamen dum in carne est, nondum ad certam ejus visionem admittitur, dum ab eo per exsilia et tentationes peregrinatur, quia dum adhuc cum eo non regnat, deseri ab eo sibi videtur. Ob hoc semper laborat ut ascendat, ut quem valde diligit, magis ac magis sentiat, quatenus quoniam perfecte eum in deserto non tenet, vel in ipso ejus desiderio se reficiat, ut sic in via roborata, quandoque ad hoc quod diu concupivit, perveniat. Sunt quippe nonnulli, qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in cœlestia erigunt, et quia in infimis nihil quod eis dulcescat, conspiciunt, totum cor ad superna convertunt. Hi ab omnibus malis moribus se exuunt, censum mundi cum cupiditatibus contemnunt, spe ad invisibilia tendunt, et quo ampliori desiderio illis inhærent, eo magis ac magis moleste corruptionem ferunt quam habent. Hi nimirum per desertum ascendunt, quia dum in hoc mundo inter tentationes vivunt, quo amplius dum hic morantur deseri metuunt, eo quidem fortius ista deserunt, et ferventius ad illa gradiuntur, in quibus cum fuerint, nihil amplius quod eos amoveat, jam timebunt.

8. Bene autem sicut virgula fumi ascendere dicuntur, quia et odorem bonæ famæ, et subtilitatem mentis habere dicuntur. Non autem quarumlibet rerum fumus iste esse dicitur, sed ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii existere dedeclaratur. Myrrha quippe mortuorum corpora condiuntur ne putrescant, thura vero accenduntur ut redoleant. Per myrrham ergo carnis mortificatio signatur, per thus vero orationum munditia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem suam a putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi myrrham morituro corpori adhibet, ut post judicium a corruptione æterna sanum permaneat. Cum vero se ad cœlestia majori desiderio accendit, **425** et a cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abjicit, quasi thuribulum cor suum coram Deo facit. In quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat, in quo seipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dumque ferventes et mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut coram dilecto suave redoleat, et proximos quosque ad ejus amorem per bona exempla concitare non desinat. Sed notandum quod non ait universi pigmenti, sed universi pulveris pigmentarii. Pigmenta quippe facimus, quando virtutes congregamus in corde. Quando vero ipsas nostras virtutes per singula quæque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus nostris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat, tunc pro-

[a] Rothomag., *inquietationem* : Lectio priorum Editorum paululum est diversa.

cul dubio unguenta virtutum quasi in pulverem tundimus, ut eo mundiora sint opera nostra, quo subtilius ea ab omni subreptione vitiorum discernere non cessamus. Hujuscemodi mentes dilecto suo delectabiles se per ejus gratiam faciunt, et dum ab omni mundano strepitu se dividunt, locum in quo sponsus requiescat, in seipsis componunt. De qua requie subditur :

(Vers. 7, 8.) *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.*

9. Salomon quippe pacificus interpretatur. Quid ergo per Salomonem, nisi Christus intelligitur, de quo scriptum est : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum?* (*Ephes.* II, 14.) Salomoni ergo lectulum facimus, quando a mundi sollicitudinibus omnino cessamus, dum in solo desiderio Christi libenter pausamus, eique, ut nobiscum pauset, cor ab omni terrena cupiditate mundamus. Denarius autem numerus si per senarium multiplicetur, nimirum sexaginta complentur. Per denarium itaque Decalogum legis accipimus, per senarium autem totum hoc tempus intelligimus quod sex diebus operatoriis volvi videmus. Per sexaginta igitur fortes omnes perfectos qui fuerunt ante nos in Ecclesia intelligimus; qui dum decem præcepta legis quo spiritalius, eo fortius in sex diebus compleverunt, quasi sexagenarium numerum perfecerunt. Hi lectulum Salomonis ambiunt, quia mentem sanctam in qua Christus pausat verbis et exemplis muniunt, quibus ab aditu mentis venientes hostes repellunt, dum ipsam mentem exemplis sustinent, scriptis erudiunt. Hi tenent gladios, et ad bella doctissimi existunt, quia dum verbum Dei opere complent, quod corde sciunt, magis ac magis semper docti hostem suum, dæmonem scilicet, sapientia et fortitudine vincunt. Per gladium enim, verbum Dei designatur, per manus autem quibus gladios tenent ipsa opera figurantur. De quibus bene subditur : *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Quid per ensem, nisi rigorem conversationis; et quid per femur, nisi carnis appetitum accipimus? Electi ergo quique, qui jam ad perfectionem vitæ provecti sunt, semper ensem super femur suum ferunt, quia rigore conversationis appetitum carnis assidue frangunt, ne hostis quem in nocte hujus mundi timent, repente veniens, mollem aditum inveniat, et per voluptatis mollitiem **426** eo facilius, quo voluptuosiores invenerit, ad graviora peccata perducat. De laude itaque Salomonis adhuc subditur :

(Vers. 9, 10.) *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum; media charitate constravit, propter filias Jerusalem.*

10. Ligna Libani imputribilia esse asseruntur. Ferculum ergo fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, quia, seeundum [a] præscientiæ suæ gratiam, Christus sanctam Ecclesiam de sanctis in æternum permansuris construxit. *Columnas ejus fecit argenteas*, quia eidem Ecclesiæ prædicatores dedit, qui et ut eam exemplis sustentarent, magna justitiæ rectitudine roboravit, et ut prædicationibus erudirent, nitore eloquii, quasi splendore argenti, decoravit. *Reclinatorium aureum* fecit, quia dum in cordibus perfectorum resplenduit, eis divinitatis suæ potentiam per contemplationem ostendit. In qua contemplatione dum eis pulchritudinem cœlestium gaudiorum monstravit, quasi reclinatorium ex auro composuit, quia locum in quo se refocillantes requiescant apposuit. Quod reclinatorium bene aureum esse dicitur : *quia melior est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desideran-* B *tur* [b] *huic non valent comparari* (*Prov.* VIII, 11). Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur, ita ut, si necesse fuerit, etiam sanguis effundi permittatur. Ideo ascensus recte purpureus esse dicitur. Dum enim sancti quique martyres propter vitam æternam corpora sua ad supplicia tradiderunt, dum flagella, [c] equuleos, ignes, gladios et alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nonne ad reclinatorium istud, ad beatam scilicet vitam, per ascensum purpureum ascenderunt? Sed nos miseri quid agimus, qui in hoc ferculo columnæ argenteæ non sumus, quia sanctam Ecclesiam nec exemplis sustentamus, nec prædicatione docemus? In ea reclinatorium aureum non habemus, C quia, terrenis cogitationibus involuti, ad splendorem sapientiæ per contemplationem non assurgimus. Ascensum purpureum nec etiam cognoscimus, quia, voluptatibus vacantes, labores et persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus. Consolatur nos aliquantulum quod de hoc ferculo subditur : *Media charitate constravit, propter filias Jerusalem.* Quid enim per filias Jerusalem, cum non filios sed filias dixerit, intelligimus, nisi nos debiles, qui in Ecclesia non viri, sed feminæ sumus, quia contra vitia fortiter non reluctamur, viriliter non resistimus, muliebriter subjacemus? Jerusalem enim visio pacis interpretatur, per quam Ecclesia, quæ est mater nostra, designatur, eo quod assidue pacem perpetuam contemplatur. Si ergo nos in ferculo Regis columnæ argenteæ non sumus, reclinatorium aureum non habe- D mus, per ascensum purpureum ascendere non valemus; saltem charitatem, quæ communis omnibus electis quasi in medio posita est, teneamus. Per hanc quippe rex Salomon nos in ferculo suo esse cognoscit, quia in eo cum columnis argenteis, cum reclinatorio aureo, cum ascensu purpureo, propter filias Jerusalem etiam media charitate constravit, quia cum Ecclesiæ membris ad eamdem sponsi beatitudinem pervenimus, si charitatem indefessam observamus. Sequitur :

427 (Vers. 11.) *Egredimini, filiæ Sion, et videte*

[a] Val. Cl., *præsentiæ suæ gratiam*, quod minime probamus. Contradicunt quoque alii Mss.

[b] Excusi, *ei non possunt comparari.*

[c] Ita omnes Mss. et Edit. Paris. 1518. Aliæ habent *aculeos.* Erroris occasio fuit modus scribendi veterum amanuensium *eculeos.*

regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

11. Mater Christi beata Maria esse creditur, quæ coronavit eum diademate, quia humanitatem nostram ex ea ipse assumpsit, sicut in Evangelio recitatur (*Matth.* 1). Et hoc in die desponsationis ejus et in die lætitiæ cordis ejus factum esse dicitur, quia quando unigenitus Filius Dei divinitatem suam humanitati nostræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam [a] suam sibi assumere placuit, tunc cum charitatis exsultatione carnem nostram ex matre Virgine suscipere voluit. In qua cum doloribus pro tempore vivens, de redemptione nostra vehementer exsultavit. Sed cum diadema pro gloria assumatur, in humanitatis autem susceptione non gloria Verbi Dei, sed humilitas esse cognoscatur, quomodo humanitate nostra quasi diademate coronatus fuisse dicitur? Sed cum ipsa ejus incarnatio vere gloria nostra fuerit, quia membra ejus sumus propter communionem corporis, diadema membrorum bene capitis Scriptura prædixit. Hic itaque quia a sponsa laudatur, et ipse vicissim sponsam laudare dignatur, dicens :

CAPUT IV.

(Cap. IV.—Vers. 1.) *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es et decora! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.*

1. Quia hæc superius exposuimus (*Cap.* 2, *n.* 35), ut potuimus, nunc eadem repetere propter brevitatem servandam devitamus. Sed quia adjunctum est *Absque eo quod intrinsecus latet*, breviter videndum est quomodo superioribus conjungatur. Pulchra est ergo sponsa, et oculi ejus columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, quia valde honestum est quidquid in exterioribus operatur, quod simpliciter inter homines conversatur, quod ea quæ videt temporaliter concupiscere dedignatur, et si quid tamen in hoc mundo placet, post concupiscentias suas ire detestatur. Sed vehementer pulchrius et honestius est quod cordis desiderium illibatum retinere conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, erecta contemplatur, quod in his quæ interius videt suaviter requiescit et mundatur. Sequitur :

(Vers. 1.) *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.*

2. Si per oculos prædicatores Ecclesiæ designantur, quia cæteris viam ostendit, bene per capillos populi significantur, quia eidem Ecclesiæ ornatum tribuunt. Capilli ergo sponsæ sicut grex caprarum esse dicuntur, quia populi Ecclesiæ dum, præcepta legis ruminantes, cœlestia fide contemplantur, munda sunt animalia, et in altis pascuntur. Galaad autem acervus testimonii interpretatur. Quid autem per acervum testimonii, nisi multitudinem martyrum intelligimus? Qui dum fidem Christi insuperabiliter tenuerunt, eos A testimonium veritati etiam per mortem suam perhibuisse scimus. Grex itaque iste caprarum de monte Galaad ascendit, quia populus Ecclesiæ eo magis fide se ad æterna suspendit, quo fortius sanctos martyres eidem fidei testimonium perhibuisse scivit. Sequitur :

(Vers. 2.) *Dentes tui sicut* [b] *greges tonsarum, quæ ascendunt* **428** *de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter illas.*

3. Sicut per oculos prædicatores intelliguntur, quia per eos Ecclesia illuminatur, similiter et dentes ejusdem possunt dici, quia per eos infideles consumuntur, et parvuli nutriuntur. Dentes quippe bene sancti prædicatores vocantur, quia dum sanctam Scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant, B quasi panem parvulis, tanquam matres filiis commasticant, quo infirmi ad fortiora convalescant. Hi nimirum bene sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, esse dicuntur, quia dum se a peccatis omnibus in baptismo ablutos esse recordantur, libenter onera mundi deponunt, ut ad cœlestia consequenda et prædicanda quo liberius, eo facilius gradiantur. De quibus subditur : *Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter illas.* Gemellos fetus omnes sancti prædicatores habent, quia dum in duobus præceptis charitatis cæteros homines supereminent, geminam dilectionem prædicant, et in ea duos populos, judaicum et gentilem gignere non cessant. Inter quos nullus est sterilis, quia profecto prædicator non est dicendus, si filios spirituales gignere contemnit. De C quibus adhuc subditur :

(Vers. 3.) *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.*

4. Iidem prædicatores labia Ecclesiæ dicuntur, quia nimirum per eos populis præcepta vitæ loquitur. Qui bene sicut vitta dicuntur, quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, quasi sparsos crines ne immoderate diffluant reprimunt. Sed quid est quod non tantum vittæ, sed coccineæ comparantur, nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, qua illi ardent, et per eos alii accenduntur? Per quos eloquium sanctæ Ecclesiæ dulcoratur, quia dum quæ dicunt faciunt, prædicationes suas hominibus quasi sapidas escas apponunt. Sequitur :

D (Vers. 3.) *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.*

5. Quid per genas Ecclesiæ, nisi eosdem ipsos prædicatores intelligimus, qui dum in populis ut eis proficiant eminent, quasi in facie Ecclesiæ manifesti apparent? Per malum autem punicum ipsa Ecclesia designatur, quia dum multos populos in unitate fidei nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit. Fragmen ergo mali punici sancti prædicatores existunt, quia dum se ut grana in divino servitio cæteris fortius affligunt, dum omnia mundana contemnunt,

[a] Placuit recentioribus Edit. explicationis gratia inserere *sponsam suam*. Lectio nostra est Mss. et Edit. vet. Paris.

[b] Rothom. et Rhemens., *grex tonsarum*.

dum [a] voluptates suas abnegant, et vitia sua omnino mortificant, [b] et cæteros extollunt, et dum per exempla sua cæteros nutriunt, quasi fracti et aperti se cibos offerunt. Sed quamvis magna sint quæ extrinsecus apparent, majora tamen in occulto retinent, quæ divini oculi soli vident. Ideo subjunctum est : *Absque eo quod intrinsecus latet.* Sequitur :

(Vers. 4.) *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

6. Collum quippe extendimus, quando longius prospicere volumus. Propter aliud ergo sancti prædicatores oculi, propter aliud dentes, propter aliud autem genæ, et collum propter aliud convenienter vocantur. Bene igitur sicut turris David collum **429** sanctæ Ecclesiæ dicitur, quia sancti prædicatores **B** procul venientes hostes sanctæ Ecclesiæ speculantur, et fortiter resistunt, si quid in Ecclesia lædere conantur, et, libere terrena despicientes, cœlestia contemplantur. Collum ergo propter hostium speculationem, turris vero dicuntur propter fortitudinem, et propter excelsam cœlestium gaudiorum contemplationem. Quæ turris recte David esse dicitur, quia David manu fortis interpretatur ; per quod Christus significatur, cujus est quidquid forte et excelsum operatur. De qua subditur : *Quæ ædificata est cum propugnaculis ; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cum propugnaculis turris David ædificata dicitur, quia sancti prædicatores contra adversarios homines, si necesse sit, miraculis armantur. Contra vitia autem se clypeis muniunt, quia ne spiritalibus **C** hostibus succumbant, virtutibus se defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendent, quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere vult, in eis exempla videt, quibus [c] armatos hostes strenue valet superare. Mille autem hic pro perfectione ponitur, quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. Sequitur :

(Vers. 5, 6.) *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.*

7. Per duo ubera duo prædicatorum ordines, unus in circumcisione, alius in præputio, designantur. Qui bene sicut duo hinnuli capreæ dicuntur, quia et filii Synagogæ existunt, et in montibus contemplationum pascuntur. Gemelli vero ideo dicti sunt, quia **D** concorditer prædicant, et concorditer sapiunt. In liliis vero pascuntur donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, quia munditiam infatigabiliter sectantur, donec in die judicii præmia recipiant, quæ in laboribus noctis assidue contemplantur. Sequitur sponsus, dicens :

(Vers. 6.) *Vadam* [d] *ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.*

8. Quid per montem myrrhæ, nisi fortem altitudinem mortificationis in opere, et quid per collem thuris intelligimus, nisi altam humilitatem in oratione ? Ad montem ergo myrrhæ et ad collem thuris sponsus vadit, quia eos familiariter visitat quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere et per mundas et humiles orationes suaviter redolere perspicit. His quippe virtutibus sancta Ecclesia vel unaquæque anima munda efficitur, quia dum per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, et per sanctas orationes frequenter lacrymis abluitur, sordes lavat ut sponso placeat, cui pulchra apparere conatur. Cujus conatum ad effectum sponsus per gratiam suam ducit, opusque suum in sponsa benigne laudat et dicit :

(Vers. 7.) *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

9. Cum scriptum sit : *Nemo vivit sine peccato, nec infans cujus vita est unius diei super terram* (*Job.* XXIV, 4, *sec. Septuag.*), quid est quod sponsa tota pulchra esse dicitur, in qua macula non habetur? Alibi quippe scriptum est : *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus* (*Job.* XXV, 5). Et alibi : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Et Joannes apostolus ait : *Si dixerimus* [e] *quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). Et idem : *Si dixerimus quia non peccamus, mentimur, et veritatem non facimus* (*Ibid.* 6.) Sed dum **430** sancta anima a peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, et a majoribus se observat, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam assidue servat. Hinc enim alibi præcipitur : *Semper sint vestimenta tua candida* (*Eccli.* IX, 8). Et illud : *Justus autem ex fide vivit* (*Rom.* I, 17). Quamvis enim mox ut peccat a justitia deviet, tamen dum semper credit in eum qui justificat impium, et assidue sub ejus fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones justitiam suam retinet. Se igitur ita mundanti sponsæ consequenter dicitur :

(Vers. 8.) *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

10. Libanus quippe dealbatio interpretatur. Quid ergo per Libanum nisi baptisma intelligitur, in quo sancta Ecclesia aqua abluitur, et a peccatorum nigredine per Spiritum sanctum quem recipit et per Christi fidem dealbatur? Unde scriptum est : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor* (*Psal.* L, 9). De Libano ergo sancta Ecclesia ad coronam venit, quia in Christi baptismo fidem percipit, sub qua cum Christi gratia meretur ut præmium recipere possit. Sed quid est quod ter dicitur *Veni*, nisi quia in fide et in spe et in charitate quidquid operatur subsistit, ut his tribus munita virtutibus robur habeat, per quod in via non lassescat? De fide enim dicitur : *Fide*

[a] Editi, *voluntates suas abnegant.*
[b] Ibid., post *mortificant*, additur *dum seipsos humiliant.* Quæ absunt a Mss.
[c] Excusi, *quibus armatus.*
[d] Rothom., Turon., Rhem. et Theod., *Vadam mihi ad montem myrrhæ.* De hoc loquendi modo jam dictum cap. 4 lib. I Dial., col. 173, not.
[e] Excusi, *quia peccatum non habemus.*

mundans corda eorum (*Act.* xv, 9). Et iterum : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* xi, 6). De spe autem dicitur : *Non confundentur omnes qui sperant in te, Domine. Quis enim in te speravit, et derelictus est?* (*Eccli.* ii, 11, 12.) De charitate autem dicitur : *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Pet.* iv, 8). Et iterum : *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum* (*I Cor.* xiii, 3). Et Joannes apostolus : *Deus charitas est* (*Joan.* iv, 16). Potest tamen et aliter intelligi quod ter dicitur *Veni*. Venit enim sponsa sancta ad Christum, dum in hoc mundo vivens, bona quæ potest operatur. Venit quando in hora mortis anima, ipsa videlicet sponsa, a carne exuitur. Venit tertio quando in die judicii ultimi carnem resumit, et cum Christo thalamum cœlestem ingreditur. Ibi quippe omnium laborum suorum præmia consequitur; ibi, jam omnino prostratis et exclusis hostibus, gloriose coronatur. Ideo et hic per promissionem ei dicitur : *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

11. Quid per Amana, Sanir, et Hermon, nomina videlicet montium, nisi potentes hujus sæculi intelliguntur? Qui quanto ditiores, tanto excelsiores et firmiores apud infirmos esse videntur. Sed de his montibus sancta Ecclesia coronatur, quia dum regnum prædicat æternum, dum exemplo suo omnia quæ mundi sunt vilia esse demonstrat, ipsos etiam potentes ad pœnitentiam inclinat, et sibi ipsi pro eorum [a] inquisitione coronam in cœlestibus parat. Sic quippe fit ut humiles superbos prosternant, et [b] infirmi excelsos inclinent. Ideo scriptum est : *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* (*Isa.* xl, 4). Sed quid est quod non solum de montibus, sed etiam de capitibus montium coronanda **431** esse dicitur, nisi, quod impletum videmus, quia jam ipsæ excelsiores personæ in Christum credunt, et ejus præceptis per Ecclesiæ prædicationem obediunt? Reges enim et imperatores Christo serviunt, coronas deponunt; et per pœnitentiam in Ecclesia veniam petunt. Si itaque per capita montium summas personas intelligimus, bene per cubilia leonum et montes pardorum principes quique et ministri designantur, qui crudelitati inserviunt, et dolositatibus suis quos vi non possunt lædere decipiunt. Pardi quippe maculas in cute semper portant, per quos qui alii quam hypocritæ vel discordes significantur? In illis quippe qui credulitatem sectantur dæmones tanquam leones cubant. In illis vero quasi pardi montes ædificant, quos dum vitiis suis aliquas virtutes admiscere consentiunt, pro omnibus bonis suis laudis gloriam affectare compellunt. Hi itaque vere pardorum varietatem imitantur, quia dum cum virtutibus etiam vitia sectantur, quasi in vario corio coloris dissimilitudine dividuntur. Sed de cubilibus leonum, et de montibus pardorum Ecclesia coronatur, quia dum per ejus prædicationem et crudeles ad pietatem et hypocritæ ad vitæ humilis unitatem convertuntur, pro his omnibus præmium percipiet quod meretur. Cui iterum dicitur :

(Vers. 9). *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.*

12. Per oculos sponsæ sanctæ Ecclesiæ prædicatores, sicut dictum est, designantur; per crines vero populi multitudo figuratur; per collum autem sancti capitis et corporis conjunctio demonstratur, quæ fides Ecclesiæ intelligitur. Per hanc enim caput et corpus conjungitur, dum Christo quisque eo tenacius inhæret, quo fidelior in bona conversatione habetur. In uno ergo oculorum et in uno crine colli sponsæ sponsus vulneratur, quia profecto usque ad mortem crucis afficitur, ut unitas prædicatorum et plebis in Ecclesia confirmetur. De cujus dilectione erga sponsam iterum subdit sponsus.

(Vers. 10). *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa?*

13. Quid per mammas convenientius in hoc loco quam ipsa dilectio Dei et proximi, de qua superius diximus, intelligitur? Per quas mens sancta omnes sensus suos in dilectione nutrit, dum Deo suo charitatis tenacitate conglutinatur, et proximis si quid utilitatis habet, quando licet, libenter impendit. Has mammas sponsæ quantum sponsus diligat, in repetitione laudis aperte manifestat, dicens :

(Vers. 10.) *Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

14. Quod superius de sponsi uberibus diximus, hoc et hic cum de sponsa loquitur intelligi posse æstimamus. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Per unguenta quippe ipsæ virtutes quæ ex charitate oriuntur intelliguntur. Habent quippe etiam reprobi aliquando aromata quibus redolent, quia virtutes quasdam possident, et bona opera perpetrant; sed quia sine charitate vivunt, in conspectu Dei nulla quæ faciunt placent. Unde in judicio cum dicent : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus* (*Matt.* vii, 22)? respondebitur eis : *Nunquam novi vos, discedite a me, omnes operarii iniquitatis.* Bene ergo unguenta Ecclesiæ super omnia aromata redolere dicuntur, **432** quia etsi opera reproborum aliquando hominibus placent, hæc quæ sancta Ecclesia ex charitate conficit, in divinis naribus sine cessatione redolent. Sequitur :

(Vers. 11.) *Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

15. Prædicatores Ecclesiæ bene labia sponsæ esse dicuntur, quia per eos populis loquitur, et per eos ad fidem parvuli quique erudiuntur, dum per eos occulta divinæ Scripturæ quasi cordis latentia mani-

[a] Mutarunt Editores vocem hanc in *acquisitione*, quæ sane convenire magis videtur. Prior tamen est in omnibus nostris Mss.

[b] Mss. et vet. Ed. Paris. ita habent; at in aliis Excusis legitur *infimi*.

festantur. In favo autem mel latet, et cera videtur. Recte ergo labia sponsæ favus vocantur, quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur. Quando vero electus quisque prædicat, quando cœlestia gaudia nescientibus revelat, tunc favus distillat, quia quanta dulcedo sapientiæ in corde lateat, per oris fragilitatem audientibus manifestat. Unde scriptum est : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*I Cor.* IV, 7). Ideo subditur : *Mel et lac sub lingua tua.* Nimirum falsi prædicatores mel in lingua portant, quod sub lingua non habent, quia cœlestia gaudia aliquando prædicant tanquam veri sint, cum ipsa terrestria bona totis desideriis appetant. Sancta vero mens mel in lingua prætendit, quia sapientiæ dulcedinem loquendo ostendit, quam veraciter prædicans, audientes tanquam mellis dulcedine reficit. Lac gerit, quia congruenti sibi doctrina parvulos quosque in Ecclesia nutrit. Sub lingua autem hæc omnia sibiipsi reservat, quia internam dulcedinem assidue secum portat. Dum enim terrena abjicit, dum vitiorum amaritudinem respuit, in interioribus sensibus sapientiæ dulcedine se pascit, qua robur colligit, ut ad æterna gradiens, in labore viæ lassescere non possit.

16. Cui bene dicitur : *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Quid per vestimenta hæc, nisi sancta opera designantur, quibus præcedentium malorum turpitudo operitur, ne videatur? Hinc enim scriptum est : *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, et videatur turpitudo ejus* (*Apoc.* XVI, 15). Thus vero per significationem pro oratione ponitur, sicut scriptum est : *Ascendat oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2). Sancta itaque anima in hoc mundo, quanta potest, bona opera operatur, et bene operans desiderio et intentione sancta ad æterna se extendit; nihilque boni agit, nisi ea intentione, ut ad cœlestia quæ diligit quandoque pervenire possit. Bene igitur odor vestimentorum ejus sicut thuris esse perhibetur, quia in omnibus operibus suis orat, dum perveniendi intentione, ea quæ potest bona operatur. Sequitur :

(Vers. 12.) *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

17. Hortus sancta Ecclesia existit, quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus conclusus bene esse dicitur, quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur. Unaquæque anima sancta etiam hortus conclusus esse intelligitur, [a] quia dum bona sua intentione vitæ æternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumpere possit. Fons etiam dicitur, quia dum cœlestia assidue cogitat, dum scientiam Scripturarum **433** semper in ventrem memoriæ congregat, quasi aquas viventes sancta mens in se gignere non cessat, quas sitientibus proximis præbere ut reficiantur valeat. Unde scriptum est dicente Domino : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 13). Et alibi : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus* (*Joan.* VII, 38). Sed cur dicitur fons ille signatus, nisi quia sensus spiritalis mentibus indignis absconditur? Infideli enim homini a Domino dicitur : *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* III, 8). Et iterum scriptum est : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV, 7). Quod enim ibi lumen signatum hoc hic procul dubio fons signatus esse perhibetur. Sanctus enim Spiritus mentem quam replet, et illuminans irrorat, et irrorans illuminat : ut et de luce ejus videat quid appetat, et de rore ejus se refrigeret, ne lassescat. Sequitur :

(Vers. 13.) *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.*

18. Quid emittit sancta Ecclesia, nisi cum sanctis operibus sancta verba, quibus filios gignit et nutrit? Quorum dum alios usque ad martyrium perducit, alios in sancta conversatione erudit; hos sanguine martyrii rubentes ad æternam patriam transmittit, illos vero in sanctis operibus viventes, proximis in exemplum sanctitatis tradit, quid aliud quam mala punica et pomorum fructus emittit? Mala enim punica sub rubeo cortice multitudinem granorum continent; fructus vero pomorum in se refectionis dulcedinem habent. Sic sic martyres dum sub igne tribulationis laborant, dum pro Christo sanguinem exterius fundere non dubitant, multitudinem virtutum interius sibi congregant in mente. Sancti etiam quique qui in pace Ecclesiæ vivunt, fructus pomorum gerunt; quia dum sancta opera faciunt, proximis exempla tribuunt, quorum exhibitione se qui volunt reficiunt. Quotquot enim sunt in Ecclesia sancti, sive igne passionis ardeant, sive in pace Ecclesiæ quiescentes succrescant, sanctarum virtutum odorem tanquam paradisum suavitatis et deliciarum construere in se, dum vivunt, non cessant. Cujus paradisi ubertatem Scriptura demonstrat, dum sub voce sponsi per arbustorum nomina, quasque virtutes designat, dicens :

(Vers. 14.) *Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.*

19. Quid enim per has diversas aromatum species designatur, nisi sanctarum virtutum [b] odor et profectus, qui in sanctis habetur? Ex his quippe speciebus regalia unguenta conficiuntur, ex his corporum sanitates inveniuntur. Bene igitur virtutes animarum designant, quibus congregatis et confectis, et bonus

[a] In recent. Ed. inseritur : *Quia dum virtutes nutrit, flores gignit; et dum virtutum exhilaratione se reficit, fructus quos genuerat eadem custodit. Conclusus enim hortus esse dicitur, quia dum bona.* Hujus additamenti nulla exstant vestigia in Mss. aut in vet. Ed. Paris.

[b] Val. Cl. et Rothom. *honor.*

odor opinionis egreditur, et ægris animabus competens sanitas reparatur. Sed adhuc laus Ecclesiæ a sponso repetitur, cum subditur :

(Vers. 15.) *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.*

20. Recte in emissionibus, fons hortorum et puteus aquarum viventium describitur. Quid enim per fontem et puteum, nisi sancta Scriptura designatur? **434** quæ sic aquam sapientiæ generat, ut et potantes semper reficiat, et tamen manare non desistat. Quæ bene hortorum esse perhibetur; quia illorum specialiter est sancta Scriptura, in quorum montibus virtutum semina oriuntur. Sed quærendum nobis est, quare fons et puteus utrumque simul Scriptura dicatur, cum fons in superficie appareat, puteus vero in imis latens, omnes se quærentes majori labore exerceat. Sed sciendum est, quod divina Scriptura in quibusdam manifesta existens, in quibusdam vero locis obscuram se præbens, et aliquando leviter sicut invenitur, tanquam fons potatur, et aliquando magna inquisitione [a] eget, ut inventa sumatur. Quod vero sanctæ Scripturæ intellectus per aquam designetur, ostenditur alibi cum divina voce de reprobis dicitur: *Mittam eis sitim aquæ, et famem panis* (*Amos* VIII, 11). Et per Isaiam dicitur: *Auferet Dominus ab Jerusalem et Juda omne robur panis et omne robur aquæ* (*Isai.* III, 1). Ubi notandum, quod robur panis prius, et postea robur aquæ auferetur. Dum enim gravia dicta Scripturæ non perquiruntur ut mandantur, paulatim a scientia decidit mens, ut aliquando levia etiam intellectu non capiantur. Sed aquæ istæ bene de Libano fluere cum impetu dicuntur: Libanus enim, ut dictum est, dealbatio interpretatur. In baptismo quippe dealbamur, dum amissa nigredine peccatorum, ad munditiam novæ vitæ reformamur. De Libano ergo aquæ [b] putei cum impetu fluunt: quia in baptismo electi quique donum Spiritus sancti accipiunt quo illuminati Scripturæ sacræ sensum intelligunt. Quæ Scripturæ sanctæ scientia tanto fluit impetu, ut electos dum tangit, ab hujus vitæ amore submoveat, et ad æterna gaudia vi impetus sui quosque adhærentes trajiciat. Hinc est enim quod in psalmo scriptum est: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV, 5). Impetus enim fluminis civitatem Dei lætificat, cum per donum sancti Spiritus fortiter inundans Scripturæ sapientia sanctam Ecclesiam, vel cujuslibet capientis mentem, infusione sua exhilarat. Ad cujus Spiritus adventum malignus spiritus increpatur, cum hic in subsequentibus dicitur:

(Vers. 16.) *Surge Aquilo, et veni Auster: perfla hortum meum,* [c] *et fluent aromata illius.*

21. Quid enim per Aquilonem qui in frigore constringit, et torpens facit, nisi immundus spiritus designatur, qui reprobos omnes dum possidet, a bono opere torpere facit? Per Austrum vero, calidum scilicet ventum, Spiritus sanctus figuratur: qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, et ferventes facit, [d] ut bona quæque desideranter operentur. Hinc enim dicitur: *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro* (*Psal.* CXXV, 4). Surgat ergo Aquilo, et veniat Auster, et perflet hortum Sponsi, et fluant aromata illius; ut videlicet spiritus malignus ab Ecclesia vel ab unaquaque anima discedat, et Spiritus sanctus adveniat. Qui veniens charitatis ignem cogitationibus infundat, et a torpore negligentiæ dum se infuderit, solvat. Quod dum agit, aromata fluunt; quia dum adveniente sancto Spiritu, cor quod prius torpuerat, ad opera se excitat, mox sanctæ operationis opiniones per proximos quosque suaviter discurrunt, ut quique audientes ad eadem se accendant, et Austro flante, id est Spiritu sancto se infundente, virtutum odores **435** emittant, ut ubique sanctus hortus floreat, et post florem fructus redolentes et reficientes producat. In quem hortum sponsa dilectum invitat, cum subdit:

CAPUT V.

(Cap. V. — Vers. 1.) *Veniat dilectus meus in hortum suum,* [e] *ut comedat fructum pomorum suorum.*

1. In hortum dilectus venit et fructum comedit, quando Christus mentes visitat, et bonorum operum delectatione se satiat. Unde et idem subjiciens dicit:

(Vers. 1.) *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.*

2. Myrrham dilectus cum aromatibus metit, quando Christus mortificatione vitæ ad perfectionem perducta, electum suum ab hac vita succidens, ad cœleste horreum cum sancta opinione inducit. Favum cum melle comedit, quando desiderium sanctum in sanctis operibus latens perficit, et ad sanctorum convivium sanctam animam sua delectatione impinguandam transigit. Vinum vero suum cum lacte bibit, quando et perfectione quorumdam se reficit, et innocentiam aliorum cum pietate diligens, utrosque ad æternum convivium ingerit. Ad quorum exemplum quosque remanentes invitat, cum subjungit:

(Vers. 1.) *Comedite, amici mei, bibite et inebriamini, charissimi.*

3. Notandum in primis est, quia qui comedunt, amici; qui vero bibunt et inebriantur, charissimi esse perhibentur. In quibus verbis intelligi datur, quia in hoc loco comedere bonum est; sed bibere et inebriari amplius bonum est. Sunt nimirum quidam in sancta Ecclesia, qui sic præcepta divina audiunt,

[a] In excusis, si excipias vet. Ed. Paris. additur, *tanquam puteus*, post *eget*. Glossema est quo carent Mss.

[b] In vulgatis omissum, *cum impetu*.

[c] In Rothom. et Val. Cl., *et fluant aromata*, quod etiam in Vulgata legitur, habeturque paulo infra: *surgat ergo Aquilo..... et fluant*, etc.

[d] Sic restituimus ex Mss. In editis legitur, *ut bona quæ desiderant operentur*.

[e] In excusis, *et comedat*.

ut cœlestia plus quam terrena amare discant, pro eorum desiderio multa pauperibus tribuant, a pravis operibus se custodiant, nulla alicui violenter rapiant, Ecclesiæ prædicationem libenter audiant, in fide se instruant, quam et operibus sanctis exerceant; et tamen uxores habeant, pignora nutriant, res suas diligant, quamvis his omnibus Christum præponant. Hi profecto comedunt, et amici sunt; quia sanctam Scripturam audientes, talem sibi refectionem assumunt; ut etsi ad summam perfectionis adhuc non assurgunt, tamen secundum modum suum perfecti, in præceptis divinis sine crimine vivunt. Quod dum beati Joannis parentes, Zacharias videlicet et Elisabeth (*Luc.* I), conservare studuerunt, per revelationem angelicam in senectute sua filium accipere meruerunt, quo major inter natos mulierum non surrexit, et ipsum Salvatorem mundi digito ostendere et baptizare meruit (*Matth.* XI). De cujus parentibus dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela* (*Luc.* I, 6). Sunt vero alii qui tanta aviditate divinam Scripturam audiunt, vel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis sola cœlestia ambiant, parentes, uxores, domos, filios etiam et omnia transitoria abjiciant; solummodo Christum sequi et amplecti concupiscant. Ejus desiderio se affligunt jejuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus divinis, sola quæ sunt æterna cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes, ut ea quæ retro sunt obliviscentes, in anteriora magis ac magis se **436** extendant (*Philip.* III). Quid profecto isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur: ut dum omnium terrenorum per desiderium obliviscuntur, jure a sponso cœlesti non tantum amici, sed et charissimi vocari mereantur? De quibus idem sponsus sequitur et dicit:

(Vers. 2.) *Ego dormio et cor meum vigilat.*

4. Hujusmodi quippe electi cor sponsi bene vocari possunt, qui quo amplius exteriora quæ sunt in mundo, fugiunt, eo secretius ea quæ sunt interiora sponsi cognoscunt. De quibus procul dubio idem sponsus alibi dicit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et eo diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV, 21). Dormit ergo sponsus, et cor ejus vigilat: quia dum Christus jam glorificatus, in beatitudine quiescit, quicunque eum perfecte diligit, ut ad ipsum perveniat allaborat. De qua vigilantia sponsa superius dixit: *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I, 11). Quod enim illud quiescere dormire dicatur, id manifestat quod alibi legitur: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* IV, 9). Quod tamen ipsum et ipsa sponsa de se dicere potest. Dicat ergo: *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Ac si aperte mens sancta loqueretur, dicens: Dum a mundanis tumultibus exterius dormio, interiori cogitatione quæ sint cœlestia vigilans penso. Sancti etenim viri dum terrena omnia despiciunt, dum tumultus mundi omnino fugiunt, dum otium in via Dei assumunt, nequaquam ut torpori vacent, ea dimittunt; sed interius laborantes, quæ sint illa ad quæ facti sunt, in corde aspicere contendunt. Neque enim ut torpeant dormiunt, sed ut liberius æterna contemplentur, a transitoriis rebus quiescunt. Quos tamen aliquando sponsus ad profectum proximorum excitat, et ut eis cum quibus vivunt proficiant, ab otio quod diligunt, revocat. Cujus vocem audiens, etiam cum dormit, sponsa dicit:

(Vers. 2.) *Vox dilecti mei pulsantis.*

Quid etiam pulsans dicat, subjungit:

(Vers. 2.) *Aperi mihi* [a] *soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.*

Causam etiam clamoris annectit, dicens:

(Vers. 2.) *Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.*

5. Dum sponsa dormit, dilectus ut aperiatur ei pulsat; quia dum sancta mens sibiipsi per otium intendit, Christus multa peccatorum opera in hoc mundo tolerat; quæ nisi spiritales viri ad doctrinam se accingant, nunquam per seipsos carnales vel agnoscunt, vel corrigere curant. Vult ergo sponsus ut aliquando otium dimittatur, et ad ædificationem proximorum spiritales quique sollicitentur; quia dum perfecti viri sibi solis per interiorem quietem intendunt, dolet sponsus quod sæculares ad pejora magis ac magis corruunt, dum eum propter silentium spiritualium semper minus ac minus cognoscunt; quod ipse manifestat cum dicit: *Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Quid per caput sponsi, nisi Deus, et quid per rorem in hoc loco, ubi lamentando dicitur, nisi frigus mentium accipitur? Scriptum est enim: *Caput Christi Deus* (*I Cor.* XI, 3). Et de frigore cujuslibet carnalis mentis iterum scriptum est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam fecit malitiam suam* (*Jerem.* VI, 7). Caput ergo Christi plenum est rore, quia multi in Ecclesia positi et Deum eum credunt, et tamen frigidi persistentes, ad ardorem charitatis non accenduntur. [b] Per **437** cincinnos autem ejusdem, populos intelligimus, quos in fide divinitatis, quasi in capite Christi pendentes et opprimentes scimus. Sed cincinni pleni esse dicuntur guttis noctium; quia dum [c] in tempore hujus tenebrosæ temporalitatis se suspendunt, magis ac magis stillationibus iniquitatum fluunt. Ad hos accendendos sponsa excitatur, dum spiritalis quilibet pro ædificatione plurimorum, ab otio ad prælationem Ecclesiæ vocatur. Sed quoniam metuit ne si ad prælationem venerit, sollicitudinibus mundi occupari necesse sit; sicque dum per occasionem ædificationis plurimorum, temporalibus se inclinaverit, quietem amittat, [d] etiam-

[a] In edit., *sponsa mea*, quod Mss. et sacro textui contrarium.

[b] Vet. Ed. Paris., cui favent omnes Mss. nostri, *per cincinnos autem eosdem populos*. Alia tamen lectio potior videtur.

[c] Eadem vet. Ed. Paris. cum omnibus Mss. ita habet, ubi in aliis excusis legitur *in torpore*. Paulo post Rothomag. pro, *stillationibus* habet, *titillationibus*.

[d] In vulgatis præter vet. Ed. Paris., *eamque*.

que sordibus peccatorum inficiat, ideo clamanti A sponso respondet, dicens:

(Vers. 3.) *Exspoliavi me tunica mea, quomodo iterum induar illa? Lavi pedes meos, quomodo iterum inquinabo illos?*

6. Tunica sua sponsa se exspoliavit, quia omnia exteriora, [a] quibus onerabatur, abjecit. De qua tunica dicitur: *Nunc autem qui habet tunicam, vendat eam, et emat gladium* (*Luc.* XXII, 36). Gladium quippe vendita tunica emit, qui pro æternis temporalia abdicat: et in sancta conversatione vivens, verbum prædicationis acquirit. De quo dicitur: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17). Pedes autem suos sponsa lavit; quia dum in sancto otio sancta anima vivit, opera sua studiose ad memoriam reducit: et quidquid in eis sordidum examinando deprehendit, lacrymis quotidianis et gemitibus plangit. Pedes itaque lavit, quia præterita opera, quibus per hunc mundum dissolute ambulaverat, planxit. Pedes lavit, quia peccata abluens lacrymis, munda in conspectu dilecti sui apparere concupivit. Hos pedes iterum inquinare metuit; quia valde sollicita est, ne si in prælatione ponatur, per terrena ambulans, iterum suscipiat quod dimisit. Idcirco ab otio invita recedit; quia dum a maris fluctibus aliena est, quasi in littore posita securius vivit. Sed dilectus non leviter mortem proximorum tolerat. Ideoque propius accedens, per seipsum eam excitare non dubitat, dum dicitur:

(Vers. 4.) *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum illius.* C

7. Manum dilectus ad sponsam mittit per foramen ut surgat, quando per subtilem intellectum quanta sit operationis divinæ virtus, ei inspirando manifestat: quod videlicet et inter pericula salvare possit; quod etiam in pace nisi per eum salvus sit nemo; quod in tumultu certaminis sperantes in se non derelinquit. Ad cujus tactum venter sponsæ intremiscit: quia sancta anima quo amplius divinam potentiam per interiorem visitationem præsentialiter sentit, eo districtius judicat quidquid in se carnale deprehendit. Quo enim majori charitate in eum ardet, quem mente concupiscit, eo timidius se ei subjicit, et amplius veretur ne sponsus in ea aliquid inveniat, propter quod eam a se dimittere velit. Idcirco sponso D obediens ad laborem se præparat; ut sicut in quiete familiaris sponso, sic et in labore devote serviens appareat. Ideo subdit, dicens:

(Vers. 5.) *Surrexi ut aperirem dilecto meo.*

8. Tacta surgit ut aperiat: quia dum spiritum dilectionis amplius solito accipit, mox de ædificatione proximi **438** cogitat; et prædicando agit, ut apertis cordibus Sponsus ad inhabitandos proximos veniens aditum intrandi inveniat. Quæ etiam cum prædicatione exempla operum auditoribus demonstrat, dicens:

(Vers. 5.) *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.*

9. Quid per manus, nisi operationes: quid per myrrham, nisi mortificatio carnis accipitur? [b] Manus ergo sponsæ prædicantis myrrham stillant; quia quicunque aliis prædicant, necesse est si multis proficere velint, ut in omni opere suo carnalem vitam mortificare contendant. Sed ut hoc cum magna discretione fiat, manifestat cum subjungit, dicens: *Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.* Sicut enim ab una manu plures digiti dividuntur, sic in una sancta conversatione per discretionem diversæ virtutes inveniuntur. Alia enim est virtus largitatis, alia virtus parcitatis. Aliud opus humilitatis, aliud liberæ increpationis. Aliud vero agimus quando nos sub silentio B continemus propter ædificationem propriam; aliud quando proximis loquimur propter utilitatem suam. Sed digiti myrrha probatissima pleni esse perhibentur; quia in omni quod agitur, semper necesse est ut mortificatio carnalitatis teneatur. Quæ tunc probatissima esse jure dicitur, quando in omni suggestione quæ ab hoste ingeritur, sine cessatione voluptas carnalis cavetur ne suscipiatur. Quod quando fit, omnis duritia mentis dissolvitur, et ut Sponsus intret ad cor, aditus præparatur. Hinc est quod sequitur:

(Vers. 6.) *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat atque transierat.*

10. Pessulum ostio faciamus, quando per voluptates carnis, aditum cordis contra sponsum obseramus. Pessulum vero aperimus, quando remotis voluptatibus fluxis, cor nostrum in amorem Christi, quod prius durum fuerat, solvimus, et Sponso pulsanti ad ostium, introitum liberum facimus. Quod dum in hac carne vivimus, quia repente fieri non potest, restat ut magis ac magis quotidie faciamus. Nemo enim, sicut scriptum est, repente fit summus. Aliquando enim dum in hac corruptione positi Dominum nostrum quærimus, magis nobis elongari quam appropiare videtur. Ideoque sequitur: *At ille declinaverat atque transierat.* Modo Sponsus dilectam tangit, modo declinat: quia quando nos torpentes conspicit, ad amorem incitat: quando vero laborantibus nobis posse apprehendi videtur, tunc ne apprehendatur transit et declinat. Quod maxima in nobis ejus gratia agitur, ut videlicet nec in torpore nostro jacentes, omnino eum amittamus, nec de plena ejus, ut nobis videtur, apprehensione superbiamus. Qui mox tamen ut recesserit, redit: et ne diutius anima sancta a dilecto suo alienetur, verbo inspirationis suæ desideranti animæ se infundit, et eam liquefacit. Unde exsultat sponsa, dicens:

(Vers. 6.) *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.*

11. Ad verbum Sponsi liquefactam se dicit, quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissolvit:

[a] Vulgati omnes, *quibus honorabatur et onerabatur.*
[b] Ita cum omnibus Mss. vet. Ed. Paris. Recentiores Ed. mutarunt *prædicantis* in *prædicationis.*

et aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc quod se capere intra se exsultat : et intus miretur quid fuerit, et quid **439** factam subito seipsam videat. Quem liquorem dum sentit, perfectius apprehendere concuspicit; et aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modo sentiebat, jam non sentit. Unde sollicitatur ad quærendum, ut hoc idem inveniat; sed aliquando cum etiam diu fatigetur, non invenit, quod modo tam præsens tenebat. Ideo sequitur :

(Vers. 6.) *Quæsivi, et non inveni illum : vocavi, et non respondit mihi.*

12. Quærit sponsa dilectum, sed non invenit; quia a Deo inspirata mens assidue suavitate illa intima perfrui concupiscit, sed corruptio prohibet, quam in hac vita gerit. Vocat ergo et non respondetur ei : quia et orationibus et operationibus suis dulcedine illius præsentiæ satiari appetit, sed ad votum suum hoc quod invocat, non occurrit. Restat ergo ut in se revertens se cognoscat, et per Scripturas sanctas dilectum suum magis illo gustu adjuta perquirat. Et hoc est quod sequitur :

(Vers. 7.) *Invenerunt me custodes, qui custodiunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me : tulerunt pallium meum custodes murorum.*

13. Dum inquisitione dilecti sponsa sollicitatur, in custodes civitatis incidit : qui dum sancta mens desiderio Sponsi sui Christi se affligit, prædicatorum verba in Scripturis divinis suscipit, et eis quandiu a Christo [a] exsulat, ejusdem quem quærebat [b] amori intendit. In quibus quid exercitationis inveniat, subjungit : *Percusserunt me, et vulneraverunt me : tulerunt pallium meum custodes murorum.* Custodes percutiunt sponsam et vulnerant; quia prædicatores sancti dum cœlestia loquuntur, amantem animam afficiunt, et majori amore sagittant. Pallium tollunt; quia si quid pompæ sæcularis residuum erat in corde, exhortationibus suis ab animo auferunt. Pallium tollunt; quia aliquando ante verba prædicatorum nos non cognoscebamus, ipsique omne quod interius latebat dum loquuntur, detegunt. Quod dum fit, amplius diligendi sunt : et ut pro nobis dilecto loquantur, devotius exorandi. Quod agit sponsa dum subjungit:

(Vers 8.) *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.*

14. Dum enim sanctis viris cogitationes nostras reseramus, dum eis sive viventibus nobiscum, sive jam vitam æternam ingressis desiderium nostrum expandimus, et per Deum oramus, ut Domino Christo pro nobis orando offerant desiderium quo afficimur, quid aliud agimus, quam filias Jerusalem adjuramus, ut dilecto, cui nobis proximiores sunt, nuntient quia amore languemus? Sed et ipsi Sancti, si adhuc nobiscum sunt, et oratores suos orant, et qui ut nuntient, orantur, præ humilitate tanquam ignari interrogant, dicentes :

(Vers. 9.) *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum?*

Sed quia quo ardentius diligunt, eo dulcius verba de eo repetunt, idem ipsum iterum dicunt :

(Vers. 9.) *Qualis est dilectus tuus ex dilecto : quia sic adjurasti nos?*

Dilectus ex dilecto Sponsus dicitur : ut videlicet per repetitionem dilectionis, maximus amor loquentis ostendatur. Vel dilectus ex dilecto bene Christus vocatur; quia si Filium diligimus, et Patrem ex quo est, consequenter amamus. Respondet sponsa subsequendo, dicens :

440 (Vers. 10.) *Dilectus meus candidus est et rubicundus, electus ex millibus.*

15. Candidus et rubicundus Christus esse perhibetur; quia nullum omnino peccatum faciens, justitiæ pulchritudinem ex integro tenuit, et tamen tanquam peccator esset, ad mortis passionem accessit. Cui per prophetam dicitur : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* (*Isai.* LXIII, 2.) Electus vero est ex millibus, quia ex totius generis humani massa, nullus sine peccato reperitur : ipse vero non solum sine peccato fuit, sed etiam peccatores sua justitia et sanguine redemit. Sequitur :

(Vers. 11.) *Caput ejus aurum optimum : comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ sicut corvus.*

16. Caput Christi Deus. Quod caput bene aurum dicitur; quia ad comparationem Creatoris omnis creatura res vilissima perpenditur (*I Cor.* XI). *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ sicut corvus.* Quid per comas Christi, nisi fideles quosque intelligimus? Qui dum fidem Trinitatis in mente custodiunt, et Deo adhærentes, quod credunt faciunt, quasi in capite pendentes honorem portanti conferunt. Palma autem in altum ascendendo valde proficit, et victoriam significatione sua prætendit. Comæ ergo sicut elatæ palmarum sunt : quia electi quique dum semper ad alta virtutum se efferunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriam se perducunt. Nigræ autem sicut corvus existunt : quia quamvis virtutibus se erigant, semper tamen peccatores se esse cognoscunt. Sequitur :

(Vers. 12.) *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident iuxta fluenta plenissima.*

17. [c] Oculi sponsi sicut columbæ sunt, quia prædicatores Christi qui viam nobis ostendunt, in simplicitate vivunt. Super rivulos autem aquarum esse perhibentur, quia semper in refectione divinarum Scripturarum conversantur. Lacte vero sunt lotæ : quia gratia creatricis sapientiæ tanquam lacte matris, a peccatis per baptismum sunt mundatæ. Quid autem per fluenta plenissima, juxta quæ resident, intelligimus, nisi sacræ Scripturæ profunda et arcana dicta, quæ discerpimus, quibus nos reficimus, dum ea legendo vel audiendo haurimus? Ad hoc etiam columbæ juxta fluenta residere solent, ut volantium

[a] Rothomag. quem sequitur Edit. Gilot., *exultat.*
[b] Nonnulli Ed., *amore incendit.*; cæteri *amore intendit.*

[c] In nonnullis Mss. et omnibus excusis, *oculi sponsæ*; errore manifesto.

avium umbram in aqua videant, super quam se projicientes, ungues rapientium sic effugiant. Sic sancti viri in Scriptura sancta fraudes dæmonum perspiciunt, et ex descriptione quam vident, quasi ex umbra hostem cognoscunt. Dumque se consiliis Scripturæ ex toto addicunt, ut videlicet nihil agant nisi quod ex responso Scripturarum audiunt, quasi in aquam se projicientes, hosti illudunt. Quæ fluenta plenissima dicuntur : quia de quibuscumque scrupulis in Scripturis consilium quæritur sine minoratione de omnibus ad plenum invenitur.

(Vers. 13.) *Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis.*

18. Si per oculos prædicatores designantur, bene per genas ipsi in Ecclesia figurantur, qui in Ecclesia martyrio vitam finisse perhibentur. Dum enim pro fide Christi sanguinem suum fundere non dubitant, quasi genæ in facie Sponsi rubent. Per eos quippe pulchritudo fidei christianæ publicatur : quia ad quantum fidei præmium tendant, ostendunt, dum pro ea moriuntur. [a] Quæ bene sicut **441** areolæ aromatum esse dicuntur : quia dum in constantia fidei, martyrio electi exercentur, per cultum virtutum sanctæ opinionis fama, [b] quasi odore aromatum dilatantur. Sed areolæ aromatum a pigmentariis conseruntur; quia martyres sancti et a præcedentibus prædicatoribus ad confessionem roborantur, et a subsequentibus ad imitationis exemplum populis adducuntur. Ab illis qui præcesserunt, pigmenta virtutum coluntur : ab his vero qui sequuntur, pigmenta exemplorum sumuntur. Unde et sequitur :

(Vers. 13.) *Labia ejus lilia stillantia myrrham primam.*

19. Quid enim per labia Sponsi, nisi ipsos quos dicimus prædicatores Christi, intelligimus? Qui dum mortes martyrum populis prædicant, quasi myrrham mortificandis carnibus ad condimentum distillant. Quæ myrrha bene prima esse dicitur : quia nullus sic mortificatur, quomodo ille qui pro Christo martyrio finitur. Primam enim dixit non pro tempore, sed pro dignitate. Quid est quod labia Sponsi lilia esse dicuntur, nisi quod illi per quos Christus loquitur, necesse est ut mundi sint, et per eos bonus odor aspergatur? De quibus erat apostolus Paulus, qui dicebat : *Bonus odor sumus Deo in omni loco, et in his qui pereunt, et in his qui salvi fiunt* (*II Cor.* I, 15). Sed notandum est, quoniam quidquid in Ecclesia justitiæ et fortitudinis habetur, ab ipso Christo per exempla operum illius trahitur. Ideo sequitur :

(Vers. 14.) *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.*

20. Quid enim per manus Christi designatur, nisi opera sancta quæ in mundo gessit, et quæ nobis imitanda proponuntur? Ipse enim ait : *Qui me diligit, me sequatur* (*Forte Joan.* XII, 26). Et Apostolus : *Qui dicit se in Christo manere, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare debet* (*I Joan.* II, 6). Manus vero tornatiles esse perhibentur; quia sancta opera ejus sine impositione iniquitatis ex omni parte in justitia gradiebantur. Quod enim tornatur, in rotunditate sui sine obstaculo volvitur. Sic Christi opera in rectitudinis rotunditate volvebantur; quia nulla culpa ei adhærebat; quia minus justitia ejus in rotundum duceretur. Aureæ etiam manus esse dicuntur; quia quidquid exterius inter homines operabatur, interius in divinitatis pulchritudine disponebatur. [c] Manus quoque Sponsi plenæ hyacinthis esse dicuntur : quia quicunque illius opera pio corde imitantur, felicitatis æternæ muneribus in retributione ditantur. Unde et idem Redemptor ait : *Qui mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII, 26). Sequitur :

(Vers. 14.) *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.*

21. Quid per ventrem, nisi mortalitas? Et quid per ebur, nisi incorruptio designatur? Ebur quippe valde durabile os habetur, et in ornamenta regum assumitur. Venter ergo Christi recte eburneus esse dicitur; quia mortalitas Christi ad immortalitatem perducitur, dum per resurrectionem ad gloriam Patris sui, regis videlicet æterni, in vita æterna collocatur. De quo dicitur : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Qui vere in ornamento regum assumitur; quia quisquis carnis suæ rex et dominus esse probatur, ipsius Christi mortalitate et resurrectione, amore cognitionis et spe immortalitatis ornatur. Unde alibi dicitur : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31). **442** Sed venter distinctus sapphiris esse perhibetur; quia in nostra corruptione quam portavit, cœlestia opera per miracula quæ faciebat, passionibus nostris inseruit. Sapphirus enim qui aereum colorem portat, bene cœlestia facta quæ in miraculis ostendebantur, designat. Venter vero Christi sapphiris distinguitur; quia dum inter passiones carnis divina miracula operabatur, quasi incorruptione corruptio variabatur. Qua dispensatione apostoli in fide eruditi sunt, et ad passiones tolerandas robusti exstiterunt. Ideo sequitur :

(Vers. 15.) *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.*

22. Per crura enim apostolos intelligimus, per quos universum mundum circuivit, et fidem eis prædicantibus, populis audientibus sparsit. Quibus ipse in Evangelio ait : *Ite in orbem universum, et prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI, 15). Sed crura columnæ marmoreæ esse perhibentur, quia Ecclesiam inflexibiliter sustinent, dum contra omnes adversarios eorum prædicationibus et exemplis roboratur. Super bases autem aureas columnæ fundatæ sunt; quia a prophetarum dictis, ut fortes existerent, fidem integram acceperunt. Unde ipse primus apostolorum ait : *Habemus firmiorem propheticum*

[a] In Val. Cl. Rhem. et Theod., *qui* (scilicet martyres) *bene sicut.*

[b] Val. Cl., *quasi odor.*

[c] In aliis Edit. excepta vet. Paris. post *disponebatur*, additur : *quid vero per hyacinthum, qui valde pretiosus lapis est, nisi munus retributionis æternæ designatur? Manus ergo sponsi, etc.* Hæc nullis in Mss. exstant.

sermonem, cui bene facitis intendentes tanquam lucernæ ardenti in caliginoso loco (*II Pet.* I, 19). Ideo enim aureæ dicuntur, quia luce sapientiæ resplendere sciuntur. Sequitur :

(Vers. 15.) *Species ejus ut Libani, electus ut cedri.*

23. Libanus quippe mons est in quo sublimes valde et odoriferæ arbores habentur. Interpretatur autem Libanus dealbatio sive candidatio. Et de Christo dicit apostolus Paulus : *Ipse factus est nobis a Deo sapientia et sanctificatio et justitia* (*I Cor.* I, 30). Bene ergo species ejus ut Libani existit ; quia per eum credentes dealbamur ; ei si adhæremus radicitus, sublimes efficimur. A cujus gratia etiam bonæ opinionis odorem, si quem habemus, accipimus. Electus etiam ut cedri esse dicitur ; quia de eo Pater loquitur : *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea* (*Isai.* XLII, 1). Cedrus autem excelsa est valde arbor et odora et imputribilis. Christus autem excelsior cedris existit ; quia quamvis homo sit, tamen Deus esse non desistit. De quo per Isaiam dicitur : *Et sublimis erit valde* (*Isai.* LII, 14). Odorus etiam super omnes est Christus, quia ipse de seipso ait ; *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II, 1). Et per sponsam ei dicitur : *Curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I, 3). De quo hic bene sequitur :

(Vers. 16.) *Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis.*

24. Per guttur quippe voces transferuntur, et sapores in ventrem hauriuntur. Quid ergo per guttur Sponsi, nisi Testamentum Christi intelligitur, per quod Christus nobis loquitur, et in quo quam suavis sit Dominus, a fidelibus gustatur? Totus ergo desiderabilis esse dicitur ; quia per hoc quod de eo bona omnia anima sancta audit, magis ac magis semper eum videre concupiscit. Cujus tot bonis enarratis consequenter concludit, et dicit ;

(Vers. 15.) *Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.*

25. Sed enumeratis tot laudibus, ostensis tot muneribus, quis audiens non concupiscit, quis intendens non inardescit? Fidelis quippe anima quæque, quo dulciora et ampliora de Redemptore suo audit, **443** eo ardentius inhiat, et manifestiora de eo cognoscere appetit, dicens :

(Vers. 17.) *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum?*

Cum enim proximus proximo de Christo loquitur, cum alter ab altero qualiter inveniatur sciscitatur, quid aliud quam quomodo quæri debeat perscrutatur? Quamvis hoc de Synagoga intelligi valeat, ut aliquando conversa Ecclesiam interroget, cui protinus Ecclesia respondet.

CAPUT VI.

(Cap. VI.—Vers. 1.) *Dilectus meus* [a] *descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat*

1. Dilectus in hortum suum ad areolam aromatum descendit ; quia Ecclesiam visitans, ad eos majori gratia venit, quos sanctis operibus et virtutum exemplis bonæ famæ odorem ex se proximis emittere cognoscit. In hortis pascitur, cum multarum animarum virtutibus delectatur. Lilia colligit, quando perfectos quosque ab hac vita succidit. Sed quia sancta Ecclesia in filiis suis fide Christo ita conjungitur, spe suspenditur, charitate conglutinatur, ut nihil extra Christum diligat, et eum sibi familiariter fide et amore inseparabilem teneat, ideo subjungit :

(Vers. 2.) *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur* [b] *in liliis.*

2. Notandum quippe, quod Synagoga per prædicationem Ecclesiæ ad fidem quandoque convertetur, ita ut se abnegans, Christum solum sequatur, et eodem desiderio diligat Christum, quo eum Ecclesia diligit, quem cæteris postpositis solum amat. Quam jam amicam factam, jam sponsam sibi conjunctam Sponsus alloquitur, congratulans et dicens :

(Vers. 3.) *Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

3. Pulchra et amica, suavis et decora sicut Jerusalem, Synagoga esse perhibetur ; quia sancta quatuor Evangelia, aliquando conversa sicut Ecclesia sectabitur. Jerusalem quippe visio pacis intepretatur. Per quam bene sancta Ecclesia figuratur ; quia dum in mundo semper pressuram patitur, viam fastidiens, quæ sit pax patriæ cœlestis currendo contemplatur, confidens in eo qui discipulis suis dicebat : *In mundo quidem pressuram habebitis ; sed confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Digne autem Synagoga conversa, sicut Jerusalem pulchra et amica et suavis et decora dicitur ; quia dum sanctam Ecclesiam imitatur, quatuor Evangeliorum præcepta operatur, a quibus pulchritudinem morum accipit ut placeat, exercitium sanctæ operationis colligit ut in amicitia hæreat, suavitatem mansuetudinis discit ut permaneat, speciem decoræ conversationis ostendit, ut per exemplum trahat. De qua consequenter dicitur : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Notum expertis est, quod milites cum in procinctu contra hostes vadunt, si strictim et concorditer gradiuntur, ab hostibus contra venientibus timentur ; quia dum in eis aditum per scissuram non aspiciunt, qualiter eos penetrent, hæsitantes non inveniunt. **444** Illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati seipsis semetipsos tuentur. Dum enim de seipsis sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt, et ut occidantur appetiti, ipsi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est ut pace charitatis constringatur, [c] quo salva sit. Si enim pacem tenet, terribi-

[a] Val. Cl., Rhem., Theod., *ascendit.*
[b] Ed. recent., *inter lilia.*
[c] Val. Cl. et Rhem., *qua salva sit.*

lis hostibus apparet. Si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace se itaque muniat, unitate se vinciat, charitate se uniat; ut dum in seipsa per scissuram damnum non patitur, ducem suum semper exsultans sine confusione sequatur. In pace quippe oculus mentis mundatur, ut in ipsam beatitudinis visionem intendatur. Quam nemo sicut est, in hac vita conspicit; quia impossibile est patriam tenere, dum in exsilio unusquisque nostrum gemit. Ideo sanctæ animæ inardescenti, inhianti, propinquanti Sponsus respondet, dicens :

(Vers. 4.) *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.*

4. Oculos ad Sponsum tendimus, dum intuitum mentis ad videndam Christi beatitudinem aliquantulum aperimus. Sed oculos avertere præcipimur, ne videlicet aspicere eam sicuti est, quantumcunque videamus, arbitremur. Ipsi enim oculi eum avolare fecerunt; quia quo amplius videtur, eo magis invisibilis esse cognoscitur. Et a nobis avolat; quia quantulumcunque ictu mentis apprehensus, incomprehensibiliter super omnem conatum nostrum se exaltatum esse manifestat. Oculi quippe mentis quasi hoc efficiunt ut avolet; quia per hoc tantillum quod videtur, valde longinquus et avolans a nobis, sicut dictum est, apparet. Sequitur :

(Vers. 4-6.) *Capilli tui sicut greges caprarum,* [a] *qui ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges* [b] *tonsarum ovium, quæ ascenderunt de lavacro; omnes gemellis fetibus, et sterilis non est* [c] *inter eos.*

Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, [d] *absque occultis.*

5. Hæc omnia dicta de Ecclesia superius, ut potuimus, exposuimus; ideo nunc de Synagoga eadem replicare devitamus. Unum est tamen quod non similiter repetitur; quia ibi sicut fragmenta mali punici, hic autem sicut cortex mali punici dicitur. Quo nihil aliud designari puto, nisi sanguinem martyrum, qui sub Antichristo morientur : et unitatem fidei, sub qua multi Judæorum stringentur. In cujus constantia dum sanguinis effusionem patientur, fidei tribulatione quasi corticis rubore decorabuntur. Sequitur :

(Vers. 7.) *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ; et adolescentularum non est numerus.*

6. Quid per reginas, nisi sanctorum animæ designantur; quæ dum corpora sua prudenter regunt, et aliis præsunt, regnum sibi æternum acquirunt? Sunt enim nonnulli in sancta Ecclesia qui carnem suam macerant, et propter Deum affligunt, vitia vincunt, dæmones velut tyrannos sibi subjiciunt, omnes motus suos ut ordinate currant, sapienter regunt, aliis prædicant hoc quod ipsi faciunt, multos a faucibus dæmonum gladio verbi pugnantes 445 abstra[illegible] Quid hujusmodi animæ nisi reginæ existunt, quæ dum regem Christum sponsum suum valde diligunt, amoris commistione et libidinis execratione, regios filios, id est fideles populos gignunt? Quibus omnibus beatus Petrus apostolus dicebat : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (*I Pet.* II, 9). Sed reginæ sexaginta esse perhibentur. Denarius quippe numerus per senarium multiplicatus in sexaginta completur. Et quid per denarium, nisi decem præcepta Legis; et quid per senarium, nisi labor hujus vitæ signatur? Sex enim diebus quod necessarium est operamur, et in septimo quiescere per Legem jubemur (*Exod.* XXIII *et* XXXI). Bene ergo sexaginta reginæ esse dicuntur; quia dum decem præcepta in hoc sæculo operantur, sæculum autem hoc sex diebus operatoriis evolvitur, in eis quasi per senarium numerum, denarius replicatur. Prædicant enim quique decem præcepta Legis, in quorum operatione se exercent in temporalitate hujus corruptionis. Sex igitur decies, vel decem sexies multiplicant; quia universale hoc tempus in explenda decem præcepta Legis spiritaliter esse transigendum, operibus suis manifestant, et verbo prædicant. Quorum laudem in hoc mundo aliquando reprobi aspiciunt; et ut similiter laudentur, vel ut aliquod commodum in hac vita quomodocunque adipiscantur, etiam ipsi per semetipsos prædicatores fiunt. De quibus bene subditur : *Et octoginta concubinæ.*

7. Concubinæ quippe non vere, sed ficte dominos diligunt, et ab eis non posteritatem filiorum, [e] sed præsentiam expetunt, nec continentia se exercent, sed libidinem explere concupiscunt. Sic falsi prædicatores in Ecclesia existunt : quia dum non Christum, sed lucrum vel laudem diligunt, non spiritaliter et caste, sed carnaliter et libidinose Christo se conjungunt. Bene ergo concubinæ vocantur; quia Christum quem prædicant, non in spiritu, sed carne sectantur. De quibus apostolus Paulus dicebat : [f] *Multi quidem secundum carnem ambulant, sed non secundum Christum* (*Phil.* III, 38.) De quibus idem ipse ait : *Quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est.* De quibus ipse idem ait : *Hujusmodi non serviunt Domino Jesu, sed suo ventri* (*Rom.* XVI, 18). Quæ tamen concubinæ bene octoginta esse dicuntur; quia etsi toto corde terrena diligunt, cœlestia tamen loquuntur. Octonarium quippe numerum per denarium ducimus, et ad octoginta venimus. Per decem autem Decalogus, sicut dictum est, significatur : per octo vero resurrectio, quia octavo die Redemptor noster resurrexisse pro-

[a] Rothomag., *quæ ascenderunt.* Vulgati, *quæ apparuerunt.*

[b] Omittitur *tonsarum*, in excusis.

[c] Omnes Mss. nostri *inter eos*, scilicet *greges;* editi ut in Vulgata, *in eis.*

[d] Hic etiam sequimur unanimem Mss. consensum. In editis legitur, *absque eo quod intrinsecus latet.*

[e] Recent. editoribus placuit explicationis gratia interserere, *commodorum;* sic enim legendum exhibent : *sed præsentiam commodorum;* nimirum non intelligentes ad quid referri posset, *præsentiam.* At optime refertur ad *dominos*, quorum præsentiam expetunt ut libidem expleant.

[f] Multa hic ex Mss. supplevimus, quæ in vulgatis desunt.

batur. Prædicatores vero etsi falsi sunt, per desiderium tamen, et Scripturam divinam, et resurrectionem quam credimus, manifestant per verbum. Si enim aliud prædicarent prædicatores, inter Christianos non essent; de quibus in Evangelio Veritas ait : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 2).

3. Sed quia et falsorum et verorum prædicatorum prædicatione plurimi ad fidem veniunt, et cum electis multi intrant, qui ad sortem electorum non pertingunt, ideo subditur : *Et adolescentularum non est numerus.* Cum enim scriptum sit : *Adolescentia et juventus vana sunt* (*Eccle.* II, 10, *ex Hebr.*) : quid per adolescentulas has, **446** [a] nisi animas intelligimus, quæ dum vana hujus mundi sectantur quæ diligunt, numerum electorum excedunt? De quibus per Psalmistam dicitur : *Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX, 6). Quod enim electorum numerus apud Deum sit constitutus, manifestat apostolus Paulus qui ait : *Novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II, 19). Et per semetipsum Dominus ait : *Ego scio quos elegerim* (*Joan.* XIII, 18). Quos quia non imperfecte scit, sec perfecte novit, procul dubio et numerum in quo eliguntur, cognoscit. De quibus per Paulum dicitur : *Quos enim præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui* (*Rom.* VIII, 29). Bene ergo adolescentularum non est numerus; quia dum per vanitatem quam diligunt, in numerum electorum non currunt, extra remanentes quasi in cognitionem divinam non veniunt. Quibus ipsa Veritas in futuro judicio dictura est : *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12); et : *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem* (*Psal.* VI, 9). Sed dum reprobi mundana quærunt, et per multiplices cupiditates animum dividunt, sancta quælibet anima in numerum electorum se stringit, multa quæ videt fastidiens, unum quod non videt, ardenter appetit, quod quandiu non tenet, in fide se nutrit, in charitate se unit. Et dum id quod unum et idipsum est sequitur, de hujusmodi multis una Ecclesia conficitur, de qua per Sponsum dicitur :

(Vers. 8.) *Una est columba mea, perfecta mea, una est mairi suæ, electa genitrici suæ.*

9. Mater nostra est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur, quia illos solos eligit, qui in simplicitate permanent, et ab unitate non scinduntur. Multi quippe fideles dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum et animam unam, in charitate se vinciunt, ex multis membris corpus efficiunt. Omnesque in unitatis simplicitate viventes, una columba existunt. Quæ sola perfecta et electa genitrici suæ dicitur, quia extra hanc quam dicimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratia fovente nutritur. De qua bene subditur :

(Vers. 9.) *Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt : reginæ et concubinæ laudaverunt eam.*

10. Sion filiæ, filiæ sunt Ecclesiæ, quæ dum vitam æternam in hac carne contemplantur, a peregrinante Ecclesia ad regnantem Ecclesiam eriguntur. Vident filiæ Sion columbam, et beatissimam prædicant : quia sanctæ animæ dum virtutes Ecclesiæ spectant, in laudem prorumpunt, et ad ejus beatitudinem inhiant. Sancta quippe Ecclesia gratia genitrice nutritur, dum fide eruditur, carne sui Sponsi pascitur, sanguine lavatur, Scriptura divina saginatur. Hujusmodi robusta nutrimentis dæmones expugnat, vitia suffocat, carnem domat, spiritum roborat, vitam exspectat. Hæc omnia quicunque aspicit, recte in admirationem protinus assurgit, et beatissimam pronuntiat, quia videt ad quantam gloriam per tot virtutes exsurgat. Cum reginis etiam concubinæ laudant; quia etsi operibus falsi prædicatores contradicunt, sermonibus tamen eadem quæ et veri populis ostendunt. De talibus ipsa Veritas dicit : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matt.* XV, *ex Isai.* XXVII). Quod aperte manifestat dum iterum dicit : *Dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3). **447** De quibus et per apostolum Paulum dicitur : *Dictis confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Sancti autem viri dictis et factis Deum confitentur; quia quod credunt faciunt, et ad bona quæ faciunt, etiam alios sermonibus et exemplis trahunt. Quorum virtutibus adversarii ad fidem excitantur, dum in eis et pietatem fidei, et constantiam operis admirantur. Unde et Synagoga ad fidem erigitur, cum in Ecclesia quæ sint merita fidei admirans contemplatur, dicens :

(Vers. 9.) *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*

11. Ecclesia sancta quasi aurora consurgens in judicio ultimo progreditur, quia relictis tenebris corruptionis, incorruptionis claritate innovatur. Quæ bene ut sol electa dicitur; quia ad eamdem gloriam perducitur ad quam caput ejus Christus, qui sol justitiæ esse perhibetur. Unde est quod idem sol ait : *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic et minister meus sit* (*Joan.* XIX, 26; XVII, 24). Quod tamen et de membris ejusdem Ecclesiæ adhuc in hac carne viventibus intelligi potest. Sunt enim nonnulli qui magna intentione quæ sint tormenta reproborum aspiciunt, et quæ sunt facta sua sine palpatione examinare contendunt. Dumque se peccasse cognoscunt, et per hoc ire ad reproborum tormenta pertimescunt, subito tenebras iniquitatis derelinquunt, et luce justitiæ accendi concupiscunt. Mox ad sanctam operationem consurgunt; et per bona opera quæ faciunt, clarere quibusque proximis incipiunt. Hi procul dubio velut aurora consurgentes progrediuntur; quia subito noctem peccati evacuantes, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima quæ prius erat in tenebris, nunc splendens apparet; et quæ etiam in se

[a] Ed. *nisi vagas animas?* Frustra autem additum *vagas*, restituta interpunctione.

ipsa offuscabatur, nunc aliis lumine sanctæ operationis resplendet. De qua bene subditur : *Pulchra ut luna, electa ut sol.* Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonstrat. Sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit, et in sanctam operationem se extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aspiciunt, et ad idem faciendum se convertunt, quasi errantes in nocte, per lumen lunæ ad viam redeunt. Hæc itaque sancta anima dum peccantibus exempla præbet, quasi luna in nocte lucet. Dum vero magis ac magis crescit, et de die in diem per consuetudinem operis lumen justitiæ tam perfecte accipit, ut etiam bonis exempla imitationis præbeat, quæ prius solis peccatoribus imitando apparebat, profecto jam luna sol efficitur; quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus lumen veritatis manifestat. Hinc est quod sequitur : *Electa ut sol.* De qua bene subditur : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Hoc quia jam dictum est, iterum non necesse est exponi, ne sic videatur fastidium generari. Sequitur ergo Sponsus, et causam dicit unde tanta virtus in Ecclesia excrescere possit. Visitatione quippe renovatur, et quod in ea tenebrosum est, respectione ejus illuminatur. Et hinc est quod subdens ait :

(Vers. 10.) *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium; et inspicerem si floruissent vineæ, et germinassent mala punica.*

12. Quid per nuces, nisi perfectos quosque intelligimus, qui dum divinam sapientiam intra corpora sua 448 retinent, quasi nucleum in fragili testa portant? Sunt enim quamplures in Ecclesia, qui assidue divinæ Scripturæ intendunt, quam suavis sit Dominus gustantes, amplius gustare concupiscunt, sancta gaudia in corde ruminant, et ruminantes magis ac magis convalescunt; et tamen foris nescientibus eos, viles apparent; quia ignoratur quam suavem in suis interioribus cibum portent. Quid isti, nisi nuces existunt, qui nuclei dulcedinem intus ferunt, exterius vero carnis vilitatem prætendunt? De quibus erat Apostolus, qui dicebat : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV, 7). Hortus igitur nucum, corda sunt sanctorum, qui dum diligunt, cœlestem dulcedinem in intimis gerunt. Unde in Psalmo scriptum est : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX, 20.) Sed quid est quod in hortum nucum Sponsus descendit, ut poma videat, cum potius nuces videre debeat? Verumtamen sciendum est, quod plerumque corda perfectorum visitat, eisque benignitatis suæ suavitatem manifestat; ut per eos ad infirmiores postmodum veniat, et quantum in augmentum justitiæ profecerint, per illos cognoscat. Unde scriptum est : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum* (*Psal.* XIII, 2). Dum enim divina bonitas corda perfectorum illustrat, eosque ad curam proximorum per charitatis sollicitudinem instigat, quid hoc est aliud, nisi quod ad hortum veniens, poma convallis per illos quibus præsidet, prospectat? Tunc enim Dominus videre, vel cognoscere dicitur, cum sanctos suos quos illustrat, ad videndum exhortatur. Sed quid est quod non poma montis, sed poma convallis, ut videat, descendit, nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit? De quo per Psalmistam dicitur : *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit* (*Psal.* CXXXVII, 6). Et ipse Dominus per semetipsum ex voce prophetæ dicit : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isai.* LXVI, 2.) Sequitur autem Sponsus, et dicit : *Et inspicerem si floruissent vineæ, et germinassent mala punica.* Vineæ florent, quando in Ecclesia filii recenter in fide generantur, et ad sanctam conversationem, quasi ad fructus soliditatem, præparantur. Mala punica germinant, quando perfecti quique per exempla sua proximos ædificant, et in novitatem sanctæ conversationis per prædicationem et bonorum operum ostensionem [a] immutant. Illud quippe malum punicum, videlicet apostolus Paulus germinaverat, qui dicebat : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV, 19). Sic etenim in sancta Ecclesia agitur, ut per bonos mali convertantur, per perfectos imperfecti nutriantur, donec et ipsi ad perfectionem veniant, et infirmos quosque sicut ipsi perducti sunt, ad meliora perducant. Hoc Christus Ecclesiæ Sponsus [b] visitando prospicit, respiciendo corpus sanctum conjungit : qui ideo corpus infirmitatis assumpsisse cognoscitur, ut in corpus suæ claritatis tota simul Ecclesia transformetur. Unde beatus Paulus ait : *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (*Philip.* III, 21). Hæc omnia in fine mundi Synagoga tandem excitata percipiet, et se tandiu hæc ignorasse reprehendet, dicens :

(Vers. 11.) *Nescivi : anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab.*

13. Ac si diceret : Tot virtutes in sancta Ecclesia 449 fieri videns, quare in tanto tempore non percepi? Quare incredula perstiti? Cur tandiu per infidelitatem meam in tenebris ignorantiæ perstiti? Sed propter quadrigas Aminadab conturbatur, quia quandoque per Christi prædicationem ad fidem suscipiendam excitatur. Aminadab enim spontaneus populi mei interpretatur. Et bene procul dubio Christus Jesus a Patre spontaneus populi mei dicitur; quia vere spontanea charitate ad populum salvandum descendit, et ut nos a morte relevaret, pia voluntate et benigna gratia mortem in cruce suscepit. Unde et ipse ad Patrem ait : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII, 8). Et unus ex redemptis ad Chri-

[a] Male legerunt edit. *invitant*, pro *immutant*, quod habent Mss. omnes.

[b] Excusi, *visitando perficit*.

tem loquens, aiebat : *Exaudi me, Domine, quoniam* A *be tigna est misericordia tua* (*Psal.* LXVIII, 17). Propter quadrigas ergo Aminadab Synagoga conturbatur; quia quando tandem quatuor Christi Evangelia in mundo currentia, in cordibus hominum ferventia per fidem contemplatur, mox de infidelitatis suæ tenebris confunditur, et oborta confusione salubri, ad pœnitentiam commovetur. Cui Ecclesia benigne loquitur, dicens :

(Vers. 12.) *Revertere revertere, Sunamitis, revertere revertere, ut intueamur te.*

14. Sunamitis quippe captiva interpretatur. Sunamitis ergo ut revertatur vocatur; quia Synagogæ in fine mundi fides ab Ecclesia offeretur, ut dignitatem pristinam recipiat, quæ sub infidelitatis jugo a dæmonibus captivatur. Et bene quater reverti admonetur; quia in quatuor mundi partes modo Judæi dispersi sunt, qui ubicunque fuerint, ut dictum est, in fine mundi convertentur, sicut prædictum est per prophetam : *Si fuerit numerus filiorum Israel velut arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* x, 22). Revertatur ergo Sunamitis, ut eam intueamur, id est Synagoga ad fidem convertatur, et in pœnitentia sua omnibus ostendat quantum malum faceret, quando Deum suum in cruce configebat. Sed protinus cum Ecclesia fidem Synagogæ intueri appetit, Sponsus congratulando quasi interrogans respondet, et dicit :

CAPUT VII.

(Cap. VII. — Vers. 1.) *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?*

1. Castra quippe militantium sunt. Castra ergo in C Sunamite videbuntur; quia pro fide, quam modo impugnat, tunc robuste contra perfidos præliabitur. Sed quia hoc per sanctam Ecclesiam fiet ut Synagoga convertatur, quia sermonibus et exemplis prædicatorum ad fidem convertetur, ideo recte ad laudem sponsæ Sponsus se convertit, dicens :

(Vers. 1.) *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis tuis, filia principis?*

2. Filia principis sancta Ecclesia dicitur, quia prædicatione Christi in vitam novam regeneratur, qui per divinitatis potentiam, omni creaturæ quam condidit, principatur. Quid autem sunt calceamenta Ecclesiæ, nisi exempla præcedentium patrum, quibus in via mundi hujus munitur, ut per omnes tribulationes quæ exsurgunt, confidenter calceata gradiatur? D Unde alibi prædicatoribus Paulus dicit : *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis* (*Ephes.* VI, 15). Calceamenta quippe de mortuis animalibus fiunt. Et nos pedes spiritaliter calceamus, quando a patribus sanctis carne mortuis exempla sumimus, ut ad eorum similitudinem mundi hujus tentationes expugnemus. Potest tamen intelligi quod Ecclesia **450** calceatur, quando in prædicatione sua ad perferenda insurgentia mala morte Christi munitur. Pulchri ergo sunt sponsæ gressus calceatæ, quæ filia est principis; quia coram divinis oculis placet officium cujuslibet electi secundum exempla patrum prædicantis. Sequitur :

(Vers. 1.) *Junctura*[a] *feminum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.*

3. Per duo femina sponsæ, duo populi Ecclesiæ : per juncturam feminum, concordia designatur prædicatorum, quibus populi uniuntur, dum ad Fidem catholicam circumcisio et præputium per eos eruditur. Qui ut monilia existunt; quia dum in sapientia, qua refulgent, sancta opera faciunt, quasi in auro lapides gerunt. De quibus sequitur : *Quæ fabricata sunt manu artificis.* Manu artificis monilia fabricantur, quia opere Christi prædicatores pulchri et utiles efficiuntur. Sequitur.

(Vers. 2.) *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.*

4. Umbilicus etiam sanctorum prædicatorum ordo B est : qui bene crater esse dicitur, quia dum per eos populus eruditur, vino spiritali ipsorum officio ebriatur. Qui bene tornatilis nuncupatur; quia juxta mores hominum universos necesse est ut lingua prædicatoris volvatur. Qui poculis non indiget; quia quod aliis propinat, necesse est ut abundantius cæteris bibat, et plenius quod dat, contineat. Sequitur :

(Vers. 2.) *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.*

5. Per ventrem, populi latitudo designatur : qui bene sicut acervus tritici liliis vallatur; quia dum operibus sanctis intendens, in cœleste horreum præparatur, exemplis sanctorum, ut perseveret, undique munitur; de quibus iterum dicitur :

(Vers. 3.) *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.*

6. Duo ubera, duo populi existunt : quia dum in amore fraterno semper vivunt, se invicem lacte pietatis in charitate nutriunt. Qui bene duo hinnuli capreæ gemelli nominantur : quia dum per prædicationem Synagogæ in fide geniti, in ejus Scripturis nutriuntur, in spem æternitatis intendentes, quasi in montibus concordes pascuntur. De quibus prædicatoribus sequitur :

(Vers. 4.) *Collum tuum sicut turris eburnea.*

7. Collum sponsæ sicut turris eburnea dicitur; quia prædicatores Ecclesiæ et alti per contemplationem, et fortes per sanctorum operum exercitationem, et pretiosi per divinam sapientiam habentur. De quibus iterum dicitur :

(Vers. 4.) *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.*

8. Hesebon cingulum mœroris interpretatur. Oculi ergo sponsæ sicut piscinæ in Hesebon dicuntur; quia dum de peregrinatione sua contristantur, et mœrore corroborati, contra spiritales hostes accinguntur, lacrymis se lavant, ut per eos populi convenienter coram Deo mundentur. In porta autem filiæ multitudinis sunt : quia in fide stant, per quam Ecclesiæ multitudinem ad cœlestia introducunt. Sequitur :

(Vers. 4.) *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.*

9. In naso odoris discretio habetur. Per nasum

[a] Ita Mss. pro *femora*, *femorum*, quod habent vulgati.

ergo [a] ordo prædicatorum designatur : quia per eos A nobis virtutum odores, et vitiorum fœtores demonstrantur. Sed nasus sicut turris Libani existit : quia dum semel prædicatores aqua Baptismatis lavantur, **451** et quotidianis lacrymis a peccatis quæ contra Deum commiserunt, dealbantur, digni fiunt ut ad altiora magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed turris contra Damascum respicit : quia peccatoribus semper sanctus quilibet prædicator contradicit. Damascus quippe sanguineus interpretatur, et peccatrici genti dicitur : *Manus tuæ plenæ sunt sanguine* (*Isai.* I, 16). Sed quia de membris dixit, dignum est ut de capite loquatur. Ideo subditur :

(Vers. 5.) *Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui ut purpura Regis juncta canalibus.*

10. Caput Ecclesiæ Christus : qui bene ut Carmelus B dicitur; quia ipse per passionem quam sustinuit, ad gloriam Patris est exaltatus. De quo scriptum est : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Isai.* II, 2). In Carmelo quippe Elias orans pluviam impetravit (*III Reg.* 18) : et nos in Carmelo orantes pluviam impetramus, quando in Christum credentes Christum desideramus, et a Patre irrigationem gratiæ suscipimus, quam roganus. Moraliter autem caput sponsæ mens vocatur : quia sicut a capite membra, sic a mente omnes cogitatus nostri disponuntur. Carmelus autem scientia circumcisionis interpretatur. Caput ergo sponsæ ut Carmelus esse perhibetur; quia quælibet sancta mens novit qualiter digne circumcidatur : novit quia nihil est quidquid in corpore agitur, si mens im- C munda fuerit; quæ templum Christi si efficitur, ab ipso inhabitatur. Quod quia Pharisæi non agebant, ideo dicebat beatus Stephanus eis qui eum occidebant : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper restitistis Spiritui sancto* (*Act.* VII, 51). Comæ autem capitis ejus ut purpura regis juncta canalibus esse memorantur. Purpura quippe per fasciculos in canalibus ligatur, super quos dum aqua projicitur, per canales ad vestem quæ supposita est, currit, ut vestis tingatur; et inde nomen accipit, ut tincta colore purpureo purpura vocetur; quæ omnia sanctæ menti congruunt, si intelligantur. Comæ quippe capitis sunt cogitationes mentis, quæ in canalibus ligantur, quia in Scripturis divinis ne inutiliter fluant, stringuntur. Super quas aqua projicitur, D quæ vestem regiam tingit : [b] quia in cogitationibus sanctæ mentis, gratia cœlestis suscipitur, et totam animam in cœleste ornamentum componit; ut jam tota anima in vitam æternam inardescat, et ad æternum Sponsum etiam per sanguinem martyrii pergere concupiscat. De tota quippe Ecclesia Paulus dicit : *Qui exhibuit sibi Ecclesiam, vestem sine macula et ruga* (*Ephes.* V, 27). Et de singulis Ecclesiæ fidelibus dicitur : *His omnibus velut ornamento vestieris* (*Isai.* XLIX, 18). Sic tinctæ ergo, sic pulchræ, sic purpureæ factæ sponsæ adgaudens sponsus loquitur, dicens :

(Vers. 6.) *Quam pulchra es et quam decora, charissima in deliciis.*

11. Notandum quod charissima in deliciis dicitur, quia ad charitatem et familiaritatem Christi non pervenit, quisquis Scripturæ sanctæ deliciis [c] abundare non contendit. Inde enim dicitur : *Omni habenti dabitur, et abundabit : ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo* (*Matth.* XIII, 12). Illis enim deliciis qui abundat, reficitur : his refectus, assidue ad majora percipienda præparatur. Unde et huic sponsæ charissimæ dicitur :

(Vers. 7.) *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.*

12. Palma quippe dum crescit, deorsum stringitur, et sursum dilatatur. Sic sancta anima ab imis **452** ad minima incipit, et paulatim ad majora creseendo, usque ad amplitudinem perfectæ charitatis pervenit. Nemo enim, sicut scriptum est, repente fit summus. In psalmo autem de justo homine dicitur : *Justus ut palma florebit* (*Psal.* XCI, 13). Ubera autem sponsæ, duo præcepta charitatis existunt; quæ animam possident, vino cœlesti inebriant et nutriunt. Potest tamen per palmam crux Christi intelligi. Palma enim in sublime valde crescens, dulcissimos fructus gignit : et crux Christi cœlestem cibum nobis præparavit. Cui statura sponsæ assimilatur : quia pro Christo mori non dubitat, quisquis Christum valde diligens digne imitatur. De palma sequitur Sponsus, dicens :

(Vers. 8.) *Dixi, Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus; et erunt ubera tua sicut botri vineæ; et odor oris tui sicut malorum.*

13. Dixit vere, et ascendit : quia sicut ante sæcula pro morte nostra mori disposuit, sic in fine mundi propitius et verax adimplevit. In palmam ergo ascendit, et fructus ejus apprehendit : quia in cruce suspensus, fructum invenit, apprehendit, et nobis tribuit. Unde adimpletum est quod sequitur : *Et erunt ubera tua sicut botri vineæ.* Vere per crucem ubera sponsæ sicut botri vineæ existunt; quia in morte Christi duo præcepta charitatis sensus animæ susceperunt, quibus pasta anima debrietur, debriata posteriora obliviscatur, et in anteriora extendatur. His uberibus etiam proximos quosque nutrit, ac roboratos secum ad ea quæ concupiscit perducit. Unde scriptum est : *Qui audit, dicat : veni.* Sequitur : *Et odor oris tui sicut malorum* (*Apoc.* XXVIII, 17). Mala punica, de quibus superius tam sæpe dictum est, hic rememorantur, quorum odori odor oris sponsæ bene satis assimilatur. Per mala autem punica martyres designari superius diximus (*Cap.* 4). Per os autem sponsæ hic debere intelligi ejus prædicationem putamus. Quæ dum virtutes martyrum prædicat, dum ad eorum similitudinem animos audientium instigat, dum in unius prædicatione fidei multas virtutes esse manifestat, quid aliud quam malorum odorem in ore portat? Quia et ruborem corticis in martyrio ostendit quod prædicat, et in virtutibus multitudinem gra-

[a] Excusi, *discretio prædicatorum.*
[b] Hic nonnulla mutavimus, ope cod. mss. etsi excusorum lectio non multum a sensu deflecteret.
[c] Val. Cl., *abundare contemnit.*

norum sub eadem fide quasi sub eodem cortice demonstrat. De quo et subditur :

(Vers. 9.) *Guttur tuum quasi vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.*

14. In gutture quippe vox est. Per guttur ergo ipsa prædicatio iterum designatur : quæ quasi vinum optimum esse dicitur, quia mentes hominum inebriat, ut præteritorum, sicut dictum est, obliviscantur, et in anteriora currentes non lassentur. De quo sponsa, verbum de ore Sponsi suscipiens, adjungit : *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Tale est sponsæ vinum, ut dignum sit dilecto ad potandum : quia dum sancta Ecclesia fidem veram prædicat, dum auditores suos ad sancta opera excitat, dum solum Christum diligere, imitari, amplecti, bonum esse, verbis et operibus demonstrat, quid aliud quam vinum suum dignum facit, ut in ore Sponsi sapiat? Quod bene Christus potare dicitur : quia a corpore suo, id est a populis fidelibus amabiliter potatur. De quo notandum est quod omnes potant, sed labia sola et soli dentes ruminant : quia dum **453** Ecclesia per sanctos suos prædicat, omnes quidem audiunt, sed non omnes quanta sit virtus sententiarum quæ dicuntur, discernunt. Labia vero et dentes ruminant; quia dum perfectiores quique post auditum verba ad memoriam revocant, dum audita quæque exercitatione assidua cogitant, quasi ad os revocantes quod sumpserunt, quanta sit virtus cibi quem comedunt, sentiunt. Idcirco in Lege scribitur, quia animal quod non ruminat, immundum habetur (*Levit.* XI) : quia quisquis bona quæ audit sive legit, non recogitat, vacans a sanctis cogitationibus, necessario [a] immundas cogitat. Sequitur sponsa et dicit :

(Vers. 10.) *Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.*

15. Ac si diceret, quoniam fide ac dilectione soli Christo adhæreo, solum sequor, solum cum Patre et Spiritu sancto unum Deum videre concupisco, respectionis ejus suavitatem, visitationis benignitatem, [b] conversionis dulcedinem gaudenter experior, experiens proclamo :

(Vers. 11, 12.) *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis; mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica : ibi dabo tibi ubera mea.*

16. Dum sponsa Sponsi dulcedinem experta se reficit, de proximo etiam cogitat, quem ipsius Sponsi præcepto sicut se diligit; et quia Sponsi [c] præcepta intelligit, etiam ut alii intelligant concupiscit, dicens : *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum.* Ager quippe, teste Veritate, est hic mundus (*Matth.* XIII). In agrum vero cum Sponsa Sponsus egreditur, [d] quando Verbum Dei carne suscepta, in thalamo Virginis mundo monstratur. In villis commoratur, quando Gentes per fidem visitat, quam recipientibus largitur. Mane ad vineas surgit, quia post resurrectionem suam in gloria Patris sedens, ecclesias quas construit, etiam defendit. Si floruit vinea conspicit; quia omnem profectum Ecclesiæ districto examine perpendit. Videt si flores fructus parturiunt, quia perspicit ad quem profectum teneri quique et imperfecti excrescunt. Videt etiam si floruerunt mala punica; quia perfectos quosque respicit, et quid utilitatis in proximis habeant, quasi in floribus fructum cognoscit, de quibus bene sequitur : *Ibi dabo tibi ubera mea.* In malis punicis dat Sponso sponsa ubera; quia in perfectis vivit charitas gemina, ex qua dum infirma membra in Ecclesia nutriunt, quasi Christum lactant, quem in minimis suis esse præsentem cognoscunt. De quibus bene subditur :

(Vers 13.) *Mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris.*

17. Quid per mandragoram, herbam scilicet medicinalem et odoriferam, nisi virtus perfectorum intelligitur? Per quam perfecti quique dum imperfectorum infirmitatibus medentur, in fide quam prædicant, id est in portis Ecclesiæ veri medici esse comprobantur. Qui dum exempla bonorum operum circumquaque per sanctam famam tribuunt, quasi odorem quo ægroti sanentur, aspergunt. Sequitur :

(Vers. 13.) *Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi*

18. Hic per poma, sensus Scripturarum sanctarum **454** intelliguntur; quæ dum ex Patribus sanctis ad nos usque perveniunt, et creduntur, quasi ex arboribus poma exsurgunt, quibus animæ delectantur. Omnia ergo poma, nova et vetera dilecto suo Sponsa servat; quia sic Novum Testamentum Ecclesia catholica recipit, ut Vetus non abjiciat : sic Vetus veneratur, ut Novum semper in ipsis sacrificiis carnalibus per spiritum intelligat; in Novo scilicet Christum venisse congaudens, in Veteri autem semper venturum exspectans, et dicens :

CAPUT VIII.

(Cap. VIII. — Vers. 1.) *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, et deosculer, [e] et jam me nemo despiciat?*

1. In veteri Lege posita Christum [f] exspectabat, et in secreto Patris manentem, foras venire per carnem ad humanos oculos non mediocriter cupiebat. Unde et David desiderans dicebat : *Exurge, et ne repellas in finem* (*Psal.* XLIII, 23). Et alibi : *Inclina cœlos tuos et descende* (*Psal.* CXLIII, 5). Et Isaias

[a] Excusi, *immundas congregat.*

[b] Iidem, *conversationis.* Optime Mss., *conversionis;* cum hæc verba exponantur, *et ad me conversio ejus.*

[c] In recent. vulgatis, *præcepta vel secreta;* quod in Mss. non legimus.

[d] Hic non consentiunt Mss. In Val. Cl. legitur : *quando verbum Dei susceptum in thalamo Virginis in mundo monstratur.* In Theod. Rhem. et Rothom., *quando Verb. Dei suscepta.... carne in mundo monstratur.*

[e] In Val. Cl., Theod. ac Rhem., *etiam cum me nemo despiciat.*

[f] In recent. Ed., *Christum exoptabat et exspectabat.* In vet. Paris. tantum, *Christum exoptabat, et in.* Superfluit tamen, *exoptabat*, cum paulo post legatur, *cupiebat.* Alioquin abest ab omnibus mss.

valde cupiens eum videre, dicebat : *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes* (*Isa.* LXIV, 1). Vult ergo Sponsum foris Sponsa invenire, et deosculari; quia concupiscit sub Lege posita ut per carnem appareat; ut ei per amorem serviat, cui prius non accepta gratia, plus timore quam amore serviebat. Post cujus osculum jam a nemine despicitur; quia postquam Christus venit, et fidelibus suis spiritum libertatis infudit, ab ipsis etiam angelis Ecclesia honoratur. Hinc est quod Josue angelum adoravit (*Josue* v); Joanni vero volenti se adorare dixit : *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum, et* [a] *fratrum tuorum habentium testimonium Jesu* (*Apoc.* XXII, 9). Sed quia venientem Ecclesia suscepit, Synagoga repulit, quæ iterum eum in fine mundi suscipiet et amabit, ideo subsequitur Ecclesia, et dicit :

(Vers. 2.) *Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis, et ibi dabo poculum ex vino conditum, et mustum malorum granatorum meorum.*

2. Apprehensum in domum matris suæ ducit, quia Synagogæ in fine mundi Christum, in quem credit, prædicabit; dumque per prædicationem Ecclesiæ susceptus fuerit, ibi Ecclesiam docebit : quia se doceri gaudebit, quando Synagogam jam idem corpus factam erudiri secum videbit. Poculum ex vino conditum Ecclesia dabit, quia ipsi Synagogæ Novum Testamentum cum Veteri prædicabit; et quasi vino poculum condiet, quia dulcedinem Evangelii testimoniis Legis, quæ aspera est, ut robustius teneatur, cinget. Mustum vero malorum granatorum suorum tribuet, quia fortium virorum qui unitatem Ecclesiæ etiam in martyrio tenuerunt, exempla apponet, ut ad eorum similitudinem Synagoga inardescat, et Antichristi persecutionibus, martyrum præcedentium exemplis roborata non succumbat. Cum enim fortium pugnatorum victorias audierit, ad eorum imitationem pugnam subire non dubitabit. Quod aperte manifestat cum subjungit :

(Vers. 3.) *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.*

3. Læva Christi vita præsens, dextera vero vita beata **455** habetur. Caput autem nostrum spiritualiter mens esse perhibetur. Dicit ergo Synagoga prædicationibus Ecclesiæ jam conversa, exemplis roborata, imitatione sublevata : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Ac si diceret, quoniam nunc tandem Christi fidem teneo, ejus ineffabilem gratiam experior concupiscibilem, et quam desiderare nesciebam dulcedinem sentio; jam terrena omnia postpono, etiam ipsam vitam carnis pro ejus amore contemno, et ad ejus beatitudinem videndam totis desideriis anhelo. Hoc quippe quod rem aliquam amplectitur, ipsam quam amplectitur rem, ex omni parte intra se habere non ignoratur. Læva ergo sub capite est, et dextera amplexatur, quando sancta anima menti ea quæ videt supponit, et ea quæ non A videt, omni conatu et universis suis cogitationibus appetit. Sunt quippe modo nonnulli, qui tanto desiderio cœlestia sectantur, ut omnia visibilia pro nihilo reputent; mentem suam cœlestibus studiis sine intermissione occupent; ut nihil aliud agere libeat; quidquid extra spiritalem actionem est, animus fastidiat, hanc solam diligat, cætera contemnat, nisi forte ea isti necessaria esse cognoscat. Isti vero sub capite lævam habent, [b] quia mente erecta ad beatitudinem Christi, vitam præsentem sub se vident. Et dextera Christi eos amplexatur; quia ex omni parte eos dilectio cœlestis intra se retinens tuetur. Hujusmodi quippe viri sancto otio delectantur, in quo vitæ beatæ dilectione concupiscibiliter per contemplationem perfruuntur. In qua contemplatione oculum cordis B mundant, ut Deum adhuc etiam in hac carne positi, quantum humanæ infirmitati datum est, videant, cujus visione se illuminent, suavitate reficiant. Isti illam beatitudinem jam aliquantulum experiuntur, de qua in Evangelio Veritatis voce dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Quod enim futurum est, jam in eis incipit compleri; quia etsi in hoc mundo adhuc in carne vivunt, jam tamen per hoc quod majus est in eis, extra carnem sunt. Ab his impletur quod per Psalmistam divina voce præcipitur : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV, 11). Hi enim quo sine mundi strepitu vivunt, eo mentem in Dei visionem per desiderium et contemplationem figunt. Et quoniam tales multi ex Synagoga in fine mundi, ut credimus, per C conversionem erunt, bene ad hujusmodi dictum intelligitur : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* De quibus et pro quibus Sponsus loquitur consequenter :

(Vers. 4.) *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Sed quia hoc superius exposuimus (*ad vers.* 7 *cap.* II, etc.), iterum exponere recusamus. Sed de eadem Synagoga jam facta Ecclesia, filiæ Jerusalem admirantes interrogant et dicunt :

(Vers. 5.) *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

4. Sancta Ecclesia, vel quælibet sancta anima, de deserto ascendit, quia in exsilio hujus peregrinationis posita, ad cœlestia gaudia mente et cogitationi- D bus tendit. Unde et Paulus dicebat : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Deliciis affluit, quia sanctæ Scripturæ meditationibus intendens, cœlesti pabulo assidue mentem pascit. Super dilectum innititur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente, ab exsilio ad patriam transfertur. Ipsa quippe Veritas omnibus fidelibus ait : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). **456** Unde vero acceperit, ut ab infimis ad superiora, a deserto ad regnum ascendere possit, manifestat dilectus cum subdit :

(Vers. 5.) *Sub arbore malo suscitavi te, ibi concurrentes.*

[a] In vulgatis, et *unus fratrum.*
[b] Iidem, *qui mente erecta ad beatitudinem Christi*

rupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

5. Quid per arborem malum, nisi sancta crux designatur? quæ malum illud sustinuit, de quo eadem Sponsa in superioribus dicit : *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios* (*Cant.* II, 3). Sed sponsam suam Christus sub arbore malo suscitavit, quia in cruce positus, subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocavit; ut a somno mortis resurgeret, et cum illo se crucifigens, ad novam resurrectionem properaret. Unde et Apostolus cuivis animæ mortuæ dicit : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14). Et quibusdam qui jam surrexerant, alibi dicit : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite* (*Col.* III, 1). Sed quia infidelitas Synagogæ Christum crucifixit, ideo sequitur : *Ibi corrupta est mater tua.* Sub arbore malo mater Ecclesiæ corrupta esse dicitur, quia quando Salvatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit. Cujus sceleris magnitudinem inculcat, cum idem replicat, dicens : *Ibi violata est genitrix tua.* Sed quoniam ad hoc cæcitas in Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret (*Rom.* XI), ideo intranti Ecclesiæ dicitur :

(Vers. 6.) *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

6. In corde sunt cogitationes, et in brachio operationes. Super cor ergo et super brachium Sponsæ, dilectus ut signaculum ponitur; quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, et voluntate et actione designatur. Signum quippe sancta mens interius et exterius Christum portat; quia dum in ejus meditationibus assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo ejus dilecta esse dubitari non debeat. De quo signo ipse Sponsus discipulis suis aiebat : *In hoc cognoscent omnes quia vere mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 35). De qua dilectione mox subditur :

(Vers. 6.) *Quia fortis est ut mors dilectio; dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus lampades ignis atque flammarum.*

7. Bene procul dubio fortis ut mors dilectio esse perhibetur; quia dum per dilectionem a vitiis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui sic diligunt Deum, ut omnia visibilia negligant, et dum mente in æterna tendunt, ad omnia temporalia pene insensibiles fiant. In his nimirum ut mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio et naturali appetitu interficit, sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere mentem alias intentam compellit. Hujusmodi mortuis et vivis dicebat Apostolus : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III, 3). Hi procul dubio vitam suam cum Christo abscondunt; quia dum omnia quæ videmus, postponunt, in his quæ non videmus, in beatitudine scilicet Christi, veraciter et secrete vivunt. Quia enim falsam vitam despiciunt, quæ visibiliter apparet, in vera vita se abscondunt, quæ non nisi invisibilibus oculis se manifestam præbet. Potest tamen intelligi, ut hoc de seipso Christus dicat, inquiens : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio.* Ac si diceret; **457** Dignum est ut in mente et actione signum dilectionis meæ meipsum tecum feras, quia in fortitudine dilectionis tuæ mortem subii, ut tu quæ mortua in infidelitate eras, mecum resurgens, in fidei novitate spiritaliter vivas.

8. Sed quia in cruce suspensus nequaquam fuisset, nisi ad magnam invidiam cor Synagogæ exarsisset, ideo subditur : *Dura ut infernus æmulatio.* Æmulatio quippe et in bonum et in malum accipitur. In bonum enim accipitur, sicut per Apostolum dicitur : *Æmulamini* [a] *charismata meliora* (*I Cor.* XIII, 11). In malum autem assumitur, ubi per Samuelem Sauli dicitur : *Auferetur a te regnum, et dabitur æmulo tuo* (*I Reg.* XVII). Æmulus quippe ejus David dicitur, cui Saul invidere non ignoratur. Dura est ergo ut infernus æmulatio; quia dum Synagoga Christum ad inferos posse transmittere se putavit, ei usque ad mortem corde immisericordi invidit. Ut infernus æmulatio dura exstitit; quia sicut infernus sine misericordia quos tenet cruciat, sic Judaica plebs Christum apprehendens sine respectu pietatis ad mortem trahebat. De qua bene subditur : *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Sicut enim ignis quæ incendit consumit, sic Judæos ab omni fidei virtute invidia sua destruxit; de quibus bene alibi dicitur : [b] *Et nunc ignis adversarios consumit.* Ac si diceretur : Antequam ad æternum ignem veniant, in præsenti consumuntur, quia in se ipsis ignem invidiæ portant, qui sine portantis combustione non portatur. Hic ignis invidiæ flammas protulit, quando per exempla in quibus accensus est, etiam in Gentilibus usque ad Christianorum martyria per mundum universum excrevit. Sed quia hinc ignis invidiæ, hinc ignis charitatis se extulit, ideo subditur :

(Vers. 7.) *Aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

9. Charitate quippe martyres sancti vivaciter ardebant, quia in Dei et proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ exstinguere non poterant; quia quantæcumque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare non valebant. Hoc nimirum esset charitatem exstinguere, si in tribulationibus quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent. Sed cum aquæ dictæ sint, quid rursum per flumina, nisi aquarum ipsarum incrementa et vivacitas intelligitur? Flumina quippe vivas aquas solere dici cognoscimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipimus; quæ dum per totum orbem super martyres ebullierunt, ad exstinguendum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina [c] adeo charitas vivit, ut potius flumina consumeret, quam se ab illis exstingui permitteret; ideo multi etiam persecutorum

[a] Rhem., Theod., Rothom., *chrismata majora.*
[b] Forte Psal. XCVI, 3, ubi legimus : *ignis ante ips. præc. et inflammabit in circ. inimicos ejus.*
[c] Editi, *adeo charitatis vigor vixit.*

ad eamdem charitatem se convertebant, ita ut dimitterent quidquid in mundo possidebant, et seipsos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant. Unde et subditur :

(Vers. 7.) *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

10. Cum terrenæ substantiæ cupiditate Deus non diligitur, quia terrenus amor oculum cordis sordidat, ne divina claritas videatur. Contra quod in Evangelio dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Et Joannes apostolus ait : *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (*Joan.* II, 15). Nec mirum, quomodo enim eum diligere potest, quem nescit? **458** Aut quomodo eum scit, ad quem sciendum, oculum cordis claudit? Sed homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione tribuit, quando quidquid in mundo possidet, pro Christo distribuit; ut abjiciens quod impedit, Deum diligat, et terso pulvere sollicitudinum, oculos aperiat ut videat. Et cum omnem substantiam dederit, quasi nihil eam despicit, quia postquam oculum tersit, et Deum conspexit, in illius visione quidquid possederat, nihil pendit. Hoc apostoli fecerunt, qui non solum possessa, sed etiam cupita, ut Christum sequerentur, dimiserunt. Quibus ipse Christus, pro quo omnia dimiserant, dicebat : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* (*Luc.* XVII, 10). Sed quoniam abjecta terrena substantia non statim ad perfectionem ascenditur, quia rebus abnegatis, restat etiam labor, ut idem ipse homo a semetipso abnegetur, quatenus gradatim proficiat, et quandoque perfectus non solum se, sed et alios secum ad vitam trahat, ideo de nova et tenera adhuc Ecclesia, vel unaquaque anima consequenter dicitur :

(Vers. 8.) *Soror nostra parvula est, et ubera non habet.*

11. Sororem Christus Ecclesiam vocat, quia de ipsis apostolis dicebat : *Ite, dicite fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10). Soror autem parvula, ubera non habebat, quando in solis apostolis Ecclesia erat, in quibus seipsam, vel alios nutrire lacte prædicationis non poterat (*Matth.* XXVI). Quid enim Petrus aliis prædicaret, cum seipsum discipulum Christi in unius ancillæ voce detestando et jurando negaret (*Joan.* XX)? Parva ergo Ecclesia ubera non habebat, quia post resurrectionem in una domo inclusa (*Act.* I), inter persecutores suos non dico prædicare, sed et videri timebat. Consequenter ergo dicitur :

(Vers. 7.) *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.*

Allocutus est Christus sororem suam, quando Spiritum sanctum super apostolos misit (*Act.* II), et eis in interioribus loquens, illos omnes mundi loquelas multiplici distributione docuit. Sed a quibus hoc quærere intelligendus est qui omnia novit, nisi a sanctis patribus, quos ad quærendum Spiritu sancto instigavit? Quibus eodem Spiritu quo inquinem eos induxit, respondet protinus conveniet ait :

(Vers. 9.) *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.*

12. Dato Spiritu sancto murus sancta Ecclesia efficitur, quia quæ prius timida erat, instruente eodem Spiritu omnipotente, ad resistendum adversariis impenetrabiliter roboratur. Quod manifestat idem Petrus sub ancilla timidus, mox contra principes rigidus, quibus dicebat : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). Et iterum : *Si justum est vos potius audire quam Deum, judicate; nos enim non possumus quæ vidimus et audivimus, non loqui* (*Act.* IV, 19). Et de cæteris discipulis scriptum est : *Ibant discipuli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V, 41). Ecce qualis murus facta est Ecclesia, quæ modo tenerrima, nec pedem cujuslibet gradientis sine sui læsione gerit, modo vero accepto mirabili artifice Spiritu sancto, [a] universi exercitus assultantis contumelias illæsa contemnit. Super quam propugnacula ædificantur, quia ut non tantummodo se defendat, sed ut et impugnantes resistendo prosternat, miracula ei facere **459** conceditur, quæ cum hostes viderint, ab ejus aggressione jacula timentes terreantur. Quæ propugnacula bene argentea esse perhibentur, quia ipsa miracula cum verbi prædicatione donantur. Et quia argentum valde sonorum est metallum, argentea propugnacula existunt, quia per miracula factum est, ut eorum verba per universum mundum convalescerent, et fidei prædicationem inflexibiliter circumquaque diffunderent : quod manifestat Psalmista, dicens : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Sequitur :

(Vers. 9.) *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.*

13. Ostium etiam bene esse Ecclesiam dicimus, quam ab ipso Christo potestatem aperiendi et claudendi accepisse scimus. Ostium procul dubio in suis prædicatoribus existit, quia per eos aditus ad vitam se nobis aperit. Unde et ipsi primo pastori Ecclesiæ dicitur : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Vel ostium in ipso capite suo existit, quia ipse de se veraciter dicit : *Ego sum ostium* (*Joan.* X, 7). Ostium vero tabulis cedrinis compingitur, quia sancta Ecclesia fidem prædicans, multitudinibus populorum decoratur; et dum populi variis virtutibus asperguntur, ut videlicet alius de rebus quas possidet, indigentibus necessaria tribuat : alius omnia abjiciens, etiam a legitimo connubio se abstineat; alius vero tantum proficiat, ut aliorum etiam prædicator fiat; tanquam pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis [b] ditionibus

[a] Ita omnes Mss. In vet. Ed. Paris. legitur, *universi exercitus assultantis illæsa pedem contemnit.* In recent., *universi exercitus assultus illæsa contemnit.*

[b] Sic restituimus ex omnibus Mss. cum prius legeretur, *multis distinctionibus.*

honestatur, quæ sancto Spiritu convalescens hilariter respondet, dicens :

(Vers. 10.) *Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

14. Ubera sua sicut turrim habuit, ex quo pacem coram Sponso reperit; quia postquam sub ipso spiritum pacis accepit, prædicatores contemplatione altos, et robore inflexibiles nutrivit. Sed quid est quod non ait pacem, sed quasi pacem reperiens; nisi quia dum in hoc mundo sumus, [a] a peccato omnimodis non desistimus, et quandiu cum peccato vivimus, pacem perfectam cum illo qui sine peccato in carne vixit, non habemus? Sed quoniam tantillam pacem quam habemus, per ipsum Mediatorem Dei et hominum tenemus, ideo subditur

(Vers. 11.) *Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos; tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu ejus mille argenteos.*

15. Ipse vero pacificus noster esse dicitur, quia per ipsum Deo omne genus humanum reconciliatur. Huic pacifico vinea fuit, quia in labore præceptorum carnalium Synagogam plantavit, de qua dicitur: *Vinea Domini sabaoth domus Israel est* (*Isai* v, 7). Quæ vinea in ea quæ habet populos exstitit; quia in Lege posita est, quæ multos sub se populos collegit. De quibus populis dicitur : *Populi meditati sunt inania* (*Psal.* II, 1). Hanc vineam custodibus tradidit; quia Synagogam Moysi et cæteris patribus custodiendam subjecit. De qua bene subditur : *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.* Hæc vinea fructum protulit, quia ex Synagoga botrus ille magnus qui de terra promissionis allatus est, Christus videlicet Jesus, per humanitatem processit. De quo fructu Pater ad David ait : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). **460** Unde et Apostolus scribit : *Quorum patres, et ex quibus Christus* (*Rom.* IX, 5). Per argenteos vero in hoc loco omnem terrenam substantiam intelligimus, de qua Petrus eleemosynam petenti claudo dicebat : *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* III, 6). Pro fructu ergo vineæ vir mille argenteos affert; quia quisquis viriliter in fide quam suscepit, se habet, libenti mente et perfecte omnia terrena dimittit, ut Christum veraciter habeat. Millenarius enim perfectus est numerus, ideo per eum perfectio rei cujuslibet demonstratur. Hos ergo argenteos in primitiva Ecclesia illi offerebant, de quibus in Actibus Apostolorum scriptum est: *Quotquot autem possessores agrorum aut domorum erant, vendebant, et afferentes ponebant ad pedes apostolorum pretia eorum quæ vendebant* (*Act.* IV, 34). Isti congregati aliam vineam, videlicet sanctam Ecclesiam, ex seipsis construxerunt, et ut boni agricolæ, sanguine suo propagaverunt, et prædicationibus usque ad fines terræ dilataverunt; ut jam mundum pene universum impleat, et fructum gratum locata agricolis, suis temporibus reddat. Unde in Evangelio dicitur : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis* (*Matth.* XXI, 41). De qua vinea jam bonis locata ipse Pacificus dicit :

(Vers. 12.) *Vinea mea coram me est.*

Coram ipso vinea sua existit, quia perditis malis agricolis, sanctam Ecclesiam bonis doctoribus respectu benigno erudit. Cui dicit :

(Vers. 12.) *Mille tui pacifici, et ducenti iis qui custodiunt fructus ejus*

16. Qui sunt isti pacifici qui mille dicuntur esse et ducenti, nisi illi superiores argentei, quos dum perfecte dimittimus, pacem per eorum distributionem cum sanctis nobis ipsis acquirimus? Unde et in Evangelio Dominus dicit : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI, 9). Sed quid per ducentos intelligimus, nisi duplicem retributionem quam acquirimus, dum [b] eos in hoc mundo perfecte pro Christo contemnimus? Mille ergo et ducenti Ecclesiæ argentei existunt, quia dum fideles quique omnia quæ possident, ex toto relinquunt, et pacem sibi cum sanctis faciunt, et præsentis vitæ remuneratiorem cum cœlesti percipiunt. Et hoc est quod Dominus in Evangelio ait : *Amen amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam* (*Marc.* X, 29, 30). Sed quibus ista remuneratio sic duplicatur, nisi his qui custodiunt fructus ejus? Qui sunt autem qui fructus vineæ custodiunt, nisi illi qui in sancto opere quod inceperunt, perseverantes existunt? Opus enim quod sancto desiderio incipitur, si constantia mentis usque ad finem non tenetur, sine fructu habetur; quia immature ab hoc unde processerat vacuatur. Ideoque Dominus in Evangelio ait : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Sequitur Sponsus, et dicit :

(Vers. 13.) *Quæ habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam.*

17. Sponsa in hortis habitat, quia sancta Ecclesia, vel quælibet sancta anima in fructificationem **461** virtutum mentem versat. Cujus vocem sponsus audire desiderat, quia hoc summopere Christo placet, ut perfectus quilibet vir infirmos quosque verbo sanctæ prædicationis admoneat. Amici enim auscultant, quia fideles in Ecclesia, ut amicus sponsi loquatur, pio desiderio exspectant. Et notandum quod amicus est qui auscultat; quia qui Deum mente integra diligit, prædicantem quod diligit, libenter audit. Unde in Evangelio dicitur : *Qui ex Deo est, verba Dei audit* (*Joan.* VIII, 47). Sed quia dum Ecclesia veritatem prædicat, multi non intelligunt, multi quod percipiunt, pravo intellectu subvertunt; ideo admonenti ut prædicet, respondet sponsa, et dicit :

[a] Edit. maluerunt, *a peccatis omnimodis.*

[b] Ita legere cogunt omnes Mss.; quod editores ita mutandum putarunt : ***Dum in hoc mundo perfecte pro Christo omnia terrena contemnimus.***

(Vers. 14.) *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

18. Dilectus fugit, quia a reprobis cordibus se, ne intelligatur, abscondit. Dum enim reprobæ mentes ad audienda vel legenda verba Dei, perversa intentione accedunt, digno judicio veritatem non inveniunt, quam digno appetitu non requirunt. **462** Unde et ipsa Dei sapientia dicit : *Quærent me mali, et non invenient* (*Joan.* VII, 34). Sed fugiens reprobos dilectus, montes aromatum petit; quia perversos dimittens, sanctas animas visitare non desinit, quæ et per contemplationem excelsæ fiunt, et per confectiones virtutum odora unguenta ferunt. Super hos montes dilectus capreæ et hinnulo cervorum assimilatur; quia in cordibus sanctorum virorum manifestatur, quia pia charitate humanitatem pro nobis assumpsit. Qui dum ex patribus antiquis natus fuit, quasi ex cervis hinnulus, sicut dictum est superius, venit. Qui dum esset dives, pauperem se, ut nos ditaremur, fecit; et dum esset super omnia excelsus, humilitatem nostram ineffabili dignatione suscepit. Cui immensas gratias quoadusque vivimus reddamus; cui pro nobis tradito in mortem, et resurgenti in immortalitatem, nosipsos, et spiritum, et corpus debemus (*II Cor.* VIII) : Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DE OPERE SUBSEQUENTI CENSURA.

463 Utrum S. Gregorii papæ primi sit hic in septem Psalmos Pœnitentiales Commentarius, an alterius, non levis aut facilis est quæstio. Illum quidem sancto Doctori tribuit, qui primus e tenebris eruit, et publica luce donavit an. 1512, et iterum an. 1518, Berth. Remboldus; cujus sententiam secuti sunt quotquot deinceps Gregoriana opera ediderunt, excepto duntaxat uno Petro Gussanvillæo. Qua autem potissimum ratione adductus sit vir doctissimus, ut tritam ab cæteris viam desereret, ipse proponat.

Argumentum, inquit, *aliud jam volo adjungere, et quidem quod, ni fallor, esse debeat hac in causa decretorium. Ducitur autem ex tribus ejusdem Commentarii locis, in quibus multa sunt, quæ cum historia, et cum sancti Gregorii doctrina pietateque pugnant.*

Primus est psalmi V, *versu* 9, *ubi auctor in Simoniæ vitium invehens ita loquitur :* « *Cujus erroris vesania licet ex tunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulavit. Nostris vero maxime temporibus malitiæ suæ virus exercuit, et totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbavit. Concitavit enim adversus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, si fas est dici, potestatem. Nulla enim ratio sinit ut inter reges habeatur, qui destruit potius quam regat imperium, et quoscunque habere potest perversitatis suæ socios, eos a consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captivam cupit abducere, et passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit evacuare. Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc iste potestatis jura transcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret sibi dominam suam esse agnoscere, eique religiosorum principum exemplo, devotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis a quo suæ dominium accepit potestatis. Ipse enim ait :* Per me reges regnant. *Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, et divino, ut patet, ingratus beneficio, et contra Deum fastuosus, terminos quos posuerunt Patres nostri, contempto divino timore, transgreditur, et contra catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur. In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, et in domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet,* etc. »

Secundus in eodem psalmo vers. 26, *in quo imperatoris impietatem sic exaggerat :* « *Sunt etiam portæ inferi quædam potestates hujus mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste qui hoc tempore Ecclesiam persequitur?* etc. »

Tertius in proœmio psalmi VII, *ubi in imperatorem tunc regnantem ita invehitur :* « *Persequitur etiam hoc tempore schismaticus corpus Christi : impugnat hæreticus Ecclesiam; unitatem infidelis perturbat.* »

Quis porro imperator tempore Gregorii Magni Ecclesiam persequebatur? Quis contra catholicam veritatem efferebatur? Quis Ecclesiæ unitatem turbabat? Certe tempore S. Gregorii duo tantum principes Romanum imperium administrarunt, Mauricius et Phocas. De Mauricio hæc dici non possunt, quem historici omnes catholicum imperatorem, religiosissimum, liberalissimum, et in pauperes effusissimum appellant. Gregorius ipsemet piissimum et clementissimum passim nuncupat, et ut ipse diu imperium pro Dei gloria et Ecclesiæ utilitate administret, litteras ad quosvis dirigit. Legantur epistolæ 62 *lib.* II, *ind.* X; *epist.* 48 *lib.* II, *ind.* XI; *ep.* 40 *lib.* IX, *et plures aliæ, in quibus de pietate et bonitate Mauricii multa congerit.*

Sed neque tria illa loca, quæ retulimus, ad Phocam pertinere videntur, qui uno tantum anno Gregorii tempore imperavit. Quomodo autem inveheretur in Phocam, cui de adepto imperio ita gratulatus est : « Gloria in excelsis Deo, etc. *De qua exsultationis abundantia roborati nos citius credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad imperiale fastigium pervenisse gaudemus? Tota epistola similiter in laudes pietatis et benignitatis Phocæ excurrit, sicut et epist.* 45 *ejusdem libri, quam ita concludit : In omnipotente Domino confidimus,* **464** *qui quæ cœpit consolationis suæ nobis bona perficiet; et qui suscitavit in republica pios Dominos, etiam exstinguet crudeles inimicos.* »

Ex his liquido apparet relata Commentarii loca nec Mauricium nec Phocam attingere. Si quem vero imperatorum spectant, revera Henricum IV, Gregorio VII æqualem, immo et ipsi infensissimum, utpote qui cum eo graves inimicitias exercuit, ut videre est apud scriptores hujus temporis. Unde et non abs re Gregorio VII Commentarium istum quidam adjudicant.

In tribus his locis id solum negotium facessit, quod agatur hic de quodam imperatore, qui Ecclesiæ fuit infensissimus, et Simoniæ ubique grassanti patrocinatus est; quod Gregorium nostrum dixisse vel de Mauricio piissimo principe, vel de Phoca quem ultra modum laudavit, suspicari non licet. Responderi potest primo asperas illas nescio cujus principis insectationes, assutas fuisse Gregoriano Commentario; ut sane

plurima sunt hujusmodi assumenta, quæ ex quibuslibet fere S. Gregorii operibus, manuscriptorum codicum ope revulsimus. At desunt hic nobis veteres scripti codices.

Secundo quid vetat hic dicta, intelligere de Langobardorum regibus Arianis Ecclesiæ Romanæ hostibus atrocissimis, Ecclesiarum omnium depopulatoribus, et Simoniæ patronis; qualis fuit *nefandissimus* Autharis; sic enim appellatur ab ipso Gregorio epist. 17 libri primi? De rege aliquo sane non minus quam de imperatore, interpretari licet: *Concitavit adversus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, si fas est dici, potestatem. Nulla enim ratio sinit ut inter reges habeatur, qui destruit potius quam regat imperium.* In his tamen verbis unicus est difficultatis nodus.

Tertio non omnino absurdum nobis videtur ista de Mauricio imperatore accipere, cujus temporibus passim in Ecclesiis illi subditis invaluerat Simonia, ut ex multis Gregorii epistolis liquet. Videsis lib. v epistolam 57, Joanni Corinthiorum episcopo, et 58, universis episcopis per Helladiam provinciam constitutis. In utraque videlicet epistola hæc leguntur: *Pervenit ad nos quod in illis partibus, nullus ad sacrum ordinem, sine commodi datione perveniat.* Consule quoque lib. IV ep. 27, lib. XI ep. 46, lib. XII ep. 28, lib. XIII ep. 41. Præterea qui Gregorii vitam scripsit Joannes Diaconus, Mauricium appellat *avarissimum et rapacissimum*, lib. III, cap. 50, ubi de *funestissima* lege ab eo lata loquitur. De ejusdem *tyrannide* in Gregorium pergit agere Joannes lib. IV, capp. 16 et 17.

De eodem imperatore Gregorius ipse licet modestius ita scribit, lib. XIII, ep. 31: *Cum injustorum multorum peccata ferienda sunt*, unus imperitus *erigitur per cujus duritiam tribulationis jugo subjectorum colla deprimantur. Quod in nostra diutius afflictione probavimus.* Et exponens, quomodo sub Mauricio respublica prædæ patuisset, subdit: *Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis, in rebus propriis secura possessio.* Et ep. 38 pergit conqueri *de jugo tristitiæ asperisque temporibus*, quæ regnante Mauricio perpessus fuerat. Denique ep. 39 easdem iterat querelas, gratulaturque, *tam dura longi temporis pondera cervicibus* tandem *amota esse.* Quis igitur adeo miretur Gregorium toties a Mauricio pulsatum, imo graviter vexatum, illa de ipso scripsisse aut dixisse, quæ ex Septem Psalmorum Commentario excerpsit Gussanvillæus; non eo tamen animo ut vivente imperatore publica luce Commentarius hic donaretur.

At qua ratione, *inquies*, Mauricius fidei catholicæ addictissimus, et hoc nomine laudatus a sancto Pontifice, potuit ab eodem infamari ut hæreticus, schismaticus, infidelis? Verum respondeo, ea quæ leguntur in proœmio septimi et ultimi psalmi: *Persequitur etiam hoc tempore schismaticus*, etc., ad quoslibet schismaticos, hæreticos et infideles referri posse. Ecclesiam autem multis schismatibus tempore Gregorii laborasse, multaque ab hæreticis et ab fidei hostibus passam esse, quis nesciat?

Ultro tamen concedimus a Gussanvillæo prolata melius convenire Henrico IV quam Mauricio; quæ consideratio persuasit doctissimo viro Commentarium hunc Gregorii papæ septimi fetum esse. At vero lucubrationem hanc laudato Pontifici prorsus abjudicat stylus omnino diversus. Decem epistolarum a Gregorio VII scriptarem libros habemus, quæ si conferantur cum Commentario in Septem Psalmos, non eumdem esse scriptorem palam fiet. Contra vero hoc in Commentario phrasis tota est Gregoriana; unde sancto Doctori potius quam alteri cuipiam tribuendus videtur. De hac tamen controversia judicet prudens lector. Unum tantummodo hic asserimus opus hoc dignum esse quod sanctissimo Patri vindicetur. Ad tuendam conjecturam nostram non usurpavimus quod lib. XII epist. 24 scribit ipse Joanni subdiacono: *Dic ei* (Mariniano Ravennæ episcopo) *ut commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat;* etsi nonnulli hoc utantur testimonio, ut probent Gregorium **465** Commentarii in Septem Psalmos pœnitentiales parentem se prodidisse. Nam quæ sequuntur: *Neque enim volo dum in hac carne sum, si qua me dixisse contigit, ea facile hominibus innotesci;* satis ostendunt sanctum Doctorem non de suo in Psalmos Commentario locutum esse, sed de alio quopiam sive Hieronymi, sive Augustini, sive Ambrosii, etc.

Verum prætereundum non est, quædam videri a Paterio, S. Gregorii discipulo, ex hoc Commentario excerpta. Nam quæ ad exponendum versum primum psalmi XXXI ille adhibet, partim sunt desumpta ex primi versus hujus psalmi expositione. Id etiam agnoscit Gussanvillæus, qui in edendo Paterio, ad hunc locum indicat in margine Commentarium in Psalmos tanquam fontem ex quo deprompta Paterii sententia.

Idem observare licet ad cap. 68 Paterii in Psalm., ubi monet Guss. locum inveniri in explanatione psal. IV Pœnit. Id sane probare videtur virum doctum sibi non constitisse, et agnovisse tandem Commentarium in Septem Psalmos pœnitentiales, Gregorio tribuendum. De Commentario quoque in lib. Regum quem Gregorio abjudicavit, melius postea sensisse credendus est. Nam ad cap. 39 Paterii in Psalm. monet in nota margin. illud haberi lib. I in cap. I Reg.

Hac in editione omissos in aliis omnibus psalmorum titulos proœmiis præfiximus, quod ad eorum explicationem proœmia hæc præmissa fuisse observaverimus: ita ut nisi prius lectis titulis vix intelligi possit mens auctoris qui præfatur. Cætera in aliis Gregorianis operibus edendis observata præstitimus.

SANCTI GREGORII MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

IN SEPTEM PSALMOS PŒNITENTIALES,

EXPOSITIO.

466 PROŒMIUM

IN PRIMUM PSALMUM PŒNITENTIALEM.

In finem in Carminibus, Psalmus David pro octava.

Si ille rex et propheta convenienter David, manu fortis vocatus est, quia ursum interfecit, leonem suffocavit, Goliath fortissimum lapidis unius ictu

prostravit, et Gentes innumeras imperii sui ditioni subegit (*1 Reg.* XVII); non incongrue eodem nomine sanctam animam accipimus, quæ illum, qui quasi leo rugiens circuit quærens quem devoret, in se ipsa interfecit (*I Petr.* V). Et si quando eam sicut fortis armatus aperto certamine aggreditur, lapidis, quem reprobaverunt ædificantes, illum ictu prosternit, corporis nihilominus passiones subigit, atque ad virtutum officia convertit (*Luc.* XI, *I Petr.* II). Psalterium quoque eamdem animam spiritalibus exercitiis assuetam non inconvenienter nominamus. Sicut enim musicum illud instrumentum triangulum decem chordarum inferius quidem percutitur, superius vero sonare videtur; ita anima sanctæ Trinitatis fide formata, decem Legis præceptis instructa, inferius percutitur et superius auditur; quia cum carnem aliquis perfecte afflixerit, tunc suavissimum Deo in dulcedine melos reddit. Per psalmum ergo, meditationes et laudes et gaudia de Deo in animo concepta accipimus, sicut cantum illius musici instrumenti psalmum vocamus. Psalmus ergo iste, id est hæc meditatio, David, id est fideli animæ virtutibus [a] exercitatæ attribuitur; animæ scilicet tendenti in finem, id est in Christum, qui est initium et finis (*Apoc.* XXI). Christus finis dicitur, vel quia est consummatio Legis et Prophetarum, sicut ipse pendens in cruce testatus est, cum aceto et felle potatus dixit: **467** *Consummatum est* (*Joan.* XIX, 30). Vel quia bonorum omnium perfectio est, quia nullum bonum persicitur, nisi quod in summo bono solidatur. Sicut enim nobis non sufficit alios bonos quærere, nisi ad ejus studeamus agnitionem pervenire: ita eo invento nullus jam melior quæritur, quia omnis creatura eo, sub cujus pedibus a Patre omnia sunt subjecta, inferior invenitur. Pro [b] octava vero psalmus iste factus asseritur, quia pro consideratione futuræ resurrectionis Domino decantatur. Omne præsentis vitæ tempus septem diebus evolvitur; et ideo æterna dies, quæ expleta horum dierum vicissitudine futura est, octava vocatur. Et quia pro consideratione extremi judicii psalmus iste concinitur, recte pro octava intitulatur. Vel quia sequitur finem carnalis et spiritalis generationis, ideo octava dicitur resurrectionis. Caro enim ex quatuor constat elementis, anima tribus vegetatur naturis. Est enim rationalis ad discernendum, concupiscibilis ad virtutes appetendum, irascibilis ad vitia aversandum. De hac enim ira per eumdem prophetam dicitur: *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5). Quod enim se contra seipsum erexerit, et zelo rectitudinis inflammatus, contra vitiorum se importunitates viriliter commoverit, in conspectu interni judicis nequaquam deliquit. Vel secundum quosdam octava dicitur, quia sequitur sex ætates in hoc sæculo viventium, et septimam dormientium justorum. Hunc autem psalmum in hymnis habendum titulus adstruit; quia qui tactus dolore cordis intrinsecus pecccata sua confitens cor in pœnitentia conterit, suavem ad aures misericordis Dei vocem exsultationis reddit. Majus est enim angelis Dei super uno peccatore pœnitente gaudium, quam de nonagintanovem perseverantia justorum (*Luc.* XV). Et qui pro indulgentiæ desiderio iniquitates suas annuntiat, in tabernaculis justorum dulciter hymnizat. **468** Loquitur ergo in hoc psalmo fidelis anima, octavam illam, id est diem judicii tremendam considerans, terroremque districtionis divinæ et reproborum damnationem perpetuam prudentiæ intuitu contemplans. Et quia de suis meritis diffidens, in se qualiter in illo tremendo examine iram ultionis divinæ effugere possit, non invenit; audacter quidem, sed confidenter ad fontem misericordiæ, faciem ejus præoccupans accedit, malens in hac vita per pœnitentiam et flagella conteri, quam in futuro horrendis suppliciorum cruciatibus affligi. Quid ergo dicat audiamus, et illius exemplo cum fiducia ad thronum gloriæ Dei adeamus.

EXPLANATIO

PSALMI PRIMI PŒNITENTIALIS.

(Psal. VI. — Vers. 1.) *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

1. Vides quam bonum principium, quam affectuosum, quam gratiæ plenum. In eo enim quod Dominum eum vocavit, quod sui jure misereri deberet ostendit. Dominorum enim est, servos alere, non negligere; delinquentes corrigere, non necare; fugientes requirere, non abdicare. *Domine, ne in furore tuo.* Solet fieri, ut qui dominorum iram incurrunt, si eis reconciliari appetunt, patronos quærant, intervenientores adhibeant, advocatos adsciscant. Sed hæc anima illius terribilis judicii terrore perculsa, amoris Dei desiderio accensa, moras non patitur, dilationem aversatur; et si ad horam Deum convenire distulerit, damnationem se evadere non posse arbitratur. Desiderium enim non sustinet, et in patientia modum non habet. Vires ergo colligit, de misericordia Conditoris confidit, et quasi eum præsentem videat, loqui præsumit. Ac si dicat: Scio quidem quia ab oculis tuis, meis excludor meritis; sed tamen minor sum cunctis miserationibus tuis. Tu igitur, Domine, cujus me servum esse non abnego, cujus imperiis obtemperare desidero, cujus suave jugum ferre nequaquam recuso, *ne arguas me in furore tuo*. Hic me potius argue; dum tempus est misericordiæ, corripe; dum dies salutis est, exerce. Quisquis in hac vita flagellis atteritur, in mansuetudine corripitur; quia correptionibus emendatur. In illo autem tremendo examine iniquus omnis in furore arguitur; quia pœnam interminabilem venia nulla comitatur. Absit ut in Deo furorem credamus. Non enim esset incommutabilis, si eum commovere posset alicujus necessitas passionis. Sed quia aliter de Deo, nisi secundum humanum morem loqui non possumus, infinitæ damnationis sententiam, furorem vocamus. Non ut in illa justitiæ severitate, aliqua omnino perturbatione Deus moveatur, sed quia in eos qui

[a] Alludit ad psalmi titulum, in quo legitur: *In finem in Carminibus, Psalmus David, pro octava.*

[b] Vide superiorem notam.

duplici sunt contritione conterendi, irremediabiliter vindicantur. *Ne arguas me in furore tuo*: non humano, non transitorio. Furor humanus sicut cito præterit, ita suæ vigorem potestatis nonnisi in corporibus extendit; divinæ vero ultionis animadversio, non solum pœnas in corpore et anima multiplicat, verumetiam in damnatis immobiliter perseverat. *Neque in ira tua corripias me.* Sicut major est furor quam ira, ita arguere majus est quam corripere. Eos corripimus, quos amantes emendamus. Et quia post mortem carnis alii æternis deputantur suppliciis, et alii ad vitam per ignem transeunt purgationis; **469** fidelis anima non solum furorem timet, sed etiam iram abhorret, teste beato Augustino: Hi omnes qui non posuerunt sibi fundamentum Christum, in furore arguuntur, quia æterno igne cruciantur. Qui autem eidem fundamento superposuerunt lignum, fenum, stipulam, in ira corripiuntur; quia igne purgati, ad beatitudinis requiem [a] deducuntur (*I Cor.* III). Dicat ergo fidelis anima, quid fecit considerans, et quid sit receptura contemplans: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ac si aperte dicat: Hoc solum tota cordis intentione efflagito, hoc indesinenter votis omnibus concupisco, ne me in illo tremendo examine vel cum reprobis ferias, vel cum purgandis, flammis ultricibus affligas. Et ut hoc fiat:

(Vers. 2.) *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

2. In eo quod nomen venerandum repetit, piæ precis affectum se habere ostendit. Quasi dicat: Tu Domine, quem suave videtur mihi sæpius [b] invocare, miserere mei dum tempus est misericordiæ. Hic me misericorditer corripe; hic per flagella contere; hic igne tribulationis exure. Et ne quid in me post hujus vitæ terminum vindicandum invenias, oro ut per ignem tui amoris omnem in me vitiorum rubiginem consumas. Et hoc opus est ut facias, *quoniam infirmus sum.* Ex peccato primi parentis pœnam contraxi magnæ infirmitatis (*Rom.* VII): non enim quod volo, ago; sed quod odi malum, illud facio. *Infirmus sum*, quia ad malum pronus sum. Sed tu, Domine, animarum debilium velox medice, *sana me*, scilicet interius omni vitiorum labe emunda: *quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*, id est, virtutes animæ obscuratæ sunt, et extenuatæ virtutes simul conturbatæ sunt. Charitas enim confunditur, humilitas impingitur, fortitudo dejicitur, castitas impugnatur. Per ossa virtutes accipimus, per quas nimirum animam sustentamus. Sicut enim in ossibus est fortitudo corporum, ita in virtutibus robur invenitur animarum. Et plane debilis omnis comprehenditur anima, nisi quæ fuerit virtutum fortitudine fulta. Postquam enim in ordine culpam incurrit primus humani generis parens, ab illa in qua positus fuerat mentis celsitudine decidit, claritatem visionis divinæ perdidit, suavissimas verborum Dei epulas, quibus interius reficiebatur, amisit; oculos carnis ad obscena et turpia videnda aperuit, qui prius aciem mentis, qua lucis summæ fulgor intuebatur, obscuravit.

(Vers. 3.) *Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?*

3. Et quia me infirmum sentio, quia ossa mea conturbata agnosco, *anima mea*, scilicet eo quod mea est, quod per me corrupta est, quod per me debilis et ægra facta est, turbata est ad gemitum, commota est ad compunctionem et lamenta, valde magna scilicet et multimoda turbatione. Turbatur enim, quia peccavit quia bonum Dominum offendit, [c] quia vitam perdidit, mortem incurrit. *Sed tu, Domine, usquequo* turbaris contra me, quia peccavi, quia te ad iracundiam delinquendo provocavi? Vel, *tu Domine.* Dæmones quidem invasores, non domini, naturaliter malunt meam perditionem quam salutem; sed tu, Domine, *qui non vis mortem peccatoris* (*Ezech.* XXXIII): singulariter *Domine*, non abusive, sed proprie: *usquequo*, id est quandiu differs sanare? Ecce in conspectu boni medici et curare valentis **470** assisto, vulnera detego, preces emitto, dolores augeo, lacrymas effundo. Cur ergo dissimulas, cum non sit tibi minor potentia, quam voluntas? Licet hoc celes in corde tuo; tamen scio, quia universorum memineris. Omnis curatio quanto difficilius acquiritur, tanto acquisita cautius custoditur.

(Vers. 4.) *Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.*

4. Ne magis turberis, supplico; ne ultra misereri differas peto; immo *convertere*, *Domine.* Sicut anima mea conversa est ad te per turbationem pœnitudinis, ita tu convertere ad eam per serenitatem miserationis. Et conversus, *eripe animam meam.* Impediunt eam vepres carnalium delectationum, detinent illam sæcularium illecebræ cupiditatum; sed tu, qui potens es omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus (*Ephes.* III), eam eripe; igne tui amoris, terrenarum dumeta voluptatum, quibus irretitur, adure; extra omnem peccati appetitum illam tuæ manu fortitudinis trahe. *Salvum me fac propter misericordiam tuam.* Parum est ut animam meam a mundi voluptatibus liberes, nisi me ab hostium tentationibus virtutis tuæ protectione conserves. Boni medici officium est, non solum salutem restituere, sed etiam restitutam custodiæ sedulitate servare. Sic ergo et tu cum animam meam a carnalibus desideriis eripueris, da mihi in bono perseverantiam, ne mihi demissos laqueos iterum tentationum incurram. Et hoc *propter misericordiam tuam:* non de meis meritis confidens, me ut salvum facias supplico, sed de sola misericordia tua præsumens impetrare, quod non de meis meritis spero.

(Vers. 5.) *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*

5. Peccata consummata generant mortem (*Jac.* I)

[a] Gilot. et Vatic., *reducentur.*
[b] Rémbold., Gilot. et Vatic., *invocari.*
[c] Omittitur in Guss., *quia vitam perdidit.*

Nisi enim conversus fueris, nisi animam meam eripueris, nisi me salvum feceris, in peccatorum me caligine, id est in morte dimittis; quod si in morte fuero, tui procul dubio memoriam perdo. Et inde hoc scio, quod in morte penitus tui memor esse nequibo: *quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Quomodo namque mihi conceditur, quod omnibus denegatur? *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Sicut de morte ad infernum peccator pervenit, ita de peccatorum multitudine in desperationis foveam cadit. Unde et scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Fidelis anima non exaudiri metuens, miserias quas perlatura est si non exauditur, enumerat; ut se maximo timore concutiat, et Deum citius ad misericordiam flectat. Ait ergo: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Quasi dicat: Dico, si non eripueris me, [a] in morte futuram me prævideo. Et non solum in morte futuram me prævideo, sed etiam in inferno, id est in desperatione me sepeliendam cognosco. Quod si in inferno fuero, tibi me confiteri non posse perpendo. Nullus enim in inferno confitebitur tibi. Et hoc est quod ait sub specie interrogantis: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Scilicet nullus. *Non* enim *est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccle.* XV, 9). Aliter: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui*, precor ut animam meam liberes a carnalibus desideriis, quæ militant adversus eam (*I Petr.* II). Si enim hoc non feceris, interficient me; quia a te, qui es vita mea, separabunt me. Cum enim tu sis illud idem animæ, quod est anima corpori; si tibi inseparabiliter non inhæsero, **471** necessario mortem incurro. Et si in morte fuero, tui memor non ero: *quoniam non est in morte qui memor sit tui*. Sicut nullius rei meminit caro mortua, ita nec te sentire prævalet a te Deo anima divisa. Nulla societas luci ad tenebras. Ubi autem tui ingreditur memoria, ibi est lux veritatis immensa. Quod tamen intelligi et aliter potest, quasi dicat: Immedicabile corpus est recidendum ense, et membri in corpore mortui abscissio potius est necessaria, quam medicina. Sed ego non sum ut membrum mortuum, cui medicina non proficiat, sedulitas nihil conferat. Nam sum memor tui, scilicet misericordiæ. Te enim medicum scio, misericordem non ambigo, longanimem agnosco, quod non facerem si in morte essem. Et hoc apparet a toto, quoniam non est in morte.

(Vers. 6.) *Laboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

6. Dixerat superius, *Salvum me fac*, et tempus est ut facias; nam ego *laboravi in gemitu meo*. Adest miser, adsit et misericordia. Miseriam meam ego cognosco, vulnus non dissimulo, peccatum non celo. Nisi enim miserum me agnoscerem, in gemendo non laborarem. Sed ego laboravi, id est studiose egi, ut essem in gemitu, scilicet ut quousque viverem, gemendum mihi putarem. Et *laboravi in gemitu*, id est, modo mihi proprio. Nemini enim sicut mihi ingemiscendum æstimo, quia præ omnibus me peccasse perpendo. Et quia non sufficit bene incipere, nisi studeat quis in bono opere perseverare, adjungit: *Lavi per singulas noctes*, id est per singulas tenebrosas cogitationes, *lectum meum*. Per lectum, conscientiam accipimus; quia sicut in lecto jacentes quiescimus, ita in ea vel legi Dei, vel legi peccati consentimus. Et sicut laboribus pressi in lecto quiescentes reficimur, ita dum mundi hujus adversitatibus premimur, in bona conscientia interius delectamur, Paulo attestante qui ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Lectum ergo per singulas noctes lavat, qui conscientiam a cogitationibus tenebrosis, lacrymis compunctionis emundat. Et non solum conscientiam purificabo, sed etiam *lacrymis meis stratum meum rigabo*. Quia vilis lectus est stratum, per ipsum carnem accipimus. Et quoniam sicut stratum facile concutitur, ita caro ab infirmo animo varie versatur, sicut per eumdem prophetam dicitur, *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus* (*Psal.* XLII, 2). Rigat ergo lacrymis stratum suum, quia continuo luctu et dolore, carnis maculas diluit, et cordis duritiam imbre compunctionis emollit; ut sicut hortus recepta suavi pluvia evidenter germinat, ita caro lacrymarum fluentis rigata, bonorum operum et justitiæ germen emittit. Cur autem laboraverit, causam subdit, ac si dicat: Ideo laboravi, ideo ingemui, quia,

(Vers. 7.) *Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.*

7. Humana natura ad imaginem primitus et similitudinem Dei condita (*Gen.* I), per prævaricationis culpam a contemplationis divinæ claritate expulsa, sicut immortalitatis æternæ beatitudinem perdidit, ita interiorem oculum animæ, scilicet rationabilem obscuravit. Et quia postea bonum a malo discernere noluit, volens postmodum quid sibi sequendum, quidve fugiendum esset, scire nequivit (*I Joan.* III). Et quia illum qui lux est, et in quo non sunt ullæ tenebræ, **472** non tenuit, sicut in nocte, sic postea in meridie palpavit. Dicat ergo fidelis anima: *Turbatus est a furore oculus meus:* quia discernendi recte voluntatem non habui, per furorem, id est damnationis sententiam, ipsam eligendi potentiam amisi. Vel etiam illius a furore oculus turbatur, quia tremendi diem judicii, damnari metuens, intuetur. Cum enim quod quisque gesserit, quia ibi sit receptus, considerat, mentem quæ hoc prævidet, malorum suorum consciam, ipse judicii terror perturbat. Et quia ad illud judicium venire non trepidat, nisi quem conscientia de peccatis accusat, ideo adjungit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Ac si diceret: Ideo ad illud terribile examen deduci metuo, quia per consuetudinem et perseverantiam pravorum operum, non novum, sed veterem me peccatorem agnosco. Cum enim sim inter inimicos meos, spiritus videlicet malignos; quia eorum a me suggestiones non repuli, illis consentiens in tenebrarum operibus inveteravi,

[a] Hic multa restituimus ex aliis editis in Gussanv. Edit. omissa; unde sensus labefactatus.

id est in veteris hominis inobedientiam redii. Factus sum comparabilis veteri vesti. Sicut enim vetus vestis nec ornatum adjicit, nec frigus repellit; ita ego nec frigus tentationis expellere valeo, nec proximorum animas per doctrinæ verbum adorno. Vel, inveteravi habitans inter inimicos meos, inimicos scilicet catholicæ fidei et Christianæ religionis.

(Vers. 8.) *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*

8. *Quæ societas luci ad tenebras? Quæ conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli?* (*II Cor.* VI, 15). Sicut enim qui diabolum sequitur, Sanctorum collegium affectu et opere aspernatur; ita qui Deo perfecte adhæserit, impiorum consortium nequaquam admittit. Quia ergo inveteravi conversatus inter inimicos meos, ne amplius aliquid vetustatis in me appareat, ne inimicorum conversatio notam mihi prævaricationis infigat; vos qui operamini iniquitatem, qui culpas vestras confiteri negligitis, qui in malis operibus impœnitentes perseveratis, hic a me affectu discedite, hic vos a me operum dissimilitudine elongate; ut quia a Deo receditis hic animo, et in futuro etiam corpore a me discedatis. Discedite, ut amplius non communicem operibus vestris iniquis : *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? (*Cant.* v.) Vocem flebilem Dominus exaudivit; quia ab omni inquinamento carnis et spiritus me mundavit. Quomodo autem exauditus sit, ostendit :

(Vers. 9.) *Exaudivit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam suscepit.*

9. *Exaudivit Dominus deprecationem meam*, peccata dimittendo. *Dominus orationem meam suscepit*, perseverantiam dando; quasi dicat : Non solum pro peccatis meis flenti delictorum mihi indulgentiam contulit, sed etiam ne eadem ulterius committerem, gratiæ suæ ubertatem concessit. Dixerat superius : *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Sed quia charitas non quærit quæ sua sunt (*I Cor.* XIII); et hinc vera esse ostenditur, cum ille diligitur qui adversatur, ideo subjungit :

(Vers. 10.) *Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur et erubescant valde velociter.*

10. Ille veraciter charitatem habet, qui et amicum diligit in Deo, et inimicum diligit propter Deum. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Luc.* VI, 27). Ne ergo surda aure præcepta transeat **473** Dominica, pro inimicis orat anima exaudita : *Erubescant et conturbentur.* Ergo quia propter peccata quæ perpetraveram, erubui; erubescens vero ut ea diluerem, in gemitu meo laboravi, exaudita veniam impetravi. Et utinam meo exemplo erubescat quicunque quod ad imaginem et similitudinem Dei sit factus (*Gen.* I) intelligit, et qualiter illam peccando fœdavit, agnoscit. Si se circumspiciens, consideret et decorem quem perdidit, et obscenitatem qua se velut quodam teterrimo colore perfudit, de operum suorum qualitate, nisi sit lapis, erubescit. Nobilis anima si quas aliquando peccati notas admiserit, verecundiam tamen a se funditus non repellit. Nam et illud verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum. Unde sub Judææ specie contemnenti animæ dicitur : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere* (*Jerem.* III, 3). Qui enim neglecto Dei timore peccata peccatis accumulat, profecto ut meretrix frontem obdurat.

11. Sed quia minus est de anteacta vita erubescere, nisi quis etiam studeat ea quæ admisit, pœnitendo corrigere, subjungit : *Et conturbentur vehementer.* Quisquis peccati sui modum considerans, sibi iratus, contra seipsum graviter, quod egit puniendo, invehitur, per compunctionis lacrymas vehementer conturbatur. Quia vero per dolorem pœnitentiæ pervenitur ad conversionem vitæ, protinus additur : *Convertantur.* Ille nimirum ad Deum convertitur, qui tam cogitatus suos, quam etiam operationes ad Deum semper dirigere conatur. Et quoniam tempus breve est, et finis peccatorum mors est; ne quis putaret in hominis esse potestate quando vias suas velit corrigere, repetit : *Erubescant*, se peccasse, erubescant conversionem distulisse. Et hoc faciant *valde velociter.* DIES *enim Domini sicut fur in nocte ita veniet* (*II Petr.* III, 10). Unde et Salomon; *Ne tardes*, inquit, *converti ad Dominum, neque differas de die in diem* (*Eccli.* V, 8).

PROŒMIUM

IN SECUNDUM PSALMUM POENITENTIALEM.

Ipsi David intellectus.

Sicut supra jam diximus, per David, fidelis anima accipitur, cui et nominis interpretatio, et operum magnificentia convenienter aptantur. Fidelis ergo anima, ea quæ in hoc Psalmo dicuntur, intelligat, et ab isto nunquam intellectu recedat. [a] Intellectus vero David in hoc psalmo est, ut nemo se ante fidem de meritis suis, quæ nulla sunt, efferat; nemo fide per gratiam accepta, de peccati impunitate præsumat; nemo bonum quod facit, sibi, sed gratiæ Dei attribuat; nemo per desidiæ torporem in bona operatione pigrescat. Videamus nunc quid dicat.

EXPOSITIO

PSALMI SECUNDI POENITENTIALIS.

(Psal. XXXI. — Vers. 1.) *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*

1. Quasi dicat : Cum omnes velint esse beati, diversi de beatitudine diversa sentiunt; et desideriorum suorum errorem sectantes, ad beatitudinis portum per devia venire proponunt. Sed quidquid illi æstiment, istud est ratum, istud est catholicum, **474** quod illi solum sunt beati, quorum remissæ sunt iniquitates originales per baptismum : *et quorum tecta sunt peccata* actualia post baptismum commissa. Si tegit infirmus vulnera, quomodo illi a medico adhibetur medicina? Nonne si celare vulnus cœperit,

[a] Hæc ad titulum Psalmi referuntur : *ipsi David intellectus.*

latius extensum introrsum putrescit? Sic et peccatum, nisi per confessionem detegatur, lethaliter in intimis dilatatur. Et sicut vulnus non ostensum etiam sanam carnem putredine inficit, ita peccatum nisi confitendo reveletur, etiam si qua ibi sunt bona corrumpit. Non enim accepta sunt Deo bona, quæ malorum admistione maculantur. Sed aliud est quod a peccatore homine per obstinationem tegitur, aliud quod miserante Deo per remissionem operitur. Tegit medicus vulnus sanandum medicamine, tegit Deus peccatum ea, quæ multitudinem peccatorum operit (*I Petr.* IV, 8), charitate. Si quis ergo peccata sua tecta esse desiderat, Deo ea per vocem confessionis ostendat. Sunt tamen quædam peccata, quæ quandiu in hac vita vivitur, etiam a perfectis viris aut vix, aut nullatenus declinantur. Habent enim sancti viri aliquid quod in hac vita operire debeant; quia omnino est impossibile ut in locutione, aut etiam in cogitatione nunquam delinquant. Student igitur viri Dei oculorum linguæque culpas tegere meritis vitæ, student pondere bonorum operum premere immoderata verborum. Verum quomodo in electis est possibile eorum transgressiones contegi, cum ab illo, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia, non possunt abscondi? (*Hebr.* IV, 13). Sed quia hoc quod tegitur, inferius ponitur, et aliquid aliud superducitur, ut quod est subter positum, tegatur; tegere peccata dicimus, quæ quasi subter ponentes abdicamus. Quibus nimirum quasi tegmen superducimus, dum bonorum operum nos indumento vestimus. Peccata itaque tegimus, si bona facta malis actibus superponamus.

(Vers. 2.) *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.*

2. Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Si nobis peccata nostra imputaverimus, non ea nobis imputat Deus (*I Cor.* XI, 31). Si ea satisfaciendo puniremus, nullum qui nos in futuro puniat, inveniremus. Imputare sibi Adam peccatum suum noluit, quando culpam suam in Creatorem refudit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen.* III, 12). Unde quia se confiteri culpabilem renuit, mortiferæ damnationis sententiam ad posteros misit. Judicare autem seipsum nemo poterit, nisi qui virilem animum ad vitia persequendum assumit, sicut per eumdem prophetam dicitur: *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant* (*Psal.* XVII, 38). Qui enim mollis est, et dissolutus in opere suo, frater est opera sua dissipantis (*Prov.* XIII, 9). Ideo dixit: *Beatus vir.* Quasi dicat: Ad hoc opus nemo assurgere prævalet, nisi qui sanctæ fortitudinis vires habet. Quid enim fortius, quam omnes animi sui motus rationi subigere, omnia carnis desideria spiritus virtute frenare, proprias voluntates abjicere, contemptis visibilibus ea quæ non videntur amare? Unde et Salomon ait: *Melior est patiens, viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* XVI, A 32).— *Nec est in spiritu ejus dolus.* Illi quidem peccatum non imputabitur, in cujus spiritu dolus mendacii non invenitur: qui se justum esse non simulat, qui ea etiam quæ occulte deliquit, non celat. In spiritu publicani ad templum ascendentis, **475** dolus non fuit: quia dum illum quem occulta non transeunt, placare voluit judicem, confiteri se non erubuit peccatorem. Ait namque: *Deus propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII, 13). Magis ergo justificatus descendit, quam qui se de meritorum enumeratione jactabat. Denique et justus in principio sermonis accusator est sui (*Prov.* XVIII, 17). In Pharisæi vero spiritu dolus fuit, qui magis videri, quam esse justus optavit. Dum ergo ea quæ clamare debuerat, tacuit, miser quod sibi tacendum esset, clamavit. Et per B superbiam, si qua in eo fuerant, minuit merita, qui humiliari contemnens, adauxit peccata. Et nos ergo exemplo hujus publicani, præoccupemus faciem hujus judicis in confessione, et effundamus coram illo corda nostra, levantes puras manus sine ira et [a] disceptatione, in habitu ordinato, cum verecundia et sobrietate: ut qui omni tentationi patentes, manum effugere non possumus judicis, per confessionem mundati, clementiam experiamur misericordis (*I Tim.* II, 8, 9).

(Vers. 3.) *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.*

3. Ille, in cujus spiritu dolus non est, beatus est: e contrario ille, in cujus spiritu dolus est, infelix est. Et hoc mihi experto credendum est: nam *inveteraverunt ossa mea, quoniam tacui, dum clamarem.* C Per ossa nimirum virtutes accipimus, quia per eas animam, sicut corpus per ossa, sustentamus. Quæ profecto inveterantur, quando a statu suæ fortitudinis infirmantur. Sicut enim morborum infestationes corporis ossa debilitant, vitiorum importunæ turbationes animæ virtutes infirmant. Ait ergo: *Inveteraverunt ossa mea.* Ac si dicat: Virtutes et justitia, vel ratio et intelligentia, ita in me debilitatæ sunt, ut nec per me quidem vitiis resistere, nec animam ægram, et ad ima ruentem, virtutum valeam fortitudine sustentare. Et quia per humilitatem confessionis ad novum hominem pervenire nolui, per arrogantiæ jactantiam in veteris infirmitate permansi. Quare autem inveteraverunt, causam apeit, cum ait: *Quoniam tacui, dum clamarem tota die.* D Cum clamare et tacere inter se repugnent, quomodo potest fieri ut aliquis taceat, et clamet? Sed ille tacet nimirum, et clamat, qui peccata quidem sua silentio contegit, merita vero per vocem magnificationis extollit. Aut certe ille tacet, et clamat, qui peccata quidem præterita per confessionem non annuntiat, et per cor impœnitens alia committere, accepta peccandi libertate, non cessat. Nam quod peccatum clamor sit, testatur Scriptura quæ dicit: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum ascendit ad me* (*Gen.* XVIII, 20). Et iterum: *Descendam videre utrum clamorem qui venit*

[a] Remb. cum Gilot. et Vatic., *deceptione;* quod pro errore ab una ed. in alias incaute translato, haberi debet

ad me, opere compleverint (*Ibid.*, 21). Peccatum quippe cum voce, culpa est in actione : peccatum cum clamore, est culpa cum libertate. *Dum clamarem tota die.* Tota die clamat, qui pro omni bono opere quod agit, laudari affectat ; vel etiam tota die clamat, qui publice peccare non trepidat.

(Vers. 4.) *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

4. Sicut per noctem opera tenebrarum, ita per diem, bonorum intelligimus lucem actionum. Qui ergo peccare non desinit, et cæteris se præferens, per bona opera superbit, die ac nocte divinæ potentiæ iram incurrit. Vel *die ac nocte*, id est in prosperitate et adversitate. *Gravata est super me manus tua.* **476** Quia enim et in adversis succubui, et in prosperis me nimis erexi, iram tuæ potentiæ super me provocavi. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina :* quoniam manus tua, quæ superbos humiliat, humiles exaltat, gravata est super me. Me enim superbum depressit ; quia non solum peccatum mihi dominari permisit, sed etiam de qua nimis gloriabar, justitiam mihi difficilem fecit. Ideo *conversus sum in ærumna mea.* Qui enim de me præsumens, quasi divitem me prius et nullius egentem credidi, postea ad me rediens, quam sim miser et infelix agnovi. Et hoc feci, *dum configitur spina.* Per spinam, omne peccatum ideo accipitur, quia dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Tunc autem pœnitentis anima ad lamentum ducitur, cum perpetrata nequitia in memoria fixe retinetur. In alia translatione non configi, sed contringi spina dicitur : quia nimirum mens ad luctum vertitur, ut peccati compunctio pœnitendo frangatur. Quomodo autem sit conversus, ostendit, dum subdit :

(Vers. 5.) *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.*

5. Quamvis omnia sint nuda et aperta oculis tuis (*Hebr.* IV, 13), tamen quia ore confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10), feci tibi cognitum delictum, dicens illud esse meum. Mihi enim, quia deliqui imputo, me solum in operum meorum pravitate culpabilem clamo. Plus est delictum cognitum facere, quam delictum manifestare. Ille enim delictum cognitum facit, qui non solum quod fecit annuntiat, sed etiam omnem peccati causam et originem narrat. Qui non superficie tenus peccatum loquitur, sed et quando, et ubi, et quomodo ; et si vel ignorantia, vel casu, vel studio deliquerit, confitetur. *Et injustitiam meam non abscondi.* Nullum in corde meo dolositatis scrupulum retinui : injustum esse quidquid a me habeo intimavi. Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est. *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi* (*Jac.* I, 17). Non solum quod deliqui, quæ mihi facienda fuerant bona prætereundo aperui ; sed quidquid commisi, quæ prætereunda fuerant mala faciendo narravi.

(Vers. 6.) *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino ; et tu remisisti impietatem peccati mei.*

6. Quod delictum meum cognitum tibi feci, quod injustitias meas non abscondi, non fuit ex necessitate, vel alicujus levitatis occasione, sed ex pœnitendi et confitendi præmeditatione. Nam *Dixi*, id est in corde meo statui : *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Adversum se confitetur, qui omnino confitetur quod aperit. Qui in peccati confessione sibi non parcit ; quidquid peccavit, non Deo imputat, non Deo annotat, non fortunæ attribuit, non diabolo, non constellationi ascribit. In eo autem evasurum se credit, si sibi iratus se sine moderatione accusat. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Attende quantæ sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat pœnitentia ; ante remissio ad cor perveniat, quam confessio in vocem erumpat. *Tu remisisti impietatem peccati mei.* Tu qui solus parcis, qui solus peccata dimittis : quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? (*Luc.* IV, 21.) *remisisti impietatem peccati mei ;* projecisti post tergum tuum omnia peccata mea (*Is.* XXXVIII, 17). **477** Non solum peccatum remisisti, sed etiam ipsam impietatem, pravæ scilicet operationis intentionem ; ut jam nulla in corde meo malitiæ radix remaneat, ex qua pestiferæ actionis de cætero germen succrescat.

(Vers. 7.) *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.*

7. Scriptum est, quia *nemo sine peccato, neque infans cujus est unius diei vita super terram* (*Job.* XIV, 41, *sec.* LXX). Et iterum Job testatur, quia *cæli non sunt mundi in conspectu ejus, et in angelis suis reperit pravitatem* (*Job.* XV, 15 ; IV, 18). Quanto ergo electus quisque majori sanctitate præeminet, tanto magis de his, sine quibus hæc vita non ducitur, venialibus peccatis dolet. Quis autem sanctior Paulo, qui cum delectaretur Lege Dei secundum interiorem hominem, et aliam Legem in membris suis, Legi mentis suæ videret repugnantem, miserum se exclamans commemorat, et de se diffidens, de corpore mortis illius per Dei gratiam liberari exspectat ? (*Rom.* VII.) Idem nihil sibi conscius fuerat, sed nequaquam in hoc se justificatum credebat (*I Cor.* IV, 4). Sancti etenim viri licet magnis jam virtutibus polleant, habent tamen adhuc de culpæ obscuritate quod feriant. Et licet magna jam vitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, velut quasdam noctis reliquias, nolentes trahunt. Quod divinæ profecto pietatis dispensatione agitur, ut qui ascensiones in corde suo disposuit, ad humilitatis celsitudinem sua melius infirmitate sublevetur (*Psalm.* LXXXIII, 6) : quatenus unde parva reprehensibilia humiliter patitur, inde verius in justitiæ virtute roboretur ; et eo se in virtutis culmine erectus minimum sentiat, quo suis viribus etiam parva quæ eum impediunt, non expugnat. Orat ergo pro remissione peccati omnis sanctus : quia sine peccati macula solus invenitur homo Jesus Christus. Denique de ipso solo legimus, quod non haberet

quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde [a] pro populi (*Heb.* VII, 27).

8. Verum ne aliquid intelligas transitorium appeti in oratione sanctorum, adjungitur, *Ad te.* Electi etenim Dei orantes ut ad Deum perveniant, infirmitatis suæ incessanter excessus deplorant : quia et inde refectionis intimæ dulcedinem sentiunt, unde vim suavissimi amoris per lacrymas emittunt. *In tempore opportuno.* Ecce *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* dicit apostolus (*II Cor.* VI, 22). Tempus opportunum, tempus gratiæ, dies remissionis, plenitudo temporis (*Ephes.* II, 4) : in quo *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus, misit filium suum factum ex muliere, factum sub Lege : ut eos qui sub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (*Gal.* IV, 5). Sed quid est, quod dicit : *In tempore opportuno?* Nunquid et ante adventum Christi non exstiterunt Sancti, qui orarent pro hac sua et populi ignorantia? Fuerunt plane; sed quia ipsum in carne venturum exspectabant, eumque solum Salvatorem suum esse sciebant, per ejus nimirum fidem salvati sunt. Jamque illud tempus opportunum in corde susceperant ; quia ad ipsum toto cordis desiderio nihil hæsitantes suspirabant.

(Vers. 8.) *Verum tamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.*

9. *Aqua profunda, verba ex ore viri* (*Prov.* XVIII, 4). Et de hæreticorum adinventionibus scriptum est : *Aquæ furtivæ dulciores sunt* (*Prov.* IX, 17). Per aquarum ergo diluvium, multiplicitatem intelligimus doctrinarum. A quibus nimirum Paulus non prohibet, dicens : *Doctrinis variis* 478 *et peregrinis nolite abduci* (*Hebr.* XIII, 9). Quisquis enim hæreticas et profanas novitates susceperit, longe a veritate abducitur. Et eo ad littus misericordiæ Dei non approximat, quo inanium garrulitatum fluctibus raptus, in procellosam se disputationum caliginem omnes recipiens ineptias jactat. Illis ergo tempus opportunum non est, qui de sua stulta sapientia inflati, unde Deum placare debuerant, inde eum magis per vanarum assertionum blasphemiam irritant. Et excusando excusationes in peccatis, ut ad Deum veniant non inveniunt remedium, quem per compendium confessionis possent habere placatum.

(Vers. 9.) *Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me : exsultatio mea, erue me a circumdantibus me.*

10. Quasi dicat : Illi in diluvio aquarum, id est in multiplicitate doctrinarum et excusationum, ad te non approximabunt ; sed ego, qui delictum meum cognitum tibi feci, qui injustitias meas non abscondi, qui a fidei unitate non exorbito, qui de me diffidens, de multitudine miserationum tuarum præsumo, ad te per humilitatem confessionis approximo. Nam *tu es refugium meum.* Maledictus *homo qui spem suam ponit in homine* (*Jer.* XVII, 5) ; et benedictus homo qui confidit in Domino. Impugnant me carnis illecebræ, circumveniunt ignominiosæ passiones, perturbant inordinati desideriorum tumultus ; sed eo tutius omnia despicio, quo de me vilia sentiens, in solo virtutis tuæ munimine confido. *Exsultatio mea, erue me.* In divinæ contemplationis claritate electorum mentes quanto graviores rerum temporalium tumultus tolerant, tanto in meditatione secuturæ in perpetuum felicitatis suavius exsultant. Et cum cœperint eis mundanæ perversitatis inæqualitates amarescere, tunc primum possunt internæ quietis suavitatem sentire. Et quia nihil de sæculo, nisi tristitiæ fructus colligunt, Deum solummodo suum esse gaudium ducunt. Cæterum quoniam secundum Apostolum, *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III, 12) ; ideo subjungitur : *Erue me a circumdantibus me.* Sancta etenim anima divini amoris spiculis vulnerata, cum anhelare in Deum cœperit, cum ad supernam se patriam per desiderium extendit, ad tentationem ei vertitur quidquid in hoc sæculo amicum antea blandumque putabatur ; quia qui peccantem amare consueverant, recte viventem crudeliter impugnant. Voluptates nihilominus pristinæ ad memoriam redeunt, et resistentem sibi gravi aperti certaminis perturbatione affligunt. Orat ergo, ut in his omnibus liberationis præsidium a Deo habeat, metuens ne ipso fatigationis suæ tædio devicta succumbat.

(Vers. 10.) *Intellectum tibi dabo, et instruam te : in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*

11. Pendent inferiora ex superioribus. Dixerat enim propheta superius : *Remisisti impietatem peccati mei :* nunc vero ipsius propitiationis divinæ verba interserit, in quibus significat, non solum de præteritis adeptum veniam, sed etiam de futuris peccatis divinitus sibi provisam esse cautelam, dicens : *Intellectum tibi dabo, et instruam te.* Homo *cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII, 21). Qui naturæ rationalis dignitatem contra auctoris nostri præcepta superbiendo perdidimus, per infusam cordibus nostris Spiritus sancti gratiam, quam in nobis peccatum obscuraverat, intelligentiæ lucem confessionis humiliatione revocamus. Cum enim ad secretarium cordis 479 accedimus, et quam districtus judex futurus sit, qui nunc est patiens et longanimis, consideramus ; cum ad intuenda Sanctorum præmia, et iniquorum damnationem oculos mentis attollimus ; cum de futuris incerti, ne labamur metuimus ; et ea quæ male egimus, flendo punimus ; tunc nimirum salutari a Deo intellectu accepto, de cordis nostri habitaculo ignorantiæ tenebras effugamus. Sed quia minus est recte intelligere, nisi studeat quis recte intellecta morum honestate complere, adjungitur : *Et instruam te.* Non te permittam perfunctorie voluntatis meæ arcana cognoscere ; sed et hoc tibi conferam, ut etiam bonum

[a] In Reimbol., Vatic. et Gilot., *pro populo.*

quod intellexeris, peragas; et qualiter id agendum sit, cauta consideratione discernas. Sunt namque nonnulli, qui recte quidem offerunt, sed recte dividere non sciunt, quia bonum quodlibet recta intentione incipiunt, sed habere in eodem bono opere discretionis virtutem postponunt. Hi nimirum quod bene inchoant, malo plerumque fine consummant; quia inde reatum incurrunt criminis, unde fructum habere potuerunt virtutis.

12. Quia vero nihil est bonum quod incipimus, nisi perseveranti illud fine compleamus, recte subditur: *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Quandiu hic vivimus, in via sumus, qua ad patriam tendimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi custodiunt, et operi nostro insidiantes, deceptionis suæ ubique laqueos tendunt. Facile ergo inter laqueos ambulantes labimur, nisi sapientiæ Dei ducatu gubernemur. In hac vero via ille non graditur, qui temporalium rerum vel copiam cupiens, vel inopiam metuens, a rectæ operationis studio revocatur. Sed quoniam is qui spiritu Dei operatur, non desidia corrumpitur, non timore repellitur, non labore lassatur, non incongrue subjungitur: *Qua graaieris;* quia nimirum semper de virtute in virtutem graditur, qui a sanctæ operationis studio nulla antiqui hostis calliditate superatur. Super eum ergo qui in hac via graditur, Deus oculos suos firmat; quia quicunque a boni propositi intentione non deficit, respectus ab eo divinæ misericordiæ nunquam recedit; quatenus eum semper in omnibus adjutorem habeat, ad quem indeficientis amoris desiderio incessanter anhelat. Unde et alibi per eumdem prophetam scriptum est: *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII, 16).

(Vers. 11.) *Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.*

13. Sancti viri cum mala sua superant, cum ad superna intuenda bonorum operum perfectionibus volant, nihil esse quod faciunt deputant, nisi etiam alios ab errore compescant. Scriptum enim est: *Charitas non quærit quæ sua sunt* (*I Cor.* XIII, 5). Sollicitæ ergo discretionis inspectione in secretis cordium ipsam matrem virtutum charitatem exquirunt, quam profecto se non habere comperiunt, nisi omnibus etiam inimicis eadem velint tribui, quæ sibi optant impendi. Unde sancta anima quæ per confessionis vocem peccata sibi dimissa non dubitat, et ipsius promissionis divinæ oraculo roborata, in eo quod superest viæ hostium insidias incurrere non formidat, ad proximos alloquendos convertitur, et ne ipsi ab hac immensitate pietatis Dei inveniantur exsortes, hortatur, dicens: *Nolite fieri sicut equus et mulus.* Ac si dicat: Quoniam quidem ad naturæ vestræ statum pietas divina vos revocat, et similitudinis suæ imaginem quam inobedientia destruxerat, benignitas Salvatoris nostri **480** in vobis reformat; nolite divitias bonitatis Dei contemnere, nolite sicut equus alienum sessorem indifferenter portare. Equus enim sicut dominum suum ad portandum recipit, ita etiam sine discretione alios, qui volunt ascendere, sessores admittit. Qui ergo, timore Dei postposito, qui Dominus omnium est, diabolicæ se potestati subjecerit, et animam quæ sedes sapientiæ esse debuerat, fallacis domini ditioni mancipaverit, sine intellectu procul dubio sicut equus existit. Mulus vero sicut onus domini sustinet, ita se cuilibet extraneo onerabilem præbet. Quisquis itaque Domini illius, cujus jugum suave, et cujus onus leve (*Matth.* XI, 30), præcepta rejiciens, gravissimas peccatorum sarcinas ferre non recusaverit, irrationabilem se profecto sicut mulum ostendit.

(Vers. 12.) *In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

14. Plerumque qui præcepta Dei aure cordis audire renuunt, persecutionum verberibus admonentur, ut ad virtutis amorem pœnarum dolores pertrahant, quos æternæ vitæ præmia non invitant. De quibus nimirum scriptum est: *Sola vexatio intellectum dabit auditui* (*Isai.* XXVIII, 19). Sæpe etenim amator præsentis sæculi ita ab eodem, quem diligit, mundo despicitur et impugnatur; ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat. Quod divinæ profecto dispensatione miserationis agitur: [a] quia in hoc mundo despectus, tanto celerius trahitur ad Deum, quanto nihil habet in sæculo ubi delectetur. Orat igitur fidelis anima, ut lubricos peccantium cursus mundana adversitate virtus divina coerceat: quatenus erroris sui desideria sequi non valeant; et hoc modo ad se reversi, saltem ex difficultate et impotentia peccandi resipiscant. Possumus quoque per camum et frenum verba divinæ Legis accipere: quæ quia peccantibus aliquando graviter minantur de pœna, aliquando suaviter blandiuntur de venia, dum in ora fidelium veniunt, vagos eorum gressus more freni et cami reflectunt. Maxillas constringunt, quia vocem jactantiæ comprimunt; dum qui ex vitio superbiæ solebant jactare merita, per humilitatis virtutem discunt confiteri peccata. Quare autem tantopere parvorum hominum etiam invitam conversionem exoptet, ostendit cum subdit:

(Vers. 13.) *Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

15. Qui enim per superbiam erectus contra Conditorem peccata augere non desierit, et hic curarum adversantium flagellis affligitur, et in futuro duplici nihilominus contritione conteretur (*Jerem.* XVII). Cui si ad iniquitatis suæ cumulum peccanti contigerit exterius proficere, hoc ipsum sibi est divinæ animadversionis flagella tolerare: quia modo in conspectu Dei eo ipso interius dejicitur, quo falsa gloria in conspectu hominum exterius elevatur. Et illi sua in pœnam vertitur culpa: quia hoc ipsum fuit vere intus cadere, quod foras ostenditur profecisse. Hæc quidem prædicta inconfidentes inveniunt: *Sperantem*

[a] Gilot. et Vatic., *qua in hoc.*

autem in Domino misericordia circumdabit (*Rom.* VIII, 28). Diligentibus enim Deum, omnia cooperantur in bonum. Qui in amore cœlestium fixus, sæculum perfecte despexerit, nulli omnino vanitati succumbit, nulla hunc adversitas dejicit; nulla prosperitate corrumpitur; flagellis proficit: quippe qui ea aut quæ perpetravit peccata obliterat, aut quæ perpetrare poterat, futura devitat. Et sibi omnia fore **481** existimat prospera, quæ a dilectoribus mundi putantur adversa.

(Vers. 14.) *Lætamini in Domino, et exsultate justi; et gloriamini omnes recti corde.*

16. Quasi diceret: Quandoquidem sperantes in Domino misericordiæ divinæ clypeo muniuntur, *Lætamini in Domino, et exsultate justi* (*Isa.* XLVIII, 2). Non est impiis gaudere, dicit Dominus: quia qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Et quanto quis ad temporalia acriore cura exarserit, tanto magis ab æternis damnabili torpore frigescit. Justis ergo solummodo ut in Domino lætentur dicitur: quia qui Deum toto corde non diligunt, in eo lætari, quandiu sæcularibus delectantur, non possunt. Scriptum est enim: *Quicunque amicus hujus sæculi esse voluerit, inimicus Dei constitutur* (*Jacob.* IV, 4). Neque enim possumus hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Christo. Sed justi tantum in Domino exsultant; quia ita extra mundum sunt facti, ut nec prosperari in mundo cupiant, nec adversa pati nullo tacti præsentium amore pertimescant. Et notandum, quia non solum *lætamini* dixit, sed etiam *et exsultate* adjecit: ut intelligas, eos non posse tristari in corpore, quibus divinæ claritas miserationis fulget in mente. *Et gloriamini omnes recti corde.* Illi quidem qui habent cor ad terrena distortum, non gloriantur in Domino: quia spem suam posuerunt in mundo. Vos autem qui cor vestrum secundum Dei voluntatem dirigitis, in spe beatitudinis æternæ gloriari debetis: *ut qui gloriatur, in Domino glorietur* (*II Cor.* X, 18). Illa namque sine dubio est vera gloria, quam nullius mœstitiæ obtenebrat pœna.

PROŒMIUM.

IN TERTIUM PSALMUM PŒNITENTIALEM.

Psalmus David in rememorationem de Sabbato.

Sabbatum requies interpretatur. Sabbatum humanum genus in primo parente habuit, qui quandiu in Conditoris sui obedientia perstitit, in suavissimo contemplationis divinæ lecto requievit. In paradiso namque primus homo deliciis potitus, sicut nullam in anima poterat sentire esuriem, ita etiam omnem quæ ex carne nascitur, ignorabat passionem. At postquam divini colloquii peccando familiaritatem perdidit, mortis legibus succumbens, requiem felicitatis æternæ amisit; et in procellosos mundanæ instabilitatis corruit fluctus, quia statum rectitudinis servare contempsit. Fidelis ergo anima requiem in primo homine perditam ad memoriam revocans, et futurum nihilominus vitæ æternæ Sabbatum spiritus agilitate contemplans, ab omni spiritus et carnis oppressione eripi, et ad futuram indeficientis beatitudinis requiem, consummato hujus vitæ termino, orat sine cunctatione perduci. Ait ergo:

EXPLANATIO

TERTII PSALMI PŒNITENTIALIS.

(Psal. XXXVII. — Vers. 1.) *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

1. Quasi dicat: Scio futurum esse, ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti **482** æstimo intolerabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari. Tu ergo, Domine, cui in spiritu meo servio, quem omnium Salvatorem esse cognosco, ne arguas me in furore damnationis perpetuæ, neque corripias me in ira expurgantis vindictæ. De furore et ira, quia sufficienter in superioribus exposuimus (*In psal.* VIII), iterum tractare superfluum putamus, ne eadem repetentes, legentibus fastidium generemus. Quare autem non debeat in ira corripi, et in furore damnari, subjungit cum ait:

(Vers. 2.) *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi; et confirmasti super me manum tuam.*

2. Quanto quisque plus cœperit quod amisit intelligere, tanto plus incipit corruptionis suæ sententiam, quam subivit, lugere. Fidelis ergo anima perpendens quod perdidit, considerans quod invenit, videns se a paradisi gaudiis venisse ad miserias vitæ præsentis, a societate angelorum transisse ad curas necessitatum; pensat quod subjacet periculis, quæ peccando gloriam perdidit æternæ incorruptionis. Novit etiam quia mortem nulla possit ratione evadere quæ posset, si non peccasset, semper vixisse. Has ergo sibi sagittas infixas esse conqueritur: quia jam nobis est naturaliter inditum, quod primo homini fuit pro culpæ vindicta illatum. Mortalitas et passibilitas sunt sagittæ quæ nimirum nobis infixæ sunt; quia quandiu in præsenti sæculo vivimus, ab eis liberari aliqua ratione nequimus. Dicat ergo fidelis anima: Quandoquidem pro originali commisso mortalis effectus, magnam hujus sæculi miseriam sustineo, pro me autem pœnitentiam ago; tu qui visitabis iniquitates in virga, ne impleas amaritudinibus universa; sed cum in hoc sæculo peccati pœnam lugeam, saltem in futuro districtæ animadversionis terrorem evadam. Quod ut facere debeas, *confirmasti super me manum tuam.* Sicut studiosus magister frequenter verbere puerum corripit, ita a me tuæ vindictæ manus nunquam recedit. Per manum Domini, quam super se asserit confirmatam, miseriarum frequentiam et assiduitatem intellige. Quam ideo memorat, ut tanto facilius in futuro acquiratur venia, quanto major hic fuit irrogata vindicta. Possumus etiam per sagittas verba Dei intelligere, quæ corda quidem nostra transfodiunt, cum nobis altius infixa, amoris Dei nos vulnere compungunt. Quomodo

autem sit continua hæc pœna quam patitur, ostendit, dicens :

(Vers. 3.) *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

3. Caro humana, ex quo maledictionis promeruit sententiam, portare non destitit peccati continuam pœnam. Et quia nos ejus incessanter infirmitas debilitat, iræ Dei faciem nobis indesinenter repræsentat. Portamus namque corpus mortale, doloribus obnoxium, indigentiis impeditum : quod nimirum tentationes sollicitant, sollicitudines angustant, angustiæ conterunt, contritiones affligunt; quodque etiam si aliquando videatur esse validum, ipsa sua valetudine magis invenitur infirmum. Quid enim infirmius quam assidue fame tabescere, difficultate somni languere, frigore dissolvi, æstu torreri? Quæ autem sanitas esse poterit, ubi tot malorum multitudo concurrit? Dicat ergo fidelis anima : *Non est sanitas in carne mea.* Ut videlicet corpus infirmum esse sentiat, quod tam facile passionum inæqualitas permutat. Ne autem intelligas propter peccati pœnam non infirmari in mente, **483** quia dixerat sibi non esse sanitatem in carne, subjungit : *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum* (*Psal.* I *et Psal.* II). Sicut jam dictum est, per ossa virtutes accipimus, quia sine eis nullum in anima robur habemus. Omnes autem virtutes in conspectu Dei vicaria ope se sublevant, nec virtutes veræ sunt, si a se invicem aliqua diversitate discordant. Una enim virtus sine altera, aut omnino nulla est, aut minima. Si enim aut castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas derelinquat, cum Deus detestetur tam superbiam, quam immunditiam, quomodo oculis ejus accepta erit castitas elata, vel humilitas immunda? Non enim bona accepta sunt Deo, quæ malorum admistione maculantur; quia *modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* v, 6); et qui in uno offendit, multa bona perdit; et qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. Quia ergo virtutes animæ aut vitiis impugnantur, aut plerumque elatione deprimuntur, recte nunc dicitur : *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum;* quotidieque peccatorum pœnam patior, quam in ipsa peccatorum facie contemplor. Et quia sentio pœnam, recogito culpam. Vel : *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum;* quia videlicet nullam anima mea potest habere requiem, donec aliquam peccati in se habeat recordationem.

(Vers. 4.) *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; et sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

4. Quasi dicat : Non est mirum si non est pax ossibus meis; nam iniquitates meæ gravatæ sunt super me sicut onus grave. Iniquitas in talento plumbi sedet (*Zac.* v, 7). Plerumque anima amoris Dei desiderio accenditur, adeo ut etiam ad summa ambienda sustolli videatur; sed quia gravi peccatorum pondere premitur, eo citius ad ima labitur, quo admissorum conscientia interius gravatur. Et quidem ascendere ad Deum ea qua potest virtute nititur, sed ipso suo conamine lassata, relabi compellitur. Causam vero tantæ gravitatis præmisit, cum ait : *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Nisi enim iniquitates principale cordis mei superando transcenderent, nequaquam tanta me pravorum operum depressione gravarent. Sancti namque viri, si quando in mente tentationes tolerant, illicitum cordis appetitum magna virtutis dominatione refrenant : ne si in aliquo lapsu tentatori consentiant, non jam cogitationum suarum, sed servi crudelium dominorum existant. Cum enim diabolicis anima subesse suasionibus cœperit, quanto se hosti callido crebrius subjicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit; ut ei jam in nullo resistere valeat, qui in uno sui oblita assensum præstat. Solerter itaque vigilandum est, ut cum pulsare mentem culpa inchoat, peractam culpam quis finis sequitur, attendat; ne si malæ suasionis blandimenta non perspiciat, in nequissimæ tenebras perpetrationis nesciens ruat.

(Vers. 5.) *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.*

5. Fidelis anima quæ in seipsam, sibi non parcens, vehitur, deteriora adhuc de se quam prius dixerat, confitetur, dicens : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ.* Super curatum vulnus cicatrix obducitur, dum signum præteritæ plagæ in resarcita cute monstratur. Quæ nimirum cicatrix necessario corrumpitur, si caro sanata iterum vulneratur. Ubi quanto magis extenditur inæqualitas corporis, tanto difficilius ostenditur efficacia curationis. **484** Sed quid per vulnus, nisi peccatum exprimitur? Quid vero per cicatricem, nisi pœnitentiæ actio designatur? Qui enim per pœnitentiæ lamenta peccatum corripit, quasi cicatricem vulneri superducit. Quod si dimissæ nequitiæ mentem iterum ad delectationem pertrahunt, superductæ vulneri cicatrices putrescunt. Cicatrices namque putrescere, est sanata jam peccatorum vulnera rursum in tentationem serpere, atque de eorum iteratione delectationem sentire. Cicatrices computrescere, est ex peccatorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ, dolorem iterum culpæ in occulto cordis per putridas cogitationes perpeti, et tandem per opus miserum quasi effuso fœtore corrumpi. Quare autem hoc sibi contigit, ostendit cum ait : *A facie insipientiæ meæ.* Sicut summa prudentia est aliquem post acceptam pœnitentiam sollicitæ sibi circumspectionis studio in posterum prospicere, ita miserabilis insipientiæ est in istius vitæ ambiguo quasi accepta securitate dormire. Per insipientiam ergo negligentiæ, vulnus jam sanatum computruit; quia dum per studium vigilantiæ mens ingrata sibi in posterum providere noluerit, miserabilius ea quæ prius abdicaverat, mala committit.

(Vers. 6.) *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem; tota die contristatus ingrediebar.*

6. Tanto unaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto fuerit despectior ante oculos suos. Quid autem infelicius, quam infelicitatem suam non cognoscere, et inter ipsa vitæ discrimina nullum infirmitatis dolorem sentire? Sicut enim phrenetici mentis alienationem tolerant, cum se non solum nihil pati, sed etiam incolumes putent; ita qui mortali carne circumdatus, ærumnas præsentis vitæ non senserit, a virtute sapientiæ alienus existit. Innumerabiles namque humanæ dejectionis miseriæ, sicut corda justorum gravi tristitiæ dolore convulnerant, ita iniquorum mentes ipsa sua importunitate delectant. Cum enim omni vanitati [a] patentes, sola quæ carnis sunt cogitant, et lacrymarum causas tripudiantes peragunt, mortis suæ negotium ridentes exsequuntur. De quibus profecto scriptum est : *Quia lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II, 14). Verum qui ad Sabbatum quietis æternæ pervenire desiderat, circumspecta quas patitur miseriarum multitudine, seipsum humilians dicat : *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem.* Usque in finem curvatur, qui iniquæ voluntatis studium usque ad effectum pravi operis, terrenis inhians, protrahit; et ad cœlestia ambienda non solum non per gradum operis, sed nec per intentionis volatum assurgit.

7. Sed quia culpam sæpe sequitur pœnitentia, et plerumque qui cadit, adjicit ut resurgat, sequitur : *Tota die contristatus ingrediebar.* Cum sollicito se timore mens humana circumspiciens, modo quæ egit mala enumerat; modo quæ agere neglexit bona ad memoriam revocat; modo reprehensibilia esse in quibus versatur, conspicit; modo sibi recta opera adhuc deesse perpendit : quia malorum tantorum in se remedium non invenit, tristitiæ intolerabilis pondere prægravata tabescit; et tanto se durius in cogitatione dilaniat, quanto terribilius esse quod imminet judicium pensat. Tota autem die contristatus ingreditur, qui miseriam esse deputat, si quando ei prosperitas sæculi fallaciter pernicioseque blanditur, sicut in Canticis canticorum Sponsus ad sponsam loquitur, dicens : *Oculi tui columbarum* (*Cant.* IV, 1). **485** Columba enim pro cantu gemitum habet. Quia ergo sancti viri sæculi blandimenta timentes et dolentes cum luctu et gemitu tolerant, in quibus amatores mundi securi et gaudentes exsultant, sancta Ecclesia columbis assimilatur; quia inde sanctus omnis cum dolore ingemiscit, unde iniquus quisque cum gaudio hilarescit. Unde per Salomonem dicitur : *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* (*Eccl.* II, 2.) Quare autem contristatus viam præsentis vitæ ingrediatur, ostendit dicens :

(Vers. 7.) *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus; et non est sanitas in carne mea.*

8. In lumbis carnalis delectatio continetur, et inde nimirum humana generatio propagatur. Possum ergo per lumbos animam accipere; quia sicut ex lumbis carnales delectationes prodeunt, ita ex anima omnes cogitationes procedunt. Deinde cum illiciti operis tentatio subrepit, per vanarum cogitationum phantasmata spiritus malignus illudit. Sæpe namque sanctorum etiam virorum mentes, cogitationes illicitæ polluunt; et eas jam ad summa tendentes, terrenarum rerum delectationibus tangunt. Sæpe etiam in ipso orationis tempore importune se illis ingerunt, ut hoc ipsum sacrificium aliquo modo commaculare valeant, quod in odore suavitatis Deo acceptum, contrito corde et contribulato spiritu mactatur. Quod nobis aperte illud quod de Abraham scriptum est (*Gen.* XV, 11), innuit; quia circa solis occasum sacrificium offerens, insistentes aves pertulit, quas ne oblatum raperent sacrificium, sollicite abigere curavit. Nos ergo si quando in ara cordis sacrificium Deo offerimus, a malignis hoc spiritibus sollicite custodiamus; ne tenebrosarum importunitates cogitationum hoc aliquando valeant diripere, quod Deo speramus utiliter offerre. Quod autem sequitur : *Non est sanitas in carne mea;* idem est quod ait Apostolus : *Non invenio in me, hoc est in carne mea, bonum* (*Rom.* VII, 18). Omnia namque corporis membra quæ ad usum vitæ accipimus, ad erroris materiam inclinamus. Oculos enim ad videndum obscena et turpia inflectimus; aures libenter ad audiendas detractiones accommodamus; illecebrosos odoratus naribus haurire concupiscimus; iniquitatem in excelso loquimur, et inter fratres discordiam seminamus; salutem etiam corporis redigimus in usum vitiorum; omnia tandem quibus uti utiliter possemus ad Dei servitium, in pravi operis convertimus instrumentum. Non est in carne nostra sanitas; quia nulla pars nostri corporis intentata remanet, per quam nos peccati desiderium non titillet. Sequitur :

(Vers. 8.) *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : rugiebam a gemitu cordis mei.*

9. Qui enim dixerat, *Non est sanitas in carne mea :* ne forte in anima nihil pati putaretur, subjecit : *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis.* Ut intelligas in anima gravissimo iniquitatis pondere obrutum, quem in carne vides tot miseriis et passionibus afflictum. Peccatum enim sicut peccantis mentem retibus delectationum illaqueat, ita etiam implicitam quasi mole superposita gravat; ut ad sublimia levari jam non valeat, quoniam iniquitatis eam gravitudo coarctat, sicut per Psalmistam dicitur : *Filii hominum, usquequo gravi corde?* (*Psal.* IV, 3). Plerumque enim et quæ agenda sunt bona conspicimus, et ad hæc assurgere cordis desiderio non valemus. Et si forte mens aliquando ad bonum anhelare inchoat, **486** gravitas quam sustinet, cogit ut cadat, quia ex pœna peccati est ut a bono quod per rationis judicium clare conspicitur, per vitæ meritum anima infirma pellatur. Unde fit ut quia ad supernam lucem intuendam non valet ascendere, peccatis exigentibus delectetur in tenebris jacere; et

[a] Rembol., *parentes.*

quam a supernis dejecit necessitas, eam in infimis illicita teneat voluptas. Nimis ergo humiliatus est, qui ex peccati pœna non solum cœlestia non appetit, sed etiam carnalibus et terrenis cum amore et delectatione intendit. Sed quia plerumque tanto citius ad Deum anima convertitur, quanto longius se ab eo separatam intuetur, adjungitur : *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Rugitus, gemitus est cordis cum magno dolore, quia quanto vehementius pœnitentis animum concutit, tanto velocius ad aures divinæ misericordiæ conscendit. Et notandum quod dixit : *A gemitu cordis mei*, quia sicut dolorem carnis generat amissio pecuniæ et pignorum, ita cordis dolorem confert exterminatio virtutum.

(Vers. 9.) *Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus a te non est absconditus.*

10. Tale est desiderium meum, ut dignum sit in conspectu tuo. Quia enim requiem, pro qua semper est orandum, desidero, esse coram te desiderium meum confido. Sancti viri, quia mundi gloriam contemnentes, supernæ claritatis lumine illustrari solummodo cupiunt, divinæ majestatis conspectui semper assistunt. Cum enim sola cœlestia appetunt, usque ad contemplandum Deum per mentis desiderium ascendunt. Et quia quam dulcis est Dominus interius sentiunt, nunquam ab eo per pravæ voluntatis studium recedunt. Si enim a Deo Elias propheta aliquo modo discessisset, nequaquam dixisset : *Vivit Dominus, ante cujus conspectum sto* (*III Reg.* XVII, 1). Quo contra de reprobis dicitur : *Non apparebit in conspectu Dei omnis hypocrita* (*Job.* XIII, 16). Hypocrita enim nequaquam cœlos penetrat, quia per opus bonum non Deum, sed humanas laudes, vel transitorios quæstus affectat. Et quia ad Deum desiderium non dirigit, se ab ejus oculis sub nequitiæ latebris abscondit. Qui autem per amorem spiritus cœlestia appetit, oculis Dei intentionem suam ostendit. Despiciamus ergo terrena, et amemus cœlestia, ut possimus et nos dicere cum Propheta : *Domine, ante te omne desiderium meum.* Qui Deum amat, ipsum solum desiderat. Qui autem eum desiderat, ad ipsum cordis voce clamare non cessat. Nisi enim de corde desiderantis, magnus ad aures misericordis Dei clamor procederet, nequaquam Moysi diceretur : *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV, 15)? Sicut ergo frigescente charitate cor a bonis silet, ita clamorem emittit, cum charitas fervet. Et notandum quia dicturus *desiderium*, præmisit, *omne*, ut intelligas illud Deo non posse placere desiderium, quod pravæ voluntatis commaculat additamentum. *Et gemitus meus a te non est absconditus.* Omne desiderium in pœnam convertitur, si non cito evenerit quod optatur. Desiderium enim non sustinet, quia sicut scriptum est : *Cupiditati ipsa celeritas tarda est, et cupienti animo nihil satis festinatur.* Quisquis ergo de Deo in corde desiderium concipit, quia statim quod optat non obtinet, ingemiscit. Igitur [a] hoc animo cum præmisisset desiderium, statim adjecit gemitum, dicens : *Et gemitus meus a te non est absconditus.* Quasi dicat : Quia desiderium quod de te concipio, per judicium approbas, ideo dolorem quem inde sustineo, **487**, non ignoras. Scire enim Dei approbare est, sed nescire est reprobare. Moysi namque dicit : *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII, 12). Et reprobis in fine dicturus est : *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12). Non ergo a Deo absconditur gemitus qui illi spiritui qui discretor est cogitationum, existit acceptus.

(Vers. 10.) *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.*

11. Ac si dicat : Non est mirum si doleo, si gemo ; nam *cor meum conturbatum est in me.* Latrones enim timeo, temporalia damna formido, cœli motus et terræ perhorresco, undique sollicitudinibus angustor, undique angustiis premor, undique pressuris dejicior. Adversitas me deprimit, successus extollit, convicia commovent, adulationes demulcent. Hæc autem omnia ideo patior, *Quia dereliquit me virtus mea.* Humanum cor ad omnem tentationis impulsum facile concutitur, si virtute constantiæ interius non firmatur. Possumus quoque per hanc virtutem, rationalitatem accipere, quæ ita in nobis per peccatum primi parentis hebetata est, ut Dei in nobis offuscantes imaginem, creaturas sequentes, relinquamus Creatorem. Sequitur : *Lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Solet plerumque animæ peccanti contingere, ut mox cum in culpam labitur, et a sui cognitione longius separetur. Peccatum enim ipsum quod peragit, quasi murum quemdam oculis se mentis opponit ; adeo ut nec unde ceciderit conspicere valeat, nec bonum quod sibi quærendum sit, cognoscat. Voluntariis namque tenebris obvoluta, quanto malis tenacius adhæserit, tanto difficilius intelligit bona perpetua, quæ amisit. Lux quippe veritatis pravorum culpas subtiliter examinans, si ab opere repellitur, nequaquam in corde versatur. Districto enim et occulto agitur judicio, ut a quo inventa negligitur, ab eo postmodum nec amissa requiratur ; et qui illam non servat in opere, notitiam illius non habeat in corde. Sed tunc homo lumen quodammodo intelligentiæ habere incipit, cum cæcitatis suæ tenebras recognoscit. Quicunque ergo claritate luminis divini illustrari desiderat, ignorantiæ suæ primitus agnoscens caliginem, dicat : *Lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.* Nec vacat quod ait, *Et ipsum.* Ipsum, sine quo cor humanum in tenebris est, sine quo vivere non valeo, sine quo bonum a malo discernere non queo. Sequitur :

(Vers. 11.) *Amici mei et proximi mei, adversum me appropinquaverunt et steterunt.*

12. Sciendum nobis est, quod hi qui spiritu prophetiæ replentur, sicut aliquando verba de se quasi de aliis proferunt, ita nonnunquam de Deo quasi de seipsis loquuntur : ut in hoc quoque quod unum cum Deo sint innuant, cum Dei opera quasi sint sua narrant. Sic etiam fideles quique, quia in corpore Christi, quod est Ecclesia, positi, membra sunt Christi (*Col.* I),

[a] Rembol. *hoc anima.*

de eo quasi de seipsis aliquando loquuntur : ut dum verba capitis sui, Christum induti, quasi sint sua enuntiant, alium esse qui per ipsos profatur, ostendant. Spiritus enim sanctus per eos loquitur, sicut ipsa Veritas apostolis loquens testatur. Ait enim : *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20). Hinc etiam Paulus ait : *An quæritis experimentum ejus, qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII, 3)? Ipse est enim qui dixit : *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* (*Psal.* LXXX, 11). Ipse etiam ait : *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum* (*Isai* LII, 6). Cum itaque non prophetas, **488** sed se locutum esse denuntiat, profecto quia ipse in eis loqueretur, affirmat. Non autem admirandum est, si de seipso aliquando loquitur, qui intus præsidet; quandoquidem ipse est qui os et animam per officium obsequentis adimplet. Sic ergo et in hoc loco, enumeratis aliquibus humanæ infirmitatis miseriis, passionem suam commemorat, ut capiti congruere quod convenit membris ostendat, et fiat nobis magnum consolationis remedium, si illum etiam passionis nostræ fieri participem cognoscimus, quem laborum quos patimur, futurum remuneratorem speramus; sicut etiam alias loquitur : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* XV, 20). Ait ergo : *Amici mei et proximi mei, adversum me appropinquaverunt et steterunt.* Quasi dicat : Non solum membra mea illis quibus prædictum est modis conturbantur, sed etiam ego, ut virtutem in primo parente perditam eis restituam, conturbationem auferam, lumen nihilominus amissum reddam, solus inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 6), factus sum obediens Patri usque ad mortem. In qua morte, *amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt* (*Philip.* II, 8). Multi ex Judæis amicos se Christi dicebant, multi eum miracula facientem sequebantur, multi eum Dominum, multi vocabant magistrum ; sicut legis doctor, qui cum vellet eum capere in sermone, dicebat : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces* (*Matth.* XXII, 16). Proximos quoque eosdem appellat Judæos, secundum carnis sibi cognationem propinquos. *Neque enim fratres ejus credebant in eum* (*Joan.* VII, 5). Qui omnes appropinquaverunt Christo, non mente, sed corpore; non passibus fidei, sed processu nequitiæ; non voluntate sequendi, sed intentione nocendi. Quod factum est, quando congregati in atrio principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, consilium fecerunt ut eum dolo caperent, et occiderent (*Matth.* XXVI). Adversus eum steterunt, quando constanter accusabant eum, et quando clamantes dicebant : *Crucifige, crucifige eum* (*Marc.* XV, 13).

(Vers. 12.) *Et qui juxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam.*

13. Scriptum est enim : *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt* (*Matth.* XXVI, 56). Et iterum : *Stabant autem noti ejus de longe* (*Luc.* XXIII, 49). Et *vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Volente Pilato Christum dimittere, Judæi clamabant : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari* (*Joan.* XIX, 12). Vim ergo faciebant, qui judicem injuste judicare minis et clamoribus urgebant. Animam Christi Judæi quærebant, non ut in eum crederent, sed ut illum perderent. Vel aliter : *Vim faciebant,* quia sua vi et potestate Christo mortem inferre putabant. Sed ipse eis dicebat : *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam, et iterum sumo eam* (*Joan.* XVIII, 18). Et iterum : *Potestatem habeo ponendi animam* (*Ibidem*).

(Vers. 13.) *Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.*

14. Mala Christo principes sacerdotum inquirebant, quando falsum testimonium contra eum, sicut Evangelica lectio testatur, quærebant. Et omnibus inquisitis, *locuti sunt vanitates.* Dicit enim Evangelista : *Quia non erat conveniens testimonium ipsorum* (*Marc.* XIV, 59), sicut illorum qui dicebant : *Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et in tribus diebus reædificare illud* (*Matt.* XXVI, 61). Et *dolos tota die meditabantur.* Non enim casu aut ignorantia peccaverunt, [a] qui scienter mendacia confinxerunt. Graviori ergo pœna plectuntur, quia eorum delicta qui ex præcipitatione **489** corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt, sicut in eadem passione sua Veritas ait : *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (*Joan.* XIX, 11). Et alibi : *Si non venissem, et loquutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Ibid.* XV, 22). Et iterum : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent ; nunc autem et viderunt et oderunt, et me, et Patrem meum* (*Ibid.* XXIV). Tribus namque modis peccatum admittitur : aut ignorantia incurritur, aut infirmitate committitur, aut studio perpetratur. Sed sicut gravius est infirmitate quam ignorantia delinquere, ita pejus est studio, quam infirmitate peccare. Ignoranter quidem Paulus peccaverat, qui dicebat : *Qui prius fui blasphemus et persecutor, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (*I Tim.* I, 13). Per infirmitatem vero Petrus cecidit, quando mentis suæ ædificium, fidei fundamento titubante concussit. Et quia subire mortem pertimuit, ad ostiariæ vocem vitam negavit (*Luc.* XXII, 61). Unde post fletum amaritudinis a Domino respicitur, quia electi quique eo citius miserationis divinæ divitias inveniunt, quo se, si quando per carnis infirmitatem deliquerunt, durius et amarius affligunt. Ex industria autem Judæi peccaverunt, qui eum quem inaudita miracula facientem videbant, exsecrabilis invidiæ facibus accensi, ut morti traderent, consilium quærebant. Unde excusationem de peccato suo non habent, quia etsi malum sit bona non agere, tamen nequius est bonorum acta odisse.

(Vers. 14.) *Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.*

15. Disce qui maledicta et irrisiones pateris, in omnibus servare patientiam, et obtrectantium linguas audire. Dissimula, ne si tu contumeliis convicia retu-

[a] Rembol., *qui conscienter.*

:eris, a doctrina Christi extorris inveniaris. Mediator namque Dei et hominum homo Christus Jesus (*I Tim.* II, 5), qui ad hoc venerat, ut humilitatis et patientiæ præberet exemplum, non solum injurias sustulit, sed nec conviciantibus respondit : nos in hoc instruens, ut cum perfidorum injuriis impetimur, etiam si vera dicere possumus, ad contumelias reddendas non erumpamus, ne ministerium correptionis in arma vertamus furoris.

(Vers. 15.) *Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

16. Sicut homo non audiens erat, cui nihil ad objecta respondenti, Pilatus dicebat : *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia* (*Matth.* XXVII, 13) ? Qui cogitationes iniquorum noverat, blasphemantium voces non audiebat. Nulla enim blasphemia eum movere poterat, qui penitus omnem mutabilitatem ignorat, et qui posset eis vera pro falsis respondere, ut adimpleretur quod de eo per prophetam scriptum est : *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7). Redargutiones enim in ore suo Christus non habebat, qui unde eos reprehenderet, nihil in cordibus, nihil in actibus eorum laudabile videbat. In ore redargutiones non habebat, qui unde eos reprehenderet, in promptu habebat, et in ore suo habebat unde posset eos redarguere, ex quo nullus unquam potuit mendacium audire.

(Vers. 16.) *Quoniam in te, Domine, speravi : tu exaudies me, Domine Deus meus.*

17. Quasi dicat : Ideo omnia patienter sustinui, ideo ad eorum contumelias non respondi, *quoniam in te Domine speravi.* Tibi *enim, Domine, revelavi* **490** *causam meam* (*Jerem.* XX, 12); in te, Domine, speravi ; non in sapientia sæculi, non in divitiis mundi, non in viribus corporis, non in nobilitate carnis, non in tutamento principum, non in præsidiis amicorum. Verba sunt hæc Christi secundum humanam naturam. Sic ergo et membrum Christi, si quando persecutionibus affligitur, si flagellis atteritur, si conviciis provocatur, illum qui propositus est nobis forma justitiæ, in omnibus imitetur : non deficiat si causa sua non auditur apud terrenum judicem, sciens quoniam conscium habet in excelsis regem cœlestem (*Job.* XVI). Speret, quia si in hoc sæculo immerito accipit damnationis sententiam, a Deo accipiet in cœlo coronam. Sciat quia retributionis æternæ gaudium nequaquam in cœlo colligitur, nisi prius in terra cum fletu et gemitu et amaritudine seminetur, sicut scriptum est : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV, 6). Sicut enim carne quiescente spiritus deficit, ita ea laborante convalescit. Et quemadmodum carnem mollia nutriunt, ita animam dura ad alta sustollunt. Illa namque delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Denique illam lenia refovent, istam vero aspera exercent. Et rursum, sicut carnem dura convulnerant, ita spiritum mollia necant. Et sicut carnem laboriosa attenuant, ita spiritum delectabilia angustant. Nos ergo quanto graviora in hoc mundo tentamenta perferimus, tanto spei nostræ anchoram in Deo immobilius figimus, ut dicere veraciter cum capite nostro possimus : *Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.*

(Vers. 17.) *Quia dixi : Ne quando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.*

18. Gavisi sunt Judæi occiso Christo, sed non sunt ei supergavisi, quia in causa mortis ejus ipso sunt inferiores inventi. Qui enim ut a morte redimeret hominem, mortis legibus subjacuit, tertia mox die victoriosissime a mortuis surrexit. Hoc est quod ante omnia sæcula clementissimæ dispensationis moderamine sapientia Dei statuerat ; hoc est quod caro sine contagione peccati assumpta evidenter rogabat, cum diceret : *Pater, clarifica Filium tuum* (*Joan.* XVII, 1). Hoc etiam multo ante tempore per Prophetam manifestaverat, dicens : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10). *Ipse enim dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Sequitur : *Et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Pedes dicti sunt Apostoli, quia sicut pedes corpus deferunt, ita Apostoli Christum in omnium gentium notitiam detulerunt, juxta quod scriptum est : *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Qui nimirum commoti sunt, quando eum quem pati viderunt, esse filium Dei dubitaverunt, sicut ille qui dicebat : *Nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV, 21). Pedibus ergo commotis, super Christum inimici ejus magna locuti sunt, quia apostolis conturbatis et fugientibus, Judæi illum reum esse mortis judicaverunt.

16. Possunt quoque hæc verba fideli animæ convenire. Habet namque fidelis anima inimicos suos in hac vita ; habet qui contra eam interius dimicent ; habet etiam qui eam extrinsecus impugnent. Sed super eam inimici gaudere non valent, quia consilii spiritu et fortitudinis repleta, et suggestiones diabolicas abdicat, et rabiem persequentium caleat. Cujus affectus, si timore aliquo senserint qui persequuntur arcem intentionis, proposito **491** promoveri ; vel si cognoverint invisibiles hostes pravis eam suggestionibus delectari, tanto graviores tentationes ingerunt, quanto magis de victoria confidentes, quasi unum ingrediendi aditum invenerunt. Difficile enim inimico resistitur, si persuasionibus illius anima delectatur. Ideo ut non supergaudeant mihi inimici mei, confido.

(Vers. 18.) *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.*

20. Malo enim occidi quam vinci. Flagella libenter patior, persecutiones amplector, visitationes desidero, correptiones concupisco. Sancti viri in hac vita flagellari desiderant, ut flagellis correcti, et imminentes culpas videant, et commissas ante oculos ponant. Sæpe enim delinquentes oculos flagella ape-

riunt, quos inter vitia insolentiæ et securitatis tenebræ concludunt. Sæpe torpentis animus persecutionibus tangitur ut excitetur : quatenus qui statum suæ rectitudinis per securitatem perdidit, in afflictione consideret quo pervenit. Sequitur : *Et dolor meus in conspectu meo semper.* Sicut causam reddidit quare visibiles inimicos non timeat, quasi imputet beneficio quod ipsi inferunt pro tormento, ita etiam quare versutias diaboli non timeat, subdendo manifestat : *Et dolor meus in conspectu meo semper.* Scriptum est enim : *Cor quod cognovit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus* (*Prov.* XIV, 10). Nam qui omnes vitæ præsentis ærumnas frequenter cogitat, quam sunt tranquilla quæ perdidit, quam confusa in quibus incidit, pensat, quia qui supernæ patriæ desideriis accensus, mundo nequam et concupiscentiis ejus moritur, nullis vanitatis mundanæ delectationibus occupatur.

(Vers. 19.) *Quoniam iniquitatem meam ego annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.*

21. Qui peccatum suum confitendo annuntiat, et pro ejusdem peccati satisfactione cogitare non cessat, quia nullam in mundo invenit requiem, in conspectu suo semper habet dolorem. Unde cum dixisset : *Dolor meus in conspectu meo semper*, quasi quomodo hoc fieri possit quæreremus, subjecit dicens : *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.* Hæc sunt namque veræ humilitatis testimonia, et iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis nuntiare, et nuntiatam pœnitentiæ satisfactione delere. At contra, omne pravorum hominum vitium est, et peccatum labendo [*Nonne leg.* latendo?] committere, et commissum negando abscondere, et vulgatum defendendo multiplicare. Sciendum tamen est quia peccata sua sæpe et reprobi confitendo aperiunt ; sed quia novæ vitæ habitum immutare despiciunt, ea ipsa quæ confitentur, flere obstinati contemnunt. Electi vero culpas suas non solum voce confessionis denuntiant, sed etiam districtæ animadversionis eas fletibus abolere procurant. Ad pœnitentiæ namque se lamenta incitantes, occulta se increpatione dilaniant, et futuri judicii timore percussi, si qua in eis adhuc male gesta lateant, diligenter investigant. Sæpe enim quod torpentes latuit, flentibus innotescit. Et qui reatum suum securi nesciunt, hunc in se contra se erecti deprehendunt. Cogitemus ergo et nos pro peccato nostro, et amara illud pœnitentiæ invectione persequamur, ne dum culpas nostras pensare negligimus, peccati pondus per negligentiam augeamus. Sequitur :

(Vers. 20.) *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me : et multiplicati sunt qui oderunt me inique.*

492 22. Occulti dispensatione consilii, Conditor noster et culpas mortalium inspicit, et spatia vitæ disponit, ut diuturnæ vitæ tempora quibus justus utitur ad bene operandi auxilium, iniquus accipiat ad damnationis augmentum. Si enim accepta quis pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus cum venerit judex, indulta misericordiæ spatia convertit ad pœnam. *Et confirmati sunt super me.* Ad hoc namque omnipotens Deus aliquando perversos patitur diutius vivere, ut et ipsi male viventes prava quotidie opera augeant, et contemptores sæculi ex eorum nihilominus persecutione clarescant. Qui fastu superbiæ tumentes, eo se gravius adversus electos erigunt, quo in mundo eis cuncta ad votum succedunt. Nec intelligunt, quod in vita sua plerumque bona mali recipiant, et ideo eos aut raro, aut nunquam adversa conturbant. Nam et iniquitatum suarum fautores perditos quosque eo citius ii tales inveniunt, quo mundi gloriam quæstu et muneribus quærunt. Unde et subditur : *Et multiplicati sunt qui oderunt me inique.* Nihil est iniquius quam odium pro dilectione rependere, mala pro bonis retribuere, pro correptione injurias respondere. Quod plerumque mali faciunt, cum justos qui eorum salvationem appetunt, execrabilis nequitiæ percussionibus affligunt. Atque ideo subjungit :

(Vers. 21.) *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

23. Qui reddit mala pro malis, bonus non est. Qui non reddit bona pro bonis, ingratus est. Qui autem reddit mala pro bonis, iniquus est. Solent namque perditi homines bene viventibus invidiose detrahere, aut notam eis excogitati criminis infigere, aut puræ vitæ innocentiam, simulationem vocare. Quare autem hoc faciant, ostendit cum ait : *Quoniam sequebar bonitatem.* Bonitatem sequitur qui Christum imitatur. Cujus imitatores tanto in hac vita graviora tentamenta perferunt, quanto longius corde a mundo discedunt. Dicit enim Apostolus : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III, 12). Et alibi scriptum est : *Multæ tribulationes justorum* (*Psal.* XXXIII, 20). Justi namque qui ea quæ Dei sunt, tota intentione desiderant, et supra mundum facti, mundana omnia quadam virtute dominationis conculcant, non solum in occulto cordis diabolicas infestationes tolerant, sed etiam perversorum malitiam decore suæ conversationis inflammant. Verum quia ad superandum nullus invenitur idoneus, nisi qui fuerit virtutis divinæ fortitudine roboratus ; qui persecutorum flagellis atteritur, qui detrahentium dentibus mordetur, præsentiam et auxilium divinæ majestatis expostulat, ut ejus fultus præsidio, contra omnia quæ patitur adversa convalescat. Ait ergo :

(Vers. 22.) *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.*

24. Illos procul dubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit. Necessario enim sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicunque a Deo fuerit derelictus. Qui ergo tentamenta diaboli metuit, qui pati in hoc sæculo adversa pertimescit, ad Deum tota virtute se convertat ; clamet ad Deum medullis cordis, et dicat : *Ne derelinquas*

me, Domine Deus meus. Quod verbum si cum affectu et desiderio sæpe replicare studuerit, puto quod quamdam in eo dulcedinem sentiet, quam sermo noster explicare non valet. **493** Sequitur : *Ne discesseris a me.* Sancta anima quæ solum Deum perfecte desiderat precatur, ut nec ad horam Deus ab illa discedat. Novit enim quia inter inimicos graditur, novit quia omni tempore diabolus sibi adversatur. Quia ergo omni tempore intelligit sibi imminere pericula, etiam momento temporis non potest esse secura.

(Vers. 23.) *Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.*

25. Quasi dicat : Tu qui es adjutor in opportunitatibus in tribulatione, noli me velut alienum negligere, noli velut extraneum abdicare; immo *intende in adjutorium meum*, tuque me inter lethifera tentationum jacula protege, tu ab omni inimicorum incursione defende, tu in corde meo intelligentiæ lucem illumina, [a] tu me auxilio tuæ virtutis circumda. Quod bene debes facere, quia *tu es Dominus meus.* Te enim solum habeo Dominum, te solum confiteor Deum. Congruum ergo videtur, ut qui es restitutor salutis in primo parente perditæ, sis et conservator ejusdem in me per gratiam restitutæ.

PROŒMIUM

IN QUARTUM PSALMUM POENITENTIALEM.

Cum venit Nathan propheta ad David, quando intravit ad Bethsabee.

Nota est historia de qua titulus iste sumptus est (*II Reg.* XI). David enim captus pulchritudine Bethsabee uxoris Uriæ, non solum cum ea carnaliter coiit, sed etiam occiso viro eam sibi in conjugium copulavit. Postea vero cum venisset ad eum Nathan propheta, eumque suo judicio, inducta de ovibus similitudine condemnasset, non solum peccatum celare vel defendere noluit, sed etiam confessus quod fecerat, ad dura se pœnitentiæ lamenta convertit (*II Reg.* XII). In psalmo tamen nulla fit de historia mentio, sed magna cognoscitur animi dolentis affectio. Admonemur autem in hoc psalmo prospera metuere, et contra omnem sæculi felicitatem acrius vigilare. Sæpe namque præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta. Sicut enim per fletus ad gaudia ducimur, ita per gaudia ad fletum pervenitur. Ille nempe qui dixit : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5), ipsemet ait : *Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis* (*Luc.* VI, 25). Quis sanctior David? qui cum Saulis persecutionibus urgeretur, non solum persequentem occidere non voluit, sed ipsi persecutori, cum ipsum occidere posset, pepercit (*I Reg.* XXIV). Tanto enim in Dei misericordia spem suam fixerat, quanto miserabilius infirmitatem suæ tribulationis sentiebat. Verum ubi devictis hostibus, pressuris caruit, homicidium adulterio incaute securus adjecit. Admonemur etiam in hoc psalmo carnales cupiditates restringere, et de Dei misericordia nunquam desperare. Quisquis ergo desperans de venia, agere pœnitentiam dubitat, David pœnitentiam ad animum reducat (*II Reg.* XI). Audiamus et nos David clamantem, et nos cum eo clamemus; gementem, et congemiscamus. Audiamus flentem, et collacrymemur; correctum, et collætemur.

EXPOSITIO

PSALMI QUARTI POENITENTIALIS.

(Psal. L.—Vers. 1.) *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

494 1. Ponamus ante mentis oculos aliquem graviter vulneratum, et vix jam ultimos hujus vitalis auræ trahentem anhelitus, qui et nudus in sterquilinio jaceat, et vulnus nondum ligatum ostendat, advenientis medici desiderio confici, et agnitum ut sui misereatur precari. Vulnus enim animæ peccatum est, de quo dicitur : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo* (*Isai.* I, 6). Agnosce interius, vulnerate, medicum tuum, et ei peccatorum tuorum vulnera detege. Audiat cordis tui gemitum, cui omne patet cogitationis arcanum. Moveant illum lacrymæ tuæ, et quadam illum importunitate quærendi, semper ad eum alta de profundo cordis suspiria educito : perveniat ad eum dolor tuus, ut dicatur etiam tibi : *Transtulit Dominus peccatum tuum* (*II Reg.* XII, 13). Clama cum David ; vide quid ipse dixerit : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Quasi diceret : Ingenti vulnere periclitor, quod nullus medicorum curare valeat, nisi medicus ille qui est omnipotens, succurrat. Omnipotenti enim medico nihil est insanabile; qui sicut medetur sine pretio, ita salutem restituit verbo. Desperarem ergo de vulnere, si non præsumerem de omnipotente. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Quærant parvam misericordiam, qui ignoranter contrahunt culpam. Ego autem sicut graviter cecidi, ita etiam scienter peccavi. Sed tu, omnipotens medice, et contemptores corrigis, et nescientes instruis, et confitentibus ignoscis. Utinam, Domine Jesu, ad me misericordia motus digneris accedere (*Luc.* X), qui descendens ab Jerusalem in Jericho, proruens scilicet de summis ad infima, de vitalibus ad infirma, in angelos tenebrarum incidi, qui non solum gratiæ spiritalis mihi vestimentum abstulerunt, sed etiam plagis impositis semivivum reliquerunt. Utinam peccatorum meorum vulnera, data mihi recuperandæ salutis fiducia, alliges, ne deterius sæviant si sanari desperent. Utinam oleum mihi remissionis adhibeas, et vinum compunctionis infundas. Quod si in jumentum tuum me imposueris, de terra inopem, pauperem de stercore suscitabis (*Psal.* CXII). Tu es enim qui peccata nostra pertulisti, qui pro nobis quæ non rapueras exsolvisti (*I Petr.* II). Si in stabulum me Ecclesiæ tuæ duxeris, corporis et sanguinis tui me refectione cibabis. Si curam mei egeris, nec præcepta tua prætereo, nec frementium rabiem bestiarum incurro.

[a] Gilot. et Vatic., *tu me ab omni malo, auxilio*, etc.

Custodia enim tua indigeo, quandiu carnem hanc corruptibilem porto. Audi ergo me, Samaritane, spoliatum et vulneratum, flentem et gementem, invocantem, et cum David clamantem : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

(Vers. 2.) *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

2. Peccata mea magna sunt et multa, et ideo non solum magnam misericordiam expeto, sed etiam multitudinem miserationum tuarum requiro, ne pro aliis quod metuo subeam supplicium, si unum solum non deleret peccatum. Per misericordiam, miserentis affectum intelligimus; per miserationem vero, ipsam misericordiæ exhibitionem signamus, juxta quod scriptum est : *Misericors et miserator Dominus* (*Psal.* CX, 4). Superfluum enim esset utrumque ponere, nisi esset varietas in significatione. Scire debemus quia nemo est insanabilior eo qui sibi sanus videtur. Illud enim est clarum venturæ salutis indicium, si incipit homo cognoscere semetipsum. Semetipsum autem David cognoscebat, **495** cum multitudinem miserationum quærebat. Dicat et peccator cum eo : *Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Immensas et innumerabiles mundo exhibuisti misericordias, quando genus humanum de servitute diabolicæ tyrannidis eripuisti, et a peccatis suis in sanguine tuo electos tuos lavisti. Lavet sanguis iste peccatorum meorum maculas, qui totius mundi potuit delere offensas (*Apoc.* V). Non postulo a te aurum, non lapides pretiosos, non laboribus et naufragiis exquisita commercia, non peregrinas merces de remotis terrenarum regionum multo ad nos discrimine delatas, quæ etiam fortium sæpe virorum mentes effeminant, et falsæ pulchritudinis imagine illectas captivant; verum quod omnibus his est præstantius et pretiosius, remissionem peccatorum expeto. Quæ tunc vera esse probabitur, si addito fructu pœnitentiæ, gratiæ tuæ muneribus cumulatur. Quid enim mihi prodest malorum quæ feci impunitas, nisi etiam bene operandi subsequatur facultas?

(Vers. 3.) *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.*

3. Quid iniquius quam alienam contrectare uxorem? Virum ejus nec scientem nec lacrymantem occidere? Et hoc quidem fecerat Propheta de gregibus ovium sublatus, de post fetantes ad regni gubernacula assumptus, corporis fortitudine præditus, spiritalis gratiæ donis illuminatus. Qui tanto gravius ceciderat, quanto celsius et regni gloria et excellentia virtutum cæteris præeminebat. Gloriæ namque præcedentis præconium, sequentis culpæ adauxit reatum. Tanto enim quisque gravius corruit, quanto antequam caderet, in conspectu Dei altius ascendit. Dicat ergo : *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Prosit mihi, Domine, quod cecidi : laventur cum hac macula notæ delictorum, quas hactenus neglexi. Sæpe namque dum quædam male gesta plangimus, ipsa vi amaritudinis ad discutiendos nos excitati, alia in nobis plangenda invenimus. Quæ admissa eo facilius oblivioni tradimus, quo ea vel nulla vel levia putamus. Sed succrescens amaritudo pœnitentiæ, non solum majora peccata cordi nostro congerit, sed etiam minima quæque ad memoriam reducit. Quæ omnia tanto obstinatius prosequimur, quanto omne malitiæ germen vigilantius exstirpare de corde conamur. Lavatur ergo amplius, cui non solum quod in se punit peccatum dimittitur, sed etiam alia quæ obduxerat oblivio, nihilominus delentur. Aquæ, quibus diluitur iniquitas, dona sunt sancti Spiritus, quæ quasi torrens de supernis venientia, sicut electorum corda ut germinent irrigant, ita etiam ab omni inquinamento carnis et spiritus emundant. De hoc quippe torrente scriptum est : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV, 5). *Et a peccato meo munda me.* Inquinavit me facinorum colluvies, polluit peccati contagium, sed ad fontem confugio misericordiarum. Potens es me et ab iniquitate abluere, et a peccato mundare. Inique egi innocentem opprimens, peccatum feci mihi ipsi non parcens. Sciebat enim propheta quia quicunque molitur lædere alium, prius proprio jaculo percutit semetipsum. Quid crudelius quam semetipsum occidere? Si os mentientis occidit animam, quanto magis gladius ferientis exstinguit vitam? Unde scriptum est : *Miserere animæ tuæ, placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Et iterum : *Qui sibi nequam est, cui bonus erit?* (*Eccli.* XIV, 5.)

(Vers. 4.) *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.*

496 4. Quasi diceret : Scio quem invocem. Justum invoco, qui et peccata odio habet, et ista impunita non dimittit. Sicut ejus misericordiam expeto, ita etiam justitiam ipsius attendo. Non sic postulo misericordiam accipere, ut velim ab eo justitiam suam auferre. Nolo ut peccatum meum remaneat impunitum. Sic misericordia est ut peccanti ignoscat; sic justitia est ut peccatum impunitum non transeat. Sed quia peccatum meum ego ipse paveo, ideo ut tu me non punias tam vehementer, exoro. Ideo agnosco, ut tu ignoscas. Ergo miserere mei, lava, munda, *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper.* Non posui super dorsum quod feci, non intueor alios oblitus mei. Non affecto de oculo fratris festucam ejicere, et trabem quæ in oculo meo est, non considerare. *Peccatum meum contra me est semper.* Quicunque misericordiam Dei invenire desiderat, necesse est ut jam graviter peccata agnoscat, puniat culpas fletibus, faciem Domini in confessione præveniat, ponat ante cordis oculos et culpas operis, et ultimæ terrorem animadversionis; penset [a] quam discretus judex veniat, qui ideo peccatores sustinet, ut eis conversis minus inveniat quod condemnet. Ascendat tribunal mentis suæ connit, ubi de severitate summi judicis agitur.

[a] Suspicor legendum, *quam districtus*, quod centies apud Gregorium legitur, et huic loco maxime conve-

stituat se ante se, videat fœditatem suam ut corrigat, ne volens tandem videat et erubescat. Sit sibi judex incorruptus, torqueat eum timor, erumpat confessio, ut cum Propheta possit dicere Deo : *Iniquitatem meam ego cognosco.*

(Vers. 5.) *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.*

5. Homo homini non peccat, quia eum aut par aut gravior culpa inquinat. Deus solus juste peccata ulciscitur, quia ipse solus est, in quo non potest inveniri quod puniatur. Quia ergo solus Deus parcit, solus juste judicat; ipsum solum ostendit qui peccat. Quo enim se quisque peccando dissimilem Deo facit, eo tremendam superni judicis majestatem offendit. Clamet ergo ad Deum peccator, clamet iniquitatum suarum conscius, clamet medullis cordis, et dicat : *Tibi soli peccavi*, quia tu solus es sine peccato : *et malum coram te feci.* Ab aliis quidem peccatum meum ignorari potuit, te autem latere nequivit. Penetrabilior enim omni gladio ancipiti, penetras usque ad divisionem animæ et spiritus, artuum quoque et medullarum, et discretor es cogitationum cordis. Nulla creatura in conspectu tuo est invisibilis : quia omnia nuda et aperta sunt oculis tuis (*Hebr.* IV, 13). In tantum es sine peccato, ut etiam *justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Scribit Apostolus, dicens : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax ; sicut scriptum est : ut justificeris in sermonibus tuis* (*Rom.* III, 4). Si Deus verax est, necessario in verbis suis justus est. Nam si in sermonibus suis falsa veris insereret, justus omnino non esset. Sed absit a fidelium cordibus, ut esse in Deo mendacium putemus. *Fidelis* enim *est in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal.* CXLIV, 13), sicut ipse etiam ait : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV, 35). Deum ergo veritas justificat, hominem vero mendacium condemnat. Sequitur : *Et vincas cum judicaris.*

6. Prævidebat Propheta Deum in carne venturum, qui humano condemnandus esset judicio, ut æternæ mortis homo careret tormento; ideoque **497** ait : *Et vincas cum judicaris.* Quasi diceret : Omnes qui judicati sunt, etiam si multum fuerint in virtute provecti, non omnino injuste subierunt judicium, quia antequam judicarentur, aliquo modo commiserunt peccatum, tu vero, cum mortis injustæ sententiam acceperis, quia solus homo inter homines ab omnibus peccatis es immunis, vincis ergo omnes judicatos, cum judicaris; vel tu Deus Pater in Filio, vel tu Deus Verbum in homine assumpto. Quod tamen intelligi et aliter potest, quasi dicat : Ideo ut miserearis precor, ut laves, ut mundes : *ut justificeris in sermonibus tuis*, id est verax appareas in promissis. Promisisti enim justis regnum æternum, et virtutum amatoribus vitæ æternæ bravium præparasti. Sed nisi me et alios justifices, non poteris invenire quos non damnes. Justifica ergo me, *ut tu justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Judicant te, qui negant post lapsum reparationem fieri, et remissionem peccatorum nemini dandam astruunt. Quos, si mihi peccatum remiseris, velut fabricatores mendacii et perversorum dogmatum cultores superabis. Vel justifica me, *ut justificeris in sermonibus tuis.* Promisisti enim quod de stirpe mea carnem sis assumpturus; sed si me de tanto non emundes scelere, de cujus semine carnem assumas videor indignus. Tu enim es qui dixisti : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). Lava me ab iniquitate, ne sim fraudatus a promissione. *Et vincas cum judicaris.* Judicatus Dominus vicit, quia unde in passione succubuit, inde majorem sui gloriam resurgendo manifestavit. Judicatus vicit, quia quorum ad tempus judicium moriendo subiit, eos justo judicio condemnatos æterna morte mulctavit.

(Vers. 6.) *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.*

7. Opus est, Domine, ut miserearis, quia ab ineunte vitæ primordio in peccati foveam incidi, et concupiscentiæ carnalis sordibus inquinata nativitatis meæ initia contraxi. Non in me illa quam noviter admisi, sola viget iniquitas : habeo in me etiam ex veteri quod ignoscas : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Non ideo homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit conjugibus commisceri; hoc enim opus castum non habet culpam in conjuge, quia nuptiale fœdus non exorbitat a fide. Deus enim copulam maritalem instituit, quando masculum et feminam in principio creavit. Qui quidem sine peccato filios ederent, si in paradiso positi, in Conditoris obedientia perstitissent (*Gen.* I, 28). Sed quia a statu rectitudinis primus homo peccando corruit, peccati pœnam ad filios misit. Carnalis enim delectatio pœna peccati est; quæ ex radice peccati ita contrahitur, ut nullus absque illa in mundo generetur. Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (*I Cor.* XI). Confiteatur ergo pœnitens de culpa [a] quod meruit, ut consequi valeat de venia quod cupit.

(Vers. 7.) *Ecce enim veritatem dilexisti; incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

8. Ideo vias meas a principio arguo, peccata mea ego ipse condemno, quia veritatem dilexisti. Veritatem Deus diligit, quia sine ultione delictum non deserit. Aut enim hoc homo in se puniens persequitur, aut postmodum Deus districto examine ulciscitur. Sive ergo sit magna sive parva iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur a Deo **498** judicante ; sicut per quemdam sapientem dicitur : *Sciens quia non parceres delinquenti* (*Job.* IX, 28). Delinquenti non parcitur, quia sine vindicta peccatum non relaxatur. Veritatem itaque Deus diligit, quia justum judicium non prætermittit. *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Qui non est securus de munere veniæ, non est vehemens in executione vindictæ. Et quidem ante adventum Christi incertum fuit, si graviter lapsi possent habere veniam, et peccatorum remissio complures latuit; sed David, qui Redempto-

[a] Rem., *quod metuit.*

rem mundi ut peccata tolleret, futurum præviderat, de peccatorum indulgentia non dubitabat. Non ignorabat opus sapientiæ Dei a sæculis absconditum, ante omnia tempora dispositum, exhibitum in fine sæculorum. Dei namque sapientia Filius Dei est, de quo scriptum est : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* (*I Cor.* I, 24). Ipse est *per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Ipse est de quo propheta dicit : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). Dignum autem fuerat ut per eum fieret remissio, per quem facta fuerat creatio ; et ipse esset largitor gratiæ, qui fuerat omnibus auctor naturæ. Quam remissionem sicut in tempore gratiæ confitentibus tribuit, ita ante adventum suum eum exspectantibus prærogavit. Hæc sunt incerta et occulta divinæ dispositionis consilia, omnibus gentibus per Dei sapientiam ultimis temporibus revelata. Quæ quia David per spiritum cognoverat, de Dei confidenter misericordia præsumebat. An non Ninivitis incerta erant, qui pœnitentiam agentes super prædicatione Jonæ, hæsitando dicebant : *Quis scit si convertatur et ignoscat Deus* (*Jonæ.* III, 9.)?

(Vers. 8.) *Asperges me hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.*

9. Hyssopus est herba humilis, saxo quidem adhærens, et parum utilitatis in seipsa sui facie ostendens, quæ tamen pulmonis inflationem deprimit, et virtutis suæ acrimoniam si conteratur ostendit. Quid ergo per hyssopum, nisi Christi humilitas designatur? Ipsa est enim quæ omnem in nobis reprimit contumaciam, sicut herba illa pulmoni inflato adhibet medicinam. Quis etenim jam dedignetur in mundo se pro Deo abjicere, cum audiat Dei Filium opprobria et derisiones subiisse? Quis supplicium pro Deo perpeti arbitretur dedecus, cum ipse Rex regum et Dominus dominantium (*Apoc.* XIX) morte turpissima (*Sap.* II) propter nos sit condemnatus? Præsertim cum ipse sit nobis positus forma justitiæ, cujus et audire imperia, et sequi debeamus exempla ; sicut ipse in Evangelio ait : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Juxta legis quoque testimonium (*Num.* XIX), inquinatos mundabat ejusdem herbæ fasciculus, vaccæ rufæ cruore intinctus. Quid autem per vaccam, nisi ad sacrificium assumpta incarnationis Dominicæ infirmitas designatur? Sicut enim per masculinum sexum solet fortitudo intelligi, sic et per femininum potest infirmitas designari ; et de eo scriptum est : *Quia etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (*II Cor.* XIII, 4). Ipse est enim summus Pontifex noster, qui in ara crucis pro totius mundi sanitate, sui corporis hostiam obtulit (*Hebr.* IX). Pontifex videlicet futurorum bonorum, qui per proprium sanguinem in sancta, æterna redemptione inventa, semel intravit. Hæc autem vacca rufa dicitur, ut in ea sanguinis Christi rubor evidenter demonstretur. De quo in Canticis canticorum sponsa loquitur, dicens : *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* V, 16). Candidus nimirum ex divinitatis specie, rubicundus ex passionis cruore. Hac itaque A hyssopo ille solummodo 499 aspergitur, qui vias Dominicæ passionis imitatur. Sanctificatur vero aspersus, sicut per Paulum dicitur : *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* (*Hebr.* IX, 13)? Sequitur : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Quemadmodum corpus aqua lavat a squaloribus sordium, ita gratia sancti Spiritus animam purgat a maculis peccatorum. Quod vero ait : *Et super nivem dealbabor ;* ostendit quia nulla pulchritudo quæ inest corpori, valet decori sanctæ animæ comparari. Quid namque in corporibus nive candidius? Et tamen qui vias passionis Christi sequitur, B super nivem dealbatur. De sanctis etenim scriptum est : *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII, 43). Quis vero ignoret solem nive candidiorem? Præterea candor nivis cito præterit, decor autem sanctorum in æternum manebit.

(Vers. 9.) *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata.*

10. Tunc quidem verum et inæstimabile gaudium habituri sunt sancti, cum impiis æterna morte multatis, et in horrendam perpetui cruciatus voraginem per extremæ damnationis sententiam missis, audituri sunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). In eo autem quod ait : *Gaudium et lætitiam ;* C duplicem sanctorum venerationem intellige, qui visione claritatis in illa die, quantum cogitare non possumus illustrati, sicut animarum perfruentur beatitudine, ita etiam corporis vestientur incorruptione. De ipsis enim scriptum est : *In terra sua duplicia possidebunt* (*Isai.* LXI, 7). Sancti etenim viri mundi gloriam mentis despectu calcantes, omnes in se carnales voluptates mortificant, ut in Deo postmodum pereniter vivant. Qui quoniam mundi miserias pro Deo pati minime refugiunt, beatitudinis æternæ retributionem acquirunt. Quæ nimirum beatitudo et animabus eorum ante resurrectionem tribuitur, et corporibus nihilominus post judicium conferetur ; sicut in Apocalypsi Joannes apostolus scribit, dicens : *Vidi sub altari Dei animas interfectorum propter verbum* D *Dei, et testimonium quod habebant, et clamabant voce magna dicentes : Usquequo, Domine, sanctus et verus, non vindicas sanguinem nostrum, de his qui sunt in terra? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum et fratrum ipsorum, qui interficiendi sunt sicut et illi* (*Apoc.* VI, 9). Quid namque est singulas illis stolas albas tribuere, nisi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid vero est, donec electorum numerus impleatur requiescere, nisi futuræ resurrectionis gloriam exspectare? In qua nimirum iterum singulas stolas albas accipient ; quia immortalia et incorruptibilia corporum suorum vestimenta resu-

ment. Quia ergo sancti viri ad æternæ felicitatis præmia non solum anima, sed etiam corpore post judicium transeunt, recte de eis dicitur, quia in terra sua duplicia possidebunt. Hujus incrementa felicitatis propheta intuens, ait : *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata.* Animarum nostrarum ossa virtutes sunt, quæ nimirum in hac vita humiliantur, quia assiduis tentationum impugnationibus indesinenter turbantur. Tentatio enim est vita hominis super terram (*Job.* VII) ; **500** in æterna autem vita non solum invictæ potestatis accipient fortitudinem, sed etiam nullam vitiorum adversantium sentient impugnationem.

(Vers. 10.) *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.*

11. Quia peccata sua semper habet præ oculis, merito rogat ut Deus faciem suam avertat ab ipsis. Superius nempe propheta dixerat? *Peccatum meum contra me est semper.* Qui ergo peccatum suum semper videbat, continuum pro eo dolorem in corde gestabat. Et ideo oculos ab ejus peccato Deus avertit, quia ipse illud sine cessatione animadvertit. Non enim Deus eorum peccata ulciscitur, qui in occulto cordis de pravorum operum memoria affliguntur. Qui nimirum ad hoc semetipsos judicant, ut terribile omnipotentis judicium evadant, juxta illud apostoli : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* XI, 31). At contra reprobi, quia ea quæ commiserunt, nequaquam conspiciunt, actus suos a conspectu judicis non abscondunt. Et quanto magis errores suos ipsi considerare refugiunt, tanto magis eos conspectui divinæ majestatis opponunt. Delinquentium autem mala Deus videt, non ut approbet, sed ut condemnet; non ut foveat, sed ut puniat; non ut semper patiatur, sed ut in judicio ulciscatur. Denique *oculi Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII, 17). Gravis ultio, non solum de terra mala facientes expellere, sed etiam omnem penitus memoriam eorum abolere. Consideremus ergo mala quæ fecimus, et ea ante mentis oculos sine intermissione ponamus, ne cum ante judicis illius conspectum venerimus, tunc primum quidquid gesserimus, nolentes videamus. Impœnitenti enim Deus terribiliter minatur, dicens : *Existimasti inique quod ero tui similis; arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* XLIX, 21). Similis tui essem, si peccatum tuum impunitum dimitterem. Tu enim illud non solum non vis punire, sed et post tergum projicis, ne possis videre. Ego autem qui illud video, quid faciam? Nunquid impunitum dimittam? Judex sum et justus, judex sum et ultor iniquitatum. Quomodo ergo injuste judicabo? Quomodo veritatem mendacio mutabo? Tacui, nunquid semper tacebo? Tacui, quia misericordiam prærogavi. Iniquitatem tuam dissimulavi, tempus pœnitentiæ indulsi. Sed nunquid semper tacebo? Imo *arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Ibid.*, 21). Arguam quidem te de mendacio, quando cordium consilia manifestabo. A peccatis tuis avertis oculos tuos, et quamdam tibi vanæ spei securitatem promittis. Et quia ipse te non vides, quod nec ego te videam suspicaris. Putas quod te non videam fornicantem, quem video adulterium cogitantem? Ex hoc itaque te arguam, et statuam contra faciem tuam. Si non vis hic attendere faciem tuam, faciam ut agnoscas miseriam tuam. *Et omnes iniquitates meas dele.* Per prophetam Dominus dicit : *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero; tu autem memor esto, et judicemur* (*Isai.* XLIII, 25). Audi qua conditione iniquitatum tuarum se esse immemorem dicat, videlicet si tu memor fueris. Cave ergo ne unquam quod deliquisti, a memoria tibi excidat, aut aliqua oblivione peccata tua obliteres; ne si carnalium voluptatum illecebris captus, iniquitatum tuarum memor non fueris, dicatur tibi in tempore necessitatis : *Projecisti sermones meos retrorsum* (*Psal.* XLIX, 17).

(Vers. 11.) *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

501 12. In Evangelio scriptum est : *Beati mundo corde* (*Matth.* V, 8). Si illum qui ab omni peccato mundus est, in cordis nostri hospitio habere volumus, oportet primo ut illud ab omni vitiorum sorde purgemus. Emundemus ergo interiora mentis nostræ, et diligenter peccatorum nostrorum secreta scrutemur, ne ex affectu nostro peccati delectatio pullulet, ne turpe desiderium cor in occulto titillet, ne passionum ex eo contentiones prodeant, ne perversarum cogitationum dispensationes aliquando erumpant. Templum enim Dei non potest esse pollutum, quia scriptum est : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Verum *quis gloriabitur mundum se habere cor, aut immunem esse se a peccato* (*Prov.* XX, 9, *sec. Septuag.*)? Si propheta pollutum labiis se esse asserit, cujus os Seraphim carbone quem susceperat de altari, purgavit (*Isai.* VI) : quid dicturi sumus nos, quos luxuria inquinat, invidia angustat, ambitio præcipitat, superbia exaltat? Non est enim virtutis humanæ ita ab illicitis motibus mundare animum, ut perstrepentium voces non sentiat cogitationum. Sed quia Deo nihil est impossibile, clamemus ad Deum tota virtute : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

13. Vide ordinem : primo cor mundum, deinde spiritum rectum propheta a Deo requirit. Prius enim abrenuntiandum est tibi omni peccato, et omnis a corde vitiorum fœditas eliminanda, ut omne quod agitur aut dicitur, eo purum in conspectu Dei ac lucidum appareat, quo ex bonæ intentionis origine quasi de puro quodammodo fonte manat. Quomodo enim poterit esse perspicuum, quod in ipsa origine fuerit vitiatum? Scriptum est enim : *Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala* (*Matth.* XII, 35). Omnibus igitur carnalibus desideriis a corde exclusis, pete a Deo ut spiritum rectum renovet, ne forte spiritus ille immundus inveniens domum de qua exivit vacantem, assumptis aliis septem nequioribus se, cum eis ibi habitet, et fiant novissima tua pejora prioribus. Hæc

est autem spiritus recti innovatio, ut omnem mundi gloriam mente despicias, mentem medullitus in conditoris tui amore infigas, illatis contumeliis patientiam custodias, et custodita patientia dolorem a corde repellas, omnibus te per humilitatem inferiorem deputes, de morte inimici nullatenus exsultes, aliena non ambias, propria egentibus distribuas, amicum in Deo, et inimicum propter Deum diligas, in afflictione proximi teipsum per compassionem affligas. Hæc quidem est illa spiritus innovatio, quam persuadet apostolus, dicens : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 23). Et iterum : *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, et ecce facta sunt nova* (*II Cor.* V, 17). Ad veterem quippe hominem pertinet, mundi hujus gloriam concupiscere, animum a Deo avertere, patientiam non servare, opportunitatem vindictæ exquirere, melioribus quibusque despectis superbire, aliena diripere, propria retinere, nullum propter Deum diligere, de inimici morte gaudere. Hæc autem omnia ille respuit, qui Deum induit, quique in novitate vitæ ambulare contendit.

(Vers. 12.) *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

14. A facie Dei projicitur, cui spes veniæ post peccatum negatur. *Qui* enim *peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo,* **502** *neque in futuro* (*Matth.* XII, 32). Quis est autem qui peccat in Spiritum sanctum, nisi qui non credit remissionem peccatorum ? Remissio enim peccatorum opus Spiritus sancti est. Nam et de baptismo Christi, in quo remissio peccatorum danda erat, dixit Joannes : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* III, 11). Unde etiam super baptizatum Dominum in columbæ specie Spiritus sanctus descendit; ut ex hoc aperte ostenderet quia spiritalis gratia per lavacrum baptismatis credentium corda mundaret. An non in Spiritum sanctum Cain peccavit, quando dixit : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Genes.* IV, 13)? Et quia de venia desperavit, ideo dixit : *Ecce ejicis me a facie tua.* De quo et postea subditur, quod egressus sit a facie Domini. Vides quemadmodum ille qui in desperationis foveam labitur, a facie Dei projiciatur. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Attende qualiter postulat, ne spem veniæ post peccatum amittat. Ubi Spiritus sancti præsentia est, ibi desperatio esse non potest. Fides enim in spiritu datur, sicut Apostolus ait : Denique *ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). *Et nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu* (*I Cor.* XII, 3). Nam in eo clamamus : *Abba pater* (*Rom.* VIII, 15), quia scriptum est : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 23).

(Vers. 13.) *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.*

15. Lætabatur propheta de adventu Filii Dei antequam peccaret, et certus quod de suo nasciturus erat semine, antequam laberetur, gaudebat. Sed postquam uxoris Uriæ amore deceptus (*II. Reg.* 12) modum in peccando non habuit, ne sibi Deus hoc offensus subtraheret, quod antea placatus promiserat, formidavit. Ideoque ait : *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Salutaris quis est, nisi Dei hominumque mediator (*I. Tim.* II) ? De quo iste idem Propheta in persona Dei Patris dixerat : *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo* (*Psal.* XI, 6). Exsurgere enim dicitur Deus Pater, cum filium mittit, qui quasi jacere visus est, cum servos misit. Illi enim neminem salvare potuerunt : sed *Filius hominis venit quærere, et salvum facere quod perierat* (*Luc.*, XIX, 10). Ideoque perfectam et manentem salvationem in eo se positurum astruit, et in eo fiducialiter se dicit agere, quem constat nihil omnino peccati habuisse. Qui enim gravium sibi conscius est delictorum, non potest fiducialiter agere, quia poterit eum vel ille quem corripit reprehendere, vel conscientia propria remordere. Redemptor vero noster eo libere loqui potuit, quo nunquam peccati maculam ex nativitate, vel etiam ex operatione contraxit. Unde turbis Judæorum et principibus sacerdotum invidentibus et detrahentibus ipse dicebat : *Quis ex vobis arguet me de peccato* (*Joan.* VIII, 46) ? Fiducialiter ergo agebat, quem in nullo conscientia accusabat. Nam et de eo scriptum est, quod *erat docens tanquam potestatem habens, et non sicut scribæ et pharisæi* (*Matth.*, VII, 29). Hujus ergo salutaris sibi reddi lætitiam David postulat, in quo omnis ante adventum ipsius electus sperabat.

16. *Et spiritu principali confirma me.* Solet quibusdam contingere, ut dum se purgatos per satisfactionem reputant, ab internæ mentis custodia animum resolvant. Qui quidem ipsa sua elatione depressi, eo deterius corruunt, quo sibi de indulgentia blandientes, vanæ spei securitatem promittunt. Inde est quod Propheta exorat, dicens : *Lætetur cor meum,* **503** *ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LXXXV, 11). Non dicit lætatur, ut securum sit, sed lætetur, ut timeat. Ac si aperte dicat : Ita me correctum facito gaudere de venia, ut tamen nunquam desinam esse suspectus de culpa. Sic et in hoc loco, postquam sibi reddi salutaris Dei lætitiam petiit, ne sibi dimissus ad deteriora prorueret, illico adjunxit : *Et spiritu principali confirma me.* Sciebat enim quia infirma est omnis anima, nisi sancti Spiritus fuerit virtute firmata. Nam et de apostolis dictum est : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Quid enim cœlorum nomine, nisi sancti apostoli designantur ? Qui nimirum verborum imbribus terram cordis nostri inebriant (*Psal.* XVIII), venturi judicii minis et terroribus intonant, miraculorum signis et operum sanctitate coruscant. Denique ipsi sunt, qui enarrant gloriam Dei. Quibus profecto tunc Spiritus virtutem tribuit, cum in igneis linguis apparens (*Act.*, II), in cordibus eorum divini flammas amoris accendit. Quod quidem aperte cognoscere possumus,

si quales ante, quales post adventum sancti Spiritus A fuerunt, perpendamus. Qui enim ad passionem tendentem magistrum fugientes reliquerant (*Matth.* XXVI), postmodum per adjunctam sancti Spiritus gratiam roborati, constanter et publice nomen Christi prædicabant. Nam ut reliquos prætermittamus, ipse apostolorum princeps qui mori metuens vitam negaverat (*Ibidem*), cum facto conventu, cæsis apostolis, sacerdotes et scribæ ne in nomine Christi loquerentur, prohiberent, aiebat : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). Cœlorum igitur virtus de Spiritu sancto est, quia per infusam sancti Spiritus gratiam facti sunt in Christi confessione fortes apostoli, qui prius fuerant ex fragilitate carnis infirmi. Nisi enim promissa charismatum dona illi Dominici gregis pastores susciperent, eorum corda nullo virtutis decore claruissent. Hæc namque virtus Spiritus, sicut ab omni pœnarum et mortis timore quos repleverit efficit liberos, ita ab omni diabolicæ reddit tentationis incursu securos. Merito ergo cui salutaris Dei in remissionem peccatorum lætitia redditur, postulat ut in vera innocentia spiritus principalis virtute confirmetur.

(Vers. 14.) *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.*

17. Illos divina clementia a peccatis per remissionem efficit liberos, quos prævidet utilitati Ecclesiæ post conversionem profuturos. Unde Ananiæ de Saulo dixit : *Vade, quoniam vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel* (*Act.* IX, 15). Magno igitur fructu dimissa sunt illi a Deo peccata. Qui enim prius blasphemus, C et persecutor, ac injuriosus exstitit (*I. Tim.* I), postmodum plus omnibus laboravit. Propheta ergo qui deleri iniquitates suas, et Spiritu sancto confirmari a Domino postulat, quod non sine fructu hoc sit futurum affirmat, dicens : *Docebo iniquos vias tuas.* UNIVERSÆ *viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Misericordia est, qua sine ullis præcedentibus meritis, pœnitentibus veniam tribuit, veritas qua post gratiam vocationis et veniæ, peccata impœnitentium punit. Ille ergo cui peccata dimittuntur, vias Dei iniquos docet, cum peccantibus si resipuerint, exemplo sui spem tribuit veniæ, et inconvertibilibus, nisi ad veniam redeant, infert timorem gehennæ. *Et impii ad te convertentur.* O quam utilis est peccatorum remissio, quæ conversos non solum a peccatis liberos D efficit, sed etiam alios a via impietatis et injustitiæ retrahit, flamma charitatis accendit. **504** Hæc est enim charitatis evidens probatio, ut cui per gratiam Dei contigerit à peccatorum vinculis eripi, ipse ex zelo justitiæ studeat ad spem veniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum Deo est sacrificium quam zelus animarum. Exerceat ergo se in via Dei, cui Deus peccata dimisit, et exemplo suo peccatores quosque ad pœnitentiæ confugere remedium admoneat. Non sit arbor infructuosa, aut otiosus operarius (*Matth.* XX), sciens quia non solum mane venientibus ad vineam merces promittitur, sed etiam circa undecimam horam vocatis vitæ æternæ denarius præbetur.

(Vers. 15.) *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ : et exsultabit lingua mea justitiam tuam.*

18. Nisi primitus me a peccatis liberaveris, non potero aliis esse exemplum conversationis. Libera ergo me de sanguinibus, desideriis videlicet carnalibus, quæ militant adversus animam. *Caro* enim et *sanguis regnum Dei non possidebunt.* DEUS *Deus salutis meæ.* Nota in repetitione nominis magnum affectum cordis, quasi dicat : Merito te ut me salves invoco, quia tu solus es auctor salutis meæ. Nam *Domini est salus* (*Psal.* III, 9). A te solo est salus, quia ab omnibus aliis est infirmitas, vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*Eccle.* I, 2). *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ* (*Psal.* XXXII, 16). Denique, B *fallax equus ad salutem.* Ex quibus verbis colligitur quod nec ex divitiis temporalibus, nec ex corporali fortitudine salus acquiratur. *Et exsultabit lingua mea justitiam tuam.* Justitia Dei, fides est, sicut scriptum est : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Gen.*, XV, 6); quia *Justus ex fide vivit* (*Rom.*, I, 18). Si ergo justi vita fides est, consequens est eamdem fidem esse justitiam, sine qua quisque esse justus non potest. Hanc itaque Dei justitiam ille cum exsultatione enuntiat, qui nec mundi hujus copiam cupiens, nec inopiam metuens, omnem hæreticam pravitatem impugnat. Vel justitia Dei est, quod non vult mortem peccatoris. Homini nempe justum videtur, ut suam ulciscatur injuriam : Dei vero justitia est confitenti relaxare offensam.

(Vers. 16.) *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.*

19. Non aliter justitiam tuam proferre potero, nisi ut labia mea aperias. Tu es enim, qui ora superborum obstruis, et linguas infantium disertas facis (*Sap.* X, 21). Hactenus os meum ego ipse aperui, et ideo ex vaniloquio peccatum contraxi. Nunc vero ut tu aperias desidero, quia nihil nisi quod suggesseris loqui concupisco. Illius labia Deus aperit, qui non solum quid loquitur, sed etiam quando, et ubi, et cui loquatur attendit. Sapientia namque Dei dicit : *Dominus dedit mihi linguam eruditam* (*Isai*, L, 4), quando scilicet oporteat sermonem dicere. Merito ergo sapiens est, quia accepit a Domino quo tempore sibi loquendum sit. Unde non inconvenienter ait D Scriptura : *Homo sapiens tacebit usque ad tempus* (*Eccli.* XX, 7). Hinc rursum scriptum est : *Ori tuo fac ostium et vectem, et in verbis tuis jugum et stateram* (*Eccli.*, XXVIII, 28). Et fortasse hoc ostium sibi Propheta postulabat a Domino, cum dicebat : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL, 3). Debemus enim os nostrum claudere, et diligentius observare, ne quis in iracundiam excitet vocem nostram, et contumeliam rependamus contumeliæ. Jugum etiam in verbis nostris esse et statera præcipitur ut omne quod loquimur et humilitate condiatur, et mensura ponderetur. Proferamus ergo sermones examinatos libra justitiæ, ut si gravitas in sensu, modus in verbis,

505 pondus in sermone. Nec prius loquendo os aperiamus, quam expediat, sed examinemus verba nostra, si tacendum hoc, si dicendum adversus hunc, si tempus sit sermonis hujus, postremo si a virtute modestiæ non dissentiat. Nihil indecens, nihil inhonestum, nihil invidum sonans erumpat. Verum quia ad hæc omnia idonei esse non possumus, nisi hoc a largitore omnis gratiæ percipiamus, exclamandum est nobis cum propheta : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Non *est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* xv, 9). Ideoque Propheta indulgentiam peccatorum primum a Domino expetit, et postmodum laudem se Dei annuntiaturum esse promittit ; nobis patenter innuens, quia illi soli laudis Dei possunt sentire dulcedinem, qui peccatorum suorum meruerint percipere remissionem. Unde scriptum est : *Rectos decet collaudatio* (*Psal.* xxxii, 1). Quid autem laudabilius in Deo quam misericordia ? Scriptum namque est : *Confiteantur Domino misericordiæ ejus* (*Psal.* cxliv, 10). Denique *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Quamvis enim laudabile sit quod hominem de limo terræ condidit, laudabilius tamen est quod perditum proprii filii morte redemit. Denique illud potestatis est, hoc gratiæ. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.* Sunt enim plerique qui non suo ore laudant Deum. Nunquam suo laudat ore Deum avarus, nunquam suo ore laudat luxoriosus. Nonne quasi alienum os tibi videtur assumere, dum ea conatur quæ in corde non sentit proferre ? De quibus profecto scriptum est : *Cor eorum longe est a disciplina; propterea non exsultabunt* (*Job.* xvii, 4) : quia nimirum eorum laus ad omnipotentis Dei aures nequaquam extollitur, quorum cor a semita justitiæ per pravæ intentionis studium elongatur. Tales erant illi de quibus Dominus dicebat : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.*, xv, 8).

(Vers. 17.) *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non delectaberis.*

20. Sciebat Propheta per spiritum, quia illa legalium instituta sacrificiorum, ad invisibilis essent oblationis intelligentiam transferenda ; quia illud verum et acceptabile est sacrificium quod aliquis puro corde laudat Deum. Unde et alio in loco dicit : *In me sunt, Deus, vota tua quæ reddam, laudationes tibi* (*Psal.* lv, 12). Et iterum : *Immola Deo sacrificium laudis* (*Psal.* xlix, 14). Et rursum : *Sacrificium laudis honorificabit me.* Cum ergo dixisset : *Os meum annuntiabit laudem tuam*, illico subjunxit : *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique.* Ac si dicat : Laudis tibi offeram sacrificium, sciens quia, carnalium nolis observantiam cæremoniarum. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.* Ideo nolo confidere in carnalis ritu sacrificii, quia scio te hircorum et arietum occisione non delectari. Tu es enim qui dixisti : *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* (*Ibid.* xlix, 9).

(Vers. 18). *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*

21. Nequaquam vere pœnitentiam agit, qui ex A peccatorum suorum recordatione quamdam spiritus tribulationem non sentit. Quod quidem reprobis familiare est; quia etsi aliquando peccata sua confiteantur, ea tamen districtæ animadversionis fletibus non persequuntur. Electi vero etiam si minima sint quæ in se punienda inveniunt, zelo rectitudinis contra se erecti, ad pœnitentiæ se lamenta studiose succendunt. Qui dum sanctæ contemplationis pennis ad cœlestia se intuenda erigunt, eo subtilius **506** si quid in ipsis vitiosum latebat inveniunt, quo ad divinæ lucis claritatem vicinius accedunt. Tantoque eis displicet quod infirmum ex carne tolerant, quanto eos delectat quod ex incorruptibilis vitæ suavitate degustant. Unde fit quod gravi in seipsos vel pro otiosis verbis, vel pro vanis cogitationibus invectione desæviant ; et quæ levia ante crediderant, mox ut gravia et mortifera perhorrescant. Beneficia sibi divinitus collata conspiciunt, culpas nihilominus anteactas ad memoriam reducunt. Vitæ hujus corruptibilis ærumnosas necessitates enumerant, quanta sit cœlestis gloriæ felicitas, in meditatione pertractant. A qua quia per carnis fragilitatem retrahi se sentiunt, validissimi seipsos interius vulnere doloris transfigunt. Dum ergo hæc omnia ante mentis oculos intenta consideratione recolligunt, vehementissimæ tribulationis igne intrinsecus inardescunt. Hæc est illa spiritalis sanctorum tribulatio, quam in cordibus eorum generat pœnitentiæ et desiderii dilati amaritudo. Hanc nimirum Job sentiebat, cum dicebat : *Loquar in tribulatione spiritus mei* (*Job*, vii, 11). Electorum etenim linguas tribulatio spiritus commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*

22. Multi habent cor contritum, qui non habent cor humiliatum. Sunt enim plerique qui, etsi peccata sua fletibus puniant, pauperes tamen opprimere potestatis suæ dominatione non cessant. Illi nimirum nequaquam purum sacrificium Deo offerunt ; quia detestabilis superbiæ illud admistione corrumpunt. Vel sicut beatus Hieronymus [*In hunc psalm.*] hunc locum exponit, illi cor conterunt, sed non humiliant, qui peccata quidem quæ commiserunt deflent, sed tamen eadem committere etiam post fletus non timent. Dum enim errorum suorum consideratione revocati, ad ea quæ dimiserant redeunt, se contra conditorem suum per opera pravitatis extollunt. Ex superbiæ namque vitio est, timorem Dei contemnere, conditoris præcepta pravæ actionis transgressione calcare, cœlestis vitæ gaudia mansura negligere, damnationis perpetuæ infinita supplicia non timere. Illorum ergo sacrificium Deus non accipit, qui lacrymis quidem se compunctionis abluunt, sed eisdem, a quibus ante mundati esse videntur, peccatorum maculis in idipsum revertentes sordescunt. De talibus scriptum est : *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid prodest lavatio ejus* (*Eccli.* xxxiv, 30) ? Ille quippe lavatur a mortuo, qui per pœnitentiam mundatur a peccato. Quem si contigerit eadem quæ punierat, iterando peccata

committere, nihil contulisse videtur adhibita satisfactionis lavatio, quem maculavit inhonestius iterata facinoris turpitudo. Quia igitur scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* v, 5); illos qui superbiendo ad peccata redeunt, divina justitia respuit. Illos vero qui continendo et humiliando post tergum non respiciunt, clementia Dei non despicit, quia scriptum est: *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit* (*Psalm.* XXXIII, 19).

(Vers. 19.) *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.*

23. Sion speculatio interpretatur, per quam sancta significatur Ecclesia. Quia in eminentioribus virtutum et scientiæ locata vestigiis, et cœlestem patriam a longe prospicit, et irruentes spiritalium inimicorum cuneos interiori intuitu deprehendit. Cui Deus tunc benigne fecit, quando filium suum in mundum misit. Veniens autem Filius Dei, quam **507** de diabolica potestate eripit, sanctam sibi Ecclesiam in unitate spiritus confœderavit. De quo Joannes ait: *Qui habet sponsam, sponsus est* (*Joann.* III, 19). Quid autem benignius, quam Filium Dei servilem formam induere (*Philip.* II), mortis legibus subjacere, proprio sanguine nos redimere, æternæ vitæ aditum, quem culpa obstruxerat, aperire; corpore suo nos pascere, et de tenebrarum potestate erutos, ad cœlestem gloriam et ad regnum nos lucis transferre? Quid denique benignius quam quod Deus tradidit filium, ut redimeret servum? Benignitatem nihilominus Dei quotidie sentit Ecclesia, cum illam Deus claritate suæ cognitionis illuminat, inter sæculi turbines fluctuantem spiritus sui virtute confirmat, suavitatis intimæ deliciis reficit, atque per eam peccantibus peccata dimittit. Et notandum quod ait: *In bona voluntate tua*, ut intelligas nihil perfectum haberi posse ex meritis, sed tantum conferri gratuito munere divinæ miserationis. *Ut ædificentur muri Jerusalem.* Per Jerusalem, quæ visio pacis interpretatur, sancta anima accipitur, quæ futuram sanctorum pacem mentis intuitu conspicit; et omnibus in se mortificatis hostibus, illicitorum motuum impugnationem non sentit. Cujus muri virtutes sunt, quos ille nimirum ædificet, qui ex operibus justitiæ et pietatis, spiritale construere ædificium non cessat. Unusquisque autem Jerusalem, aut Babylonis civis est. Sicut enim per amorem Dei sanctus quisque Jerusalem civis efficitur; ita per amorem sæculi, omnis iniquus in Babyloniæ structura operatur.

24. Ad construendum autem hujus spiritalis Babyloniæ ædificium, perversi quique illius antiquæ Babel (*Gen.* XI) imitantur exemplum. Cujus, teste sancta Scriptura, civitatis auctores, et pro saxis lateres, et pro cæmento bitumen habuisse leguntur. Per quod intelligitur quod mundi amatores carnalis vitæ construunt municipium, quod ad vim ventorum, et impetus fluvii, facili impulsu velociter est subruendum. Notandum vero est quia illi de quibus agitur, de Oriente venisse, et in campo Sennaar habitasse perhibentur (*Ibidem*). Cum enim Christus vere sit Oriens, propheta attestante qui ait: *Ecce vir Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12); de Oriente veniunt, qui a Christi consortio male vivendo recedunt. Sennaar autem interpretatur excussio dentium, sive fœtor eorum. In campo ergo Sennaar habitant, qui positi non in celsitudine virtutum, sed in planitie vitiorum, et detractionum morsibus proximos lacerant, et in otiosæ vitæ volutabro jacentes, infamiæ suæ circumquaque fœtorem exhalant. Quorum dentes tunc omnipotens excutit, cum illorum facta simul et verba confundit. Unde per prophetam scriptum est: *Dentes peccatorum contrivisti* (*Ps.* III, 8). Et iterum: *Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum; molas leonum confringet Dominus* (*Psal.* VII, 57). Nam de fœtore eorum per alium prophetam scriptum est: *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I, 17). Computrescere jumenta, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Et Isaias ait: *Et erit pro suavi odore fœtor, pro zona funiculus* (*Isa.* III, 24). Quia nimirum hi pravi operis fœtorem emittunt, qui abjecto cingulo castitatis, funiculum intexunt lasciviæ. De quibus dicitur per prophetam: *Væ qui trahit peccata sicut restem longam* (*Isai.* V, 18). Merito ergo qui in Sennaar habitant, de lateribus civitatem ædificant, quia qui terrenis dediti sunt, voluptatibus carnis inserviunt, de fragili materia mentis mutationem attollunt.

25. Cæterum qui contempta terrenarum opum cupiditate **508**, et carnalis vitæ abdicatis illecebris, per opera sanctitatis virtutum in seipsis sanctificationem accumulant, hi profecto lateres in lapides mutant. Et neque in arena mundanæ confidentiæ spiritalem structuram erigunt (*I Cor.* X), sed in petra fidei, quæ Christus est (*Matth.* VII), atria nulli excidio obnoxia, ad similitudinem Evangelicæ illius parabolæ constituunt. Tales nimirum recte cum Isaia possunt dicere: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus* (*Isai.* IX, 10). Lateribus quippe cadentibus, lapidibus quadris ædificat, quicunque carnis lasciviam disciplinæ strictioris rigore castigat, qui membrorum legem mentis lege superat, qui corporis fortitudinem spiritus virtute commutat. Hinc namque per prophetam dicitur: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem* (*Isa.* XL, 31). Qui dum non dixit, accipient, sed mutabunt, aperte ostendit quia alia est fortitudo quæ deponitur, et alia quæ noviter inchoatur. Habent enim sancti viri suam in hac carne positi fortitudinem, cum vel pro fide certantes, tormenta omnia constantiæ virtute despiciunt, vel tentationes diabolicas armis spiritalibus protecti repellunt. De eis namque per Salomonem scriptum est: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel* (*Cant.* III, 7). Lectulum quippe Salomonis fortes ambiunt, quia intimam nostri Redemptoris requiem, sancti quique indefessa desiderii sedulitate contemplantur. Hinc de sancta Ecclesia electorum dicitur: *Fortitudo et decor indumentum ejus*

(*Prov.* xxxi, 25). Qui enim ita se in virtutibus decorum exhibet, ut tamen tentationum impugnationibus non repugnet, hic nimirum decore ad tempus induitur, sed fortitudine nequaquam vestitur. Quia vero sancti Dei et ex operibus justitiæ fulgidi, et ex adversariorum apparent impugnationibus vestiti, recte de eis sub typo Ecclesiæ dicitur: *Fortitudo et decor indumentum ejus.* Quisquis ergo infirma carnis fortitudine contempta, in virile spiritus robur animam excitat, quasi lateres in saxa, quibus muri Jerusalem ædificentur, commutat. Possumus quoque per Jerusalem, illam sanctam civitatem accipere, quæ ex vivis lapidibus in cœlis construitur (*Apoc.* xxi), et sicut sponsa ornata viro suo a Deo paratur. De illa namque dicit apostolus: *Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra* (*Gal.* iv, 26). Quæ merito dicitur libera, quia ab omni corruptionis molestia invenitur aliena. Nec incongrue Jerusalem dicitur, quæ veram in seipsa pacem sine defectu experitur. Illa est enim civitas pacis, in quam nullus hostis ingreditur, et ex qua nullus civis egreditur. Civitas, inquam, cujus plateæ auro mundo sternuntur (*Apoc.* xxi), et in qua canticum lætitiæ indesinenter cantatur. Quæ quidem, sicut scriptum est, non eget sole, neque luna; quia cum illam Deus præsentia suæ claritatis illuminet, impossibile est ut eam aliqua caliginis obumbratio obscuret. *Deus enim lux est*, sicut ait in Epistola sua Joannes apostolus; *et tenebræ in eo non sunt ullæ* (*Joan.* i, vi). Quod si tanta est claritas solis ut totam ortu suo terram illuminet, quanta æstimanda est Dei claritas, qui et ipsum solem condidit, et ei ad utilitatem nostram hanc quam cernimus luminis venustatem infundit? Hujus igitur Jerusalem muri ædificantur, cum fideles ad vitam prædestinati, ad perfectionem justitiæ deducuntur. Figuram autem hujus civitatis illud Salomonis templum gestavit (*III Reg.* vi), in cujus ædificatione lapidibus exstructa, mallei sonitus auditus non fuit. In sacris enim ædificiis permansuri, adhuc foris per flagella tundimur, ut in templo Domini postmodum **509** sine aliqua percussione disciplinæ disponamur, quatenus quidquid in nobis superfluum, aut distortum est, modo percussio resecet, et tunc sola in cœlesti ædificio concordia veritatis liget. Nec mirum si templum eadem civitas dicatur, quæ etiam tabernaculum dicitur, sicut scriptum est: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus* (*Apoc.* xxi, 3).

(Vers. 20.) *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos.*

26. Ædificata cœlesti Jerusalem, sacrificium duntaxat justitiæ acceptum erit Domino, quia ibi non erit opus offerri sacrificium pro peccato. In hac enim vita quia in multis quotidie delinquimus, oportet ut contriti cordis et contribulati spiritus Deo sacrificium offeramus. In resurrectione autem, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (*I Cor.* xv), nec ullus sanctorum peccare postmodum poterit, nec quisquam ad Deum pro peccato orabit. In tantum namque peccatum delebitur, ut etiam pœna peccati omnino destruatur, sicut scriptum est: *Absorpta est mors a victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus? Stimulus enim mortis peccatum est* (*Ibid.* xv, 55). Necessario ibi peccatum deesse convincitur, ubi mortis aculeus non invenitur. Non igitur oportet ibi offerri pro peccato sacrificium, ubi nec in cogitatione admittitur delictum. Sacrificium itaque justitiæ sancti in æterna vita Deo offerent, quia in solo conditoris amore intenti, indefessas remuneratori suo in lætitia cordis laudes dicent. Unde Scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psalm.* lxxxiii, 5). Et iterum: *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum* (*Psalm.* cxvii, 15). Tunc electorum suorum oblationes Deus acceptas habebit, quia sanctas eorum meditationes nullius pravitatis admistio commaculabit. Holocausta nihilominus eorum accipiet, quia totum quod in eis erit, flamma divinæ charitatis accendet. Et *tunc imponent super altare tuum vitulos.* Altare, Dei filius est, de quo ipse Dominus ait: *Altare de terra facietis mihi* (*Exod.* xxiv, 20). Quid est enim aliud altare de terra facere, nisi de Dei filii incarnatione non dubitare? Ipse est namque cui in hac vita cordium nostrorum sacrificia imponimus, et in quo cogitationes illicitas ne convalescant mactamus. Unde scriptum est: *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* (*Psal.* cxxxvi, 9). Ad petram quippe parvulos nostros allidimus, cum orientes motus illicitos, imitationis Christi intentione mortificamus. Scriptum est enim: *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* i, 1). Ipse ergo est petra ad quam cogitationes nostras tenemus; ipse altare, cujus clementiæ peccatorum victimas imponere præsumimus. Denique *peccata nostra ipse portavit* (*I Petr.* ii, 24). Super ipsum ergo vitulos in æterna vita sancti seipsos imponent, quia per gratiam Dei liberati a lege peccati et mortis, quod nulli jugo legis post modum erunt subditi, totum attribuent gratiæ filii Dei. Nullus enim hominum in cœlum ascenderet, nisi filius Dei pro salute nostra carnem sumpsisset. Vel certe vitulos super altare imponent, cum deposita primi hominis vetustate, et mortalibus exuti exuviis, facti vituli, id est innovati et puri in perpetuum vivent.

27. Quod si, ut præmissum est, secundum moralem intelligentiam ædificationem Jerusalem accipere volumus, hunc quoque versum eidem intellectui hoc modo convenienter aptamus. Dictum est David regi a Domino: *Non tu ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es* (*I Paral.* xvii, 1): Postea vero filius ejus re et nomine pacificus, et sapientiæ gratiam a Domino **510** ultra mortales obtinuit, et templum mirifici operis, sicut liber historiarum attestatur, Deo Israel ædificavit (*III Reg.* vi). In quo datur intelligi, quia dum cum hostilibus vitiorum cuneis, virtutum oppositione confligimus, domum sapientiæ nequaquam ædificare valemus; ubi vero superatis adversariorum agminibus et passionum depulsa barbarie, pacem in nostris factam, omnibus mentis imperiis

carne jam obtemperante senserimus, tunc corpus nostrum inviolabile templum Domino construimus, in quo et sacrificium quod ex zelo justitiæ veritatem prædicantes offerimus, Deus accipit, et oblationes sanctarum meditationum, et igne ferventis desiderii ardentium orationum holocausta assumit. Super altare quoque cordium nostrorum ponimus vitulos (*Psal.* LXVIII), cornua producentes et ungulas, si hæreticorum sententias utriusque Testamenti auctoritate noverimus comminuere, et virtutes a vitiis per studium discretionis separare. Per ungulas enim vitulorum, quæ finduntur, discretionem accipimus; per cornua vero, utriusque Testamenti præcepta notamus. Vel certe cornua producimus, si etiam in his quæ carnis sunt, Deo placere studeamus. Cornu namque cum de carne sit, carnem superexcedens durescit. Quisquis ergo, carnis infirmitate deposita, etiam per carnis obsequium opera virtutis effecerit, quasi cornua de carne producit.

PROŒMIUM.

IN QUINTUM PSALMUM POENITENTIALEM.

Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, et coram Domino effuderit precem suum.

Quis est iste pauper cujus in hoc psalmo notatur oratio, nisi ille de quo ait Apostolus : *Qui cum esset dives, pauper pro nobis factus est* (*I Cor.* VIII, 9)? Ipse enim ut nos divitiarum suarum efficeret participes, paupertatis nostræ suscepit necessitates : *Exinanivit* namque *semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II, 7). Sicut autem pauper pro nobis factus est, ita et pro nobis anxiatus est. Denique et pro nobis est morti traditus, et pro nobis in ligno suspensus. *Mortuus est enim*, ut ait Apostolus, *propter delicta nostra* (*I Cor.* XV, 3), *et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25). Ex humana autem natura habuit ut anxiaretur, ex qua habuit etiam ut moreretur. Orat ergo caput nostrum in psalmo hoc, ut illuc reducamur per gratiam, unde per primi parentis cecidimus culpam. Potest etiam hæc oratio convenire unicuique, qui pauperem se esse intelligit et suarum miseriam necessitatum agnoscit; qui fallaces esse divitias sæculi istius considerat, et quam horrendum sit in manus Dei viventis incidere, pensat. Qui post tergum reductis oculis cogitat unde ceciderit, et circumspectis omnibus quæ imminent, quas invenerit calamitates attendit. Hæc itaque omnia ante mentis oculos omnis pauper congerat, et pauperem Christum pro nobis anxiatum considerans, miseriarum suarum multitudinem attendat; quanta gloria in Adam fuerit creatus recolligat, et in his omnibus anxiatus, non in oculis hominum, sed coram Domino precem suam effundat, dicens :

511 EXPLANATIO

QUINTI PSALMI POENITENTIALIS.

(Psal. 101. — Vers. 1.) *Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.*

1. In hac oratione quam expositurus sumus, quædam ipsi attribuuntur capiti, quædam nostræ conveniunt infirmitati. Nec mirandum si ea quæ nobis solummodo congruunt, quasi sint sua Christus pronuntiat. Unum quippe corpus est tota sancta universalis Ecclesia, sub Christo Jesu, suo videlicet capite, constituta. Unde ait Apostolus : *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis* (*Col.* I, 18). Ipsa est enim quæ per Prophetam jucundatur, et dicit : *Nunc exaltavit caput meum super inimicos meos* (*Psal.* XXVI, 6). Pater enim Filium, qui est caput Ecclesiæ, super inimicos ejus exaltavit, cum destructo mortis imperio, in suæ illum majestatis æqualitate constituit, cui et dixit : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CVIII, 1). Christus itaque cum tota sua Ecclesia, sive quæ adhuc versatur in terris, sive quæ cum eo jam regnat in cœlis, una persona est. Et sicut est una anima quæ diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus sanctus vegetat et illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu sancto conceptus est, sic sancta Ecclesia quæ corpus ejus est, eodem Spiritu sancto repletur ut vivat; ejus virtute firmatur, ut in unius fidei et charitatis compage subsistat. Unde dicit Apostolus : *Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei* (*Col.* II, 2). Istud est corpus, extra quod non vivificat spiritus. Unde dicit beatus Augustinus : *Si vis vivere de spiritu Christi, esto in corpore Christi* [*Tract.* 26 *in Joan.*]. De hoc spiritu non vivit hæreticus, non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus; non enim sunt de corpore. Ecclesia autem spiritum vivificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhæret. Scriptum est enim : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo* (*I Cor.* VI, 17). Pro membris itaque orat caput in hoc psalmo, ut corporis sui orationem Deus Pater exaudiat, et ut ejus clamor ad divinæ majestatis aures ascendat. Quotidie enim orat Christus pro Ecclesia, de quo testatur apostolus Paulus : Quia *sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 34). Denique et ipse est propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.* 2). Potest autem hæc oratio unicuique convenire fideli, qui a Deo postulat in bono perseverantiam, et tam sancti desiderii quam etiam irremissæ operationis emittit clamorem. Clamor autem aliquando in bona, aliquando in mala significatione accipitur. Clamat enim justus, cum operatur justitiam ex desiderio; clamat et impius, cum peccatum adjungit peccato. Clamabat Moyses cum populum de Ægyptiaca servitute liberatum, ad terram promissionis per desertum deduceret. Clamabat et populus Gomorrhæus, cum ex frequentissima peccati perpetratione Deum ad iracundiam provocaret. Denique et Moysi tacenti dictum est a Domino : *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV, 15)? Et de illis ait Dominus : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum ascendit ad me* (*Gen.* XVIII, 20). Unde quidam nos admonet, dicens : *Aufe-*

ratur clamor de medio vestrum[a]. Hic autem pro irremissa operatione clamor accipitur, cum dicitur : *Clamor meus ad te veniat.* Notandum vero est quod cum præmisisset : *Exaudi orationem meam;* statim adjecit : *Et clamor meus ad te veniat.* Illi enim a Domino exaudiri merentur, **512** qui divini zelo amoris accensi, omnia quæ possunt bona operantur. Nam qui perversis actionibus assuetus, operibus iniquitatis invigilat, nequaquam dignus est exauditione cum orat. Hinc namque per semetipsam Veritas ait : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21). Si volumus igitur ut ad aures Dei nostra perveniat oratio, studeamus necesse est ut ab omni admistione pravitatis nostra mundetur operatio, ut possimus Deo cum Propheta dicere : *Clamor meus ad te veniat.*

(Vers. 2.) *Non avertas faciem tuam a me; in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.*

2. Ad similitudinem dominorum dictum est, qui cum pro alicujus suorum culpa graviter offenduntur, solent eum a conspectu suo expellere, et a familiarium assistentium collegio separare, a supplicante faciem avertere, roganti veniam denegare. Deus vero, licet cum superbiendo ab eo avertimur, a nobis per justitiam avertatur; tamen cum humiliati ad eum convertimur, ad nos per misericordiam converti non dedignatur. Ipse est enim qui dicit : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I, 3). Et iterum : *Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis suis quæ operatus est, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur : omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; et in justitia sua quam operatus est, vivet* (*Ezech.* XVIII, 21). Ecce patet nobis sinus misericordiæ Dei. Quare misericordiam Dei a nobis excludimus? quare vocationem ejus audire dissimulamus? Non enim solum a conversis non avertitur, sed etiam aversos ut convertantur, hortatur. Hinc est enim quod per prophetam dicit : *Si dimiserit vir uxorem suam, et illa recedens duxerit virum alium, nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus tuis multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus* (*Jerem.* III, 1). Mulieris derelictæ et fornicantis similitudinem adducit, ut ejus cognoscamus pietatem, et sciamus eo nos illum gravius offendere, quo non cessat nos etiam post delictum vocare. Hæc autem vocationis Dei clementia a parte exprimitur, cum homini averso per alium prophetam dicitur : *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient vocem post tergum monentis* (*Isa.* XXX, 20). Ille enim coram positus verba Dei percipit, qui antequam peccatum perficiat, voluntatis ejus præcepta cognoscit. Quasi enim adhuc ante faciem ejus stare, est necdum eum peccando contemnere. Cæterum si abjecto timore Dei iniquitatem operari cœperit, quasi tergum in faciem ejus mittit. Sed et post tergum subsequens Deus abscedentem admonet, quia etiam nequitia perpetrata ad se eum reverti persuadet. Audiamus ergo vocem post tergum monentis, et ad invitantem nos Deum, saltem post peccata revertamur : ut si justitiam vindicantis formidare negligimus, saltem vocantis et miserentis pietatem erubescamus.

3. *In quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Ecce jam caput nostrum sedet a dextris Dei, et tamen se dicit tribulari. Ubi ergo tribulatur, nisi in corpore? Nam quod in corpore tribuletur, manifesto ostendit cum Saulo persecutori dixit : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Et Petro ait : *Venio Romam iterum crucifigi* [*Hegesip. l.* III, *c.* 2]. Qui enim in seipso jampridem crucifixus fuerat, in Petro iterum se crucifigendum dicebat. Quamvis sit in electorum cordibus etiam alia tribulatio, quam in eis generat continua pœnitentiæ amaritudo. (Qui enim mala quæ **513** commisit, ante mentis oculos congerens, pro singulis quibuscunque compungitur, in arcano cordis magna et amara doloris et metus anxietate contribulatur. Solent namque electi viri, ad ea quorum sibi sunt conscii peccata, mentis intuitum reducere, et modis eorum cauta singulatim consideratione perspectis, singula quæque deflere; ut hoc modo cordis sui præparent habitaculum, dum per unumquodque erroris sui deplorant excessum. Hinc namque Jeremias ait : *Divisiones aquarum deduxit oculus meus* (*Thren.* III, 48). Divisas quippe aquas ex oculis deducere, est dispertitas lacrymas unicuique peccato tribuere, et iniquitatis gaudia satisfactionis doloribus compensare, quatenus dum nunc hujus, nunc illius delicti memoria mens acrius tangitur, simul de omnibus singulis commota purgetur. Quod vero ait : *Inclina ad me aurem tuam,* tale est quasi dicat : Æger sum, non possum me erigere ad te, quia non est hominis dirigere viam suam. Sed tu, more fidelis medici, inclina ad me aurem tuam. Inclina aurem, quia ego non erigo cervicem. Scio enim quia si me erexero, longius discedis; si humiliavero, propius accedis. Sicut enim humiliato appropinquas, ita te ab elato elongas. Ideo ergo tribulor, ut ad me inclines aurem tuam.

(Vers. 3.) *In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.*

4. Non jam terrenus terrena desidero, sed a prima captivitate liberatus, cœlestia concupisco. Exaudi ergo me orantem non pro divitiis sæculi, non pro gloria temporali, non pro fecunditate pignorum, non pro morte inimicorum. Velociter autem exaudi, ut in me adimpleas quod dixisti : *Adhuc loquente te, dicam : Ecce adsum* (*Isa.* LVIII, 9). Multi vocant Deum, sed non invocant, quia labiis tantummodo, non cordis affectu orare procurant. Qui vero Deum toto corde desiderat, confidenter clamat : *In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.* In die invocat, qui in mentis puritate Deum exorat. Cujus justitia, cum vias suas Domino revelaverit, sicut lumen educitur, *et judicium,* sicut ait Propheta, *tanquam meridies illustratur* (*Psal.* XXXVI, 6). Unde et

[a] Forte Ephes. IV, 31, ubi legitur : *Omnis amaritudo et clamor.... tollatur a vobis.*

scriptum est : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum* (*Sap.* I, 1). Cordis enim simplicitas dies est, quam fraus non obnubilat, non obtenebrat mendacium, non obscurat invidia, non obfuscat dolus; quam lux veritatis illuminat, præsentiæ divinæ claritas illustrat. Scriptum est enim : *Cum simplicibus sermocinatio ejus* (*Prov.* III, 32). Deo autem sermocinari, est per suæ præsentiæ illuminationem humanis mentibus voluntatis suæ arcana revelare. Cum simplicibus igitur Deus sermocinari dicitur, quia illorum mentes de arcanis cœlestibus suæ inspirationis claritate illuminat, quos nulla caligo duplicitatis obumbrat. Quo contra de non simplicibus dicitur : *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus* (*Psal.* V, 8). Et Salomon ait : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I, 5). Constat ergo quia istos inhabitando illuminat, illos recedendo excæcat.

(Vers. 4.) *Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.*

5. Spectat hoc ad id quod dixit : *Velociter exaudi me.* Quasi diceret : Opus est ut velociter me exaudias, quia dies mei defecerunt, videlicet ad defectum velut fumus devenerunt. Per dies suos hic vult intelligi omne tempus, quo mandata Dei postposuit, et funestis periturarum rerum accensus desideriis, sibi non Deo militans carnaliter vixit. Habet enim **514** in hac vita diem suum anima perversa, quæ transitorio gaudet in tempore, et lethifera carnalis delectationis perfruuntur jucunditate. Hinc est quod Salvator noster prævaricatrici Jerusalem, destructionis suæ justum excidium comminans, ait : *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi* (*Luc.* XIX, 42). Diem etenim suam ille tunc populus habebat, quia in rerum labentium opulentia confidens, quiete et successu gaudebat. Quorum nimirum oculos prosperitas clauserat, ut nec visitationis suæ tempus cognoscerent, nec imminentium malorum contritionem viderent. Sicut enim cordis oculos flagella aperiunt, sic mentis aciem aliquoties successus prosperi retundunt, adeo ut seipsam mens cognoscere non valeat, quam prosperitatis mundanæ oblectatio captivat. Hinc namque Salomon ait : *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet eos* (*Prov.* I, 32). Israeliticum ergo populum prosperitas perdidit, cujus in die sua oculos ne futuri excidii vastitatem cognoscerent, clausit. Hæ est dies, de qua Jeremias ait : *Diem hominis non desideravi* (*Jerem.* XVII, 16). Dicat et fidelis anima : *Defecerunt sicut fumus dies mei.* Fumus, sicut est omnibus notum, in altum quidem se in primis erigit, sed cito deficiens, quasi non fuerit evanescit. Sic nimirum sic humana superbia cum rerum opulentia intumescens se in altum extulerit, a statu suæ celsitudinis corruens, ad ima ruit. Hinc namque per semetipsam Veritas ait : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Hinc per Prophetam scriptum est : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; quæsivi eum, et non est inventus locus ejus* (*Psal.* XXXVI, 35). Qua in re pensandum est, perversorum potentia qualiter destruitur, quorum nec locus quidem post modicum invenitur. Sequitur : *Et ossa mea sicut cremium aruerunt.*

6. Per ossa, rationem et intelligentiam possumus accipere quæ quasi sicca remanent, dum factorum et virtutum pinguedinem non habent. De qua profecto pinguedine dicit Propheta : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII, 6). Vel per ossa, fortiores qui sunt in Ecclesia, accipimus, quia sicut per ossa corpus nostrum vegetatur, ita per illos corpus Christi, quod est Ecclesia, regitur et sustentatur. Habet enim et corpus Christi carnem suam, infirmos scilicet, virtutum carentes fortitudine, qui perfectorum indigent sustentatione. De hac carne in persona Christi recte per Job dicitur : *Pelli meæ consumptis carnibus, adhæsit os meum* (*Job.* XIX, 20). Quod nimirum in passione Christi impletum est, quando discipulis fugientibus mulieres steterunt, et usque ad crucem secutæ sunt (*Luc.* XXIII). Scimus enim quia in corpore hominis pellis exterius eminet, caro vero ossibus introrsus adhæret. Pelli ergo consumptis carnibus os Christi adhæret, quia fugientibus et dubitantibus apostolis, qui ei familiarius astiterant, mulieres quæ quasi remotiores esse videbantur, nec a cruce suspensi, nec a sepulti monumento discedebant. Quia vero sancti viri imperfectis delinquentibus condolent, et eorum infirmitati compatiuntur, recte nunc dicitur : *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* Quod evidenter ostendemus, si unum exemplum ad medium deducamus. Videamus unum de ossibus Christi quomodo cum infirmantibus infirmetur, cum dolentibus doleat, cum arescentibus arescat. Ait enim : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor.* XI, 19)? Vides quomodo omnium in se infirmitates transtulerat, **515** omnium casus velut proprios deflebat. Ideoque ait : *Ut lugeam omnes qui peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam* (*I Cor.* XII, 21). Denique et omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret (*I Cor.* IX). Ossa ergo sicut cremium consumpto adipe arent, cum perfecti quique carnalium infirmitatibus condolent, et se quasi spiritali pinguedine æstimant vacuos, dum illos aspiciunt virtutum auxiliis destitutos. Cujus infelicitatis causam manifeste aperit, cum subjungit :

(Vers. 5.) *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

7. Scriptum est in Isaia : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri* (*Isa* XL, 6). Et rursum : *Vere fenum est populus* (*Ibid.*, 7). Homo namque feno comparabilis est, quia per nativitatem viret in carne, per juventutem candescit in flore, per mortem aret in pulvere. Ipse est enim, Job attestante, *qui quasi flos egreditur et conteritur* (*Job.* XIV, 2). Hæc autem mors et contritio, quæ ad omnes homines ex justæ damnationis sententia pervenit, ex primi hominis peccato descendit. Unde et Aposto-

lus ait : *Per primum hominem peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit* (*Rom.* v, 12). Homo ergo qui si in Creatoris obedientia perstitisset, posset in æternum vivere, propter inobedientiæ culpam percussus est mortalitate. De qua nimirum percussione in hoc loco dicitur : *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum.* Quia ergo primus homo peccando in mortem incidit, propagata generis humani successio a rationis intimæ viriditate consequenter exaruit. Quare autem cor humanum ab illo aruit virore in quo conditum fuit, subdendo manifestat, ait enim : *Quia oblitus sum comedere panem meum.* Panem suum in paradiso primus homo conditus habuit, quandiu [a] inconcusso mentis vestigio Conditoris sui præcepta servavit. Panis autem ejus fuit visionis divinæ delectatio, verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, angelorum societas, amor Dei, jubilum spiritus, contemplationis suavitas, collocutionis desiderium, securitas mentis, præsentia Creatoris. Quem panem tunc profecto perdidit, cum serpentis suggestioni consensit (*Gen.* III). Tangens enim vetitum, oblitus est præceptum. Unde factum est ut qui tenebat arcem beatitudinum, in lacum incideret miseriarum : et qui intimæ reficiebatur suavitate dulcedinis, panem postmodum manducaret doloris. Quicunque ergo illius portat imaginem, factus de terra terrenus, panem suum comedere obliviscitur, quia terrenæ voluptatis captus illecebris, in verbo Dei [b] non delectatur. Panis etenim noster, verbum Dei est. Hinc namque per semetipsam Veritas ait : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV, 4). Sequatur ergo oblivionem commemoratio, et esuriem refectio comitetur, ut panem illum qui de cœlo descendit, manducantes (*Joan.* VI), et pœnam evadamus mortis perpetuæ, et vitæ participemus æternæ, sicut Dominus ait in Evangelio : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* (*Ibid.*, LII).

(Vers. 6.) *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.*

8. Arescente corde propter panis et vini inopiam et oblivionem, vox gemitus emittitur, quia ubi a desiderio vitæ æternæ defecerit intentio, consequenter de corde procedit malarum cogitationum vociferatio. In qua nimirum os adhæret carni, si ratio subigitur delectationi. Quæ nimirum vox gemitus dicitur, quia per eam ad tristitiam pervenitur. **516** Aut enim in hac vita generat dolorem pœnitentiæ, aut in futuro cruciatum parit vindictæ. Possumus quoque per vocem gemitus, vocem serpentis accipere, quia primis hominibus ut de interdicto gustarent persuasit, eosque deos futuros fraudis suæ dolositate promisit (*Gen.* III). Illa est enim vox gemitus, per quam omnes peccavimus, per quam mortales et passibiles facti sumus; vox per quam a cœlestibus gaudiis cecidimus, et in felle lacrymarum exsulamus. Per hanc vocem os carni adhæsit, quia Adam Evæ consensit. Habet in se unusquisque Adam et Evam. Sicut enim in illa prima hominis transgressione suggessit serpens, delectata est Eva, consensit Adam; sic et quotidie fieri videmus, dum suggerit diabolus, delectatur caro, consentit spiritus. Nos quippe cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur. Sicut autem peccatum illud subsecuta est mors, sic et peccato consentiens moritur anima, quia a vita sua, quæ Deus est, separatur. Mortui enim sumus, quando implemur ossibus mortuorum. Mortuus est sermo malus, qui ex ore nostro procedit. Scriptum namque est : *Sepulcrum patens guttur eorum* (*Psal.* V, 11). Habemus autem portas per quas mortui efferimur, corporis videlicet sensus, de quibus ait Propheta : *Qui exaltas me de portis mortis* (*Psal.* IX, 15). Hæ sunt enim portæ per quas mors ingreditur, et per quas mortuus effertur. Nam quod per illas mors ingrediatur, testatur alius propheta, qui ait : *Intravit mors per fenestras nostras* (*Jerem.* IX, 21). Qui enim vidit mulierem ad concupiscendum eam, mortem per oculorum fenestras admisit (*Matth.* V). Qui vero seminat inter fratres discordias, et iniquitatem in excelso loquitur, per oris portam mortuus effertur. Et quidem mihi hoc significare videtur juvenis extra civitatis portam delatus, quem suscitavit Jesus (*Luc.* VII). Signat enim hominem delectatione mortuum et per pravi operis judicia jam extra portas perlatum. Obsecro, Domine Jesu, ut cunctas meæ civitatis portas justitiæ facias, ut ingressus in eas confitear nomini tuo, tuæque majestati, cum justis per eas intrantibus, ut mors ibi aditus ingressum non habeat, passio non dominetur, sed occupet salus muros ejus, et portas illius laudatio.

(Vers. 7.) *Similis factus sum pelicano solitudinis, et factus sum sicut nycticorax in domicilio.*

9. Pelicanus avis est amans solitudinem, in qua venenatis animalibus vescitur; et ideo per eam peccator designatur, qui in deserto hujus mundi corde habitans, ærumnosis istius vitæ captus illecebris, veneno delectatur diabolicæ persuasionis. Nycticorax, qui alio nomine bubo dicitur, in dirutarum domuum ædibus moratur. Solet autem nocte cantum cantare, per quod notantur hi, qui in tenebroso tripudiant opere, et in mentium suarum exsultant destructione. Sed quia sagena Ecclesiæ missa in mare præsentis sæculi, non solum malos pisces colligit, sed etiam bonos trahit, recte nunc dicitur :

(Vers. 8.) *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.*

10. Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui servat operando quod credit, sicut scriptum est : *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua* (*Apoc.* XVI, 15). Vestimentum tuum fides tua est, vestimentum tuum operatio tua est. Custodi ergo, ne diripiant alieni laborem tuum; ne denuderis, et appareat ignominia tua. Esto sicut passer solitarius in tecto. Per passerem quæ cauta et querula avis est, et in domibus nidificat, recte homo

[a] Remb., *inconcussæ mentis vestigio.*

[b] Remb., *non deliciatur.*

517 intelligitur, qui in excelsis habitans, et solitudinem incolens, pro peccatis suis clamare non cessat. Prudentis enim et circumspecti viri est, in alto nidum ponere, et pro peccatis plorare, et solitudinem inhabitare, quatenus in opere terrena non appetat, et in lamentis veniam acquirat, et in habitatione inanium strepitus cogitationum effugiat, ut possit dicere cum Propheta : *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV, 8). Vel etiam caput nostrum pelicanus fuit solitudinis, quando natus est in Judæa, quæ erat sola civitas plena populo, prophetis videlicet et justis orbata (*Thren.* I), et Spiritus sancti virtute destituta. Nycticorax exstitit, quando his qui in tenebris erant, regnum Dei evangelizavit. De illo namque scriptum est : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5). *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Per domicilium Judæos intelligimus, qui ex parte diruti erant, et ex parte stare videbantur, pro eo quod circumcisionem tenentes, legem et prophetas habebant, sed in eum quem prophetæ in carne venturum prædixerant, nequaquam credebant. Stabant quidem in eis parietes carnalis observantiæ, sed corruerat tectum fidei et disciplinæ. Occiderunt ergo vitam mortui, et lucem tenebræ exstinxerunt. Sed quid ultra fecerit audiamus : *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Vigilavit, quia a mortuis resurrexit. Qui enim dormivit in morte, vigilavit in resurrectione. Hinc namque ait : *Ego dormivi et somnum cepi, et resurrexi* (*Psal.* III, 6). Hinc Jacob in benedictione ait : *Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna : quis suscitabit eum* (*Gen.* XLIX, 9)? Quis est iste catulus leonis, nisi ille de quo in Apocalypsi ad Joannem dicitur : *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5)? Qui ad prædam ascendit, quia fortem armatum fortior superveniens expugnavit (*Luc.* II). Arma ejus abstulit, quia jure illo quod in hominibus habere videbatur, eum privavit. Ille enim dum ambiit illicita, perdidit acquisita. Spolia quoque ejus distribuit, quia vasa iræ fecit vasa misericordiæ. Hinc ergo leo requiescens accubuit, quia mortem sponte subivit. Sed nullus eum suscitavit, quia per divinitatis suæ potentiam ipse a mortuis resurrexit. Et quia post resurrectionem suam in cœlum ascendit, recte cum præmisisset, *Vigilavi*, subjecit : *Et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Quia solus inter mortuos liber, cum Patre regnat in cœlo. Unde et ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.*

11. Ferunt philosophi quod pelicanus filios suos statim ut nati sunt, interficit; postea vero per triduum multo dolore se afficit, eisque quodammodo naturæ affectum ostendit. Postea vero mater seipsam vulnerat, eosque sanguine suo resuscitat. Quis vero pater noster et mater, nisi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*I Tim.* II)? qui occidit in nobis omnem iniquitatem, ut meliorem inveniamus A resurrectionem, sicut ipse ait : *Ego occidam, et ego vivere faciam* (*Deut.* XXXII, 39). Et de eo per prophetam scriptum est : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos* (*Osee* VI, 3). Clamat adhuc in solitudine caput nostrum vel membrum ejus, cum eos vocat, qui nondum agnoverunt veritatem. Clamat in domicilio, dum eos ad pœnitentiam qui ceciderunt invitat. Clamat in tecto, cum admonet ut foras mittamus timorem. Unde in Evangelio discipulis ait : *Quæ in aure auditis, prædicate super tecta* (*Marc.* X, 27).

(Vers. 9.) *Tota die exprobrabant mihi inimici mei : et qui* **518** *laudabant me, adversum me jurabant.*

12. Quid iniquius? Venerat Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Venerat, inquam, ut auferret gemitum dolentium, ut reconciliaret nos Deo (*Luc.* XIX) ; sed Judæi, quos iniquitatis suæ caligo cæcaverat, pro bonis mala retribuentes, illum quasi hostem oderant, eique maledictionis convicia exprobrantes inferebant, cum dicerent : *Dæmonium habes* (*Joan.* VIII, 48), et cætera insaniæ deliramenta quæ Evangeliorum liber continet. Qui etsi ei aliquando extrinsecus blandirentur, intrinsecus sæviebant, sicut hi qui eum capere in sermone volentes dicebant : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo* (*Matth.* XXII, 16). Magistrum eum vocabant, qui venerant non discendi intentione, sed nocendi cupiditate. Nam quod ita se res habeat, Veritas manifestat, cum tentatores eos et hypocritas vocat. Quasi ergo adversum eum juraverant, qui ex consilio contra eum mendacia confingebant. Toto etiam vitæ hujus tempore veritatis inimici Ecclesiæ Dei exprobrant, cum eam hæretica pravitate, aut morum dissimilitudine impugnant.

13. Plerique autem in causa Dei subdole et fallaciter intendentes, et esse se in corpore Christi simulant, et pacem Ecclesiæ Dei occulta machinatione perturbant. De quibus profecto hic dicitur : *Qui laudabant me, adversum me jurabant. Hi sunt qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII, 15). Qui in verbis quidem socialem videntur habere mansuetudinem, in corde vero hostilem gestant furorem. Talis erat ille Simon Magus ab apostolis baptizatus, sed postea ab apostolorum principe, propter nefandæ venalitatis ambitionem reprobatus. Unde et dictum est ei : *Non est tibi pars in sermone isto* (*Act.* VIII, 21). Dum enim Spiritus sancti gratiam pretio comparare voluit, a doctrina Christi miser se alienavit. Ipse namque præceperat, dicens : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 8). Hæc est, inquam, hæresis, quæ ipsa nascentis Ecclesiæ rudimenta tentavit, et ante alias hæreses prima apparuit. Cujus erroris vesania licet ex tunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulavit. Nostris vero maxime temporibus malitiæ suæ virus exercuit, et totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbavit. Concitavit enim adversus Ecclesiam Dei non solum in-

numerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio sinit, ut inter reges habeatur qui destruit potius quam regat imperium, et quotcunque habere potest perversitatis suæ socios, eos a consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captivam cupit abducere, et passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit evacuare. Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc iste, potestatis regiæ jura transcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret sibi, dominam suam esse agnoscere, eique, religiosorum principum exemplo, devotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis, a quo suæ dominium accepit potestatis. Ipse est enim qui ait: *Per me reges regnant* (*Prov.* 8, 15). Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, et divino, ut patet, ingratus beneficio, et contra Deum fastuosus, terminos quos posuerunt patres nostri, contempto divino timore transgreditur, et contra catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur. In tantum autem **519** suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, et in domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro apostolo specialiter commisit, dicens: *Tibi dabo Ecclesiam meam* (*Matth.* xvi, 18). Obstruatur ergo os loquentium iniqua, et omnis hæreticorum acies obmutescat: quia nullas vires habet mendacium, quod ipsius voce veritatis invenitur destructum. Sequitur:

(Vers. 10.) *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam.*

14. Ex hoc maxime scribæ et Pharisæi Redemptorem nostrum criminabantur, quia publicanos et peccatores non solum non respuebat, sed etiam cum illis in cibo et potu communicabat. Unde quidam eorum indigne ferentes dicebant: *Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester* (*Matth.* ix, 11)? Sed ille qui non justos, sed peccatores vocare venerat, quid dicebat? *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus* (*Ibid.* 12). O immensam Dei clementiam! o inæstimabilem gratiæ caritatem! Illos volebat curare, qui salutem nolebant habere, qui adversus salutem suam armati, et phreneticorum more medicum incusantes, volebant potius ex infirmitate mortem incurrere, quam vitam ex salute invenire. Sed cineres Redemptor noster manducabat, quando in corpus suum eos trajiciebat. Cineres namque erant, quia dum principem tenebrarum magis quam auctorem sequerentur luminis, in eorum cordibus quasi exstinctus fuerat divini prorsus ignis amoris. Cineres, inquam, erant, videlicet nullo apti usui, et sine charitatis glutino omnino dissoluti. Quis non has miretur misericordiæ Dei divitias? Quis jam de remissione peccatorum desperet? Quis non credet se, si convertatur, veniam consequi, cum audiat etiam incredulos tanta benignitate admitti? Unde ait Apostolus: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus ab ira per ipsum* (*Rom.* v, 10). Quia ergo Redemptor noster in mundum veniens, vasa iræ fecit vasa misericordiæ, et omnibus ad se venientibus pietatis suæ sinum aperuit, recte nunc dicit: *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam.*

15. Quæ autem esuries ejus, vel sitis fuerit, ipse evidenter ostendit, cum ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, qui misit me* (*Joan.* iv, 34). Et iterum: *Me oportet operari opera Patris mei, qui me misit, donec dies est; venit nox quando nemo operari potest* (*Joan.* ix, 4). Quæ sunt hæc Patris opera, quæ in die dicit et non in nocte operanda, nisi salutifera agri intellectualis cultura? Ipse est enim homo qui seminavit bonum semen in agro suo (*Matth.* xiii); ad cujus culturam postea operarios destinabat (*Matth.* ix), cum diceret: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (*Luc.* viii, 2). Quis sit ergo iste ager ipse ostendit, cum agrum mundum, et semen dixit esse verbum Dei. Seminavit ergo ut meteret, messuit ut manducaret. Hujus agri fructum quotidie colligit, et quasi eo pascitur, cum electorum profectibus delectatur. Unde sponsus in Canticis canticorum dicit: *Comedi favum cum melle meo* (*Cant.* v, 15).

16. Habet iste homo et vineam, sanctam videlicet Ecclesiam, ad quam excolendam primo mane operarios misit (*Matth.* xx), et postea singulis quibusque temporibus mittere non cessavit. Patet ergo quia sicut **520** agrum excoluit ut comedat, ita vineam plantavit ut bibat. Bona vinea, quæ uvarum decorata coloribus, et dilectionis ac perseverantiæ palmitibus propagata, Regi omnium suavem in fructibus suis haustum præbet. Bona inquam vinea, quæ potest dicere: *Vinea fui pacifico, in ea quæ habet populos* (*Cant.* viii, 11). Quæ est illa quæ habet populos, nisi sancta Ecclesia per totum orbem diffusa? Illa namque habet populos, quia ex omni parte terrarum recte credentes continet. In hac ergo solummodo electus quisque vinea efficitur, quia nullum aliquando fructum ferre poterit, qui ab unitate Ecclesiæ discedit. Eo enim Deo poculum subtrahit, quo hæreticorum ineptæ garrulitati consentit. Quid enim sitit Deus, nisi fidem nostram (*Joan.* iv)? Unde et a muliere Samaritana quæsivit bibere, de cujus eum non legimus aqua bibisse, sed spiritalem potum ei mulier obtulit, cum mundi eum Salvatorem agnovit (*Joan.* xix). In cruce quoque positus sitiebat, et pœnitentiam peccantium, et fidem exoptabat perfidorum. Sed vinea Domini sabaoth in patribus a Deo plantata, et doctrinæ aratro et verbi ligonibus per manus prophetarum exculta, novissime in amaritudinem versa, dum ei vinum lætitiæ ferre debuit, feralis invidiæ acetum porrexit. Plerumque etenim bonum vinum corrumpitur, et in acetum mutatur. Quia ergo ille populus et in patribus sanctus, et in

filiis nequam exstitit, quasi primo vinum, postmodum vero acetum fuit. Fuerunt tamen aliqui etiam inter illos, qui hunc omnium Salvatorem crediderunt, fuerunt et qui de peccatorum profundo ad misericordiarum se patrem levaverunt. Quis enim pluribus aut majoribus criminibus unquam obligatus exstitit quam mulier illa peccatrix, de qua septem, ut ait Evangelista, dæmonia ejecit (*Marc.* XVI)? Nam et Zachæus publicanis et raptoribus publicanus ipse et raptor præfuit, et tamen ad ipsius hospitium Dei Filius divertit (*Luc.* XIX, VI). Sed et Simon indigne tulit de admissione mulieris: et turba murmuravit de hospitio peccatoris (*Luc.* XIX). Poculum namque suum cum fletu miscuerat, et ideo sibi inimicorum protervitas exprobrabat. Quod quotidie in Ecclesia fieri cernimus, cum peccatores pro peccatis suis plangentes, Christum indui, et ad ipsius intrare unitatem videmus. Vel certe poculum Deo cum fletu miscere, est alios ab exterioribus introrsus trahere, alios ab interioribus exterius jactare. Scimus enim, quia potus ab exterioribus interius trahitur, fletus ab interiori exterius derivatur. Quia ergo conditor noster occulta nostra examinat, et non solum opera, verum etiam intentiones radicitus pensat, occulto ejus judicio fit, ut quosdam qui in oculis hominum justi esse videntur, reprobet, quosdam criminibus reos per pœnitentiam correctos salvet. Et cum juxta Apostoli sententiam, *neque volentis, neque currentis, sed miserentis* sit *Dei* (*Rom.* IX, 16), alios qui corruerant, misericorditer erigit; alios qui stare videbantur, cadere juste permittit. Ex peccato namque primi parentis accepimus, ut nec in ipsa justitia stabiles esse possimus, sed aut contra Deum, nobis bonum quod facimus imputando, erigimur, aut contra proximos in superbiam levamur, unde et subditur:

(Vers. 11.) *A facie iræ et indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.*

17. Quia enim justæ damnationis sententiam primus homo peccando pertulit, quam postmodum nepotum successio consequenter incurrit, ideo Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, **521** et ab ea qua tenebantur damnatione liberare. Ecclesia vero quæ corpus ejus est, cui claves regni cœlorum tribuit, et ligandi atque solvendi potestatem dedit, ideo peccatores quotidie suscipit, quia illam iræ Dei sententiam agnoscit. Quia enim per faciem personam agnoscimus hominis, recte per faciem iræ, damnationis intelligimus cognitionem. Nam quod iram indignationis agnoscat, manifeste ostendit cum subjungit: *Quia elevans allisisti me.* Creatis cæteris animalibus, homo præ cunctis elevatus fuit, quia et libertate exstitit arbitrii præditus, et rationis lumine illustratus. Cui etiam datum est ut non sicut cætera animantia terram semper aspiceret, sed ut ipso situ corporis cœlos erectus videret; ut ex hoc quoque aperte cognosceret quia et intentionem ad summa dirigere, et mentem deberet ad Deum levare. Nam et terror ejus et tremor omnibus animantibus incubuit, quia divina voce eis prælatus fuit. Mortem quoque nequaquam incurreret, si divinis præceptis obediens nunquam peccaret. Sed conditoris sui mandata transgrediens, tanto gravius corruit, quanto antequam caderet, altius stetit. Cadens igitur allisus est, quia peccare non metuens, et pro salute infirmitates pertulit, et pro vita mortem suscepit.

(Vers. 12.) *Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut fenum arui.*

18. Gravis allisio, per quam lux in tenebras vertitur, et in ariditatem viror mutatur. Diem namque sicut umbram primus homo habuit, quando se a facie conditoris abscondit (*Gen.* III). Nam inter opaca nemorum latere voluit, ut ex hoc quoque patenter ostenderet quas cæcitatis umbras interius pertulisset. Si enim in umbra non esset, Deum esse localem non crederet, nec ab ejus oculis putaret se abscondi, a quo sciret etiam cordis occulta videri. Quæsivit ergo umbram corporis, qui prius incurrit umbram mentis. Dies namque ejus inclinata fuerat, et ideo illi lumen sapientiæ interius non fulgebat. Sol etenim dum inclinat, majores umbras efficit, et caloris sui magnitudinem paulatim subtrahit. Unde post meridiem Adam a Deo vocatus esse describitur (*Ibidem*), ut ab exterioribus agnoscamus quid interius gereretur. In meridie enim lux est purior, aer limpidior, æstus ferventior. Quasi ergo meridies in Adam pectore inerat, dum lumine divinæ contemplationis illustratus, amoris summi facibus ardebat. Sed hunc miser meridiem perdidit cum peccavit. Ibi enim amoris refriguit incendium, caligavit claritas, defecit visio. Veniens autem in mundum lux verax Dei Filius hanc nobis claritatem reddidit, cum cordis nostri tenebras præsentiæ suæ illuminatione fugavit. Unde scriptum est: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* (*Isa.* IX, 2). Magna lux remissio peccatorum, donum gratiæ, intelligentiæ claritas, contemplationis gaudium, collatio virtutum. *Dedit enim nobis*, ut ait Apostolus, *pignus spiritus* (*II Cor.* V, 5): gustavimus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi superventuri (*Hebr.* VI). Hi sunt dies gratiæ, quos nobis contulit excellentia bonitatis Dei. In quibus si noctem nequitiæ contemnimus, ad cœlestis regni hæreditatem inoffenso itinere ambulamus. Hinc etenim Salvator ait: *Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt* (*Joan.* XI, 9). Sed hi dies in nobis sicut umbra declinant, cum peccatorum nostrorum nebulas propitiationi divinæ opponentes, et mentis patimur caliginem, et divinæ exstinguimus charitatis ardorem. **522** Scimus autem quia sole ad occasum vergente, umbræ crescunt donec nox veniat, et lumen omnino diei deficiat. Sic nimirum cum in reproborum cordibus sol justitiæ occidere cœperit, cæcitatis umbra vehementer excrescit, adeo ut divino non illuminentur lumine, sed mortifera noctis involvantur obscuritate. Sequitur:

19. *Et ego sicut fenum arui.* Nemo est qui nesciat quod quantumlibet tenera aut delectabilis herba sit,

si apposita falce succiditur, [a] et coloris venustate confestim exuitur, et a radicis humore siccatur. Sic profecto quicumque per opera pravitatis à Deo recessit, necessario a virtutis intimæ humore arescit. Hinc etenim Salvator discipulis ait : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic et vos nisi in me manseritis* (*Joan.* xv, 4). Nam etsi florere in hac vita peccatores plerumque videantur, ariditatem tamen suam in fine recognoscunt dum simul amittunt et ridentis vitæ dulcedinem, et temporalis gloriæ dignitatem. In sapientiæ quippe suæ vanitate confisi, dum sperant facile sibi cuncta suppetere, arbitrantur utique se religionis virtute non egere. Et dum de inani sapientia se jactant, insipienter vivere nequaquam formidant. Et quia a veræ sapientiæ radice præcisi sunt, in stulta sua sapientia aruerunt. Qui si voluerint in ipsa sapientiæ vitalis radice revivisci, summopere studeant ad fontem vitæ, mentis processu properare.

(Vers. 13.) *Tu autem, Domine, in æternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.*

20. Spectat hoc ad id quod ait : *Ego sicut fenum arui.* Quasi dicat : Qui diligens vanitatem, et sequens mendacium, in æternitate et stabilitate persistere nolui, temporalis et instabilis factus, mortis ariditatem incurri. Sed tu, Domine, in æternum permanes. Hæc ergo est unica spes salutis meæ, ut tibi inhæream; ut sicut per me factus sum aridus, ita per te fiam æternus : et in te vivens mortem effugiam, a quo discedens perdidi vitam. Nos quoque scientes quia primus homo factus est de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis (*I Cor.* xv) : sicut terreni imaginem portavimus, ita cœlestis imaginem portemus, et cum eo unum efficiamur, qui resurgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* vi). Ipse est enim qui factus est in spiritum vivificantem, cujus si membra fuerimus, quo caput nostrum præcessit, pariter ascendemus. Cujus ascensus spem ipse nobis contulit, qui ait : *Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* xvii, 24). Quod si ab ejus separati fuerimus corpore, velut abscissa membra participatione carebimus vitæ, nec cum eo in cœlum ascendemus. Cum eo ergo unum simus, quia sicut ipse ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* iii, 13).Et notandum quia non dixit, vivis, sed, permanes in æternum. Homo etiamsi multo tempore vivat, non tamen uno die permanet; quia ut semper mutetur, ex conditione mortis habet. De quo quidam sapiens perhibet, dicens : *Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (*Job.* xiv, 2). Deus vero qui solus vere æternus, vere immortalis est, in æternum permanet, quia in eo nihil est transitorium, nihil mutabile, nihil quod alienum sit a sempiterna ejus divinitate. *Memoriale tuum in generationem et generationem.* Quid magis memoriale in Deo, quam A misericordia? De illa namque scriptum est : *tiones ejus* **523** *super omnia opera ejus* (*Psal.* cxliv, 9). *Et misericordia Domini ab æterno et usque in æternum super timentes eum* (*Psal.* ciii, 17). Licet enim hominem mirabiliter condiderit, mirabilius tamen perditum per Filii sui mortem redemit. Hæc memorialis Dei misericordia in generatione et generationem permanet, quæ omnibus per temporum curricula viventibus usque in finem sæculi patet.

(Vers. 14.) *Tu exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.*

21. Si Sion ad litteram accipimus, Judæorum in hoc loco et gentium vocationem notare valemus. Et videbitur hoc modo quasi præcedentis verbi expositio, ut cum duas generationes nominat, qualiter in B generatione et generationem misericordia Dei sit permansura, ostendat. Ait ergo : *Tu exsurgens misereberis Sion.* Per Filium Deus Pater exsurrexit, quia qui antea non cognoscebatur, per eum in hominum notitiam venit. Unde et verbum Patris et splendor dicitur (*Hebr.* i); quia per eum et voluntas Dei agnoscitur, et ipsa divinitatis essentia declaratur. Sion vero, id est Judaici populi misertus est, quando de eorum progenie nasci voluit, et prius eos ad fidem vocavit. *Tempus miserendi*, tempus plenitudinis intellige, quia juxta apostoli sententiam : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui erant sub lege redimeret* (*Gal.* iv, 4). Quod vero ait : *Quia venit tempus,* C tempus nimirum gratiæ vult intelligi, de quo Dominus per prophetam dicit : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isa.* xlix, 8). Quod exponens apostolus ait : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* vi, 2).

(Vers. 15.) *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terræ ejus miserebuntur.*

22. Per lapides Sion apostolos intelligere possumus, qui de Judaico nati populo, Ecclesiam demum ex seipsis ædificaverunt. Qui profecto lapides servis Dei placuerunt, cum quales futuri essent, prophetæ per spiritum viderunt. Nisi enim prophetis apostoli placuissent, nequaquam de eis Isaias diceret : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas* (*Isa.* lx, 8)? Et iterum : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* D (*Rom.* x, 15, *ex Isa.* lii)? Qui sunt pacem evangelizantes, nisi apostoli Christum prædicantes? *Ipse est enim pax nostra*, ut ait Apostolus, *qui fecit utraque unum* (*Ephes.* ii, 14). Unde etiam ipso nato, hominibus pacem redditam Angeli Pastoribus nuntiaverunt (*Luc.* ii), quam postea apostoli omnibus gentibus publice prædicaverunt. Per pedes vero evangelizantium, affectus intelligimus apostolorum, qui quidem speciosi erant, quando non sua commoda, sed auditorum utilitatem quærebant. Speciosi, inquam, erant, qui terreni lucri inquinamenta ex ipso operationis suæ incessu non contrahebant. Tunc namque corporeos pedes habere speciosos dicimur, quando nulla

[a] Remb. Vatic. Gilot. *ex coloris.*

cœnosæ viæ labe fœdamur. Quia ergo ex prædicationis officio terrenas divitias apostoli non quærebant, recte de eis dicitur quia pedes eorum speciosi erant. Hinc namque Anna de Deo prophetavit, dicens : *Pedes sanctorum suorum servabit* (*I Reg.* II, 9). Quia ergo quales futuri essent apostoli, per Spiritum sanctum prophetæ viderunt, recte nunc dicitur quia servis Dei lapides Sion placuerunt. Qui porro lapides terræ miserti sunt, quia pœnitentiam agentes a peccatis absolverunt. Per terram quippe peccatores accipimus. Unde serpenti a Domino dictum est : *Terram* **524** *comedes omnibus diebus vitæ tuæ* (*Gen.* III, 14). Antiquus enim hostis terram comedit; quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit; isque hominum perditionem desiderans quodammodo reficitur, dum pravis eorum operationibus delectatur. Terræ ergo Sion apostoli miserti sunt, quando Judæos ab errore conversos a peccatis absolverunt. Ecce constructus est unus paries domus Dei, quæ est Ecclesia, paries, inquam, ex circumcisione; veniet paries ex præputio, ut duo parietes in unum juncti lapidem angularem, unam construant civitatem (*Ephes.* II). Videamus ergo quid sequatur :

(Vers. 16.) *Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes Reges terræ gloriam tuam.*

23. Quasi dicat : Non solum misereberis Sion, Judæos vocando, sed etiam gentium, eas ad fidem convertendo. Quæ quidem non resistent Evangelio, sed agnita veritate, *timebunt nomen tuum, Domine.* Timebunt, inquam, non timore servili, sed casto et filiali. Timuerunt gentes Deum, quando spreta idolorum cultura, et antiquæ contemptis superstitionis erroribus, baptismo sunt mundatæ pœnitentiæ, et Christianæ susceperunt instituta doctrinæ. In quibus verbis notandum quia non ait : Sion timebit nomen tuum, Domine, sed : *Gentes timebunt nomen tuum*, quia etsi missus sit Christus ad oves quæ perierunt domus Israel, tamen illis verbum Dei repellentibus, et indignos se æternæ vitæ judicantibus, conversi sunt ad gentes apostoli (*Matth.* XV), quæ nomen Christi cum gaudio susceperunt (*Act.* XIII). Hinc namque Apostolus ait : *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas traditiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in gentibus, et nomini tuo cantabo* (*Rom.* XV, 8). Hinc rursus ait : *Quod quærebat Israel, non est consecutus, electio autem consecuta est* (*Rom.* XI, 7). *Et omnes reges terræ gloriam tuam.* Infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. (*I Cor.* I). Ignobiles vocavit, ut nobiles vinceret; piscatores elegit, ut reges subjugaret. Ecce impletum est quod de Christo prædictum est : *Omnes reges terræ timebunt gloriam tuam.* Omne enim culmen sæculi, ad reverentiam Christi flectitur; omnis dignitas humanæ conditionis ad obsequium Christi inclinatur, sicut ait Apostolus: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Phil.* II, 8). Gloria Christi resurrectio est, per quam a diabolo regnum abstulit, et mortis destruxit imperium. Qui enim in morte visus est infirmus, in resurrectione apparuit gloriosus. Unde dicit Apostolus : *Et si mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute* (*II Cor.* XIII, 4).

(Vers. 17.) *Quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.*

24. Causa est quare gentes et Judæi ad fidem vocentur. Ex utroque enim populo ædificata est Sion spiritalis, quæ in celsitudine virtutum posita, terrena deserit, cœlestibus intendit, futura prævidet, hostium incursus non timet. Hujus fundamenta in montibus sanctis sunt (*Psal.* LXXXVI), quia sicut ait Apostolus : *Jam non sumus hospites et advenæ, sed cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (*Ephes.* II, 19). In hac civitate Deus homini conjungitur, sicut scriptum est : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis* (*Apoc.* XXI, 3). Synagogam enim reprobavit, Ecclesiam **525** elegit. Ideoque scriptum est : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob* (*Psal.* LXXXVI, 2). Illa nempe Deus tabernacula deseruit, Sion vero, id est Ecclesiam, præsentia suæ habitationis illustravit. Unde et illic nequaquam conspicitur, hic autem ab his qui mundo sunt corde, mentis intuitu videtur, nam subditur : *Et videbitur in gloria sua.* In gloria sua Christus videtur in Ecclesia, qui in infirmitate visus est in synagoga. In qua infirmitate nequaquam a morte videbitur, qui immortalis et impassibilis factus, cum Patre Deus in illa jam cœlesti sede gloriatur. Unde dicit Apostolus : *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* (*II Cor.* V, 16). Possumus quoque per id quod superius dictum est, *Tu exsurgens misereberis Sion*, remissionem peccatorum quæ in Ecclesia datur, intelligere, et multiformis dona gratiæ, quæ quotidianis divinitus incrementis consequitur. Quæ in illis Deus multiplicat, quibus Sion placent lapides, id est qui et apostolorum doctrinam recipiunt, et eorum pro posse exempla imitantur. Sed jam ad sequentia revertamur.

(Vers. 18.) *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum.*

25. In humilium Deus orationem respexit, quando ad humanam naturam reformandam Filium in mundum misit. Hoc enim justorum requirebat oratio, hoc prophetarum exspectabat desiderium, ut ille in mundum veniret, qui et a diabolica servitute hominem redimeret, et vitæ aditum, quem culpa obstruxerat, gratuito pietatis suæ munere reseraret. Hinc namque Isaias ait : *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos* (*Isa.* XV, 20). Ex quibus verbis liquido colligitur, quia in eorum respexit orationem, quibus in tribulatione clamantibus non solum Salvatorem contulit, sed etiam propugnatorem misit. Idem vero qui fuit Salvator, fuit et propugnator. Salvator nam

que Dei Filius est, de quo scriptum est per prophetam : *Deus ipse veniet, et salvabit nos* (*Isa.* xxxv, 4). Unde etiam Jesus priusquam in utero conciperetur, vocatus est ab angelo (*Luc.* 1 et 2). Nam quod propugnator sit, ipse ostendit cum per prophetam ait : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum* (*Isa.* LXIII, 1). Ex hoc preces non sprevit, quia eis quod deprecabantur indulsit. Si enim preces eorum sprevisset, nequaquam ad eos liberandos Filium misisset. Hinc namque Moyses ad Dominum ait : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod.* IV, 13). Hinc propheta alius exclamavit, dicens : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes* (*Isa.* LXIV, 1). Hinc etiam David dixit : *Deus, judicium tuum Regi da* (*Psal.* LXXI, 1). Judicium suum Regi Deus Pater dedit, quando Dei Filius carnis humanæ substantiam assumpsit. Hinc namque ad Filium ipse Pater ait : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ; reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos* (*Psal.* II, 8). Patet ergo quia judicium suum illi dedit, cui et bonorum regnum, et inconvertibilium tradidit comminutionem. Vas enim figuli postquam semel confringitur, nullo modo postmodum reparatur. Quid ergo per confractionem vasorum figuli, nisi extrema damnatio designatur? Ibi enim per judicii severitatem quicunque confringitur, nequaquam ulterius per pœnitentiæ remedium reparabitur. Quod profecto judicium per Dei et hominum mediatorem fiet, quia scriptum est : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22). In humilium nihilominus orationem **526** Deus respicit, cum pro se vel aliis exorantes fideles exaudit.

(Vers. 19.) *Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur, laudabit Dominum.*

26. Sicut ex duobus populis primitiva est constructa Ecclesia, ita gemina est generatio in fidei unitate collecta, carnalis scilicet, et spiritalis. Sive ergo Sion, et ea quæ sunt supradicta, ad litteram intelligamus; sive per intellectum mysticum ad Ecclesiam cuncta referantur, conveniunt superioribus sequentia, et prælibatis exponenda concordant. Dictum est enim : *Tu exsurgens, Domine, misereberis Sion.* Et iterum : *Quia ædificavit Dominus Sion.* Nunc vero ait : *Scribantur hæc in generatione altera.* Quod enim Judæis fuit promissum, hoc in gentibus videtur impletum. Si vero juxta spiritalem intelligentiam per Sion Ecclesiam accipimus; per generationem alteram, spiritalem intelligimus, in qua nimirum divinæ scriptæ sunt promissiones; quia quidquid de remissione peccatorum, quidquid de æternitate felicitatis Scriptura sacra asserit, hoc in cordibus suis per amorem spiritus spiritalis generatio inscribit. Cui et dicitur : *Audi, Israel, præcepta Domini, et ea in corde quasi in libro scribe* (*Deuter.* VI, 3, 7). De hac præceptorum Dei inscriptione per prophetam Dominus dicit : *Hoc est testamentum quod testabor eis; dabo leges meas in cordibus eorum, et in sensibus eorum scribam eas* (*Jer.* XXXI, 33). Bonus pater, qui filiis non terrenæ hæreditatis jura, non luto aut lateribus constructas domos, non auri argentive præscribit acervos, quæ livoris plerumque et invidiæ seminarium sunt, et superbiæ ac luxus existunt fomenta; sed charitatis et dilectionis gratiam, justitiæ et pietatis proponit edicta, et veritatis legem non in lapide, vel membrana, vel ligno, vel cera, sed in tabulis cordis perscribit; ut æternæ filii promissionis vanis nunquam cogitationibus occupentur, sed semper omnipotentis patris testamentum quasi præ oculis habentes, quid timere, quidve sperare debeant cogitent, et in exsequendis mandatis cœlestibus, votis omnibus elaborent. De his quippe ait Propheta in psalmo : *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob* (*Psal.* XXIII, 6). Quid nobilius generatione divina? Quid sublimius cœlesti? Quid castius conceptione spiritali? Voluit immaculatus Dominus ut homo sine macula nasceretur peccati, et absque vitio carnalis delectationis humanæ sobolis propagaretur successio. Et ideo talem fecit Adam, ut absque peccato filios ederet, si in conditoris obedientia perstitisset. Posset namque fieri ut sicut absque delectatione fructus suos terra germinat, ita sine peccato filium mulier pareret; et sicut ipse a Deo Adam pure conditus fuerat, ita homo hominem pure procrearet. Quod homini cur esse incredibile videatur, cum apibus etiam hoc ipsum conferatur? Sed quia Domino suo obedire humana anima renuit, animæ imperio caro obtemperare contempsit. Nam et rebellis ei semper postmodum exstitit, et adversus eam cujus ancilla fuerat, se in superbiam erexit. Plerumque autem usque adeo erigitur, ut ipsa dominæ suæ versa vice dominetur. Unde fit ut in filiorum procreatione per delectationem in peccatum incidat, et bonum opus male operando, delinquat.

27. Sed Dei hominumque Mediator, sicut nobis quam perdideramus vitam contulit, ita etiam hanc in nobis generationem reparavit. Unde et de virgine, et sine peccato nasci voluit; ut ex hoc patenter ostenderet, quia hoc etiam nobis inter **527** innumera beneficiorum suorum dona conferret. Ideoque ait : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium* (*Isai.* VII, 14). Quam virginis conceptionem nequaquam signum esse diceret, nisi aliquid nobis in ipsa sua nativitate quod credere deberemus signaret. Unde rursum scriptum est : *O radix Jesse, qui stas in signum populorum* (*Isa.* XI, 10). Signum enim fuit populis illa Christi sine virili commistione nativitas, quod his qui credunt in nomine ejus, daturus erat *potestatem filios Dei fieri : his* videlicet *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 12). Sicut namque beata Maria Christum peperit virgo, et post partum incorrupta permansit, ita et mater Ecclesia filios Deo sine dolore generat, et virgo semper illibata perseverat. Qui in hoc quoque quod Deum toto corde diligunt, patrem se Deum habere evidenter ostendunt. Filiorum enim est diligere, non timere. Porro in hac dilectione ne-

quaquam torpescunt otio, aut operibus insolescunt, A sed et in mandatis cœlestibus voluntatem Dei custodiunt, et ex virtutum operatione nullam ab hominibus laudem quærunt. Unde et subditur : *Et populus qui creabitur, laudabit Dominum.* In operibus nempe suis Deum laudant, qui bonum quod faciunt, nequaquam sibi, sed gratiæ Dei attribuunt. Unde et Paulus cum plus omnibus se laborasse dixisset, subjecit atque ait : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*II Cor.* xv, 10). Sed quæ in nobis sunt sanctitatis opera, ita sunt ad proximorum ædificationem exterius trahenda, ut in eis non favor aut gratia humana requiratur, sed ipse a quo hæc sunt hominibus collata Deus laudetur. Hinc namque per semetipsam Veritas apostolis ait : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant* · *opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui* B *in cœlis est* (*Matth.* v, 16).

(Vers. 20.) *Quia prospexit de excelso sancto suo; Dominus de cœlo in terram aspexit.*

28. Nec nova post creationem nasceretur, nec Deum perfecte sanctorum vita laudaret, nisi per eum nos divina miseratio respexisset, qui nos in Nicodemo denuo nasci docuit, dum aliter in regnum intrare non posse, nisi ex aqua et spiritu renasceremur, monstravit. Unde dum populum creandum Dominum benedicturum esse propheta dixisset, causam illico nostræ redemptionis adjecit (*Joan.* III), velut qui indubitanter sciret, aliter novum non posse creari populum, nisi Dominus et redemptor noster novus homo veniret in mundum. Nec posse quemquam amplius de vera salute ambigere, cum sciret omnipotentem me- C dicum ad infirmos descendisse. Dicatur ergo : *Quia prospexit de excelso sancto suo.* Prospicere dicimur, cum a longe intuemur. Quia ergo per Verbi Dei incarnationem non solum Judæa, quæ juxta esse videbatur, sed etiam gentilitas liberanda erat per misericordiam, recte nunc dicitur : *Quia prospexit de excelso sancto suo*, juxta quod scriptum est : *Pacem iis qui longe, et pacem iis qui prope* (*Ephes.* II, 17). Redemptor noster non immerito excelsus dicitur, quia divinitatis ejus potentiam nemo mortalium intuetur; denique et sanctus exstitit, et Dei per omnia fuit. Hinc namque ipse de se in Evangelio ait : *Quem Deus sanctificavit, et misit in mundum* (*Joan.* XVI, 36). Nam quod Dei per omnia fuerit, ipse testatur cum ait : *Non potest Filius a seipso facere quidquam, nisi* D *quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* v, 19). Idem autem qui excelsus exstitit, ipse etiam cœlum fuit; sed excelsus propter sublimitatem, cœlum vero **528** propter divinam inhabitationem. *In eo enim*, sicut testatur Apostolus, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Colos.* II, 9). Et per prophetam quoque Dominus ait: *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* LXVI, 1). Quæ autem major sedes Dei quam Christus? Cœlum igitur Dei Christus est, de quo Dominus in terram aspexit, ut cum peccantibus quibusque spem per eum veniæ tribuit, de cœlo in terram aspexit, ut cœlum fieret qui terra fuit. Quod aperte ostenditur, cum illico subjungitur :

(Vers. 21.) *Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.*

29. Sancti viri non incongrue compediti dicuntur, quia ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea quæ exteriora sunt vagantur, et quasi gressum operis immobiliter figunt, dum a conditoris desiderio nusquam discedunt. De his namque compedibus scriptum est : *Injice pedes tuos in compedes ejus, et in torques illius collum tuum* (*Eccl.* VI, 25). Quia profecto cujus a pravitate gressus compescitur, ejus fides sanctarum varietate virtutum adornatur. Collum namque fides est, per quam Deo fidelis quisque conjungitur, et quasi per collum capiti suo Christo Ecclesia, quæ ejus est corpus, unitur. Unde in laudem sponsæ in Canticis canticorum dicitur. *Collum tuum sicut monilia* (*Cant.* I, 10). Quia enim sicut Jacobus ait : *Fides sine operibus mortua est* (*Jacob.* II, 26); quasi collum sponsæ monilibus circumdatur, dum fides sanctæ animæ operibus decoratur. Gemunt continue compediti, quia dum exsilii sui tenebras electi considerant, ad claritatem visionis Dei indesinenter suspirant. Sed eorum gemitus nequaquam Deus audiret, nisi mediatorem nobis Filium suum dedisset. Unde dicit Apostolus : *Per quem accessum habemus ad Patrem, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*Ephes.* II, 18). Constat ergo quia nullius audiret gemitum Deus, nisi ille venisset, per quem ad Patrem habemus accessum. *Ut solveret filios interemptorum.* Filii interemptorum sunt imitatores martyrum, eorum scilicet, qui vel pro testamento Dei sua cor- C pora tradiderunt, et in sanguine Agni laverunt stolas suas (*Gal.* v); vel qui membra sua super terram mortificantes, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt. Possumus quoque per compeditos eos accipere qui mortalitatis et passibilitatis vinculis se astrictos intelligunt, et miseriis humanæ necessitatis afflicti indesinenter gemunt.

(Vers. 22.) *Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem.*

30. Soluti a peccatorum vinculis, eo magis in Ecclesia nomen Dei annuntiant, quo eis dimissum est de peccatorum excessibus quod timebant. Quid vero aliud est nomen Domini annuntiare, nisi Dei misericordiam in Ecclesia prædicare? Dominorum enim est misereri. Hinc namque de Christo dicitur : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI, *ex Psal.* CXVII, 26). Scimus enim quia mediator Dei et hominum homo Christus Jesus judex est humani generis; juxta quod scriptum est : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22). Qui si in primo adventu venisset in nomine judicis, nemo profecto foret, qui pœnam æternæ evaderet damnationis. *Omnes enim*, ut ait Apostolus, *peccaverunt et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 13). Venit ergo in nomine Domini, qui venit ut peccata dimitteret, non ut peccatores damnaret. Venit, inquam, in nomine Domini primo, qui in nomine judicis in adventu veniet secundo. **529** In Sion ergo nomen Domini annuntiant, qui Dei misericordiam populis prædicant.

sequitur : *Et laudem ejus in Jerusalem.* Unam Ecclesiam propter diversas causas diversis appellat nominibus : Sion eam nominans, sicut quæ ad alta sustollitur : Jerusalem vero, quæ quasi jam mortificatis hostibus, veram in se pacem intuetur. Notandum vero quia nomen Domini prius annuntiandum, postea vero potuit esse laudandum. Agnitionem enim nominis laus sequitur confessionis. Quomodo enim credent ei quem non audierunt (*Rom.* x)? Quæ autem major laus Dei, quam quod mundus in unitate fidei collectus, non solum opera ejus annuntiat, sed etiam vita eum et operibus laudat? Unde et subditur :

(Vers. 23.) *In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.*

(Vers. 24.) *Respondit ei in via virtutis suæ, paucitatem dierum meorum nuntia mihi.*

31. In unum convenerunt populi in Ecclesia per totum orbem diffusa, quæ Christum credit esse filium Dei. De hac unitate dicit Apostolus : *Unus Deus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* iv, 5). Extra hanc nemo laudat Deum, nemo annuntiat. Hanc designabat ille unus qui post motionem aquæ in piscinam descendens sanabatur (*Joan.* v): Nemo namque est qui veræ possit invenire salutis remedium, nisi ad unitatem fidei veniat, et per sanctificationem vitæ Christum induens, unum cum eo fiat. Hinc namque per semetipsam Veritas ait : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3). Per reges, eos intelligas qui animorum suorum motus secundum Dei voluntatem dirigunt, eisque regum more dominantur, dum in rationis eminentia quasi in regali solio præsidentes, repugnantia quæque servituti subjiciunt, et pacatis omnibus, æquitatis leges et innocentiæ jura, in seipsis disponunt; sive etiam eos qui populis præfecti, in rerum culmine stare videntur, dum divitiis affluunt, honoribus cumulantur, terreni præeminent dominatione imperii, et gloria mundanæ potentiæ extolluntur, non absurdum videbitur, cum et illi in ipsa cordium suorum directione Domino serviant, et isti religionis Christianæ documenta tenentes, orthodoxæ fidei jugo mentis colla supponant.

32. In hoc igitur populorum et regum conventu quilibet fidelis respondit Deo in [a] via veritatis positus, videlicet in Christo, qui viam se nobis proposuit dicens : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* xiv, 6). Responsio autem hæc non voce æstimatur, sed opere. Non enim respondent Domino, qui vocati perverse vivunt, qui post illud divinum semen in terra rationabili susceptum, spinas perversitatis, aut tribulos producunt nequitiæ (*Matth.* xiii); sed qui in omni bono se aptantes, et de sua vocatione gratias Deo referunt, et fructum Deo centesimum, vel sexagesimum, aut etiam trigesimum in cordis innocentia ferunt. Notandum vero quod dicit : *In via virtutis* (*Joan.* xv). Virtus namque Christi est gloria resurrectionis ejus. Licet enim opera fecerit quæ nemo alius fecit, et miraculorum signa divinitatis ejus fidem astruant, credendi tamen in eum nulla potentior aut condecentior via exstitit, quam quod mortuus et sepultus tertia die resurrexit. In via ergo virtutis Dei respondet Ecclesia, cum de gloria resurrectionis Christi nihil asserens ambiguum, nihil sentiens obscurum, studet in membris suis Christo per baptismum **530** et pœnitentiam commori, et per novitatem vitæ Christum induens, eidem convivificari. Cum enim nihil in se lucidum, nihil vitale conspiciat, a solo Deo se putat posse acquirere et luculentarum virtutum plenitudinem, et desideratam vitæ indeficientis æternitatem, quæ etiam nonnisi per gratiam Dei potest advertere quot sit obnoxia defectibus, quot infirmitatibus subdita, quot miseriis vallata. Ideoque dicit : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Quasi dicat : Qui ex meis viribus hoc consequi non valeo, ut quam pauci sint dies mei intelligam, fac ut per gratiam tuæ inspirationis, et virtutum defectum, et hujus vitæ brevitatem agnoscam, quatenus vitæ hujus velocem considerans transitum, nullum in corde sentiam de amore illius affectum.

(Vers. 25.) *Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generatione et generationem anni tui.*

33. Per dimidium dierum, imperfectionem vitæ accipimus, in qua se fidelis quisque non revocari de mundi hujus exorat exsilio, ne si in die exitus sui transitoriæ adhuc vitæ amore occupatus fuerit, ad illam æternitatis vitam transire minus possit. In hac vita dimidium tantum dierum accipimus, quia etsi nos assidue solis hujus materialis splendor illuminet, sequitur tamen nox, quæ assidue illuminatos obscuret. Roget ergo unusquisque, ut dum in vitæ hujus cursu mentis amore defigitur, antequam de adipiscendis æternis satagat, a Deo non revocetur. Sancti viri etsi sunt mortali carne circumdati, nequaquam sunt in dimidio dierum, quia perfecti desiderii amore a terrenis suspensi, illa beatæ vitæ æternitate jam in spe perfruuntur. Hinc namque Paulus dicit : *Spe salvi facti sumus* (*Rom.* viii, 24). Hinc rursus ait : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* iii, 20). Sic namque inoffenso cursu ad æternitatis statum perveniunt; sic ante hujus vitæ terminum, in æternitatis desiderio mentem fixerunt. Quod quidem evidenter ostenditur, cum protinus subditur : *In generatione et generationem anni tui.* Nota quod vitam suam dierum paucorum appellatione significat, æternam vero annorum in generatione et generatione permanentium; ut per hoc quoque prudens lector intelligat, et infinitam illius futuræ felicitatis longitudinem, et labentem temporalis gloriæ brevitatem. Quis enim nesciat annos diebus multo longiores? Quia vero etiam in annis finis potest intelligi, in generatione et generatione eos permansuros dicit. Sapientia dicit :

In psalmo sane legitur, *in via virtutis;* at nondum hic locus explicatur.

[a] Autumat Gussanv. legendum, *virtutis.* Secus legitur in editis omnibus; et quidem optime, quia consequenter pro futuro : *Ego sum via, veritas,* etc.

Generatio vadit, et generatio venit, terra autem in æternum stat (*Eccl.* I, 4). Hæc est namque instabilis vitæ istius permutatio, ut decedentibus aliis alii succedant, quibus postmodum simili modo deficientibus, alii non æquali conditione oriantur. Ex quibus tamen omnibus, quæ in sæculo fuerunt vel futuræ sunt generationibus, viva illa et divina generatio perficitur, quæ in æternum claritatis Dei consortio perfruetur. In hac itaque nos, id est æternitatem Dei permansuram dicit propheta : tunc videlicet, cum generatio quæ præcedit et quæ sequitur, una facta fuerit, novissima utpote morte destructa, quæ antequam in victoria absorbeatur, nihil stabile, nihil solidum, nihil dimittit illæsum (*I Cor.* XV).

34. Quæ tamen intelligi et aliter possunt, ut ad superiora hoc modo referantur. Dictum namque est superius : *Populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Quomodo ergo laudet, ostendit cum ait : *Respondit ei in via virtutis suæ, et laudem ejus annuntiabunt in Jerusalem.* Jerusalem vero non quæ servit **531** cum filiis (illa enim vocata nequaquam in laude respondet), sed illa cui dictum est : *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis* (*Isa.* LIV, 1) ; vocata respondet Domino posita in via virtutis suæ. Via virtutis Christi est imitatio constantiæ ejus. In hac via populus creatus, vel Jerusalem intelligibilis respondet Domino, quia sicut pro nobis Christus animam posuit, ita constantiam Christi sequens, pro fratribus animam ponere in filiis suis non recusavit. Quid vero responderit ostendit cum ait : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Rogat innovatus populus, vel fecunda filiorum spiritalium mater, ut breve sibi videatur hujus tempus tribulationis, comparatione æternæ felicitatis ; ne dum nimis extendi quas patitur persecutiones autumat, pro dilatione præmiorum quasi tædio victa, quam imitari proposuit Christi constantiam amittat. Tunc nobis Deus quid sequi debeamus annuntiat, cum voluntatis suæ arcana nobis inspirat. Nunquid non paucitatem dierum suorum ille Deus annuntiaverat, qui dicebat : *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18) ? Noverat enim quia temporalium pressura passionum veloci fine concluditur, gloriæ vero cœlestis felicitas nullo termino angustatur.

35. Possumus per paucitatem dierum etiam aliud intelligere. Fuerunt namque hæretici qui dicerent Ecclesiam non esse generalem, sed in tempore Donati et ante finem sæculi consummandam ; non attendentes quod ei Dominus in apostolis promisit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Contra eos nunc dicitur : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Constat, quia per multiplicitatem dierum, perennis vita accipitur : per paucitatem vero, cursus istius sæculi designatur. Scriptum quippe est : *Longitudo dierum in dextera ejus* (*Prov.* III, 16). Quid enim per dexteram, nisi perpetua vita designatur ? Quia ergo sanctorum requies nullo clauditur termino, recte in dextera Dei dierum dicitur esse longitudo. Nam quod hic dicitur : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, tale est ac si dicat Ecclesia : Sunt qui insipientiæ suæ caligine et perfidiæ detestabilis induti erroribus asserant me in brevi finiendam, et usque in finem sæculi inhabitatorem non habituram ; sed tu, de cujus non diffido promissionibus, nuntia paucitatem dierum meorum mihi. Futura dierum paucitas, inquam, data est Ecclesiæ, quia toto istius vitæ tempore debet fides Christiana in mundo vigere. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum.* Per dimidium dierum, imperfectionem accipe temporum transeuntium, in qua quasi Deus revocari permitteret, si huic sententiæ hæreticorum faveret. Hoc autem ideo postulat, ne ab illis annis qui sunt in generatione et generatione, alicujus eam erroris perversitas abducat.

(Vers. 26.) *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.*

36. Initium Dei Filius est, de quo scriptum est : *Ipse est initium omnis creaturæ* (*Apoc.* III). Quod etiam ipse evidenter ostendit, cum se principium nominavit. Denique et in Apocalypsi ad Joannem idem ipse ait : *Ego sum α et ω, primus et novissimus, initium et finis* (*Joan.* VIII ; *Apoc.* I, 8 ; XXI, 13). In hoc initio fundata est terra, quia in ipso fundata est Ecclesia. Hinc namque Apostolus dicit : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Hinc ipse Dei et hominum Mediator, ad apostolorum principem **532** ait : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Ipse est enim petra, a qua Petrus nomen accepit, et super quam se ædificaturum Ecclesiam dixit. Terra autem dicta est Ecclesia, tum quia in messe fidelium populorum spiritali fecunditate exuberat, tum quia in soliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perseverat. Unde per Salomonem dicitur : *Terra in æternum stat* (*Eccles.* I, 4). Terra quippe in æternum stare dicitur, quia sancta Ecclesia in hoc sæculo a catholica Fide nequaquam deficiet, et in futuro cum Deo æterna stabilitate permanebit. Nam quod in hac vita nullis adversitatibus frangenda sit, nullis persecutionibus superanda, ipse super quem ædificata est, evidenter ostendit cum ait : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI, 18). Portæ inferi hæreses sunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quasi infernorum eis aditum pandunt. Sunt etiam portæ inferi quædam potestates hujus mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, nunquid non omnes portæ inferi ? Quis cogitare sufficiat quanti promissionibus eorum devorati sunt ? Quanti eorum metu perterriti ? Quanti afflictionibus eorum superati ? Quos omnes perpetuæ mortis profundum absorbuit, et ad cruciatum damnationis æternæ infernus admisit. Sed Ecclesia in illius, de qua dictum est, petræ soliditate fundata, minarum ventis concutitur, nec

persecutionum fluminibus movetur, nec corporalium pœnarum incommodis titubat, nec mortis ipsius timore vacillat. Illi vero qui inferni aditum sequacibus suis utpote portas aperiunt, eam impugnare et persequi modis omnibus non desistunt. In quo quid aliud faciunt, nisi quod veritatis verba evacuare contendunt? Non prævalebunt adversus eam portæ inferi, dicit Dominus, et tamen ut ei prævaleant, conantur. Sed fidelis Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in operibus suis. *Initio enim terram fundavit, et opera manuum ejus sunt cœli* (*Psal.* CI, 26). Quid per cœlos, nisi prædicatores sanctos accipimus? Qui terram istam, de qua dictum est, verborum imbribus prædicantes inebriant, subjectis fidelium populis perpetuæ damnationis exitium comminantes intonant, ad astruendam verborum fidem miracula facientes coruscant. Nam quod prædicantis verba pluviæ sint, testatur Dominus, cum per prophetam dicit: *Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti et panem comedenti; sic erit verbum quod egredietur de ore meo* (*Isa.* LV, 10). Quid apertius? Ecce sicut de cœlo descendunt pluviæ, ita de prædicatoribus verba emanant doctrinæ. Isti sunt nimirum qui enarrant gloriam Dei. De quibus etiam hic dicitur, quia opera manuum ejus sunt cœli. In præcedentibus dicit Propheta: *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum* (*Psal.* VIII, 4); hic vero ait: *Opera manuum tuarum sunt cœli.* Quid est quod ibi vocantur opera digitorum, hic vero manuum, nisi quod diversa ibi dona sancti Spiritus doctorum infundenda cordibus intelliguntur? Hic vero ipsa virtutum opera, ex eisdem tamen donis in hominum prodeuntia notitiam vocantur. Quia enim per manus omne opus agitur, ipsæ virtutum operationes per manuum opera signantur. Primum namque humanis mentibus gratia spiritalis infunditur, postmodum vero in mente quid spiritus egerit, in operibus demonstratur. Cœli etiam doctores Ecclesiæ dicti sunt, **533** quia Dominus in eis præsidet, dum per eos sua judicia exercet (*Matth.* XVIII). Quibus namque regni cœlorum claves tribuit, eis ligandi atque solvendi potestatem dedit (*Joan.* XX). Per eos ergo judicat, quia quodcunque ab eis ligatum fuerit, ligat. Scimus autem quia sedere judicantis est, et ipse Dominus per prophetam dicit: *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* LXVI). Si ergo sedes Dei cœlum est, et in rectoribus Ecclesiæ Dominus judicat, cum sedere judicantis sit, necessario consequitur quod Ecclesiæ rectores cœli dicuntur. Qui profecto cœli opera manuum sunt Dei, quia hoc ipsum quod cœli sunt, ex gratia virtutis acceperunt, sicut scriptum est: *Verbo Dei cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6).

(Vers. 27.) *Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.*

37. Nemo jam spem suam ponat in homine. Ipsi enim cœli etsi sint opera manuum Dei, peribunt tamen. Quomodo autem peribunt, nisi secundum corpus? Quod si secundum corpus perituri sunt, ubi resurrectio? Quam non solum negare scelus est, sed etiam de ea dubitare, summum nefas est. Patet itaque quia non sic peribunt ut non resurgant: sed ut eas quas in hac vita patiuntur, necessitates corporis evadant. In ipsa enim corporis eorum resumptione quodammodo perisse videbuntur, cum pereunte in eis corruptione, destruetur quod animale est, ut quod spiritale est vivat; et jam quasi non sint quod fuerant, dum in aliam mutati naturam, in lumine claritatis Dei perenniter exsultant. Solus namque Deus vere immortalis est, quia solus æternus et incommutabilis est. Unde dicit beatus Augustinus: Vera æternitas et vera immortalitas non est nisi in Deitate Trinitatis, cui quod est esse perfectum est; quia natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem etiam illæ quibus Deus æternitatem dedit, vel daturus est, non penitus omnis finis alienæ sunt, quia non sunt extra commutationem. Inter hæc sciendum est, quia hi, de quibus agitur, cœli peribunt et non peribunt; quia morietur in eis illa, quam ex carnali generatione contraxerunt, corruptio. Et tamen in eis plenior erit, quam in hac vita per speculum et in ænigmate acceperunt (*I Cor.* XIII), divina inhabitatio. Cœli hoc modo esse non desinent, dum ad recipiendum in semetipsis Deum, sinum cordis amplius laxent. Unde cum eos perituros propheta dixisset, subjecit atque ait: *Tu autem permanes.* Ac si patenter dicat: Peribit quidem quidquid in eis ex humana habetur corruptione, sed permanebit in illis quod ex tua acceperunt virtute. Tu enim permanes. Liquet ergo, quia in eis non moritur quidquid de divinitatis participatione in ipsis habetur. Caro tamen in pulverem redigetur, ut postmodum per resurrectionem in melius reformetur. Unde et subditur: *Omnes sicut vestimentum veterascent.* Vestimenta sanctorum, sunt corpora eorum. Unde de quibusdam scriptum est: *Isti sunt qui non inquinaverunt vestimenta sua* (*Apoc.* III, 4). Et iterum: *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni* (*Ibid.* VII, 14). Quæ profecto vestimenta tunc veterascunt, cum animabus eorum ad cœlum tendentibus, ipsa eorum corpora in terræ essentiam deducuntur. Quia vero mortalitatem corporis immutatio sequitur resurrectionis, consequenter adjunxit, dicens:

(Vers. 28.) *Et sicut operiorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem* **534** *idem ipse es, et anni tui non deficient.*

38. Non prætereundum nobis est quod cum dixisset eos sicut opertorium mutandos, subjunxit: *Et mutabuntur.* Signavit enim his verbis duplicem illam sanctorum in futura vita commutationem, in qua non solum corpora corruptioni in hoc sæculo et morti obnoxia perpetuam percipient incorruptionem, sed etiam anima eorum et corda in æternam transibunt stabilitatem, ut sicut mori non poterunt, ita et peccare quidem non possint; et appareat in eis multi-

plicis bonitatis Dei beneficium, cum et mortale induerit immortalitatem, et affectus non sentiet tentationem. Notandum quod opertorium Dei sancti dicuntur. Sicut enim homini nihil est vicinius quam vestis, ita Deo nihil est vicinius sanctis. Sicut enim vestimentis suis homo circumdatur, ita sanctis suis Deus vestitur. Hinc namque per prophetam scriptum est : *Vivo ego, dicit Dominus, quia in sublimatione tua omnibus his velut vestimento vestieris* (*Isai.* XLIX, 18, *sec. LXX*). Hinc rursus Deo per alium prophetam dicitur : *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis* (*Psal.* XLIV, 9). Quia enim omnium virtutum odoramenta a sanctis prodeunt, recte dicitur quia a vestimentis Dei myrrha et gutta et casia procedunt. Hinc namque Apostolus ait : *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II, 15). Vestimenta ergo Dei mutantur, quia sancti post mortem corporis, in felicitatem transeunt vitæ cœlestis. Sequitur :

39. *Tu autem ipse es.* Hæc est vera Dei æternitas, et vera ejusdem immortalitas, quod non solum nullius finis limite sempiterna ejus virtus et divinitas concluditur, sed quod potestas ac voluntas ipsius nullatenus imperfectionis cujusque, aut inconstantiæ varietate permutatur. Unde ad Moysen de seipso ait : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). Et iterum : *Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Ibidem*). Ideo hic dicitur : *Tu autem idem ipse es.* Homo namque etsi ipse sit, non tamen idem est, quia hoc ex suæ mortalitatis corruptione accepit, ut in eodem statu diu permanere non possit. Quod de Deo sentire nimis absurdum est. Sicut enim est æternus, ita incommutabilis, non diminutionem sentiens, nec augmentis excrescens, non mutans propositum, non improbans quod semel est approbatum. Unde et subditur : *Et anni tui non deficient.* Si per annos Dei, æternitatem accipimus, qualiter anni ejus non deficient, aperte videmus. Quod si per annos ipsam sanctorum multitudinem intelligere volumus, anni non deficient, quia cum illo qui nunquam deficiet, unum fient. Revolutionem enim quamdam dierum, annum vocamus. Quid autem sunt sancti, nisi dies; et quid peccatores, nisi nox? Hinc etenim scriptum est : *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (*Psal.* XVIII, 3). Anni ergo non deficient, quia sanctorum chori postquam illam incomprehensibilem semel in semetipsis acceperint lucem, nullam amplius sentient ignorantiæ vel tentationis obscuritatem. Tunc enim dies videtur deficere, cum aut nubium, aut noctis tenebris obscuratus cœperit non lucere. Quod ab illa vita alienum erit, quia vera lux, quæ obscurari non potest, in sanctis fulgebit.

(Vers. 29.) *Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in sæculum dirigetur.*

40. Qui sunt filii in annis, id est in æternitate Dei habitaturi, nisi apostolorum imitatores, cum Deo in cœlesti regno perenniter mansuri? Omnes enim fideles apostolorum dicuntur filii, quia ab eis fuerunt in fide generati. Hinc namque ad Galatas **535** apostolus ait : *Filioli mei, quos iterum parturio* (*Galat.* IV, 19). In eo quod dicit filios illic et non servos habitaturos, ostendit quod ad cœleste regnum aliquis pervenire non valeat, nisi prius vetustate abjecta, per novitatem vitæ filius fiat. Nam et ipsi quos servos vocat, apostolorum filii fuerunt, veterem videlicet conversationem abdicantes, et in novitate vitæ per Christum ambulantes. Fuerunt igitur servi, fuerunt et filii : servi propter laborem operis, filii propter mutationem novitatis. Hinc est quod ex filiis Israel, qui ex Ægyptiaca servitute liberati sunt, et mare Rubrum prævio ductore Moyse transierunt, nullus terram promissionis, exceptis duobus, intravit (*Exod.* XIV); sed filii eorum postea intraverunt, et patribus eorum repromissa divinæ largitatis beneficia acceperunt. Significabatur namque per hoc, quod ad promissam nobis æternæ hereditatis terram nemo potest ascendere, nisi qui prius per amorem spiritus in novitate vitæ didicerit ambulare. Duo, Caleb videlicet et Josue (*Josue* XIV), caput designant et corpus, Christum scilicet et Ecclesiam, qui soli ingrediuntur illam viventium terram.

41. Quod vero ait, *Semen eorum in sæculum dirigetur*, electorum voluit opera intelligi, quæ tunc profecto diriguntur in sæculum, cum omnia spectant ad Deum. Semen quippe suum nequaquam dirigit, qui ex operibus suis aliquid transitorium quærit. Opera autem nostra idcirco semen dicta sunt, quia sicut ex semine fructum colligimus, sic ex operibus nostris mercedem exspectamus. Hinc namque apostolus ait : *Quæcunque seminaverit homo, hæc et metet* (*Gal.* VI, 8). Qui enim in hac vita semen boni seminaverit operis, in futura fructum æternæ consequetur remunerationis. Per sæculum vero, illius beatæ vitæ intelligitur æternitas, quæ quia per varias temporum mutationes nullatenus dividitur, unius sæculi appellatione non inconvenienter signatur. In illud ergo sæculum dirigamus semen nostrum, et cibum operemur non qui perit, sed qui permanet in æternam vitam. Dum tempus habemus, operemur bonum, ut cum ad indeficientem vitæ illius beatitudinem pervenerimus, perpetuos fructus in cœlo colligamus. Ille enim vere perpetuus est fructus, per quem perpetuo vivimus, et perenni panis et vini satietate gaudemus. Perpetuus, inquam, quia et mandendo non minuitur, et vetustate non deterioratur.

PROŒMIUM
IN SEXTUM PSALMUM PŒNITENTIALEM.
Canticum graduum.

Inter innumeras et rutilantium operum et eminentium structurarum varietates, quibus templum Salomonicum adornatum fuit, hoc quoque fuisse describitur, quod quindecim ad illud gradibus ascendebatur (*III Reg.* VI). Quod quidem non casu vel sine causa factum credendum est. Salomon quippe cœlestium scrutator secretorum, et divinæ receptaculum sapientiæ, sic templum illud manufactum edidit, ut exinde templum aliud non manufactum signaret, quatenus ex corruptibili terrenæ domus ædificio, incorrupta cœlestis templi quodammodo imaginaretur pulchri-

tudo. Ad illud namque templum quod ex vivis in cœlo lapidibus construitur, non plana aut spatiosa pervenitur via, vel gressu ascenditur corporeo, sed processu fidei et charitatis ascensu. **536** Hinc namque Propheta dicit : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit* (*Psal.* LXXXIII, 6). Dixit ascensiones in corde beati viri dispositas, et unde ascendere debeamus ostendit, cum ait : *In valle lacrymarum.* In ea namque exsilii nostri damnationem deplangimus, et innumerabiles corruptionis humanæ deflemus molestias. Quis enim immunis a molestiis? Hinc etenim Job dicit : *Si impius fuero, væ mihi est; si autem justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria* (*Job.* x, 15). Et iterum : *Tentatio est vita hominis super terram* (*Ibid.*, VII, 1). Quia enim in hac vita omnia vidit esse plena laqueis et tentationibus, non in ea tentationes esse dixit, sed ipsam esse tentationem memoravit. Laboriosa enim est vita temporalis, levior fabulis, velocior cursore, instabilitate fluctuans, imbecillitate nutans; cujus habitatio in luteis domibus, imo ipsa in luto subsistens, cui nulla est fortitudo, nulla propositi constantia, nulla a turbationibus requies, nulla a laboribus reclinatio. Quis denique est quem non excruciet dolor, sollicitudo non urgeat, non subruat timor? Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur; esuriei succedit saturitas, saturitatem iterum excludit esuries; in nocte dies optatur, in die nox quæritur; in algore calor, in æstu refrigerium; ante cibum suspiria, post cibum tribulatio; iræ, indignationes exagitant, et innumerabiles miseros homines motus perturbant. Hæc est vallis, de qua sancti viri mentis affectibus indesinenter exire disponunt, et ad illud ineffabile bonum, ad illud inæstimabile gaudium ascendere, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II). Qui etsi corpore quidem inter homines esse videantur, animas tamen suas ad cœlestia elevant; et illi puro et summo bono atque immortali et perpetuo adhærentes, temporalia et corruptibilia deserunt, et mundo superiores facti, in sinu divinæ contemplationis quiescunt. Ibi in illo cœlesti templo cordis oculis Deum conspiciunt, imo et in ejusdem templi structura ipsi quoque lapides fiunt. Per quindecim vero illius templi gradus, spiritalis Sanctorum signatur ascensus. Numerus enim iste in septem et octo dividitur, et ideo per eum gemina justorum vita signatur, activa videlicet, et contemplativa. Activa namque in mundo versatur, contemplativa vero ad cœlestia erigitur. Quia vero septenario numero temporalis, octonario vero perpetua vita signatur, recte per eosdem numeros et contemplativa vita exprimitur et activa. Hinc namque prædicti templi auctor Salomon Dominum exorans ait : *Da mihi, Domine, partes septem, necnon et octo* (*Eccle.* XI, 2). Optabat enim regiæ dignitatis potentia præditus, ita sibi subditos populos regere, ut tamen contemplationis divinæ non defraudaretur perfectione. Ipsa namque officii administratoria necessitate constrictus cogebatur temporali actioni insistere, sed suavis eum contemplationis divinæ dulcedo reficiebat in mente. Potest etiam intelligi quod ille quindecim gradus ad illud divinæ illuminationis templum ascendit, qui sempiternæ virtutis Dei amore correptus, temporalibus, quæ per septenarium numerum designantur, gradatim contemptis, per scalas octo beatitudinum ad sublimia provehitur, donec Deus deorum in Sion mentis oculis videatur. *Sed videmus nunc*, sicut ait Apostolus, *per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII, 12). Impossibile est enim ut quis lutei hujus corporis ergastulo inclusus, aut mortalis carnis circumseptus volutabro, **537** ascendentem super cherubim, et super pennas ventorum (*Psal.* XVII) volantem Deum conspiciat, vel quanta sit ejus potentia divinitatis agnoscat. Unde per Joannem dicitur : *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 18). Et Moysi Deum videre quærenti, responsum est a Domino : *Non videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Quod si tanta claritas est solis, ut oculis in eum corporalibus non valeamus intendere, quanta est illius claritas qui fecit solem, ut eum possimus in hac qua sumus corruptione videre? Ipsum vero per speculum in ænigmate intueri, quod humili adventu sponsi accepit Ecclesia, illius æternæ visionis signum est, et futuræ perfectionis imago, in qua non jam per fidem, sed per speciem ambulabimus, et revelata facie ipsam divinæ majestatis gloriam irreverberatis oculis conspiciemus. Quia ergo hi quindecim psalmi quamdam spiritalis ascensus continent formam, recte sub eodem titulo omnes prænotati sunt, ut sicut ad illud materiale templum per gradus ascendebatur lapideos, ita cœleste illud templum hæc nobis cantica præferant, per quæ in Deo exsultans anima, quasi per quosdam gradus ascendat. Ascensuri ergo non corpore sed spiritu, non passibus sed affectibus, hunc psalmum decantemus, et in eo studeamus Dei meditatione appropinquare, dicentes cum Propheta :

EXPOSITIO

PSALMI SEXTI PŒNITENTIALIS.

(Psal. CIX. — Vers. 1.) *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.*

1. Attendat unusquisque in quo profundo jaceat, et quam longe a Deo perverse agens effectus sit. Clamet ad eum totis viribus qui intuetur abyssos, et sedet super cherubim, donec de profundi tenebris erutus, superno illustretur lumine, et claritate perfruatur cognitionis divinæ. Clamavit Jonas ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, et ad aures Dei oratio illius pervenit, qui eum eruit a fluctibus, eripuit a bestia, absolvit a culpa. Clamet et peccator, quem a Deo recedentem cupiditatum tempestas contrivit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis sæculi fluctus involvit, agnoscat se esse in profundo, ut ad Deum sua perveniat oratio. Quia vero psalmus iste [a] ad ascendentes pertinet, videamus qualiter ad Deum justus de pro-

[a] Quia est de numero psalmorum graduum.

fundo clamet. Quomodo enim non profundus est, qui ascensiones suas in corde suo disposuit, qui intentionem cordis ad Deum dirigit, qui laboris studium ad cœlos attollit? Sed sciendum quod sancti viri eo se magis infirmos et abjectos sentiunt, quo per mentis desiderium erecti, vicinius ad Deum accedunt. Tunc enim primum miseriam suam incipiunt perfecte cognoscere, cum Dei præsentiam cœperint in corde sentire. Hinc est quod Abraham, qui collocutionis divinæ gratiam meruit, pulverem se esse et cinerem memorat, dicens : *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII, 27). Hinc Jacob postquam Dominum vidit, nervo femoris emarcescente, uno pede claudicavit (*Gen.* XXXII); quia profecto debiles se esse et infirmos reputant, qui se ad videndum Deum per studium sanctæ contemplationis levant. Qui dum spem suam in carne ponere desinunt, quasi unius cruris vires amittunt. Eoque assuescunt cœlesti duntaxat desiderio inniti, quo senserint se a spe rerum temporalium debilitari. Et quasi nervum non habent **538** in femore, dum non confidunt in carnali generatione. Omnia quæ sub cœlo sunt, vanitatem æstimant, et cum præsentis vitæ miseriis plenos se esse et obsitos circumquaque conspiciunt, quasi de profundis ad Deum clamant. Magna profunditas vita mortalis, in qua nihil est certum, nihil vitale, nihil tutum, nihil tranquillum. Magna, inquam, profunditas, in qua peccator obruitur, impius immergitur, justus turbatur. Ideo namque clamat et dicit : *De profundis clamavi ad te, Domine.*

2. In quo notandum quia non ait, clamo, sed clamavi. Habes in hoc perseverantiæ documentum, ut si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, imo precibus et clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit : *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI, 12). Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, ut regnum cœlorum accipias; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed juvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, qua non quæritur lucrum cito periturum, sed regnum acquiritur sine fine mansurum. Discant qui res alienas, divino postposito timore, diripiunt, et rapinis pauperum magis peccata cumulare quam lucra augere non cessant, aliquid rapere quo et veras sibi vindicent divitias, et gloriam laudis perpetuæ acquirant; ne in hoc quoque stultitiæ arguantur, si cum possint pretiosa et æterna diripere, vilia solum et transitoria videantur auferre. Inferant et ipsis cœlis violentiam, et regnum cœlorum quadam orationis vi rapiant. Sint in precibus importuni, ut ex longo clamoris usu dicere possint : *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.* Nominis venerandi repetitio, precandi adauget affectum. Movetur enim desiderium, si nomen quod diligitur, replicatur. Videtur hic qui loquitur quamdam exauditionis causam prætendere, cum se insinuat clamasse, ut quasi jure debeat exaudiri, qui dudum institit clamori. Hanc et apostoli causam Domino dedisse leguntur, cum, Chananæa rogante, dixerunt : *Dimitte eam, quia clamat post nos* (*Matth.* XV, 23). Ideo namque a Domino exaudiri meruit, quia prima Domini responsione repulsa, clamare nequaquam cessavit. Fide quippe et dilectione accensa, a clamore non antea destitit quam optatam filiæ salutem acquisivit.

(Vers. 2.) *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.*

3. Ascendens iste majus aliquid rogare aggreditur, et in ipsa etiam sua oratione ascendit, cum hoc a Deo expostulat, ut quasi quodammodo aures inclinans orationi suæ Deus intendat; ne forte sit mora in exauditione, si longe sint aures ab oratione. Videtur enim quemdam divinæ miserationis præcipuum precari affectum, cum rogat eum quodammodo ad audiendum affectari, ut cum vocem velit audire supplicantis, opus non differat exercere miserentis, humanæ in hoc sequens locutionis modum, quasi hujusmodi Deus affectione indigeat, quem non effugit cogitatio, non latet voluntas, dum ei nec intentio silet, nec desiderium tacet. Nam dum potens quilibet supplicantem aliquem audire negligit, quasi primo aditu repulsus, exaudiri qui supplicat diffidit. Si vero qui rogatur, primo **539** libenter audire cœperit, et aliis postpositis negotiis, verbis solummodo rogantis intendere, continuo ille qui rogaturus advenit, quamdam concipit impetrandi fiduciam, et ipsa quodammodo spe animatus, suam liberius proloquitur causam. Magnum quippe bonæ voluntatis suæ Dominus illi dedit indicium, cum loquenti se præbuit incunctanter intentum. Sic et nos cum dari nobis veniam a Deo quærimus, et cœlestis gratiæ vitalia dona conferri, si nobis Deum præsentem aliquibus suavitatis et dulcedinis suæ senserimus indiciis, ad ipsius desiderium studiosius animamur, super his quæ cupimus adipiscendis aliquatenus certiores effecti, cum ille quem anima nostra desiderat, desiderantibus nobis per misericordiam appropinquat. Ascendens igitur iste, qui ad illius incorruptibilis celsitudinem mentem levare proposuit, aures Dei deprecationi suæ intentas deposcit; ut quia oratio sua ad Deum per rectæ studium intentionis dirigitur, circa eum quem rogat, velociter exaudiatur. Ascendenti autem et provecto viro a Domino per Prophetam dicitur : *Adhuc loquente te dicam : Ecce adsum* (*Isai.* LVIII, 9). Inter orationem et deprecationem hoc interest, quia oratio pro virtute perseverantiæ, deprecatio vero fit pro peccatorum impunitate. Ideo qui ad celsitudinis arcem ascendere contendit, dicit : *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Deprecatur enim Deum ut peccatorum suorum obliviscatur, ut pater esse velit, non judex. Ideoque subjungit, dicens :

(Vers. 3.) *Si iniquitates observàveris, Domine, Domine, quis sustinebit?*

4. Nomen repetit, ut affectum excitet. Iniquitatem Deus observaret, si peccatoribus veniam negaret. Si solummodo ostenderet severitatem, non etiam adhiberet pietatem. Quod si faceret, nemo æternæ gloriam felicitatis exspectaret; nemo ad patiendum justi examinis pœnam sufficeret. *Omnes enim peccaverunt*, ut ait Apostolus, *et egent gratia Dei* (*Rom.* III, 23). Verum quia pœnitentibus ex corde ignoscit, et peccatore converso omnium iniquitatum ejus oblivìscitur (*Ezech.* XVIII), quis jam de misericordia dubitet? quis jam de venia desperet? Hæc etenim per prophetam Dominus pollicetur, dicens: *Ego sum, ego sum, qui deleo ut nebulam iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isai.* XLIII, 25). Attende qualiter peccati confessio peccata obliteret, quæ justificat iniquum, tollit a Deo memoriam peccatorum. Confiteamur ut deleantur nostra peccata, nec post confessionem ad ea revertamur, sed juxta Apostolum, in anteriora nos extendentes, quæ retro sunt obliviscamur (*Philip.* III). Non gestiamus reverti in Ægyptum aut sedere super ollas carnium (*Exod.* XVI); nec simus concupiscentes malorum (*I Cor.* X), nec idola mentis veneremur, nec Deum tentemus, nec in deserto mundi hujus murmuremus. Confiteamur de præteritis peccatis nos accusantes, confiteamur de peccatorum indulgentia Deum laudantes. Est namque confessio peccati, et confessio laudis. Si enim confessio laudis non esset, Salvator noster nequaquam dixisset: *Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI, 25). Nam quomodo peccatum confiteretur, qui peccatum non fecit (*I Petr.* 2)? Præcedat itaque confessio, ut laudatio sequatur, sicut scriptum est: *Rectos decet collaudatio* (*Psal.* XXXII, 1). Habemus enim Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris (*Hebr.* IV), de quo et aperte sequitur:

(Vers. 4.) *Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine.*

5. Quis est propitiatio nisi Christus Jesus (*Hebr.* IX), qui 540 se obtulit sacrificium Deo, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum (*Tit.* II)? Denique Joannes ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II, 2). Qui est apud Deum: quia sedet ad dexteram Dei, sicut dicit Propheta: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). Apostolus quoque perhibet, quod ad dexteram Patris sedens pro nobis interpellet (*Rom.* VIII).

6. *Et propter legem tuam sustinui te, Domine.* Lex Dei misericordia est, qua peccantibus veniam contulit, revertentibus æternæ vitæ aditum patefecit. Hanc legem pro crucifixoribus suis patrem exorans (*Luc.* XXIII) Christus implevit, hanc nobis tenendam verus magister indixit. Ait enim: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est* (*Luc.* VI, 27). In quo profecto ostendit quia filii Dei aliter esse non possumus, nisi misericordiæ legem servantes, inimicos diligamus. Hanc etiam nobis Paulus tenendam insinuat, cum ait: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 1). Quis autem portat alterius onera, nisi qui charitatem habet? Qui enim veraciter diligit, læsus non lædit, contumeliis vicem non reddit, detrahentibus sibi non detrahit, qui eum oderunt, non odit. Scriptum namque est: *Charitas patiens est, benigna est* (*I Cor.* XIII, 4). Patiens quidem, ut aliena mala toleret; benigna vero, ut ipsos etiam quos portat, amet. Qui ergo illata mala æquanimiter tolerat, quasi infirmi fratris onera portat. Hæc est lex misericordiæ, per quam perpetuam evadere damnationem confidimus, per quam etiam salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum exspectamus (*Phil.* III): Qui si, ut supra dictum est, iniquitates observaret, nemo sustinere sufficeret. Sustinemus autem eum propter legem suam, qui peccantibus in nos idcirco dimittimus, ut peccatorum nostrorum ab eo veniam percipiamus. Hinc namque per semetipsam Veritas ait: *Dimittite, et dimittitur vobis* (*Luc.* VI, 37).

(Vers. 5.) *Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.*

7. Vide perfectæ charitatis ordinem. Ascendens iste et in amore divino proficiens, qui fide et dilectione introrsus accenditur, desiderio ad æterna erigitur, spe ad summa levatur, proximorum non negligit curam, non postponit salutem; ad eos inter ipsa divinæ gaudia contemplationis convertitur, et ut gradibus eisdem ad Deum accedant, hortatur; eis nimirum exemplum se proponens, ut si infirmitate aliqua impediantur a desiderio proficientis, jam et pervenientis promoveantur exemplo. Ideoque ait: *Sustinuit anima mea in verbo ejus.* Nolite diffidere, nolite dubitare, ponite corda vestra in virtute ejus (*Psal.* XLVII); quia *sustinuit anima mea in verbo ejus.* Qui manet in verbo, non fraudatur a regno. Aliter namque fructum facere non possumus, nisi in eo maneamus. Ideoque ait: *Manete in me, et ego in vobis* (*Joan.* XV, 4). Ubi enim manendum, nisi in ipso? Deficient dominus, palatia corruent, destruentur civitates, ab imis sedibus turres evellentur; postremo cœlum et terra transibunt, verbum autem Domini manet in æternum (*Matth.* XXIV). Maneamus ergo in eo qui manet in æternum (*Isai.* XL). Non sequamur vanitatem, deserentes veritatem: nec contristemur sicut cæteri, 541 qui spem non habent (*I Thess.* IV), sed sustineamus eum. Et si moram fecerit, exspectemus, ne contingat nobis quod per prophetam dicitur: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II, 16). Unde et subditur: *Speravit anima mea in Domino.* Quicunque mundanæ adversitatis fractus molestiis, diabolicæ tentationis infes-

tione dejectus, a spe cœlestium promissionum deciderit, sustinentiæ quam prius habuerat, mercedem amittit. Qui vero sustinebit, magnam reportabit remunerationem. *Fidelis* enim *Dominus in omnibus viis suis* (*Psal.* CXLIV, 13). Promisit in hac vita pœnitentibus veniam. Manifestum est ergo quia sicut confitentibus remissionem tribuit peccatorum, ita a spe non decidentibus dabit regnum cœlorum. Ideo qui in verbo ejus sustinuit, in Domino sperare se dicit. Sicut enim maledictus homo, qui confidit in homine (*Jerem.* XVII); ita et beatus cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas (*Psal.* XXXIX).

(Vers. 6.) *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.*

8. Si ad litteram hoc accipiamus, dehortari nos potius quam monere videtur. Quis enim tam pusillanimis, ut una tantum die speret in Domino? Ubi jam erit illa Pauli sententia, qua ait: *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 25)? Quam parva unius diei patientia, et quam brevis exspectatio! Sed ut hunc locum melius intelligamus, ad vicesimi primi psalmi titulum curramus. Intitulatur enim, *Pro assumptione matutina* (*Psal.* XXII, 1). Quæ est assumptio matutina, nisi resurrectio a Deo mane facta? Ibi nempe et custodia facta fuit, ad hoc usque prorumpente Judaicæ perfidiæ cæcitate, ut quem viderant mortuum, crederent non resurrecturum; et ne eum discipuli nocte raperent, custodibus sepulcrum munierunt. Alia translatio habet, *A vigilia matutina* (*Matth.* XXVII); per quod aptius ipsa Domini resurrectio exprimitur. Qui enim dormivit in morte, vigilavit in resurrectione. Ideoque dicit: *Ego dormivi, et soporatus sum, et resurrexi* (*Psal.* III, 6). Et iterum: *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto* (*Psal.* CI, 8). Hæc itaque resurrectio spei nostræ fundamentum est, quia illuc nos perventuros speramus, quo caput nostrum præcessisse cognoscimus. Multos enim ante hanc resurrectionem legimus resuscitatos, et tamen dicit apostolus: *Quia primitiæ dormientium Christus* (*I Cor.* XV, 20). Joannes quoque primogenitum mortuorum eum nominat (*Apoc.* I). Quotquot enim ante eum resurrexerunt, iterum mortui sunt: *Christus vero resurgens a mortuis, jam non moritur* (*Rom.* VI, 9). Christi ergo resurrectio spei nostræ fundamentum est; quia in illa vita resurrecturos nos credimus, in qua nos cum eo victuros sine fine speramus. Nec debet jam homo de resurrectionis veritate ambigere, cum sciat verum hominem Christum a mortuis resurrexisse. Ad hoc enim mortuus est, ut viveremus, accepit a nobis ut offerret pro nobis. Moriendo itaque mortem destruxit, resurgendo vitæ aditum nobis patefecit. Hinc est quod eidem Ecclesia dicit: *Notas mihi fecisti vias vitæ* (*Psal.* XV, 10). Ante adventum quippe ejus, vitæ via omnibus ignota fuerat, tendentibus cunctis ad mortem, et ad inferos descendentibus etiam electis, donec ille veniret, qui et impios ad justificationem, et mortuos vocaret ad vitam, A veram fidem astruens mortis et resurrectionis suæ indiciis, et doctrinæ novæ nos formans institutis, per quæ nimirum et mortem possemus evadere, et in novitate vitæ, per adjunctam Spiritus sancti gratiam ambulare.

542 9. Possumus quoque per custodiam matutinam ipsa fidei nostræ rudimenta accipere, ut a tempore accepti baptismatis, post illustrationem gratiæ salutaris, intentionem suam unusquisque ad eum dirigat, et spem suam in eo singulariter ponat. Quasi enim matutinam lucem recipit anima, cum tenebris infidelitatis expulsis, et vitiorum detersa caligine, et emundatis peccatorum maculis per lavacrum regenerationis, paulatim incipit Deum agnoscere, et in lumine jucundari cognitionis divinæ. Est enim lumen B cognitio Dei, de qua scriptum est: *Illuminate vobis lumen cognitionis* (*Osee* X, 12, *sec. LXX*). Magnum lumen quod tenebras cordis evacuat, mentis oculos purgat, animos erigit, corda accendit, edocet semitas justitiæ, desiderium virtutis adauget. Magnum lumen, per quod vitamus offendicula, præcipitia præcavemus, evadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus adversa, respuimus errorem, sequimur veritatem. Quis non desideret hoc illuminari lumine? quis non hoc fulgore illustrari exoptet? Hinc est quod Propheta nos admonet, dicens: *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Qui accedit per fidem, illuminatur per cognitionem. Statim autem post illuminationem, gratiæ spem sequi oportet. Hoc enim monet qui dicit: *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.* Quæ est hæc custodia? Nunquid auri vel C argenti? Num monilium, vel lapidum pretiosorum? Num vestium, vel pecuniarum? Nonne hæc sunt quæ mergunt hominem in interitum? Sed est his multo pretiosius, quod illuminatum custodiri oporteat. Dicit enim Propheta: *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum* (*Psal.* XVIII, 10). Denique de Sapientia dictum est, quia est pretiosior cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari (*Prov.* III). Hæ sunt ergo divitiæ quas custodire debet qui de nocte ad matutinum pervenit, multo pretiosiores terrenis, et temporalibus veriores, quas nec ignis exurere, nec tinea comedere, nec prædo potest D auferre (*Matth.* VI). Hæc etiam mihi videtur Propheta sensisse cum in præcedentibus quæreret: *In quo corrigit adolescentior viam suam* (*Psal.* CXVIII, 9)? Ne si hoc sine discussione assereret, videretur quod adjunctum est, magis præcipitatione prolatum, quam ex judicio definitum. Et ut consilium eo salubrius crederetur, quo propensiori meditatione examinatum videretur, secutus adjunxit: *In custodiendo sermones tuos.* Conversus autem ad Deum, ad interrogata respondet, ut divinæ pietatis remedium crederetur, quod esset inventum non præsumptione humana, sed inspiratione divina. Hinc Jeremias ait: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, et tacebit* (*Thren.* III, 27). Jugum est ver-

bum Dei mentis nostræ collo impositum, ut nec alta cervice, aut nutibus procedamus oculorum (*Isa.* III), nec de accepta qualibet gratia inflemur, nec extollamus in altum cornu nostrum, nec adversus Deum iniquitatem loquamur (*Psal.* LXXIV); sed in omnibus sicut Dei ministros nosmetipsos exhibentes (*II Cor.* VI), animas nostras humiliemus, et juxta Apostolum, imitatores Dei sicut filii carissimi existamus (*Ephes.* V).

10. Portandum autem hoc jugum ab adolescentia, ut juventutis annos congrua disciplinæ correctione unusquisque præveniat; ne si post decursæ juventutis annos jugum tulerit, suorum stimuletur rememoratione peccatorum, et erroris usu et peccandi consuetudine exagitetur, et novis semper insurgentibus præliis, eos in seipso sentiat impugnationum tumultus, **543** per quod quotidie aut victor existat, aut victus. Nam si ab ipsis adolescentiæ primordiis cervicem verbi jugo subdiderit, omnibus in seipso rite compositis, in pace sedebit. Sedebit quidem, animæ carnem subjiciens, et de tribunali rationis, quasi de judiciaria sede omnibus internis motibus velut quibusdam civibus edicta proponens. Sedebit, inquam, nullum metuens hostem, nullam sentiens impugnationem. Stare namque pugnantis est, sedere vero feriati. Sedebit quoque solitarius, id est ab omni carnalium desideriorum tumultu remotus. De hac solitudine David dicit: *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV, 8). Neque enim rex potentissimus qui tot millibus populorum præerat, in solitudine habitabat. Habitabat autem in solitudine cordis sui, in qua nullos hostium spiritalium impetus, nullos perversarum cogitationum strepitus, nullos pateretur clamoris iniqui tumultus. Qui vero solitarius sedet, tacet, intelligens melius esse silere quam loqui incaute. Hinc etenim scriptum est: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus* (*Prov.* XI, 12). Prius namque oportet discere quam docere. Ideo dictum est: *Audi Israel* (*Deut.* VI). Neque enim prius dixit, loquere, sed audi. Sed prophetæ dictum est a Domino: *Fili hominis, sta super pedes tuos, et audi quæcunque loquar ad te* (*Ezech.* II, 1). Qui audit, tacet. Tacet ergo qui in lege Dei meditatur die ac nocte, et audit quid loquatur in eo Dominus Deus qui loquitur pacem in eos qui convertuntur ad cor (*Psal.* LXXXIV). Restat ergo ut dicamus quid sit quod usque ad noctem sperandum in Domino dicit. Quis dubitat noctem finem esse diei? Sic et unicuique homini finis; istius vitæ mors sua est. Potest quoque per noctem intelligi illa extremi judicii dies, quam propheta diem nominat tenebrarum et caliginis, in qua ad cœleste regnum vocantur electi (*Joel.* II), ubi jam spes eorum terminabitur, receptis omnibus quæ in hac vita speraverunt, et ad laudem Dei concinentibus sanctis: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum* (*Psal.* XLVII, 9). Quod enim videt quis, quid sperat (*Rom.* VIII)? Speravimus ergo in hac vita, ut quod hic in spe concipimus, ibi in te habeamus.

(Vers. 7.) *Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.*

11. Commendat nobis Dei charitatem, ut nos ad sperandum hortetur. Ex hoc enim usque ad noctem speramus, quia eum misericordem credimus, longanimem scimus. Unde non incongrue per quemdam sapientem dictum est: [a] *Tribularer, si non scirem misericordias tuas, Domine* (*Ezec.* XXXIII). Tribulationi quippe cordis nostri remedium miserationis divinæ occurrit; et contra diffidentiæ malum firmissimæ spei adhibet consolationem, promissionum divinarum certa nobis proponens exempla, quibus peccantium salutem se malle asserit quam perditionem; quorumdam quoque correctionem ad animum reducens, quos etsi a statu rectitudinis error subruit, conditoris tamen gratia in melius reformavit. Ecce gravium delictorum mole obrutus, et de meritorum qualitate diffisus aspicio Zachæum (*Luc.* XIX), intueor Mariam (*Luc.* VII), considero Petrum (*Matth.* XXV), perpendo latronem (*Luc.* XXIII): in quibus miserationis divinæ splendor apparuit, atque per eos spem veniæ peccantibus dedit. Hæ sunt inæstimabilis miserationis Dei divitiæ, humano quidem generi a sæculis absconditæ, novissimis vero temporibus per mediatorem Dei et hominum declaratæ (*I Tim.* II). Quæ pro sui immensitate adeo incomprehensibiles sunt, ut in explanatione eorum manus torpeat, fatiscant ingenia, eloquentiæ conticescant. **544** Superant enim sensum, sermonem transcendunt, intellectum excedunt. Quis enim digne enarrare sufficiat quantæ misericordiæ fuit, unigenitum Dei Filium de sinu Patris ad publicum nostrum descendere, carnem mortalem assumere, irrisiones pro nobis, vincula, flagella, crucem, mortemque tolerare? Quis cogitare valeat quantæ fuerit gratiæ, ovem perditam quærere, quæsitam invenire, inventam in humeris portare? Quis exponere queat, quantæ fuerit miserationis, sacratissima pretiosi sanguinis effusione genus humanum redimere, et sacrosanctum vivifici corporis et sanguinis sui mysterium membris suis tribuere? cujus perceptione corpus suum, quod est Ecclesia, pascitur et potatur, abluitur et sanctificatur? Ideo et plenitudo temporis tempus gratiæ nominatur, in quo juxta Pauli vocem: *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II, 11). Et iterum: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (*Zac.* XIII, 1). Hinc per Zachariam prophetam dicitur: *In die illa erit fons patens domus David inhabitantibus Jerusalem, in ablutione peccatorum et menstruatæ.* Quis est iste fons, nisi unigenitus Dei Filius? de quo per prophetam dicitur: *Apud te est fons vitæ* (*Psal.* XXXV, 10). Qui nimirum tunc patens exstitit, quando in mundo visibilis apparens, pro liberatione nostra carnem suscepit (*Rom.* I). Qui etiam domus David dictus est; quia

[a] Initium est Responsorii 8 in officio noct. Dominicæ 1 Quadragesimæ.

ex semine David secundum carnem natus est. Jerusalem vero visio pacis interpretatur. Hi ergo Jerusalem inhabitant, qui ad amorem cœlestium mentem levant. Peccator vero et menstruata est, vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in prava cogitatione. Menstruata namque mulier ita in seipsa polluitur, ut aliena carne minime tangatur. Quasi ergo menstruata illa est anima, quæ etsi in pravi operis effectum non ducitur, in immundarum tamen cogitationum delectatione versatur. Quia igitur jam patet nobis fons misericordiæ Redemptor noster, toto hunc pectore hauriamus; ut exstinguere sitim carnalium desideriorum valeamus. Lavemus in eo maculas criminum, notas diluamus carnalium cogitationum. Et qui fontem misericordiæ, si clausus esset, quærere debuimus, saltem apertum et patentem non negligamus. Sperandum namque nobis est, quia ibi pœnitentiæ nostræ locus non deerit, ubi innumerabilium hominum compunctio locum invenit. Ad hoc enim patet ut lavet, ad hoc fluit ut lætificet, ad hoc redundat ut purget. Nam subditur :

(Vers. 8.) *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

12. Restat igitur ut Israel efficiamur, et omnem transcendentes creaturam, in eum qui omnia creavit, mentis aciem dirigamus. Disponamus ascensiones in corde nostro, et per eas ad conditorem angelorum puro et simplici intellectu ascendamus. Quid enim tam suave et tam jucundum, quam mentis oculis et cordis desiderio contemplari Deum, atque ejus suavissimam degustare dulcedinem, dulcissimamque sentire suavitatem? Adest nobis gloria Redemptoris nostri, quæ nos a terrenis ad cœlestia erigat, oculos cordis nostri ad videndum solem justitiæ aperiat, ac per hoc ex omnibus nos iniquitatibus nostris redimat. Qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

545 PROŒMIUM

IN SEPTIMUM PSALMUM PŒNITENTIALEM.

Psalmus David, quando persequebatur eum Absalom filius ejus.

De psalmi centesimi quadragesimi secundi titulo, juxta quod pietas divina contulerit, locuturus, prius volo modos aperire prophetiæ; quatenus dum ejus diversitas ostenditur, ejus et intelligentia facilius acquiratur. Sciendum namque est quia prophetia tribus modis fit : videlicet verbis, factis, somniis. Quicunque enim propheta futura innotuit, aut verbis, aut factis, aut somniis prophetavit. Verbis namque futura prædixit Isaias, cum ait : *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII, 14). Somniis vero Nabuchodonosor futura prævidit, quæ Spiritu sancto Daniel repletus enodavit (*Dan.* II). Factis Abraham futura nuntiavit, quando unicum filium suum ad sacrificia obtulit (*Gen.* XXII). Quem nimirum, quem in hoc opere designat, nisi eum qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Ipsa enim antiquorum patrum gesta nobis prophetiæ sunt, qui dum aliud agunt, et aliud innuunt, occulta nobis quasi per opera linguam produnt (*Rom.* VIII). Quod hoc in loco evidenter ostenditur, cum Absalom facta ad memoriam reducuntur. Absalom namque patrem persequens (*II Reg.* XVIII), ad hoc usque livore feralis prorupit invidiæ, ut in seipso destrueret jura naturæ. Quem enim naturaliter amare debuerat ut patrem, eum inhumane persequebatur ut hostem. Absalom autem pax patris interpretatur, non quod ei pax ulla cum patre fuerit, sed quia quantæ pacis et patientiæ exstitit, in ejus perversitate pater ostendit. Quis autem per Absalom, nisi Judaicus populus; quis vero per David, ni Redemptor noster signatur? Hinc namque per Prophetam Veritas ait : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt* (*Psal.* XVII, 46). Denique ipse est filius senior, qui adolescentioris inventioni invidens et saluti, domum renuit intrare (*Luc.* XV) Ecclesiæ. Qui profecto canticum non cantat lætitiæ, nec concinentium admiscetur choris, et annulo carens fidei, nec stola immortalitatis induitur, nec vituli saginati alimento satiatur. Qui etiam hædum quærit, quia agnum qui tollit peccata mundi, non sequitur : et ideo inter hædos in judicio statuitur, nec ad cœnam nuptiarum ejus vocatur Patrem ergo Absalom persecutus est, quia Judaicus populus dum monita salutis respuit, in propria venientem Dei Filium recipere recusavit (*Joan.* III). In tantum autem vesaniæ suæ extendere conatus est rabiem, ut suum occidere præsumeret Creatorem. In quo nimirum facto patientia Christi declarata est, qui non solum eis malum pro malo non reddidit, verum etiam ad mortem ductus pro eis oravit, dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Unde et apostolus admonet, dicens : *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur* (*I Petr.* II, 21). Orat autem caput in hoc psalmo pro membris, Christus pro Ecclesia, virtus pro infirmitate. Orat quippe ut non severe judicentur, sed misericorditer exaudiantur. Persequitur etiam hoc tempore schismaticus corpus Christi, impugnat hæreticus Ecclesiam, unitatem infidelis perturbat. **546** Sed clamat ad Deum Ecclesia, capiti suo Christo in unitate spiritus conjuncta. Quæ etsi omni tempore ad Deum clamat, præcipue tamen in tribulatione se ad orandum excitat, unde et dicit : *In die tribulationis meæ clamavi ad te* (*Psal.* LXXXV, 7). Sed videamus quid dicat :

EXPOSITIO

SEPTIMI PSALMI PŒNITENTIALIS.

(Psal. CXLII.—Vers. I.) *Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia.*

1. Sancta universalis Ecclesia secundum dignioren partem sui in spe cœlestium præmiorum roborata, sicut in electis habet quod conservari desideret, ita in infirmis invenit quod sibi dimitti exoret : sciens omnes divino egere auxilio, quos infelicis vitæ conditio angustat, cum et justus inter pericula securus esse non valeat, et peccantem nonnisi sola gratia

divinæ miserationis absolvat. Utrobique ergo pavida, utrobique suspecta, et pro currentibus orat ut perveniant, et pro regressis obsecrat ut currant. Inter orationem autem et obsecrationem hoc interest, quod oratio pro perseverantia virtutum, obsecratio vero fit pro indulgentia peccatorum. Orat ergo caput vel Ecclesia, ut et bene operantes in justitia roborentur. In eo vero quod ait: *Auribus percipe obsecrationem meam*, delinquentium designat debilitatem, qui ad similitudinem ægrotantium quadam omnipotentis medici indigent condescensione, cum se non valeat ad eum peccator levare. Vel auribus percipe, id est obsecrationibus intende. Hoc namque per prophetam pollicetur, dicens: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zac.* I, 3). Unde et subditur: *In veritate tua.* In hoc enim vera apparet promissio, quia converso tribuitur remissio peccatorum, juxta quod scriptum est: *Justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Psal.* L, 6). *Exaudi me in tua justitia.* Qui gloriatur in se, non exauditur. Non exaudiuntur illi qui ignorantes Dei justitiam, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Denique pharisæus justitiam suam in templo statuere voluit (*Luc.* XVIII), et ideo a Domino reprobatus fuit. Gloriemur ergo in justitia Dei si exaudiri quærimus, ut nos cum Propheta dicere possimus: *Exaudi me in tua justitia.* Quis autem gloriatur in justitia Dei, nisi qui nihil boni suis meritis tribuit, et justum esse quidquid adversi tolerat, sentit? Gloriabatur Paulus in infirmitatibus suis (*II Cor.* XII), nihil boni non accepti se habere testabatur, humilitatis nobis exempla proponens, *ut qui glorietur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I, 31).

(Vers. 2.) *Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

2. Qui contra conditoris flagella murmurat, quasi cum eo in judicium intrat. Dei namque accusat judicium, qui se æstimat injuste percussum. Et quasi cum Deo in judicio contendit, qui inter flagella innocentem se ostendit. Hinc etenim Dominus ad beatum Job loquitur, dicens: *Nunquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit* (*Job.* XXXIX, 32)? Utique qui arguit Deum, debet et respondere illi. Tunc beatus Job quasi Deum arguit, cum de percussione sua an fuerit justa dubitavit. Nullius quippe delicti sibi conscius, injuste se percussum credidit, quia merita sibi augeri ex percussione nescivit. Sed qui multa de operatione sua locutus, audita sanctorum vita tacuit, quasi cum Deo contendens **547** facile conquievit. Vel certe ille cum Deo in judicium ingreditur, qui cum oraverit, murmurat si non exauditur. Quibus dicitur: *An vultis mecum judicio contendere* (*Jerem.* II, 29)? Quasi enim judicio contendebant, qui dicebant: *Quare jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti* (*Isai.* LVIII, 53)? Siquidem stultum est ab oratione deficere, si Deus differat, cum rogatur, exaudire; et iniquum arguere conditorem, si effectus non sequitur orationem, præsertim cum quid oremus sicut oportet, nescimus. Nonnullis quippe impatientibus Dominus quod petebant sæpe concessit iratus: sicut e contra Apostolo negavit propitius (*I Cor.* IX, 2). Dedit enim regem petentibus secundum desideria cordis eorum (*I Reg.* VIII): dedit etiam postulanti diabolo, ut Job simplicem et rectum et timentem Deum tentaret (*Job.* I, 2). Malignos spiritus exaudivit, et in porcorum gregem dæmonum concessit legionem intrare (*Matth.* 8). Non igitur pro magno quis habeat si fuerit exauditus, cum aliquid petat quod non impetrare plus prosit. Quod si postulata non obtinet, non se abjiciat, aut de divina erga se miseratione desperet, cum forte ea peteret quibus acceptis vel affligatur atrocius, vel inutilius prosperetur. Scriptum quippe est: *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet eos* (*Prov.* I, 32). *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Scio multos in conspectu hominum justos videri, et ad spem cœlestium promissorum evectos innocenter in mundo vivere; qui etsi non delinquant in opere, labuntur tamen aliquando vana aut perversa cogitatione. Cujus enim mentem cogitationes vanæ non laniant? cujus cor tentationes non vexant? cujus animum desideria carnis non turbant? Non ergo in conspectu Dei justificatur qui corde delinquit, quod intuetur Deus.

(Vers. 3.) *Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.*

3. Quis sit generis humani inimicus, ostendit qui parabolam zizaniorum exponens (*Matth.* XIII, 39), ait: *Inimicus autem diabolus est* (*Luc.* VIII). Et apostolus Petrus ait: *Inimicus vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V, 8). Ipse enim est qui animas persequitur, qui mortem inferre perpetuam molitur. Ipse est, inquam, qui incautos decipit, et in via hujus vitæ gradientibus laqueos tendit. Ideo propheta ait: *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi* (*Psal.* CXLI, 4). Rursum de eo scriptum est: *Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitas* (*Job.* XVIII, 10). Dum enim humanæ saluti invidens perdere innocentem appetit, prius ei aliquid quod libeat ostendit: quod dum appetere incautus nititur, occulto peccati mucrone transverberatur. Quasi ergo in terra pedica absconditur, dum in terrenis commodis peccatum occultatur. Decipula quoque ab antiquo hoste super semitam ponitur, cum in actione hujus mundi quam mens appetit, peccati laqueus paratur. Ita namque in terra decipula ponitur, ut exposita esca ipsa non videatur. Sic nimirum sic antiquus hostis dum subruere aliquem cupit, quasi escam in muscipula, lucrum in culpa ponit. Ad quod dum aviditatis amore viator inhiat, ex improviso eum peccati laqueus suffocat. Quis hujus hostis versutias non metuat, qui tanto est perniciosior, quanto occultior? Non enim quæ extra nos sunt auferre nititur, sed diripere thesauros interiores conatur. Nulla sibi temporalium bonorum cupiditas, nulla divitiarum ambitio, nullum dignitatis desiderium, sola interiora appetit, solas virtutes diripit, solam animam

occidit. Quod si aliquando exteriora **548** tetigerit, non ea aufert ut habeat, sed ut ea auferendo animam evertat. Novimus quomodo multos quotidie fraudibus suis occupet, quomodo vestimentis gratiæ exspoliet, deceptos virtutum privet ornatu, divitiis opum defraudet, livoribus infuscet tentationum, vulneribus peccatorum transfigat. Hæc est namque perversitatis ejus intentio, ut omnibus noceat, omnes deficiat. Denique quos in viis Dei ambulantes viderit, et in proposito justitiæ cognoverit fortiores, eos gravius persequitur, a statu rectitudinis subruere conatur. Ideoque ait : *Persecutus est inimicus animam meam ; humiliavit in terra vitam meam.* Gravis persecutio. Qui cœperam amore cœlestium terrena relinquere, et contemptis divitiis sæcularibus, in cœlis conversari, jam impulsione diabolica cogor summa et æterna despicere, et de mundi hujus providentia incerta cogitare. Terrenarum rerum curis aggravor, carnalium voluptatum captus illecebris, ad ima deducor. *Deprimit* enim *terrena habitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). *Humiliavit in terra vitam meam.* Qui contemptis cœlestibus, ad ima solummodo appetenda deducitur, ejus vita in terra humiliatur. Unde fit, ut eo morti fiat proximus, quo a Deo factus est per dissimilitudinem longinquus. Hinc namque Apostolus ait : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, quæ mergunt homines in interitum* (*II Tim.* VI, 9). Unde et apte subditur :

(Vers. 4.) *Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.*

4. Quid infelicius? Vivebam olim Deo, mortuus sæculo, nunc e contrario mortuus Deo mundo vivo. Quid est enim peccatum, nisi mors? Hinc etenim scriptum est : *Non est in morte qui memor sit tui* (*Psal.* VI, 6). Et iterum : *Intravit mors per fenestras nostras* (*Jer.* IX, 21). Mors namque est quæ animam a Deo separat, sensuum internorum intercludit officia, divinam deturpat imaginem, lucis adimit claritatem. Denique qui Christo moritur, in sepulcro conscientiæ tumulatur, ligatur concupiscentiarum instituis, a conspectu Dei projicitur, duritie operitur, lapide iniquitatis intus clauditur. De talibus scriptum est : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* LXXII, 7). Hos tamen aliquando resuscitat Jesus, et sublato impœnitudinis lapide, a tenebris ad lucem revocat. Et cum pro eis Ecclesia intercesserit, per ministerium eos sacerdotum absolvit. Venit ipse ad monumentum, ad lacrymas Ecclesiæ commovetur ; jubet ut ad justitiam resurgat, qui pridem in iniquitate jacuerat. Tantummodo opus est ut per confessionem foras veniat, sentiat cordis dolorem, timeat judicium Dei, ab iniquitate recedat. Habet etiam in hoc prophetæ documentum. Nam subditur : *Anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Pœnitentis viri spiritus anxiatur, cum superna desiderans, carnis corruptione deprimitur. Cum enim terrenæ labis pondere prægravatus, sustolli ad altiora nititur, ipso suo conamine fatigatus lassatur. Sed eo enixius superiora desiderat, quo verius sarcinam agnoscit quam portat. Turbatur vero cor peccatoris in recordatione peccati, cum primum cœperit seipsum cognoscere, et quam longe a Deo recesserit cogitare. Nec vacat quod addidit, *In me.* Quasi enim extra se fuerat, qui spretis salubribus et æternis, de noxiis et temporalibus cogitabat, qui ægritudinis suæ molestias non sentiebat ; qui se videre cum cæcus esset, putabat. Sed **549** eo in se rediit, quo seipsum qualis fuerat, recognovit. Scriptum namque est : *Redite prævaricatores ad cor* (*Isai.* XLVI, 8). Sed de filio prodigo narravit Dominus, quia cum distractis et profusis paternis bonis, vitæ cœlestis alimento egeret, in se reversus sit (*Luc.* XV). Non enim in se reverteretur, nisi a se prius exisset. Ideoque et pater ejus ait : *Hic filius meus mortuus fuerat, et revixit : perierat, et inventus est* (*Luc.* XV, 24). Si ergo a patre, a quo per inobedientiam discesseras, inveniri desideras, et deliciose in domo illius epulari, ad teipsum statim revertere, et discussis actibus tuis, unde excideris recordare, ut eo magis movearis ad pœnitentiam, quo incipies cognoscere quod amiseris, et perdere quod inveneris. Sequitur :

(Vers. 5.) *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabar.*

5. Felices antiqui dies, nihil tenebrarum, nihil caliginis præferentes. Quas divinitatis illustrabat præsentia, securitatis purgabat serenitas, lætitiæ immensitas decorabat. Dies gaudiorum et luminis, dies virtutum et pacis, dies deliciarum et suavitatis ; quos non perturbabat mœror, non infestabat angustia, non obumbrabat infirmitas. Hos dies in paradiso habuit anima, antequam a statu rectitudinis per culpam caderet prævaricationis : sed eosdem tunc infeliciter perdidit, cum præcepta conditoris servare contempsit. Potest quoque intelligi per antiquos dies, primorum parentum transgressio, per quam oculos eorum apertos testatur Scriptura (*Gen.* III). Vel etiam illecebrosa istius mundi prosperitas, fraudulenta quadam amœnitate stultis arridens, cui maledicit justus, dicens : *Pereat dies in qua natus sum* (*Job.* III, 3). Sancti etenim viri mundi hujus prospera magis quam adversa metuentes, in ipsis successibus suis seipsos discutiunt, et quam cito transeat mundanæ felicitatis fumus, attendunt, revolventes quod scriptum est : *In die malorum ne immemor sis honorum* (*Eccli.* XXVII, 11). Si quem vero in mundo prosperari viderint, et in gloria divitiarum suarum exsultare, non culmen dignitatis ejus considerant, sed finem illius mente pertractant, ut tanto obnixius vera bona considerent, quanto apertius bona non esse quæ transeunt vident. Hinc namque Job dicit : *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim* (*Job.* V, 3). Qui enim in multitudine divitiarum suarum confidit, quasi in terra radicem firmavit. Sed vir sanctus ejus maledicit pulchritudini, cum illius derogat prosperitati. *Meditatus sum in omnibus operibus tuis.* Qui mundi hu

jus divitias fallaces esse agnoverit, et amore cœlestium contempserit terrena, meditatur in operibus bonis, quæ vita hac transeunte permaneant, et æternæ vitæ præmia ferant. Neque enim tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur. Sequitur : *Et in factis manuum tuarum meditabar* (*Psal.* CI, 26). Loquitur propheta ad Deum : *Opera manuum tuarum sunt cœli.* Et alibi : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1). Illi sunt cœli, qui enarrant gloriam Dei : qui opus manuum Dei dicuntur, quia divinam in se non deformant imaginem, charismatum non excludunt dona, animæ speciem non demoliuntur. Qui nihil boni sibi, sed totum gratiæ Dei tribuunt, scientes se nihil habere quod non acceperunt (*I Cor.* IV). Hoc enim operatus est in eis, qui vasa misericordiæ fecit eos (*Rom.* IX), qui illos ante mundi constitutionem in seipso elegit, ut in se non glorientur, nec altum sapiant, sed timeant (*Ephes.* I), nec dicant in abundantia sua : *Non movebor in æternum* (*Psal.* XXIX). In his **550** meditabitur, qui de Babylone reversus, exempla eorum sibi ad imitandum proponens, ne deceptus conversatione eorum qui terrena sapiunt, in eadem quæ dimiserat relabatur, et fiat deterior erroris confusio (*Luc.* IX), si post acceptum aratrum cœperit retro aspicere ; aut ad tollendam tunicam in domum remeare (*Matth.* XXIV). Eorum itaque exemplo se ad bene operandum excitat, et cum eis absens corpore, mente conversatur. Gloriam ergo beatitudinis æternæ quam receperunt, aut recepturi sunt, attendit ; ut eo magis ad opus bonum animetur, quo cœperit agnoscere quod egerunt, et sperare quod acceperunt.

(Vers. 6.) *Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

6. Non sufficit bene velle, nisi sequatur et facere. Ideo qui in operibus bonis meditatum se dixerat, et in meditatione laudis sanctorum immoratum, secutus adjunxit : *Expandi manus meas ad te.* Hinc namque propheta nos admonet, dicens : *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum* (*Thren.* III, 41). Quid est manus ad Deum expandere, nisi operationem ad omnipotentem levare? Denique ille manus suas contrahit, qui indigentibus nihil tribuit, qui vocem pauperis non exaudit. Hinc quidam sapiens admonet, dicens : *Non sit manus tua ad dandum contracta, et ad accipiendum porrecta* (*Eccli.* IV, 36). Docuit ille manus expandere, qui dixit : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41). Et propheta testatur, dicens : *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis* (*Psal.* LXXV, 3). Quid est enim manibus Deum exquirere, nisi operibus sanctis Salvatorem invocare? Nec otiose additum est, *Ad te*, quia sunt plerique qui in eo quod bene agunt, laudari ab hominibus appetunt. Hi manus suas ad Deum non expandunt, quia per opera sanctitatis non Deum, sed mundi gloriam quærunt. De talibus dicit Dominus : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.*, VI, 2). Expandamus ergo manus nostras ad Deum, ne justitiam nostram faciamus coram hominibus (*Ibidem*) ; nec cum fatuis virginibus lampades vacuas accipiamus ; sed in vasis nostris oleum sumentes, venienti sponso occurramus, ut dicere cum Apostolo possimus (*Matth*, XXV) : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12).

7. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Hoc est propter quod magis timoratus quisque se ad bene operandum excitat, si se non extollat de meritis, si in se superbiam humanæ præsumptionis exstinguat, si nihil se esse reputet, si virtutis incrementum a conditore exspectet. Ideoque ait : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Quasi enim terra sine aqua, est anima sine gratia. Sicut enim terra quæ imbre non perfunditur, non vestitur herbis, non venustatur floribus, non abundat messe ; sic anima gratia carens non operitur virtutibus, non cogitat de cœlestibus, non insistit utilibus. Vitiato namque in primo parente libero arbitrio, jam nec velle quidem bonum possumus, nisi illius gratia adjuvemur, apud quem gressus hominis diriguntur. Scriptum quippe est : *Præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII, 35, *sect. LXX*). Et Dominus discipulis ait : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV, 16). Et Apostolus : *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13). Et iterum : *Gratia Dei salvati estis, per fidem* (*Ephes.* VII, 8). Si ergo fidem sine gratia Dei nemo habet, quis se facere fructum æstimet sine adjutorio illius, qui ait : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (*Joan*, XV, 16)? Quicunque enim plantet aut riget, incassum vox correptionis exterius perstrepit, nisi ille incrementum **551** dederit, sine quo nihil possumus facere (*I Cor.* III).

(Vers. 7.) *Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.*

8. Non incongrue a quodam sapiente dictum est : *Cupiditati ipsa celeritas tarda est.* Parum enim est desideranti justificationes Dei ut exaudiatur, nisi etiam velociter exaudiatur. Addit etiam causam, quare exaudiri debeat, quasi instantem jam spiritum non habeat, qui spem suam omnino in Deo ponit. Dicendo enim : *Defecit spiritus meus*, pauperem spiritu se esse testatur, et de seipso non præsumere, sed sacrificium Deo spiritum contribulatum offerre. Agnoscit hoc etiam se ex gratia Dei habere quod humiliatus est, confidens se ejus auxilio erigendum, cujus gratia se sentit elisum. Hinc namque propheta Dominum exorans, ait : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur ; emittes spiritum tuum, et creabuntur* (*Psal.* CIII, 29). Non enim receptaculum spiritus Dei quisquam efficitur, nisi spiritu suo primitus evacuetur. Nam nec requiescit spiritus Dei nisi super humilem et quietum, et trementem sermones Dei (*Isa.* LXVI). Denique qui tremit, deficit. Hinc propheta ait : *Defecit in salutari tuo anima mea* (*Psalm.* CXVIII, 81). Nisi enim quis a semetipso deficiat, ad eum qui supra ipsum est, non appropinquat. Hinc de regina Saba scriptum est quod audita sapientia Salomonis, et visis ministris domus ejus, non habebat ultra spiritum (*III Reg.* 10), quia electorum Ecclesia de gentibus congregata, cognita

Christi gratia et Evangelicæ doctrinæ inventis magistris, abjecto superbiæ spiritu, omnique elationis fastu deposito, didicit de seipsa diffidere, et in Regis sui misericordia magna sperare.

(Vers. 8.) *Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.*

9. Solent domini irati ab his quibus offensi sunt servis oculos avertere, et si quando illi pro gratia supplicaverint, in partem aliam faciem declinare. Et quia recto eos intuitu conspicere nequeunt, animorum suorum motus in ipso corporis habitu ostendunt. Deus quoque idem delinquentibus avertitur, quia turpitudinem eorum sereno vultu inspicere dedignatur. Sed qui abjicit delinquentem, convertitur ad pœnitentem, vocat etiam aversos, donat peccata conversis, hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adjuvat dimicantes, confirmat laborantes, exaudit corde clamantes. Ipse namque per prophetam dicit : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I, 3). Sed quia converti ad eum sine ipso non possumus, quotidie cum propheta clamemus : *Ne avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.* Avertente Domino faciem, peccator in lacum descendit, quia nisi illum Deus misericorditer respexerit, post multa perpetrata scelera in desperationis foveam cadit. Nam et Petrus amare non flevisset, nisi eum Dominus respexisset. Est enim pœnitentia unum de perfectis donis descendentibus a Patre luminum. Nisi ergo benigna Dei misericordia mentem hominis illuminaverit, impossibile est ei in novam naturam mutari (*Jac.* I), cum scriptum sit : *Non potest a se facere quidquam, nisi datum fuerit desuper* (*Joan.* XIX, 11). Et Apostolus : *Fiduciam*, inquit, *talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 4). Si ergo nec cogitare aliquid a nobis sufficimus, quomodo sine respectu misericordiæ Dei pœnitentiam agemus? Sunt enim tenebræ ubi Christus non respicit, ubi lux illa vera non ingreditur; quæ sic lucet in tenebris, ut tamen non comprehendatur **552** a tenebris (*Joan.* I). Ideoque propheta Dominum exorans dicebat : *Faciem tuam illumina super servum tuum* (*Psalm.* CXVIII, 135). Quid est autem facies Dei, nisi quædam claritas cognitionis ejus? Hanc cognitionis ejus claritatem non vident, qui misericordiam ipsius ignorant, qui de peccatorum suorum venia desperant. Illi denique in lacum descendunt, ubi lumen non videant misericordiæ, intentionem cordis non dirigant ad cœlos, carnis satisfaciant desideriis, Deum contemnant, sicut scriptum est : *Peccator cum in profundum venerit, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). De talibus per Amos prophetam Dominus intonat, dicens : *Si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos* (*Amos* IX, 3). Quid est enim celari in profundo maris, nisi in altitudine delitescere desperationis? Celat vero se qui non confitetur peccata sua. Non confitetur autem qui desperat de misericordia Dei. Vel certe ille se ab oculis Dei celat, A qui a mandatis ejus avertitur. Oculi enim Domini, spiritus Dei, qui legem, id est mandata dedit. Qui ergo se ab oculis Dei in profundo desperationis celaverint, potestatem accipit diabolus ut eos mordeat, et in ventrem eos suæ malitiæ inducat. Ipse est enim serpens, cui dictum est : *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ* (*Gen.* III, 14).

(Vers. 9.) *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.*

10. Quid est mane, nisi sequentis diei initium? Quæ autem dies, nisi illa de qua propheta dicit : *Melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII, 11)? Et Apostolus : *Nox*, inquit, *præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis; sicut in die honeste* B *ambulemus* (*Rom.* XIII, 12). Illa est enim dies quam verus ille sol illuminat, qui nescit occasum, quem non obtenebrat nubes, non obscurat nebula, non obumbrat turbo. Quæ recte una dicitur, quia nullius finis termino angustatur. In hac quippe vita diem non habemus, in qua per fidem, non per speciem ambulamus. In qua cæcitatis nostræ patimur tenebras, et erroris humani deflemus caliginem. In qua assiduis mœroris et angustiæ premimur nebulis, et per devia trahimur, quasi captivi lumen sapientiæ non habentes, et in cogitationibus nostris evanescentes. Cum autem Christus apparuerit vita nostra (*Col.* III), et revelata facie Deum videre cœperimus, tunc omnis effugiet caligo tenebrarum, omnis evanescet ignorantiæ fumus, omnis dissipabitur tentationis nebula; quia et corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem (*I Cor.* XV). Illa erit claritatis et lucis dies, quam electis omnibus præparavit, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ. Hujus diei mane est futura resurrectio, juxta quod scriptum est : *Mane astabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus* (*Psal.* LV). Et iterum : *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime, ad annuntiandum mane misericordiam tuam* (*Psal.* XCI, 1). In ea quippe justorum lucescet felicitas, apparebit gloria, videbitur exsultatio; ubi absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum (*Apoc.* XXI), ubi novissima destruetur mors, ubi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum (*Matth.* XIII). C D

11. In illo autem mane auditam faciet Dominus misericordiam suam, cum segregatis justis ab impiis, ovibus scilicet ab hædis, dicet his qui a dextris ejus erunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Ibi nota fiet misericordia Dei, quam in præsenti vita **553** mens humana capere non potest. Præparavit enim Dominus diligentibus se, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II). Ideo qui per bonam conversationem a gratia Dei venientem, ad desiderium æternæ vitæ erigitur, dicit : *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam* scilicet æternam. *Misericordia*

enim *Domini ab æterno usque in æternum super timentes eum* (*Psal.* CII, 17). Quod si illa sanctorum felicitas misericordia est, et non meritis acquiritur, ubi erit quod scriptum est : *Et tu reddes unicuique secundum opera sua* (*Psal.* LXI, 13)? Si secundum opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur? Sed aliud est secundum opera reddere, et aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint bona opera, ejus sit et retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitæ in qua cum Deo et de Deo vivitur nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, præsertim cum Apostolus dicat : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Quanquam et ex hoc quoque misericordia jure possit nominari, quia pro illis operibus datur, quæ sine præventu misericordiæ Dei nemo assequitur. Unde in Psalmis dicitur : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11). Nisi enim vasa iræ fecisset vasa misericordiæ, neminem ab illa perditionis massa conversatio sancta discerneret, neminem a pœna perpetuæ mortis justitia propria liberaret. Constat ergo quia quibus misericorditer tribuit ut in hac vita bene operentur, eis misericordius largitur ut in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Hæc est gratia, quam pro gratia dandam sanctus Dei apostolus perhibet, ut quibus in hac vita divinitus datur gratia sanctificationis, eis ex hac quoque in futuro detur gratia æternæ felicitatis. Quod vero ait : *Quia in te speravi*, quasi causa est justæ petitionis, quia cum spem suam quis in Deo posuerit, ad exorandum Deum confidentior erit. Dixerat quoque superius : *Defecit spiritus meus*, nunc vero in Deo sperare se dicit. In quo majoribus usus confidentiæ remediis, spei nostræ saluberrimum adhibet documentum, ut discamus parum esse quod a nobis delicimus, nisi nos transcendentes, in Deo proficiamus.

(Vers. 10.) *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.*

12. Quis est qui pervenire possit ad audiendam mane vocem misericordiæ, nisi ambulaverit in via justitiæ? Hinc propheta Dominum exorans, ait : *Viam justificationum tuarum instrue me* (*Psal.* CXVIII, 27). Et illud : *Dirige me in semitam rectam propter inimicos meos* (*Psal.* XXVI, 11). Et, *Dirige in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* V, 9). Sciebat enim viam esse quæ recta videtur hominibus, cujus novissima ad mortem ducunt (*Prov.* XIV). Ideoque ait : *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Vide ordinem. Primum est ut a teipso delicias, nec super te causa jactantiæ rapiaris, sed omnibus inferiorem te sentias, et sic in te spiritum superbiæ exstinguas. Non te generis nobilitas extollat, non erigat honor, non inflet prudentia. Qui enim confidit in homine, maledicto subjacet (*Jerem.* XVII). Deinde sequitur ut in Deo speres, ut derelictus (juxta prophetam), a patre et matre (*Psal.* XXVI), assumaris a Domino, et ejus præsidio guberneris inter fluctus mundanæ tentationis. Postremo ut animam ipsam leves ad Deum, et omni vanitate expulsa, in cœlestibus converseris, ubi deliciarum Dei reficiaris dulcedine, et visionis ejus perfruaris claritate. **554** Non tibi subrepat terrenarum delectatio cupiditatum, non vanitatum phantasmata mentem occupent, quæ cum animum in diversa traxerint, tantam inducunt caliginem negligentiæ, et cæcitatis tenebras opponunt, ut cum appetere cœperit infima, nullatenus erigatur ad summa. Si amore cœlestium accensus fueris, et per istos ascenderis humilitatis gradus, poteris et tu dicere cum propheta : *Ad te, Domine, levavi animam meam* (*Psal.* XXIV, 1). Beatus qui hoc potest dicere. Beatus plane quem iniquitas non onerat, non revocat delectatio, non inclinat voluptas, quem non gravat cupiditas, non deprimit opulentia, non trahit ambitio, sicut scriptum est : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit* (*Psal.* LXXXIII, 6).

(Vers. 11.) *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

13. Qui in via ambulat, insidias metuit, hostium timet incursus, prædonum impetus perhorrescit. Ideo qui viam nosse salutis desiderat, ut etiam ab inimicis eripiatur exorat. Novit quia inter inimicos graditur, in medio laqueorum, undique pericula imminent, undique ponuntur insidiæ, undique incauti præcipitantur. *Adversarius* enim *noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V, 8). Occupat incautos, inermes sauciat, incautos exspoliat. Alios necat, alios captivat, alios suffocat. Aliquando transfigurat se in angelum lucis, et incautæ menti quædam agenda bona proponit (*II Cor.* XI); ut dum a proposito tentatus deciderit, et tentationum ventis velut arundo cœperit agitari, facilius ad delicti inducatur consensum. Inserit inutiles cogitationes, vana adhibet desideria, virtutum figmenta depingit. Si quem vero invenerit fortiorem, in bono proposito perseverantem, eum acrius persequitur, et gravioribus admotis tentationum aculeis, exstinguere conatur. Habet quoque secum nequitiæ ministros, duces et satellites suos, cum quibus adversus humanam fragilitatem congreditur, ut ea tanto facilius superetur, quanto non ab uno, sed a multis impugnatur. Contra hunc potentem adversarium ejusque plurimos apparatus nos instruebat Paulus, cum diceret : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Eph.* VI, 12). Quis tot inimicorum catervas evadere, eorumque insidias investigare potest? Non gravantur carne, nullis occupantur curis, sed sunt ad nocendum parati. Quis hominum adversus eos dimicans illæsus abire potest, nisi auxilio divinæ gratiæ vallatus fuerit, et scuto bonæ voluntatis ejus coronatus? Etiamsi bonæ operationis studio floreat, si lumine polleat virtutum, non poterit inimici rugientis superare nequitiam, nec potestatis iniquæ reprimere vires, nisi illius fuerit fretus præsidio, qui

sic manet in nobis, ut etiam pugnet pro nobis.

14. Restat ergo ut in omnibus divinæ gratiæ auxilium postulemus, et ad illud inexpugnabile occurramus semper refugium, in quo nullius hostis timeamus incursum. Ad illud nempe refugium confugerat qui dicebat : *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi*. Et alibi : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX, 1). Notandum vero quia non ait, protege me, sed eripe me, quasi dicat : Jam me fraudum suarum laqueis implicant, jam deceptionum astringunt nodis, jam retibus iniquitatum involvunt. Quis autem ad eripiendum idoneus, nisi ille, cui **555** cum propheta cantamus : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII, 7)? Et ne quis sibi placens de ereptione sua glorietur, adjunctum est : *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram* (*Ibid.*, 8). Ambulantes itaque in via hac in qua absconderunt laqueos nobis, totis ad Deum medullis cordis clameinus : *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi ; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Justum est ut Deo suo omnis homo serviat, creatura obediat Creatori, Domini sui mandata servus non transgrediatur. Contendat christiana anima facere voluntatem Dei sui, agnoscat Creatorem suum, audiat vocem ejus, dirigat viam ejus, obediat præceptis ejus. Oret ut doceatur, postulet ut dirigatur, supplicet ut confirmetur. Hoc quippe sine auxilio divinæ inspirationis assequi nemo potest, sed in omnibus divina nobis est exoranda clementia ; ut infuso cordibus nostris spiritu, cujus unctio docet nos de omnibus (*I Joan.* II), discamus quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta (*Rom.* XII).

(Vers. 12.) *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam ; propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua*

15. Qui a spiritu suo defecit, a spiritu Dei deducitur. Dixerat autem superius suum spiritum defecisse. Constat itaque quia ad malum eum suus spiritus deduxerat. Et fortasse deduxerat eum in regionem longinquam, in qua substantiam suam dissipasset (*Luc.* XV), in qua fames esset verbi Dei, in qua uni civium, videlicet diabolo, qui princeps est mundi hujus nuncupatus (*Joan.* XIV), adhærens, ad porcos mitteretur pascendos; ubi porcorum cibis ventrem suum cuperet implere, id est malignorum spirituum suggestionibus carni suæ satisfacere. Jam vero malo spiritu deficiente, a Dei bono assumptus, in terram rectam speret introduci ; quæ tribulos non germinet et spinas, nec deserta sit, vel invia, vel inaquosa ; sed centenis exuberet fructibus, et deliciis abundet æternis. *Qui enim spiritu Dei aguntur, hi* juxta Apostoli vocem, *filii Dei sunt* (*Rom.* VIII, 15). Si autem filii, et hæredes; et si hæredes, hæreditatem possidentes. Quæ est autem hæreditas, nisi terra viventium ? Hinc namq. e propheta ait : *Mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis* (*Psal.* XXXVI, 11). Hinc rursus ait : *Benedicentes ei, hæreditabunt terram* (*Ibid.* XXII). Et ne quis crederet terram illam quæ transitura est, benedicentibus et mansuetis hæreditatem promitti, subjunxit atque ait : *Justi autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam* (*Ibid.*, 29). Et : *Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit* (*Ibid.* 18). Si ergo hæreditas filiorum est, et illi sunt filii Dei, qui aguntur spiritu Dei, cum hæreditas terra viventium sit ; qui spiritu Dei illuminantur, in terram rectam deducentur. Ad quam quicunque deducitur, in multitudine pacis delectatur. Hanc pacis multitudinem Dominus per prophetam pollicetur, dicens : *Dabo illis solatium verum, pacem super pacem* (*Isa.* LVII, 18, 19, *sec.* ***LXX***). Super pacem enim quam dilectis suis in hac vita tribuit, in æterna felicitate aliam divina miseratio dabit ; ut jam caro non repugnet spiritui, nec aliqua ullius tentationis subrepat occasio, omnibus jam compositis ; ut reformata in melius humana natura, nemo jam cadere, nemo possit peccare. Hæc est pax Christi quam apostolis ipse promisit, dicens : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 17). In quo notandum quia cum bis eis suam pacem promisit, **556** intelligamus sanctos Dei quamdam in hac vita pacem habere, sed veram perfectamque pacem ibi solummodo inventuros, ubi eos jam nulla vana movebit cogitatio, nulla turbabit illusio, cum eripuerit Deus animas eorum de morte, oculos eorum a lacrymis, pedes eorum a lapsu. Hanc pacem Christus solus habuit, quia solus inter mortuos liber, peccati aculeum in corde non sensit. Nos vero quandiu corruptibili carne premimur, et corporis innectimur nodis, integræ illius perfectæque pacis ignari vane conturbamur, irrepentibus nobis terrenarum illecebris cupiditatum, et cogitationibus vanis, quæ frequenter quasi facto agmine ex improviso erumpentes, mentem confundunt, atque alio quam proposuerimus, animum trahunt. Non enim in potestate nostra est cor nostrum ; non ad Deum secundum voluntatem nostram erigitur ; deducitur ad ima, trahitur ad devia. Si ergo in terram rectam cupimus ingredi, a spiritu Dei bono optemus deduci.

16. *Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.* Non vivit justitiæ, nisi qui moritur iniquitati. Sicut autem quod seminavimus non vivificatur, nisi moriatur prius ; sic qui mundo et concupiscentiis ejus non moritur, in fructu bonorum operum non multiplicatur (*Col.* III). Superest ergo ut mortificemus membra nostra quæ sunt super terram, quatenus vivificet nos auctor vitæ. Ad hoc enim ipse mortuus est, et resurrexit, ut nos peccatis mortui, justitiæ vivamus (*I Petr.* II). Hinc propheta dicit : *Vivificabit nos post duos dies, et in die tertia suscitabit nos* (*Osee* VI, 3). Illa nempe resurrectio, nostra vita fuit, per quam a morte animæ liberati sumus, atque vitæ restituti perpetuæ. *Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo* (*I Thessal.* IV, 13). Vides quia qui Christo commoritur, cum eo convivificatur, sicut testatur Apostolus, dicens : *Si enim*

complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom.* VI, 5). Plus est autem vivificari in æquitate quam vivificari æquitati. Denique qui in æquitate vivificatur, in ipsam æquitatem introducitur, ut nihil iniquum sapiat, nihil impium agat. Potest etiam per æquitatem ipse Christus intelligi, in quo vivificatur qui mundo moritur. Denique corpore suo et sanguine pascimur et vivificamur, alimur et saginamur. Nec otiose additur : *Propter nomen tuum.* Ad omne enim bonum quod agimus, non nostram, sed Domini gloriam quærimus. In eo namque opus bonum Deo acceptum efficitur, si ex virtute operis non servi, sed Domini nomen glorificetur.

(Vers 13.) *Educes de tribulatione animam meam, et in misericordia tua disperdes inimicos meos.*

17. Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, et innumerabiles afflictionum molestias, nulla est major afflictio quam conscientia delictorum. Cum enim exterius patitur homo, ad Deum confugit, ad virum fortitudinis recurrit. Singulare namque et saluberrimum est consolationis remedium tribulationes exterius patienti; ut si eum contristat orbitas, si angit paupertas, si venit infirmitas, recedat ab eo qui foris est strepitu, et ingressus in interiora mentis penetralia, ibi Deum invocet, ubi nemo videt. Restat quoque ut ostium cordis contra illatas claudat molestias, ut sævientium exterius non sentiat impetus, sed in spe cœlestium promissorum exsultans postponat damna, molestias negligat, sæculi blandimenta contemnat, humiliet se in confessione peccati, magnificet et laudet **557** Deum corripientem et consolantem. Quod si malæ conscientiæ tribulationem perferens, in arcano cordis Deum non invenit, quoniam forte recessit ab hospitio cordis pro abundantia iniquitatis, quid facturus est homo? ubi consolationem inveniet? ubi requiem perquiret? Grandis tribulatio, ubi nullus evadendi aditus, ubi nulla libertatis spes, ubi nulla ereptionis fiducia. Si ad exteriora recurrit, si in transitoriis consolationem quæsierit, ibi animi afflictio urgebit, sollicitudinum stimulabit calamitas, miseriarum turba vallabit. Quæ enim in temporalibus consolatio? quale in divitiis gaudium? Nunquid nobiscum permansuræ sunt? Nonne illæ sunt spinæ, quæ semen verbi suffocant (*Luc.* VIII)? Quæ sicut acquisitæ lætificant, sic etiam amissæ contristant. Superest itaque ut in tribulatione positus peccator ad eum recurrat in quo solo vera est consolatio, et per istius vitæ noctes in lectulo cordis Deum quærat. Quem si primo non invenit, magis ad quærendum animetur, surgat ad amorem cœlestium, civitatem circumeat exsultatione universæ terræ fundatam, interroget vigiles qui custodiunt Ecclesiam, nudetur pallio sæcularis ornatus, et charitatis sagitta interius vulneretur (*Cant.* III). Nec prius a quærendo desistat, quam mœrentium consolatorem inveniat. Inventum autem summopere teneat, donec redemptus ope adjutricis gratiæ, a conscientiæ eripiatur tribulatione. Si enim naufragus cupiens vitam in undis servare, semel adeptam tabulam non ante dimittit, A quam fractus labore sævientium procellarum deficiat, aut vehiculi præsidio adjutus, optatum littus attingat; quis in hujus maris magni et spatiosi naufragio Dei non amplectatur sapientiam, cujus gubernetur præsidio, regimine deducatur? De ipsa namque scriptum est : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam, beatus* (*Prov.* III, 18). Quæ est autem Dei sapientia, nisi Christus? secundum quod Apostolus ait : *Christum Dei, virtutem, et Dei sapientiam* (*I Cor.* I, 25). Teneamus ergo lignum salutis in pelago procellosæ tempestatis, per quod possimus et a periculo horrendæ mortis eripi, et de tribulatione diabolicarum tentationum educi. Dat nobis magnam ereptionis nostræ fiduciam quod subditur : *Et in misericordia tua disperdes inimicos meos.* Qui sint inimici humani generis, et Christianæ animæ impugnatores, superiori satis expositione declaratum est. Quos tunc clementia divina disperdit, cum eis vires nocendi adimit; cum adversus jacula tentationis diabolicæ scutum opponit suæ protectionis. Quasi enim confusi abscedunt, cum se ad prævalendum impotentes agnoscunt. B

(Vers. 14.) *Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.*

18. Justum est ut bonus servus a bono domino adjuvetur, contra hostiles muniatur incursus, a periculo liberetur. Sed quid est quod se nominat servum, cum servus non maneat in domo in æternum? Hinc ipsa Veritas discipulis ait : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus* (*Joan.* XV, 15). Et Apostolus : *Non accepistis*, inquit, *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater* (*Rom.* VIII, 15). Sed sciendum, quoniam sicut sunt duo timores, ita etiam sunt duæ servitutes. Est enim timor pœnam habens, quem perfecta charitas foras mittit (*I Joan.* IV). Est et timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII), de quo etiam scriptum est : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX, 10). Et iterum : *Timentibus Deum nihil deest* (*Psal.* XXXIII, 10). Ille igitur timor qui a charitate excluditur, **558** ad servum non manentem in domo pertinere videtur. Timor vero sanctus servo illi convenire noscitur cui voce Dominica dicitur : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui* (*Matth.* XXV, 21). C D

19. Quod vero ait : *Perdes omnes qui tribulant animam meam*, ad illam beatæ vitæ felicitatem referendum est, in qua nullum habebimus adversarium, nullum metuemus inimicum, cum absorbebitur mors in victoria, cum illa novissima inimica destruetur mors, cum immutati fuerimus, et æquales angelis effecti (*I Cor.* XV). Modo enim nihil quietis aut securitatis invenire possumus, dum adhuc in nobisipsis ingemiscimus gravati, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri (*II Cor.* V). Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc nulla erit diabolicæ fraudis impugnatio (*I Cor.* XV), nullum hæreticæ pravitatis dogma, nulla infidelis populi impietas, omnibus

ita pacatis et compositis, ut in tabernaculis justorum sola audiatur vox exsultationis et salutis. Ibi sancti sine fine laudabunt Deum, et in lumine claritatis ejus exsultabunt (*Psal.* CXVII), cives effecti illius civitatis, quæ libera est, et æterna in cœlis (*Galat.* IV). Quam non obscurant tenebræ, non obumbrat nox, non consumit vetustas, non in ea rutilat lumen solis, aut lunæ splendor, aut stellarum jubar, non ibi lucerna quæritur, non lampas accenditur, non lychnus aptatur. Claritas quippe divina eam illuminat, sol clarificat justitiæ, lux vera illustrat, lux, inquam, inaccessibilis, quæ non clauditur loco, non finitur tempore, non obumbratur tenebris, non variatur nocte. **559** Hoc immenso et indeficiente et lucidissimo lumine illustrata Jerusalem sancta, quæ est mater nostra, filios abdicat tenebrarum, cives recipit pacificos; filios videlicet lucis et diei, filios adoptionis, consortes supernæ hæreditatis. Nullus in eam ingreditur impius, nullus habitat iniquus, nullus intrat immundus. Muri ejus ex lapidibus construuntur vivis, portæ ejus ex optimis adornantur margaritis, plateæ ejus ex auro purissimo sternuntur, et canticum lætitiæ sine fine in ea cantatur (*Apoc.* XXI). Ibi est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Ibi sancti et humiles corde (*Dan.* III); ibi spiritus et animæ justorum, ibi cuncti cœlestis patriæ cives et beatorum spirituum ordines Regem in decore suo videntes, et in gloria virtutis ejus exsultantes. Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una jucunditas.

Bone Jesu, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut a spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æternus, et unus omnium spiritus; ubi est certa securitas, et secura æternitas; et æterna tranquillitas, et tranquilla felicitas, et felix suavitas, et suavis jucunditas; ubi tu, Deus, cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per infinita sæculorum sæcula. Amen.

DE SEQUENTI OPUSCULO MONITUM.

560 Quod hic damus opusculum non aspernandum, sancti Gregorii papæ nomen in Codicibus manuscriptis præfert; at in paucissimis exstat. In unico sane, qui est majoris Monasterii prope Turones, nobis occurrit. In bibliotheca quoque Vaticana unum duntaxat repertum est Concordiæ hujus exemplar manu exaratum, ut suis litteris Romæ datis XVI Kalend. Aprilis 1699, nobis significavit D. Claudius Estiennot, qui simul nos admonuit sibi dictum a viro clariss. et doctiss. D. L. de Zacagnis, Vaticanæ bibliothecæ custode, vix aliud in totius Italiæ bibliothecis inveniri posse. Codicem hunc Romam ex bibliotheca Palatina fuisse asportatum id nobis persuadet, quod in editione Romana Vaticanis typis jussu Sixti V diu ante adornata, quam bibliothecæ Pontificiæ ex Palatina, tanta librorum manu exaratorum supellectilis fieret accessio, nulla Concordiæ hujus mentio injiciatur. Si enim in hoc opusculum nomine sancti Gregorii munitum et insignitum, neque quod ipsi tribuatur indignum, incidissent Editores accuratissimi, ab eo vel edendo, vel saltem commemorando nullatenus abstinuissent.

Inter clariss. viri Jacobi Sirmondi opuscula legitur epistola Alexandri Wilthemii societatis Jesu, qua diligentissimo huic Codicum mss. investigatori ac exploratori peritissimo inventam a se in bibliotheca collegii Luxemburgici ejusdem societatis, illam de qua hic agimus Concordiam indicat his verbis : *Incidi in opusculum D. Gregorii de Concordia testimoniorum, quod Pamelius in fine operum Patris illius promissum non repræsentat. Titulus in nostro codice scripto, ut opinor, Othonibus Imperatoribus, hic est :* Incipit de Concordia testimoniorum sancti Gregorii papæ urbis Romæ. *Quod opusculum, cum capita quædam de prædestinatione, aut ei disputationi affinia delibet, judicavi reverentiæ vestræ indicandum, si forte mitti velit.* Ex epistola quam rescripsit Sirmondus liquet eum sibi mitti Codicem peroptasse, quod utrum consecutus sit, aut quale de hoc opusculo judicium tulerit vir doctissimus, nobis incognitum.

Quid de illo senserit Johannes Gilotius, vir multarum litterarum, qui cum cæteris sancti Gregorii operibus tam genuinis quam spuriis illud edidit Parisiis an. 1571 publico testimonio, quod hic exhibendum duximus, declaravit, dum evolveremus Codices antiquos, ut ad illorum collationem hujus doctoris scripta quæ exstant, restitueremus, invenimus hunc librum in exemplari quodam pervetusto bibliothecæ D. Dionysii, quem minime dubitamus esse D. Gregorii, non tantum quia ejus habebat nomen, sed etiam quia stylus facilis, popularis, simplex illius est, et quod nos magis movet, mens ipsa atque sententia tota Gregorii. In responsione ad primam interrogationem agit de duplici timore iisdem prope verbis ac certe sententiis, quibus lib. XXXIV Moral., cap. 14 (*Imo potius cap.* 17, *nunc num.* 40). In quarta interrogatione eodem modo de prædestinatione loquitur, atque lib. I Reg., cap. XIV. Quid distet inter crimen et peccatum iisdem verbis interrogatione 10, et lib. XXI Moral., cap. 9 (*Nunc num.* 19). Quod si de auctore dubitaremus, dignum tamen judicaremus ut in lucem ederetur, quod tam exiguo volumine tam multam doctrinam contineat.

Certe inficias ire non possumus stylum ad doctrinam hujus auctoris, quicunque sit, Gregorium redolere. In interrogatione quarta, eo modo qui sancto doctori familiaris est et fere singularis, laudat libri Sapientiæ scriptorem : *Quia quidam sapiens dixit, raptus est*, etc. (*Lib.* XIX, *Moral. num.* 26; *lib.* XXVII, *n.* 47 *et* 53). Verum neque ex hac observatione nostra, neque ex Gilotianis continuo sequitur, Gregorio vindicandam hanc Concordiam. Quidni enim quispiam in illius operibus evolvendis assiduus, potuerit ex ejusdem tum sententiis, tum etiam verbis opusculum hoc contexere et consarcinare?

In Bibliotheca veteri Hispaniæ (*Tom. II, lib.* VII, *cap.* 6, *num.* 109), Martino cuidam presbytero Legionensis Ecclesiæ circa finem XII sæculi adscribitur *Liber sic nuncupatus, Concordiæ Veteris et Novi Testamenti.* Quo nomine utrum intelligi debeat nostra Concordia dubitare licet. In ea enim non solum Veteris Testamenti testimonia cum aliis ex Novo specie tenus pugnantibus conciliantur, verum etiam plerumque ejusdem Novi Testamenti loca quæ videntur opposita componuntur, et ab omni contradictione solvuntur.

Editum Joannis Gilotii cura hoc opusculum denuo contulimus ad ms. Codicem majoris Monasterii DECC fere annorum, cujus ope multa in Gilotiana Editione corrupta sanavimus, nec tamen omnia : mendorum enim expers non est hic Codex, neque alterius ms. Codicis copiam habere potuimus. Nostris vero conjecturis plus æquo indulgere metuimus, cum inde corruptelam editorum librorum maximam effluxisse nobis pene constet.

SANCTI GREGORII MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

[a] CONCORDIA

QUORUMDAM TESTIMONIORUM S. SCRIPTURÆ.

I.

561 Ad Rom. I (*Vers.* 6) : *Paulus servus Jesu Christi.*

In sancto Evangelio secundum Joannem XV (*Vers.* 15) : [b] *Non dicam vos servos, sed amicos.*

INTERROGATIO.

Quid est, quod magister Christus in alio loco apostolos non dixit servos, sed amicos; et ejusdem magistri discipulus, imo apostolus, in quo Christus loquebatur, nominavit se servum? Et dum utrumque a Christo dictum est quomodo intelligi debeat, solerter intuendum est, maxime cum idem Dominus ac Salvator noster ad eosdem apostolos secundum Lucam dixerit : *Dicite, servi inutiles sumus, quia quod debuimus facere,* [c] *fecimus* (*Luc.* XVII, 10). Et iterum : *Euge, serve bone et fidelis* (*Matth.* XXV, 22, 23 ; *Luc.* XIX, 17). Et iterum : *Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem* (*Matth.* XXIV, 46 ; *Luc.* XII, 37).

RESPONSIO.

Sine præjudicio alterius sententiæ melioris, sciendum est duo genera esse bonæ servitutis; unum timoris, aliud dilectionis; unum timentium ancillarum et servorum, aliud diligentium et placentium filiorum; timet enim ancilla ne flagelletur, timet matrona ne offendat animum viri sui. Sed servitutis timor qui habet pœnam, [d] foras mittit perfectam charitatem. Perfectus autem servitutis timor non solum non habet pœnam, sed ad ipsam pervenit lætitiam, psalmista attestante, qui ait : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LXXXV, 11). Et iterum : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 11). Hunc namque timorem habent et sancti angeli, quem profecto habuerunt et sancti apostoli, per adventum scilicet Spiritus sancti, *per quem* [e] *diffunditur charitas in cordibus nostris.* Idcirco et a Domino non dicti sunt servi, sed amici, qui tamen et a semetipsis, et a Domino dicti sunt servi; nimirum non ex timore, sed ex amore Deo placendi.

II.

Ad Rom. I (*Vers.* 1) : *Segregatus in Evangelium Dei.*

Et secundum Joannem XVII (*Vers.* 11) : *Pater sancte,* [f] *serva eos quos dedisti mihi, in nomine tuo, ut sint unum.*

INTERROGATIO.

Et dum se sanctus Paulus unum effectum cum servatis **562** credidit, quid est quod se segregatum esse fatetur? Nam dicitur segregatus, [g] qui a grege separatus est, maxime cum Dominus dixerit : *Et erit unus grex, et unus pastor* (*Joan.* X, 16). Et sanctus Spiritus in Actibus apostolorum imperando locutus est : *Segregate mihi Paulum et Barnabam* [h] *in opus ad quod vocavi eos* (*Act.* XIII, 2).

RESPONSIO.

Sciendum profecto in primis est, quia ista testimonia non solum a semetipsis non discrepant, verum etiam sibimetipsis in unitate concordant. Nam Paulus et Barnabas a grege non erant separati, sed gregati, hoc est ad opus apostolatus fuerant electi. Quibus enim cor unum et anima una cum grege erat, nulla separatio usquam esse poterat. Attamen a grege separati fuerant qui ad apostolatum electi erant. Nam et manus ad operandum porriguntur, sed tamen ab unitate corporis non separantur.

III.

Ad Rom. IX (*Vers.* 1) : *Testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor* [i] *cordi meo.*

In parabolis Salomonis XII (*Vers.* 21) : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.*

INTERROGATIO.

Quid ergo? nunquid Paulus apostolus justus non erat, qui non contristari justum quidquid ei acciderit, noverat, etsi contristari cum justus erat debue-

[a] In Ms. *Incipit Concordia testimoniorum sancti Gregorii papæ urbis Romæ.*
[b] Ms., *non dico.... sed amicos meos.*
[c] Ms., *non fecimus.*
[d] Ms., *foris mittit perfectam charitatem.*
[e] Ms., *descendit*
[f] Ms., *conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum.*
[g] Ms., *quasi a grege separatus est.*
[h] Ms., *in opus quod vocavi.*
[i] Ms., *in corde meo.*

rat, ut quid iterando Philippensibus gaudium commendabat, dicens : *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete* (*Philip.* IV, 4)? Sed et sanctus Jacobus gaudere in variis tentationibus imperat (*Jacob.* I, 2). Et ipse etiam Paulus in suis [a] tribulationibus gloriatur (*II Cor.* XII, 9), et sanctus Matthæus Evangelista testatur de Domino ac redemptore nostro, dicens : *Tunc cœpit contristari et mœstus esse. Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 37 ; *Marc.* XIV, 33).

RESPONSIO.

Sciendum profecto est, aliud esse contristari secundum Deum, aliud secundum sæculum, eodem Paulo dicente, qui ait : *Contristari secundum Deum salutem stabilem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur* (*II Cor.* VII, 10); **563** ista desperabilis, illa laudabilis est; ista repletus Judas [*Iscarioth*] Scarioth, laqueo se suspendit; illam se habuisse sanctus Paulus ad Corinthios scripsit, dicens : *Si quis contristavit* [b] *me, non me contristavit, sed ex parte* (*II Cor.* II, 5); ac si apertius diceret : Non ego solus zelum Dei habeo, sed me contristatum cum vestra tristitia ex mea parte cerno. Et nisi ista tristitia non vitium sed virtus esset, nequaquam illam Dominus in Evangelio beatificaret, dicens : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5); et seipsum dixit tristem secundum humanitatem, profecto non secundum impassibilem divinitatem

IV

Ad Rom. IX (*Vers.* 11) : De Jacob et Esau. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni aut mali, ut propositum quod per electionem Dei factum est, permaneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori.*

In psal. LXI (*Vers.* 11) : *Quia tu reddes unicuique, secundum opera sua.*

INTERROGATIO.

Cum non ex operibus, sed ex vocante dictum est : *Quia major serviet minori*, quomodo reddet Deus unicuique secundum opera sua? Cur ergo Paulus dixerit : *Non ex operibus?* Nos procul dubio credimus quia nec utique ex futuris, nec cum quisquam existimat tantum dixisse de præteritis, qui utique non erant, cum supradicti distincti fuerant. Si enim hominem præsentem futura adhuc bona justificant, et futura adhuc mala alterius damnant. Sed hoc credere absit a nobis, quia quidam sapiens dixit : *Raptus est* justus, *ne malitia mutaret intellectum ejus* (*Sap.* IV, 11). Etenim iste nec justus diceretur, si de futura adhuc malitia damnaretur.

RESPONSIO.

Antequam aliquid de ista quæstione dicamus, prophetam et apostolum eodem spiritu locutos fuisse credamus. Contrarius enim sibiipsi esse non poterat idem Spiritus, qui utrumque implebat, et ipse Spiritus, qui Deus est, per prophetam locutus est : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* I, 2). Electio ergo Dei nunquam defuerat, [c] quæ ea quæ in temporibus facta fuerant discernebat; quia futura tempora non electionis divinæ, sed ipsa omnium futurorum naturalium causa erat. Hinc Redemptor noster ad Ananiam de Saulo, non adhuc de Paulo dixit : *Noli timere eum, quia vas electionis mihi est* (*Act.* IX, 15). Intuere quod dixit : Est, non autem, erit. Nam non ideo electus est quia apostolus esset, sed ideo apostolus erat quia electus est. Deus ergo noster bonorum omnium creator est, malorum autem justissimus ordinator (*Rom.* IX). Tanto enim bonus omnibus est, [d] ut benefaciat etiam de malis. Nam si mali non essent, nullæ rei utique prodessent. Reddet ergo Deus unicuique secundum opera sua, quia vasis præparatis in honorem reddet vitam æternam, et aptis in contumeliam, debitam damnationem. Nam et mali si vellent boni utique esse potuissent. Boni autem qui ex Adam nati sunt, contrariam legem in membris suis vident, ut isti non consentiendo per misericordiam ad præmia perveniant, et illi consentiendo per justum judicium ad supplicium pertrahantur.

V.

564 Ad Rom. X (*Vers.* 13) : *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Et secundum Matthæum VII (*Vers.* 21) : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.*

INTERROGATIO.

Ista [e] dissona videntur, sed scire volumus quomodo intelligantur. Nam ibi dixit, Omnis : Hic dixit, Non omnis. Si ergo omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit, quomodo non omnis, qui ingeminat nomen Domini, salvus erit?

RESPONSIO.

Aliud est invocare nomen Domini, aliud ingeminare. Nam illud semper invocant boni, ingeminant autem mali, quia eamdem fidei vocem quam loquendo [f] proferunt, moribus destruunt. Hinc de quibusdam Paulus ait : *Deum se* [g] *confitentur nosse, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Bonis nomen Domini invocare, est in omnibus illi placere. Idcirco *omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

VI.

Ad Rom. IV (*Vers.* 2) : *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.*

In epistola Jacobi II (*Vers.* 21) : *Abraham, pater noster, nonne ex operibus justificatus est?*

INTERROGATIO.

Etsi Abraham ex operibus justificatus est, apud quem habet gloriam, si non apud Deum, cujus amicus per Jacobum dictus est? et si nulla vera gloria est, nisi apud Deum, et nulla vera justificatio, nisi ab illo, quis justificatus habet gloriam sine Deo?

RESPONSIO.

Paulus apostolus contra Saducæos scripsit, sanctus

[a] Ms., *infirmitatibus gloriatur.*
[b] Deest *me* in Ms.
[c] Ms., *et ea quæ.*
[d] Præter hanc lect. Ms. hanc aliam exhibet, *ut bonos faciat.*
[e] Ms., *dissonare.*
[f] Ms., *abstrahunt.* Fortasse quia non spontanee, sed timore coacti proferunt.
[g] Ms., *se confitentes.*

vero Jacobus de justitia fidei dixit. Illi ex operibus legis semetipsos justificabant, nam Saducæi Latino sermone dicuntur justificati. Per [a] justitiam autem fidei qui justificantur fide, per charitatem, opera demonstrantur. Nam ut idem Jacobus ait : *Mortua est fides sine operibus charitatis, non legis* (*Jacob.* II, 26). Sanctus autem Paulus contra habentem gloriam, sed non apud Deum; et contra Saducæum semetipsum justificantem dirigit sermonem, dicens : *Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei; arbitramur enim hominem justificari sine operibus legis* (*Rom.* III, 27). Ac si aperte diceret, Abraham, pater noster, ante tempora legis fuerat, sed tamen apud Dominum justificatus erat, quia fidem quam corde tenebat operibus demonstrabat.

VII.

Ad Rom. XI (*Vers.* 29) : *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei.*

In Genesi VI (*Vers.* 7) : *Pœnitet me fecisse hominem;* et in Samuele, I Reg. XV (*Vers.* 11) : *Pœnitet me unxisse Saul in regem.*

INTERROGATIO.

Cum unus idemque Dominus in patribus et in Apostolo locutus est, quomodo pœnituisse et non pœnituisse ab his dictus est?

565 RESPONSIO.

Solerter intuendum nobis est, quia patres loculi sunt de Deo incommutabili mutabilia faciente. Et apostolus protulit sermonem de incommutabili prædestinatione. Hinc de eodem Domino sanctus Jacobus ait : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I, 17). Sed Deus præter [b] prædestinationem mutabilia facit. Per convenientem etenim usum loquendi, et iratus et pœnitens, et zelans et præscius Dominus dicitur; sed sine ira iratus, sine pœnitentia pœnitens, sine zelo zelans, sine provisionibus præscius intelligitur.

VIII.

Ad Rom. XIII (*Vers.* 1) : *Non est potestas nisi a Deo, quæ autem sunt a Deo ordinata sunt.*

In Propheta de quibusdam regibus, Oseæ VIII (*Vers.* 2) : *Ipsi regnaverunt, et non ex me.*

INTERROGATIO.

Si nulla potestas nisi a Deo, quomodo dictum est veraciter ab ipso : *ipsi regnaverunt, et non ex me?* Item si ipsi reges ex Deo non erant, quomodo reges per se regnasse dixerat : *Per me*, inquiens, *reges regnant* (*Prov.* VIII, 15)?

RESPONSIO.

Ex illo, et non ex illo reges regnant, qui et potestatem a Deo datam habent, et tamen se ab eo accepisse stulte denegant. Hinc per prophetam scriptum est : *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi* (*Job.* XXXIV, 30). Propterea ergo isti reges ex Deo non sunt, qui non ex bono, sed propter peccata populi regnare permissi sunt. Item : Omnis potestas nonnisi a Deo est; quia non per se mala, sed utique bona est. Mala autem sine bonis, [c] et nisi in bonis esse non possunt, et idcirco nonnisi in rationabilibus creaturis fiunt. Bonis ergo regibus Spiritus sanctus comminando loqui dignatur, cum ad eosdem psalmistæ voce dicitur : *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram* (*Psal.* II, 10).

IX.

Ad Rom. XIV (*Vers.* 14) : *Scimus autem quia nihil commune per ipsum.*

In Actibus Apostolorum XV (*Vers.* 29) : *Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum.*

INTERROGATIO.

Si nihil rerum per ipsum est commune, quid [d] de morticino, et sanguine, et suffocato, et de idolis immolato debemus sentire? Nam ista non solum in Veteri Testamento immunda esse leguntur, sed et in Novo gentes credentes ab his abstinere, ab apostolis præcipiuntur. Intellectu igitur satis opus est, quo pacto ista dissonantia solvi possit.

RESPONSIO.

Dominus ac Redemptor noster secundum Marcum dixit quando de his sermonem habere voluit : *Nihil est*, inquit, *extra hominem quod possit eum coinquinare* (*Marc.* VII, 15); Et hoc non intelligentibus discipulis, increpando subintulit dicens : *An et vos sine intellectu estis? nondum intelligitis, quia omne quod* **566** *in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur* (*Ibid.*, 18)? Ergo rudes adhuc apostoli et necdum a Spiritu sancto illuminati, sensu Judaico credebant, quod hominem non prohibitiones, sed res coinquinarent. Res autem non coinquinant hominem, quæ in ventrem vadunt et exeunt, sed prohibitionis transgressio, et quæ de ipsa procedunt. Nam et primus homo non propter morticinum, aut sanguinem, aut suffocatum, sed propter poma immundus factus est, cum mandatum Dominicum suadente sua conjuge transgressus est. Sed sancto Petro quod dictum est audiamus, ut de his quid sentire debeamus, intelligamus. *Surge*, inquit, *Petre, macta et manduca* (*Act.* 10, 13). Huic dicto Petrus intuendo litteram respondit, dicens : *Absit a me, Domine, quia omne commune et immundum nunquam intravit in os meum* (*Ibid.*, 14). Cui sub testificatione prohibitionis protinus respondetur : *Quod Deus*, inquit, *purificavit, tu ne commune aut immundum dixeris* (*Ibid.*, 15). Hinc data est licentia Christianis, exceptis in novo Testamento prohibitis, ut manducent quod velint cum moderatione et gratiarum actione. Non ergo per se morticinum aut sanguis ex natura immunda sunt, sed qua prohibita sunt, manducata hominem coinquinant. Et pomum nullam immunditiam naturalem habuit,

[a] Gilot., *per justitiam ergo fidei qui justificabantur fide, per charitatis opera demonstrantur.* Quibus nihil obscurius.

[b] Ms., *destinationem.*

[c] Ed. : *Et nonnisi in bonis esse possunt;* lectio Ms. quam sequimur obscuritatem loci hujus sanat, ipsique favet Augustinus.

[d] Gilot., *de mortuo.* Legendum, *morticino*, et sic habetur in responsione : *non propter morticinum,*

sed manducare prohibitum, hominem coinquinavit [a]. A

X.

I ad Corinthios I (*Vers.* 8) : *Qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine* [b] *in adventu Domini.*

In Epist. I Joan. I (*Vers.* 8) : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*

INTERROGATIO.

Cum seductio sit, æstimare se esse sine peccato, quomodo confirmamur a Domino sine crimine in adventu ejus, maxime cum etiam infans unius diei non possit esse sine peccato? Nunquid ergo et crimen peccatum est, sine quo quis confirmatus a Domino fieri potest?

RESPONSIO.

Sciendum profecto nobis est, quia non omne peccatum crimen est, attamen omne crimen peccatum est; sicut omnis impius peccator est, non autem omnis peccator, impius. Minima ergo et levia, peccata dicuntur; crimina autem nisi magna minime leguntur [c].

XI.

I ad Corinth. III (*Vers.* 9) : *Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis.*

Et in Job XXVI (*Vers.* 2) : *Cujus adjutor es? nunquid imbecilli?*

INTERROGATIO.

Nunquid sanctus Paulus approbando justificat, quod beatus Job in Eliu damnat. Cujus adjutor es? nunquid imbecilli? Apostolus autem dixit, Dei sumus adjutores. Si ergo bonum est esse adjutores Dei; C quid Eliu reprehenditur de adjutorio Dei?

567 RESPONSIO.

Nimirum scire nos convenit, quia nonnulli defendendo Deum offendunt; et sunt nonnulli qui quantum in eis est, causam Dei defendunt. Isti veraciter prædicando Dei adjutores sunt; illi increpando fallaciter spiritus pro Deo satagunt, sed satagendo offendunt. Isti non ignoti sed cogniti de Deo loquuntur; illi etiam vera loquentes a Deo minime cognoscuntur, Domino de Eliu dicente : *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis* (*Job* XXXVIII, 2)? Quid est quod Dominus de illo interrogat, dicens : *Quis est iste involvens sententias :* et tamen interrogando reprobat subjungens, *sermonibus imperitis?* Ille ergo sententias veras dicebat, sed eas sermonibus impe- D ritis involvebat, quia dicta sancti Spiritus de reprobis in Job retorquebat : de quo quia sine querela erat, Dominus testimonium dederat. Non eodem modo esse dicimus, *Deus adjutor noster in æternum* (*Psal.* LXI, 9), [d] quo dicimus : *Dei adjutores sumus.* Ille enim non eget adjutorio nostro : nos autem nihil possumus sine illo.

XII.

I ad Corinth. III (*Vers.* 15) : *Opus uniuscujusque, quale sit, ignis* [e] *probabit.*

Secundum Matth. XIX (*Vers.* 28) : *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.*

INTERROGATIO.

Et dum uniuscujusque opus quale sit ignis probabit, nunquid et ipsi apostoli per ignem probabuntur, qui non judicandi, sed etiam judicaturi duodecim tribus Israel dicuntur? aut etiam illos ignis probabit, cum quibus seipsum numeravit sanctus Paulus dicens : *Nos autem qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic* B *semper cum Domino erimus* (*I Thess.* IV, 16).

RESPONSIO.

Si vim dictorum Christi pensemus, hanc obscuritatem, ipso illuminante, ad lucem perducimus. Nam ipse dixit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur* (*Luc.* XII, 49)? Spiritus quoque sanctus super apostolos descendens in specie ignis apparuit (*Act.* I), qui in signo [f] apparens in fidelibus, fideles intus ut ignis probavit. Opus ergo uniuscujusque quale sit, ignis probabit, quia quos ignis spiritalis in præsenti tempore non examinat, in futuro judicio per ignem probat. *Quicunque ergo spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (*Rom.* VIII, 14), qui licet per ignem probati, examinati sunt. Nam illum per impositionem manuum episcopi accipientes, nullate- C nus ab eo deviarunt, sed etsi in aliquo delinquunt, cognoscendo et confitendo corriguntur. [g] Omnis enim, inquit Dominus, per ignem salvabitur, aut enim hic per spiritalem, aut illic per corporalem ignem probabitur. Nimirum ergo sicut non omnis in die judicii per ignem probabitur, ita in ipsa eademque die non omnes omnino judicabuntur, Domino testante, qui ait : *Qui credit in Filium, non judicabitur; qui autem incredulus est, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18). Quosne ergo ignis futurus probabit, si Deus nec credulos, nec incredulos judicabit? Sed quasi a nobis interrogaretur : **568** Quod ergo erit judicium? protinus subjunxit dicens : *Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem* (*Ibidem*). Hi ergo soli in die judicii judicabuntur, qui licet lucem scirent venire, sed tamen magis tenebras diligere dicuntur. Nam qui in tenebris manent, jam judicati sunt, qui autem nihil tenebrarum habent, sine ullo judicio ad lucem pertinent. Illi vero qui licet baptizati sunt, in futuro judicandi erunt. De illis ergo solis judicium habebitur, ut aut ad lucem, aut ad tenebras plus pertinere debeant, demonstretur. Resur-

[a] In Ms. legitur : *Explicit epistola ad Romanos, incipit epistola ad Corinthios.*

[b] Ms., *in adventum ejus.*

[c] In Ms. additur : *Quia nimirum vita humana, Deo confirmante, potest esse sine crimine; sine peccato vero nullatenus potest, nec uno die.*

[d] Ms., *quod dicimus.*

[e] Ms., *ignis probat.*

[f] Ms., *apparens infidelibus.*

[g] Ubi hæc leguntur? fortasse Ecclesiastici XXXVI, 11 : *In ira flammæ devoretur qui salvatur.* In Ms. Turon. lego : *per ignem salietur*, quod referri potest ad Marc. IX, 48 : *Omnis enim igne salietur.*

gent ergo isti, [a] ut judicentur, justi ut judicent, impii ut damnentur; quia et illi resurgent, sed non in judicio, psalmista testante, qui ait : *Non resurgunt impii in judicio* (*Psal.* I, 5).

XIII.

I ad Corinth. IV (*Vers.* 5): *Nolite ante tempus judicare.*

Ad Philipp. III (*Vers.* 18) : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus.*

INTERROGATIO.

Dum Paulus apostolus ad Corinthios loquens, prohibuit ante tempus judicare, cur ipse quasi ante tempus judicando de quibusdam videtur dicere : Quorum finis interitus ?

RESPONSIO.

Christus in Paulo locutus futura jam quasi præterita agnoscit, et idcirco etiam Paulo dicente, nihil ante tempus judicavit. Nam et sanctus Spiritus per apostolum Petrum ad Simonem Magum ait : *Non est tibi pars, neque sors in hac vita* (*Act.* VIII, 21) : quia Simonis Magi futura, quasi præterita, Petro in Spiritu sancto fuerant revelata, a quibus autem futura ut præterita minime videntur, a Domino ante tempus judicare prohibentur; de quibus et per prophetam increpando dicitur : *Væ iis qui prophetant de corde* (*Ezech.* XIII, 17). De corde namque prophetare est ex sola præsumptione non per Spiritum sanctum aliquid dicere.

XIV.

I ad Corinth. VII (*Vers.* 7) : *Volo omnes homines esse sicut meipsum.*

Et ad Timoth. I, V (*Vers.* 14) : *Volo autem juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.*

INTERROGATIO.

Nunquid duas voluntates sibimetipsis contrarias habuit sanctus Paulus, qui aliter ad Corinthios, aliter ad Timotheum se voluisse dixit ? Nam de non nubendo videtur dixisse ad Corinthios : de nubendo vero scripsit ad Timotheum ; ibi de omnibus hominibus, sicut ille erat, ut essent, voluit ; hic, adolescentioribus ut nubant, se voluisse scribit.

RESPONSIO.

Nobis solerter intuendum est, sanctum Paulum concionatorem Ecclesiæ fuisse, et ex multorum personis sermones diversos jam protulisse. Nam ibi ex persona virginum dixit : Volo omnes homines esse sicut meipsum. Hic ex persona volentium nubere scripsit : Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse. Sicut et Salomon ex multorum personis **569** in Ecclesiaste loquitur, qui latino sermone concionator exprimitur. Nam ibi ex persona quorumdam dicentium, scripsit : *Nonne melius est manducare et bibere* (*Eccle.* II, 4)? Ex persona autem perfectorum intulit dicens : *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii, in ipsa enim finis cunctorum admonetur hominum* (*Ibid.* VII, 3) : in hac enarrabatur etiam virtus fortium. Mira ergo dispensatione largitoris agitur ut etiam de conjugatis electi præmium virginitatis recipiant, quanquam omnes virgines esse non possunt. Voluntas namque perfecta faciendi, reputatur pro opere facti. Hinc nato Domino sancti angeli dixerunt : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Quod ergo unusquisque nostrum in semetipso agit voluntarius, hoc recipiet a Domino, quasi de omnibus hominibus. Sed et malevolus econtra cogitet, ne quasi de malis omnium iniquorum damnetur ; quia sicut misericors, ita et justus est. Matrimonium igitur et virginitatem Paulus laudavit, sed virginitatem matrimonio prætulit, dicens : *Qui matrimonio virginem suam jungit, bene facit ; qui autem non jungit, melius facit* (*I Cor.* VII, 38). Quia ergo utrumque bonum vidit in spiritu, utrumque profecto fieri voluit.

XV.

I Ad Corinth. VII (*Vers.* 10, 11) : *Cæteris ego dico, non Dominus : Uxorem a viro non discedere, sed etsi discesserit, manere innuptam.*

Et II ad Corinth. XIII (*Vers.* 3) : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?*

INTERROGATIO.

Si continue in Paulo apostolo loquebatur Christus, quid ergo fatetur se aliquid dicere, et non Dominum?

RESPONSIO.

Si duos prophetas in medium proferamus, hanc nimirum dissonantiam cito solvemus. David quippe quia non continue spiritum prophetiæ habuit, interrogando alterum prophetam demonstravit. Et Nathan de constructione templi, quia et ipse in illa hora spiritum prophetiæ non habuit, hoc dicendo declaravit : *Omnia, quæ sunt in corde tuo, fac ; Dominus enim tecum est in omnibus* (*II Reg.* VII, 3). Sed Spiritus sanctus adveniens, construi templum a sanguinario bellisque dedito prohibuit, et hoc a Davide fieri per eundem Nathan contradixit (*Ibidem*). Consilia ergo non continue habentium spiritum prophetiæ, aliquando prætermittenda sunt, [b] aliquando non sunt. Nam consilium Nathan a David debuit prætermitti, consilium autem apostoli Pauli a Christianis debuit semper observari. Aliqua namque consilia infra mandata qui implet, tantum justus est, qui vero transcendit jam perfectus est. Nam consiliando Dominus ait : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX, 21) : Et idem Paulus eumdem habens spiritum, [c] consilium dedit : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII, 25). Ista consilia in mandatis utique non sunt, [d] sed supra mandata, ideoque majora præmia acquirunt.

XVI.

570 I ad Corinth. X (*Vers.* 13) : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

[a] Deseruimus hic Gilot. ut sequeremur Ms. Cod., qui licet nonnihil adhuc habeat obscuritatis, præferendus est tamen Edit. Gilot., ex quo nullus sensus potest extundi.

[b] Adjecimus ex Ms. Tur., *aliquando non sunt.*
[c] Gilot. *consilium dedit non Dominus :* De Virg.
[d] Ms.: *Sed supra mandata majora præm. adquirunt.*

Et II Corinth. I (*Vers.* 8) : *Nolumus autem ignorare* A *vos, fratres, de pressura nostra, quæ nobis facta est in Asia : quoniam supra modum et supra virtutem gravati sumus.*

INTERROGATIO.

Etsi supra virtutem gravamur, quomodo gravari nos Deus non patitur ? Item, si supra virtutem non gravamur quomodo supra virtutem gravari dicimur ?

RESPONSIO.

Ut istam dissonantiam celerius dissolvamus, ad aliud propheticum testimonium recurramus, ubi ait : *Quia vana salus hominis, in Deo faciemus virtutem* (*Psal.* LIX, 13, 14). Frequenter ergo gravari dicimur supra humanam fragilitatem, quia vana salus hominis est : sed nunquam gravamur supra Dei virtutem, quia ille medicus est. Ægrotus ergo sub manibus B medici aliquando plorat, quia quo pacto ad salutem perveniat ignorat ; sed sapiens medicus plerumque secat, ut ægrotum quoque ad salutem perducat. Paulus ergo intuendo fragilitatem suam, gravari se dixit supra virtutem, [a] sed ulterius ait : *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philip.*, IV, 13).

XVII.

II ad Corinth. V (*Vers.* 16) : [b] *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam secundum carnem non novimus.*

Secundum Luc. XXIV (*Vers.* 39) : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

INTERROGATIO.

Quomodo concordant verba discipuli verbis Christi C magistri sui ? Hoc Christum dixisse post resurrectionem legimus, et de ipso eodemque tempore Paulus ait : *Sed nunc jam non novimus.* Quid ergo ? Nunquid hoc quod confitetur Christus, hoc nosse se denegat Apostolus ?

RESPONSIO.

Deum ac Redemptorem nostrum secundum carnem cognovimus vixisse, hoc est absque ullo peccato verum hominem se in omnibus demonstrasse : sed post resurrectionem idcirco non novimus, quia carnem illius in æternum victuram sine alimentorum sustentaculis manere credimus. Esurientem ergo et sitientem, et ab itinere fatigatum ante passionem, et ipsa passione minoratum ab angelis legimus ; sed subjectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus, D eum hæc operari nunc jam non novimus. Confitetur ergo Dominus se habere veram carnem post resurrectionem, sed Paulus nunc jam non novit, ut erat ante passionem. Sed hoc testimonium idcirco Paulus protulit, veteri homine deposito, ut renovationis formam nobis insinuaret, dicens : *Ut sicut Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.*, VI. 4)

XVIII.

II ad Corinth. XI (*Vers.* 5) : *Existimo enim me nihil minus fecisse* **571** *a magnis apostolis.*

I Corinth. XV (*Vers.* 9) : *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus.*

INTERROGATIO.

Dum minimum apostolorum Paulus se esse confitetur, quid nihil minus fecisse a magnis apostolis sè testatur ?

RESPONSIO.

Sciendum est quod crimina præsentia Paulus non habuit, et idcirco peccata jam dimissa humilitatis gratia ad memoriam reduxit : *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* XV, 9). Habens autem sermonem de hæreticis et pseudoapostolis, profitetur se nihil minus a magnis apostolis fecisse. Bene agentium ergo apostolus per humilitatem erat minimus, sed contra delinquentium pseudoapostolorum vitia per zelum justitiæ erectus.

XIX.

Ad Galat. I (*Vers.* I) : *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis.*

I ad Timoth. II (*Vers.* V) : *Mediator Dei et hominum homo, Jesus Christus.*

INTERROGATIO.

[c] Nunquid non per hominem Jesum Christum Pau- C lus vocatus est in Apostolatum, qui se non ab hominibus neque per hominem vocat apostolum ?

RESPONSIO.

Hoc est non per præsentiam humanitatis ante passionem, sed ex vocante apostolus electus est post resurrectionem, Domino ad Ananiam dicente : *Noli timere eum, quia vas electionis est mihi* (*Act.* IX, 15).

XX.

Ad Galat. I (*Vers.* X) : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

I Corinth. X (*Vers.* 33) : *Sicut per omnia omnibus placeo.*

INTERROGATIO.

Si Paulus per omnia omnibus placet, quomodo placendo hominibus, Christi servus [d] non esset ?

RESPONSIO.

Placet Paulus, et non placet : placet namque in rebus non prohibitis, sed in prohibitis minime placuit : *Factus est enim omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret* (*I Cor.* IX 19).

XXI.

Ad Ephes. II (*Vers.* 3) : *Et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri.*

[a] Ms., *Nihilominus ait* : Omnia.

[b] Hic multa restituimus ex Ms. quæ in Ed. Gilot. deerant.

[c] Gil. *Nunquid per*, et in respons., *hoc est per præs.*, ubi omissa in utroque loco negatione, sensus inutilus erat.

[d] Expungenda videtur particula negativa, quæ tamen legitur tam in Ms. quam in Edit.

In Genes. I (*Vers.* 31) : *Et vidit Deus omnia quæ fecit, et erant valde bona.*

INTERROGATIO.

Cum sint benedicta et omnia valde bona, quæ Deus creavit, quomodo homines filios iræ ex natura Paulus scripsit ?

572 RESPONSIO.

Omnipotens Deus omnium naturarum creator est, et omnis natura, in eo quod natura est, bona est. Mos namque confirmatus longo tempore vim quodammodo obtinet naturæ. Hinc Paulus ait : Eramus natura filii iræ ; ac si aperte diceret : Cum eramus sani, devenimus ægroti, et ex ipsa pessima consuetudine, eramus quasi ex natura filii iræ.

XXII.

Ad Ephes. III (*Vers.* 8) : *Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc inter Gentes, evangelizare investigabiles divitias Christi.*

In Psalm. IX (*Vers.* 1) : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*

INTERROGATIO.

Quid est hoc ? Nunquid omnia mirabilia Dei poterant ab ipso etiam propheta narrari, cum Paulus apostolus scripserit investigabiles esse divitias Christi ? Sed et ipse Paulus quomodo non est sibimetipsi contrarius in eo quod ait, evangelizare investigabiles divitias Christi?

RESPONSIO.

Et narrantur ergo omnia mirabilia Domini, et investigabiles sunt divitiæ Christi, quia et narrando omnia in brevi simul complectuntur, et tamen in ænigmate videntibus ex parte cognoscuntur. Nam cum de Deo aut de præsenti sæculo, vel de futuro aliquid narratur, omnia in brevi simul sermone complectuntur, et hæc quia sunt, ab auditoribus audiuntur. Quomodo autem aut qualia sint, etiam a prædicatoribus non intelliguntur. Hinc prædicator egregius ait : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius* (*Rom.* XI, 33). Psalmista autem ut omnia simul narraret, de Domino ait : *Omnia quæcunque voluit fecit* : non solum de Creatore, sed etiam de ipsis creaturis quales sunt, narravit.

XXIII.

Ad Philip. III (*Vers.* 13) : *Unum autem quæ quidem retro sunt obliviscens,* [a] *et in futurum convalescens.*

II ad Timoth. IV (*Vers.* 7) : *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi.*

INTERROGATIO.

Et dum ista præterita Apostolus ad memoriam reduxit quomodo ea quæ retro sunt oblivisci se dixit ?

RESPONSIO.

Quo magis temporibus et rationi congruunt, quæ proferuntur, eo celerius ab auditoribus intelliguntur.

Nam Paulus apostolus causa confirmationis suæ ista enumeravit, quia tempus [b] resolutionis suæ propius instabat. Scriptum quippe est : *In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum* (*Eccli.* XI, 27). Paulus ergo præterita obliviscens, non erat immemor malorum, quando dixit : *Non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Corinth.* XV, 9). Iterum, appropinquante die resolutionis suæ, immemor non erat **573** bonorum, dicens : *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi* (*II Timoth.* IV, 7). Solent quippe sancti viri hoc proprium habere [c] et prospera in adversis, et in prosperis adversa commemorari. Hinc beatus Job in prosperis cum erat, sic timuisse se dixit : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum* (*Job* XXXI, 23). Item cum erat in adversis, bona præterita quæ egerat, ad memoriam revocavit, dicens : *Oculus fui cæco, et pes claudo ; pater eram pauperum, et causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam* (*Job* XXIX, 15, 16). Sancti ergo viri utrumque alternatim dicunt, quatenus nec extollantur in prosperis, nec desperatione frangantur in adversis.

XXIV.

Ad Philip. IV (*Vers.* 8, 9) : *Si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me.*

In Parabolis Salomonis XXVII (*Vers.* 2) : *Laudet te alienus, et non os tuum ; extraneus, et non labia tua.*

INTERROGATIO.

Si nulli laudare seipsum ore proprio licuit, cur Paulus bona enumerans de seipso dixit : Quæ et vidistis in me?

RESPONSIO.

Aliter est loqui de corde proprio, aliter in Spiritu sancto. Nam Paulus in adversis carceris bona se egisse in spiritu meminit, et idcirco non ore proprio dixit; quia prospera in adversis commemorari debent. De semetipso autem loqui laudanti et propriam gloriam quærenti Veritas ait : *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est* (*Joan.* VII, 18). Sed idem Paulus : *Non*, inquit, *qui semetipsum commendat, ille probatus est* (*II Corint.* X, 18). Ille ergo nimirum commendatur, qui nec in Spiritu sancto, nec in adversis prospera de se narrat.

XXV.

Ad Philip. IV (*Vers.* 12) : *Ubique et in omnibus institutus sum ; scio et saturari et esurire.*

In sancto Evangelio secundum Lucam VI (*Vers.* 25) : *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.*

INTERROGATIO.

Cum væ saturatis Dominum dixisse Evangelista narraverit; cur Paulus apostolus saturari se scire

[a] In Vulgata, *ad ea quæ sunt priora extendens meipsum.* Græce, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, *ad ea quæ a fronte sunt enitens*, quibus correspondent quæ hic legimus; nam futura dicit quæ sunt a fronte, quæque opponuntur præteritis jam retro positis. Et pro *enitens*, posuit quod æquipollet *convalescens.*

[b] Ms., *resolutionis ipsius.*

[c] Corruptum Giloticum textum ex Ms. emendavimus ; prius enim legebatur contra mentem auctoris : *Ut prospera in adversis, et in prosperis adverso pertimescant.*

dixit? aut quid magni est, scire saturari et esurire, cum hoc omnium animantium videatur esse commune?

RESPONSIO.

Omnipotens et verax [a] Deus væ saturatis dixit : quia saturari nescientes, nec gratias agentes, eos intemperatos vidit. Magnæ namque discretionis est saturari scire, hoc est cum moderatione et gratiarum actione alimenta percipere. *Qui enim*, inquit Paulus, *manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo* (*Rom.* XIV, 6). Ipsi ergo saturari nesciunt, qui tunc solum manducare desinunt, quando carne imperante manducare nolunt. Et isti e contrario Domino manducant, qui semper temperati, largitori gratias agunt.

XXVI.

574 Ad Thess. II (*Vers.* 18) : *Ego quidem Paulus et semel et iterum volui venire ad vos, sed impedivit nos Satanas.* B

Secundum Lucam XXII (*Vers.* 31, 32) : *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.*

INTERROGATIO

Quomodo isdem Satanas cribrare sanctum Petrum, sicut voluit, non permittitur, et quasi per se potuisse impedire a Paulo scribitur? Et si Paulus apostolus Dei voluntati in hoc congruit, [b] cur iterum illum Satanas impedivit?

RESPONSIO.

Indubitanter nobis sciendum est quod diabolus voluntatem tentandi semper habet; quomodo autem, et quantum, et quando faciat, potestate caret. In tantum enim eum Creator aliquid in sæculo agere permittit, quantum ante sæcula sine termino in prædestinatione habuit, et quia sanctos suos Dominus plerumque per Satanam probat, idcirco quasi ipse [c] Satanas impediat, Paulus indicat. Sed inter hæc sciendum est, quia plerumque omnipotens Deus facit voluntatem consilii sui, etiam per malevolam voluntatem [d] servi sui. Aliquando autem boni servi ea desiderare conceduntur, quæ ita, ut desiderant, a Domino non permittuntur. Abraham quippe præcepto Dei obedire voluit, sed decollari Isaac idem Dominus non permisit, et hanc voluntatem omnino perfectam remuneravit dicendo : *Quia non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum* (*Genes.* XXII, 16). Et David de voluntate construendi templi laudatus fuit, licet ad hoc construendum in ea re non pervenerit (*II Reg.* VII). Et dum ista specialiter locuti sumus, quomodo fiunt generaliter videamus. Plagæ namque generis humani [e] a justo judice dispensatæ sunt, sed electi Dei charitate jam pleni, eas fieri nolunt. Et contra Deum ergo volunt, et ab ipso non discedunt, quia de omnibus C plagis gratias agunt. Sed ut manifestius sit quod loquimur, per exempla demonstrando gradiamur. Verbi gratia : Aliquis filius suo ministrat patri quem, quia pius est, non vult etiam mori. Sed et cum ægrotos, quos Dominus castigat, visitamus, ut sani deveniant, satis desideramus. Ista ergo cum volumus, quasi discordando Dei voluntati discordamus. Item cum Dominus humano generi bona fieri jubet, nostra voluntas non contraria, sed congratulans esse debet, quatenus est perfecta, sed idcirco pii Domini et justitia judicis laudanda sit.

XXVII.

Ad Thess. IV (*Vers.* 15) : *Et in tuba Dei descendet de cœlo.*

In Apocal. VIII (*Vers.* 6) : *Et septem angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent.*

INTERROGATIO.

Et dum in tuba Dei de cœlo descendet Christus, in qua de iis septem creditur descensurus? Si in septima, quomodo præcesserunt cæteræ? Si in prima, quomodo secuturæ sunt aliæ?

575 RESPONSIO.

Idcirco septiformis Spiritus descendit in apostolos, ut quasi septem tubis acceptis, intonarent in populos, et Christus ad eorum posteros sub illorum persona promisit quod apud ipsos usque ad consummationem sæculi mansurus sit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Septima ergo prædicatio, quasi septima tuba ad consummationem sæculi pertinet, quia finita senaria prædicatione, novissima tuba canet. *Canet enim*, inquit Paulus, *tuba, et mortui resurgent incorrupti* (*I Corinth.* XV, 52). Et licet credere per novissimam tubam, significari septimam prædicationem, tamen attendimus Evangelicam lectionem, ubi ait de Filio hominis : *Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum* (*Matth.* XXIV, 31). Sciendum etenim est quia et vox quasi tuba audita est in monte Sinai, quando populus Israel accepit decalogum verborum Dei, quam qui audierunt, [f] excusaverunt se, ne eis iterum fieret. Sed tunc omnino locutus est per subjectam creaturam, profecto non per propriam naturam, sicut et ad filium suum locutus est, postquam a Joanne idem Filius baptizatus est, dicente Patre : D *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene* [g] *complacuit* (*Matth.* III, 17). Qui quod significabatur in voce, omnino paternæ divinitatis est, syllabæ autem et sonitus syllabarum profecto creaturarum erat. Cum ergo talem consuetudinem habeant sancti angeli, aeriis corporibus vestiri, sicut potuerunt ab aliquantis patribus videri, nihil nimirum obstat intelligi

[a] Ms., *Judex.*
[b] Ms., *cur iter illius.*
[c] Ms., *Satanas impedire Paulus ind.*
[d] Ms., *mali servi.*
[e] Ms., *justo judice dispensante, sunt.*

[f] Ms. duplicem suppeditat lectionem, *excausaverunt* et *excusaverunt;* quasi dare voluisset etymologiam verbi *excusare*, quod idem est, inquiunt grammatici, ac ex causa detrahere et absolvere.
[g] Ms., *complacui.*

[a] quia tali tuba tunc cantaturi sunt quando novissime in die ultimo intonabunt, quando mortuorum dormientium corpora resuscitabuntur.

XXVIII.

I ad Timoth. I (*Vers.* 13) : *Sed misericordiam sum consecutus, quia ignorans feci in incredulitate.*

Ad eumdem. *Ibid.* (*Vers.* 15) : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.*

INTERROGATIO.

Quid te excusas, sancte Paule, in uno, et [b] accusas in altero, dum per ignorantiam erat quidquid commisisti, quia cum venia omnium peccatorum primus fuisti, maxime cum nec tempore, nec magnitudine peccatorum inveneris ita fuisse?

RESPONSIO.

Sciendum est quod tribus modis peccatum admittitur, aut enim ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur; et gravius quidem infirmitate quam ignorantia; similiter studio gravius, quam infirmitate. Excusas ergo teipsum, sancte Paule, per veram rationem, et nihilominus accusas per humilem confessionem. Ut veraciter justus, accusator tui fuisti in uno, et gratias agens de Domini misericordia, Dominum laudasti in altero.

XXIX.

I ad Timoth. II (*Vers.* 4) : *Qui omnes homines vult salvos fieri,* **576** *et ad agnitionem veritatis venire.*

In Psal. CXIII (*Vers.* 3) : *Deus autem noster in cœlo et in terra, omnia quæcunque voluit fecit.*

INTERROGATIO.

Cum Deus omnia, quæcunque voluit, fecit, numquid totum genus humanum ad salutem perduxit? aut si hoc agere noluit, quomodo sanctus Paulus voluisse scripsit, dicens : *Qui vult omnes homines salvos fieri?*

RESPONSIO.

Indubitanter credendum est quia non alia Deus in temporibus fecit, quam quæ ante tempora præscivit et prædestinavit. Sed hoc nimirum intelligendum est, quia omnipotens Deus aliquid in sacra Scriptura se agere dicit, quod non per propriam naturam, sed per creaturam profecto agit. Sicut ad patrem Abraham dixerat, cum occidi Isaac omnino nolebat, dicens : *Nunc cognovi quia tu times Deum* (*Genes.* XXII, 12); hoc est, nunc cognoscere te feci, quod sine ullo termino ego cognovi. Et sicut in Ezechiele de impio ait : *Nolo mortem impii* (*Ezech.* XXXIII, 11); hoc est, feci nolentem mori, licet hoc ipse agat unde ad mortem perveniat, in natura ejus posui, quod nequaquam velit mori. Vult ergo Dominus omnes homines salvos fieri, qui in hoc utique sunt conditi quod volunt, licet indigni, semper esse salvi. Seu Deus omnes homines vult salvos fieri, quia salvos fecit ex omni ordine generis humani, scilicet, reges ex regibus, duces ex ducibus, et ex viris et ex mulieribus, et ex omnibus omnino hominibus. Hoc ergo genere locutionis loqui poterat Paulus cum diceret : *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Quoniam secundum (*I Timoth.* II, 4) [Lucam] Marcum [c] evangelistam locutus est etiam ipse Dominus dicens : *Væ vobis scribæ et Pharisæi, qui decimatis mentham, et omne olus;* hoc est, omne olerum genus. Unde enim poterant universa decimare, qui omnino non valebant cuncta simul congregare?

XXX.

I ad Timoth. II (*Vers.* 12) : *Docere autem mulieri non permitto.*

Ad Tit. II (*Vers.* 3) : De mulieribus : *Bene docentes ut prudentiam doceant.*

INTERROGATIO.

Cum Paulus apostolus docere mulieri omnino non permittat, quid de mulieribus scribens, bene docentes dixit, ut prudentiam doceant?

RESPONSIO.

In planioribus non debemus diutius impediri, ut aliquanto latius in obscurioribus libeat immorari. Bene docentes ergo dictæ sunt mulieres, non viros, sed suas juniores. Ut prudentiam, inquit, doceant, quatenus cum filiabus suis doctrina sua agant, unde ad æternam vitam perveniant.

XXXI.

I ad Timoth. V (*Vers.* 20) : *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri videntes timorem habeant.*

Secundum Matth. XVIII (*Vers.* 15) : *Si peccaverit in te frater tuus,* **577** *vade et corripe eum inter te et ipsum solum.*

INTERROGATIO.

Dum discipulo dictante peccans coram omnibus arguendus est, quid ipse magister veritatis inter te et ipsum solum locutus est?

RESPONSIO.

Hanc quæstionem celerius absolvemus, si vim dictorum diligentius consideremus. Ibi dixit : peccantes, sed non addidit, in quem; hic dixit, si peccaverit in te. Si ergo occulte in te peccaverit frater tuus, et tu vis coram omnibus arguere, non es corrector sed proditor. Peccantes autem in Deum coram omnibus increpa, ut illud verbum *argue*, ad sequentem vocem adjungas. Hinc Paulus ait : *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem illi restiti, eo quod non recte incederet ad fidem Evangelii* (*Galat.* II, 11). Et post pauca : *Dixi Petro coram omnibus;* ac si dixisset, eo quod simulationem coram omnibus habuisset : *Si tu,* inquit, *Judæus cum sis, gentiliter vivis, et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare* (*Ibid.*, 14)? Occulta ergo peccata possunt occulte corripi, et publica peccata coram omnibus debent argui, ut et cæteri timorem habeant. Quidquid enim mentem movet aliorum,

[a] Ms., *quia talia tuba tunc canituri sunt, quia novissima tuba in die ult. intonabunt.*

[b] Mendose Gilot., *et Christianos accuses.* Ac infra, *Christianos accusas per hum. conf.* Quid enim hic de Chistianis, ubi de solo agitur Paulo?

[c] Ita legitur in Gil. et in nostro Ms., licet mendose nomen *Marci* pro *Lucæ* irrepserit.

nequaquam reticendum est, sed cum magna humilitate proferendum est.

XXXII.

I ad Timoth. VI (*Vers.* 16) : *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.*

Et I Joan. III (*Vers.* 2) : *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

INTERROGATIO.

Cum Paulus apostolus dixerit quod nullus hominum Deum vidit, sed nec videre potest, quomodo sanctus Joannes scripsit : quoniam videbimus eum sicuti est?

RESPONSIO.

In his duobus testimoniis sancti duo apostoli omnino dissonant, sed dissonando veraciter concordant. Sed inter hoc sciendum est, quia omnipotens Deus antiquis patribus non in sua propria natura monstrabatur, sed etiam per creaturam cum Moyse, quasi amicus cum amico loquebatur. *Nemo enim*, inquit, *videbit me, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Hoc utique congruenter convenit ad illud quod Paulus apostolus ait : *Quem nullus hominum videt.* Quod autem ait : *Sed nec videre potest*, ad illud convenit, quod sanctus Joannes dixit : *Quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2). In ista ergo vita posteriora sua Dominus per creaturas monstravit : quia adhuc peregrinantibus filiis naturæ propriæ veritatem occultat, eodem Joanne attestante, qui ait : *Carissimi,* 578 *nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*Ibidem*). Ex hoc testimonio intuendum est quod Paulus ait : *Sed nec videre potest;* ac si aperte diceret : Tandiu unusquisque filius cœlestem patrem videre non potest, quandiu in hac vita peregrinus, patri utique dissimilis est. Sed unusquisque electus Deum, non per creaturas, sed sicuti est, videre poterit, cum quid erit, apparuerit, et similis ei fuerit. Vel certe ut idem Joannes Evangelista ait : *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I, 18); quasi manifestius diceret : Sicut est, videt in se. Nulla enim creatura firme intelligit Deum quemadmodum Deus intelligit semetipsum.

XXXIII.

II ad Timoth. I (*Vers.* 11) : *In quo positus sum ego prædicator, et apostolus et magister gentium.*

Secundum Matth. XXIII (*Vers.* 10) : *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester, qui in cœlis est.*

INTERROGATIO.

Cum Dominus apostolis suis dixerit : Nolite vocari nomine magistrorum, quid Paulus apostolus Christi confitetur se magistrum fuisse gentium?

RESPONSIO.

[a] Nunquid sermo Domini prohibentis a Paulo apostolo contemnebatur? Sed ab eo omnibus credentibus insinuabatur ne sub nomine apostolorum a pseudoapostolis seduceretur, sed eum magistrum in quo Christus loquebatur sequeretur.

XXXIV.

II ad Timoth. IV (*Vers.* 14) : *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit; reddat illi Dominus secundum* [b] *opera sua.*

Et post pauca (*Vers.* 16) : *In prima mea*, inquit, *defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur.*

INTERROGATIO.

Quid Paulus de Alexandro scribens optando dixit, reddat illi Dominus secundum opera sua. Et aliorum misertus, optando locutus est, non illis imputetur?

RESPONSIO.

In uno eodemque spiritu Paulus prævidit, qui tam utraque diversa ad Timotheum scripsit, quod Alexander duricors ad Deum nunquam converteretur, et aliis gentibus per veram præsentiam ante acta non imputarentur.

[a] Apud Gilot. mendosissime : *Nunquam sermo Domini proh... contemnebatur; sed ab omnibus.* Codex noster remedium attulit.

[b] Ms., *secundum opera ejus.*

PRÆFATIO

IN LIBRUM S. PATERII DE EXPOSITIONE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI; UBI DE SIMILI ALULFI OPERE DISSERITUR.

I. Sanctum Paterium Gregorii Magni discipulum, imo alterum veluti Gregorium hic offerimus tibi, studiose lector, non mutilum, qualis hucusque prodiit, sed majori sui parte auctum ac prorsus integrum.

II. Paterii meminit sanctus Gregorius, lib. V, epist. 29. *Hanc autem epistolam Paterio notario Ecclesiæ nostræ subscribendam dictavimus.* Et in facultate testandi Probo abbati concessa, quæ olim in serie epistolarum legebatur lib. IX, num. 22, nunc autem ad calcem est amandata, idem Paterius dicitur secundicerius. Eumdem inter clericos sanctissimi pontificis familiares, ejusque consiliorum participes aut adjutores in sacrarum litterarum studiis, tertio loco commemorat Joannes Diaconus lib. II, cap. 11, duplicique notarii et secundicerii titulo donat, ejus insuper collectanea et excerptiones ex sancti Gregorii operibus laudat.

De eodem ac de ipsius lucubratione ita scribit Sigibertus Gemblacensis lib. de illustribus Viris : *Paterius Romanæ Ecclesiæ notarius et secundicerius, colligens omnia divinæ Scripturæ testimonia, per quæ Gregorius*

obscura suæ expositionis dilucidavit, tres libros edidit, duos de testimoniis Veteris Testamenti, et unum de testimoniis Novi Testamenti; ipsumque codicem appellavit librum Testimoniorum. Eadem fere dicit Joannes Trithemius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, additque Paterii opus ab iis verbis incipere: *Dum beatissimi atque apostolici*, etc., quæ verba leguntur initio præfationis Paterii. Ex his veterum de Paterio testimoniis, ubi de ejus episcopali dignitate nihil dicitur, fides Arnoldi Wion, eum Brixiæ fuisse episcopum asserentis, nutans videtur et valde dubia, maxime cum in inscriptione Codicum mss. qui ejus opus exhibent minime dicatur episcopus. At sancti titulum longe præstantiorem tam in his veteribus membranis quam in Martyrologio Romano consecutus est.

III. Cæterum Paterii lucubratio eo pluris est facienda, quod sancto Gregorio auctore ac hortatore incœpta et absoluta, ipsum etiam habuerit approbatorem, ut ex ejus procœmio intelligimus. De methodo vero in hoc opere servata, et de cæteris ad ipsum spectantibus legendum est procœmium, unde præsertim liquet *in tribus hoc voluminibus esse dispositum, ut duo Veteris (Testamenti), tertium Novi dicta continerēt.* Verum ex tribus quibus constat partibus, unica duntaxat publicam lucem aspicere cœpit an. 1553. Deinceps recusa sæpissime, nimirum prior in Vetus Testamentum, posteriore in idem Vetus Testamentum, nec non tertia, quæ Novi Testamenti expositionem complectitur, adhuc in bibliothecarum pulvere latitantibus et sordentibus.

IV. In editione tamen Vaticana Sixto V jubente adornata, et in aliis deinceps, maxime in novissima Parisiensi, quæ cura et studio Petri Gussanvillæi publici juris facta est an. 1675, legitur sub nomine sancti Paterii *liber de Expositione Novi Testamenti.* Verum hoc opus cum veteribus Paterii Mss. conferentes, probavimus omnino diversum esse. Codices quibus ad collationem hanc faciendam usi sumus sunt Vaticanus optimæ notæ, Belvacensis ex bibliotheca majoris Ecclesiæ sancti Petri, Valle Clarensis, seu monasterii Vallis Claræ, ordinis Cisterciensis, Beccensis, et Michaelinus seu celeberrimi cœnobii sancti Michaelis in periculo maris. Hi codices omnes, qui vel DC, vel CCCCC annorum ætatem per se ferunt, aliud sancti Paterii opus in Novum Testamentum exhibent, quam quod in vulgatis legimus, unde illo reprobato et rejecto, edendam potius judicavimus illam expositionem in Novum Testamentum, quæ tot codicum manu exaratorum consensu, Paterio asseritur et vindicatur. Cujus igitur, inquies, fetus sunt illæ quas libri excusi Paterio tribuunt Gregorianorum testimoniorum excerptiones ad explicandum novum Testamentum?

V. Cum ex veteribus plurimos, qui legendis Gregorianis operibus maxime delectabantur, ex ipsorum verbis et sententiis varios contexuisse fasciculos exploratum haberemus, visis tot Codd. mss. in quibus hæc leguntur collectanea, sed dissimulato. plerumque excerptoris nomine, cui tribui deberet insigne hoc opus statim assequi non fuit expeditum. Suberat tamen non levis conjectura parentem nobilis fetus esse Alulfum sancti Martini Tornacensis monachum, sua ætate celeberrimum. Nec fefellit; subinde enim offendimus in manuscriptos codices optimæ fidei, quales sunt Longipontanus, et Regiomontanus, in quibus hæc eadem prorsus Expositio Novi Testamenti continetur, præfixo Alulfi nomine. Nec tamen id nobis satis fuit, nam ad ipsum fontem recurrentes consulere curavimus Codices laudati monasterii Tornacensis, id benigne concedente religiosissimo et illustrissimo Abbate.

VI. Quatuor exstant qui autographi creduntur, hoc est ipsius Alulfi manu exarati.

In primo Codice, de Veteri Testamento, cui præfigitur Alulfi nomen hæc leguntur: *Prologus incipit in sequens opus. Post restaurationem sancti Martini Tornacensis anno* MXCII *Dominicæ Incarnationis, cum ego frater* ALULFUS *ejusdem loci monachus beatissimi atque apostolici Gregorii dicta sæpius lectione percurrerem, et in libris ejus legendis aliquantum intentus, et avidus essem propter luculentissimam verborum ejus satisfactionem, quiddam in eis reperi sine comparatione, potissimum quod mirabiliter meum excitavit et accendit animum. Dum enim sancti viri, hoc est beati Job, historiam abstrusissimam mysteriorum opacitatibus tectam sub triplici indice, typica, morali, atque historica studui expositione discutere, ac repulso ignorantiæ nubilo, in aperto cunctis luce clarius patefactione serena monstrare, pene totam Veteris ac Novi Testamenti seriem rerum explanandarum necessitate coactus sum exponere*, etc.

In secundo Codice præmittitur: [a] *Gregorialis de Psalmis et Prophetis.*

VII. Tertius Codex continens Expositionem in Novum Testamentum incipit ab hac præfatione: *Per sancta quatuor animalia, quæ Ezechieli prophetæ ostenduntur*, etc., ut in editis Vatic. et Gussanv. Titulus hujus tertiæ partis est: *De quatuor Evangeliis.* Postea: *Incipit expositio super Matthæum.* 1. *Generatio Jesu Christi filii David, filii Abraham. Dominus noster Jesus Christus ad redemptionem humani generis veniens, velut quamdam*, etc. 2. *Et post transmigrationem Babylonis, Psalmista de Domino dicit:* Lapidem, etc. 3. *Accepit Joseph Mariam; non cognovit eam donec peperit Filium suum primogenitum, ita dictum debet intelligi*, etc. Cætera sunt prorsus similia cum editis sub Paterii nomine, nisi quod in Codice sunt capita 97 Expositionis in Matth. et in Excusis 104.

Quartus Codex inscribitur: *Gregorialis de Sententiis*, absolviturque his auctoris versibus:

Hæc de Gregorii qui traxit opuscula libro
Gregorii precibus in pace quiescat Alulfus.

Quæ ex laudatis Codicibus observavimus, testimonio Herimanni mox edendo mire confirmantur.

His visis, non fuit ultra dubitandi locus quin Paterio ab editoribus incaute ascriptum, hoc opus in Novum Testamentum, Alulfo restituendum esset in Editione nostra; cui post Paterii lucubrationem, ipsum inseruimus tum quod luce dignum sit, tum quod nihil prætermittere decreverimus ex his quæ jam aliis in excusis publicata et vulgata sunt.

VIII. Jam duas tripartiti Pateriani operis assignavimus partes, primam et tertiam; nunc de secunda hactenus inedita est agendum.

Ipsam in Codice reverend. Patrum Cœlestinorum Parisiensium contineri audieramus et legeramus, unde curæ nobis fuit Codicem propriis et attentis oculis usurpare. At in ipso prologo, quem subjiciemus, deprehensum statim, lucubrationem non esse Paterii, sed studiosi cujuspiam viri, qui ad resarciendam jacturam secundæ partis operis Paterii, simile quid magna sane fide et diligentia consarcinavit ex sancti Gregorii sententiis, ut ipse profitetur.

Tandem cum assidue omnes bibliothecarum forulos excuteremus, exploraturi præsertim num alicubi latitaret hæc collectionis Paterianæ altera pars in Vetus Testamentum, quam desiderari a viris doctis non ignorabamus, inventa est in codice Michaelino jam a nobis commemorato, ubi absoluto priori volumine, quod expositione Cantici canticorum clauditur, immediate sequitur: *Excerptiones ex opusculis beati Gregorii papæ in subjectis capitulis libri Sapientiæ.* Desinit hæc secunda pars in explicatione Zachariæ prophetæ.

[a] Titulus est quem integro operi et singulis ejus partibus affixit Alulfus, ut videre est tam in laudatis Mss. quam in Regiomont. et Longipont.

Adjiciuntur tamen in fine paucæ Gregorianæ sententiæ, quibus nonnulli psalmorum versus exponuntur. His consequenter annectitur tertia pars operis Paterii in novum Testamentum, subjicitur que : *Capitula sumpta ex Evangelio secundum Matthæum*, sicut in aliis manuscriptis Vatic., Belvac., Beccen., Val. Clar. jam laudatis, ex quibus tertiam Paterianæ collectionis partem desumpsimus. Fruere itaque, Christiane et pie lector, duplici hac laborum Paterii parte, quam ope Codicum veterum antea non satis curiose inspectorum tibi restituimus.

IX. Ut pauca nunc dicamus de prima parte, a qua edendi Paterii sumimus exordium, licet jam sæpius sive seorsim, sive simul cum omnibus Gregorianis operibus excusa fuerit, attamen cum infinitis eam scatere mendis adverteremus, ipsi recensendæ et expurgandæ adhibuimus plurimos mss. Codices, scilicet Michaelinum, de quo jam diximus, Vaticanum etiam supra commemoratum, Uticensem Sancti Ebrulphi, ac Gemeticensem ; denique Sagiensem cœnobii Sancti Martini, quo tantum usi sumus ad restituendas Expositiones in libros Regum et Proverbia. His Codicibus obsecuti, omnium fere capitulorum exordia mutavimus. Aliorum autem erratorum a nobis expunctorum et emendatorum specimen hic accipe.

Super librum Numerorum cap. v legitur tam in Editione Vaticana quam in Gussanvillæana, *ut enim exterioribus vitiis inoffense deserviant*. O monstrum! At legendum, *exterioribus officiis*. Caput II in eosdem Numeros, juxta utramque editionem ab his verbis incipit : *Ex quibus virga Aaron floruit*. Ubi sensus? Legendum vero ut in veteribus Codicibus : *De virgis duodecim in tabernaculo positis, ex quibus*, etc. Capite sequenti occurrit in iisdem editis : *et spargit contra fores tabernaculi nisi tota simul Synagoga accipitur*. Intelligis-ne? Sed omissa sunt plurima verba, scilicet post *tabernaculi* addendum : *Quid hoc loco tabernaculum, nisi tota simul Synagoga accipitur*. Eodem capite : *Quæ tamen* (hyssopus) *inflationem admovet pulmonis*. Optima sane causa plantæ hujus commendandæ! Sed restituimus : *Quæ tamen inflammationem amovet pulmonis*. Paulo post legitur : *Illum imitetur a quo est, nisi extra imitationem passionis aliquid agimus, non tam*, etc. Quæris sensum, sed quo pacto extundes? mutando *nisi* in *ne si*, hoc modo *Imitetur illum... ne si extra imitationem ejus aliquid agimus, non tam virtutem quam vitium agamus*, ut habent Mss. Non longe ab his verbis integram periodum plurium linearum restituimus in utraque Editione prætermissam. Sexcenta hujusmodi errata sustulimus, de quibus non semper admonendum censuimus lectorem; piget enim censoria virga toties notare quæ ab aliis et quidem viris doctis delinquuntur.

Neque vero miramur in priores Editiones Romanis typis factas operarum incuria hujusmodi menda irrepsisse. Sed Gussanvillæum eadem retinuisse, licet hærens et luxatus omnino sensus corruptelæ certum foret argumentum, cui ex Paterii Mss., aut etiam ex ipsa sancti Gregorii lectione mederi facillimum, id sane non parum stuporis nobis movet.

Nec tamen ita oscitanter vulgari debuit antiquissimus hic scriptor, ex cujus excerptionibus magis ac magis illustrari potest noster Gregorius, genuina opera dignoscuntur, confirmanturque optimæ lectiones, aut plurimæ variantes haud spernendæ suppeditantur.

X. Nihilominus observandum est non omnia quæ apud Paterium aliter leguntur, quam in locis operum sancti Gregorii assignatis, pro variis et diversis lectionibus habenda esse. Placuit enim aliquando discipulo magistri sententias tantisper mutare. Sic cap. 37 in Genesim legimus apud Paterium : *Cum Apostolus dicat : neque qui plantat est aliquid*, etc. At cap. 28 in Job, num. 45, unde Paterius prolatam sententiam deprompsit, habes : *Cum Veritas dicat : Quis conclusit ostiis mare*, etc., quæ sunt similia. Sæpe etiam inverso ordine Gregorianas profert sententias, et dissitas conjungit; unde ut eas in sancti Gregorii operibus inveniremus, multum a nobis laboratum est et sudatum, maxime cum in assignandis locis ex quibus excerptæ sunt sæpe fallant mss. Codices, excusi sæpissime. Paucissima tamen sunt quorum verum fontem non indicaverimus.

Plurima in Vulgatis capita nobis occurrerunt, quæ Mss. non exhibent. Ea tamen rejicienda non duximus, sed de Mss. silentio monere satis nobis fuit, maxime cum apud Gregorium contextus laudatos exstare compertum foret.

XI. Quandoquidem Paterio ita restituto judicavimus attexendam tertiam operis Alulfi partem in novum Testamentum, quæ sæpe sub nomine Paterii fuit vulgata, operæ pretium est admonere, hac in collectione liberius adhuc quam in Pateriana, Gregorii sententias immutatas esse ac interpolatas, adeo ut sæpius excerptor solum sensum retinuerit, de verbis minime curans.

Floruit Alulfus initio sæculi XII. De ipso hæc habet Herimannus in Historia restaurationis monasterii sancti Martini Tornacensis tomo XII Spicilegii, num. 38, pag. 395 et seq. *Is primum clericus, deinde monachus, in præfato monasterio armarii seu cantoris officium 47 annis tenuit; omnesque libros beati Gregorii sæpius relegens, imitatus Paterium, universas tam veteris quam novi Testamenti sententias ab eo expositas excerpens, tres exinde codices composuit, et quartum de valde utilibus sententiis superaddidit, eisque Gregorialis nomen indidit.*

PROLOGUS PATERII IN SECUNDA PARTE EXCEPTIONUM EX OPUSCULIS BEATI GREGORII PAPÆ.

Domino Wernero, sponsæ Virgini permansuræ sacris nuptiis copulato, Bruno ex ipsius virginitate semine verbi plurimos filios spirituales spiritualiter procreare, pro quibus et cum quibus præmia merearis æterna percipere. Cum rem quamlibet honestatis splendore perspicuam simul et utilitatis fructibus plenam pia pariter et prudens auctoritas jubere disponit, et eamdem rem humilis obedientia nihil tergiversationis, quominus quod est jussa suscipiat objectans toto mentis annisu pro viribus suis aggredi non refugit, non est dubitandum divina pietate, et illam ut juberet præmonitam, et hanc ut quod humiliter suscepit, efficaciter consummet adjuvandam. Domnus ergo Bernardus venerabilis Pater, qui si quando quid otii datur sacræ Scripturæ solet incumbere, ut ex ejus frequenti colloquio divinam voluntatem quam moribus sequatur, plenius valeat ediscere, forte collectaneum Paterii reperit, in quo ille testimonia ex operibus sancti Gregorii decerpta per ordinem congessit. In quo dum Gregorianæ mel eloquentiæ cognovisset redolere, cæteris aliquantisper sepositis, ei totum quod habere posset otium studuit impendere. Sed codex ille qui sibi venerat in manus, sic fuit ex incuria scriptorum falsatus, ut in eo vix integras caperet sententias quilibet etiam ab aliis æstibus curarum vacuus. Ergo mihi id voluit negotii dare, ut curarem diligenter illum sibi corrigere, quatinus dum legendi tempus datum fuisset, liber corruptus a se eum non repelleret. Accepto itaque libro cum Prologum ejus totumque sequens opus festinarem perspicere, deprehendi eum nonnisi tertiam partem habere. Nam quod ex omnibus utriusque Testamenti libris explanationes testimoniorum de Gregorianis operibus collegisset, et totum illud opus in tria volumina divisisset, in Prologo præmisisse cognoscitur. Sed ibi de parabolis Salomonis, vel Canticis canticorum pauca; de cæteris vero libris qui appellantur Salomonis nulla, de Pro-

phetis nulla, de novi Testamenti libris nulla inveniuntur. Adducti itaque alii quoscunque per amicos habere potui nominis ejusdem libri, de quorum forma nostri Codicis depravatio corrigeretur, sic in mendaciis et defectu, nostro similes esse videbantur, ut aut illos ad exemplum nostri, vel nostrum cum illis ad quodlibet exemplum falsissimum scriptum esse conjici potuisset, nisi quod illi quo nostro noviores, eo mendaciis erant pleniores. Illis ergo abjectis titulos qui capitibus testimoniorum prænotati erant consului, ut illorum auxilio liber, et libri locus unde sententia quæ decerpta erat posset inveniri; et ita si quid depravaverant scriptores, attestatione libri de quo scriptum est, potuisset emendari. Sed eos ita transmutatos inveni, ut paucissimis exceptis, nunquam in eo libro capitulum quodlibet posset inveniri, in quo tituli prænotatio illud docebat haberi. Tunc ergo ad laborem accinctus, cepi omnes quos habemus sancti Gregorii libros percurrere, et nunquam a labore quievi donec capitula quæ liber ille Paterii tenebat, quo libro essent posita investigavi, et sic ex ipsis locis unde sumpta fuerant emendare curavi, et ut deinceps si quid scriptorum culpa corruptum fuerit, facilius eodem modo possit emendari; non solum quo libro, sed quoto libri capitulo sententia habeatur superscripsi. Sed licet mihi quærenti dum multa de libris quorum codex ille nihil habebat, testimonia sponte occurrerent, placuit mihi majori diligentia quæque possent inveniri scrupulosius investigare, et eadem ratione qua illa vidi per ordinem digesta, colligere. Itaque factum est ut dum tertiam solummodo partem patris illius præcepto corrigendam suscepissem, non solum illam corrigerem, sed etiam duas quas in his regionibus invenire non poteram, superadderem. Quod ne quis me putet fecisse causa jactantiæ, si collectaneum Paterii totum mihi potuerit et voluerit exhibere, omni me sciat alacritate exhibere, meoque libenter postposito, illius opus in multa sicut decet veneratione teneremus, quandiu vero illud habere non potero, istud mihi tantum et amicis legendum servare volo. Hoc ergo proœmium idcirco libri principio inserere curavi, ut si cuiquam qui illud opus integrum habeat, hoc in manus venire contingat, utriusque diversitate cognita, quod cui præponere debeat intelligat. Sed quia magnitudo vestra, ut sibi transcriberetur idem opus dignata est præcipere, vestri nominis hoc mihi placuit corroborare auctoritate, quatenus dum in prima pagina vestrum nomen aspiciat, omnis obtrectator ori suo digitum ponat, ne ullus malevolus audeat reprehendere, quod tantæ probitatis virum et prudentiæ, viderit non despexisse.

SANCTI [a] PATERII

LIBER

DE EXPOSITIONE VETERIS AC NOVI TESTAMENTI,

DE DIVERSIS LIBRIS S. GREGORII MAGNI CONCINNATUS.

Proœmium.

Cum beatissimi, atque apostolici Gregorii, pontificis nostri, vestri quoque, addam nutritoris, dicta sæpius lectione percurrerem, avidiusque mihi eis assiduum esse ipsa luculentissima verborum ejus satisfactio suaderet : quiddam in eis reperi sine comparatione potissimum. Dum igitur unius sancti viri, hoc est beati Job historiam abstrusis mysteriorum opacitatibus tectam, sub triplici, id est typica, morali, atque historica studuit expositione discutere, ac repulso ignorantiæ nubilo, in aperto cunctis luce clarius serena patefactione monstrare, pene totam veteris ac novi Testamenti seriem rerum explanandarum necessitate est coactus exponere. Ubi enim occultæ nimis rei dilucidandæ necessitas imminebat, ne aut obscurum quid apud audientium animos remaneret, aut ipse non liquidissima satisfactione obscuritatis, [b] interna ad lucem videretur ejicere; non solum disertissimis verborum assertionibus, quod clausum erat aperuit, sed ita [c] esse prolati quoque testimonii assertione firmavit, ne non intellecta, si inesset forsitan obscuritas rei explanandæ, augeret potius quam auferret caliginem. Idque testimonium A studuit addita expositionis explanatione disserere. In quibusdam namque locis in expositione etiam testimonii, non solum verborum satisfactionem sibi posse sufficere judicavit, nisi alterius iterum deducti ad medium testimonii evidenti interpretatione latius edoceret. Actumque est, ut hac occasione, sicut præfatus sum, veteris Testamenti tota pene series occulta patesceret, quæ divini nutus aspiratione reserata, famis nostræ esuriem superni pabuli copia satiaret. Hujus ergo rei ardenti nimis desiderio provocatus, quædam de iisdem testimoniis cœperam sub quadam brevitate decerpere, aliqua vero negligendo transire. Quod dum fieret, sicut conscientia mea mihi testis est, me volente, atque hoc cautius providente, ne a quoquam aliquo modo nosceretur, per quosdam ad ejusdem apostolici notitiam pontificis nostri usque pervenit. Qui me verbis mox, quibus beatitudo vestra novit, suasoriis, atque ad superna trahentibus, hortando cœpit accendere, quatenus hoc quod neglecte cœperam, explere studiosius debuissem, ita ut et opus, et librum in quo testimonium positum legeretur, vel ex qua re ortum esset, in tituli ejus præno- B

[a] In Mss. diversi leguntur tituli. Cod. Vatic. habet : *In nom. sanctæ Trinitatis : incipit prologus Paterii.* Consentit Gemeticensis, nisi quod post, *Paterii*, additur, *discipuli S. Gregorii papæ.* Præterea legitur *sancti Paterii.* In Uticensi : *In nom. etc. incipit liber sancti Paterii discipuli beati Gregorii papæ.* In Michaelino : *Incipit prologus Paterii de Testimoniis novi et veteris Testamenti a beato papa Gregorio expositis.*

[b] Utic. et Gemet. *internam ad lucem.* In Vatic. *aut ipsa non liquidissima satisfactione interna videretur scire.*

[c] Locum hunc corruptum in Editis et in plerisque Mss. restituimus ope ed. Vatic. Abest a cæteris fere *assertione firmavit, ne.* In edit. pro, *esse*, legitur *a se.*

tatione designarem. Cujus rei pondus, mearumque virium impossibilitatem pensans, in ancipiti deprehensus, sicut nauta gravi fluctuum procella turbatus, ad orationum ejus portum, pavens, fateor, fidensque confugi; sciens impossibile non fore, quod a tanto mihi præsule, ut res ad multorum ædificationem profutura fieret, juberetur. Moxque hoc imperantis suffragio provocatus assumens, quo valui studio, veteris ac novi Testamenti in unum testimonia congesta collegi. Et jam non solum de beati Job expositione, sed nec de aliis ejus opusculis quidquam curavi, sicut prius facere cœperam, neglectum relinquere. Quæ dum disperse sicut quippe reperta fuerant, in schedis suis relata transcurrerem, visum mihi est, licet esset laboris immodici, ut uniuscujusque rei testimonia, juxta quod in suis ex ordine sunt sita codicibus, per libros suos ordinando componerem. Quatenus studiosi lectoris desiderium, ad dilucidandam sibi quam velit obscuritatem, invento libri quem requireret titulo, nihil moræ, vel ad parum, aliquo modo præpediret. Hoc autem lectorem hujus operis præ omnibus nosse commoneo, ut quia quædam testimonia diversis locis sita reperi, [a] et in quibusdam, sicut res expetit, typica, in quibusdam historica in expositione perducta; quæ prædictis modis exposita comperi, ita et seorsum sequentia siquidem invicem translata composui, in quibusdam vero locis, quia ita satisfactionis norma poscebat, hoc idem de eodem testimonio retexui, quod dudum explanasse relegitur. Alicubi autem quædam quæ de eo minus pridem dixerat, [b] inter repetita addens verba supplevi. Quod ego de jam dictis excerpens, eidem testimonio ubi poposcit locus, inserendum aptavi, quia res non erant, quæ separatim poni utiliter possent, dum ex præcedentibus, quæ dicta fuerant, subsequentibusque penderent. Si enim propter novitatem parvæ rei, rursum dicta ponerentur, facerent etiam repetita fastidium procul dubio. Ut [c] ergo expositionis, unde hæc excerpta sint, recurrens ordinem, plus in quibusdam hujus operis locis aliquid, quam in textu libri est positum minusve reperias, causæ fecit ratio, quam præmisi. Perpendens autem, quod si utriusque Testamenti in unum vellem testimonia redacta colligere, et voluminis normam excederet, et legentis desiderium impediret; in tribus hoc voluminibus Domino est cooperante dispositum, ut duo veteris, tertium novi dicta contineat. Quæ beatitudini vestræ, non temeritatis ausu, sed amore vestri provocatus studii quod in inquisitione divini olim fervet eloquii, sciens, maxime in dictis prædicti pontificis nostri quanta noscendi vestræ sit aviditas mentis, ex multis voluminibus pauca componens, studui destinare: humili obsecrans prece qua valeo, ut dum vobis, vel quisquis legerit, in hoc opere laboris mei cura placuerit, pro me ad Dominum intercessores esse dignentur, quatenus hoc pondere corruptionis exuto, a meorum absolutus inveniri merear vinculis peccatorum.

[a] Multa hoc loco vel omissa vel addita in Vulgatis, inextricabilem obscuritatem generant. Sequimur Mss.

[b] Excusi, *item repetita... supplevi*. Et paulo post, *idem testimonium*.

[c] In Vulgatis et in Mss. Gemet. ac Vatic. legitur, *ne* pro *ut*.

Pars prima,

IN QUA EXPLANANTUR HI VETERIS TESTAMENTI LIBRI: *GENESIS, EXODUS, LEVITICUS, NUMERI, DEUTERONOMIUM, JUDICES, REGES, PSALMI, PROVERBIA, CANTICA CANTICORUM.*

[a] LIBER PRIMUS.

De Testimoniis in librum Geneseos.

CAPUT PRIMUM. — *De creato cœlo, quod postmodum vocavit firmamentum* (*Gen.* 1, 8).

Beatus [b] papa Gregorius in Expositione beati Job, libro vicesimo septimo (*Num.* 65) loquens de angelis, inter cætera ait: — Virtutes angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstitere, lapsis superbientibus angelis, hoc in munere retributionis accepere, ut nulla jam rubigine surripientis culpæ mordeantur, ut in contemplatione conditoris sine felicitatis fine permaneant, et in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant. Quod bene apud Moysem ipsa de mundi origine historiæ verba testantur, cum et prius factum cœlum dicitur, et hoc idem postmodum firmamentum vocatur, quia videlicet natura angelica, et prius subtilis est in superioribus condita, et post, ne unquam potuisset cadere, mirabilius confirmata.

CAP. II. — *Item unde supra.*

In commentariis Ezechielis, homil. 7 (*Num.* 18): — Tales creati sunt angeli ut si vellent, in beatitudinis luce persisterent, si autem nollent, etiam labi potuissent. Unde et Satan cum sequacibus legionibus cecidit. Sed post ejus lapsum ita confirmati sunt angeli qui perstitere, ut cadere omnino non possent. Quod bene in ipso exordio Geneseos libri ex historica descriptione signatum est, quia creavit Deus cœlum et terram, quod postmodum vocavit firmamentum. Cœli ergo fuere ii, qui prius bene sunt conditi, sed postmodum firmamentum appellati sunt, quia ne omnino jam caderent, virtutem incommutabilitatis accepere.

CAP. III. — *Facta est lux.* Et paulo post: *Factum est vespere* (*Gen.* 1, 3).

Dum de electorum tentationibus tractaretur, in expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 21), adjunctum est: *Facta est lux.* Et paulo post: *Factum est vespere.* — Nequaquam sic in hac vita per exercitationem justitiæ peccatum deseritur, ut in eadem justitia inconcusse maneantur, quia etsi jam a cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus assidens, ut sibi aperiatur, pulsat. Quod Moyses spiritualiter innuit cum facta corporaliter temporum momenta narravit, dicens:

[a] In Edit. legitur: *Incipit expositio super libros Geneseos, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii, Judæum ac Regum, et super Psalmos.* Cur Psalmis non addantur Proverbia et Cantica? Sane hic titulus in nullis legitur Mss. Quem præfiximus suppeditavit maxime Codex Michaelinus.

[b] Hæc usque ad, *virtutes*, in Editis et plerisque Mss. prætermissa, eruimus ex Ms. Michael. omnium absolutissimo.

Facta est lux; atque paulo post subjiciens : *Factum est vespere.* Creator quippe omnium, humanæ culpæ præscius, tunc expressit in tempore quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vesperam ducitur, quia nimirum lumen rectitudinis umbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non exstinguitur, nequaquam nox, sed vespere facta perhibetur, quia tentatio sæpe in corde rectorum lumen justitiæ abscondit, sed non interimit, et quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non exstinguit.

CAP. IV. — *Protulit terra herbam virentem, et afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam* (*Gen.* I, 12).

Dum de virtutibus Ecclesiæ, in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 29) tractaretur, adjunctum est : *Protulit terra herbam virentem*, etc. — Hoc quod testatur historia sic est veraciter factum, ut significaret aliquid veraciter faciendum. Per terram quippe figuratur Ecclesia, quæ et verbi nos pabulo relicit, et patrocinii umbraculo custodit, quæ et loquendo pascit, et opitulando protegit, ut non solum herbam refectionis proferat, sed etiam cum fructu operis arborem protectionis adhibeat.

CAP. V. — *Item unde supra : Lignumque faciens fructum* (*Gen.* I, 12).

Dum de dilectione proximi, in expos. beati Job, l. VI (*Num.* 54) tractaretur, adjunctum est : *Lignumque faciens*, etc. — Lignum secundum suam speciem semen producit, cum mens nostra ex sui consideratione se in alium colligit, ut recti operis germen pariat. Hinc quidam sapiens dixit : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (*Tob.* IV, 16). Hinc in Evangelio Dominus dicit : *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (*Matth.* VII, 12). Ac si aperte diceret : Speciem vestram in alterutrum respicite, atque ex vobismetipsis agnoscite, quid vos oporteat aliis exhibere.

CAP. VI. — *Item unde supra : Protulit terra herbam virentem* (*Gen.* I, 12).

Dum de Ecclesiæ operationibus tractaretur, in expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 52) adjunctum est : *Protulit terra*, etc. — Quid hoc loco per herbam, nisi bona operatio ponitur. Licet in conditione mundi ita historice factum teneamus; terram tamen Ecclesiam figurasse non inconvenienter accipimus, quæ in eo germinavit herbam virentem, in quo ad verbum Dei fecunda misericordiæ opera protulit.

CAP. VII. — *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26).

Dum de conditione primi hominis tractaretur, in expos. beati Job, l. IX (*Num.* 75) adjunctum est : *Faciamus*, etc. — Licet per coæternum patris verbum cuncta creata sint, in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel cœlestibus, sed tamen insensibilibus homo præfertur. Cuncta quippe cum faceret, *Dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9) : cum vero facere hominem decernit, hoc quam reverenter pensandum est, præmittit, dicens : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Neque enim de eo sicut de rebus cæteris scriptum est : *Fiat, et factum est;* neque ut aquatilia, vel volatilia, sic contra hominem protulit; sed priusquam fieret *Faciamus* dicitur : ut videlicet, quia rationalis creatura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur, et inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur : ut scilicet non per jussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret qui ad conditoris imaginem fiebat.

CAP. VIII. — *Requievit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat* (*Gen.* II, 2).

Dum de perfectione septenarii numeri tractaretur, in expos. Job, l. I (*Num.* 18), adjunctum est : *Requievit Deus*, etc. — Quid in septenario numero, nisi summa perfectionis accipitur? Ut enim humanæ rationis causas de septenario numero taceamus, quæ asserunt quod idcirco perfectus sit, quia constat ex primo pari qui dividi potest, et ex primo impari qui dividi non potest, certissime scimus quod septenarium numerum Scriptura sacra pro perfectione ponere consuevit. Unde et septimo die Dominum requievisse ab operibus asserit. Hinc est enim quod septimus dies in requiem hominibus, id est in sabbatum datus est. Hinc est quod jubileus annus in quo plena requies exprimitur, septem hebdomadibus consummatur, qui, monade addito, nostræ actionis summa impletur. Hinc est enim quod perfectione septiformis gratiæ implendi duodecim sunt apostoli electi. A septenario itaque numero in duodenarium surgitur; nam septenarius suis in se partibus multiplicatus, ad duodenarium tendit. Sive enim quatuor per tria, sive tria per quatuor ducantur, septem in duodecim vertuntur. Unde et sancti apostoli quia trinitatem in quatuor partibus mundi prædicare mittebantur, duodecim sunt electi; ut etiam numero perfectionem ostenderent, quam vita et voce prædicarent.

CAP. IX. — *Unde supra.*

In expositione beati Job (*Ibid.*) : [a] — Septenario numero perfectio æternitatis innuitur, cum dies septimus in requiem Domini sanctificatus vocatur. Cui jam non vespera dicitur, quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur.

[b] CAP. X. — *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt* (*Gen.* II, 4).

In expos. beati Job, l. XXXII (*Num.* 16) : — Quærendum nobis est quomodo Deus simul cuncta condidit, dum isdem Moyses sex dierum mutatione variante distincte creata describit. Quod tamen citius agnoscimus, [c] si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul per species formata non est, et quod simul exstitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Cum enim simul factum cœlum terraque describitur, simul spiritualia atque corporalia, simul quidquid de cœlo oritur, simul factum quidquid de terra producitur, indicatur. Sol quippe, luna, et sidera quarto die facta in cœlo perhibentur, sed quod quarto die processit in speciem, primo die in cœli substantia exstitit per conditionem. Primo die creata terra dicitur, tertio arbusta condita, et cuncta terræ virentia describuntur, sed hoc quod die tertio se in speciem protulit, nimirum primo, in ipsa de qua ortum est terræ substantia, conditum fuit. Hinc est quod Moyses et distincte per dies singulos condita omnia retulit, et tamen simul omnia creata subjunxit, dicens : *Istæ generationes cœli et terræ, quando* [d] *creatæ sunt in die quo fecit Dominus cœlum et terram, et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis.* Qui enim diversis diebus creatum cœlum, et terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die facta manifestat, ut liquido ostenderet, quod creatura omnis simul per substantiam exstitit, quamvis non simul per speciem processit. Hinc illic quoque scriptum est : *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam fecit eos* (*Gen.* I, 27). Necdum enim facta Eva describitur, et jam homo masculus, et femina perhibetur. Sed quia ex Adæ latere erat procul dubio femina prounicum conficit.

[a] In Gemet. assignatur lib. XXV, in Michael. lib. XXXV, in Editis lib. VI, ubi num. 43 quædam leguntur affinia. Sed longe similiora sunt lib. I, num. 18.

[b] Caput hoc in Mss. cum superiori coalescit et

[c] Gemet. ac Utic., *si ipsius causæ originem indagamus.*

[d] Invitis Mss. Excusi, *creata sunt.*

cessura, in illo jam computatur per substantiam, a quo producenda fuerat per formam. Considerare tamen hæc et in minimis possumus, ut ex minimis majora pensemus. Herba namque cum creatur, necdum in illa fructus, necdum fructus sui semen ostenditur. Inest vero ei etiam cum non apparet fructus, et semen, quia nimirum simul sunt in radicis substantia, quæ non simul prodeunt per temporis incrementa.

CAP. XI. — *Quod quatuor fluminibus de paradiso egredientibus terra rigatur* (*Gen.* II, 10).

Dum de quatuor virtutibus tractaretur, in expos. beati Job, lib. II (*Num.* 76), adjunctum est : — Solidum mentis nostræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia continet, quia in his quatuor virtutibus tota bona operis structura consurgit. Quatuor ergo paradisi flumina terram irrigant, quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur.

CAP. XII. — *Tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum* (*Gen.* I, 15).

Dum de servanda custodia boni operis tractaretur, in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 34), adjunctum est : *Tulit Dominus Deus hominem*, etc. — Pensandum magnopere est, quia bona prodesse nequeunt, si mala quæ subrepunt, non caventur. Perit omne quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. Unde bene quoque de ipso primo parente dicitur : *Posuit eum Dominus in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret* (*Gen.* II, 15). Operatur quippe qui agit bonum quod præcipitur, sed quod operatus fuerit non custodit, cui hoc subrepit quod prohibetur [*Supra in fine num.* 33]. Unde magnopere oportet et bona semper agere, et ab ipsis nos bonis operibus caute in cogitatione custodire. Nam si mentem elevant, bona non sunt, quia non auctori militant, sed elationi. [a] De qua re non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ additis, testimonium proferamus. Eleazar namque in prælio elephantum feriens stravit, sed sub ipso quem exstinxit, occubuit (*I Mach.* VI). Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prosternit, moritur, qui de culpa quam superat, elevatur.

CAP. XIII. — *Ex latere Adam dormientis Eva processit* (*Gen.* II, 21, 22).

Dum de vacatione mentis ad Dominum tractaretur, in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 54), adjunctum est : *Ex latere Adam*, etc. — Sciendum est, quia nequaquam culmen contemplationis attingimus, si non ab exterioris curæ oppressione cessemus. Nequaquam nosmetipsos intuemur, ut sciamus aliud in nobis esse rationale quod regit, aliud animale, quod regitur, nisi ad secretum silentium recurrentes, ab omni exterius perturbatione sopiamur. Quod silentium nostrum bene Adam dormiens figuravit, de cujus mox latere mulier processit, quia quisquis ad interiora intelligenda rapitur, a rebus visibilibus oculos claudit, et tunc in seipso vel quæ præesse viriliter debeant, vel quæ subesse possent infirma distinguit, ut aliud in ipso sit quod regere valeat tanquam vir, aliud tanquam femina, quod regatur.

CAP. XIV. — *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi* (*Gen.* III, 1)?

In expos. beati Job, l. XXIV (*Num.* 14), [b] dum de cavendis inimici tentationibus tractaretur, adjunctum est : *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis*, etc. — Callidus humani generis inimicus quod in paradiso egit, hoc quotidie agere non desistit. Verba quippe Dei de cordibus hominum molitur evellere, atque in eis ficta promissionis suæ blandimenta radicare, quotidie id quod Deus minatur, levigat, et ad hoc tradendum quod falso promittit, mutat. Falso enim pollicetur temporalia, ut mentibus hominum ea supplicia leviget, quæ Deus minatur æterna. Nam cum præsentis vitæ gloriam spondet, quid aliud dicit, quam, *Gustate, et eritis sicut dii?* Ac si aperte dicat : Temporalem concupiscentiam tangite, et in hoc mundo sublimes apparete. Et cum timorem divinæ sententiæ amovere conatur, quid aliud loquitur, quam id quod primis hominibus dixit : *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Sed quia divino munere redemptus homo justitiam recepit, quam dudum conditus amisit, robustior se jam contra blandimenta callidæ persuasionis exercet, quia experimento didicit, quantum obediens esse debeat præcepto. Et quem tunc culpa duxit ad pœnam, nunc pœna sua restringitur a culpa ; ut tanto magis delinquere metuat, quanto cogente supplicio, et ipse jam quod perpetravit, accusat.

[c] CAP. XV. — *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et sicut dii eritis* (*Gen.* III, 5).

Dum de diei perditione tractaretur, in expos. beati Job, l. IV (*Num.* 6), adjunctum est : *In quocunque die*, etc. — Dies itaque est illata promissio meliorum, sed nox est exhibita ipsa experientia calamitatum. Antiquus hostis dies est per naturam bene conditus, sed nox est per meritum ad tenebras dilapsus. Dies est cum pollicendo bona, humanis aspectibus lucis se angelum simulat, Paulo attestante, qui ait : *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* XI, 14) ; sed nox est cum mentes consentientium per erroris tenebras obscurat.

CAP. XVI. — *Item unde supra.*

In codice homiliarum Evangelii primæ partis homil. 16 (*Num.* 2 *et* 3) : —Antiquus hostis contra primum hominem parentem nostrum, in tribus se tentationibus erexit, quia hunc, videlicet gula, et vana gloria, et avaritia tentavit, sed tentando superavit, quia sibi eum per consensum subdidit. Ex gula quippe tentavit, cum cibum ligni vetiti ostendit, atque ad comedendum suasit. Ex vana gloria tentavit eum cum diceret : *Eritis sicut dii*. Ex provectu avaritiæ tentavit, cum diceret : *Scientes bonum, et malum*. Avaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis : recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad avaritiam honoris ambitio pertineret, nequaquam Paulus de unigenito Filio diceret : *Nec rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo* (*Phil.* II, 6). In hoc ergo diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quando eum ad avaritiam sublimitatis excitavit. Sed quibus modis primum hominem stravit, eisdem modis secundo homini tentando succubuit. Per gulam tentavit, qui dixit : *Dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV, 3). Per vanam gloriam tentavit, cum dixit : *Si filius Dei es, mitte te deorsum*. Per sublimitatis avaritiam tentavit, cum regna omnia mundi ostendit, dicens : *Hæc tibi omnia dabo, si procidens adoraveris me* (*Ibid.*, 9). Sed eis modis a secundo homine victus est, quibus primum hominem se vicisse gloriabatur, ut a nostris cordibus ipso aditu captus exeat, quo nos aditu intromissus tenebat.

CAP. XVII. — *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile* (*Gen.* 3, 6).

Dum de restringenda visus concupiscentia tracta-

[a] Vatic., *Quare non inordinate agimus.*

[b] In editis assignatur l. XXXIV, cap. 5, post med., ubi tamen nihil invenimus. In Uticens. nullum Gregorii opus laudatur. Gemet. indicat lib. XXXIV in Job Exstat id loco a nobis assignato.

[c] Caput hoc in Mss. nostris omittitur.

retur, in expos. beati Job, l. XXI (*Num.* 4), adjunctum est : *Vidit mulier quod*, etc. — Ne quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est : quia intueri non debet, quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur a lascivia voluptatis suæ, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Neque enim Eva lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incauta respexisset. Hinc ergo pensandum est, quanto debemus moderamine erga illicita visum restringere, nos qui mortaliter vivimus, si et mater viventium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam sub Judææ voce, quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, propheta dicit : *Oculus meus deprædatus est animam meam* (*Thren.* III, 51) ; concupiscens enim visibilia, invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis. Unde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt ; et nisi interioris gravitatis pondere, et quasi juvenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem trahunt.

CAP. XVIII. — *De consensu Adæ in acceptione pomi a muliere* (*Gen.* 3).

Dum de vitandis vitiorum incentivis tractaretur in codice Regulæ pastoralis, parte III, cap. 29 (*Admon.* 30), adjunctum est : — In primo parente didicimus, quia tribus modis omnis culpæ nequitiam perpetramus, suggestione scilicet, delectatione, consensu. Primum itaque per hostem, secundum vero per carnem, tertium per spiritum perpetratur. Insidiator enim prava suggerit, caro se delectationi subjicit, atque ad extremum spiritus victus delectatione consentit. Unde et serpens prava suggessit (*Gen.* 3) : Eva autem quasi caro se delectationi subdidit ; Adam vero velut spiritus, suggestione, ac delectationi superatus assensit. Suggestione itaque peccatum agnoscimus, delectatione vincimur, consensu etiam ligamur [*Hæc desunt in loco indicato*]. Unde exclamandum nobis cum Apostolo est : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24) ? Et audiamus subsequentem nos consolationem : *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Ibid.*, 25).

CAP. XIX. — *Adam post peccatum inobedientiæ mox pudenda contexit* (*Gen.* III, 7).

Dum de servanda mentis custodia tractaretur, in expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 28), adjunctum est : — Per humilitatis custodiam servanda semper est munditia castitatis. Si enim pie spiritus sub Domino premitur, caro illicite contra spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen suo Domino recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure et in subjecta carne prælium suscipit. Unde et ille primus homo inobediens, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit. Quia enim contumeliam spiritus Domino intulit, mox contumeliam carnis invenit. Et qui auctori suo esse subditus noluit, jus carnis subditæ, quam regebat, amisit, ut in seipsum videlicet inobedientiæ suæ confusio redundaret, et superatus disceret, quod elatus amisit.

CAP. XX. — *Cum audisset Adam vocem Domini Dei deambulantis in paradiso, ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi* (*Gen.* III, 8).

Dum de [a] modo divini colloquii tractaretur, in expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 7), adjunctum est : *Cum audisset Adam*, etc. — Nonnunquam per angelos verbis simul et rebus loquitur Deus, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Neque enim Adam post culpam in divinitatis substantia videre Dominum potuit, sed increpationis verba per angelum audivit, de quo scriptum est : *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi*. Quid est enim quod post peccatum hominis in paradiso Dominus non jam stat, sed deambulat, nisi quod irruente culpa, se a corde hominis motum demonstrat? Quid est quod ad auram post meridiem, ni i quod lux ferventior veritatis abscesserat, et peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Ad auram namque post meridiem primus homo post culpam abscensus invenitur. Quia enim meridianum charitatis calorem crediderat, jam sub peccati umbra, quasi sub frigore auræ torpebat. Sicut de eodem peccante homine scriptum est : Quia secutus est umbram. Calorem enim charitatis fugiens, veritatis solem homo deseruit, et sub umbra se interni frigoris abscondit. Unde et voce ejusdem veritatis dicitur : *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Increpavit ergo Adam, deambulans, ut cæcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo et per verba quod fecerat audiret, et per deambulationem amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, et per auram fervore charitatis expulso torporem suum animadverteret, et per declinationem solis cognosceret quod ad tenebras propinquaret.

CAP. XXI. — *Vocavit Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es* (*Gen.* III, 9) ?

Cum de delinquentium reprobatione tractaretur, in expos. beati Job, l. II (*Num.* 5), adjunctum est : *Vocavit Dominus Deus Adam*, etc. — Quid est quod Dominus Adam post lapsum requirit : *Ubi es* ? Nunquidnam divina potentia nesciebat post culpam, servus ad quæ latibula fugerat ? Sed quia vidit in culpa lapsum, jam sub peccato velut ab oculis veritatis absconditum, quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat, eumque et vocat, et requirit, dicens ; *Adam, ubi es* ? Per hoc quod vocat, signum dat, quia ad pœnitentiam revocat. Per hoc quod requirit, aperte insinuat, quia peccatores jure damnandos ignorat.

CAP. XXII. — *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi* (*Gen.* III, 12).

Cum de vitanda peccati excusatione tractaretur, in expos. beati Job. l. IV (*Num.* 39, 49), adjunctum est : *Mulier quam*, etc. — Scilicet excessus sui vitium in auctorem latenter retorquens ; ac si diceret : Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti. Quatuor modis peccatum perpetratur in corde ; quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu, et defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere mentem debuit, extollit, et dejiciendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde et illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis quatuor his ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit ; qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectationi substernit. Assensum vero Adam mulieri præpositus præbuit, quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam, confiteri culpam noluit, quia videlicet spiritus quo peccando a veritate disjungitur, eo in ruinæ suæ audaciam nequius obduratur. Per timorem quidem

[a] In Michael., *de dono*.

Adam semetipsum absconsurus fugerat, sed tamen requisitus innotuit, quantum etiam timens tumebat. Cum enim ex peccato præsens pœna metuitur, et amissa Dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate. Superbit quippe, qui peccatum, si liceat non puniri, non deserit. Eisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur, postmodum vero etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur; dehinc et in consuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus vel obstinatione miseræ desperationis, enutritur.

Cap. XXIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, lib. XXII (*Num.* 30, 31) : — Veræ humilitatis testimonia sunt, et iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis aperire. At contra usitatum humani generis vitium est, et labendo peccatum committere, et commissum negando defendere, et convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ. Sic namque ille dum lignum vetitum contigisset, abscondit se a facie Domini inter ligna paradisi. In qua absconsione scilicet quia Deum latere non poterat, non latendi effectus describitur, sed affectus notatur, quod cum argueretur a Domino, quod de ligno vetito contigisset, illico respondet : *Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit de ligno, et comedi* (*Gen.* III, 12). Ipsa quoque mulier inquisita, respondit : *Serpens decepit me, et comedi.* Ad hoc quippe requisiti fuerant, ut peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Unde et serpens ille persuasor, qui non erat revocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Interrogatus itaque homo est ubi esset, ut perpetratam culpam respiceret, et confitendo cognosceret, quam longe a conditoris sui facie [a] abesset. Sed adhibere sibimet utrique defensionis solatia, quam confessionis elegerunt, cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per serpentem, auxerunt culpam quam tegeri conati sunt, oblique Adam dominum tangens, quod ipse peccati eorum auctor exstiterit, qui mulierem fecit : Eva culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuit. Qui enim ore diaboli fallentis audierant, *Eritis sicut dii* (*Ibid.*, 5), quia esse similes in divinitate nequiverunt, ad erroris sui cumulum Dominum sibi facere similem in culpa conati sunt. Sic ergo reatum suum, dum defendere moliuntur addiderunt, ut culpa eorum atrocior discussa fieret quam fuerat perpetrata. Unde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, et cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verba quasi sub quædam se arborum folia abscondit, et velut ad quæ tam excusationis suæ opaca secreta faciem conditoris fugit, dum non vult cognosci quod fecit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipse videatur. Quo contra cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis, quia sibimetipsi jam parcere renuit, qui malum non erubescit confiteri quod fecit, et qui defendendo accusare potuit, accusando se celerrime defendit. Unde et mortuo Lazaro qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur, revivisce, sed, *Veni foras* (*Joan.* XI, 43). Ex qua scilicet resurrectione, quæ gesta in illius est corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde, cum videlicet mortuo dicitur : *Veni foras*, ut nimirum homo in peccato suo mortuus, et mole malæ consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a scipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim, *Veni foras*, dicitur, ut ab excusatione atque occultatione peccati, [b] ad accusationem suam ore proprio exire provocetur. Unde David Propheta ab illa tanti morte facinoris reviviscens, ad vocem Domini quasi foras exiit, dum per Nathan correptus quod fecerat accusavit.

Cap. XXIV. — *Pectore et ventre repes* (*Gen.* III, 14).

Dum de virulentis callidi persuasoris operationibus tractaretur, in expos. beati Job, lib. XXI (*Num.* 5), adjunctum est : *Pectore et ventre repes.* — Malum luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus namque adversarius noster cum ab effecta operis expellitur, secreta polluere cogitationibus molitur. Unde et serpenti a Domino dicitur : *Pectore et ventre repes.* Serpens videlicet ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra sibimet subdita usque ad explectionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos, quos in opere luxuriæ non valet pertrahere, polluit in cogitatione. Alius itaque luxuriam jam perpetrat actione, huic serpens repit ex ventre. Alius autem perpetrandam versat in mente, huic serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad opera explenda pervenitur, recte serpens prius pectore, et postmodum repere ventre describitur.

Cap. XXV. — *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius.* [c] *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (*Gen.* III, 15).

Cum de præcavendis inimici suggestionibus tractaretur, in expos. beati Job, l. I (*Num.* 53), adjunctum est : *Inimicitias ponam inter te*, etc. — Caput serpentis conterere est initium suggestionis ejus aspicere, et manu sollicitæ considerationis a cordis aditu funditus exstirpare. Qui tamen cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur, quia etsi suggestione prima intentionem non percutit, decipere in finem tendit. Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, et terminus ab hoste callido secure possidetur; quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vitiavit.

Cap. XXVI. — *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III, 17).

Dum de maledicti distinctione tractaretur, in expos. beati Job, l. IV (*Num.* 1, 2), adjunctum est : *Maledicta terra in opere tuo.* — Cum maledictionis jaculum divina vox gravi instruat ultione plectendum, ita ut regni quoque cœlestis aditum claudat, quid est quod nunc peccanti homini in terræ maledictione, divina voce hoc, quod homo facere prohibetur, infertur? Sed sciendum est quod Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe judicio justitiæ, ipso primo homine peccante prolatum est, cum audivit : *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* XII, 13). Maledictum justitiæ judicio profertur, cum ad Abraham dicitur : *Maledicam maledicentibus tibi* (*Gen.* XII, 3). Rursum quia maledictum non judicio justitiæ, sed livore vindictæ promittitur, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait : *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14). Et rursus Veritas dicit : *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10). Deus ergo maledicere dicitur, et tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi examine et virtute justitiæ. Nam et sancti viri cum maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, et mala foras exsurgentia, quia maledicto debeant feriri cognoscunt, et eo in maledicto non peccant, quo ab interno

[a] In Gemet. ac Utic., *abiisset.*
[b] Corrupte in Edit., *ad excusationem suam*, etc.
[c] Ita mss. omnes, non, *ipsum conteret*, scilicet *semen.* Ergo non fraude Neotericorum immaculatæ Deiparæ conceptioni laventium irrepsit, *ipsa conteret*, scilicet *mulier;* quod clamant nonnulli critici.

judicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens : *Pecunia tua tecum sit in perditione* (*Act.* VIII, 20). Qui enim non ait est, sed sit ; non indicativo, sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Elias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit : *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et consumat vos* (*II Reg.* I, 10). Quorum utrorumque sententia [a] quanta veritatis ratione convaluit, terminus causæ monstravit. Nam et Simon æterna perditione interiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente maledictionis sententia promitur. Cum enim et maledicentis [b] innocentia permanet, et tamen eum qui maledicitur usque ad interitum maledictio absorbet, ex fine utriusque partis colligitur, quia ab uno et intimo judice in reum [c] sententia sumpta jaculatur.

CAP. XXVII. — *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19).

Cum de immortalitate primi hominis, ejusdemque lapsu tractaretur, in exposit. beati Job, lib. XXV (*Num.* 4), adjunctum est : *Terra es, et in terram ibis.* — Primus homo ita conditus fuit, ut manente illo decederent tempora, ne cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat ; stabat tanto robustius, quanto semper stanti arctius inhærebat. At ubi vetitum contigit, mox offenso Creatore cœpit ire cum tempore, unde et ei dictum est : *Terra es, et in terram ibis.* Statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mortalitatis absorbuit, et dum juventute ad senium, senio traheretur ad mortem, transeundo didicit, stando quid fuit. Cujus quia de propagine nascimur, radicis amaritudinem, quasi in virgulto retinemus. Nam quia ex illo originem ducimus, ejus cursum nascendo sortimur, ut eo ipso quotidiano momento, quo vivimus, incessanter a vita transeamus, et vivendi nobis spatium unde crescere creditur, [d] inde decrescat. Quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitæ præsentis, ipsis [e] suis augmentis ad detrimenta impellitur, et inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit. Fixum etenim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus atque hoc ipsum nostrum vivere, quotidie a vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora eo stante transibant. Sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico temporalitatis posuit, et quia cibum comedit vetitum, status sui protinus invenit defectum.

CAP. XXVIII. — *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem* (*Gen.* III, 24).

Dum de reparatione paradisi per mediatoris adventum tractaretur, in expos. beati Job, l. XII (*Num.* 13), adjunctum est : *Collocavit ante paradisum*, etc. — Quia ante adventum mediatoris Dei et hominis, omnis homo quamvis mundæ probatæque vitæ fuerit, ad inferni claustra descendit, dubium non est, quoniam homo qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret ille, qui suæ incarnationis mysterio, ejusdem nobis paradisi iter aperiret. Unde et post culpam hominis ad paradisi aditum romphæa flammea posita esse memoratur, quæ et versatilis dicitur, pro eo quod quandoque veniret tempus ut etiam removeri potuisset.

CAP. XXIX. — *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus ; ad Cain vero, et ad munera ejus non respexit* (*Gen.* IV, 4).

Cum de exhibenda cordis munditia tractaretur, in expos. beati Job, l. XXII (*Num.* 27 *in fine, et n.* 28), adjunctum est : *Respexit Dominus*, etc. — Ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Mundari etenim debet prius animus, qui munus offerre vult Deo, quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Cuncta itaque malitiæ macula ab interiori nostro homine cogitationis immutatione tergenda est, quia iram judicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Unde scriptum est : *Rexpexit Deus ad Abel, et ad munera ejus ; ad Cain autem et ad munera illius non respexit.* Neque etenim sacrum eloquium dicit, respexit ad munera Abel, et ad Cain munera non respexit, sed prius ait : *Quia respexit ad Abel*, ac deinde subjunxit, *et ad munera ejus.* Et rursum dicit, *quia non respexit ad Cain*, ac deinde subdidit, *nec ad munera ejus.* Ex dantis quippe corde id quod datur accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namque ad eum legitur Dominus respexisse qui dabat, quam ad illa quæ dabantur, ut audito scilicet narrationis hujus ordine, discamus quia exteriora munera, ex interna cordis munditia condiuntur, et discretionis virtus lectorem doceat, qualis apud se esse debeat, cum exteriora bona non solum Deo, sed etiam proximis subministrat.

CAP. XXX. — *In foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius* (*Gen.* IV, 7, 8).

Dum de refrenando illicito cordis appetitu tractaretur, in expos. beati Job, l. IV (*Num.* 36), adjunctum est : *In foribus*, etc. — In foribus peccatum adest, cum in cogitationibus pulsat. Cujus appetitus subter est, eique homo dominatur, si cordis nequitia inspecta citius premitur, et priusquam ad duritiam crescat, reluctanti menti subigatur.

CAP. XXXI. — *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti* (*Gen.* IV, 7, *sec. LXX*).

Dum de discretione in bonis operibus habenda tractaretur, in expos. beati Job, l. III (*Num.* 23, 24), adjunctum est : *Si recte offeras*, etc. — Recte offertur cum recta intentione quid agitur, sed recte non dividitur, si non hoc quod pie agitur, etiam subtiliter discernatur. Oblata enim recte dividere est, quælibet bona nostra studia sollicite discernendo pensare, quod nimirum qui agere dissimulat, etiam recte offerens peccat. Sæpe namque et quod bono studio gerimus, dum discernere caute negligimus, quo judicetur fine nescimus. Et nonnunquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis. Recte ergo offerimus, cum bono studio bonum opus agimus ; sed non recte dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus.

CAP. XXXII. — *Cain primum filium Enoch vocat, atque ex ejus nomine civitatem quam condidit, appellat* (*Gen.* IV, 17).

Cum de cavenda vitæ præsentis gloria tractaretur, in expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 92), adjunctum est : — Justi viri quanto in cœlestibus per contemplationis radium inhærere desiderant, tanto in terra ædificare refugiunt, ubi se peregrinos et hospites noverunt, Paulo attestante, qui ait : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Et iterum : *Vos autem ædificamini domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* 5, 1). Quia enim sancti viri in propriis gaudere desiderant, esse in alieno felices recusant. Injusti autem quanto longius ab æternæ patriæ hæreditate divisi sunt, tanto in terra altius

[a] Excusi, invitis Mss., *quanta severitatis*.
[b] Utic., *ignoscentia vermanet*.
[c] Vulgati mendose, *sententiam sumpta jaculatur*.
[d] Utic., *inde decrescimus*.
[e] Gemet. et Utic., *ipsis suis senectus augmentis*.

fundamenta cogitationis figunt. Hinc est quod ab ipso humanæ conditionis exordio, in electa prole, Enoch septimus nascitur. Hinc est quod Cain primum filium Enoch vocat, atque ex ejus nomine civitatem, quam condidit, appellat. Enoch quippe *dedicatio* dicitur. Iniqui ergo se in primordiis dedicant, quia in hac vita quod ante est, cordis radicem plantant, ut hic ad votum floreant, et a sequenti patria arescant. Unde et e contra in electorum parte Enoch septimus oritur, quia eorum vitæ festa dedicatio in fine servatur. Hinc est, quod attestante Paulo, *Abraham in casulis habitat* (*Hebr.* XI, 19); quia habentem fundamenta civitatem, quam supernus artifex construxit, exspectat.

CAP. XXXIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 15) : — Iniqui dum corde transire ad æterna negligunt, et cuncta præsentia fugitiva esse non intuentur, mentem in amorem vitæ præsentis figunt, et quasi longæ habitationis in ea sibi fundamentum construunt, quia in terrenis per desiderium solidantur. Unde et primus Caïn civitatem construxisse describitur, ut aperte monstraretur quia ipse in terra fundamentum posuit, qui a soliditate æternæ patriæ alienus fuit. Peregrinus quippe a summis, fundamentum in infimis posuit qui stationem cordis in terrena delectatione collocavit. Unde et in ejus stirpe Enoch, qui dedicatio interpretatur, primus nascitur, in electorum vero progenie Enoch septimus fuisse perhibetur. Quia videlicet reprobi in hac vita quæ ante est, semetipsos ædificando dedicant. Electi vero ædificationis suæ dedicationem in fine temporis, id est in septimo tempore, exspectant. Videas namque plurimos temporalia sola cogitare, bonores quærere, ambiendis rebus inhiare, nil post hanc vitam requirere. Quid itaque isti nisi in prima se generatione dedicant? Videas electos nil præsentis gloriæ quærere, libenter inopiam sustinere, mala mundi æquanimiter perpeti, ut possint in fine coronari. [a] Electis ergo Enoch in septima generatione nascitur, quia sui dedicationem gaudii in extremæ retributionis gloria requirunt.

CAP. XXXIV. — *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra* (*Gen.* VI, 6).

Cum de modo divini eloquii per assueta hominibus verba tractaretur, in expos. beati Job, l. IX (*Num.* 12), adjunctum est : *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra*, etc. — Quid est quod omnipotens Deus, qui nulla mutabilitate humanæ conditionis astringitur, nec ei quod esse est, desit ex tempore, pœnituisse de sua conditione describitur, nisi quod plerumque in sacro eloquio sicut sapientes Dei sermonem trahunt a sapientibus sæculi, sic nunc pro utilitate hominis vocem in se humanæ passionis ipse conditor hominum sumit Deus, ut videlicet dicatur : *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra?* Cum profecto constet, quia is qui cuncta prius quam veniant conspicit, nequaquam postquam aliquid fecerit pœnitendo resipiscit. Ut ergo mirum non est, si spirituales plerumque utantur verbis carnalium, sic neque si ipse sub se ineffabilis, et Creator omnium spiritus, ut ad intellectum suum carnem pertrahat, in seipso carnis sermonem format.

CAP. XXXV. — *De arca diluvii, quæ ampla in inferioribus, et angusta in superioribus fuit* (*Gen.* VI, 15).

Cum de reproborum multitudine specie tenus intra Ecclesiam positorum, et electorum paucitate tractaretur, in exposit. Evang. homil. 38 (*Num.* 8), adjunctum est : — Arca in undis diluvii, quæ hujus Ecclesiæ typum gessit, et ampla in inferioribus, et angusta in superioribus fuit. Quæ in altitudine etiam sua ad unius mensuram cubiti excrevit. Inferius quippe quadrupedia atque reptilia, superius vero aves et homines habuisse credenda est, ibi lata exstitit, ubi bestias habuit; ibi angusta, ubi homines servavit, quia nimirum sancta Ecclesia in carnalibus ampla est, in spiritualibus angusta. Ubi enim bestiales hominum mores tolerat, illic latius sinum laxat. Ubi autem eos habet, qui spirituali ratione suffulti sunt, illic quidem ad summum ducitur. Sed tamen quia pauci sunt, angustatur. *Lata quippe via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui vadunt per eam. Et angusta porta est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* (*Matth.* VII, 13). Eo autem usque arca angustatur in summis, quousque ad mensuram unius cubiti perducatur; quia in sancta Ecclesia quanto sanctiores quique sunt, tanto pauciores. Quæ in summo ad illum perducitur, qui solus homo in hominibus, et sine ullius comparatione natus est sanctus. Qui juxta psalmistæ vocem : *Factus est sicut passer unicus in ædificio* (*Psal.* CI, 8). Tanto ergo magis mali tolerandi sunt, quanto etiam plus abundant, quia et in areæ tritura pauca sunt grana quæ servantur horreis, et grandes acervi palearum, qui ignibus comburuntur.

CAP. XXXVI. — *Item unde supra*

In commentario Ezechielis, homil. 4 (*Num.* 16) ultimæ partis. — Arca quæ trecentis cubitis fieri in longitudine jussa est, [b] quinquaginta vero in latitudine, triginta autem in altitudine, in uno est cubito consummata. Quid enim per arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Quæ inferius ampla est, superius angusta, quæ et CCC, et XXX, ac L cubitis ad unum cubitum colligitur, quia ab ea latitudine quam sancta Ecclesia in membris suis adhuc infirmantibus habet, paulisper angustata, in altum proficiens ad unum tendit. Ipsa enim ratio exigit ut credamus quod in illa arcæ latitudine omnes bestiæ, cunctaque quadrupedia atque reptilia in inferioribus fuerunt, homo vero atque volatilia nimirum in superioribus; juxta superiorem etenim partem fenestra fuit in latere, de qua corvum et columbam dimisit homo, ut si jam diluvii transisset aqua, cognosceret. Et quia arca eadem in uno fuit cubito consummata, homo et volatilia juxta cubitum fuerunt. Recte itaque per arcam universa Ecclesia designatur, quæ adhuc in multis suis carnalibus lata est, in paucis spiritualibus angusta. Et quia ad unum hominem, qui est sine peccato, colligitur, quasi in uno cubito consummatur. Videmus etenim multos intra ejusdem sanctæ Ecclesiæ sinum in superbia erigi, in carnis voluptatibus dissolvi, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante avaritia maria transire, deservire iracundiæ, jurgiis vacare, proximos quos prævalent lædere : sed quia eos adhuc sancta Ecclesia tolerat, ut convertantur, quasi in arcæ latitudine deorsum bestiæ morantur. Videmus alios jam aliena non quærere, illatam injuriam æquanimiter portare, rebus propriis esse contentos, humiliter vivere; sed quia isti jam pauci sunt, angustatur arca. Alios autem conspicimus etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem a cunctis voluptatibus domare, motus omnes sub rationis judicio premere, per cœleste desiderium contemplationis [c] penna sublevari. Sed quia tales quique valde sunt rari, jam juxta cubitum ducitur, ubi homines et volatilia continentur. Quæratur tamen si quis in eis esse valeat sine peccato, et nullus invenitur. Quis itaque homo sine peccato est, nisi ille qui in peccatis conceptus non est? In uno ergo cubito consummatur arca, quia unus est auctor et Redemptor sanctæ Ecclesiæ sine peccato, ad quem et per quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores noverunt.

[a] In Gemet. ac Utic. legitur, *Electus ergo;* in excusis mendose, *electio*. Sequimur Michael. qui mss. Moral. consentit.

[b] Vitiosissime in Excusis, *sexaginta vero*. Quod sane contra sacræ Scripturæ testimonium pugnat.

[c] Excusi, *pennas sublevare*.

CAP. XXXVII. — *Sensus enim et cogitationes humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (*Gen.* VIII, 21).

Dum de reprimenda ex bonis operibus gloria tractaretur, in expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 43), adjunctum est : — Corruptionis malum quod unusquisque nostrum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit, in provectu ætatis exercet. Et nisi hoc citius divinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Nemo igitur sibi cogitationum suarum victoriam tribuat, cum apostolus dicat : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III, 8).

CAP. XXXVIII. — *Crescite, et multiplicamini, et implete terram, et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ* (*Gen.* IX, 1).

Cum de servanda doctoribus discreta qualitate cum subditis tractaretur, in expos. beati Job, l. XXI (*Num.* 22, 23, *et Reg. Past. p.* II, *c.* 6), adjunctum est : *Crescite*, etc. — Potentibus viris magna est virtus humilitatis, considerata æqualitas conditionis. Omnes namque homines natura æquales sumus, sed accessit dispensatorio ordine, ut quibusdam prælati videamur. Si igitur hoc a mente deprimimus, quod temporaliter accessit, invenimus citius quod naturaliter sumus. Plerumque enim se animo accepta potestas objicit, eumque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimæ considerationis deprimendus est tumor elationis. Si enim apud semetipsam mens descendit de vertice culminis, citius planitiem invenit naturalis æqualitatis. Nam ut præfati sumus, omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios aliis occulta dispensatio postponit. Ipsa autem diversitas quæ accessit ex vitio, recte est divinis judiciis ordinata : ut quia omnis homo iter vitæ æque non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cum præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendunt, nec præesse gaudent hominibus, sed prodesse. Sciunt enim quod antiqui patres nostri non tam reges hominum quam pastores pecorum fuisse memorantur. Unde et cum Noe Dominus filiisque ejus post diluvium diceret : *Crescite, et multiplicamini*, subdidit : *Et terror vester, et tremor sit super cuncta animalia terræ.* Homo quippe animalibus irrationabilibus, non autem natura cæteris omnibus prælatus est, et idcirco ei dicitur ut ab animalibus, et non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Cuncti ergo qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis. Nam sic, ut diximus, antiqui patres nostri pastores pecorum, et non reges hominum fuisse memorantur. Et tamen necesse est, ut rectores a subditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt, ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam namque præpositi ex hoc quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam quærunt. In eo autem quod metum sibi a perverse viventibus exigitur, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur, quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini jacere substrati.

CAP. XXXIX. — *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me, et inter terram* (*Gen.* IX, 13).

Cum de significatione divinæ pollicitationis post diluvium tractaretur, in commentariis Ezechielis l. I, homil. 8 (*Num.* 29), adjunctum est : *Arcum meum ponam in nubibus*, etc.[a] — Arcum omnipotens Deus inter se atque homines in signo posuit, ut ultra mundum diluvio non deleret. Unde et in arcu eodem color aquæ et ignis simul ostenditur ; quia ex parte est cæruleus, et ex parte rubicundus, ut utriusque judicii testis sit : unius videlicet facti, et alterius faciendi ; id est, quia mundus judicii igne cremabitur, nam aqua diluvii non delebitur.

CAP. XL. — *De Noe inebriato, cujus nudata verecunda boni filii aversi veniendo texerunt* (*Gen.* IX, 21, 22).

Cum de præpositorum reverentia custodienda a subditis tractaretur, in expos. beati Job, lib. XXV (*Num.* 37), adjunctum est : — Aversari dicimur, quod reprobamus. Quid est ergo quod filii verecunda patris superjecto dorsis pallio aversi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum aversi deferunt, quia dijudicantes factum, et venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.

CAP. XLI. — *Maledictus Chanaam puer ; servus erit fratrum suorum* (*Gen.* IX, 25).

Cum de maledictionum distinctionibus tractaretur, in exposit. beati Job, lib. XXVI (*Num.* 37), adjunctum est : *Maledictus Chanaam puer*, etc. — Nequaquam severitas inulta remanere peccata permittit, sed ira judicii a nostra hic correptione inchoat, ut in reproborum damnatione conquiescat, sicut scriptum est : *Tempus est ut judicium incipiat de domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio* (*I Pet.* IV, 17) ? Eant ergo nunc reprobi, et voluptatum suarum desideria inulta iniquitate consumment, atque eo temporalia flagella non sentiant, quo æterna eos supplicia exspectant. Bene autem eorum inulta nequitia Cham peccante signata est, cui a patre dicitur : *Maledictus Chanaam puer, servus erit fratribus suis.* Chanaam videlicet Cham filius fuit. Et quid est quod, Cham peccante, Chanaam ejus filius sententiam ultionis accipit ? Quid est quod non in se, sed in posteritate percutitur, nisi quod reproborum nequitiæ hic quidem inultæ proficiunt, sed in posterum feriuntur ?

CAP. XLII. — *Venite, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum* (*Gen.* XI, 7).

Cum de modo divini eloquii tractaretur, in expos. beati Job, lib. II (*Num.* 9), adjunctum est : — Dicitur eis[b] qui adhærent, *Venite :* quia nimirum hoc ipsum nunquam a divina contemplatione decrescere, in divina contemplatione semper accrescere est, et nunquam a corde recedere, quasi quodam stabili motu est semper venire. Quibus et dicit : *Descendamus, et confundamus ibi linguam eorum.* Ascendunt Angeli in eo quod Creatorem conspiciunt, descendunt angeli in eo quod creaturam sese in illicitis erigentem examine districtionis premunt. Dicere ergo Dei est, *Descendamus, et confundamus ibi linguam eorum*, in scipso eis hoc quod recte agatur ostendere, et per vim internæ visionis, eorum mentibus exhibenda judicia[c] occultis motibus inspirare.

CAP. XLIII. — *Abraham, dum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves perculit, quas et abigebat* (*Gen.* XV, 11).

Dum de cavendis superfluis cogitationibus tractaretur, in expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 53), adjunctum est : *Abraham, dum ad occasum solis sacrificium offerret*, etc. — Sæpe corda justorum subortæ cogitationes polluunt, et terrenarum rerum delectationibus tangunt. Sed dum citius manu sanctæ discretionis abiguntur, festine agitur, ne cordis faciem caligo tentationis operiat, quæ hanc jam ex illicita delectatione tangebat. Nam sæpe in ipso rationis nostræ sacrificio importune se cogitationes ingerunt,

[a] Ista in al. Ed. in loco assignato minime leguntur, sed sunt in homilia indicata.

[b] Ita Mss. nostri ; at in Excusis, *qui aderant*. Lectio nostra in loco Moralium assignato reperitur.

[c] Corrupte Excusi, *occultis mentibus*.

quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis A Deo flentes immolamus. Unde et Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, et insistentes aves perculit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos dum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis his volucribus custodimus, ne maligni spiritus et perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offere se Deo utiliter sperat.

CAP. XLIV. — *Quod Abraham tribus viris angelis occurrisse se memoratur, quibus ipse venientibus extra ostium occurrit, Sara vero post ostium stetit* (*Gen.* XVIII, 2).

Dum de censura spiritus qualiter cura carnis postponenda sit tractaretur, in expos. beati Job, l. IX (*Num.* 106), adjunctum est : — Discretione magni moderaminis cura carnis refrenanda est, ut serviat, et minime principetur, ne quasi domina animum vincat, sed subacta dominio, quasi ancilla famuletur, ut jussa adsit, atque ad nutum cordis repulsa dissiliat, ut vix a tergo sanctæ cogitationis appareat, et nunquam contra faciem recta cogitantis obsistat. Quod bene nobis historia sacræ lectionis innuitur, cum Abraham tribus angelis occurrisse memoratur. Ipse quippe venientibus extra ostium occurrit, Sara vero post ostium substitit. Quid ergo per hunc nobis Abrahæ occursum innuitur, nisi quod videlicet ut vir ac dominus domus spiritualis, noster scilicet intellectus, debet in cogitatione Trinitatis claustra carnis excedere, et quasi habitationis infimæ januam exire? Cura autem carnis ut femina non appareat, et videri jactanter erubescat, ut quasi post tergum viri sub discretione spiritus solis necessariis intenta, nequaquam sciat procaciter detegi, sed verecunde moderari. Cui tamen sæpe cum dicitur ut de se minime præsumat, et totam se in divinæ spei fiduciam transferat, despicit, et cessante studio adesse sibi vitæ subsidia posse diffidit. Unde et hæc eadem Sara promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur, correpta autem protinus fecundatur. Et quæ in juventute vigens fecundari non potuit, [a] annis fracta senilibus utero marcescente concepit, quia cum cura carnis, sui confidentiam habere desierit, contra spem ex divina promissione accipit, quod habere a se ex humana ratione dubitavit. Unde bene Isaac, id est risus dicitur, qui generatur, quia cum supernæ spei fiduciam concipit, quid mens nostra aliud quam gaudium parit?

CAP. XLV. — *De tribus viris Sodomam pergentibus ab Abraham susceptis* (*Gen.* XVIII, 16).

Cum de modo divini colloquii per angelica officia ministrandi tractaretur, in expos. beati Job, lib. XXVIII (*Num.* 7), adjunctum est : — Aliquando imaginibus et ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis per angelos loquitur Deus, sicut Abraham non solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere : et non solum suscipere, sed eorum usibus etiam cibos adhibere. Nisi enim angeli quædam nobis in terra nuntiantes, ad tempus ex aere corpus assumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent, nec cibos cum Abraham sumerent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti elemento gestarent. Nec mirum quod illi ipsi qui suscepti sunt, modo angeli, modo Dominus vocatur, quia angelorum vocabulo exprimuntur, qui exterius ministrabant, et appellatione Domini ostenditur, qui eis interius præerat, ut per hoc præsidentis imperium, et per illud claresceret officium ministrandi.

CAP. XLVI. — *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum nimis; descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII, 20, 21).

Dum de cavenda ex non approbatis rebus credulitate tractaretur, in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 46), adjunctum est : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est*, etc. — Peccatum cum voce est culpa in actione, peccatum vero etiam cum clamore, est culpa cum libertate. Sed quid hoc exemplo nisi nos admonemur, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus? Nec quælibet mala audita nos moveant, nec passim dicta sine probatione credamus. Quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensemus. Ipse quippe, ut nos a præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda, et aperta sint oculis ejus; mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait: *Descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Omnipotens itaque Dominus et omnia sciens, cur ante B probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare? Et ecce per angelos ad cognoscenda mala descendit, moxque facinorosos percutit, atque ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est : *Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII, 13), ille de quo rursum scriptum est : *Dominus patiens est redditor* (*Eccli.* V, 4), in tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, et diem extremi judicii exspectare ad vindictam noluit, sed eos igne judicii ante judicii diem prævenit. Ecce malum quasi cum difficultate credidit cum audivit, et tamen sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit : ut nobis videlicet daret exemplum, quod majora crimina, et tarde credenda sunt cum audiuntur, et citius punienda cum veraciter agnoscuntur.

Loquar [b] *ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII, 27).

C Sancti omnes quando in Dei visione proficiunt : quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur quod Abraham cinerem et pulverem se esse professus est, nisi cum habere Dei meruit collocutionem, dicens : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis* (*Genes.* XVIII, 27). Esse enim se aliquem fortasse crederet, si veracem essentiam, quæ super ipsum est, minime sensisset. At vero ubi ad incommutabile contemplandum [c] super se raptus est, impletus tantæ contemplationis potentia, dum videret illum, nihil se esse nisi pulverem, vidit. Unde et propheta repletus eadem sapientia exclamavit, dicens : *Memento, Domine, quod pulvis sumus* (*Psal.* CIV, 14).

CAP. XLVII. — *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII, 27).

In exposit. Job lib. X (*Num.* 49) : — Sunt nonnulli quos sensus per tumorem non elevat, sed misericordiæ opera exaltant. Et sunt nonnulli, qui D dum se terrenis opibus abundare conspiciunt, veras Dei divitias non requirunt, atque æternam patriam non amant; quia hoc sibi sufficere, quod rebus temporalibus fulciuntur, putant. Non est ergo census in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit bona sunt, sed qui bonis male utitur, profecto agit ut quasi per edacitatis ingluviem, eo per quem vivere debuit pane, moriatur. Pauper ad requiem Lazarus venerat, superbum vero divitem tormenta cruciabant, sed tamen dives Abraham fuerat, qui in sinu Lazarum tenebat. Qui tamen auctori colloquens, dicit : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Quid itaque iste divitias suas æstimare noverat, qui semetipsum pulverem cineremque pensabat? Aut

[a] Excusi, contradicentibus Mss., *annis facta senilibus*, etc. In Excusis tamen et in Mss. nostris eadem serie leguntur.

[b] Hæc procul dubio caput aliud inchoare debent.

[c] Editi mendose, *super se captus*.

quando hunc res possessæ extollerent, qui de se quoque earum videlicet possessore, tam abjecta sentiret? Aperte enim cernimus in quo loco se posuerat, qui pulverem se ac cinerem, etiam cum Deo loqueretur, æstimabat. Si igitur ita se despicit qui usque ad honorem divinæ collocutionis ascendit, sollicita intentione pensandum est, qua pœna illi feriendi sunt, qui et ad summa non proficiunt, et tamen de minimis extolluntur.

CAP. XLVIII. — *Vim faciebant Loth vehementissime, et jam proximum erat ut frangerent fores, et miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, et eos qui erant foris percussere cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent* (*Gen.* XIX, 9).

Cum de electorum innocentia contra pravorum insidias munita tractaretur, in expos. beati Job, lib. VI (*Num.* 38), adjunctum est : *Vim faciebant Loth vehementissime*, etc. — Quid est quod malis adversantibus intra domum Loth reducitur et munitur, nisi quod justus quisque dum pravorum insidias sustinet, ad mentem revertitur, et imperterritus manet? Sodomitæ autem viri in domo Loth invenire ostium nequeunt, quia corruptores mentium contra vitam justi nullum accusationis aditum deprehendunt. Percussi enim cæcitate, quasi domum circumeunt, qui, invidentes, facta dictaque perscrutantur. Sed quia eis de vita justi fortis undique ac laudabilis actio obviat, errantes nil aliud quam parietem palpant.

CAP. XLIX. — *Et Loth ardentem Sodomam fugiens, sed tamen Segor inveniens, nequaquam mox montana conscendit* (*Gen.* XIX, 20, 30).

Dum de continentium celsitudine, et conjugatorum venia tractaretur, in cod. Regulæ Pastor., III part. (*Adm.* 28, *c.* 27) adjunctum est : *Et Loth ardentem Sodomam fugiens*, etc. — Ardentem Sodomam fugere est, illicita carnis incendia declinare, altitudo vero montium est munditia continentium. Vel certe quasi in monte sunt, qui etiam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admistionem debitam nulla carnis voluptate solvuntur. [a] In monte quippe stare est, fructum propaginis in carne non quærere, in monte stare est carni carnaliter non adhærere. Sed quia multi sunt qui scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in conjugio positi, usus solummodo debiti jura conservant; exiit quidem Loth Sodoma, sed tamen mox ad montana non pervenit, quia jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est vero in medio Segor civitas quæ fugientem salvet et infirmum, quia videlicet cum sibi per incontinentiam miscentur conjuges, lapsus scelerum fugiunt, et tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt, in qua ab ignibus defendantur, quia conjugalis hæc vita, non quidem in virtutibus mira est, sed tamen a suppliciis secura. Unde idem Loth ad angelum dicit : *Est civitas hic juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea. Nunquid non modica est, et vivet in ea anima mea* (*Ibidem*). Juxta igitur dicitur, et tamen ad salutem tuta perhibetur, quia conjugalis vita nec a mundo longe divisa est, nec tamen a gaudio salutis aliena. Sed tunc in actione hac vitam suam conjuges, quasi in parva civitate custodiunt : quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt. Unde recte per angelum ad eumdem Loth dicitur : *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es* (*Gen.* XIX, 24); quia videlicet cum Deo deprecatio funditur, nequaquam talis conjugum vita damnatur. De qua deprecatione Paulus quoque admonet, dicens : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII, 5).

CAP. L. — *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem* (*Gen.* XIX, 24).

Cum de iniquorum in malis perseverantia tractaretur, in expos. beati Job, lib. XIV (*Num.* 23), adjunctum est : *Igitur Dominus*, etc. — Quid in sulphure nisi fœtor carnis, et quid per ignem nisi ardor carnalis desiderii exprimitur? Cum ergo habitantium Sodomis vel Gomorrha, carnis scelera punire Dominus decrevisset, in ipsa qualitate ultionis, notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit ut simul igne et sulphure perirent; quatenus ex justa pœna discerent, ex iniusto desiderio quid fecissent.

CAP. LI. — *De Abrahæ conjuge in sepulcro duplici sepulta* (*Gen.* XXIII, 19).

Cum de activa contemplativaque vita tractaretur in exposit. beati Job, l. VI (*Num.* 56), adjunctum est de Abrahæ conjuge : — Quid nobis per Abrahæ duplex sepulcrum innuitur, nisi quod perfectus quisque prædicator exstinctam a præsentis vitæ desideriis animam suam, sub bonæ operationis tegmine et contemplationis abscondit? Ut a carnali concupiscentia sub activa contemplativaque vita quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens, mortaliter vivebat. Unde et per egregium prædicatorem dicitur : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Colos.* III, 3). Activa quippe vita sepulcrum est, quia a pravis nos operibus mortuos tegit. Sed contemplativa perfectius sepelit, quia a cunctis mundi actionibus funditus dividit. Quisquis ergo jam in se contumelias carnis edomuit, superest ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat. Et quisquis jam mentem per sancta opera dilatat : superest ut hanc usque ad intima contemplationis extendat. Neque enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit.

CAP. LII. — [b] *Ad Rebeccam in Isaac conjugio deducendam puer mittitur* (*Gen.* XXIV, 9).

In expos. beati Job, l. II (*Num.* 50) : — Ad Rebeccam in Isaac conjugio deducendam puer mittitur : Quia videlicet ad desponsandam Ecclesiam Domino, interposita prophetia famulatur.

CAP. LIII. — *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito; sed ad terram et ad cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac* (*Gen.* XXIV, 3).

Cum de mysteriis sacramenti ad Abraham per puerum, et requirendæ uxoris Isaac filio tractaretur, adjunctum est : *Pone manum tuam subter femur meum*, etc. — [c] Libet perstrictim quædam de Abrahæ et Isaac historia ad medium deducere, ut possimus in ipsis, quæ secundum allegoriam intelligenda sunt, apertius demonstrare. Abraham quippe puerum vocat, et subter femur ejus manum ponere præcipitur, ut sicut habet vetusta translatio, per Dominum Deum cœli jusjurandum præberet. Cui statim ne Isaac filio suo uxorem de filiabus Chananæorum accipiat jubet, sed ut ad ejus cognationem pergat, atque inde ei uxorem deducat. Qui itaque ut præceptum est, manum sub femore posuit Abrahæ et juravit, atque ex

[a] In Utic. et Gemet. hæc omittuntur. Leguntur iisdem verbis in Michael. Negativa tamen particula tollenda nobis videtur. In Reg. Past. legitur : *in monte stare est, nisi fructum propaginis in carne non quærere.*

[b] Hoc caput prætermittitur in Gemet., Utic., Michael. et Mss. a nobis visis.

[c] Quæ sequuntur nullibi reperiuntur apud Gregorium. Hinc in Mss. Michael., Gemet. et Utic., etc., non indicatur unde hæc sint sumpta, Gregorianum tamen stylum sapiunt.

bonis omnibus Domini sui tulit, et Mesopotamiam perrexit. Sive qui stans juxta fontem aquæ orando proposuit quod puella cui diceret : *Inclina hydriam tuam ut bibam, et illa responderit : Bibe, quin et camelis tuis dabo potum* (*Ibid.*, 4); ipsa esset uxor domini sui Isaac. Protinus Rebecca egreditur. Quæ puero aquam petenti respondit : Bibe, Domine mi. Et celeriter hydriam subter ulnam deposuit, potum dedit, quin etiam camelis aquam hausit et præbuit. Cui puer protinus inaures aureas appendentes siclos duos, et armillas pondus siclorum decem præbuit. Quæ requisita, et genus dixit, et quia in domo patris ejus esset locus spatiosus ad manendum, et quod palearum ac feni plurimum haberet indicavit. Cui Rebeccæ frater erat nomine Laban, qui festinus egressus est, et inaures, siclos atque armillas sorori videns, intus puerum vocavit, eique paleas et fœnum dedit. Aquam ad lavandos pedes camelorum et virorum qui cum eo venerant præbuit. Panem in conspectu ejus apposuit; sed puer comedere recusat, nisi prius causam conjugii filio domini sui obtineat. Qui mox ut causam obtinuit, prolatis vasis aureis et argenteis ac vestibus Rebeccæ munera auxit, fratribus autem et matri munera obtulit. Rebecca autem et puellæ illius ascensis camelis virum secutæ sunt, qui festinus ad dominum suum reversus est. Eo autem tempore, Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis et videntis. Habitabat vero in terra australi. Egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata jam die. Sed mox ut Rebecca Isaac vidit, de camelo descendit, puerum requirit, dicens : Quis ille homo esset, qui per agrum veniret? Cui ille respondit : Ipse est dominus meus. At illa tollens pallium, sese operuit; quam Isaac in tabernaculum Saræ matris introduxit, et accepit uxorem, atque in tantum dilexit, ut dolorem, qui ex morte matris accesserat, temperaret.

Quid est, quod Abraham puerum jubet sub femore suo manum imponere, et per cœli Dominum jurare, nisi quod illius caro per illud membrum descensura erat, qui et Abrahæ filius esset ex humanitate, et Dominus ex divinitate? Sic itaque puero dicitur : *Pone manum tuam sub femore meo, et jura per Deum cœli.* Ac si aperte diceret : Tange filium meum, et jura per Dominum meum. Unde nec super femur, sed sub femore manum ponere jubetur; quia ex illo femore ille descensurus erat, qui homo quidem, sed super omnes homines veniret. Unde dignum non fuit, ut manum super femur poneret; quia nulla caro super illam carnem est, quam in redemptione nostra sibi Patris unigenitus univit. Quid est quod Isaac dilecto filio uxor de filiabus Chananæorum duci prohibetur, nisi quod ille de quo scriptum est : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17), nulli reprobæ animæ conjungitur? De cognatione autem uxorem filio deducere servus præcipitur, quia sola sancta electorum Ecclesia, unigenito filio copulanda erat, quam ipse unigenitus ex prædestinatione jam, et præsentia extraneam non habebat. Quis vero est puer, qui ad deducendam uxorem mittitur, nisi prophetarum ordo atque apostolorum omniumque doctorum? Qui dum verbum prædicationis bonis mentibus faciunt, ad unamquamque animam unigenito filio conjungendam, quasi provisores fiunt. Qui pergens secum de bonis omnibus domini sui detulit, quia in his quæ de Domino loquuntur in semetipsis virtutum divitias ostendunt, et tanto citius ad sequendum Deum pertrahunt, quanto auditoribus suis in semetipsis monstrant, quod enarrant. Atque idem puer juxta fontem stetit, atque ex præfixa sententia, quæ puella eligenda esset, proposuit, quia prædicatores sancti, sacri eloquii fluenta considerant, atque ex ipsis colligunt, quæ vel quibus prædicationis suæ verba committant, et ex quibus auditoribus fiduciam certitudinis sumant. Potum vero petiit, quia prædicator omnis animam sui auditoris sitit. Sed Rebecca potum præbuit, quia sancta electorum Ecclesia prædicatorum suorum desiderio ex virtute suæ fidei satisfecit. Quia enim Deum quem audivit confessa est, prædicatori suo aquam refectionis obtulit, ejusque animum rerigeravit. Et notandum quod hydriam ab humero in ulnas posuit, quia illa est placita confessio quæ a bono opere procedit. Vel certe aquam præbuit, quia in eo quod credidit vacua non remansit. Nam mox prædicare studuit quod audivit, et docendo, multos ex se prædicatores protulit. Aqua quippe in hydria est prædicationis scientia in mensura, quia sancta Ecclesia studet non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII, 3). Et hydria aquæ in ulna est doctrina prædicationis in opere. Quæ non solum ejus comitibus, sed potum etiam camelis præbet, quia verbum vitæ non solum prudentibus, sed etiam stultis prædicat, juxta Pauli vocem dicentis : *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I, 14). Vel certe aqua etiam jumentis datur, quando cura carnis quomodo sit habenda disponitur, et ex voluptate impendi non debeat, et tamen in necessitatibus non negetur, sicut scriptum est : *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14). Qui enim hanc in desideriis fieri prohibet, procul dubio in necessitate concedit, juxta hoc quod rursus dicitur : *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (*Ephes.* V, 29). Puer autem Rebeccæ inaures et armillas dedit, quia prædicator quisque et auditum sanctæ Ecclesiæ per obedientiam, et manus per bonæ operationis meritum exornat. Sed inaures duorum siclorum sunt, armillæ autem siclorum decem, quia prima virtus obedientiæ in charitate est, quæ videlicet charitas in duobus præceptis distinguitur, ut Deus et proximus diligatur. Et recta operatio ex decalogi completione perficitur, ut cum bona agi cœperint, mala jam nulla perpetrentur. Rebecca autem cum esset in domo patris sui, locum spatiosum ad manendum perhibuit, quia priori jam populo naturæ legem sancta Ecclesia se scisse monstravit, et prædicationis verba in amplo charitatis gremio suscepit. Doctori enim spatiosus ad manendum locus est in auditoris corde latitudo bonitatis. Unde et quibusdam dicitur : *Capite nos; neminem læsimus, neminem corrupimus* (*II Cor.* VII, 2). *Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris* (*Ibid.* VI, 12). Ac si eis aperte diceretur : Ad suscipiendam doctrinam spatiosum locum mentis facite, sed ad cogitanda carnalia angusti remanete. Quod palearum ac feni plurimum haberet, indicavit, quia sancta Ecclesia verba vitæ audiens, terrena stipendia prædicatoribus reddidit, quæ dum Paulus quasi pro nihilo acciperet, dixit : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si a vobis carnalia metamus* (*I Cor.* IX, 11)? Frater autem Rebeccæ erat Laban, qui concite egressus, inaures et armillas sorori aspiciens, intus puerum vocavit : quia sunt carnales quique fidelibus conjuncti, qui dum spiritualium dona conspiciunt, [a] in admiratione suspensi, etsi non usque ad opera, tamen in animam usque ad suscipiendam fidem, verbum prædicationis admittunt. Quia enim bonos sæpe miraculis fulgere considerant, ea quæ de æternitate audiunt non recusant. Quamvis sanctam electorum Ecclesiam moribus non sequentes, in carnali operatione remaneant. Qui Laban paleas, fenum, aquam, panem obtulit; sed puer nisi causam prius conjugii obtineret, acceptarum se esse recusavit. Quia sunt plerique qui doctores suos ex temporalibus [b] stipendiis continere pa-

[a] Excusi corruptissime, *in admiratione hospes.* Multa similia menda hic correximus ope Mss.

[b] Excusi, *contemnere.* Sæpe in epistolis, per *continentiam*, necessariorum subministratio intelligitur. Vide l. I, ep. 5.

rati sunt; sed prædicatores sancti percipere nolunt temporalia, nisi prius obtineant æterna. Si enim in animabus fructum non inveniunt, sumere stipendia corporalibus contemnunt. [a] Nec pedes aqua lavant, quia laborem sui desiderii nulla consolatione relevant. Mox vero ut causam conjugii domino suo puer obtinuit; vasa aurea atque argentea ac vestes protulit, quas Rebeccæ dedit, quia doctores sanctæ Ecclesiæ tot ornamenta præbent, quot virtutum bona docuerunt. Quæ enim prius inaures, armillas acceperat, jam nunc vasa aurea et argentea ac vestes accepit, quia sancta Ecclesia quæ ante per fidem, obedientiam, et operationem percepit, excrescens postmodum etiam ad spiritualia dona convalescit; ut prophetiæ spiritu et virtutum gratia repleta, ampliatis jam muneribus ditescat. Puer vero matri ejus ac fratribus dona obtulit, quia gentilitas ex quo Ecclesia ad fidem venit, post conversionem ejus in gloria temporali convaluit, sicut et nunc cernimus, quia plerumque Christiani afflictionem sentiunt, et gentiles quique in terrena virtute gloriantur. Sed et fratres ejus dona percipiunt, quia ii qui eam fidem verbo tenus tenent, sed tamen professionem suam moribus non sequentes, carnaliter vivunt, benigne a fidelibus honorari solent, pro eo quod esse fideles videntur. Mater ergo et fratres dona percipiunt, a sorte tamen hæreditatis alieni, quia sive infideles seu carnales qui intra fidei professionem tenentur, ad hæreditatis æternæ sortem non veniunt; sed tamen supernæ largitatis gloriam [b] temporaliter consequuntur. Rebecca autem cum puellis suis virum sequuta est, quia sancta Ecclesia habet secum minoris meriti animas sodales suos. [c] Nam in quibusdam per ascensum mentis, in thoro contemplationem non habent, quæ videlicet tales animæ quasi puellæ Rebeccæ sunt, quia sequuntur moribus, sed tamen ad contemplationis thorum minime ascendunt. Nam et idem puer quosdam habuit in comitatu, quia et cum sanctis prophetis fuerunt quidam qui bene viverent, et prophetiæ spiritum non haberent, et cum sanctis apostolis atque doctoribus fuerant plerique, qui vitam moribus tenerent, sed prædicationis verba non promerent. Festinus autem puer ad dominum redit, quia prædicatores sancti cum prædicando vitam audientium obtinent, illi mox gratias reddunt de cujus hoc munere perceperunt, ut sibi in ea operatione nil tribuant, sed auctori. *Eo autem tempore Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis et videntis.* Quis est vivens et videns, nisi omnipotens Deus; de quo scriptum est: *Vivo ego in æternum, dicit Dominus* (*Deut.* XXXII, 40)? De quo rursum dicitur: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV, 13). Puteus vero viventis et videntis est sacræ Scripturæ profunditas, quam nobis ad irrigationem mentis præbuit omnipotens Deus. Quæ est autem via quæ ducit ad puteum videntis et viventis, nisi humilitas passionis unigeniti, per quam nobis apertum est hoc quod prius latenter Scripturæ fluenta loquebantur? Nisi enim unigenitus Dei Filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis cæsus, sputis illitus, crucifixus ac mortuus fuisset, nobis hujus putei, id est Scripturæ sacræ profunditas non pateret. Quid ergo fidelibus humilitas passionis ejus facta est, nisi clavis operationis per quam mysteriorum Dei puteum invenimus, ut aquam scientiæ de profundo biberemus? Incarnationem quippe, passionem, mortem, resurrectionem, atque ascensionem illius, sacri eloquii paginæ loquuntur. Quæ quia facta cognovimus, jam nunc intelligamus audita; hæc autem prius legi poterant, sed quia necdum evenerant, intelligi non valebant. Unde et per Joannem dicitur: *Vicit leo de tribu Juda aperire librum, et solvere signacula ejus* (*Apoc.* V, 5). Ipse enim librum aperuit, et signacula illius solvit, qui nascendo, moriendo, resurgendo, atque cœlos ascendendo, Scripturæ sacræ nobis arcana patefecit. Et notandum, quod non dicitur, ambulabat per viam quæ ducit ad puteum, sed, deambulabat. Deambulat quippe, qui viam per quam ambulat eundo et redeundo conculcat. In humilitatem autem passionis Dominus deambulavit, quia modo a Judæis verborum contumelias, modo contra se falsum testimonium, modo alapas, modo sputa, modo spineam coronam, modo crucem toleraudo sustinuit. Deambulasse ergo in humilitate passionis est, tot adversitates et probra diversis modis iterando pertulisse. Qui Isaac, Rebecca veniente, in terra australi habitat, quia unigenitus Dominus ac Redemptor noster veniente ad se Ecclesia in illorum mentibus mansit, quos ex Judæa editos non torporis frigus, sed fervor charitatis tenuit. Ex illo quippe populo Anna prophetissa, ex illo Simeon exstitit, qui in ulnas Dominum accepit. Egressus autem fuerat ad meditandum in agro. Quia ager mundus accipitur, ipse per se Dominus exponit, dicens: *Ager autem est mundus* (*Matth.* XIII, 38). Qui in hoc egressus est, quod visibilis apparere dignatus est, sicut scriptum est: *Existi in salutem populi tui, ut salvos facias Christos tuos* (*Habac.* III, 13). Solent autem exercitati juvenes in armorum usum meditari. Isaac ergo ad meditandum in agro exiit, quia Redemptor noster se sequentibus formam humilitatis præbens, per exercitium longanimitatis suæ passionis in se, et patientiæ exempla monstravit. Meditatio quippe armorum est, frequentatio passionum. Qui enim verba, manum, lanceam, crucem pertulit, passionem suam usque ad mortem in se frequentari permisit. Passiones vero arma dicimus, quia per ipsas ab adversario occulto liberamur, sicut per seipsum Dominus dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19). Qui ad meditandum in agro, inclinata jam die exiit, quia passionum exercitia juxta finem mundi suscepit, sicut per Psalmistam de crucifixionis suæ expressione loquitur, dicens: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL, 2). Quid est autem quod Rebecca ad Isaac dorso cameli deducitur, nisi quod per Rebeccam, sicut præfati sumus, Ecclesia, et per camelum cui præsidet, tortus moribus atque onustus idolorum cultibus gentilium populus designatur? Qui enim ex semetipsis sibi invenere deos quos colerent, quasi a semetipsis eis onus in dorso excreverat, quod portarent. Rebecca ergo ad Isaac veniens, dorso cameli deducitur: quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans in tortis vitiosisque vitæ veteris conversationibus invenitur. Quæ ut vidit Isaac, de camelo descendit, quia sancta Ecclesia quanto Redemptorem suum subtilius agnoscit, tanto carnalis vitæ studia humilius deserit, atque in semetipsa tortitudinem vitiosam contradicit. Isaac igitur viso descendit, quia Domino cognito vitia sua gentilitas deseruit, et ab elatione celsitudinis ima humilitatis petiit. Quid est autem quod Isaac in camelo sedens Rebecca conspexit, nisi quod Redemptorem suum Ecclesia ex gentibus veniens, dum adhuc vitiis esset innixa, et necdum spiritualibus, sed animalibus moribus inhæret, ascendit? Nec movere debet quod puer quoque cum camelis venerat, in quibus sui Domini divitias ferebat, quia ipsi quoque prædicatores sancti, quamvis jam ad superiora intelligenda atque proferenda intellectu et vita micant, adhuc tamen in semetipsis contraditionem carnis sentiunt. Nam vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivum se ducentem in lege peccati (*Rom.* VII); et divitias in camelis portant, quia ne magnitudo revelationum extollat eos,

[a] Vulgati: *hi pedes aqua lavant*, invito sensu, reluctantibus Mss.

[b] Excusi, *temporaliter non sequuntur*.

[c] Multa hic corrupta restituimus ope Ms. Michael.

datus est eis stimulus carnis suæ (*I Cor.* XII). Habent enim thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non eorum. Qui ergo per carnem cœlestia loquuntur, et tamen adhuc in carne contradictionem de vitio sentiunt, quid aliud quam super tortuosa camelorum dorsa divitias ferunt? Rebecca vero Isaac viso, quis ille homo sit, requisito puero, cognoscit, quia quotidie sancta Ecclesia adhuc prophetarum atque apostolorum dicta, quid de Redemptore suo credere debeat, intelligit. Quæ se mox pallio operuit, quia quanto subtilius salvatoris sui mysteria penetrat, tanto altius de anteacta sua vita confunditur. Et quia perverse egerit, verecundatur, pallio se operire curavit, quia viso Domino infirmitatem suæ actionis erubuit, et illa quæ prius in camelo libere gestabatur, descendens postmodum verecundia tegitur. Unde eidem Ecclesiæ a priore elatione conversæ per apostolicam vocem quasi Rebeccæ de camelo descendenti sibique pallium superducenti dicitur : *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI, 21)? Quam Isaac in tabernaculum suæ matris introducit, atque uxorem accipit, quia loco Synagogæ Dominus, ex qua per carnem natus est, sanctam Ecclesiam diligit, eamque sibi in amore et contemplatione conjungit, ut quæ prius proxima ex cognatione, eidem cognita per prædestinationem fuerat, postmodum jam conjuncta in amore continuo uxor fiat. Quam in tantum dilexit, ut dolorem qui ex morte matris accesserat, temperaret, quia ex loco sanctæ Ecclesiæ Redemptor noster in eam, quæ ex perditione Synagogæ accidere potuit, tristitiam decessit. Dum enim Rebeccæ conjungitur, dolor de matris more amputatur, quia dum sancta Ecclesia ex gentilitate veniens, usque ad thorum contemplationis perducitur, Judæa pro nihilo habetur. Quod si interpretari ipsa eorum nomina curamus, Isaac risus, Rebecca autem patientia, dicitur. Risus vero ex lætitia est, patientia autem de tribulatione. Et quamvis sancta Ecclesia jam in cœlestis sit gaudii contemplatione suspensa, habet tamen adhuc quod triste de mortalis carnis pondere toleret. Isaac vero et Rebecca junguntur, id est risus et patientia permiscentur : quia fit in sancta Ecclesia hoc quod scriptum est : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12), ut hanc et prospera de contemplatione lætificent, et adhuc adversa de tribulatione perturbent.

CAP. LIV.—*Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ* (*Gen.* XXV, 21.)

Dum de effectu prædestinationis tractaretur in codice Dialogorum, l. I (*cap.* 8), adjunctum est : *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua*, etc.— Ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. Quod utrum ita sit concite valet probari. Certe etenim novimus quod ad Abraham Deus dixit : *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI, 13). Cui etiam dixerat : *Patrem multarum gentium constitui te* (*Ibid.* XVII, 4) ; cui rursum promisit, dicens : *Benedicam te, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris* (*Gen.*, XXII, 17). Ex qua re aperte constat quia omnipotens Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinaverat, et tamen scriptum est : *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis ; qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ.* Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur conjugem sterilem accepit? Sed nimirum constat quia prædestinatio precibus impetur, quando Isaac in quo Deus multiplicari semen Abrahæ prædestinaverat, oratione obtinuit ut filios habere potuisset.

CAP. LV. — *Factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola : Jacob autem vir simplex habitavit in tabernaculis* (*Gen.* XXV, 27), vel sicut in alia translatione dicitur, *habitabat domi* [*Sec. LXX*].

Cum de reproborum vitiis, et electorum profectibus tractaretur, in expos. beati Job, l. V (*Num.* 20), adjunctum est : *Factus est Esau vir gnarus venandi*, etc. — Quid enim per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse describitur, quia amatores hujus sæculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta derelinquunt. Jacob vero simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur, quia nimirum omnes qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione atque in conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim, aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere, et nequaquam exterius per desideria dissipare, ne dum ad multa foris inhiant, a semetipsis alienati cogitationibus recedant.

CAP. LVI.—*De Esau, quod ad lenticulam primogenita sua fratri vendidit* (*Gen.* XXV, 30).

Cum de refrenanda gulæ concupiscentia tractaretur, in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 60, 61), adjunctum est : *De Esau*, etc. — Sciendum est, quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit, aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit, aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratius expetit, aliquando autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit : nonnunquam vero et abjectius est quod desiderat, et tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat. Quæ vitiorum tempora melius ostendimus, si hoc exemplis evidentioribus approbemus. Mortis quippe sententiam patris ore Jonathas meruit : quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit (*I Reg.*, XIV, 27). Et ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit : quia despecto manna cibos carnium petiit, quos lautiores putavit (*Num.* XXI, 5). Et prima filiorum Heli culpa suborta est quod ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet (*I Reg.* II, 12). Et cum ad Jerusalem dicitur : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia* (*Ezech.* XVI, 49), aperte ostenditur quod idcirco salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Hinc primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu [a] vilem cibum, id est lenticulam concupivit, quam dum venditis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe quem diximus Esau, primatum per lenticulam vendidit, et Elias in eremo per virtutem spiritus carnes edendo servavit. Unde et antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, et primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, et secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est quod plerumque Adæ culpa committitur, etiam cum abjecta et vilia sumuntur. Neque enim Adam solus ut a vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit. Nam cum alimenta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat : et dum concupiscentes noxia attingimus, profecto quid aliud quam vetita degustamus? Ea itaque sumenda

[a] Corrupte Editi, *desiderabilem cibum.*

sunt, quæ naturæ necessitas quærit, et non quæ edendi libido suggerit [a] ne si hoc moderata discretio minus caute prospexerit, in illicitæ se concupiscentiæ quis voraginem vergat.

CAP. LVII. — *De Isaac qui apud alienigenam gentem puteos fodit, quos Allophyli insidiantes humo implentes replent* (*Gen.* XXVI).

Cum de persistendo in bono opere, et cavendis ex hoc inimici subreptionibus tractaretur, in expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* 53), adjunctum est : *De Isaac qui apud alienigenam gentem puteos fodit*, etc. — Quid nobis per effossos ab Isaac puteos atque ab Allophylis repletos innuitur, nisi ut in hac peregrinationis ærumna positi, cogitationum nostrarum profunda penetremus, et quousque nobis veræ intelligentiæ aqua respondeat, nequaquam nostræ inquisitionis manus ab exhauriendo cordis terra torpescat? Quos tamen puteos Allophyli insidiantes replent, quia nimirum immundi spiritus cum nos studiose cor fodere conspiciunt, congestas nobis tentationum cogitationes ingerunt. Unde semper mens evacuanda est, incessanterque fodienda, ne si indiscussa relinquitur, usque ad tumorem perversorum operum, cogitationum super nos terra cumuletur. Unde et ad Ezechielem dicitur : *Fili hominis, fode parietem* (*Ezech.* VIII, 8), id est cordis duritiam crebris perscrutationum ictibus rumpe.

CAP. LVIII. — *Item unde supra.*

In expos. Job l. XVI (*Num.* 23) : Sæpe dum eloquiis sacris intendimus, malorum spirituum insidias gravius toleramus, quia menti nostræ terrenarum cogitationum pulverem aspergunt, ut intentionis nostræ oculos a luce intimæ visionis obscurent. Quod etiam in Isaac opere, Allophylorum pravitate cognoscimus designari, qui puteos quos Isaac foderat terræ congerie replebant. Hos enim nos nimirum puteos fodimus, cum in Scripturæ sacræ abditis sensibus alta penetramus, quos tamen occulte replent Allophyli, quando nobis ad alta tendentibus immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt, et quasi inventam divinæ scientiæ aquam tollunt. Quod nimirum Psalmista pertulerat cum dicebat : *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei* (*Psal.* CXVIII, 115) ; videlicet patenter insinuans, quia mandata Dei perscrutari non poterat, cum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat.

CAP. LIX. — *De benedictionibus Jacob, et Esau* (*Gen.* XXVII, 27, 28).

Cum de mysteriis benedictionum Jacob et Esau tractaretur, in comment. Ezech. lib. I, hom. 6 (*Num.* 2, *seq.*), adjunctum est : — Quis namque parvulorum in facto Esau et Jacob, quod alter ad venatum mittitur, ut benedicatur, alter vero per suppositionem matris a patre benedicitur, nisi juxta sacræ lectionis historiam pascitur? In qua videlicet historia si ad intellectum paulo subtilius astringatur, videtur quia Jacob primogeniti benedictionem non per fraudem subripuit, sed ut sibi debitam accepit, quam concedente fratre de lentis mercede comparavit. At vero si quis altius sentiens utrorumque facta velit per allegoriæ arcana discutere, protinus ab historia in mysterium surgit. Quid est enim quod Isaac de majoris filii sui venatione vesci concupiscit, nisi quod omnipotens Deus Judaici populi bona operatione pasci desiderabat? Sed illo tardante, minorem Rebecca supposuit, quia dum Judaicus populus bona opera foris quærit, gentilem populum mater gratia instruxit, ut omnipotenti Patri cibum boni operis offerret, et benedictionem majoris fratris acciperet, qui eosdem cibos ex domesticis animalibus præbuit, quia gentilis populus placere Deo de exterioribus sacrificiis non quærens, per vocem Prophetæ dicit : *In me sunt, Deus, vota tua quæ reddam laudationes tibi* (*Psal.* LV, 12). Quid est quod idem Jacob manus ac brachia et collum hædinis pellibus texit, nisi quod hædus pro peccato offerri consuevit? Et gentilis populus dum se peccatorem confiteri non erubescit, carnis in se peccata mactavit. Quid est quod vestimentis fratris majoris induitur, nisi quod sacræ Scripturæ præceptis, quæ majori populo data fuerant, in bona operatione vestitus est? et eis minor in domo utitur, quæ major foras exiens intus reliquit, quia ille Gentilis populus præcepta tenet in mente, quæ Judaicus populus habere non potuit, dum solam in eis litteram attendit. Et quid est, quod Isaac eumdem filium nescit, quem benedicit, nisi hoc quod de Gentili populo Dominus per Psalmistam dicit : *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, ob auditum auris obedivit mihi* (*Psal.* XVII, 43). Quid est quod præsentem non videt, et tamen quæ in futuro venient, videt, nisi quod omnipotens Deus cum per prophetas suos prædiceret gentilitati gratiam prærogandam, eam et in præsenti per gratiam non vidit, quia tunc in errore dereliquit, et tamen quia hanc quandoque collecturus erat benedictionis gratiam, prævidit? Unde et idem Jacob Gentilis populi figuram tenet, eique in benedictione dicitur : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27). Sicut enim in Evangelio Veritas dicit : *Ager est hic mundus* (*Matth.* XIII, 38) ; et quia gentilis populus ad fidem perductus, per electos suos in universo mundo virtutibus redolet, odor filii odor est agri pleni. Aliter namque olet flos uvæ, quia magna est virtus et opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos olivæ, quia suave est opus misericordiæ quod more olei refovet et lucet. Aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia quæ rutilat et redolet ex cruore martyrum. Aliter flos lilii, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ, quia magna est virtus humilium qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem a terra in altum non sublevant, et cœlestis regni purpuram in mente servant. Aliter redolet spica cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum, qui justitiam esuriunt, præparatur. Quia ergo Gentilis populus in electis suis ubique per mundum sparsus est, et ex eis virtutibus quas agit, omnes qui intelligunt odore bonæ opinionis replet, dicatur recte : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Sed quia easdem virtutes ex semetipso non habet, adjungit : *Cui benedixit Dominus Deus.* Et quoniam electorum populus per quosdam etiam in contemplationem surgit, per quosdam vero in activæ vitæ solummodo opere pinguescit, recte illic additur : *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ* (*Gen.* XXVII, 28). Ros enim desuper subtiliter cadit, et toties de rore cœli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimæ de supernis aliquid tenuiter videmus. Cum vero bona opera etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur. Quid est autem quod Esau tarde ad patrem redit, nisi quod Judaicus populus ad placandum Dominum sero revertitur? cui et hoc in benedictione dicitur : *Tempusque erit cum solvatur jugum de collo tuo* (*Gen.* XXVII, 40); quia a servitute peccati Judaicus populus in fine liberabitur, sicut scriptum est : *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 25).

CAP. LX. — *De Isaac qui caligantibus oculis, dum Jacob filium suum nesciens benediceret, quæ in futuro ventura erant, prævidebat, et qui coram eo præsens assisteret, nesciebat* (*Gen.* XXVII, 29, 30, 31).

Dum de ignorantia Judæorum et Redemptoris nostri præsentia tractaretur, in exposit. beati Job, l. XXXV (*Num.* 26), adjunctum est : *De Isaac qui ca-*

[a] Excusi, *nisi hoc.... illicitæ se concupiscentiæ quis voraginem vergat*, corrupto sensu. In Utic. legitur : *illicitæ se concupiscentiæ quis voragine mergat.*

figantibus oculis, etc. — Liquido constat quod nullus Judæorum qui plene legem didicit, adventum Redemptoris nostri ignoravit. Unde et Herodes rex, magorum occursione perterritus, sacerdotes ac principes studuit solerter inquirere ubi Christum nasciturum esse præscirent. Cui protinus responderunt : *In Bethlehem Judæ*. Prius ergo noverunt, quem passionis tempore dum despicerent, ignorabant. Quorum et notitia prior, et ignorantia posterior, bene ac breviter Isaac caligantibus oculis signatur, qui dum Jacob benediceret, et quid eveniret in futuro prævidebat, et quis illi præsens assisteret, nesciebat. Sic quippe Israelitarum populus fuit, qui prophetiæ mysteria accepit, sed tamen cæcos oculos in contemplatione tenuit, quia eum præsentem non vidit, de quo multa in futuro prævidit. Ante se enim positum nequaquam cernere valuit, cujus adventus potentiam longe ante nuntiavit.

CAP. LXI. — *Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Aram, cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco; viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlos; angelos quoque ascendentes et descendentes super eam, et Dominum innixum scalæ* (*Gen.* XXVIII, 11).

Dum de doctorum ad auditores suos condescensione tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 54), adjunctum est : *Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Aram*, etc. — In itinere quippe dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu a rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire, est in dierum labentium cursu ab appetitu visibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus seductor aperuit, qui dixit : *Scit enim Deus quia in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri* (*Gen.* III, 5). Unde et paulo post subditur : *Tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo, qui comedit, et aperti sunt oculi amborum* (*Ibid.*, 9). Culpa quippe oculos concupiscentiæ aperuit, quos innocentia clausos tenebat. Angelos vero ascendentes et descendentes cernere, est cives supernæ patriæ contemplari vel quanto amore auctori suo super semetipsos transcendendo inhæreant, vel quanta compassione charitatis nostris infirmitatibus condescendant. Et notandum valde est quod ille dormiens angelos conspicit, qui in lapide caput ponit. Quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans æterna penetrat, qui intenta mente, quæ principale est hominis, imitationem sui Redemptoris observat. Caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhærere. Qui enim a præsentis vitæ actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt, sed videre angelos nequeunt, quia caput in lapide tenere contemnunt. Sunt namque nonnulli, qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum torpore non studio dormiunt, et idcirco interna non conspiciunt, quia caput non in lapide, sed in terra posuerunt. Quibus plerumque contingit, ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundæ in se cogitationis strepitum per otium congerant. Unde sub Judææ specie, per prophetam torpens otio anima defletur, cum dicitur : *Viderunt eam hostes, et deriserunt Sabbata ejus* (*Thren.* I, 7). Præcepto enim legis ab exteriori opere in Sabbato cessatur. Hostes ergo videntes Sabbata irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut unaquæque anima, quo remota ab externis actionibus Deo servire creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. Sancti autem viri, qui a mundi operibus non torpore sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt quam vigilare potuerunt, quia in eo quod actiones hujus sæculi deserentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne subacta otio per desideria immunda refrigescat, ne ipsis bonis desideriis plus justo inferveat, ne sub discretionis specie sibimet parcendo a perfectione languescat. Agit hæc, et ab hujus mundi inquieta concupiscentia se penitus subtrahit, ac terrenarum actionum strepitum deserit, et per quietis studium virtutibus intenta vigilans dormit. Neque enim ad contemplanda interna perducitur, nisi ab his, quæ exterius impleant, studiose subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicit : *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). Hinc Paulus ait : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit* (*II Tim.* II, 4). Hinc per Prophetam Dominus admonet, dicens : *Vacate et videte, quoniam ego sum Dominus* (*Psal.* XLV, 11).

CAP. LXII. — *Item unde supra.*

In ep. ex Registr. l. I [*Epist. olim* 24, *nunc* 25] : — [a] Quid per Jacob, nisi prædicatorum persona designatur? Prædicatores quippe perfecti, solum sursum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Quod videlicet angeli ascendentes et descendentes demonstrant. Unde et Moyses crebro tabernaculum intrat et exit, et quod intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit, exemplum procul dubio rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant, et velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his quibus dubitant apud semetipsos, intus sacri eloquii paginam requirant.

CAP. LXIII. — *De Lia et Rachel, et quod Jacob pro Rachel serviens prius Liam accepit* (*Gen.* XXIX, 24, 25).

Cum de contemplativa activaque vita tractaretur in Ezech. l. II, hom. 2 (*Num.* 10), adjunctum est : *De Lia et Rachel*, etc. [b] — Quidnam his duabus Jacob uxoribus Lia videlicet et Rachel, nisi activa et contemplativa vita signatur? Lia quippe interpretatur laboriosa, Rachel vero ovis, vel visum principium. Activa autem vita laboriosa est, quia desudat in opere; contemplativa vero simplex ad solum videndum principium anhelat, videlicet ipsum qui ait : *Ego sum principium, propter quod et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25). Beatus autem Jacob Rachel quidem concupierat, sed in nocte accepit Liam, quia videlicet omnis qui ad Dominum convertitur, contemplativam vitam desiderat, quietem æternæ patriæ appetit. Sed prius necesse est ut in nocte vitæ præsentis operetur bona, quæ potest, desudet in labore, id est Liam accipiat, ut post ad videndum principium in Rachel amplexibus requiescat. Erat autem Rachel videns et sterilis, Lia autem lippa sed fecunda, quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus filios Deo generat; cum vero ad laborem se prædicationis dirigit, minus videt, sed amplius parit. Contemplativa vero vita speciosa est in animo, sed dum quiescere in silentio appetit, filios non generat ex prædicatione. Videt, et non parit; quia quietis suæ studio minus se in aliorum collectione succindit, et quantum introrsum aspicit, aperire aliis prædicando non sufficit. Lia vero lippa et fecunda est, quia activa vita, dum occupatur in opere, minus videt, sed dum modo per verbum, modo per exemplum ad imitationem suam proximos accendit, multos in bono opere filios generat. Et si in contemplatione mentem tenere non valet, ex eo tamen quod agit exterius, gignere sequaces valet. Post Liæ ergo complexum ad Rachelem Jacob pervenit, quia perfectus quisque ante

[a] In Utic. subticetur unde hæc descripta. In Michael. vero assignatur l. V, in Expos. Job.

[b] Si credimus Ms. Michael., excerpta sunt ista ex l. VI, in Job.

activæ vitæ ad fecunditatem jungitur, et post contemplativæ ad requiem copulatur.

CAP. LXIV. — *Tollens Jacob virgas populeas virides et amygdalinas et ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus, in his quæ exspoliata fuerant candor apparuit. Illa vero quæ integra erant, viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Posuitque eas in canalibus, in quibus effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conciperent. Factumque est ut ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, et parerent maculosa et varia, et diverso colore respersa* (*Gen.* XXX, 37, *seq.*).

Cum de perscrutandis allegoriis in historia tractaretur in expos. beati Job, lib. XXI (*Num.* I), adjunctum est : *Tollens Jacob virgas populeas virides*, etc. — Intellectus sacri eloquii inter textum et mysterium tanta est libratione pensandus, ut utriusque partis lance moderata, hunc neque nimiæ discussionis pondus deprimat, neque rursum torpor incuriæ vacuum relinquat. Multæ quippe ejus sententiæ tanta allegoriarum conceptione sunt gravidæ, ut quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitia per suam incuriam privetur. Nonnullæ vero ita exterioribus præceptis inserviunt, ut si quis eas subtilius penetrare desiderat, intus quidem nihil inveniat, sed hoc sibi etiam quod foris loquuntur abscondat, unde quoque bene narratione historica per significationem dicitur : *Tollens Jacob virgas populeas virides et amygdalinas et ex platanis, ex parte decorticavit eas*, et reliqua. Quid est virgas virides et amygdalinas atque ex platanis ante oculos gregum ponere, nisi per Scripturæ sacræ seriem antiquorum Patrum Vitas atque sententias in exemplum populi præbere? Quæ nimirum quia juxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur. Quibus et ex parte corticem subtrahit, ut in his quæ exspoliantur intimus candor appareat, et ex parte corticem servat, ut sicut fuerant exterius, in viriditate permaneant, variusque virgarum color efficitur, dum cortex et ex parte subtrahitur, et ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostræ oculos præcedentium patrum sententiæ quasi virgæ variæ ponuntur, in quibus dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus, et dum plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem servamus. Dumque ab ipsis cortex litteræ subducitur, allegoriæ candor interior demonstratur, et dum cortex relinquitur, exteriora intelligentiæ virentia exempla monstrantur. Quas bene Jacob in aquæ canalibus posuit; quia et Redemptor noster in libris eas sacræ scientiæ, quibus nos intrinsecus infundimur, fixit. Has aspicientes arietes cum ovibus coeunt, quia rationales nostri spiritus, dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibuscunque actionibus permiscentur, ut tales fetus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident, et diversum colorem proles boni operis habeat, quia et nonnunquam subtracto litteræ cortice acutius interna considerat, et reservato nonnunquam historiæ tegmine bona in exterioribus format.

CAP. LXV. — *De Laban qui persequens cum furore Jacob, sua apud eum idola requisivit* (*Gen.* XXXI, 33, 34).

Cum de diaboli tentationibus, et Ecclesiæ virtutibus tractaretur in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 72), adjunctum est : *De Laban qui persequens cum furore Jacob*, etc. — Laban quippe interpretatur dealbatio; dealbatio autem diabolus non inconvenienter accipitur, qui cum sit tenebrosus ex merito, transfigurat se in angelum lucis. Huic servivit Jacob, id est ex parte reproborum Judaicus populus, ex cujus carne incarnatus Dominus venit. Potest etiam per Laban mundus hic exprimi, qui cum furore Jacob persequitur; quia electos quosque, qui Redemptoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur. Hujus filiam, id est sive mundi sive diaboli, Jacob abstulit, cum sibi Christus Ecclesiam ex gentilitate conjunxit; quam et de domo patris abstulit, qui ei per Prophetam dicit : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11). Quid vero in idolis, nisi avaritia designatur? Unde et per Paulum dicitur : *Et avaritia, quæ est idolorum servitus* (*Col.* III, 5). Laban ergo veniens apud Jacob idola non invenit, quia ostensis mundi thesauris, diabolus in Redemptore nostro vestigia concupiscentiæ terrenæ non reperit. Sed quæ Jacob non habuit, ea Rachel sedendo cooperuit. Per Rachel quippe quæ et ovis dicitur, Ecclesia figuratur. Sedere autem, est humilitatem pœnitentiæ appetere, sicut scriptum est : *Surgite postquam sederitis* (*Psal.* CXXVI, 2). Rachel ergo idola sedendo operuit, quia sancta Ecclesia Christum sequens terrenæ concupiscentiæ vitia pœnitendo texit. De hac coopertione vitiorum per Prophetam dicitur : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). Nos igitur Rachel illa signavit, qui idola sedendo premimus, si culpas avaritiæ pœnitendo damnamus. Quæ utique avaritia illis non solet evenire, qui in via Domini viriliter currunt; quibus dicitur : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (*Psal.* XXX, 25); sed his maxime qui quasi effeminato gressu gradientes, per blandimenta sæculi resolvuntur; unde et illic ejusdem Rachelis hæc verba sunt : *Juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi*. Apud Jacob ergo idola Laban non reperit, quia exactor callidus quid in Redemptore nostro reprehenderet non invenit.

CAP. LXVI. — *De luctatione Jacob cum angelo* (*Gen.* XXXII, 24).

Dum de virtute et utilitate contemplationis tractaretur in comment. Ezech. l. II, hom. 2 (*Num.* 12), adjunctum est : *De luctatione Jacob cum angelo*. — Magna est in contemplativa vita mentis contentio, cum sese ad cœlestia erigit, cum in rebus spiritualibus animum tendit, cum transgredi nititur omne quod corporaliter videtur, cum sese angustat, ut dilatet. Et aliquando quidem vincit, et reluctantes tenebras suæ cæcitatis exsuperat, ut de incircumscripto lumine quiddam furtim et tenuiter attingat. Sed tamen ad semetipsam protinus reverberata revertitur, atque ab ea luce, ad quam respirando transit, ad suæ cæcitatis tenebras suspirando atque lamentando redit. Quod bene sacra historia designat, quæ beatum Jacob cum angelo luctatum narrat. Cum enim ad parentes proprios rediret, in via angelum invenit, cum quo in lucta magnum certamen habuit. Is enim qui certat in luctamine, aliquando superiorem se, aliquando vero eum, cum quo contendit, inferiorem invenit. Designat ergo angelus Deum, et Jacob qui cum angelo contendit, uniuscujusque perfecti viri et in contemplatione positi animam exprimit, quia videlicet anima, cum contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modo quasi exsuperat, quia intelligendo et sentiendo de incircumscripto lumine aliquid degustat, modo vero succumbit, quia et degustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed notandum quod idem victus angelus nervum femoris Jacob tetigit, eumque marcescere statim fecit, atque ab eo tempore Jacob uno claudicavit pede, quia scilicet omnipotens Deus cum jam per desiderium et intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit. Et qui prius quasi duobus pedibus innitentes, et Deum videbamur quærere et sæculum tenere, post agnitionem suavitatis Dei, unus in nobis pes sanus remanet, atque alius claudicat; quia videlicet necesse est ut debilitato amore sæculi, solus in nobis amor convalescat Dei. Si ergo tenemus angelum, uno claudicamus pede, quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul

dubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet, quia et si cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet, et in ipso stat, quia pedem amoris sæculi quem ponere in terra consueverat, jam a terra suspensum portat. Et nos ergo, si ad parentes proprios, id est ad spirituales patres redimus, teneamus in via angelum, ut suavitate intima apprehendamus Deum. Contemplativæ etenim vitæ amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsum animum rapit, cœlestia appetit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, et spiritualia mentis oculis patefacit, corporalia abscondit. Unde bene Ecclesia in Canticis canticorum dicit: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v, 2). Vigilanti etenim corde dormit, qui per hoc quod interius contemplando proficit, a pravo foris opere quiescit.

CAP. LXVII. — *Item unde supra.*

In expositione beati Job, lib. IV (*Num.* 67): — Jacob qui angelum tenuit, uno pede mox claudicavit, quia [a] qui vero amore sublimia respicit, jam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis nescit. Uno enim pede innititur, qui solo amore Dei roboratur. Et necesse est, ut alius marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet procul dubio ut carnis fortitudo torpescat. Unde et Propheta cum visionem Dei conspexisse se diceret, adjungit: *Elangui et ægrotavi per dies plurimos* (*Dan.* VIII, 27), quia cum ad virtutem Dei mens stringitur, a fortitudine propria caro lassatur.

CAP. LXVIII. — *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII, 30).

Dum de visione Dei qualiter intelligenda sit tractaretur in expos. beati Job, l. XXIV (*Num.* 11, 12), adjunctum est: *Vidi Dominum facie ad faciem*, etc. — Dum ipsa per se Veritas dicit: *Nemo vidit faciem meam unquam* (*Exod.* XXXIII, 23), quomodo Jacob testatur, dicens: *Vidi Dominum facie ad faciem?* Humanæ etenim mentis oculo interiori purgato, dum vitiorum omnium tribulationis igne ærugo fuerit concremata, tunc mundatis oculis cordis, illa lætitia patriæ cœlestis aperitur, ut prius purgemus lugendo quod fecimus, et postmodum manifestius contemplemur per gaudia, quod quæramus. Prius a mentis acie, exurente tristitia, interposita malorum caligo detergitur, et tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur. Quo utcunque conspecto, in gaudium cujusdam securitatis absorbetur, et quasi post defectum vitæ præsentis ultra se rapta aliquo modo in quadam novitate vitæ recreatur. Ibi mens ex immenso fonte infusione superni roris aspergitur, ubi non se sufficere ad id quod rapta est contemplatur, et veritatem sentiendo, videt, quia quanta est ipsa veritas non videt. Cui veritati tanto magis se longe existimat, quanto magis appropinquat, quia nisi illam utcunque conspiceret, nequaquam eam conspicere se non posse sentiret. Adnisus ergo animi dum in illam intenditur, immensitatis ejus coruscante circumstantia reverberatur. Ipsa quippe cuncta implens, cuncta circumstat, et idcirco mens nostra nequaquam se ad comprehendendam incircumscriptam substantiam dilatat, quia eam inopia suæ circumscriptionis angustat. Unde et ad semetipsam citius labitur, et prospectis quasi quibusdam veritatis vestigiis ad sua ima revocatur. Hæc ipsa tamen per contemplationem facta, non solida et permanens visio, sed ut ita dixerim, quasi quædam visionis imitatio Dei facies dicitur. Quia enim per faciem quemlibet cognoscimus, non immerito cognitionem Dei faciem ejus vocamus. Hinc ergo Jacob postquam cum angelo luctatus est, ait: *Vidi Dominum facie ad faciem*, ac si diceret: Cognovi Dominum, qui me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissime fieri Paulus in fine testatur, dicens: *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII, 12).

CAP. LXIX. — *Egressa est Dina, ut videret mulieres regionis illius; quam cum videret Sichem filius Emor Evei, princeps terræ illius, adamavit, et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem; et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque blanditiis delinivit.* (34)

Cum de cavenda mentis vagatione tractaretur in codice Regulæ Pastoralis (III *part.*, *c.* 29, *adm.* 30), adjunctum est: *Egressa est Dina*, etc. — Dina, ut mulieres videat alienæ regionis, egreditur quando unaquæque mens sua studia negligens, actiones alienas curans, extra habitum atque extra ordinem proprium vagatur. Quam Sichem princeps terræ opprimit, quia videlicet inventam in curis exterioribus diabolus corrumpit. Et conglutinata est anima ejus cum ea: quia unitam sibi per iniquitatem respicit. Et quia cum mens a culpa resipiscere atque admissum flere conatur, corruptor autem spes ac securitates vacuas ante oculos revocat, quatenus utilitatem tristitiæ subtrahat, recte illic adjungitur: *Tristemque blanditiis delinivit.* Modo enim aliorum facta graviora, modo nihil esse quod perpetratum est, modo misericordem Dominum loquitur, modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur, ut dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur, quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant, et tunc plenius obruatur suppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis.

CAP. LXX. — *De talari tunica Joseph* (*Gen.* XXXVII, 24).

Cum de perseverando in bono opere tractaretur in expos. beati Job, lib. I (*Num.* 55), adjunctum est: *De talari tunica Joseph.* — Joseph qui inter fratres undecim usque ad finem justus perseverasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Quid est ergo talaris tunica, nisi actio consummata? quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ nos terminum tegit. Unde et per Moysem caudam bestiæ in altari offerri præcipitur (*Exod.* XXIX, *Lev.* III), ut videlicet omne bonum cum incipimus, etiam perseveranti fine compleamus.

CAP. LXXI. — *Ecce somniator noster venit; venite, occidamus eum, et videamus quid illi proderunt somnia sua* (*Gen.* XXXVII, 20).

Dum de perversis cogitationibus reprobarum mentium, contra dispositionis internæ præscientiam tractaretur, in expos. beati Job, l. VI (*Num.* 28, 29), adjunctum est: *Ecce somniator noster venit*, etc. — Sæpe nonnulli humana sapientia inflati, dum desideriis suis divina judicia contraire conspiciunt, astutis eis reluctari machinationibus conantur, et quo ad votum suum vim supernæ dispositionis intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt. Sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt, atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur; quia sæpe et hoc ejus dispositioni apte militat, quod ei per humanum studium frivole resultat, sicut scriptum est: *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum* (*Job.* V, 13). In astutia namque sua sapientes comprehendit; quando ejus consiliis humana facta, etiam tunc congrue serviunt cum resistunt. Unde et per Psalmistam dicitur: *Novit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* (*Psalm.* XCIII, 11). Quod melius ostendimus, si pauca ad medium gestarum rerum exempla proferamus. Joseph somnium viderat, quod suo manipulo fratrum ejus se manipuli prosternebant: somnium viderat quod sol ac luna se

[a] Ab his verbis incipit caput in Mss.

cum reliquis stellis adorabant. Quæ quia pure fratribus retulit, eorum corda protinus futuræ damnationis invidia pavorque percussit. Cumque ad se hunc venire conspicerent, malitia sævientes dixerunt : *Ecce somniator ille venit ; venite, occidamus eum, et videamus quid illi proderunt somnia sua.* Cumque se ejus dominio subjici metuunt, somniatorem in puteum deponunt, eumque Ismaelitis transeuntibus vendunt. Qui in Ægypto ductus servituti subditus, luxuriæ accusatione damnatus, castitatis merito adjutus, prophetiæ judicio ereptus, omni Ægypto prælatus est : per supernam vero sapientiam providus, frumenta congessit, et futuro periculo necessitatis obviavit. Cumque in orbem fames inhorruit, de alimentorum præparatione sollicitus, Jacob filios in Ægyptum misit, qui frumentorum dispensationi præpositum Joseph nescientes inveniunt, atque ut mererentur alimenta percipere, ejus dispensatorem compulsi sunt, pronis in terram cervicibus adorare. Pensemus ergo quomodo cogitationes hominum in ipsa sua provisione vis divina comprehendat. Ideo ab eis Joseph venditus fuerat, ne adoraretur, sed ideo est adoratus, quia venditus. Astute namque aliquid agere ausi sunt, ut Dei consilium mutaretur : sed divino judicio, quod declinare conati sunt, renitendo servierunt. Inde quippe coacti sunt Dei voluntatem peragere, unde hæc moliti sunt astute commutare. Sic sic divinum consilium dum devitatur, impletur ; sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres ne Joseph super eos excresceret : sed hoc quod divinitus dispositum fuerat, cavendo actum est ut eveniret. Humana ergo sapientia in seipsa comprehensa est, quæ voluntati Dei unde per intentionem restitit, inde ejus impletioni militavit. Sic Saul dum David subjectum quotidiano succrescere virtutum successu conspiceret, suam ei in conjugium filiam spopondit, atque in ejus dotem centum dari ab eo Philisthinorum præputia petiit, ut cum provocatus miles, ultra se excrescere quæreret, inimicorum gladiis traditus vitam finiret, sicut scriptum est : *Non habet necesse rex sponsalia, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis* (*I Reg.* XVIII, 25). Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum, sed David dispositionis intimæ favore roboratus, centum se dare perhibuit, et ducenta præputia reportavit. Cujus nimirum operis. Saul argumento superatus, superna providentia in sapientiæ suæ est consilio comprehensus, quia unde succrescentis militis vitam se exstinguere credidit, virtutis ejus gloriam inde cumulavit. Sed quia nonnunquam astute se aliquid sapere etiam electi moliuntur, libet ad medium alium sapientem deducere, et quo sinu interni consilii astutia mortalium comprehenditur, demonstrare. Prudenter quippe Jonas sapere voluit, cum ad prædicandam Ninivitatem pœnitentiam missus, quia electis gentibus Judæam deseri timuit, prædicationis officium implere recusavit, navem petiit, fugere Tharsis elegit; sed protinus tempestas exoritur, sors mittitur, ut videlicet cognoscatur, cujus culpa mare turbetur. Jonas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, ceto sorbente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quo ire sponte contempsit (*Jonæ*, I, II, III). Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit, et quia auctoris voci obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Jubente Deo ministrare homo prophetiam noluit, aspirante Deo bellua prophetam vomuit. Intorquet ergo Deus prudentiam hominum ad ministerium suum, quando et hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit. Perscrutemur adhuc Hebræorum sapientiam, et videamus quid providendo, aut quid prohibendo provocavit. Certe cum ad Redemptoris nostri miracula credentium turba conflueret, cum sacerdotes populi invidiæ facibus accensi mundum post eum ire cernerent, et proclamarent, dicentes : *Videtis quia nihil proficimus ? ecce mundus totus post eum abiit* (*Joan.* XII, 19) ; ut ab illo vim tantæ concursionis abscinderent, finire ejus potentiam morte conati sunt, dicentes : *Expedit ut unus homo moriatur, et non tota gens pereat* (*Joann.* XI, 50) ; sed Redemptoris mors ad conjunctionem sui corporis, id est Ecclesiæ valuit, non ad separationem. Redegit ergo et hoc ad pietatis suæ obsequium, quod contra illum humana crudelitas exarsit. Justus namque et misericors mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus, atque ea quæ permittit, sic tolerat, ut hæc in sui consilii usum vertat. Unde miro modo fit, ut et quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia dum in bonum usum mala facta vertuntur, ejus consilio militant etiam, quæ ejus consilio repugnant. Hinc per Psalmistam dicitur : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psalm.* CX, 2). Sic quippe ejus opera magna sunt, ut per omne quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur ; nam sæpe inde perficitur unde repelli putabatur. Hinc rursum dicitur : *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra* (*Psalm.* CXXXIV, 6). Hinc Salomon ait : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI, 30). Restat ergo ut in cunctis quæ agimus, vim supernæ voluntatis inquiramus, cui videlicet et cognitæ, debet nostra actio devote famulari ; et quasi ducem sui itineris persequi, ne ei etiam nolens serviat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis superni consilii nequaquam potest, sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub ejus nutibus refrenat, eique sibi pondera levigat, qui hæc ex subjecto cordis humero volens portat.

CAP. LXXII. — *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habet in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate* (*Gen.* XXXIX, 8).

In [a] expos. beati Job, lib. XXX (*Num.* 38) : — Quisquis mundi hujus successibus elevatus, lenocinante cordis lætitia, tentari se luxuriæ stimulis sentit, Joseph factum ad memoriam revocet, et in arce se castitatis servet. Qui dum sibi a domina conspiceret pudicitiæ damna suaderi, ait : *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habet in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Dominum meum ?* Quibus verbis ostendit, quia bona quæ assecutus fuerat, repente memoriæ intulit, et malum quod pulsabat, evicit. Et quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit. Cum enim voluptas [b] lubrica tentat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda, ut eo erubescamus prava committere, quo nos a Deo meminimus gratuito bona percepisse, et illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, ut sint ante oculos quæ percepimus, et quæque nos illiciunt, subigamus. Quia enim voluptas ipsa ex prosperitate nascitur, ejus prosperitas est consideratione ferienda, quatenus hostis noster unde oritur, inde moriatur. Considerandum quippe est, ne acceptum munus vertamus in vitium, ne per favorem vitæ nos absorbeat vorago nequitiæ. Iram namque contra nos superni judicis inexstinguibiliter accendimus, si contra benignitatem illius etiam et ipsa sua largitate pugnamus.

CAP. LXXIII. — *At ille relicto in manus ejus pallio*

[a] In nostris Mss. non habet alium titulum hoc caput, nec aliud præmittitur sententiæ Gregorianæ.

[b] In Excusis corruptissime, *voluntas lubrica tentat in prospera aculeo tentationis opponenda;* et infra *adeo*, pro *a Deo*. Hæc vitia editionis Vaticanæ retinuit Gussanvillæus, et auxit.

fugit, et egressus est foras (*Gen.* XXXIX, 12).

Dum de permanenti in Judæorum cordibus velamine tractaretur in expos. beati Job, l. II (*num.* 59), adjunctum est: *At ille relicto in manus ejus pallio fugit*, etc. — Cum mulier adultera Joseph male uti voluisset, relicto pallio fugit foras, quia dum Synagoga Dominum, purum hominem credens, quasi adulterino complexu constringere voluit, ipse tegmen litteræ ejus oculis reliquit, et ad cognoscendam suæ divinitatis potentiam, conspicuum se gentibus præbuit. Unde et Paulus dicit: *Usque hodie cum legitur Moyses, velamen est super cor eorum* (*I Cor.* III, 12). Quæ videlicet mulier adultera apud semetipsam pallium retinuit, et quem male tenebat, nudum amisit.

CAP. LXXIV. — *Intravit Jacob in Ægyptum cum animabus septuaginta* (*Gen.* XLVI, 27).

[d] In expositione beati Job, libro tertio (*Num.* 22): — Sæpe sacra Scriptura partem pro toto ponere consuevit, sicut: intravit Jacob in Ægyptum cum animabus septuaginta. Quæ nimirum cum animas memorat, constat quia intrantium corpora comprehendit.

CAP. LXXV. — *Quod Ægyptii, Joseph gubernante, priusquam Pharaoni inopia jure servitii subderentur, ad esum frumenta perceperunt; postquam vero semetipsos urgente fame in famulos vendiderunt, tunc frumenta ad semen acceperunt* (*Gen.* XLVII).

Dum de remuneratione fixe servientium tractaretur, in expos. beati Job, lib. VI (*Num.* 55), adjunctum est: *Quod Ægyptii, Joseph gubernante*, etc. — Ægyptii servitio publico, Joseph dispensante, subjecti, cum juri regis semetipsos tradentes humiliant, frumenta etiam ad semen reportant. Frugem quippe ad esum etiam liberi accipimus, cum et sacro eloquio pascimur, et tamen ad quædam quæ in hoc mundo appetimus, in nostris voluptatibus vacamus. Sed servi facti et ad semen frumenta percipimus, quia dum plene Deo subdimur, etiam verbo prædicationis replemur.

CAP. LXXVI. — *Isachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum ad portandum* (*Gen.* XLIX, 14).

Dum de gentilitatis operibus tractaretur in expos. beati Job, l. I (*Num.* 24), adjunctum est: *Isachar asinus fortis accubans inter terminos*, etc. — Inter terminos accubare, est præstolato mundi fine requiescere, nihilque de his, quæ nunc in medio versantur, quærere, sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem ac terram optimam videt, cum simplex gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad æternæ vitæ patriam tendit. Quæ ad portandum humerum apponit, quia conspecta superna requie, præceptis etiam gravibus in operatione Deo se subjicit, et quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostenditur.

CAP. LXXVII. — *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX, 17).

Dum de adventu et operationibus Antichristi tractaretur in expos. beati Job, lib. XXXI (*Num.* 43), adjunctum est: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, etc. — Quid hoc loco equi nomine, nisi præsens sæculum designatur? quo in testimonio quid equus significet, cujus ungulas coluber mordet melius ostendimus, si et ea quæ circumstant, paulo subtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quod hoc loco Dan et coluber asseritur et mordens. Unde non immerito dum Israeliticus populus terras in castrorum partitione susciperet, primus Dan ad Aquilonem castrametatus est (*Num.* II, 25), illum scilicet signans, qui in corde suo dixerat: *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13). De quo et per prophetam dicitur: *A Dan auditus est fremitus equorum ejus* (*Jerem.* VIII, 16). Qui non solum coluber, sed etiam cerastes vocatur: *cerata* enim græce cornua dicuntur. Serpens hic cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristi adventus asseritur; quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armatur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quam viam? Fit ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur; sed in via mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita, quia quos fideles reperit, et sese ad præcepti cœlestis angusta itinera constringentes, non solum nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit, et in persecutionis angore, post beneficia fictæ dulcedinis, exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursum labentium temporum spumat, et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere, est extrema sæculi feriendo contingere, ut cadat ascensor ejus retro. Ascensor equi est quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur et non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur. In facie enim cadere, est in hac vita suas unumquemque culpas cognoscere, easque pœnitendo deflere. Retro vero quo non videtur cadere, est ex hac vita repente decedere, et ad quæ supplicia ducatur ignorare. Et quia Judæa erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum exspectat, bene Jacob eodem loco repente in electorum vocem conversus est, dicens: *Salutare tuum exspectabo, Domine* (*Gen.* XLIX, 18); id est, non sicut infideles Antichristum, sed eum, qui in redemptionem nostram venturus est, verum credo fideliter Christum.

CAP. LXXVIII. — *Item unde supra.*

Dum de reproborum interitu, et electorum humilitate tractaretur in comment. Ezechielis lib. I, hom. 9 (*Num.* 4, 5), adjunctum est: — [a] Quærendum nobis est, cur Paulus pergens Damascum, superno illustratus lumine in faciem cadit, et de ascensore equi, id est hujus mundi gloria elato dicitur: Ut cadat ascensor ejus retro: quia de persecutoribus Domini scriptum est: *Abiere retrorsum, et cecidere in terram* (*Joan.* XVIII, 6). Quid est hoc quod electi in faciem, et reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis qui post se cadit, ibi procul dubio cadit, ubi non videt? Iniqui ergo quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt ubi quid eos sequitur modo videre non possunt. Justi vero, quia in istis visibilibus semetipsos sponte dejiciunt ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur.

CAP. LXXIX. — *Benjamin lupus rapax mane comedit prædam, et vespere dividet spolia* (*Gen.* XLIX, 27).

Dum de persecutione et doctrina Pauli apostoli tractaretur in expos. beati Job, lib. XVIII (*Num.* 25), adjunctum est: *Benjamin lupus rapax mane comedit prædam*, etc. — Quis hoc loco Benjamin nomine, nisi Paulus apostolus designatur? De Benjamin stirpe genitus, qui mane comedit prædam; quia in primordiis suis fideles quos potuit rapiens, crudelitati propriæ satisfecit, vespere spolia dividit, quia fidelis postmodum factus, sacra eloquia exponendo distribuit.

[a] Hoc caput in Mss. nostris desideratur.

[b] Gravissimo errore in Ed., *verendum*, cum in Mss. tum Paterii tum hom. in Ezech. legatur, *quærendum*. Alia autem lectio nullum sensum patitur.

LIBER SECUNDUS

De Testimoniis libri Exodi.

CAPUT PRIMUM. — *Quia timuere obstetrices Deum, ædificavit illis domos* (*Exod.* I, 21).

Cum de cavendo mendacio tractaretur in exposit. beati Job, lib. XVIII (*Num.* 5, 6), adjunctum est : *Quia timuere obstetrices Deum*, etc. — Summopere cavendum est omne mendacium, quamvis nonnunquam sit aliquod mendacii genus culpæ levioris, si quisquam vitam præstando mentiatur. Sed quia scriptum est : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Et : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7): hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ ; quanquam hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hæc facile abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur (22, *quæst.* 2, *cap.* 20, 51, Quælibet) ? Nonnulli vero ex obstetricum fallacia conantur asserere hoc mendacii genus non esse peccatum, maxime quod illis mentientibus scriptum est : *Quia ædificavit eis Dominus domos* (*Exod.* I). In qua magis recompensatione cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, pro admissa culpa mendacii in terrenam est recompensationem declinata, ut in vita sua quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt bona reciperent, et ulterius quod exspectarent, mercedis suæ præmium non haberent. Nam et si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe conatæ sunt infantium vitam tegere, mentiendo suam.

CAP. II. — *De Moyse quod, Ægyptio dum in desertum recessisset, visionem vidit de flamma in rubo* (*Exod.* II).

Dum de appetenda mentis quiete, et vitando tumultu curarum sæcularium tractaretur in expos. beati Job, lib. XXVIII (*Num.* 37), adjunctum est : *De Moyse quod occiso Ægyptio dum in desertum recessisset*, etc. — Moyses admistus Ægyptiis quasi vigilabat, et idcirco vocem Domini in Ægypto positus non audiebat. Sed exstincto Ægyptio postquam in desertum fugit, illic dum quadraginta annis degit, quasi ab inquietis terrenorum desideriorum tumultibus obdormivit, atque idcirco divinam vocem percipere meruit, quia per supernam gratiam quanto magis ab appetendis exterioribus torpuit, tanto verius ad cognoscenda interiora vigilavit (*Num.* 40). Cum ab externis actionibus mens sopitur, tunc plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur. Tunc verba Dei mens vivacius penetrat, cum ad se admittere curarum sæcularium tumultus recusat. Male autem homo vigilat, quando eum sæcularium negotiorum æstus insolenter inquietat. Aurem quippe cordis terrenarum cogitationum turba dum perstrepit, claudit, atque in secretarium mentis, quanto minus curarum tumultuantium sonus compescitur, tanto amplius vox præsidentis judicis non auditur. Neque enim perfecte homo sufficit ad utraque divisus, sed dum sic interius erudiri appetit ut tamen exterius implicetur, unde exterius auditum aperit, inde interius obsurdescit.

CAP. III. — [a] *Item unde supra.*

Ex hom. 7, in Ezechielem (*Num.* 10) : — Moyses enim cum de ardenti rubo vocatus fuisset, accessit propius ut videret visum, et ecce rubus ardebat, et non consumebatur. Magnum est hoc miraculum. Si solam in eo historiam requiras, est unde A legentis nutriatur animus, ut videas quod in ligno ignis ardeat et non consumat. At vero si typicam intelligentiam quæras, quid flamma nisi legem, de qua scriptum est : *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII, 82) ? et quid rubus ille, nisi Judaicum populum designavit, peccatorum suorum spinis obsitum ? Sed rubus ardens consumi non potuit, quia Judaicus populus et ignem quidem legis accepit, et tamen peccatorum suorum spinas non deseruit, nec ejus vitia divini sermonis flamma concremavit. Fortasse in hoc facto alius majora per typum contemplari desiderat. Hujus quia sensus excrescit, elevantur pariter et rotæ. Inter homines enim pariter perfectus homo factus est unicus Dei filius, qui sua peccata non habuit, sed spinas nostræ nequitiæ suscepit, atque usque ad passionem pro nobis se humiliare dignatus est, et in semetipsum ignem tribulationis nostræ suscipere. Sed arsit et non arsit, quia etsi ex humanitate est mortuus, tamen immortalis ex divinitate permansit. Suscepit a nobis unde sacrificium B fieret pro nobis, et tamen impassibilis atque incommutabilis permansit in propriis, ut nos commutaret a nostris.

CAP. IV. — *De flamma in rubo.*

Dum de divinis mysteriis per significationem gestis tractaretur in expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 8), adjunctum est : *De flamma in rubo.* — Sæpe simul et terrenis et cœlestibus junctis substantiis per angelos loquitur Deus, sicut ad Moysen in monte, cum jussionis suæ verba edidit, ignem rubumque sociavit, atque aliud superius, aliud inferius junxit. Quod tamen tunc solum agitur, cum ex ipsa aliquid conjunctione signatur. Nam per succensum rubum Moysen alloquens, quid aliud ostendit nisi quod ejus populi ductor fieret, qui et legis flammam periceret, et tamen peccati spinam nequaquam vitaret ? Vel quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis, carnis nostræ dolores quasi rubi spinas acciperet, et inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa divinitatis flamma servaret ?

CAP. V. — *Quod plebi Israeliticæ Chanaum terra promittitur* (*Exod.* III, 8).

Dum de dispensatoria invitatione noviter ad fidem venientium, in cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 26, *admon.* 27), tractaretur, adjunctum est : *Quod plebi Israeliticæ Chanaan terra promittitur.* — Considerandum est, quod præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur ut ad meliorem vitam provocet, aliquando vero ut in æternum plenius damnet. Hinc est enim quod plebi Israeliticæ Chanaan terra promittitur, ut quandoque ad æterna speranda provocetur. Neque enim rudis ille populus promissionibus Dei in longinquum crederet, si a promissore suo non etiam a vicino aliquid percepisset. Ut ergo ad æternorum fidem certius roboretur, nequaquam solummodo spe ad res, sed rebus quoque ad spem trahitur. Quod liquido Psalmista testatur, dicens : *Dedit eis regionem* D *gentium, et labores populorum possiderunt, ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant* (*Psal.* CIV, 44, 45).

CAP. VI. — *Item unde supra.*

In exposit. Evangelii, homilia 32 (*Num.* 6) : — Israelitico populo ex Ægypti terra liberando, repromissionis terra promittitur ; et cum vocandus esset, ad dona cœlestia terrenis promissionibus suadetur. Cur hoc ? nisi cum esset aliquid quod e vicino perciperet, illud jam fidelius crederet, quod de longinquo

[a] In Mss. nostris caout hoc minime legitur.

audire potuisset. Quod tamen si subtiliter attendamus, quanta dispensatione pietatis sit actum, agnoscimus. Rudi enim populo etiam de præsenti vita aliquid promittendum fuit, ut possint robustius in futuro solidari. Carnalis etenim populus, si parva non aceiperet, magna non crederet. Omnipotens ergo Deus largiendo terrena, suadet ad cœlestia, ut percipiens, quod videret, sperare disceret quod minime videbat. Et tanto solidior de invisibilibus fieret, quanto eum ad spei certitudinem visibilia promissa fulcirent.

CAP. VII. — *Quod angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo angelus, modo Dominus memoratur* (*Exod.* III).

Dum de [a] administrato per angelum ministerio tractaretur in expositione beati Job (*Num.* 3, *præfat.*), adjunctum est : *Quod angelus qui Moysi apparuisse describitur*, etc. — Quid est hoc quod visio quæ Moysi in eremo apparuisse describitur, modo angelus, modo Dominus memoratur, [b] nisi hoc angelus, propter quod exterius loquendo serviebat, Dominus autem, quia interius præsidens, loquendi efficaciam ministrabat? Cum ergo loquens ab interiore regitur, et per obsequium angelus, et per inspirationem Dominus memoratur.

CAP. VIII. — *Quod Moyses tunc ad liberandum populum missus est, cum jam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus* (*Exod.* III, 7, 8).

Cum de cavendis prosperitatibus, appetendo tentationum exercitio tractaretur in exposit. beati Job, lib. XXVI (*Num.* 20, 21), adjunctum est : *Quod Moyses tunc ad liberandum populum missus est*, etc. — Sparsis foris mentibus ad semetipsas redire difficile est, quia prava itinera semel captas, tanto delectabiliter tenent, quanto in eis omne quod libuerit, licet. Nullus quippe disciplinæ murus obviat qui constringat, nulla retributionis prospicitur pœna quæ terreat, sed clausis oculis cordis, eo anima præcipitatur in infimis, quo obscurantur a summis, et tanto securius mala temporalia perpetrat, quanto durius bona æterna desperat. Sed ista reproborum nequitia, trituræ more electorum vitam, quasi grana a paleis separans, premit ut purget. Mali enim bonos magis ab hujus mundi desideriis expediunt, dum affligunt, quia dum multa eis hic violenta ingerunt, festinare illos ad superna compellunt. Quod bene de Israelitico populo Moyse vocante, et Pharaone rege sæviente signatum est. Tunc namque Moyses ad vocandum missus est, cum jam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus, ut Israelitarum mentes Ægypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret, quasi traheret, alius quasi impelleret dum sæviret, et plebs in servitio turpiter fixa, vel provocata bonis, vel malis impulsa moveretur. Hoc quotidie agitur, dum prædicatis cœlestibus præmiis sævire in electos reprobi permittuntur : ut si ad promissionis terram vocati exire negligimus, pressuris saltem sævientibus impellamur; atque hæc Ægyptus, videlicet vita præsens quæ nos oppressit blandiens, adjuvet premens; et quæ dum fovit, servitutis jugo conterat, libertatis viam, dum cruciat, ostendat. Hæc itaque causa est quod ab injustis justi sinuntur affligi, ut scilicet dum futura audiunt, bona quæ cupiant, patiantur etiam mala præsentia quæ perhorrescant, atque ad faciliorem exitum dum amor provocat, cruciatus impellat.

CAP. IX. — *Quid est quod tenes in manu tua? Respondit : Virga. Ait : Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitque Dominus : Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit et tenuit, versaque est in virgam* (*Exod.* IV, 2, 3).

Dum de miraculorum mysteriis per virgam in desacro eloquio [c] a Moyse exhibitis tractaretur in comment. Ezech., adjunctum est : *Quid est quod tenes in manu tua?* etc. — Quid per Moysen, nisi populus Judaicus? Et quid virga, nisi potestas Divinitatis? Quid per serpentem nisi mortalitas nostri Redemptoris exprimitur? Quia enim per serpentem mors, recte mortalitas in serpente signatur. Vel certe cum scriptum sit : *Estote prudentes sicut serpentes* (*Matth.* X, 16). Et quia ipsa summa prudentia, id est Dei sapientia incarnari dignata est, recte ejus mortalitas in serpente figuratur? Unde et in Evangelio de passione sua loquitur, dicens : *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* (*Joan.* III, 14). Moyses ergo virgam tenuit, quia Judaicus populus ante Redemptoris adventum, in divina potestate confisus est. Sed virgam in terram projecit, quia idem populus per patriarchas ac prophetas Deum incarnandum esse nuntiavit. Virga vero in colubrum vertitur, quia Redemptor noster Deus in se permanens, mortalis inter homines factus est. Sed Moyses colubrum conspiciens pertimuit et fugit, quia Judaicus populus dum Redemptorem humani generis mortalem vidit, Deum credere expavit. Cur jubetur ut colubrum cauda teneat? Quia perfidus ille populus qui modo credere recusat, in extrema parte Dominici corporis, id est posteriori tempore sanctæ Ecclesiæ, videlicet in fine mundi, sese ad fidem recolligit et colubrum cauda tenet; quia eum quem mortalem ante despexerat, Redemptorem suum in ultima jam parte Ecclesiæ confitetur. Sed mox serpens in virgam redit, quia statim ut Judaicus populus in Redemptore nostro crediderit, idem Redemptor ad Judaicum populum in potestate suæ divinitatis apparebit, ut ei jam serpens virga sit; quia is qui in terra homo despectus est, de cœlo veniens, super angelos videbitur Deus.

CAP. X. — *Videat Dominus, et judicet, quoniam fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, et servis ejus* (*Exod.* V, 21).

Cum de incrementis tentationum tractaretur in expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 44), adjunctum est : *Videat Dominus, et judicet*, etc. — Cum lux divinitus missa humanum cor fuerit illustrare dignata, mox ab occulto adversario contra fulgentem mentem tentamenta succrescunt. Nam callidus hostis quos luce justitiæ enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, ut plerumque plus se urgeri tentationibus sentiant, quam tunc cum lucis internæ radios non videbant. Unde et Israelitæ postquam vocati sunt, contra Moysen et Aaron de excrescenti labore conqueruntur, dicentes : *Videat Dominus, et judicet, quoniam fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, et servis ejus, et præbuistis ei gladium ut interficeret nos.* Volentibus quippe ex Ægypto discedere, Pharao paleas subtraxerat, et tamen ejusdem mensuræ opera requirebat. Quasi ergo contra legem mens submurmurat, post cujus cognitionem, tentationum stimulos acriores portat. Et cum sibi labores crescere conspicit, in eo quod adversario displicet, quasi fetere se in oculis Pharaonis dolet.

CAP. XI. — *Item unde supra.*

[d] In exposit. Ezech. lib. I, hom. 12 (*Num.* 24) : — In Moyse enim et Aaron lex et prophetæ figurati sunt. Et sæpe apud se infirmus animus quasi contra sacra eloquia murmurat, quia postquam verba cœlestia audire, et sequi cœperit, regis Ægyptii adversitas, id est maligni spiritus tentatio excrescit. Debet ergo vigilanter doctor proficienti animæ, quæ illam tentationes sequantur, immotescere, ut cautam se valeat contra maligni spiritus insidias præparare.

CAP. XII. — *Ecce constitui te Deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1).

Dum de Dei vocabulo tractaretur, l. I, hom. 8

[a] In Mich. Cod. : *de divinis ministratis per angelum ministeriis.*

[b] Ibid., *nisi quod hoc angelus.*

[c] In Ms. Michael. non assignatur quota homilia. Certe in hom. 10, in Editis indicata, non reperitur, nec in homilia 4 quam laudat Ms. Gemet.

[d] Omittitur in nostris Mss. hoc caput.

(*Num.* 3), in Ezechielem, adjunctum est : *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* — In Scriptura sacra aliquando Deus nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative enim dicitur, sicut nunc ad Moysen dictum est : *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Et sicut iterum Moyses ait : *Si quis homo hoc vel illud fecerit, applica illum ad deos* (*Exod.* XXII, 8), videlicet ad sacerdotes. Qui rursum dicit : *Diis non detrahes* (*Ibidem*), id est sacerdotibus. Et sicut Psalmista : *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos discernit* (*Psal.* LXXXI, 1). Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ipse ad Moysen dicit : *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* Unde Paulus apostolus, volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere, ait : *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Qui enim nuncupative dicitur Deus, inter omnia ; qui vero essentialiter est Deus, super omnia est. Ut ergo ostenderet Christum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memoravit ; quia et justus quilibet Deus est, sed inter omnia, quia nuncupative Deus ; Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus.

CAP. XIII. — *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro* (*Exod.* VIII, 26).

Dum de appetenda mentis innocentia, quam reprobi ut sibi adversam respuunt, tractaretur in expos. beati Job, l. X (*Num.* 48), adjunctum est : *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro.*—Oves Ægyptii edere dedignantur, sed quod abominantur Ægyptii, hoc Israelitæ Deo offerunt, quia simplicitatem conscientiæ, quam injusti quique velut infimam abjectamque despiciunt, hanc justi in virtutis sacrificium vertunt, et excolentes recti puritatem ac mansuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem putant.

CAP. XIV. — *Item unde supra.*

In commentario Ezechielis, homilia 10. — Perversis hominibus sunt quædam abominationes bonorum operum. Unde Moyses, quia oves Domino mactaturus erat, Ægyptiis dicit : *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro?* Sancti quippe viri Domino oves offerunt, quia simplicitatem suam esse omnipotentis Dei sacrificium ostendunt. Sed oves abominantur Ægyptii, quia cives hujus sæculi aspernantur et despiciunt simplicitatem bonorum. Sicut ergo sunt abominationes malorum operum, quas detestantur boni, ita bonorum operum causæ abominationes sunt reprobis. Unde scriptum est : *Abominantur justi virum impium ; abominantur impii eos, qui in recta sunt via* (*Prov.* XXIX, 27).

CAP. XV. — *Quod Ægyptus muscarum plaga percussa sit* (*Exod.* VIII, 21).

Dum de appetenda quiete mentis, et vitando curarum sæcularium strepitu tractaretur in expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 68), adjunctum est : *Quod Ægyptus muscarum plaga percussa sit.* — Quid in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis æstuare? aut quid hic quietius quam hujus sæculi nihil appetere? Hinc est quod Israeliticus populus custodiam Sabbati accepit in munere ; hinc e contra est Ægyptus muscarum multitudine percussa. Populus namque, qui Deum sequitur, accepit Sabbatum, id est requiem mentis, ut nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Ægyptus vero, quæ hujus mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens et inquietum animal est. In qua quid aliud quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Unde alias dicitur : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti* (*Eccl.* X, 1) ; quia cogitationes superfluæ, quæ assiduæ in animo carnalia cogitante et nascuntur et deficiunt, eam suavitatem qua unusquisque intrinsecus per spiritum unctus est, perdunt, quoniam integritate ejus perfrui non permittunt. Ægyptus ergo muscis percutitur, quia eorum corda, qui terrenam vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, ut ad quietis intimæ desiderium non leventur. Unde cum mira opera pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, et post in eum virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Evangelii historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam principis invitatus Dominus duceretur, protinus additur : *Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus, et surrexit puella* (*Matth.* IX, 25). Foras ergo turba ejicitur ut puella suscitetur, quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima quæ intrinsecus jacet mortua non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit. Nullus quippe sapientiam, quæ Deus est, plene recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Unde alias dicitur : *Sapientiam scribe in tempore otii, et qui minoratur actu, ipse percipiet eam* (*Eccli.* XXXVIII, 25). Et rursum : *Vacate et videte, quoniam ego sum Dominus* (*Psal.* XLV, 11).

CAP. XVI. — *Ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum arboribus fuit* (*Exod.* X, 13, 14).

Cum de cavendis noxiis adulantium laudibus tractaretur in expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* 47), adjunctum est : *Ventus urens levavit locustas*, etc. — Exhibitæ cœlitus Ægyptiæ plagæ exigentibus meritis corporaliter semel illatæ sunt, sed quæ mala pravas mentes quotidie feriant, spiritualiter signaverunt. Eis enim Ægyptus plagis affecta est, in quibus exteriore percussione commota dolensque perpenderet, quæ devastationis damna interius negligens toleraret ; ut dum foris perire minima, sed amplius dilecta cerneret, per eorum speciem quæ intus pertulerat, graviora sentiret. Quid ergo per significationem locustæ portendunt, quæ plusquam cætera minuta quæque animantia humanis frugibus nocent, nisi linguas adulantium quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt? Fructus quippe Ægyptiorum, est operatio cenodoxorum, quam locustæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant. Herbam vero locustæ comedunt, quando adulatores quique verba loquentium favoribus extollunt. Poma quoque arborum devorant, quando vanis laudibus quorumdam jam quasi fortium et opera enervant.

CAP. XVII. — *Induravit Dominus cor Pharaonis* (*Exod.* X).

In expositione beati Job, lib. XXXI (*Num.* 26) : — Non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus ejus meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit.

CAP. XVIII. — *De vasis aureis et argenteis ex Ægypto sublatis* (*Exod.* XII, 35).

Dum de exhibenda condescensione rudibus ad virtutum sublimia vocandis tractaretur in expos. beati Job, lib. XXVIII (*Num.* 41), adjunctum est : *De vasis aureis et argenteis ex Ægypto sublatis.* — Mentes usui vitæ carnalis inhærentes, evelli ab infimis non possunt, nisi gradatim ducta prædicatione proficiant. Hinc quippe est quod in Ægypto positis, pio justoque moderamine, latenti eorum concupiscentiæ condescenditur, et vicinorum suorum vasis aureis argenteisque sublatis, discedere jubentur. Qui ad Sinam

[a] Deest hoc caput in nostris Mss.

montem ducti, accepta lege mox audiunt : *Non concupisces rem proximi tui* (*Exod.* xx, 17). Hinc est quod in eadem lege, oculum pro oculo, dentem pro dente præcipiuntur exigere (*Exod.* xxi, 24), et quandoque tamen revelata gratia, percussa maxilla alteram jubentur præbere (*Matth.* v, 39). Quia enim plus semper ira in vindicta exigit, quam injuria accepit, ut dum discunt mala non multiplicius reddere, quandoque discerent ea et multiplicata sponte tolerare. Hinc est quod eumdem rudem populum a quibusdam prohibuit, quædam vero ei in usum pristinum servavit. Sed hæc ipsa tamen in melioris vitæ figura composuit. Bruta namque animalia idolis in Ægypto mactabant, eisque in usum postmodum animalium mactationem retinuit, sed idolorum cultum vetavit, ut dum de usu suo aliquid amitteret, consolaretur ejus infirmitas per hoc quod de usu suo aliquid haberet. Mira autem dispensatione consilii, quod eis Dominus de consuetudine carnali retinuit, hoc in figuram spiritus potentius vertit. Quid enim sacrificia illorum animalium, nisi Unigeniti mortem designant? Quid sacrificia illorum animalium, nisi exstinctiones carnalis nostræ vitæ significant? Unde ergo imbecillitati populi rudis condescenditur, inde per umbratas allegoriarum species major fortitudo spiritus nuntiatur.

Cap. XIX. — *Sument de sanguine agni, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum, et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni. Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis, nec remanebit ex eo quidquam usque mane. Si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum : renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter* (*Exod.* xii, 7, *seq.*).

Dum de paschali mysterio quod in figura futuræ hujus quæ nunc est solemnitatis præmissum tractaretur in hom. 22 (*A num.* 7 *usque ad finem*) in Evang., adjunctum est : *Sument de sanguine agni, ac ponent super utrumque postem*, etc. Hæc videlicet cuncta magnam nobis ædificationem pariunt, si fuerint mystica interpretatione discussa. Quis namque sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicimus. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius necdum velit, in uno poste sanguinem posuit, qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est. Quid enim spiritualiter domos, nisi mentes nostras accipimus in quibus per cogitationem inhabitamus? Cujus domus superliminare est ipsa intentio, quæ præeminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem dominicæ passionis dirigit, in superliminare domus agni sanguinem ponit. Vel certe domus nostræ, ipsa sunt corpora, in quibus quousque vivimus, habitamus. Et in superliminari domus agni sanguinem ponimus, quia crucem passionis illius in fronte portamus. De quo adhuc agno subditur : *Et edent carnes nocte illa assas igni.* In nocte quippe agnum comedimus, quia in sacramento modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad invicem nostras conscientias non videmus. Quæ tamen carnes igni assandæ sunt, quia nimirum dissolvit ignis carnes quas aqua coxerit; quas vero ignis sine aqua excoquit, roborat. Carnes itaque agni nostri ignis coxit, quia eum ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roboravit. Qui enim ex morte convaluit, videlicet carnes illius ab igne duruerunt. Unde etiam per Psalmistam dicit : *Exaruit velut testa virtus mea* (*Psal.* xxi, 16). Quid namque est testa ante ignem, nisi molle lutum? Sed ei ex igne agitur ut solidetur. Virtus ergo humanitatis ejus velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis crevit, sed sola Redemptoris nostri percepta sacramenta ad veram solemnitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoque et bona opera jungantur. Quid enim prodest, corpus et sanguinem illius ore percipere, et ei perversis operibus contraire? Unde bene adhuc ad comedendum subditur : *Et azymos panes cum lactucis agrestibus.* Panes quippe sine fermento comedit qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet, ne perverse diripiat quod quasi recte dispensatur. Hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actioni miscuerunt, quibus prophetæ voce per increpationem Dominus dicebat : *Venite ad Bethel, et impie agite* (*Amos*, iv, 4). Atque post pauca : *Et sacrificate de fermentato laudem* (*Ibid.*, 5). De fermentato namque laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. Lactucæ vero agrestes valde amaræ sunt. Carnes vero agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, ut dum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho perversæ humorem vitæ. Ubi et subditur : *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua.* Ecce jam nos ipsa verba historiæ ab intellectu historico repellunt. Nunquid Israeliticus populus ille in Ægypto constitutus comedere agnum crudum consueverat, ut ei lex dicat : *Non comedetis ex eo crudum quid?* Ubi et additur : *Neque coctum aqua.* Sed quid aqua, nisi humanam scientiam designat? Juxta hoc quod per Salomonem sub hæreticorum voce dicitur : *Aquæ furtivæ dulciores sunt* (*Prov.* ix, 17). Quid crudæ igni carnes, nisi inconsideratam, ac sine reverentia cogitationis, relictam illius humanitatem significant? Omne enim quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquimus. Sed agni caro nec cruda edenda est, nec aqua cocta, quia Redemptor noster neque purus homo æstimandus est, neque per humanam sapientiam, qualiter incarnari Deus potuit, cogitandus. Omnis enim qui Redemptorem nostrum purum hominem credit, quid est aliud quam agni carnes crudas comedit? Quas videlicet coquere per divinitatis ejus intelligentiam noluit. Omnis vero qui incarnationis ejus mysteria juxta humanam sapientiam discutere conatur, carnes agni vult aqua coquere, id est dispensationis ejus mysterium per dissolutam vult scientiam penetrare. Qui igitur paschalis gaudii solemnitatem celebrare desiderat, agnum nec aqua coquat, nec crudum comedat, ut neque per humanam sapientiam profunditatem incarnationis illius penetrare appetat, neque in eum tanquam in hominem purum credat, sed assas igni carnes comedat, ut dispensari omnia per sancti Spiritus potentiam sciat. De quo adhuc recte subjungitur : *Caput cum pedibus ejus, et intestinis vorabitis.* Sicut supra jam prædiximus, Paulo attestante didicimus, quod caput Christi Deus est (*I Cor.* ii, 3). Caput ergo agni vorare est divinitatem illius fide percipere. Pedes vero agni vorare est vestigia humanitatis ejus amando et imitando perquirere. Quid vero sunt intestina, nisi verborum illius occulta et mystica mandata? Quæ tunc voramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus. In quo devorationis verbo quid aliud quam pigritiæ nostræ torpor reprehenditur? Qui ejus verba atque mysteria, et per nosmetipsos non requirimus, et dicta ab aliis inviti audimus. *Non remanebit ex eo quidquam usque mane;* quia ejus dicta magna sunt sollicitudine discutienda, quatenus priusquam dies resurrectionis appareat, in hac præsentis vitæ nocte omnia mandata illius intelligendo, et operando penetrentur. Sed quia valde est difficile, ut omne sacrum eloquium possit intelligi, et omne ejus mysterium penetrari, recte subjungitur : *Si quid autem remanserit, igne comburetis.* Quod ex agno remanet, igne comburimus; quando hoc, quod de mysterio incarnationis ejus intelligere, et penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reservamus; ut non superbe quis audeat vel contemnere vel denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradit cum sancto Spiritui reservat. Quia igitur qualiter edendum sit pascha cognovimus, nunc a qualibus edi de-

beat, agnoscamus. Sequitur : *Sic autem comeditis illum : renes vestros accingetis.* Quid in renibus, nisi delectatio carnis accipitur? Unde et Psalmista postulat dicens : *Ure renes meos* (*Psal.* XXV, 2). Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos uri minime petiisset. Unde quia potestas diaboli in humano genere maxime per luxuriam prævaluit, de illo voce Dominica dicitur : *Potestas ejus in lumbis ejus* (*Job.* XL, 11). Qui ergo pascha comedit, habere renes accinctos debet, ut qui solemnitatem resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla subjaceat, voluptates edomet, carnem a luxuria restringat. Neque etenim cognovit quæ sit solemnitas incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam corruptioni subjacet. Hæc quibusdam dura sunt, *sed angusta porta est quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 13, 14). Et habemus jam multa exempla continentium. Unde bene adhuc subditur : *Calceamenta habebitis in pedibus.* Quid sunt etenim pedes nostri, nisi opera? Quid vero calceamenta, nisi pelles mortuorum animalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quæ vero sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui patres qui nos ad æternam patriam præcessere? Quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus. Calceamenta ergo in pedibus habere, est mortuorum vitam conspicere, et nostra vestigia a peccati vulnere custodire. *Tenentes baculos in manibus.* Quid lex per baculum, nisi pastoralem custodiam designat? Et notandum quod prius præcipimur renes accingere, postmodum baculos tenere; quia illi debent curam pastoralem suscipere, qui jam in suo corpore sciunt fluxus luxuriæ edomare, ut cum aliis fortia prædicant, ipsis desideriis mollibus enerviter non succumbant. Bene autem subditur : *Et comedetis festinanter.* Mandata Dei, mysteria Redemptoris, cœlestis patriæ gaudia cum festinatione cognoscite, et præcepta vitæ cum festinatione implere curate. Quia enim adhuc hodie licet bene agere, scimus, utrum cras liceat ignoramus. Festinantes ergo pascha comedite, id est ad solemnitatem patriæ cœlestis anhelate. Nemo in hujus vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Nemo moras ad appetenda bona studia innectat, sed cœpta perficiat, ne minime liceat implere quod inchoat. Si ad amorem Dei pigri non sumus, adjuvat ipse quem amamus.

CAP. XX. — *Primogenium asini mutabis ove* (*Exod.* XIII, 13).

Cum de [a] refutatione præteritarum sordium, et de innovanda cordis innocentia tractaretur in expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 58), et hom. 8 in Ezech., adjunctum est : *Primogenitum asini mutabis ove.* — Quid per asinum, ni immunditia? Et quid per ovem, nisi innocentia designatur? Asini ergo primogenita ove mutare, est immundæ vitæ primordia in innocentiam simplicitatis convertere, ut postquam illa peccator egit, quæ ut immunda Dominus respuit, ea jam agendo proferat quæ Dei sacrificio imponat. [*in fine*]. Omnes enim homines nati in peccatis sumus, atque ex carnis delectatione concepti, culpæ nobiscum originem traximus. Unde fit ut etiam ex voluntate nostra peccatis implicemur. Sed quisquis post malitiam carnis ad innocentiam convertitur cordis, primogenitum asini mutat ove, quia prioris vitæ immunditiam ad innocentiam convertit. Qui enim qualis prius fuerit esse desinit, apprehensa carnis munditia, innocentiam custodit, in oblationem Dei primogenitum asini ad ovem mutavit.

CAP. XXI. — *Cum emisisset Pharao populum, non eos eduxit Deus per viam terræ Philistiim quæ vicina est, reputans ne forte post pœniteret, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum* [*Exod.* XIII, 17].

Dum de dispensatoria mutatione, noviter ex interno moderamine ad conversionem venientium tractaretur in expos. beati Job, lib. XXIV (*Num.* 29), adjunctum est : *Cum emisisset Pharao populum*, etc. Sæpe conversi quoque in ipso adhuc aditu inchoationis suæ, vel tranquillitatem pacatissimam carnis, vel dona prophetiæ, vel prædicamenta doctrinæ, vel signorum miracula, vel gratiam curationis accipiunt : post hæc autem duris tentationum probationibus fatigantur a quibus tentationibus adhuc cum incipirent, valde liberos se esse crediderunt. Quod divinæ gratiæ dispensatione agitur, ne inchoatione sua tentationum asperitate frangantur, quia si eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facile ad ea quæ reliquerant redirent, quam nec longis discesserant, nam contemptis prius vitiis quasi juxta positis [b] replicarentur. Unde scriptum est : *Cum dimisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum.* Ex Ægypto itaque exeuntibus e vicino bella subtrahuntur, quia derelinquentibus sæculum, quædam prius tranquillitas ostenditur; ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant quod evaserunt. Prius ergo suavitatem securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur, post cognitam vero dulcedinem tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto in Deo altius cognovere quod ament.

CAP. XXII. — *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis* (*Exod.* XIII, 21.)

Dum de qualitate futuri judicii tractaretur in expos. beati Job, l. II (*Num.* 57), et in homo. 21 (*Num.* 3), in Evang., adjunctum est : *Dominus autem præcedebat eos*, etc. — Quid in igne nisi terror est? In nube autem visionis lene blandimentum. Dies vero vita justi, et nox accipitur vita peccatoris. Unde et conversis peccatoribus Paulus dicit : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes* V, 8). In die ergo per nubem columna monstrata est, et in nocte per ignem, quia omnipotens Deus et blandus justis, et terribilis apparebit injustis. Justos in judicio veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet; illos vero per justitiæ districtionem terret. Rursum de hac columna ignis et nubis subtili investigatione discussum intelligi et aliter potest. Quid est ergo quod columna nubis, quæ in eremo populum præibat, splendore ignis non in die, sed in nocte radiabat, nisi quia Redemptor noster suæ conversationis exemplo, ducatum sequentibus præstans, de justitia sua confidentibus, nulla luce claruit, peccatorum vero suorum tenebras agnoscentibus, ignem sui amoris infulsit.

CAP. XXIII. — *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV, 15)?

Dum de accendendo cordis desiderio in Deum tractaretur in expos. beati Job. l. XXII (*Num.* 43), adjunctum est : *Quid clamas ad me?* — Voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Hinc est quod in eremo populus vocibus perstrepit, et Moyses a strepitu verborum tacet; et tamen silens aure divinæ pietatis auditur, cum dicitur : *Quid clamas ad me?* Intus est ergo in desiderio clamor secretus, quia ad humanas aures non pervenit, et tamen auditum conditoris replet.

[a] In Excusis legitur : *De revocanda cordis innocentia, ex refutatione præteritarum sordium.* Sequimur unanimem Mss. sensum.

[b] Id est *reimplicarentur*, seu iterum implicarentur.

CAP. XXIV. — *De manna filiis Israel desuper dato* (*Exod.* XVI, 15).

Cum de præparando animo ad percipiendam supernæ compunctionis dulcedinem tractaretur in expos. beati Job, l. XXVII, (*Num.* 42), adjunctum est : *De manna filiis Israel desuper dato.* — Quid per manna quod populo desuper datum est, nisi admiratio supernæ dulcedinis designatur? Dulcis enim cibus, qui de supernis accipitur, *manhu* vocatur. Manhu enim dicitur, quid est hoc? Et quid est hoc dicimus, quando hoc quod cernimus nescientes admiramur. Supernum igitur manna anima percipit, cum per vocem compunctionis elevata, novam speciem internæ refectionis obstupescit, ut divina dulcedine repleta jure respondeat, quid est hoc? Quia dum ab infima cogitatione suspenditur, ea quæ de supernis conspicit, insolitem iratur. Et cum hac voce torporis nostri surditas rumpitur, vetustæ vitæ protinus usus mutatur ut anima superno spiritu afflata, et in summis appetat, quæ contempserat, et contemnat in infimis, quæ appetebat.

CAP. XXV. — *Manus autem Moysi erant graves. Sumentes igitur lapidem, posuere subter eum, in quo sedit. Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus* (*Exod.* XVII, 2).

Cum de mediatoris adventu, et de levigata per intellectum spiritus legis duritia tractaretur in homil. 33 (*Num.* 8) in Evang., adjunctum est : *Manus autem Moysi erant graves*, etc. — Moyses sedit in lapide, cum lex requievit in Ecclesia. Sed hæc eadem lex manus graves habuit, quia peccatores quosque non misericorditer pertulit, sed severa districtione percussit. Aaron vero mons fortitudinis. Hur autem ignis interpretatur. Quem itaque iste mons fortitudinis signat, nisi Redemptorem nostrum, de quo per prophetam dicitur : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Isa.* II, 2)? Aut quis per ignem, nisi sanctus Spiritus figuratur, de quo idem Redemptor dicit : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49)? Aaron ego et Hur graves manus Moysi sustinent, atque sustentando leviores reddunt, quia mediator Dei et hominum cum igne sancti Spiritus veniens, mandata legis gravia, quæ dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabilia nobis per spiritualem intelligentiam ostendit. Quasi enim manus Moysi leves reddit, quia pondus mandatorum legis ad virtutem confessionis retorsit. Hanc nobis frequentis misericordiæ promissionem innuit, cum per prophetam dixit : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Hinc iterum sub Judææ specie unicuique peccatrici animæ dicitur : *Si dereliquerit vir uxorem suam, et illa recedens duxerit virum alium, nunquid revertetur ad eum ultra? Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus* (*Jerem.* III, 1). Ecce paradigma turpis mulieris dedit. Ostendit quod post turpitudinem recipi non possit. Sed hoc ipsum paradigma quod protulit, per misericordiam vincit, cum dicit fornicantem mulierem recipi nequaquam posse et tamen ipse fornicantem animam, ut recipiat, exspectat. Pensemus pondus tantæ pietatis. Dicit quod fieri non potest, et demonstrat, quia hoc ipse facere etiam contra morem potest. Ecce vocat, et quos inquinatos denuntiat, hos etiam amplecti quærit a quibus desertum esse se queritur. Inflexit ergo ad misericordiam duritiam legis, quia quos juste illa damnat, ipse misericorditer liberat.

CAP. XXVI. — *Quod legem daturus Dominus in igne fumoque descendit* (*Exod.* XIX, 8).

Cum de exstirpando primum desideriorum carnalium appetitu, et tunc ad intuenda sublimia, dirigenda mentis acie tractaretur in expos. beati Job, l. VI (*Num.* 58, 59), adjunctum est : *Quod legem daturus Dominus in igne*, etc. — Quid est quod legem daturus Dominus in igne fumoque descendit, nisi quia et humiles per claritatem suæ ostensionis illuminat, et superborum oculos per caliginem erroris obscurat? Prius igitur mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiscentiæ delectatione tergenda est, et tunc ad aciem contemplationis erigenda. Unde et cum lex accipitur, populus a monte prohibetur, ut videlicet qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderat, considerare sublimia non præsumat. Ubi recte dicitur : *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur* (*Exod.* XIX, 12, 13). Bestia etenim montem tangit, cum mens irrationabilibus desideriis subdita, ad contemplationis alta se erigit. Sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur. Qui igitur culmen apprehendere perfectionis nituntur, cum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent, ut sollicite ferant si nulla jam mala proximis irrogant, si irrogata a proximis æquanimiter portant, si objectis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia solvitur, si subtractis non nimio mœrore sauciatur, ac deinde perpendat, si cum ad semetipsos interius redeunt, in eo quod spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt; vel fortasse tractas, manu discretionis abigunt, si incircumscriptum lumen videre cupientes, cunctas circumscriptionis suæ imagines deprimunt, et in eo quod super se contingere appetunt, vincunt quod sunt.

CAP. XXVII. — *Quod Israel verba Dei in monte audire non valens, præcepta in campestribus accepit* (*Exod.* XIX, 19).

Cum de intelligendis Scripturæ mysteriis, pro rerum qualitatibus temporeque expressione dispositis tractaretur in expos. beati Job, lib. II (*Num.* 2), adjunctum est : *Quod Israel verba*, etc. — Intueri libet quomodo sacra eloquia in exordiis narrationum, qualitates exprimunt terminosque causarum. Aliquando namque a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate aeris, aliquando a qualitate temporis signant quid de ventura actione subjiciant. A positione quippe locorum divina Scriptura exprimit subsequentium merita finesque causarum, sicut de Israel dicit, quia verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit; subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis negligenter vivendo laxavit. A positione corporis futura denuntiat, sicut in apostolorum Actibus Stephanus Jesum, qui a dextris virtutis Dei sedet, stantem se vidisse manifestat (*Act.* VII). Stare quippe adjuvantis est. Et recte stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut Evangelista, cum, prædicante Domino, nullos tunc ex Judæis credituros diceret, præmisit, dicens : *Hyems autem erat* (*Joan.* X, 22). Scriptum namque est : *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Idcirco hyemis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret. Hinc est quod de negaturo Petro præmittitur : *Quia frigus erat, et stans ad prunas calefaciebat se* (*Joan.* XVIII, 18). Jam namque intus a charitatis calore torpuerat, et ad amorem præsentis vitæ, quasi ad persecutorum prunas, infirmitate æstuante, recalebat. A qualitate quoque temporis, finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exiisse perhibetur, cum, egrediente illo, ab Evangelista dicitur : *Erat autem nox* (*Ibid.* XIII, 30). Hinc enim et iniquo diviti dicitur : *Hac nocte repetunt animam tuam abs te* (*Luc.* XII, 20). Anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc in nocte accepisse describitur (*III Reg.* III). Hinc est quod angeli ad Abraham meridie veniunt (*Gen.* XVIII), punituri autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur (*Gen.* XIX).

CAP. XXVIII. — *Moyses ascendit, et Dominus in montem descendit* (*Exod.* XIX, 3, 25).

Dum de aspiratione supernæ gratiæ per meritum contemplationis assumptæ tractaretur in exposit. beati Job, lib. v (*Num.* 66), adjunctum est : *Moyses ascendit*, etc. — Quid per montem, nisi ipsa nostra contemplatio designatur, in quam nos ascendimus, ut ad ea quæ ultra infirmitatem nostram sunt videnda sublevemur? Sed in hanc Dominus descendit, quia nobis multum proficientibus, parum de se aliquid nostris sensibus aperit, si tamen dici in illo vel parum vel aliquid potest, qui unus semper et idem permanens, intelligi partiliter non potest, et tamen a suis fidelibus participari dicitur, cum in ejus substantia pars nullatenus admittatur. Sed quia hunc exprimere perfecto sermone non possumus, humanitatis nostræ modulo, quasi infantiæ imbecillitate præpediti, eum aliquatenus balbutiendo resonamus.

CAP. XXIX.—*Stetit populus de longe, Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus* (*Exod.* XX, 21).

Cum de discretione tenendæ allegoriæ, ac historiæ tractaretur, hom. 9 [a] in Ezechielem, adjunctum est: *Stetit populus de longe*, etc. — In sacro eloquio intelligentiæ magna discretio est. Sæpe enim in quibusdam locis illius, et historia servanda et allegoria, et sæpe in quibusdam sola exquirenda est allegoria, et aliquando vero sola necesse est ut teneatur historia. Nam in quibusdam locis, sicut diximus historia, simul tenenda est et allegoria, ut et tardiores pascantur per historiam, et velociores ingenio per allegoriam. Unde cum, loquente Domino, populus lampades et sonitum buccinæ et montem fumigantem cerneret, perterritus petiit, ut eis per Moysen Dominus loqueretur. Et scriptum est : *Stetit populus de longe, Moyses accessit ad caliginem, in qua erat Deus* (*Exod.* XX, 21). Turba quippe populi, allegoriæ caliginem non valet penetrare, quia valde paucorum est spiritualem intellectum rimari. Quia enim mentes carnalium sola sæpe historia pascuntur, loquente Deo, longe populus stetit. Quia vero spirituales quique allegoriarum nubem penetrant, ut spiritualiter Dei verba cognoscant, *Moyses accessit ad caliginem, in qua erat Deus.*

CAP. XXX. — *Altare de terra facietis mihi* (*Exod.* XX, 24).

Cum de incarnatione Dominica tractaretur in expos. beati Job, lib. III, (*Num.* 51), adjunctum est : *Altare de terra facietis mihi.* — Altare de terra Deo facere, est incarnationem mediatoris sperare. Tunc quippe a Deo nostro munus accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est super Dominicæ incarnationis fidem posuerit quidquid operatur. Ponimus ergo in altari de terra oblatum munus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus.

CAP. XXXI. — *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intravit, cum tali exeat, si habet uxorem, et uxor egrediatur simul. Sin autem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Quod si dixerit servus : Diligo dominum meum, et uxorem, ac liberos, non egrediur liber : offerat eum dominus diis, et applicabitur ad ostium, et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in sæculum* (*Exod.* XXI, 2, *seq.*).

Dum de activa, contemplativaque vita tractaretur, hom. 3 (*Num.* 10, 11, 12, 13), in Ezech., adjunctum est : *Si emeris servum Hebræum*, etc.—Sciendum est quia cum activa vel contemplativa vita ex dono sint gratiæ, quandiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum, ad ejus regnum ingreditur, nisi bene operetur? Sine contemplativa ergo vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt. Sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari quæ possunt. Illa ergo in necessitate, hæc in voluntate est. Illa in servitute, ista in libertate est. Unde et ad Moysen dicitur : *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi; in septimo egredietur liber gratis* (*Exod.* XXI, 2), et reliqua quæ sequuntur. Hebræus, transiens interpretatur. Et servus Hebræus emitur, quando unusquisque, qui jam ab hoc sæculo mente transit, servitio omnipotentis Domini subditur. Ille etenim vere Deo servire appetit, qui ab hoc sæculo mente transire didicerit. Sic Moyses transivit in deserto ut videret visum (*Exod.* III). Sic David cum videret impium exaltatum et elevatum super cedros Libani, transivit et ecce non erat, quia iniquorum potentiam esse magnum aliquid fortasse credimus, nisi ad permanens sæculum mente transeamus. Servus vero Hebræus emptus sex annis servire præcipitur, ita ut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum, nisi activæ vitæ perfectio designatur? Quid per septenarium, nisi contemplativa exprimitur? Sex ergo annis servit, et septimo egreditur liber, qui per activam, quam perfecte exhibuerit, ad contemplativæ vitæ libertatem transit. Et notandum quod gratis liber egreditur, quia hi, qui postquam omnia fecerint, dicunt se inutiles servos (*Luc.* XVII), eis procul dubio sicut ipsa activa fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplativa. *Cum quali veste intraverit, cum tali exeat*, quia omnino necesse est ut unusquisque nostrum in hoc, quod incipit, perseveret, atque usque ad finem operis in ea, qua inchoavit, intentione perduret. Ille quippe bene ad contemplativam transit, qui in activa vita intentionis suæ vestem ad deteriora non mutaverit. Et sunt nonnulli, qui priusquam omnipotentis Dei servitio socientur, jam bona operari diligunt. Sunt vero alii, qui bona opera postquam ad servitium omnipotentis Dei venerint, discunt. Qui ergo operationem bonam, priusquam ad Dei servitium veniret, habere studuit, Hebræus servus cum uxore emptus est. Et plerumque is, qui talis est, potest ad contemplativam vitam transire, et tamen activam non desere rere. Unde et illic subditur : *Si habet uxorem, et uxor egrediatur simul.* Cum eo enim ad libertatem et uxor egreditur, quando is, qui ad contemplationem pervenit, etiam foris actionem boni operis, qua prodesse possit aliis, non relinquit. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, et peperit filios ac filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Servo empto Dominus dat uxorem, cum prædicator quisque eum, quem juri omnipotentis Dei mancipaverit, bonæ actioni conjungit. Nam et prædicatores Domini vocantur, sicut Elisæo prophetæ de prædicatore suo dicitur : *Scis quod Dominus tuus tollatur a te* (*IV Reg.* II, 3)? Uxor vero servi emptitii filios et filias parit, quando ei bona actio fortes vel tenuiores fructus generat. Sed mulier quæ a Domino data est, eidem Domino cum filiis remanet; ipse vero servus cum vestitu suo exit, quia bona actio, vel ejusdem bonæ actionis fructus prædicatoris mercede reputantur. Ipse vero in desiderii sui intentione perdurans, per supernam gratiam ad contemplationem liber egreditur. *Quod si dixerit servus : Diligo dominum meum, et uxorem, ac liberos, non egrediar liber.* Servus dominum suum diligit, quando prædicatoris verba sollicita intentione custodit. Uxorem quoque amans et liberos, liber egredi recusat, quando activam vitam ejusque fructum diligens, transire ad contemplativam non vult, quia bona se opera habere in ministerii sui servitute considerans, ad libertatis quietem renuit transire. Sed *offerat eum Dominus diis, et applicetur ad ostium et postes, et perforet aurem ejus subula, ut sit ei servus in sæculum.* Is enim

[a] Hæc loco indicato nullatenus reperiuntur.

qui in activa disposuit vita perdurare, a Domino diis offertur quando a prædicatore suo antiquorum patrum dictis imbuitur, qui nobis in via omnipotentis Domini sacerdotes fuere. Atque ad ostium et postes tabernaculi ducitur, ut de ingressu æterni tabernaculi altius aliquid audiat, et tremendi judicii diem subtiliter agnoscat, ne per bona opera quæ facit placere hominibus appetat. Sicque auris ejus subula perforatur, dum mens illius timoris Dei subtilitate percutitur; ut et verbi acumine transfixa per omne quod agit noverit ingressum regni semper attendere, et quasi ab ostio et poste tabernaculi perforatam aurem portare. Qui erit servus in sæculum, ut esse post sæculum liber possit. In sæculum etenim servus est, qui per activam vitam hominibus servire disposuit, ut post præsens sæculum ad libertatem veram valeat pervenire. De qua per Paulum dicitur : *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 21). Tunc etenim vera in nobis libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Nunc vero non solum activa vita in servitute est, sed ipsa quoque contemplatio, qua super nos rapimur, libertatem mentis adhuc perfecte non obtinet, sed imitatur, quia illa quies intima in ænigmate videtur.

CAP. XXXII. — *Si quis aperuerit cisternam et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum* (*Exod.* XX, 33).

Dum de tenenda sacri verbi mensura, secundum qualitatem audientium tractaretur, in expos. beati Job, l. XVII (*Num.* 38), adjunctum est: *Si quis aperuerit cisternam et foderit*, etc. — Quid est aperire cisternam, nisi intellectu valido Scripturæ sacræ arcana penetrare? Quid autem per bovem et asinum, id est mundum immundumque animal, nisi fidelis quisque vel infidelis accipitur? Qui ergo cisternam fodit, cooperiat, ne illic bos vel asinus ruat; id est qui in sacro eloquio jam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat, ne per scandalum mentis, aut fidelem parvulum, aut infidelem, qui credere potuisset interimat. Ex morte enim jumentorum debet pretium, quia illud scilicet amisisse convincitur, unde ad agendam pœnitentiam reus tenetur. Quisquis namque ad alta scientiæ fluenta perveniens, cum hæc apud bruta audientium corda non contexerit, pœnæ reus addicitur, si per verba ejus in scandalum, sive munda, seu mens immunda capiatur. Operienda est itaque cisterna, quia coram parvulis mentibus tegenda est alta scientia, ne unde cor docentium ad summa attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima dilabatur.

CAP. XXXIII. — *Cum debet tibi quidpiam frater tuus, et abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue* (*Exod* XXII, 26).

Dum de utilitate confessionis tractaretur in expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 32), adjunctum est : *Cum debet tibi quidquam frater tuus*, etc. — Quid hoc loco pignoris nomine, nisi peccati confessio datur intelligi? Frater etenim noster debitor nobis efficitur, cum quilibet proximus in nos aliquid deliquisse monstratur. Peccata quippe debita vocamus. Unde peccatori servo dicitur: *Omne debitum dimisi tibi* (*Matth.* XVIII, 32). Et in Dominica quotidie oratione precamur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). A debitore autem nostro pignus accipimus, quando ab eo qui et nobis peccasse cognoscitur, peccati ejus jam confessionem tenemus, per quam relaxare peccatum, quod in nobis perpetratum est, postulamur. Qui enim peccatum quod commisit fatetur, et veniam petit, jam quasi pro debito pignus dedit. Quod nimirum pignus ante solis occasum reddere jubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitiæ occidat, debemus ei confessionem veniæ reddere a quo confessionem accipimus culpæ, ut qui se deliquisse in nos meminit, a nobis mox relaxatum sentiat quod deliquit.

CAP. XXXIV. — *Quod Moyses accepturus legem in montem ascendit.* (*Exod.* XXIV, 4).

Dum de appetenda quiete interna, et cordis munditia tractaretur in expos. beati Job, adjunctum est : *Quod Moyses accepturus legem in montem ascendit.* — [a] Quid est quod Moyes, ut sublimia Dei præcepta perciperet, alta conscendit, atque ut interna penetraret, ab externis tumultibus occultatur? nisi quod sancti viri, qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, et legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ verticem, supernæ voluntatis sententiam perscrutantur.

CAP. XXXV. — *Facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos. Duo circuli sint in latere uno, et duo in altero. Facies quoque vectes de lignis Sethim, et operies auro, inducesque circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis* (*Exod.* XXV, 12, *seq.*).

Cum de prædicatione doctorum Ecclesiæ tractaretur in cod. Reg. past. (*Part.* II, *cap.* 11), adjunctum est : *Facies quatuor circulos aureos*, etc. — Quid per arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubentur adjungi; quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, procul dubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectesque de lignis Sethim fiunt, qui iisdem ad portandum circulis inseruntur; quia fortes perseverantesque doctores velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ unitatem denuntient, et quasi intromissis circulis arcam portent. Vectibus quippe arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut dum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. De quibus apte subditur : *Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis*, quia nimirum necesse est ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper jubentur, ut cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur, quia videlicet cum spirituale aliquid a subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est si tunc quærit discere, cum quæstionem debet enodare. Sic circulis vectes inhæreant, ut doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes testamenti arcam sine mora elevent, si quidquid necesse est protinus doceant. Unde bene primus pastor Ecclesiæ pastores cæteros admonet, dicens : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe* (*I Petr.* III, 15). Ac si aperte dicat, ut ad portandam arcam mora nulla præpediat, vectes a circulis nunquam recedant.

CAP. XXXVI. — *Duos quoque cherubim aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherubim unus sit in latere uno, et alter in altero, utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus ad propitiatorium* (*Exod.* XXV, 18).

Dum de concordia novi ac veteris Testamenti, et de mediatoris adventu tractaretur, homil. 6 (*Num.* 15) in Ezechielem, adjunctum est : *Duos quoque Cherubim aureos, et productiles facies*, etc. Quid per propitiato-

[a] In Mss. non assignatur quo ex loco fuerit id sumptum. Certe non invenitur lib. XXIV in Job, cap. XII, ut in Editis legitur.

tium, nisi mediator Dei et hominum designatur? De quo per Paulum dicitur : *Quem posuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* (*Rom.* III, 25). Quid vero per duo Cherubim, qui plenitudo scientiæ dicitur, nisi utraque Testamenta signata sunt? Ex quibus unum a summitate una propitiatorii, aliud vero a summitate altera stat, quia quod Testamentum vetus de incarnatione nostri Redemptoris cœpit prophetando promittere, hoc Testamentum novum perfecte narrat expletum. Duo autem cherubim ex auro mundissimo facta sunt, quia utraque Testamenta pura ac simplici veritate describuntur. Expandunt vero alas, et oraculum operiunt, quia nos, qui omnipotentis Dei oraculum sumus, a culpis imminentibus Scripturæ sacræ ædificatione protegimur. Cujus dum sententias sollicite aspicimus, ab errore ignorantiæ ejus alis velamur. Duo vero cherubim se mutuo respiciunt, versis vultibus in propitiatorium, quia utraque Testamenta nulla a se varietate discrepant. Et quasi ad semetipsa vicissim facies tenent, quia dum quod unum promittit, hoc aliud exhibet, interpositum mediatorem Dei et hominum vident. Facies quippe a semetipsis cherubim averterent, si quod unum Testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dum concorditer de mediatore Dei et hominum unum loquuntur, vicissim ut se respiciant, in propitiatorium intendunt. Quod enim designavit Testamentum vetus, hoc Testamentum novum exhibuit. Ut enim pauca de multis loquar. Quid est quod Adam dormiente, Eva producitur, nisi quod moriente Christo, Ecclesia fidelium nascitur? Quid est quod Isaac ad immolandum ducitur et ligna portat, aræ superimponitur, et vivit, nisi quod Redemptor noster ad passionem ductus, lignum sibi crucis ipse portavit, et sic ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate? Vera ergo Testamenta ita sibi in mediatorem Dei et hominum congruunt, ut quod unum signat, hoc alterum exibeat.

Cap. XXXVII. — *Item unde supra.*

In expositione Evangelii hom. 25 (*Num.* 3):—Cherubim, plenitudo scientiæ dicitur. Et quid per duo cherubim, nisi utraque Testamenta signantur? Quid vero per propitiatorium, nisi incarnatus Dominus figuratur? De quo Joannes ait : *Ipse est enim propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II, 2). Et dum Testamentum vetus hoc faciendum denuntiat, quod Testamentum novum de Domino factum clamat, utraque quasi cherubim se invicem aspiciunt, dum vultus in propitiatorium vertunt, quia dum inter se positum incarnatum Dominum vident, a suo aspectu non discrepant, quæ dispensationis ejus mysterium concorditer narrant.

Cap. XXXVIII. — *Parabis et acetabula ac phialas, thuribula et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina* (*Exod.* XXV, 25).

Cum de discrete tenenda a doctoribus prædicationis mensura tractaretur in expos. beati Job, l. XX (*Num.* 4); adjunctum est : *Parabis et acetabula*, etc. — Quid per phialas, et cyathos, nisi mensura prædicationis accipitur, qua oportet ut exhortationis gratia singulis juxta capacitatem ingenii conferatur? Debet enim is subtiliter qui docet perspicere ne plus studeat quam ab audiente capiatur, prædicare. Debet et ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, et idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostentare quam auditoribus prodesse. Jubente autem Domino, non solum phialæ ad mensam tabernaculi, sed etiam cyathi præparantur. Quid enim per phialas, nisi larga prædicatio? Quid enim per cyathum, nisi minima ac tenuis de Deo locutio designatur? In mensa igitur Domini, et phialæ præparantur, et cyathi, quia videlicet in doctrina sacri eloquii, non solum exhibenda sunt magna et arcana quæ inebriant, sed etiam parva et subtilia, quæ quasi per gustum notitiam præstant.

Cap. XXXIX. — *Item unde supra.*

In expositione Evangelii homil. 6 (*Num.* 6) : — Quid per phialas, nisi doctrina exuberans? et quid per cyathos, nisi parva atque angusta scientia designatur? Alius namque doctrina veritatis plenus, audientium mentes inebriat, per hoc ergo quod dicit, profecto phialam porrigit. Alius explere quod sentit non valet, sed quia hoc utcunque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei ergo tabernaculo, id est in sancta Ecclesia positi, si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minime possunt, in quantum pro divina largitate sufficiunt, proximis suis boni verbi dare cyathos debent.

Cap. XL. — *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus, et calamos, et scyphos, et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia* (*Exod.* XXV, 31).

Cum de mysterio incarnationis Dominicæ, deque membris ei per fidem adhærentibus tractaretur l. I, homil. 6 (*Num.* 8) in Ezech., adjunctum est : *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo*, etc. — Quis in candelabro, nisi Redemptor humani generis designatur? Qui in natura humanitatis infulsit lumen divinitatis, ut mundi candelabrum fieret, quatenus in ejus lumine omnis peccator, in quibus jaceret tenebris, videret. Qui pro eo quod nostram naturam sine culpa suscepit, candelabrum tabernaculi de auro purissimo fieri jubetur. Ductile autem feriendo producitur, quia et Redemptor noster, qui ex conceptione et nativitate perfectus Deus et homo exstitit, passionum ictus pertulit, et sic ad resurrectionis gloriam pervenit. Ex auro ergo mundissimo ductile candelabrum fuit, quia et peccatum non habuit, et tamen ejus corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam juxta animæ meritum, quo percussionibus potuisset proficere, omnino non habuit. In membris autem suis, quæ nos sumus, quotidie percussionibus proficit, quia dum nos tundimur et afflicimur, ut ejus corpus esse mereamur, ipse proficit, de cujus corpore scriptum est : *Ex quo totum corpus per nexus, et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei* (*Col.* II, 19). [a] Corpus quippe illius nos omnes sumus, per nexus vero et conjunctiones corpus ligatur; quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, digiti manibus sunt conjuncti, et membra cætera membris inhærent, corpus omne perficitur; sic sancti apostoli qui Redemptori nostro propinqui steterunt, quasi pectus capiti inhæserunt. Quos quia martyres sunt secuti, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores et doctores subjuncti sunt per bona opera, manus brachiis inhæserunt. Hoc vero omne corpus Redemptoris nostri quotidie per nexus et conjunctiones subministratur in cœlo, quia cum ad eum illuc electæ animæ ducuntur, ei sua membra colligantur, de quo bene dicitur : *Subministratum et constructum crescit in augmentum Dei*, quia Deus omnipotens Redemptor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursus scriptum est : *Donec occurramus omnes in mensuram plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13). Hastile vero ejus ipsa Ecclesia debet intelligi, quæ corpus ejus est, quia inter tot adversa, libera stat. Calami autem qui de hastili prodeunt, prædicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet canticum novum. Scyphi autem vino repleri solent. [b] Quid ergo mentes audi-

[a] Quæ sequuntur usque ad : *Hastile*, etc., in Excusis omissa, restituimus ex omnibus Mss. nostris.

[b] Nescio cur hic in Excusis inseratur : *In nonnullis Gregorii exemplaribus ita legunt.*

torum nisi scyphi sunt, quæ a sanctis prædicatoribus vino scientiæ replentur? [a] Quid ergo ora doctorum nisi scyphi sunt, qui vino nos scientiæ ebriant, ut oblectamenta mundi quæ amavimus, obliviscamur? Sphærula enim quid est aliud, nisi volubilitas prædicationis? Sphærula enim ex omni parte volvitur, et prædicatio, quæ nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur sphæra est, quia inter adversa fortis, et inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet, quia per cuncta se volubiliter trahit. Ut autem hoc quod exempli causa protulimus, exsequamur, bene post calamos, scyphos, et sphærulas, in candelabro lilia describuntur, quia post hanc quam diximus, prædicationis ebrietatem atque volubilitatem, illa virens patria sequitur, quæ animabus sanctis, id est floribus vernat æternis. Scyphi ergo et sphærulæ ad laborem pertinent, lilia ad retributionem.

Cap. XLI. — *Tabernaculum vero ita fiet : decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, variatas opere plumario facies.* Et paulo post : *Facies et saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi.* Et iterum : *Facies et operimentum aliud de pellibus arietum* (*Exod.* XXVI, 1).

Dum de cavendis murmurationibus contra Rectores suos quibuslibet spiritualibus subditis tractaretur in expos. beati Job, lib. XXV (*Num.* 39), adjunctum est : *Tabernaculum vero ita fiet*, etc. — Quid per pelles et cilicia quibus tabernaculum tegitur, nisi grossas hominum mentes accipimus, quæ aliquando in Ecclesia, occulto Dei judicio, quamvis duræ sint, præferuntur? Quæ quia servire curis temporalibus non timent, oportet ut tentationum ventos et pluvias de hujus mundi contrarietatibus portent. Quid vero per hyacinthum, coccum, byssumque signatur, nisi sanctorum vita tenera, sed clara? Quæ dum caute in tabernaculo sub ciliciis et pellibus absconditur, sua integra pulchritudo servatur. Ut enim in interiora tabernaculi byssus fulgeat, coccus coruscet, hyacinthus cæruleo colore resplendeat; desuper pelles et cilicia, imbres, ventos, et pulverem portant. Quæ igitur magnis virtutibus in sanctæ Ecclesiæ sinu proficiunt, præpositorum suorum vitam despicere non debent, cum vacare eos rebus exterioribus vident; quia hoc quod ipsi securi intima penetrant, ex illorum adjumento est, qui contra procellas hujus sæculi exterius laborant. Quam enim candoris sui gratiam retineret, si byssum pluvia tangeret? aut quid fulgoris atque claritatis coccus, vel hyacinthus ostenderet, si hæc susceptus pulvis fœdaret? Sit ergo desuper textura cilicii fortis ad pulverem, sit inferius color hyacinthinus aptus ad decorem. Ornent Ecclesiam, qui solis rebus spiritualibus vacant, tegant Ecclesiam quos et labor rerum corporalium non gravat. Nequaquam ergo contra rectorem suum exteriora agentem murmuret is qui intra sanctam Ecclesiam jam spiritualiter fulget. Si enim tu secure interius, ut coccus rutilas, cilicium quo protegeris cur accusas?

Cap. XLII. — *Item unde supra.*

In [b] expositione Evangelii, homil. 38 (*Num.* 10) :— Cortinis tabernaculi intexi coccus bis tinctus jubetur. Vos estis, fratres, vos estis cortinæ tabernaculi, qui per fidem in vestris cordibus secreta cœlestia velatis. Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse. Coccus quippe ignis speciem tenet. Quid vero est charitas nisi ignis? sed ista charitas esse bis tincta debet, ut tingatur per amorem Dei, tingatur et per amorem proximi. Qui enim sic amat Deum, ut per contemplationem ejus negligat proximum, coccus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursum qui sic amat proximum, ut tamen contemplationem Dei per ejus amorem derelinquat, coccus est, sed bis tinctus non est. Ut ergo charitas vestra bis tinctus coccus esse valeat, et ad amorem Dei, et ad amorem proximi se accendat, quatenus nec ex compassione proximi, contemplationem relinquat Dei, nec plusquam debet inhærens contemplatione Dei, compassionem abjiciat proximi. Omnis itaque homo inter homines vivens, sic ad eum anhelet quem desiderat, ut tamen hunc non deserat cum quo currebat, et sic huic adjutorium ferat, ut ab illo nullatenus torpeat, ad quem festinabat.

Cap. XLIII. — *Quod cum Dominus tabernaculi tabulas erigi præcipit, fundi earum bases argenteas jubet* (*Exod.* XXVI, 16, 19).

Dum de mysterio prænuntiatæ prophetarum atque apostolorum celsitudinis tractaretur in expos. beati Job, lib. XXVIII (*Num.* 18), adjunctum est : *Quod cum Dominus tabernaculi tabulas erigi præcepit*, etc. — Quid per tabularum bases argenteas, nisi prophetarum potest ordo signari? Qui dum primi aperte de Dominica incarnatione locuti sunt, quasi quasdam bases, eos conspicimus a fundamentis surgere, et superpositæ fabricæ pondera sustinere. Ad Moysen ergo Dominus cum tabernaculi tabulas erigi præcepit, fundi earum bases argenteas jubet. Quid enim per tabulas, nisi apostoli extensa in mundum prædicatione dilatati? Quid per bases argenteas, nisi prophetæ signantur? Qui superimpositas tabulas ipsi firmi et fusiles sustinent; quia apostolorum vita dum eorum prædicatione instruitur, eorum et auctoritate solidatur. Unde et conjunctæ binæ bases singulis tabulis supponuntur, quia cum prophetæ sancti in verbis suis de mediatoris incarnatione concordant, subsequentes prædicatores Ecclesiæ indubitanter ædificant; ut cum a semetipsis non discrepant, illos robustius figant. Nec immerito bases, quibus prophetæ signantur, ut ex argento debeant fundi præcipitur. Argenti quippe claritas ex usu servatur, sine usu autem in nigredinem vertitur. Prophetarum quoque dicta ante mediatoris adventum : quia in usum spiritualis intelligentiæ non erant, dum conspici præ obscuritate non poterant, quasi nigra remanebant. At postquam mediator adveniens, ea ante oculos nostros incarnationis suæ manu tersit, quidquid lucis in eis latebat, inclaruit : sensusque patrum præcedentium in usum dedit, quia verba rebus exposuit.

Cap. XLIV. — *Quod columnarum quatuor, ante quas velum pendere præcipitur, esse bases argenteas Dominus jubet* (*Exod.* XXVI, 26).

Cum de mysterio prædicationis doctorum Ecclesiæ tractaretur in expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 17), adjunctum est : *Quod columnarum quatuor*, etc. — Cum in typo Ecclesiæ tabernaculum [c] figeretur, ad Moysen dicitur, ut columnarum quatuor interius positarum bases esse argenteæ debeant. In argento enim quid aliud quam claritas divini sermonis accipitur? sicut scriptum est : *Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ* (*Psal.* XI, 7). Bases ergo argento vestitæ, quatuor columnas tabernaculi sustinent, quia prædicatores Ecclesiæ divino eloquio decorati, ut in cunctis se exemplum præbeant, quatuor Evangelistarum dicta et ore et operibus portant.

Cap. XLV. — *In constructione tabernaculi ut columnæ argenteæ interius starent, paxilli ærei per circuitum exterius jussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur* (*Exod.* XXXVI, 36).

Cum de veteris novique Testamenti unita per spiritum concordia tractaretur ex hom. 15 (*Num.* 16, 17) in Ezechielem, adjunctum est : *In constructione tabernaculi ut columnæ argenteæ interius starent*, etc. — [d] De quibus et paulo post scriptum est : *Facies*

[a] Hoc loco Mss. Cod. dissentiunt. Lectioni vulgatæ, quam retinemus, suffragatur Cod. Michael, non alii.

[b] Nullus Mss. nostrorum hæc habet.

[c] Excusi, *figuretur*, reluctantibus Mss.

[d] Caput hoc multis in locis depravatum ope Mss. sanavimus.

paxillos tabernaculi, et atrii cum funibus suis. Patres veteris Testamenti, quia ab ipsa incarnatione Redemptoris nostri per intervalla temporum longius constiterunt, foris esse jussi sunt. Et quidem ab Abel sanguine passio jam cœpit Ecclesiæ. Et una est Ecclesia electorum præcedentium atque sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt* (*Luc.* x, 24), antiquis Patribus quasi foris stetisse, est Redemptoris nostri præsentiam corporalem non vidisse. Exterius igitur, sed tamen non divisi a sancta Ecclesia fuere, quia mente, opere, et prædicatione, ista jam fidei sacramenta tenuerunt, istam sanctæ Ecclesiæ celsitudinem conspexerunt, quam nos non adhuc præstolando, sed jam habendo conspicimus. Sicut enim nos in præterita passione Redemptoris nostri, ita illi per fidem in eadem post ventura salvati sunt. Illi ergo foris non extra mysterium, sed extra tempus fuerunt. Unde et in constructione tabernaculi, ut columnæ argenteæ interius starent, paxilli ærei in circuitu figi per circuitum exterius jussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur. Columnæ itaque argenteæ interius, paxilli vero ærei in circuitu liguntur, atque in ipsis funes ligati sunt, ut tabernaculum fixum maneret, quia videlicet ut sancti apostoli in luce sermonis sui solidi starent; ut totum tabernaculum, id est sancta Ecclesia, in fidei integritate consisteret, tanquam paxilli ærei Patres veteris Testamenti ac prophetæ exterius fixi sunt, quatenus verborum suorum funibus prædicatorum mentes in soliditate stringerent, atque hoc Dei tabernaculum in statu fidei ligarent. Extra ergo paxilli sunt, qui ante tempus hujus sanctæ Eccclesiæ fuere. Sed tamen ligant eos qui in ipsa sunt, quia dum cœlestia mysteria ventura prædicant, hæc postquam ostensa sunt, credibilia omnibus fecerunt. Ut ergo intus columnæ immobiles stent, foris paxilli funes continent, quia ut sancti apostoli perfecte incarnationis Dominicæ mysterium crederent, illorum prædicatio obtinuit, qui hoc priusquam fieret videre et prædicare potuere. Nec immerito columnæ argenteæ, paxilli vero ænei facti sunt, quia quod clare jam apostoli prædicant, hoc prophetæ sub intellectu mystico obscure locuti sunt. Recte ergo per æris metallum signati sunt, qui clari in suis prædicationibus non fuere. Sancti vero apostoli, quia de Redemptoris nostri mysterio lucem prædicationis habuerunt, argenteis columnis expressi sunt. Et notandum quod argentum sonat et lucet, æs vero sonat et non lucet, quia prædicatores novi Testamenti aperte locuti sunt quæ etiam monstrare potuerunt. Prædicatores vero Testamenti veteris, quia per allegoriarum umbras de cœlesti mysterio obscura dicta protulere, quasi sine luce sonitum dederunt.

CAP. XLVI. — *Facient autem superhumerale de auro et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta* (*Exod.* XXVIII, 4).

Cum de [a] bona qualitate sacerdotum, eorumque exhibendi operis claritate tractaretur (*Lib.* I, *ep.* 25, *olim* 24), adjunctum est : *Facient autem superhumerale de auro et hyacintho*, etc. — Superiæ vocis imperio in utroque humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur, ut contra adversa ac prospera, virtutum semper ornamento muniatur, quatenus juxta vocem Pauli : *Per arma justitiæ a dextris sinistrisque gradiens* (*II Cor.* VI, 7), cum ad sola, [b] quæ anteriora sunt, nititur, in nullo delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera elevent, nec adversa conturbent; non blanda usque ad voluptatem demulceant, non aspera ad desperationem premant, ut dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in utroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur, ostendat. Quod recte etiam superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, et torta fieri bysso præcipitur; ut quanta sacerdos clarescere virtutum diversitate debeat demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus, aereo cæruleo colore resplendens, adjungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat, ne, dum in suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque [c] ac hyacintho purpura permiscitur, ut videlicet sacerdotale cor cum summa quæ prædicat sperat, in semetipso etiam suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex regia potestate contradicat, quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, et cœlestis regni sibi habitum moribus defendat. De hac quippe nobilitate spiritus per Petrum dicitur : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9). De hac etiam potestate, qua vitia subigimus, Joannis voce roboramur, qui ait : *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Hanc dignitatem fortitudinis Psalmista considerat, dicens : *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal.* CXXXVIII, 17) : quia nimirum sanctorum mens principaliter in summis erigitur, cum exterius perpeti abjecta cernuntur. Auro autem et hyacintho, ac purpuræ, bis tinctus coccus adjungitur, ut ante interni judicis oculos, omnia virtutum bona ex charitate decorentur, et cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet charitas, quia Deum simul ac proximum diligit, quasi coccus ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, ut proximorum curam negligat; vel sic proximorum curam exsequitur, ut a divino amore torpescat (quia unum horum quodlibet negligit), in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cum mens ad præcepta charitatis tenditur, restat procul dubio ut per abstinentiam caro maceretur. Unde et bis tincto cocco torta byssus adjungitur. De terra etenim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens decor munditiæ corporalis exprimitur. Quæ videlicet torta pulchritudini superhumeralis innectitur, quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ decorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Cumque inter virtutes cæteras etiam afflictæ carnis meritum prolicit, quasi in diversa superhumeralis specie byssus torta candescit.

CAP. XLVII. — *Rationale quoque judicii facies opere polymito* (*Exod.* XXVIII, 15).

Cum per promissi sacerdotalis indumenti mysterium, de exhibenda pulchritudine doctrinæ doctorum sequentium tractaretur, in Regul. pastor. (*Part.* II, *c.* 2), adjunctum est : *Rationale quoque judicii facies opere polymito.* — Divina voce præcipitur ut in Aaron pectore rationale judicii vittis ligantibus imprimatur, quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat, ne indiscretum quid vel inutile cogitet. Qui est ad exemplum aliis constitutus, ex gravitate vitæ semper debet ostendere, quantum in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adjungitur, ut duodecim patriarcharum nomina describantur. Ascriptos etenim patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla patrum præcedentium indesinenter intuetur, cum sanctorum vestigia sine cessatione considerat, et cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Quod bene etiam rationale judicii vocatur, quia debet rector subtili examine

[a] In Gemet. et Michaelino Codd. assignatur Reg. past. titulus decimus quartus. Hæc autem reperiuntur loco a nobis signato.

[b] Excusi, *interiora sunt.*

[c] Utic. : *ac bysso purpura permiscetur.*

bona malaque discernere, et quæ vel quibus, quando vel qualiter congruant, studiose cogitare, nihilque proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona reputare. Unde illic scriptum est : *Pones autem in rationale judicii doctrinam et veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino, et gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper* (*Exod.* XXVIII, 30). Sacerdotem quippe judicium filiorum Israel in pectore coram Domini conspectu gestare, est subjectorum causas pro sola interni judicis intentione discutere, ut nihil se ei humanitatis admisceat in hoc quod divina positus vice dispensat, ne correctionis studia privatus dolor exasperet. Cumque contra aliena vitia æmulator ostenditur, quæ sua sunt exsequatur, ne tranquillitatem judicii aut latens invidia maculet, aut præceps ira perturbet. Sed dum consideratur terror ejus qui super omnia præsidet, videlicet judicis intimi, non sine magno regantur timore subjecti.

CAP. XLVIII. — *Quod sacerdos cum in tabernaculum ingreditur, duodecim lapides in pectore portare jubetur, sculptis nominibus filiorum Israel* (*Exod.* XXVIII, 17).

Dum de primorum prædicatorum significationibus tractaretur in expos. beati Job, lib. XXVIII (*Num.* 14), adjunctum est : *Quod sacerdos cum in tabernaculum ingreditur*, etc. — Cujus per hunc pontificem, nisi Redemptoris nostri persona figuratur? Quia videlicet semetipsum pro nobis sacrificium offerens pontifex noster, dum fortes in ipso exordio prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portavit. Sancti itaque apostoli, et pro prima ostensione ornamenti, lapides sunt in pectore, et pro prima soliditate ædificii in solo, fundamenta.

CAP. XLIX. — *Deorsum ad pedes tunicæ per circuitum quasi mala punica facies* (*Exod.* XXVIII).

Cum de servanda a doctoribus unitatis concordia, per discretum prædicationis mysterium tractaretur, [a] Regist. lib. I (*Ep.* 25, *olim* 24), adjunctum est : *Deorsum ad pedes tunicæ per circuitum quasi mala punica facies.* — Cum rector se ad loquendum præparat, sub quantæ cautelæ studio loquatur attendat, ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur, et cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat. Hinc namque Veritas dicit : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Per sal quippe verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Hinc Paulus ait : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Hinc in sacerdotis veste, juxta divinam vocem, tintinnabulis mala punica conjunguntur. Quid enim per mala punica nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punico uno exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Ne igitur rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod jam præmisimus, per semetipsam discipulis Veritas clamat : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49) : ac si figurate per habitum sacerdotis dicat : Mala punica tintinnabulis jungite, ut per omne quod dicitis, provida mente unitatem fidei et dilectionem pacis in vobis, cauta observatione teneatis.

CAP. L. — *Quod divina voce in extremitate tunicæ sacerdotis malis punicis tintinnabula jubentur misceri* (*Exod.* XXVIII, 33).

Cum de exhibenda doctoribus, prædicationis instantia tractaretur in [b] Reg. past. tit. 15 (*Part.* II., *cap.* 4), adjunctum est : *Quod divina voce in extremitate tunicæ sacerdotis*, etc. — Moysi præcipitur, ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur, ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni inspectoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est : *Audiatur sonitus quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur* (*Exod.* XXVIII, 35). Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur, quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud, quam bona opera debemus accipere? Propheta attestante, qui ait : *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI, 9). Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament.

CAP. LI. — *Sume tibi aromata, et stacten, onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum ; æqualis ponderis erunt omnia ; faciesque thymiama compositum opere unguentarii mixtum diligenter et purum* (*Exod.* XXX, 34).

Cum de boni operis exhibitione per districtam mentis custodiam tractaretur in expos. beati Job, l. I *Num.* 54 adjunctum est : *Sume tibi aromata, et stacten*, etc.—Thymiama ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum et purum fit, quia quanto virtus virtuti jungitur, tanto incensum boni operis sincerius exhibetur. Ubi et bene subjungitur : *Cumque in tenuissimum pulverem universa aromata contuderis, pones ex eo coram testimonii tabernaculo.* In tenuissimum pulverem universa conterimus, cum bona nostra quasi in pila cordis, occulta discussione tundimus, et si veraciter bona sint, retractamus. Aromata ergo in pulverem redigere est virtutes recogitando terere, et usque ad subtilitatem occulti examinis revocare. Et notandum quod de eodem pulvere dicitur : *Pones ex eo coram testimonii tabernaculo* (*Exod.* XXX, 36). Quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu judicis placent, cum hæc mens subtilius recogitando conterit, et quasi de aromatibus pulverem reddit, ne grossum durumque sit bonum quod agitur ; ne si hoc arcta retractationis manus non comminuat, odorem de se subtilius non aspergat.

CAP. LII. — *Sedit populus comedere et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII, 6).

Dum de gulæ vitio restringendo tractaretur, Moral. l. X (*Num.* 21), adjunctum est : *Sedit populus comedere*, etc. — Esus potusque ad lusum impulit, lusus ad idololatriam traxit ; quia si voracitatis culpa nequaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur, Salomone attestante qui ait : *Qui modica spernit, paulatim decidit* (*Eccl.* XIX, 1). Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.

CAP. LIII. — *Descende, peccavit populus tuus* (*Exod.* XXXII, 7).

Dum de tenendo rectoribus erga subditos discretionis ac severitatis moderamine tractaretur in expos. beati Job, l. XX (*Num.* 14), adjunctum est : *Descende, peccavit populus tuus.* — Ædificare lectorem valde etiam juxta historiam potest, si perpendat quomodo bonis rectoribus mixta sit et regendi auctoritas, et benignitas consolandi. Disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectori debet et juste consulens misericordia et pie sæviens disciplina. Intueri namque libet in Moysi pectore misericordiam cum severitate sociatam. Videamus amantem pie et districte sævientem. Certe cum Israeliticus populus ante Dei oculos pene inveniabilem contraxisset offensam, ita ut ejus rector audiret : *Descende, peccavit populus tuus* (*Exod.* XXXII, 7). Ac

[a] Indicatur in Michael. liber Reg. past. tit. 15, et in Gemet. tit. 3. Vide libri II cap. 4, ubi hæc leguntur.

[b] Exstant etiam lib. I, ep. 25, olim 24.

si ei divina vox diceret: Qui tali peccato lapsus est, jam meus non est, atque subjungeret: *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam* (*Exod.* XXXII, 10): Ille semel et iterum pro populo cui præerat obicem se ad impetum Dei irascentis opponens, ait: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Pensemus ergo quibus visceribus eumdem populum amavit, pro cujus vita de libro vitæ deleri se petiit. Sed tamen iste, qui tanto ejus amore populi constringitur, contra ejus culpas pensemus, quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim ut petitione prima, culpæ veniam (ne delerentur) obtinuit, ad eumdem populum veniens ait: *Ponat vir gladium super femur suum. Ite, et redite de porta usque ad portam, per medium castrorum; et occidat unusquisque fratrem, et proximum, et amicum suum. Ceciderunt que in die illo, quasi viginti tria millia hominum* (*Ibid.* 27). Ecce qui vitam omnium etiam cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio exstinxit. Intus arsit ignibus amoris, foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret. Tanta severitas, ut eos quos divinitus feriri timuerat, ipse judicii gladio feriret. Sic amavit eos quibus præfuit, ut pro eis nec sibi parceret; et tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret. Utrobique legatus fortis, utrobique mediator mirabilis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegavit. Intus amans divinæ iræ supplicando obstitit, foris sæviens culpam feriendo consumpsit. Succurrit citius omnibus, ostensa morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum citius exaudivit, agentem pro populo: Quia vidit quid super populum acturus esset ipse pro Deo. In regimine ergo populi utrumque Moyses miscuit, ut nec disciplina deesset misericordiæ, nec misericordia disciplinæ.

CAP. LIV. — *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos* (*Exod.* XXXVIII, 16).

Cum de exstinguenda divina iracundia tractaretur in expos. beati Job, lib. IX (*Num.* 23, *ordine nonnihil inverso*), adjunctum est: *Dimitte me*, etc. — Omnes sancti qui iræ Dei obviant, ab ipso accipiunt ut contra impetum percussionis ejus opponantur, atque, ut ita dixerim, cum ipso eriguntur contra ipsum, eosque vis divina sibi opponit secum, quia in eo quod adversum se sævientis iram foris obtinent, intus eos gratia irascentis fovet, et famulantes interius levat, quos quasi adversantes exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium quam aspirat, et velut nolenti imponitur quod ab ipso ut fiat impetratur. Moysi ergo dicit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam.* Quid est servo dicere: Dimitte me, nisi deprecandi ausum præbere? Ac si ei aperte diceretur: Pensa quanti apud me valeas, et cognosce quia obtinere poteris quidquid pro populo exoras. Sed cum hæc ita sint, nimis legentis animum movet, quid est quod e contra in beati Job historia per eumdem sanctum virum dicitur: *Deus cujus resistere iræ nemo potest* (*Job.* XIX, 13). Mirum valde quod iræ Dei nullum posse resistere dicatur, cum multos indignationi supernæ animadversionis obviasse eloquia divina testentur. Annon iræ Dei idem Moyses restitit, qui pro cadente populo erectus, ipsum supernæ percussionis impetum mortis suæ oblatione restrinxit dicens: *Dimitte illis hanc noxam, alioquin dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII, 31, 32)? Annon iræ Dei Aaron restitit, cum inter viventes ac mortuos thuribulum sumpsit (*Num.* XVI, 47), atque animadversionis ignem incensi fumo temperavit? Annon Phinees iræ Dei restitit, qui luxuriantes cum alienigenis in ipso coitu trucidans, zelum suum divinæ indignationi obtulit, et furorem gladio placavit (*Num.* XXV, 11)? Annon David iræ Dei restitit, qui angelo ferienti se offerens, placationis gratiam et ante tempus propositum exigit (*II Reg.* XXIV, 25)? Annon Elias iræ Dei restitit, qui longo jam tempore terræ aridæ subductas de cœlo pluvias verbo revocavit (*III Reg.* XVIII, 44)? Quomodo igitur divinæ iræ nullum posse resistere dicitur, cum multos sæpe restitisse exemplis existentibus demonstratur? Sed si subtiliter et beati Job eloquia et illorum facta pensemus, et verum cognoscimus quia divinæ iræ non resistitur; et verum quia multi sæpe restiterunt. Namque plerique sanctorum iræ Domini, sicut uniuscujusque superius ordo narratus edocuit, restitere. Resistere autem iræ Dei non potest, cum ejus indignatio sese, ut ita dixerim, medullitus movet. Quæ dum se moverit, hanc oppositio humana non retinet, nec se utiliter cujuslibet deprecatio objicit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. Hinc est enim quod Moyses, qui reatum totius plebis apud Deum suis precibus tersit, dumque se obicem obtulit, divinæ iracundiæ vim placavit (*Num.* XX, 12): ad petram Oreb veniens, et pro aquæ exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi, Domino irascente, non potuit. Et sæpe hac de re affligitur, sæpe desiderio se excitante turbatur, et dispositæ ultionis iracundiam repellere a semetipso non valuit, qui hanc, volente Domino, et a populo amovit. (*II Reg.* XXIV, 10). Hinc David quia prostrata plebe postmodum angeli gladium prece compescuit, prius plorans et jejunans, nudis pedibus filium fugit, et quousque perpetrati facinoris ultionem ad plenum receperit, iram Dei nequaquam valuit pro semetipso temperare (*XXX Reg.* XVII). Hinc Elias, ut sicut homo parum aliquid quasi de divina animadversione sentiret, qui verbo cœlos aperuit, ante indignationem mulieris territus per desertum fugit, et pro semetipso infirmatur in formidine, qui furorem Dei placat aliis per interventionem. [a] Iræ igitur Dei et resisti valet, quando ipse qui irascitur, capitulatur, et resisti omnino non valet, quando se ad ulciscendum excitat, et ipse precem quæ ei funditur non aspirat.

CAP. LV. — *Ponat vir gladium super femur suum. Ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum; et occidat unusquisque fratrem et amicum, et proximum suum* (*Exod.* XXXII, 27).

Cum de prædicatorum vita atque doctrina tractaretur in Regul. past. (*Part.* III, *cap.* 25, *Admon.* 26), adjunctum est: *Ponat vir gladium super femur suum*, etc. — Gladium quippe super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre, ut eum sancta quis studet dicere, curet necesse est illicitas suggestiones edomare. De porta usque ad portam ire est a vitio usque ad vitium, per quod ad mentem mors ingreditur, increpando discurrere. Per medium vero castrorum transire, est tanta æqualitate intra Ecclesiam vivere, ut qui delinquentium culpas redarguit, in nullius se debeat favorem declinare. Unde et recte subjungitur: *Occidat vir fratrem, et amicum, et proximum suum*, fratrem scilicet, et amicum, et proximum interficit, qui cum punienda invenit, ab increpationis gladio, nec eis quos per cognationem diligit, parcit. Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur, profecto esse se Dei denegat, qui in quantum sufficit increpare vitam carnalium recusat.

CAP. LVI. — [b] *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium; ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, et stabat ante ostium, loquebaturque cum Moyse, cernentibus universis quod columna nubis staret*

[a] Hæc in Edit. desunt; quæ ex ope Mss. Vaticano, Michael., Gemet., Utic., etc., revocavimus.

[b] Multa hic Excusorum errata, et quidem gravissima correximus ope Mss. qui ab invicem non dissentiunt.

ad ostium tabernaculi; stabantque ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum (*Exod.* XXXIII, 8).

Dum de dono Spiritus per illustrationem supernæ gratiæ desiderantibus dato tractaretur in comment. Ezech., hom. I. secundæ part. (*Num.* 17), adjunctum est : *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum*, etc. — Hebræus populus de Ægyptia servitute liberatus, cum loquente Domino columnam nubis cerneret, unusquisque in tabernaculi sui foribus stabat, et adorabat, de quibus et dicitur : *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui.* Quid est enim populum columnam nubis aspicere, et in tabernaculi sui foribus stare, atque adorare, nisi quod humana mens cum superiora illa atque cœlestia utcunque in ænigmate conspicit, jam claustra habitationis corporeæ per sublevatam cogitationem exit, atque illum humiliter adorat? Cujus etsi videre substantiam non valet, jam tamen ejus potentiam per illuminationem spiritus miratur. Et cum Moyses tabernaculum ingreditur, ejus tergum populus aspicit, et in papilionum suorum ostiis consistit, quia cum sanctus quisque prædicator alta de Domino loquitur, supernæ habitationis jam utcunque tabernaculum ingreditur. Cujus prædicationis infimi quique etsi veritatem plene pensare non possunt, tamen velut terga aspiciunt, quia postrema, quæ prævalent, per intellectum sequuntur. Sed in ipsis quoque minimis quæ capere sufficiunt, jam de suis papilionibus quasi exeunt, atque in ostiis stant, quia et habitacula carnis relinquere, et ad illa æternæ vitæ gaudia, quæ audiunt, progredi conantur.

CAP. LVII. — *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20).

Dum [a] de visione scientiæ tractaretur in expos. beati Job, lib. XVIII (*Num.* 88, 89, 90, 91), adjunctum est : *Non poteris videre faciem meam*, etc. — Huic Dominicæ sententiæ, qua ad Moysen dicitur : *Non enim videbit me homo, et vivet*, Joannem audi concordantem, qui ait : *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 12). Sed cum Testamenti veteris patres intueor, multos, teste ipsa sacra lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Jacob Deum, qui ait : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII, 30). Vidit Moyses Dominum, de quo scriptum est : *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo cum amico suo* (*Exod.* XXXIII, 11). Vidit Job Deum, qui dicit : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te* (*Job.* XLII, 5). Vidit Isaias Dominum, qui ait : *Anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa.* VI, 1). Vidit Michæas Dominum, qui dicit : *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris, et a sinistris* (*III Reg.* XXII, 19). Quid ergo quod tot Testamenti veteris patres Dominum se vidisse testati sunt, et tamen ipse dicit : *Non enim videbit me homo, et vivet.* Et Joannes ait : *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 12), nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia quandiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest, ut anima, gratia Spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiæ non pertingat? Hinc est enim quod Jacob, qui Deum se vidisse testatur, hunc nonnisi in angelo vidit. Hinc est quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquitur, sicut loqui solet homo ad amicum suum, ei inter ipsa verba suæ locutionis dicit : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste, ut videam te* (*Exod.* XXXIII, 13). Certe enim si Deus non erat cum quo loquebatur, Ostende mihi Deum, diceret, et non, Ostende temetipsum. Si autem Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat videre quem videbat? Sed ex hac ejus petitione colligitur quia cum sitiebat per incircumscriptam naturæ suæ claritatem cernere, quem jam cœperat per quasdam imagines videre, ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset, quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et viderunt ergo patres testamenti veteris Dominum, et tamen juxta Joannis vocem : *Deum nemo vidit unquam;* et juxta ejusdem Domini vocem, Nemo Deum vidit, et vixit, quia in hac mortali carne consistentibus, et videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, et videri non potest per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin vero a quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viventibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoque ejusdem veritatis sententia non abhorret, qua dicitur : *Non enim videbit me homo et vivet*, quoniam quisquis sapientiam, quæ Dei est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest amplecti Deum simul et sæculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel affectu operis, ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. Nemo ergo Deum vidit et vixit; ac si aperte diceretur; nullus unquam Deum spiritualiter vidit, et mundo carnaliter vivit. Sciendum vero est quod fuere nonnulli qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri; quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici, et incommutabili essentiæ aliud claritas, aliud natura; sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est. Quia etenim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet, ipse pollicetur, dicens : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo meipsum illi* (*Joan.* XIV, 21). Ac si patenter dicat : Qui in vestra me nunc cernitis, restat ut in mea me natura videatis. Hinc rursum ait : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Hinc Paulus dicit : *Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII, 12). Sed quia de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur : *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12), sunt nonnulli qui nequaquam Deum videre, vel angelos suspicantur. Et tamen dictum per Veritatis sententiam scimus : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10). Nunquid ergo aliud veritas, aliud prædicator insonat veritatis? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi nequaquam dispar sit agnoscitur. Deum quippe angeli et vident, et videre desiderant, et intueri sitiunt, et intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderii minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, et anxietas pœnam. Beati vero angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt, quia nunquam simul pœna et beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia et Psalmista ait : *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI, 15), considerandum nobis est quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant, dicat veritas : Quia semper vident, dicat prædicator egregius quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur. Et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque et nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longe abest a siti necessitas, longe a satietate fastidium, quia et sitientes satiabimur, et satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum ipsum, quod erit præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hu-

[a] Excusi, *de divisione scientiæ.*

jus tenebras, accensa ejus luce gaudeamus.

CAP. LVIII.—*Est locus apud me, et stabis super petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Et paulo post : *Tollam manum meam, et videbis posteriora mea* (*Exod.* XXXIII, 21).

Dum de credulitate populi Judaici tractaretur in expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 25), adjunctum est : *Est locus apud me, et stabis super petram*, etc. — Per locum Ecclesia, per petram Dominus, per Moysen vero multitudo est plebis Israeliticæ figurata, quæ Domino in terra prædicante non credidit. Ipsa ergo in petra stetit, terga Domini transeuntis aspiciens, quia videlicet post passionem ascensionemque dominicam, intra Ecclesiam deducta, fidem Christi percipere meruit; et cujus præsentiam non vidit, ejus posteriora agnovit.

CAP. LIX. — *Item unde supra.*

Dum de sanctæ Ecclesiæ celsitudine tractaretur in expos. beati Job, l. XXXV (*Num.* 13), adjunctum est : *Est locus apud me*, etc. — Quia ex sola Ecclesia catholica veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, ut Dei faciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscit. De qua soliditate Dominus dicit : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Sola quippe est per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiduciaIiter intercedat. Unde etiam de agni hostia Dominus præcepit, dicens : *In una domo comedetur, nec offeretis de carnibus ejus foras* (*Exod.* XII, 46). In una namque domo agnus comeditur, quia in una catholica Ecclesia, vera hostia Redemptoris immolatur. De cujus carnibus divina lex efferri foras prohibet, quia dari sanctum carnibus vetat. Sola est in qua opus bonum fructuose peragitur. Unde et mercedem denarii nonnisi qui intra vineam laboraverant acceperunt. Sola est quæ intra se positos valida charitatis compage custodivit. Unde et aqua diluvii arcam quidem ad subliniora sustulit; omnes autem quos extra arcam invenit exstinxit.

CAP. LX.—*Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam progeniem* (*Exod.* XXXIV, 7).

Dum [a] de originali culpa tracta per prolem, quod pravitatis imitatio punienda sit, tractaretur in expos. beati Job, l. XV (*Num.* 57), adjunctum est : *Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus*, etc. — Cum scriptum sit : *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt, ut anima patris; ita et anima filii mea est. Anima quæ peccaverit ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 2 *seq.*; *Jerem.* XXXI, 29). Quid est quod nunc per Moysen Domino dicitur : *Qui reddis iniquitatem patrum in filios ac nepotes?* Sed in utraque hac sententia, dum dissimilis sensus invenitur, auditoris animus, ut discretionis viam subtiliter requirat, instruitur. Peccatum quippe originale a parentibus trahimus; et nisi per gratiam baptismatis solvamur, etiam parentum peccata portamus, quia unum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddet ergo iniquitatem patrum in filios, dum pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum non reddit iniquitatem patrum in filios, quia cum ab originali culpa per baptismum liberamur, non jam parentum culpas, sed quas ipsi committimus, habemus. Quod tamen intelligi etiam aliter potest, quia quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex ejus delicto reus constringitur. Quis-

[a] In Editis legitur : *Quomodo iniquitas parentum puniatur in posteris.* Sequimur Mss. mire consentientes.

A quis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur. Unde fit ut iniquus filius iniqui patris, non solum sua, quæ attulit, sed etiam patris peccata persolvat, cum vitiis patris, quibus iratum dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adjungere non formidat. Et justum est ut qui sub districto judice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita præsenti etiam culpas parentis iniqui persolvere. Unde et illic dictum est : *Anima patris mea est*, etc. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* IV), quia in carne nonnunquam filii etiam ex patris peccato perimuntur. Deleto autem originali peccato ex parentum nequitia, in anima non tenentur. Quid enim est quod parvuli plerumque a dæmonibus arripiuntur, nisi quod caro filii ex patris pœna multatur? In semetipso enim percutitur pater iniquus, et percussionis vim sentire contemnit. Plerumque percutitur in filiis, ut acriter uratur, et dolor patris carni filiorum redditur, quatenus filiorum pœna mens patris iniqua puniatur. Cum vero non parvuli, sed jam provectiores filii ex parentum culpa feriuntur, quid aliud aperte datur intelligi, nisi quod illorum etiam pœnas luunt, quorum facta secuti sunt? Unde et recte dicitur : *Usque ad tertiam et quartam progeniem.* Quia enim usque ad tertiam et quartam progeniem eam quam imitantur filii parentum vitam possunt videre, usque ad eos ultio extenditur, qui viderunt quod male sequerentur.

CAP. LXI. — *Quidquid in cultum tabernaculi, et ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus tribuerunt : armillas, et inaures, annulos, et dextralia. Omne vas aureum in donaria Domini separatum est, si quis habuit hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum, byssum, et pilos caprarum* (*Exod.* LV, 22).

Cum de operationibus electorum intra sanctam Ecclesiam tractaretur in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 24), adjunctum est : *Quidquid in cultum tabernaculi*, etc. In [b] ornamento tabernaculi viri dona cum mulieribus offerunt, quia in explendo cultu sanctæ Ecclesiæ, et fortium facta sublimia, et infirmorum opera extrema numerantur. Quid autem per armillas quæ lacertos astringunt, nisi præpositorum valide laborantium opera demonstrantur? Et quid per inaures, nisi subditorum obedientia exprimitur? Quid per annulos, nisi signaculum secretorum Dei? Plerumque enim magistri signant, quod ab auditoribus capi non posse considerant. Et quid per dextralia, nisi primæ operationis ornamenta memorantur? Quid per vas aureum in donaria Domini separatum, nisi divinitatis intelligentia accipitur? Quæ tanto ab inferiorum amore disjungitur, quanto ad sola, quæ æterna sunt, amanda sublevatur. Quid per hyacinthum, nisi spes cœlestium? Quid per purpuram, nisi cruor ac tolerantia passionum amore regni perpetui exhibita? Et quid per bis tinctum coccum, nisi charitas demonstratur, quæ pro perfectione bis tingitur, quia Dei et proximi dilectione decoratur? Quid per byssum, nisi immaculata carnis incorruptio? Et quid per pilos caprarum, ex quibus ciliciorum asperitas texitur, nisi dura pœnitentiæ afflictio designatur? Dum igitur alii per armillas et annulos forte magisterium exercent, alii per inaures et dextralia devotam obedientiam, rectamque operationem exhibent, alii per separatum vas aureum præclaram subtilioremque Dei intelligentiam tenent, alii per hyacinthum, purpuram, et coccum, audita cœlestia sperare, credere, amare non desinunt, etiam quæ adhuc per subtiliorem intellectum minime cognoscunt; alii per byssum incorruptionem carnis offerunt, alii per caprarum pilos deplorant aspere quod libenter commiserunt, quasi ex uno figmento opificis coadunata donorum ministeria, in tabernacu-

[b] Plurima hoc in capite vitiata juxta priores Editiones correximus ex Mss. Vaticano, Gemet., etc.

lum Domini, hoc est intra sanctam Ecclesiam, prout ipse dederit, offeruntur.

Cap. LXII. — *Fecit et labrum æneum cum base sua, de speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi* (*Exod.* XXXVIII, 8).

Dum de purgandis delictorum sordibus per divinorum mandatorum custodiam tractaretur, homil. 17 in Evang. (*Num.* 10), adjunctum est : *Fecit et labrum æneum cum base sua*, etc. — Labrum æneum Moyses ponit, in quo sacerdotes lavari debeant, et sancta sanctorum ingredi; quia lex Dei prius nos lavari per compunctionem præcipit, ut nostra immunditia ad penetrandam secretorum Dei munditiam non sit indigna. Quod bene labrum de speculis mulierum perhibet factum, quæ ad tabernaculi ostium indesinenter excubant. Specula quippe mulierum sunt præcepta Dei in quibus sanctæ animæ semper se aspiciunt, et quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Cogitationum vitia corrigunt, et quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componunt; quia dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis procul dubio vel quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat, agnoscunt. Quæ quandiu in hac vita sunt, æternum tabernaculum ingredi nequaquam possunt. Sed tamen ad ostium tabernaculi mulieres excubant, quia sanctæ animæ etiam cum infirmitate adhuc carnis gravantur, amore tamen continuo ingressum æterni introitus observant. Moyses ergo labrum sacerdotibus de speculis mulierum fecit : quia lex Dei lavacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet, dum ea per quæ sanctæ animæ superno sponso placuerunt, intuenda nobis cœlestia præcepta præbent. Quibus si diligenter intendimus, internæ nostræ imaginis maculas videmus. Videntes autem maculas, in pœnitentiæ dolore compungimur. Compuncti vero quasi in labro de speculis mulierum lavamur. Tunc ergo de nobis vere compungimur, si studiose patrum præcedentium facta pensamus, ut ex conspecta illorum gloria, in nostris nobis oculis nostra vita sordescat. Tunc vere compungimur, cum præcepta Dei studiose perscrutamur, et per hæc proficere ipsi contendimus, per quæ jam profecisse novimus, quos veneramur.

LIBER TERTIUS.

De Testimoniis libri Levitici.

Caput Primum. — *Detracta pelle hostiæ, artus in frusta concidant. Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita ; et membra quæ cæsa sunt desuper ordinantes, caput videlicet, et cuncta quæ adhærent jecori, intestinis et pedibus lotis aqua* (*Levit.* I, 7, *seq.*).

Cum de cavendo [a] terreni appetitus desiderio tractaretur in expos. beati Job, l. I (*Num.* 54), adjunctum est : *Detracta pelle hostiæ, artus in frusta concidant*, etc. — Pellem hostiæ subtrahimus, cum a mentis nostræ oculis superficiem virtutis amovemus. Cujus artus in frusta concidimus, cum distinguentes subtiliter ejus intima membratimque cogitamus. [b] Curandum ergo est, ne cum mala vincimus, bonis lascivientibus supplantemur, ne fortasse fluxa prodeant, ne incircumspecta capiantur, ne per errorum viam deserant, ne per lassitudinem fracta, anteacti laboris meritum perdant. In cunctis enim vigilanter debet se mens circumspicere, atque in ipsa circumspectionis suæ providentia perseverare (*Moral. l.* IX, *Num.* 84). Sed inter hæc sciendum est, quod idcirco nonnunquam impulsu illicitæ cogitationis affligimur, quia in quibusdam terrenæ conversationis actibus, quamvis licitis, libenter occupamur. Cumque vel in minimis terrena actio per desiderium tangitur, crescente contra nos antiqui hostis fortitudine mens nostra non minima importunitate tentationis inquinatur. Unde et sacerdos legis membra hostiæ per frusta concisa, caput atque ea quæ circa jecur sunt, jubetur ignibus cremare, pedes vero atque intestina hostiæ prius aqua diluere. Nos quippe ipsos sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostram cultui divino dedicamus. Qui membra hostiæ per frusta concisa super ignem ponimus, cum vitæ nostræ opera virtutibus distinguentes immolamus. Caput atque ea quæ juxta jecur continentur, incendimus; cum in sensu nostro, quo omne corpus regitur, atque in occultis desideriis flamma divini amoris ardemus. Et tamen præcipitur ut pedes atque intestina hostiæ laventur. Pedibus enim terra tangitur, intestinis vero stercora gestantur; quia plerumque jam ex desiderio in æternitatem succendimur, jam toto devotionis sensu ad appetitum nostræ mortificationis inhiamus. Sed quia adhuc terrenum præ infirmitate aliquid agimus, nonnulla etiam, quæ jam subegimus, illicita in corde toleramus. Cumque cogitationes nostras immunda tentatio inquinat, quid aliud quam intestina hostiæ stercus portant? Sed ut comburi debeant laventur, quia nimirum necesse est ut immundas cogitationes timoris fletus diluat, quas in acceptione sacrificii supernus amor incendat. Et quidquid mens vel de inexperto certamine, vel de conversationis pristinæ memoria patitur, lavetur, ut tanto suavius in conspectu sui spectatoris ardeat, quanto cum ei assistere cœpit, nil terrenum secum, nil lubricum in ara suæ orationis imponat.

Cap. II. — *De prolato juramento, et per oblivionem omisso, per Moysen dicitur : Offerat agnam de gregibus, sive capram, orabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures vel duos pullos columbarum, unum pro peccato, et alterum in holocaustum* (*Levit.* V, 6, 7, 8).

Dum de modo reparandæ vitæ tractaretur in expos. beati Job, lib. XXXII (*Num.* 4), adjunctum est : *De prolato juramento*, etc. — Juramentum namque proferre, est voto nos divinæ servitutis alligare. Et cum bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. Cum vero abstinentiam cruciatumque carnis nostræ vovemus, male ad præsens nos nobis facere juramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus est, ut quamlibet Deo devotus sit, inter ipsa quantumcunque pia vota non peccet, pro peccato agna offerri, sive capra præcipitur. Quid enim per agnam, nisi activæ vitæ innocentia? Quid per capram, quæ in summis sæpe extremisque pendens rupibus pascitur, nisi contemplativa vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa ac proposita non implesse, ad sacrificium Dei sese studiosius debet, vel innocentia boni operis, vel sublimi pastu contemplationis accingere. Et bene agna de gregibus, capra vero offerri de gregibus non jubetur, quia activa vita multorum est, contemplativa paucorum. Et cum hæc agimus quæ multos agere et egisse conspicimus, quasi agnam de gregibus damus. Sed cum offerentis virtus ad agnam capramque non sufficit, in remedio pœnitentis adjungitur, ut duo columbarum pulli vel

[a] In Cod. Vatic. : *de cavendo spiritualibus terreni*, etc.
[b] Quæ sequuntur, usque ad : *sed inter hæc* etc., absunt a Mss.

duo turtures offerantur. Scimus quia columbarum pulli vel turtures pro cantu gemitus habent. Quid ergo per duos columbarum pullos vel duos turtures, nisi duplex pœnitentiæ nostræ gemitus designatur? Ut cum ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defleamus, quia et recta non fecimus, et prava operati sumus. Unde et unus turtur pro peccato, alter vero offerri in holocaustum jubetur. Holocaustum namque totum incensum dicitur. Unum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus, de altero vero holocaustum facimus, eum pro eo quod bona neglexi-mus, nosmetipsos funditus succendentes, igne doloris ardemus.

Cap. III. — *De turture vel columba, quæ pro peccato offertur, jubetur ut caput ejus retorqueatur ad pennulas, ita ut collo caput inhæreat, et non penitus abrumpatur* (*Levit.* v, 7).

Dum per promissi sacrificii mysterium, de unitate sanctæ Ecclesiæ in suo confirmatæ capite, id est Redemptore nostro, et de gloria passionis ejus tractaretur homil. 7 (*Num.* 10), in Ezech., adjunctum est : *De turture vel columba*, etc. — Quid in hac oblatione turturis vel columbæ, quæ pro peccato jubetur offerri, atque ut post mortem hostiæ corpori caput inhæreat, nisi Mediatoris nostri persona signatur? Redemptoris enim nostri mors ad conjunctionem sui corporis, id est Ecclesiæ valuit, non ad separationem. Mediator etenim Dei et hominum, id est caput omnium nostrum, et vera emundationis hostia, unde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhæsit. Post sectionem ergo caput turturis suo corpori inhæret, quia Christum ab Ecclesia nec mors interveniens dividit. Persecutores igitur peregerunt hoc quod perniciose moliti sunt. Intulerunt mortem, ut ab eo abscinderent fidelium devotionem. Sed inde fides crevit, unde hanc se exstinguere infidelium crudelitas credidit. Cumque se existimarunt ejus ufracula persequendo abscindere, hæc nimirum compulsi sunt pesciendo dilatare. Quis namque caput nostrum est, nisi Redemptor generis humani? De quo scriptum est : *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* (*Ephes.* I, 22). Quem cum Judæi persequerentur, nomen ejus delere de terra conati sunt. Cumque eum crucifixum et sepultum viderent, eum se ab amore omnium divisisse crediderunt. Sed caput turturis et incisum est, et tamen a suo corpore abscissum non est, quia ex eo quod pro nobis mortem pertulit, omnes nos sibi verius in ipsa sua morte conjunxit. Et per hoc quod se nostris oculis visibiliter subtraxit, nostris se mentibus invisibiliter radicavit. Caput ergo turturis incisum adhæsit corpori, quia pro nobis quidem Redemptor noster passus est, sed a nobis separatus non est.

Cap. IV. — *Item unde supra.*

Dum de modo tenendæ vitæ activæ tractaretur, homil. 7 in Ezech., adjunctum est : — Hi qui juxta historiam voluerunt accipere usque dum verum sacrificium veniret, in ipsa litteræ expletione tenuerunt, in quo nos sacrificio, si morale aliquid quæramus, invenimus. Nos enim ipsi in omnipotentis Dei sacrificio esse turtur debemus, ita ut caput nostrum retorqueatur ad pennulas, id est sensus ad virtutes. Non enim immerito per caput mentem intelligimus, quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit. Sed caput collo inhæreat, et non funditus abscindatur, quia videlicet mens nostra carnis delectatione incidenda est; sed a carnis cura necessaria incidenda non est. Hinc enim scriptum est : *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14). Quæ ergo in desideriis fieri prohibetur, procul dubio in necessitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abscissum sit, et ex parte collo inhæreat; ut, sicut dictum est, et a [a] voluntate carnis mens nostra incisa sit, et tamen a necessitate non sit abscissa.

Cap. V. — *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens mane ligna per singulos dies. Et imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum* (*Levit.* VI, 12).

Cum de nutriendo divino amore et servanda cordis innocentia tractaretur in expos. beati Job, lib. XXV (*Num.* 15, 16), adjunctum est : *Ignis in altari semper ardebit*, etc. — Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari. Altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Deum charitatis flammam indesinenter accendere. Cui per singulos dies sacerdos ligna subjiciat, ne exstinguatur. Omnis enim fide Christi præditus, membrum utique summi sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus apostolus dicit : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9). Et sicut Joannes apostolus dicit : *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotium* (*Apoc.* I, 6). Sacerdos ergo in altari ignem nutriens quotidie ligna subjiciat, id est fidelis quisque ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium quam sacræ Scripturæ testimonia congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare, est in exercitatione charitatis vel exempla patrum vel præcepta dominica ministrare. Quia enim interna novitas nostra ipsa quotidie hujus vitæ conversatione veterascit, ignis iste adhibitis lignis nutriendus est, ut dum per usum se nostræ vetustatis extenuat, per patrum testimonia et exempla reviviscat. Et bene illic præcipitur ut mane ligna per dies singulos congerantur. Hæc quippe non fiunt, nisi cum nox cæcitatis exstinguitur. Vel certe quia mane prima pars diei est, postpositis cogitationibus vitæ præsentis, hoc priori loco quisque fidelium cogitet, ut quod in se jamjamque quasi deficit, quibus valet nisibus studium charitatis inflammet. Ignis enim iste in altari Domini, id est in corde nostro citius exstinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrum, et Dominicis testimoniis reparetur. Bene autem illic subjungitur : *Et imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum.* Nam quisquis in se hunc ignem charitatis accendit, semetipsum utique holocaustum desuper imponit, quia omne vitium quod in se male vivebat exurit. Cum enim cogitationum suarum interna considerat, et vitam reprobam per immutationis gladium mactat, in ara se sui cordis imposuit, et igne charitatis accendit. De qua hostia pacificorum adipes redolent : qui interna novæ vitæ impinguatio, pacem inter nos et Dominum faciens, odorem de nobis suavissimum reddit. Quia vero eadem charitas in cordibus electorum inexstinguibilis manet, apte illic subditur : *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari.* Nunquam profecto de altari ignis iste delicit, quia etiam post hanc vitam eorum mentibus fervor charitatis accrescit. Æterna quippe contemplatione agitur, ut omnipotens Deus, quo magis visus fuerit, eo amplius diligatur.

Cap. VI. — *Item unde supra.*

In commentario Ezechiel., hom. 12 (*Num.* 30): — Quod offerri per legem simila in sacrificium jubetur. Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale zelus animarum. Hinc enim Psalmista ait, *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* LXVIII, 10). (*Num.* 5). Quantum vero frixura cordis, quæ per spiritualem zelum agitur, omnipotentem Dominum placat, aperte ostenditur, cum offerri per legem simila in sacrificium jubetur. De qua scriptum est : *In sartagine oleo conspersa frigetur, offeretque eam calidam in odorem suavissimum Domino sacerdos, qui patri jure successerit, et tota cremabitur in altari* (*Levit.* VI, 21). Tunc enim simila in sartagine frigitur, cum munda mens justi per zeli sancti ardorem crematur. Quæ conspersa

[a] Gemet. et Utic., *a voluptate*. Retinemus receptam lectionem quæ est Michael.

gi oleo præcipitur, quia enim Græce misericordia ἔλεος dicitur, non immerito per oleum misericordia designatur, quæ in conspectu omnipotentis Domini ardet et lucet. Conspergatur ergo oleo mens quæ in sartagine frigitur, quia in sancti zeli districtione necesse est ut ex misericordiæ virtute et ardeat et clarescat. Amat enim eumdem ipsum quem insequi videtur. Unde et calida in odorem suavissimum Domino offerri præcipitur, quia si amorem zelus non habet, ea quæ in sartagine offertur calorem simila amisit. Et notandum quis eam offerre præcipitur, videlicet sacerdos qui patri jure successerit. Ille enim sacerdos patri jure succedit, qui esse se omnipotentis Dei filium moribus demonstrat, atque a nobilitate intima operum suorum ignobilitate non discrepat. Quæ in altari tota cremari præcipitur, ut videlicet holocaustum fiat. Holocaustum enim totum incensum dicimus. Unde et in translatione altera hæc eadem simila quæ in sartagine frigitur, holocaustum fieri jubetur. Hoc autem inter holocaustum et sacrificium distat, quia omne quidem holocaustum sacrificium est, non omne sacrificium holocaustum. Sunt enim multa bona quæ aguntur sacrificia, sed holocausta non sunt, quia totam mentem in amore spirituali minime incendunt. Qui enim sic operantur ea quæ Dei sunt, ut tamen ea quæ sunt sæculi non relinquant, nimirum sacrificium, et non holocaustum, offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt deserunt, et totam mentem igne divini amoris accendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium et holocaustum faciunt. Simila itaque in sartagine est munda mens justi in zeli spirituali afflictione, quæ per sollicitudinem animarum frigitur; et non solum sacrificium, sed etiam holocaustum Domino esse deputatur.

CAP. VII. — *Quod cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri* (*Levit.* VII, 3).

Dum de perseverantia boni operis tractaretur homil. 25 (*Num.* 2) in Evang., adjunctum est : *Quod cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri.* — Quid in cauda, nisi finis est corporis? Et ille bene immolat, qui sacrificium boni operis usque ad finem debitæ perducit actionis. Cauda ergo bestiæ in altari offerri præcipitur, ut videlicet omne bonum, cum incipimus, etiam perseveranti fine compleamus.

CAP. VIII. — *Quod sacerdos ex sacrificio, dextrum armum, ac separatum jubetur accipere* (*Levit.* VII, 33).

Dum de custodia sacerdotalis officii tractaretur, in Cod. Reg. past., [a] tit. 14, adjunctum est : *Quod sacerdos ex sacrificio*, etc. — Quid est quod sacerdos ex præcepto legis, non solum dextrum armum, sed etiam separatum jubetur accipere, nisi ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis? Nec inter malos tantummodo, quæ recta sunt, faciat, sed bene quoque operantes subditos sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, ut quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso auctori discat immolare. Et non solum pectore quæ recta sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia animo operis invitet. Nulla præsentis vitæ appetat, nulla pertimescat. Blandimenta mundi respecto intimo terrore despiciat, terrores autem considerato internæ dulcedinis blandimento contemnat.

CAP. IX. — *Quod pisces, qui pinnulas non habent, ab esu fidelis populi prohibentur. Et quod pisces, qui pinnulas squamarum habent, dare saltus etiam super aquas solent* (*Levit.* II, 9).

Dum de desideriis electorum spiritualiter viventium tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 19), adjunctum est : *Quod pisces, qui pinnulas non habent*, etc. — Quid [b] ergo pennatis piscibus, nisi electæ animæ figurantur? Quæ profecto solæ in cœlestis Ecclesiæ corpus transeunt. Quæ modo, virtutum pinnulis fultæ, saltus dare per cœleste desiderium sciunt, ut superna contemplatione appetant, quamvis in seipsis iterum ex mortali carne dilabantur.

CAP. X. — *Item unde supra.*

(*Num.* 19). — Pisces, qui habent pinnulas, saltus dare super aquas solent; soli ergo in electorum corpore quasi pisces transeunt, qui in eo quod imis deserviunt, aliquando ad superna conscendere mentis saltibus, sciunt ne semper in profundis curarum lateant, et nulla eos amoris summi quasi liberi aeris aura contingat. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cum sollicite ad interiora confugiunt, cum nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt.

CAP. XI. — *Si ultra apparuerit in his locis quæ prius immaculata erant, lepra volatilis et vaga, debet igni comburi* (*Levit.* XIII, 57).

Dum de alternantibus in reproba mente vitiis tractaretur, hom. 10 in Ezechiel., adjunctum est : *Si ultra apparuerit in his locis*, etc. — [c] Aliquando quædam nos male egisse cognoscimus, atque hæc a nostro opere vitamus; sed ipsa nobis culpa aliis actibus surrepit, quæ prius nos in aliis tenebat. Nam sunt nonnulli qui, carnali immunditiæ subjecti, ad semetipsos considerantes redeunt, reatum suæ pravitatis agnoscunt. Cumque se ab immunda actione correxerint, statim de castitatis bono stulta elatione gloriantur, et quos prius immunditia operis tenebat in corpore, postmodum immunditia elationis tenet in cogitatione. Quid itaque istos, nisi lepra volatilis possidet, quæ vestimentum plene non deseruit, sed in eo locum mutavit? Vestimentum quippe sanctæ Ecclesiæ unusquisque fidelis est. Unde ei per prophetam dicitur : *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris* (*Isai.* XLIX, 8). Lepra ergo volatilis et vaga vestimentum tenet, quando eam animam quæ esse fidelis cernitur per immutatum vitium culpa possidet. [d] Si quis enim habitis in hoc mundo divitiis fortasse superbiat, sed ab ore prædicantis cuncta hæc peritura esse audiens, ea quæ possidet pauperibus dispergat; de ipsa vero distributione elationem in corde habeat, quia prius hunc elatio per tenaciam, postmodum per largitatem tenuit, lepra, ut diximus, in vestimento locum mutavit. Alius immoderatis indisciplinatisque inepte lætitiæ verbis est deditus, qui dum fortasse a prædicatore corripitur, gravitatis censura se coercere studet, ne dissoluto gaudio lætetur; sed sæpe dum plusquam debet a gaudio restringitur, animus in iram vertitur, et sua ei tristitia iracundiæ stimulos excitat, atque constrictam mentem furoris aculeo perturbat. Quia ergo vitium ineptæ lætitiæ per immoderatam continentiam ad iracundiæ vitium transit, lepra vaga et volatilis locum quem tenebat destituit, et quem non tenebat, occupavit.

CAP. XII. — *Qui fluxum seminis patitur, immundus erit* (*Levit.* XV, 10).

Cum de tenenda locutionis mensura tractaretur in expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 28), adjunctum est : *Qui fluxum seminis patitur*, etc. — [e] Quid est sermo, nisi semen? Qui dum ordinate emittitur, audientis mens quasi concipientis uterus, ab boni operis prolem fetatur; si vero importune defluit, emittentem polluens, generandi virtutem perdit. In mente quippe audientium semen secuturæ cogitationis est auditæ qualitas locutionis, quia dum per aurem sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Nam si semen sermo non esset, de prædicante Paulo nequaquam Athenienses dicerent : *Quid sibi vult seminiverbius*

[a] Id est II part., cap. 3. Eadem leguntur epist. 25, lib. I, olim 24.

[b] In Michael. laudatur homil. 26 in Evang.

[c] In Michael. assignatur hom. 11. In neutra nobis occurrit quod hic legitur.

[d] Hic locus in Editis et in multis Mss. est corruptus. Veram lectionem suppeditavit Cod. Michael.

[e] In Gemet. : *Quid per fluxum seminis, nisi sermonis semen accipitur? Qui dum ordinate emittitur.*

hic dicere (*Act.* XVII, 18)? De quo et Lucas dicit : *Ipse enim erat dux verbi* (*Act.* XIV, 11). Semen ergo usui propaginis dicatum incompetenter fluens, cætera membra coinquinat, cum sermo per quem in audientium sensibus nasci scientia debuit, si inordinate prodeat, etiam quæ recte senserit fœdat. Qui ergo fluxum seminis sustinet, immundus asseritur, quia multiloquio subditus ex eo se inquinat (*Reg. past. p.* II, *cap. 4 in fin.*). Quod si ordinate promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corde potuisset. Dumque incautus per loquacitatem defluit, non ad usum generis, sed ad immunditiam semen fundit. Unde et Paulus quoque cum discipulum de instantia prædicationis admoneret, dicens : *Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus : Prædica verbum ; insta opportune, importune* (*I Tim.* IV, 1). Dicturus *importune*, præmisit *opportune*, quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.

CAP. XIII. — *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum* (*Levit.* XIX, 14).

Dum de cavendo detractionis ac scandali vitio tractaretur in Reg. past. part. III (*Cap.* 35, *a.* 36), adjunctum est : *Non maledices surdo*, etc. — Surdo maledicere, est absenti non audienti derogare. Coram cæco ponere offendiculum est discretam quidem rem agere, sed tamen ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere.

CAP. XIV. — *Quando ingressi fueritis terram, quam ego daturus sum vobis, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis* (*Levit.* XIX, 23).

Cum de vitando appetitu laudis transitoriæ tractaretur in expos. beati Job, lib. VIII (*Num.* 79, 80), adjunctum est : *Quando ingressi fueritis terram*, etc. — Ligna pomifera sunt opera virtutibus fecunda. Præputia itaque lignorum auferimus cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Poma autem quæ germinant, immunda dicimus, nostrisque esibus non aptamus, quia cum primordia boni laudantur operis, dignum est ut hoc animum non pascat operantis, ne dum accepta laus suaviter carpitur, fructus operis intempestive comedatur. Qui ergo inchoatæ virtutis ab humano ore laudem receperit, quasi plantati ligni ante tempus pomum comedit. Hinc per Psalmistam Veritas dicit : *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis* (*Psal.* CXXVI, 2). Ante lucem quippe surgere, est priusquam claritas æternæ retributionis appareat, in præsentis vitæ nocte gaudere. [a] Sedendum ergo prius est ut post recte surgamus ; quia quisquis nunc se sponte non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat.

CAP. XV. — *Loquere ad Aaron : Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Ubi et repente subjungitur : *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo et grandi et torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus* (*Levit.* XXI, 17, *seq.*).

Cum de morum vitiis, per corporum infirma distinctis tractaretur, Reg. past. part. I (*Cap.* IX), adjunctum est : *Loquere ad Aaron*, etc. — Considerandum valde est quia cum causam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Cujus, si adhuc in opere passiones vivunt, qua præsumptione percussum mederi poterit, qui in facie vulnus portat? (*Cap.* X.) Ille ergo, ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit. Qui prospera mundi postposuit. Qui nulla adversa A pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plus quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis, ut propria, deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis profectibus lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris in cunctis quæ agit insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis mens erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis usu et experimento jam didicit, quod obtinere a Domino, quæ poposcerit, possit. (*Cap.* 11). Hinc est quod superna voce morum vitia per corpora infirma signantur, dum ad Moysen Dominus dicit : *Loquere ad Aaron : Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus* (*Levit.* B XXI, 17). Ubi et repente subjungitur : *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo vel grandi et torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus.* Cæcus quippe est qui supernæ lumen contemplationis ignorat. Qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo egressum operis porrigat, nescit. Hinc etenim prophetante Anna dicitur : *Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent* (*I Reg.* II, 9). Claudus vero est qui quidem quo pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis vitæ viam perfecte non valet tenere quam videt. Qui ad virtutis statum dum fluxa consuetudine non erigitur, quo desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc etenim Paulus dicit : *Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans* C *quis erret, magis autem sanetur* (*Hebr.* XII, 12, 13). Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Naso quippe odores fetoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Unde et in laude sponsæ dicitur : *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano* (*Cant.* VII, 4). Quia nimirum sancta Ecclesia quæ ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, et ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli qui dum æstimari hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus plusquam necesse est exercentes, [b] ex nimia subtilitate falluntur. Unde hic quoque subditur, vel grandi et torto naso. Nasus etenim grandis et tortus, est discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plusquam decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est qui viam Dei pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditus exsors vacat, quatenus hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, D sed ab his omni modo alienus existat. Gibbus vero est quem terrenæ sollicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat, sed solis his quæ in infimis calcantur, intendat. Qui etsi quando aliquid ex bono patriæ cœlestis audierit, ad hoc nimirum perversæ consuetudinis pondere prægravatus, cordis faciem non attollit. Quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ usus sollicitudinis curvum tenet. Ex horum quippe specie Psalmista dicit : *Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque* (*Psal.* XXXVIII, 8). Quorum culpam quoque per semetipsam Veritas reprobans ait : *Semen autem, quod in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum* (*Luc.* VIII, 14). Lippus vero est cujus quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat,

[a] Irrepsit in Ed. *sciendum*, pro *sedendum*.

[b] Excusi contra Gregorii mentem, *ex minima*.

sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente infirmatæ palpebræ grossescunt. Quæ quia infusione crebro atteruntur, etiam acies pupillæ vitiatur. Et sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat quia videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed usu pravorum actuum caligant. Lippus itaque est, cujus sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Cui bene per angelum dicitur : *Collyrio inunge oculos tuos ut videas* (*Apoc.* III, 18). Collyrio quippe oculum ut videamus inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adjuvamus. Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur, quia arrogantia sapientiæ, seu justitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt, albuginem tolerans nil videt, quia videlicet sensus humanæ cogitationis si stultum se peccatoremque intelligit, cogitationem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi justitiæ seu sapientiæ tribuit, a luce se supernæ cognitionis excludit; et eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat. Sicut de quibusdam dicitur : *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I, 22). Jugem vero habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie etenim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quam luxuria recte designatur, quia si cordis tentatio usque ad operationem prosilit, nimirum fervor intimus usque ad cutis scabiem prorumpit, et foras jam corpus sauciat, quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cum dicebat : *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* (*I Cor.* x, 13). Ac si aperte diceret : Humanum quidem est in corde tentationem perpeti, dæmoniacum vero est, in tentationis certamine et in operatione superari. Impetiginem quoque habet in corpore quisquis avaritia vastatur in mente, quæ si in parvis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, et absque occupati tædio excrescens membrorum decorem fœdat, quia et avaritia capti animum dum quasi delectat exulcerat, dum adipiscenda quæque cogitationi objicit, ad inimicitias accendit et dolorem in vulnere non facit, quia æstuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo depravatur, et quasi totum corpus exasperat, quia per universa vitia animum supplantat, Paulo attestante qui ait : *Radix omnium malorum est cupiditas* (*I Tim.* VI, 10). Ponderosus vero est qui turpitudinem non exercet in opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine gravatur in mente. Qui nequaquam quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ sine ullo repugnationis obstaculo delectatur. Vitium quippe est ponderis, cum humor viscerum ad virilia labitur, quæ profecto cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciviam defluens, pondus turpitudinis gestat in corde : et quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non evellitur mente, nec ad usum boni operis in aperto valet assurgere, quia gravat hunc in abditis pondus turpe. Quisquis ergo quolibet horum vitio subjicitur, panes Domino offerre prohibetur, [a] nec profecto diluere aliena delicta valet is, quem adhuc propria devastant.

[a] Excusi, invitis Mss. : *ne profecto diluere aliena delicta non valeat, is quem adhuc propria devastant.*

LIBER QUARTUS.

De Testimoniis libri Numerorum.

CAPUT PRIMUM. — *Quod Nazaræi capillos nutriunt, quos post votum in igne sacrificii ponunt* (*Num.* VI, 18).

Cum de [a] vitandis superfluis cogitationibus tractaretur in expos. beati Job, l. II (*Num.* 34), adjunctum est : *Quod Nazaræi capillos nutriunt*, etc. — Quid est quod Nazaræi capillos nutriunt, nisi quod per vitam magnæ continentiæ præsumptionum cogitationes crescunt? Sed quid est quod devotione completa caput Nazaræus radere, capillosque in igne sacrificii ponere jubetur, nisi quod tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas a mente resecemus? Quas nimirum sacrificii igne concremare, est flamma eas divini amoris incendere, ut totum cor in Dei amore ardeat, et cogitationes superfluas concremans, quasi Nazaræi capillos devotionis perfectione consumat.

CAP. II. — *Quod Moyses crebro tabernaculum intrat, et exit* (*Num.* 7).

Cum de præpositorum ædificanda regiminis regula tractaretur, Regul. pastoral. parte II (*Cap.* 5), adjunctum est : *Quod Moyses crebro*, etc. — Quid est quod Moyses crebro tabernaculum intrat et exit, nisi quod is, qui mente in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur? Intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, ac coram testamenti arca Dominum consulit, exemplum procul dubio rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant; et velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his, in quibus dubitant, apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirant. Unde et ipsa Veritas per susceptionem nobis nostræ humanitatis ostensa, in monte orationi inhæret (*Luc.* VI, 12), miracula in urbibus exercet; imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens, ut etsi jam summa contemplando appetant, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur, quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, et cum benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.

CAP. III. — *Levitæ radant omnes pilos carnis suæ* (*Num.* VIII, 7).

Cum de vitandis carnalibus concupiscentiis ab electorum cordibus tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 59), adjunctum est : *Levitæ radant omnes pilos carnis suæ.* — Pili carnis sunt quælibet superflua humanæ corruptionis. Pili carnis sunt vitæ veteris cogitationes quas sic a mente abscindimus, ut de amissione earum nullo dolore fatigemur. Levita namque assumptus vocatur. Oportet ergo Levitas omnes pilos carnis radere, quia is, qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis co-

[a] In Excusis legitur : *de resecanda cogitationum superfluitate.* Adhæremus Mss. Vaticano, Michael, Utic., etc.

gitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, et pulchram animæ speciem quasi pilis fructificantibus deformem reddat. Sed quantalibet, ut diximus, quempiam virtus sanctæ conversationis evexerit, adhuc tamen ei de vetustate vitæ nascitur, quod toleretur. Unde et ipsi Levitarum pili radi præcepti sunt, non evelli. Rasis etenim pilis in carne radices remanent et crescunt, ut iterum radantur, quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat, sed hæc in nobis tunc subtilius conspicimus, cum speculationis alta penetramus.

Cap. IV. — *Quod Levitæ ab anno vigesimo quinto ministrare debeant, ab anno vero quinquagesimo custodes vasorum fiant* (*Num.* VIII, 24, 25).

Cum de operationibus intra sanctam Ecclesiam perfectorum et imperfectorum tractaretur in expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 21), adjunctum est : *Quod Levitæ ab anno vigesimo quinto ministrare debeant*, etc. — Quid per annum quintum ac vigesimum, in quo flos juventutis oboritur, nisi ipsa contra unumquodque vitium bella signantur? Et quid per quinquagenarium, in quo jubilæi requies continetur, nisi interna requies edomito bello mentis exprimitur? Quid vero per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur? Levitæ ergo ab anno vigesimo et quinto tabernaculo serviant, et a quinquagesimo custodes vasorum fiant, ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina [a] per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant. Electi enim cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac servire necesse est, et obsequiis laboribusque fatigari. Cum vero tentationum bella subegerint, quo apud se jam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam sortiantur : mentis quippe ætate tranquilla, dum calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt, quia doctores animarum fiunt.

Cap. V. — *Quod Moyses in rebus dubiis crebro ad tabernaculum redit* (*Num.* IX, 7, 8, 9).

Dum de bono quietis internæ et vitandis sæcularibus vitæ tumultibus tractaretur in expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 38), adjunctum est : *Quod Moyses in rebus dubiis crebro ad tabernaculum redit.* — Relictis turbis ad tabernaculum redire est postpositis exteriorum tumultibus secretum mentis intrare. Ibi enim Dominus consulitur et quod foris agendum est publice, intus silenter auditur. Hoc quotidie boni rectores faciunt, cum se res dubias discernere non posse cognoscunt, ad secretum mentis velut ad quoddam tabernaculum revertuntur, divina lege perspecta, quasi coram posita arca Dominum consulunt; et quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes innotescunt. Ut enim exterioribus officiis inoffense deserviant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant, et sic vocem Dei, quasi per occultam inspirationem audiunt, dum in meditatione mentis a carnalibus sensibus abstrahuntur.

Cap. VI. — *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles.* Et paulo post : *Cum concisus clangor increpuerit, movebunt castra* (*Num.* X, 2, 5).

Dum de operationibus duorum præceptorum, videlicet amoris Dei et proximi per summum institutum boni doctoris ministratum in auditorum cordibus tractaretur, in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 14), adjunctum est : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles*, etc. — Per duas tubas exercitus ducitur, quia per duo præcepta charitatis ad procinctum fidei populus vocatur. Quæ idcirco argenteæ fieri præcipiuntur, ut prædicatorum verba lucis nitore pateant, et auditorum mentem nulla sui obscuritate confundant. Idcirco autem ductiles, quia necesse est ut hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsionibus crescant. Bene autem dicitur : *Cum concisus clangor increpuerit, movebunt castra*, quia nimirum prædicationis sermo cum subtilius ac minutius agitur, auditorum corda contra tentationum certamina ardentius excitantur.

Cap. VII. — *Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis; veni nobiscum, ut bene faciamus tibi* (*Num.* X, 29).

In codice Reg. past. III (*Cap.* 17, *prop. fin.*), adjunctum est : *Proficiscimur ad locum*, etc. — Plerumque persuadere elatis utilia melius possumus, si profectum eorum nobis potius quam illis profuturum dicamus, si meliorationem nobis magis quam sibi profuturam dicamus, et eam magis nobis quam sibi impendi postulamus. Facile enim ad bonum elatio flectitur, si ejus inflexio prodesse et aliis credatur. Unde Moyses, qui regente se Deo, per desertum aerea columna duce pergebat, cum Obab cognatum suum a Gentilitatis conversatione vellet educere, et omnipotentis Dei dominio subjugare, ait : *Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis; veni nobiscum, ut bene faciamus tibi : quia Dominus bona promisit Israel* (*Num.* X, 29, *seq.*). Cui cum respondisset ille : *Non vadam tecum, sed revertar ad terram meam in qua natus sum*, illico adjunxit : *Noli nos relinquere, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster.* Neque enim Moysi mentem ignorantia itineris angustabat, quem et ad prophetiæ scientiam cognitio divinitatis expenderat, quem columna exterius præibat, quem de cunctis interius per conversationem cum Deo sedulam locutio familiaris instruebat. Sed videlicet vir providus, elato auditori colloquens, solatium petiit ut daret. Ducem eum requirebat in via, ut dux ei fieri potuisset ad vitam. Egit itaque ut superbus auditor voce ad meliora suadenti, eo magis fieret devotus, quo putaretur necessarius; et unde se exhortatorem suum præcedere crederet, inde se sub verbis exhortantis inclinaret.

Cap. VIII. — *Quod dum populus manna perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros, cæpasque concupivit* (*Num.* XI, 5, 6, 7).

Cum de reprobarum mentium vitiis per contemptam supernæ aspirationis dulcedinem tractaretur in expos. beati Job, l. XX (*Num.* 39, 40), adjunctum est : *Quod dum populus manna perciperet*, etc. — Dura, carnalium mentes præ amore sæculi, quasi quædam mollia ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus a mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet; et tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter quam tenere blanda spiritualiter gaudet. Plus acerbitate fatigationis quam quietis dulcedine pascitur; quod aperte in semetipso nobis Israeliticus populus ostendit, qui dum refectionem mannæ desuper perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros, cæpasque concupivit. Quid enim signatur in manna, nisi esca gratiæ suave sapiens, ad refectionem interioris vitæ bene vacantibus desuper data? Et quid per ollas carnium, nisi carnalia opera vitæ in tribulationum laboribus, quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros ac cæpas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ a dilectoribus suis et non sine luctu agitur, et tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus, porros cæpasque quæsierunt, quia videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt. Et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt. Contemnunt ha-

[a] Abest, *per consensum delectationis*, ab Utic. et Gemet; legitur in Michael.

bere ubi spiritualiter gaudeant, et desiderantes appetunt ubi et carnaliter gemant.

Cap. IX.—*Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint* (*Num.* xi, 16).

Dum de spectanda potius morum gravitate quam ætate in constituendis præfectis tractaretur in expos. beati Job, l. xix (*Num.* 26), adjunctum est : *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel*, etc. — Sicut plerumque juvenes dici solent qui nulla consilii gravitate fulciuntur, ita senes non eos Scriptura sacra vocare consuevit qui sola quantitate temporum, sed morum grandævitate maturi sunt. Unde per quemdam sapientem dicitur : *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* iv, 8). Hinc est ergo quod ad Moysen Dominus dicit : *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sunt.* In quibus quid aliud quam senectus cordis requiritur, cum tales jubentur eligi qui senes esse sciuntur ? Si enim senectus in eis corporis quæreretur, a tantis sciri poterant, a quantis videri. Dum vero dicitur : Quos tu nosti quod senes populi sunt, profecto liquet, quia senectus mentis non corporis eligenda nuntiatur.

Cap. X. — *Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum* (*Num.* xi, 29)?

Cum de pio desiderio cordis pastorum in lucrandis subditis tractaretur in exposit. beati Job, lib. xxii (*Num.* 54), adjunctum est : *Quid æmularis pro me?* etc.—Pia Pastorum mens, quia non propriam gloriam sed auctoris quærit, ab omnibus vult adjuvari quod agit. Fidelis namque prædicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora eunctorum sonent. Unde cum Josue duobus in castris remanentibus atque prophetantibus vellet obsistere, recte per Moysen dicitur : *Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet et det eis Dominus spiritum suum?* Prophetare quippe omnes voluit, qui bonum quod habuit aliis non invidit.

Cap. XI. — *Quod Aaron assumpto thuribulo inter viventes ac mortuos stetit* (*Num.* xvi, 47, 48).

Dum de boni pastoris studio tractaretur, adjunctum est : *Quod Aaron assumpto thuribulo inter viventes ac mortuos stetit.*—[a] Quid est quod Aaron, ut iram Domini placaret, thuribulum sumpsit, atque inter viventes ac mortuos stetit, nisi quia Sacerdotis est negotium omnipotenti Deo orationem effundere, et pro justis ne cadant, et pro peccatoribus, ut resurgere debeant? unde et Psalmista ait : *Intret oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* cxl, 2).

Cap. XII.— *De virgis duodecim in tabernaculo positis, ex quibus virga Aaron floruit* (*Num.* xvii, 2).

Dum de mysterio resurrectionis tractaretur, in expos. beati Job, l. xiv (*Num.* 68), adjunctum est : *De virgis duodecim in tabernaculo positis*, etc.—Cum Aaron sacerdotium, qui de tribu Levi fuerat, despiceretur, nec digna tribus quæ offerret holocausta crederetur, duodecim virgæ juxta duodecim tribus in tabernaculo poni præceptæ sunt, et ecce virga Levi viruit, et quid virtutis in munere Aaron haberet, ostendit. Quo videlicet signo quid innuitur, nisi quod omnes, qui usque ad finem mundi jacemus in morte, quasi virgæ reliquæ in ariditate remanemus. Sed cunctis virgis in ariditate remanentibus, virga Levi ad florem rediit, quia corpus Domini, veri scilicet sacerdotis nostri, in mortis ariditate positum, in florem resurrectionis erupit. Quo flore Aaron recte sacerdos esse cognoscitur, quia hac resurrectionis gloria Redemptor noster, qui de tribu Juda ac Levi ortus est, intercessor pro nobis esse monstratur. Ecce ergo jam virga Aaron post ariditatem floret, sed virgæ duodecim tribuum in ariditate remanent, quia jam quidem corpus Domini post mortem vivit, sed nostra adhuc corpora usque in finem mundi a resurrectionis gloria differuntur.

Cap. XIII. — *Præcipe filiis Israel ut adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum ; tradesque eam Eleazaro sacerdoti, qui ductam extra castra immolabit in conspectu Domini, et intinget digitum in sanguine ejus, aspergens contra fores tabernaculi septem vicibus; comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus quam sanguine et fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum et hyssopum coccumque bis tinctum sacerdos immittet in flammam, quæ vaccam vorat, et tunc demum, lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum. Sed et ille qui combussit eam lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sit multitudini filiorum Israel in custodiam et in aquam aspersionis, quia pro peccato combusta est vacca* (*Num.* xix, 3 *seq.*).

Dum de mysterio incarnationis dominicæ tractaretur in expos. beati Job, adjunctum est : *Præcipe filiis Israel ut adducant ad te vaccam rufam*, etc. — [b] Solet per masculinum sexum fortitudo, per femininum vero infirmitas designari. Quid ergo per vaccam, nisi assumpta ad sacrificium infirmitas incarnationis dominicæ figuratur, de quo scriptum est : *Quia etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute* (*II Cor.* xiii, 4)? Bene autem vacca hæc etiam rufa dicitur, quia videlicet ejus humanitas rubra per cruorem passionis fuit. Unde et in Canticis canticorum a sponsa describitur dicente : *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* v, 10). Candidus videlicet ex divinitate, rubicundus ex sanguine ; candidus per justitiam vitæ, rubicundus ex cruore passionis. Ætas humanitatis Domini integra est omnis ejus operatio perfecta, in qua videlicet humanitate macula non fuit, quia et veraciter de eo scriptum est : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*I Petr.* ii, 22). Bene autem dicitur, nec portaverit jugum. Scriptum quippe est : *Omnis qui peccat, servus est peccati* (*Joan.* viii, 34). Quia igitur Dominus nulli peccato succubuit, jugum minime portavit. Sequitur : *Tradesque eam Eleazaro sacerdoti, qui ductam extra castra immolabit in conspectu Domini.* Quid est quod hæc vacca ad immolandum sacerdoti traditur, nisi quod incarnatus Dominus pro redemptione nostra sacrificium semetipsum in Judaici populi manus datur? Qui etiam extra castra in conspectu Domini immolatus est, quia videlicet extra portam passus. Unde et per Paulum dicitur : *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* xiii, 12). Idcirco enim extra portam passus est, ut a conversatione nos vitæ præsentis quasi a civitate foras duceret, et a terrena inhabitatione cor nos avellere persuaderet. Bene autem dicitur quia *immolabit in conspectu Domini.* Redemptor enim noster in conspectu hominum quasi exstinctus est, sed in conspectu Patris immolatur, quia quod ante oculos hominum pœna, hoc ante oculos Patris sacrificium fuit. *Et intinget digitum in sanguine ejus.* Quid per digitum nisi discretio nostræ operationis accipitur ? In sanguine ergo vaccæ digitum intingere est in passione incarnationis dominicæ nostra opera consecrare, ut passionem ejus, quam cogno-

[a] In Gemet. ac Michaelino indicatur hom. undecima in Ezechiel., ubi tamen non invenitur.

[b] In Gemet. notatur hæc ex lib. xiv in Job esse desumpta. In Michael. nullum sancti Gregorii opus indicatur. Nullibi a nobis inventa sunt.

scimus, imitemur. Sicut scriptum est : *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II, 21). Eleazar itaque sacerdos et immolat, et in sanguinem ejus digitum intingit, quia videlicet plebs Judæa ex reproborum parte humilitatem Domini usque ad passionem persecuta est; ex electorum vero parte operationem humilitatis ejus imitata. *Et spargit contra fores tabernaculi.* Quid hoc loco tabernaculum, nisi tota simul Synagoga accipitur? Qui ergo tinxerit in sanguine ejus digitum, eumdem sanguinem contra fores tabernaculi aspergat, id est quisquis passionis ejus vias imitatur, Synagogæ non credenti et resistenti per exempla bona, per prædicationem rectam, signum bene vivendi præbeat. Contra fores enim tabernaculi vaccæ sanguinem aspergere est resistenti plebi Judaicæ per prædicationem rectam et per sancta opera passionis ejus exempla monstrare. Bene autem dicitur ut digitus in ejus sanguine septem vicibus intingatur, et aspergatur, in septenario autem numero perfectio accipitur. Unde et septem diebus universum tempus impletur, et sanctus Spiritus septiformis vocatur (*Isa.* XI). Septem ergo vicibus in sanguine ejus digitum intingere est per perfectam operationem mysterium passionis ejus imitari. Et septem vicibus contra Synagogam aspergere est perfecta prædicatione sacramenta incarnationis ac passionis ejus infidelibus denuntiare. *Comburetque eam cunctis videntibus juxta castra, tam pelle et carnibus ejus quam sanguine et fimo flammæ traditis.* Quid per carnem et pellem, quid per sanguinem et fimum vaccæ, nisi carnalia sacrificia in testamento veteri habita, quæ infirmitatem denuntiabant Domini, designantur? Quæ omnia postmodum spiritualiter a Patribus intellecta juxta exterius ministerium stercora sunt notata. Unde Paulus cum de sacrificiis carnalibus loqueretur, dicit : *Propter quem omnia detrimentum faciens, arbitror ut stercora* (*Philip.* III, 8). Quæ flammæ traduntur, quia quamvis carnaliter primum sunt exhibita, postmodum per sanctum Spiritum intelligentiæ igne consumpta sunt. Possumus tamen in eadem vacca, id est in ipsa infirmitate incarnationis Dominicæ, carnem, pellem, sanguinem et fimum, singula quæque ejus opera accipere. Quid enim per carnem, et pellem, nisi exterior ejus operatio designatur? Quid per sanguinem, nisi subtilitas internaque virtus exteriora acta vivificans? Quid per fimum, nisi lassitudo, sitis, esuries, timor mortis, et quæque ex humanitate suscepta voluit, designantur? Quidquid enim ex defectu nostræ mortalitatis habuit, quasi fimus in eo abjiciendum fuit. Quæ tamen omnia quæ ex nostra infirmitate suscepit, quia pro nostra redemptione exhibuit, igne concremanda sunt, id est juxta virtutem sancti Spiritus intelligenda, ut quæque ab eo corporaliter gesta sunt, per incorporeum divinitatis ejus spiritum disposita sentiantur. Ubi et bene subjungitur : *Lignum quoque cedrinum, et hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam quæ vaccam vorat.* Cedrus quippe, et altum et imputribile lignum; hyssopus vero herba valde humilis, quæ tamen inflammationem amovet pulmonis. Quid enim per cedrum, nisi alta et perseverans contemplatio? Quid in hyssopo, nisi mansueti cordis humilitas designatur? Quia qui jam alta contemplatione superna attollitur, necesse est ut per humilitatis compassionem inferioribus condescendat, et non se ex eo, quod habet, erigat, sed quidquid habet, his etiam qui illud non habent, prædicando libenter impendat. Quid vero in cocco bis tincto, nisi charitatis virtus exprimitur? Quæ coccus bis tinctus dicitur, quia charitas per flammam sancti amoris accensa duobus exhiberi præceptis jubetur, id est dilectione Dei, et dilectione proximi. Bis tinctus ergo coccus est charitas duplici præcepto formata, ut sic diligatur Deus, ne deseratur proximus; sic diligatur proximus, ne contemnatur Deus. In hac ergo flamma quæ vaccam vorat, cedrum, hyssopum, bis tinctum coccum sacerdos mittat. Omnes enim, qui in Christum credimus, sacerdotes sumus. Unde scriptum est : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9). Sed quidquid per ignem contemplationis alte sentimus, quidquid per mansuetudinem humilitatis agimus, quidquid per ignem charitatis habemus, in spiritu passionis Dominicæ tingere debemus, ut omne quod in nobis est illum imitetur a quo est, ne si extra imitationem passionis ejus aliquid agimus, non tam virtutem quam vitium agamus. Mittatur ergo in flammam quæ vaccam vorat cedrus, id est perseverantia, atque altitudo contemplationis nostræ comburatur igne passionis Dominicæ. Mittatur in flammam, quæ vaccam vorat hyssopus, id est humilitas cordis nostri veritatem, mansuetudinem, examinationem Dominicæ passionis [a] trahat; mittatur in flammam quæ vaccam vorat bis tincta. Bis tinctus coccus, id est charitas, quæ ad amandum Dominum et proximum excitans assidue nos contemplari passionem Dominicam compellat, ut in ipsa discat opera recta quæ faciat. Potest tamen aliter intelligi, ut per cedrum significetur spes quæ alta appetit; [b] per hyssopum vero quæ etiam calore suo stomachi immunditiam purgat, significetur fides quæ in imis adversa æquanimiter tolerat, et quidquid ex anteactis peccatis contractum fuerat, mundat. Per coccum quoque, ut dictum est, exprimitur charitas. Unusquisque igitur nostrum in flammam, quæ vaccam vorat, cedrum, hyssopum et coccum bis tinctum mittat, id est in sacrificio passionis Dominicæ spem, fidem, et charitatem exhibeat, ne passionem Redemptoris sui sine causa audiat, si non hæc etiam opera necessario subjungat. De quibus tribus Paulus apostolus dicit : *Nunc autem manent fides, spes, charitas; major autem his est charitas* (*I Cor.* XIII, 13). Unde et hic coccus extremo ponitur, quia videlicet fide et spe completa, cum ad æternam patriam venerimus, sola in nobis charitas ad ultimum multiplicatur. Potest iste sacerdos, vel is qui vaccæ carnes, pellem, sanguinem et fimum comburit, ordinem Judaici sacerdotii cum supposita plebe in nece Domini consentientis signare. Unde et adhuc apte subjungitur : *Et tunc demum, lotis vestibus et corpore suo, ingredietur castra, commaculatusque erit usque ad vesperum.* Quid enim per vesperum, nisi finem mundi accipimus? Et Sacerdos iste vel is, qui vaccam igni tradidit, id est Judaicus populus, usque ad vesperum immundus est, quia usque ad finem mundi infidelis remanet. Sed lotis vestibus suis et corpore, ad vesperum castra ingreditur, quia fine mundi veniente, mundatis infidelitatis suæ operibus, etiam Judaicus populus ad cognitionem conditoris sui revertitur. Sicut scriptum est : *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isa.* X, 22; *Rom.* IX, 27). Et sicut rursum scriptum est : *Donec plenitudo Gentium introierit, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* II, 25). Ad vesperum igitur lotis vestibus sacerdos intra castra redit, qui ante vesperum commaculatus est, quia infidelis populus usque ad finem mundi extra mandata vitæ velut extra castra est positus. Sed cum aqua baptismatis et pœnitentia lavatur, tunc ad cognitionem fidei ad vesperum, id est in fine mundi, quasi ad castra revertitur. Potest intelligi quod iste sacerdos, et lotis sit vestibus, et tamen usque ad vesperum immundus; quia idem Judaicus populus ex eorum parte qui crediderunt, quasi jam vestes

[a] Præter multa vitiata quæ hoc in capite sanavimus, hoc loco integram periodum omissam restituimus ex Mss.

[b] Ita Michael. in Gemet., *per hyssopum vero quod.* Certe hyssopum dicitur neutrius generis, sed apud Gregorium, minime supra legitur : *hyssopus ... valde humilis*, et capite seq., *hyssopus quippe ... nostræ.*

lavit, sed ex eorum parte qui necdum credidere, adhuc immundus usque ad vesperum permanet. Lavat ergo vestimenta et corpus, quia credendo, exteriora opera et interiorem mentem a pravis actionibus mundat, et plene tunc ad castra revertitur, cum ad fidem perfecte revocatur. Sed quia Judæa in infidelitate ex reproborum parte perdurante, ad fidem gentilitas ingreditur, et mysteria divinæ incarnationis intelligit, recte illic subjungitur : *Colliget autem cineres vaccæ vir mundus*, id est gentilis populus jam fide mundatus. Unde scriptum est : *Fide mundans corda eorum* (*Act.* xv, 8). Vaccæ cineres colligit, qui subtilissima sacramenta divinæ incarnationis agnoscit. Et vaccam quam sacerdos combussit, ejus cineres vir mundus colligit. Quia infirmitatem Domini, quam Judaicus populus in morte mactavit, ejus subtilissima mysteria populus gentilis intelligit. Bene autem sequitur : *Et effundet in loco purissimo extra castra*. Quia idem gentilis populus qui secreta ac mystica divinæ incarnationis agnoscit, bona quæ accipit prædicare non cessat, ut quod ipse didicerit, aliis etiam nescientibus innotescat. Sed quia secreta ac mystica incarnationis Dominicæ pravis ac pollutis mentibus non sunt tradenda, bene dicitur : *Effundet in loco purissimo extra castra*. Extra castra quippe fuerat omnis gentilitas, quia extra legem, extra sacrificium, extra synagogam, sed tamen ad fidem veniens cor mundavit. Et in ea cineres vaccæ effunduntur, quia mundo corde gentilitas mysterium Dominicæ incarnationis credit. Multi itaque ex gentilitate conversi, prædicatores facti sunt, et eidem gentilitati ad fidem redemptoris nostri mysteria tradidere. Vir ergo mundus in loco purissimo vaccæ cineres fundit, dum quilibet doctor ex gentilitate assumptus, munda per humilitatem corda gentilium requirit, et mysteria eis Redemptoris nostri tradere non desistit. Quod cum agitur, fides gentium multiplicatur, divina virtus agnoscitur, disciplina præceptorum tenetur. Unde et recte subjungitur : *Ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam*. Israel namque interpretatur, videns Deum, et non immerito conversa gentilitas Israel dicitur quæ jam Deum fide contemplatur. Isti ergo cineres multitudini filiorum Israel in custodiam fiunt, quia subtilia sacramenta mundis gentium cordibus tradita, in mentis munitionem vertuntur. Bene autem subditur : *Et in aquam aspersionis*. Propter operationem namque in custodiam nostram sunt cineres, propter baptismum vero in aqua aspersionis cineribus ejus utimur. Et dum consideratis ejus operibus nostra acta sub disciplinam redigimus, vaccæ cineres in custodia nostra servamus, quia dum secreta atque subtilia operationis illius per imitationem attendimus, per hoc nobis et munditiam et perseverantiam providemus. Apte autem subjungitur : *Quia pro peccato combusta est vacca*. Ait enim de eisdem cineribus ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, et in aquam aspersionis, quia pro peccato combusta est vacca. Tunc enim nos sub custodia provide custodimus, cum Redemptorem nostrum pro nostris iniquitatibus passum sollicite consideramus. Perpendimus namque quid retribuat bonis, qui voluit mori pro malis. Perpendimus quid ad justitiam fidei adducti, ejus gratiæ debeamus, qui et in iniquitatibus positi intercessionem mortis ejus accipimus. In custodia ergo nobis cineres fiunt, quia pro peccato combusta est vacca, dum passionis ejus mysteria sollicite contemplantes, quæ operari debeamus, agnoscimus, qui Redemptorem nostrum etiam pro iniquis nobis mortuum non ignoramus.

Cap. XIV. — *Item unde supra.*

In expositione beati Job, lib. vi (*Num.* 56) : — Vaccam mactamus, cum carnem a lascivia suæ voluptatis exstinguimus. Quam cum hyssopo lignoque cedrino, ac cocco offerimus, quia cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei, et charitatis adolemus. Hyssopus quippe interna nostra mundare consuevit. Et per Petrum dicitur : *Fide mundans corda eorum* (*Act.* xv, 9). Lignum cedrinum nulla putredine deficit, quia spem cœlestium terminus non consumit. Unde et per primum pastorem mox dicitur : *Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem.* Coccus rubro calore flammescit, quia quem implet charitas, incendit. Unde et in Evangelio Veritas dicit : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* xii, 49). Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur, ut videlicet ante interni judicis oculos, charitas nostra, Dei et proximi dilectione coloretur, quatenus conversa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat, ut curam proximi utilitatemque postponat; nec sic pro amore proximi occupationi inserviat, ut quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris exstinguat. Quisquis ergo semetipsum Deo jam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est ut non solum ad operationis se latitudinem, verum etiam ad culmina contemplationis extendat. Sed inter hæc magnopere sciendum est, quia valde inter se diversæ sunt conspersiones animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant, et nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est, ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt. Et sæpe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis exstincti sunt. Hinc namque est quod nonnulli inquieti spiritus dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt, et dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt.

Cap. XV. — *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit* (*Num.* xix, 15).

[a] Cum de silentii servanda disciplina tractaretur in expos. beati Job, l. xxiii (*Num.* 17), adjunctum est : *Vas, quod non habuerit operculum*, etc. — Tegmen operculi vel ligatura est censura disciplinæ silentii, qua quisquis non premitur, quasi vas immundum pollutumque reprobatur. Quasi enim vas sine operculo vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur.

Cap. XVI. — *Quod Balaam, visione angeli, tarditate asinæ, a cœpto itinere præpeditur* (*Num.* xxii, 31, 32, 33).

Cum de repressa ad cognitionem sui prima intentione mentis, per macerationem infirmitatis corporeæ tractaretur, in cod. Reg. past. part. iii (*Cap.* 12, *admon.* 13), adjunctum est : *Quod Balaam, visione Angeli, tarditate asinæ*, etc. — Balaam pervenire ad propositum tendit, sed ejus votum animal cui præsedit præpedit. Prohibitione quippe immorata asina angelum videt, quem humana mens non videt; quia plerumque caro per molestias tarda, flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat, ita ut anxietatem spiritus proficere in hoc mundo cupientis, velut iter tendentis impediat, donec ei invisibilem qui sibi obviat, innotescat. Unde et bene per Petrum dicitur : *Correptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum animal, quod in hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipien-*

[a] In Michael. et Gemet. : *De tenenda discreti silentii censura.*

tium (*II Petr.* II, 15). Insanus quippe homo a subjugali muto corripitur, quando elata mens humilitatis bonum quod tenere debeat, ab afflicta carne memoratur. Sed hujus correptionis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens, vocem, non mentem mutavit.

CAP. XVII.—*Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII, 10).

Cum de perseverantiæ studio in bonis operibus tractaretur in expos. beati Job, lib. XXXIII (*Num.* 43), adjunctum est : *Moriatur anima mea morte justorum*, etc.—Sunt nonnulli intra sanctam Ecclesiam qui prolixas ad Dominum preces habent, sed vitam deprecantium non habent ; nam promissa cœlestia petitionibus sequuntur, operibus fugiunt. Hi nonnunquam etiam lacrymas in oratione percipiunt, sed cum post orationis tempora eorum mentem superbia pulsaverit, illico in fastu elationis intumescunt. Cum avaritia instigat, mox per incendia avidæ cogitationes exæstuant. Cum luxuria tentaverit, in illicitis protinus desideriis anhelant. Cum ira suaserit, mox mansuetudinem mentis flamma insaniæ concremat. Ut ergo diximus, et fletus in prece percipiunt, et tamen expletis precibus, cum vitiorum suggestione pulsantur, nequaquam pro æterni regni disiderio se flevisse meminerunt. Quod aperte de se Balaam innotuit, qui justorum tabernacula conspiciens, ait : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII, 10). Sed cum compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit. Et cum occasionem de avaritia reperit, illico oblitus est quidquid sibi de innocentia optavit.

CAP. XVIII. — *Item unde supra.*

In codice Regul. past., part. III (*Cap.* 30, *admon.* 31). Sollicite considerandum est, quia ita plerumque mali inutiliter compunguntur ad justitiam, sicut plerumque boni innoxie tentantur ad culpam. Fit quippe mira, exigentibus meritis, dispositionis internæ mensura, ut et illi dum de bono aliquid agunt, quod tamen non perficiunt, superbe inter ipsa, quæ etiam plenissime perpetrant, mala confidant. Et isti dum de malo tentantur cui nequaquam consentiunt, quo per debilitatem et infirmitatem titubant, eo gressus cordis ad justitiam per patientiam et humilitatem verius figant. Balaam quippe justorum tabernacula respiciens, ait : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII, 10). Sed cum compunctionis tempus recessit, in eorum perditione consilium dedit, quibus etiam in morte similis fieri concupivit. Et cum avaritiæ tempus reperit, statim oblitus est bonum sibi innocentiæ, quod optavit. Hinc Paulus ait : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Qui profecto idcirco tentatur, ut in bono robustius ex ipsa infirmitatis suæ cognitione solidetur. Quid est ergo quod ille compungitur, et tamen justitiæ non appropinquat ; iste tentatur et tamen eum culpa non coinquinat, nisi hoc quod aperte ostenditur, quia nec malos bona imperfecta adjuvant, nec bonos mala inconsummata condemnant (*In expos. beati Job, l.* XXXIII, *n.* 43). Virtutis namque pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Quo contra bene de Anna flente perhibetur : *Vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati* (*I Reg.* I, 18), quia videlicet mens ejus nequaquam post preces inepta lætitia lasciviendo perdidit, quod orationis suæ tempore gemituum rigore exquisivit.

CAP. XIX. — *Item unde supra.*

In expos. Evangelii, hom. 15 (*Num.* 2) : — Multi cum verbum contra avaritiam audiunt, eamdem avaritiam detestantur, rerum omnium contemptum laudant, sed mox ut viderit animus quod concupiscat, obliviscitur quod laudabat. Multi cum verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non solum perpetrare non appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt ; sed mox ut carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea nihil sit contra hæc eadem desideria deliberatum, et damnanda agit qui quidquid egisse se meminit, jam et ipse damnavit. Sæpe etiam contra culpas compungimur, et tamen post fletum ad easdem culpas redimus. Sic Baalam Israelitici populi tabernacula contemplatus flevit, eisque se similem fieri in morte depoposcit dicens : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII, 10). Sed mox ut hora compunctionis transiit, in avaritiæ nequitiam exarsit. Nam propter promissa munera in ejus populi mortem consilium dedit, cujus morti se fieri similem optavit, et oblitus est quod planxerat, cum exstinguere noluit quod per avaritiam ardebat.

CAP. XX. — *Dixit homo, cujus obturatus est oculus ; dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus* (*Num.* XXIV, 34).

Cum de laudabili electorum providentia, et cavenda reproborum cæcitate tractaretur, in expos. beati Job, lib. XV (*Num.* 58), adjunctum est : *Dixit homo, cujus obturatus est oculus*, etc.—Nescit impius mala quæ facit, nisi cum pro eisdem malis puniri jam cœperit. Consilium enim Balaam contra Israelitas præbuit, sed post in pœna vidit quid prius ex culpa commiserit. Electi autem, qui ne peccare debeant, prævident ; eorum videlicet oculi ante casum patent. Iniquus vero post casum oculos aperit ; quoniam post culpam jam in pœna sua conspicit, quia malum debuit vitare quod fecit.

CAP. XXI. — *Item unde supra.*

In expositione beati Job, l. XXVII (*Num.* 59). — Sæpe quidam æterna judicia mirantur, prædicamenta cœlestis patriæ cum audiunt diligunt, mira opera internæ dispositionis obstupescunt, sed tamen amando et vivendo ad hæc eadem opera assurgere negligunt. Jacentes ergo Dei miracula considerant, qui ejus potentiam sciendo pensant, sed vivendo non amant. Per contemplationem quippe in consideratione oculos tenduat, sed tamen per intentionem sese a terra non erigunt. Hinc ergo in Balaam exprobratione dicitur : *Qui cadens apertos habet oculos.* Multa namque de adventu Redemptoris dixerat, et quæ novissimis temporibus erant ventura prævidebat, sed tamen ei vivendo assurgere noluit, quem prævidendo prædicavit. Jacens ergo apertos oculos habuit, cum ejus mentem et prophetia ad cœlestia tenderet, et avaritia in terra retineret. Jacens apertos oculos habuit, qui eum videre de superioribus potuit, quem prostratus in infimis non amavit.

CAP. XXII.—*Robustum est quidem habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum*, etc. (*Num.* XXIV, 21).

Cum de electorum qua Deo adhærent fixa spei certitudine tractaretur in expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* XCXIV), adjunctum est : *Robustum est quidem habitaculum tuum*, etc. — Cinæus, possessor interpretatur. Et qui sunt qui præsentia possident, nisi hi qui ingenio sapientiæ sæcularis callent? Qui in hoc veraciter robustum sibi habitaculum construunt, si per humilitatem parvuli apud semetipsos facti, in Christi sublimitate nutriantur ; si semetipsos infirmos sentiant, et in excelsa humilitate cogniti Redemptoris fovendam mentis fiduciam ponant, si ima non appetant, si omne quod præterit cordis volatu transcendant. Videamus sanctum virum qualiter in petra ponat nidum suum. Ait enim : *Nostra conversatio in cœlis est*

(*Philip.* II, 6). Et rursum : *Cui conresuscitavit nos, et consedere fecit in cœlestibus* (*Ephes.* III, 21). In petra ponit nidum, quia profecto in supernis figit consilium. Non vult mentem in fluxa dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus in carcere fortasse tenebatur, cum se sedere cum Christo in cœlestibus testaretur. Sed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat.

CAP. XXIII.—*Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium; et nos servi tui habemus jumenta plurima, precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem* (*Num.* XXXII, 4, *seq.*).

Cum [a] de reprobatione quorumdam intra Ecclesiam positorum, fidem non medullitus, sed specie tenus tenentium tractaretur in expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 24, 25), adjunctum est : *Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel*, etc. —Sunt nonnulli in Ecclesia qui parvuli esse despiciunt, etiam in humilitatis loco immanes apud se esse minime desistunt. Hos plerumque videas honoribus extolli, voluptatibus perfrui, rerum multiplicitate dilatari. Hi sæpe nihil præcipue, nisi præesse cæteris appetunt, a multis timeri gratulantur, recte vivere negligunt, et rectæ vitæ famam habere concupiscunt, adulatores quærunt, favoribus intumescunt. Et quia in rebus præsentibus prompti sunt, ventura gaudia non requirunt. Cumque eos multiplex actio occupat, etiam a semetipsis alienos demonstrat. Et tamen si qua fidei tentatio exsurgat, quia in ea saltem specie tenus continentur, hanc verbis, hanc laboribus defendunt, et cœlestem patriam vindicant, nec tamen amant. Quos bene apud Moysen filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse exprimunt, quæ multa pecora et jumenta possidentes, dum extra Jordanem ea quæ viderant campestria concupiscunt, in repromissionis terra hæreditatem habere noluere, dicentes : *Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium, et nos servi tui habemus jumenta plurima, precamurque, si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem.* Qui igitur jumenta plurima possident Jordanem transire refugiunt, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cœlestis patriæ non requirunt, sed ipsa eos quam specie tenus tenent, fides increpat, ne otii delectatione torpescant, atque exemplo suo alios a laboris tolerantia et studio longanimitatis frangant. Unde eis per Moysen dicitur : *Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis? Cur subvertitis mentes filiorum Israel?* (*Num.* XXXII, 7.) Sed quia erubescunt non defendere quod confitentur, pro eadem fide, quam professi sunt, ad certamen properant, eamque non sibi, sed proximis vendicant. Unde et ad Moysen dicunt : *Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulisque nostris urbes munitas; nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel* (*Ibid.*, XVI). Qui mox fortes pro aliis veniunt, et repromissionis terram ab hostibus liberant et relinquunt, atque ad pascenda armenta extra Jordanem redeunt. Multi quippe, quamvis fideles curis præsentibus occupati, quasi armenta extra Jordanem pascunt, quia contra fidem baptismatis tota mente omnique desiderio rebus perituris inserviunt. Qui tamen, ut diximus, cum fidei tentatio oritur, defensionum armis accinguntur, hostes fidei trucidando superant, et hæreditatem terræ repromissionis, id est fructum fidei non amant, sicque pro illa pugnant ut tamen sua pignora extra illam deponant. Quia enim parvulos foris habent, affectum in ejus habitatione non habent. Unde ad campestria redeunt, quia ab altis cacuminibus montium quasi a spe cœlestium dilabuntur, ut extra repromissionis terram bruta animalia nutriant; quia ad pascendos vanis desideriis irrationabiles animi motus elaborant; quia æternæ lucis quanta sit claritas nesciunt, qui transitoriis occupationibus occupantur, et dum terrenis rebus superbiunt, cœlestis sibi luminis aditum claudunt.

CAP. XXIV. — *Quod post mortem summi pontificis homicida jubetur reverti in terram suam* (*Num.* XXXV, 27, 28).

Cum de absolutione humani generis per interpositum mortis Christi sacrificium tractaretur homil. 6 in Ezech. (*Num.* 15), adjunctum est : *Quod post mortem summi pontificis*, etc.— Quid est quod homicida post mortem summi pontificis ad absolutionem redit, nisi quod humanum genus quod peccando sibimetipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri, absolutionem sui reatus accepit?

[a] Pro *reprobatione*; quod legitur in Gemet. ac Utic., Michael. habet, *de exprobatione*.

LIBER QUINTUS.

De Testimoniis in Deuteronomium.

CAPUT PRIMUM. — *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua* (*Deut.* VI, 5).

Cum de modo dilectionis Dei, ac proximi, ejusque exercitio tractaretur in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 28), adjunctum est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, etc. — Duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor et proximi. Per amorem Dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi Dei amor nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profecto diligere proximum nescit, et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejusdem dilectionis gremio prius proximi charitate [a] lactamur. Quia amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus : *Diliges proximum*, præmisit dicens : *Diliges Dominum Deum tuum*, ut videlicet in terra pectoris nostri prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum, quia amor Dei ex proximi amore calescit, testatur Joannes, qui increpat dicens : *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Quæ tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur. Sæpe vero omnipotens Deus, ut quantum quisque a charitate ejus ac proximi longe sit, vel in ea quantum profecerit, innotescat, miro ordine cuncta dispensans, alios flagellis deprimit, alios successibus fulcit. Et cum quosdam temporaliter deserit, in quorumdam cordibus quod malum latet ostendit. Nam plerumque ipsi nos miseros insectantur, qui felices sine comparatione coluerunt. Cum enim quis

[a] Ita Gemet. et Utic. Hanc lectionem secuti sumus in lib. Moral. Michael. Cod. habet *lætamur*. In Editis legitur *ligamur*.

positus in prosperitate diligitur, incertum valde est utrum prosperitas an persona diligatur. Amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis. Unde bene quidam Sapiens dicit : *Non agnoscitur in bonis amicus, et non absconditur in malis inimicus* (*Eccli.* XII, 8). Nec prosperitas quippe amicum indicat, nec adversitas inimicum celat, quia et ille sæpe prosperitatis nostræ reverentia tegitur, et iste ex confidentia adversitatis aperitur.

CAP. II. — *Dabo pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam* (*Deut.* XI, 14).

Cum de prædicatione Veteris ac Novi Testamenti tractaretur in expos. beati Job, l. XX (*Num.* 5), adjunctum est : *Dabo pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam.* — Quid hoc loco per pluviam, nisi verba sacræ prædicationis accipimus? Sicut de sanctis doctoribus a Judææ prædicatione suspensis accipimus. De quibus etiam scriptum est : *Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem.* Quorum sanctæ prædicationis verbo irrigamur, cum vera humilitate ariditatem nostri cordis agnoscimus. Unde recte per Psalmistam dicitur : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII, 6). His doctrinæ fluentis infundi propheta nos admonet dicens : *Sitientes, venite ad aquas* (*Isa.* LV, 1). Qui dum extrema parte jam sæculi verba sanctæ prædicationis accipimus, quasi pluvia serotina irrigamur. Quæ nimirum serotinæ pluviæ prædicatio, ex ejus ad nos sacrificio prodiit, qui per Psalmistam dicit : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL, 2). Quia enim Redemptor noster juxta mundi finem vim persequentium pertulit, semetipsum pro nobis sacrificium vespertinum dedit. Populo ergo repromissionis terram intraturo pluvia temporanea et serotina in munere promittitur, quod nos factum spiritualiter jam videmus. Temporaneam quippe pluviam dedit, quia electis suis priori tempore legis intellectum contulit; serotinam quoque pluviam tribuit, quia prædicari diebus ultimis incarnationis suæ mysterium fecit.

CAP. III. — *Circumcidite præputia cordis vestri* (*Deut.* X, 16).

Cum de resecandis superfluis cogitationibus tractaretur in expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 12), adjunctum est : *Circumcidite præputia cordis vestri.* — Quid per hanc præputii circumcisionem signatur, nisi postquam luxuriam a carne exstinguitis, etiam superflua a cogitatione resecate?

CAP. IV. — *Non arabis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium* (*Deut.* XV, 19).

Cum de cavenda ostentatione in bonæ operationis primordiis tractaretur in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 78, 79), adjunctum est : *Non arabis in primogenito bovis*, etc. — Quid per hujus prohibitionis exemplum, nisi vitam bene inchoantium Moyses humanis occupationibus exercere prohibuit? In primogenito quippe bovis arare est bonæ conversationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere. Ovium quoque primogenita tondere est ab occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia bona opera nostra denudare. In primogenito ergo bovis operari prohibemur, atque a primogenitis ovium detondendis compescimur, quia etsi quid robustum incipimus, exercere hoc in aperto citius non debemus; et cum vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis, quasi subducto vellere ostendat. Ad sola ergo divina sacrificia boum primogenita oviumque proficiant, ut quidquid forte, simplex, innocuumque incipimus, hoc ad honorem intimi judicis in ara cordis immolemus. Quod ab illo procul dubio tanto libentius accipitur, quanto et ab hominibus occultatum, nulla laudis appetitione maculatur. Sæpe autem novæ conversationis primordia adhuc ex carnali sunt vita commista, et idcirco innotescere citius non debent, ne eum laudantur bona quæ placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala quæ latent.

CAP. V. — *Item unde supra.*

In expositione Ezechielis, hom. 2 : — Primogenitum bovis accipimus in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem. In qua tamen arandum non est, quia cum prima sunt adolescentiæ vel juventutis nostræ tempora, nobis adhuc a prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni.. Quoadusque etenim infirmi sumus, continere nos inter nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus amittamus, quia et arbusta plantata si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt; at si semel radicem fixerint, manus tangit, et tamen nihil officit; venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes, si impellantur, eruuntur, nisi a suo prius fuerint humore siccati. Mens itaque quousque ab humore pravitatis suæ perfecte non fuerit exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne priusquam plene percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plusquam tolerare valet concutitur flatibus, arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda nisi quæ firma sunt. Prius etenim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam etsi Timotheo dicitur : *Præcipe hæc et doce, nemo adelescentiam tuam contemnat* (*I Tim.* IV, 12), sciendum est quia ei adolescentia in annis non in moribus fuit. Quamvis in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juventus vocetur. Unde scriptum est : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua* (*Eccl.* XI, 9).

CAP. VI. — *Non apparebis in conspectu Domini vacuus* (*Deut.* XVI, 16).

Dum per cessationem rerum transeuntium, de mansuro bonæ operationis exercitio tractaretur in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 38), adjunctum est : *Non apparebis in conspectu Domini vacuus.* — In conspectu Domini vacuus apparet, qui nihil secum de fructu sui laboris portat. Alius multiplicandis facultatibus æstuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc quisque moriens deserit, ante Dominum vacuus apparet, quia secum ante judicem nihil tulit. Hinc ergo per legem salubriter admonemur, dicentem : *Non apparebis in conspectu Domini vacuus.* Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendo non providet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de justis per Psalmistam dicitur : *Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV, 6). Ad examen quippe judicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur ostendunt.

CAP. VII. — *Juste quod justum est exsequeris* (*Deut.* XVI, 20).

Dum de servanda in exhibitione operis mentis rectitudine tractaretur in expos. beati Job, lib. IX (*Num.* 38), adjunctum est : *Juste quod justum est exsequeris.* — Injuste quod justum est exsequitur, qui ad defensionem justitiæ non virtutis æmulatione, sed amore præmii temporalis excitatur. Injuste quod justum est exsequitur, qui ipsam, quam prætendit, justitiam venundare minime veretur. Juste ergo justum exsequi est in assertione justitiæ eamdem ipsam justitiam quærere.

CAP. VIII. — *Si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et lignum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium fugiet, et vivet, ne forte proximus ejus cujus effusus est sanguis, doloris stimulo persequatur, et apprehendat eum, et percutiat animam ejus* (*Deut.* XIX, 5).

Cum de servanda increpationis mensura in proxi-

mi correctione tractaretur, in expos. beati Job, l. x, adjunctum est : *Si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna cædenda*, etc. — Ad silvam cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta nostra convertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manu fugit, cum sese increpatio plusquam necesse est in asperitatem pertrahit, ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excedit. Et amicum percutiens occidit, quia auditorem suum prolata contumelia a spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio plusquam debuit addicit. Sed is qui incaute lignum percutit, et proximum exstinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut in una earum defensus vivat, quia si, ad pœnitentiæ lamenta conversus, in unitate sacramenti sub spe, fide ac charitate absconditur, reus perpetrati homicidii non tenetur; eumque exstincti proximus et cum invenerit non occidit. Quia cum districtus judex venerit qui sese nobis per naturæ nostræ consortium junxit, ab eo procul dubio vindictam de culpæ reatu non expetit, quem sub ejus venia spes, fides et charitas abscondit. Citius ergo culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ studio perpetratur. [a]

CAP. IX. — *Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore* (*Deut.* XXII, 6).

[b] Cum de discretione servandæ allegoriæ et historiæ tractaretur, adjunctum est : *Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum avis inveneris*, etc. — Per viam imus, quia præsentem vitam pergimus. Et nidus avis in arbore vel in terra est, quando verba historiæ aut in contemplativa sunt, aut in activa vita. Nam præcepta activæ vitæ avis nidus in terra est, præcepta contemplativæ nidus in arbore. Mater vero pullis vel ovis incubat, quando ipsa historia intellectum spiritualem facit, et quædam plene eloquens quasi pullos profert; quædam vero ita insinuat, ut ex eis adhuc legentis animum ad altiora perducat, quasi adhuc sub se ova continet, ex quibus pullos producat. Ova enim idcirco pariuntur, ut ex eis pulli debeant produci. Et sunt quædam contemplativæ vitæ quæ per quasdam modo imagines videntur, ut postmodum sicut sunt ipsa sua virtute et natura videantur. Nam Paulus ait : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12). Et cæcus cum per impositionem manuum Redemptoris jam lumen accipere cœpisset, requisitus quid videret, dixit : *Video homines velut arbores ambulantes* (*Marc.* VIII, 24). Homo quippe natura rationabilis est, arbor autem nec sensibilis, nec vivens. Et quid iste illuminatus cæcus significat, nisi genus humanum, cui cum Dominus contemplationis oculos aperiret, prius quædam in ænigmate conspicit, ut postmodum illa vera et rationabilia cœlestium agmina sicut sunt possit aspicere. Unde et illic subditur : *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, et cœpit videre, et restitutus est ita ut videret clare omnia.* Prius itaque per speculum vidit ex similitudine, ut postmodum videret clare ex perfectione. Ad contemplativam ergo vitam in his verbis mater ovis incubat, quia sacra historia hoc incipiendo in ænigmate insinuat, per quod postmodum certius demonstrans pullos viventes producat. Paulus quoque apostolus cum quosdam continentes vivere cognovisset, admonet, dicens : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat* (*I Cor.* VII, 2). Et cum uxor habenda non sit, nisi liberorum procreandorum gratia, ne quis in fornicationis culpam laberetur, concessit conjugibus aliquid, unde adhuc surgere ad meliora potuissent. Qui ergo hoc concessit, unde animus conjugum usque ad legalem culpam perduci potuisset, quasi mater avis in terra, id est historia in activa vita ova posuit. Ipsi quoque prædicatores sancti plus volunt Deum diligi, quam timeri; sed si timorem non insinuant, ad amorem minime perducunt. Unde prius terribilia, postmodum dulcia loqui solent, sicut per Psalmistam dicitur : *Virtutem terribilium tuorum dicent, quia magnitudinem tuam narrabunt* (*Psal.* CXLIV, 6). Ac deinde subjungitur : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Quando ergo terrent, ut ad amorem provocent, ova ponunt. Perfecta enim charitas foras mittit timorem, quia tunc pulli vivere incipiunt, quando jam formidini non succumbunt (*I Joan.* IV, 18). Ipsa quoque lex ova posuit, cum dixit : *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI, 24). Sed pullos produxit postmodum, cum dixit : *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum* (*Levit.* XIX, 18). Sed notandum quid de hac matre pullorum dicatur : *Non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios.* Quia videlicet in quibusdam locis prætermittenda est historia, ut solius matris pulli, id est spiritualis intelligentiæ sensus nobis in esum veniant; nec nos mater, sed pulli reficiant. Quia non debemus de historiæ exemplo, sed de spiritualibus intellectus sensibus satiari. Cum enim legimus aurum et argentum Ægyptiorum ab Israelitico populo petitione deceptoria subreptum, et rursum cum legimus carnalia sacrificia omnipotenti Deo exhibita, quid in hoc verborum nido nisi mater dimittenda est, et filii tenendi? Nos enim cum a quibusque sæcularibus vigilantiam ingenii in defensionem veritatis trahimus, et eorum eloquium in usum rectitudinis vertimus, quid aliud quam ab Ægyptiis aurum et argentum tollimus? ut ex eo et nos divites effecti, et illi valeant pauperes ostendi. Sicut scriptum est : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (*II Cor.* X, 6). Et cum nostra corpora per abstinentiam domamus, quid aliud quam carnalia sacrificia omnipotenti Deo exhibemus? Sicut rursum per Paulum dicitur : *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem* (*Rom.* XII, 1). Matrem igitur dimittentes pullos edimus, cum historiæ exempla dimittimus, sed ex ea allegoriarum sensus in mente retinemus. Ubi recte additur : *Ut bene sit tibi, et longo vivas tempore*, quia longo tempore ille vivit, qui per spiritualem intelligentiam æternitatis annos apprehendit.

CAP. X. — *Non arabis in bove simul et asino* (*Deut.* XXII, 10).

Cum de imperitorum doctorum cavenda societate tractaretur, in expos. beati Job, l. I (*Num.* 23), adjunctum est : *Non arabis in bove simul et asino.* — In bove simul et asino homo arare prohibetur, ac si aperte diceretur : Fatuos sapientibus in prædicatione non socies, ne per eum qui implere non valet illi qui prævalet obsistas.

CAP. XI. — *Non indues vestem ex lana linoque contextam* (*Deut.* XXII, 11).

Cum de vitando duplicitatis vitio tractaretur, in expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 87), adjunctum est : *Non indues vestem ex lana linoque contextam.*—Quid per hanc vestem, nisi hypocritarum persona signatur, qui benignitatem erga proximos ostendunt, et dolo suæ iniquitatis operiunt? Per omne namque quod faciunt vel loquuntur, simplicitatem exterius exhibent, sed subtilitatem interius duplicitatis callent. Puritatem superficie simulant, sed semper malitiam sub specie puritatis occultant. Per lanam quippe simplicitas, per linum vero subtilitas designatur. Et nimirum vestis quæ ex lana linoque conficitur, linum interius celat, lanam in superficie demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induit, qui

[a] In Utic. tria capita subjiciuntur quæ non sunt in Genet. aut Michael.

[b] In Michael. indicatur hom. 9, in Ezech. Hæc non reperiuntur apud Gregorium.

in locutione vel actione qua utitur intus subtilitatem malitiæ operit, et simplicitatem foras innocentiæ ostendit. Quia enim sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet, quasi sub lanæ grossitudine linum latet.

CAP. XII. — *Item unde supra.*

In expositione beati Job, l. VIII (*Num.* 87). — Scimus quia lana pinguis, linum vero subtile est. Vestis autem, quæ ex lana et lino fit, lanam semper in superficie ostendit, et linum subter abscondit. Quid ergo per lanam, nisi simplicitas, et quid per linum, nisi subtilitas designatur? Et sæpe homo subtilis et acutus exterius simplicitatem mansuetudinis ostendit, et interius subtilitatem malitiæ contegit. Iste ergo veste se actionis suæ quasi ex lana, et lino induit, quando ab eo simplicitas monstratur in superficie, et subtilitas malitiæ servatur in mente.

CAP. XIII. — *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperum lavetur aqua, et post solis occasum regredietur in castra* (*Deut.* XXIII, 10).

Dum de purgatione illicitæ cogitationis tractaretur, in expos. beati Job, l. IX (*Num.* 84), adjunctum est: *Si fuerit inter vos homo*, etc. — Quid hoc loco per nocturnum somnium, nisi tentatio occulta signatur, per quam tenebrosa cogitatione turpe aliquid corde concipitur, quod tamen corporis opere non expletur? Sed somnio nocturno pollutus extra castra egredi præcipitur, quia videlicet dignum est ut qui immunda cogitatione polluitur, indignum se cunctorum fidelium societatibus arbitretur. Culpæ suæ meritum ante oculos ponat, et ex bonorum se æstimatione despiciat. Pollutum ergo extra castra exire est turpi impugnatione laborantem sese ex continentium comparatione despicere. Qui ad vesperum lavatur aqua, cum, defectum suum conspiciens, ad pœnitentiæ lamenta convertitur, uti fletibus abluat omne quod animum occulta inquinatio accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat, quia defervescente tentationis ardore, necesse est ut iterum fiduciam erga societatem bonorum sumat. Post aquam quippe occumbente sole ad castra revertitur, qui post lamenta pœnitentiæ frigescente flamma cogitationis illicitæ, ad fidelium merita præsumenda reparatur, ut jam se a cæteris longe esse non æstimet, qui mundum se per obitum interni ardoris gaudet.

CAP. XIV. — *Dum egreditur quis ad requisita naturæ, mittat paxillum in balteo, et fossa humo abscondat quæ egesta fuerint* (*Deut.* XXIII, 12).

Cum de diluendis per compunctionis gratiam occultæ tentationis maculis tractaretur, in expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* 54), adjunctum est: *Dum egreditur quis ad requisita naturæ*, etc. — Naturæ corruptibilis pondere gravati, a mentis nostræ utero quædam cogitationum superflua, quasi ventris gravamina erumpunt; sed portare sub balteo paxillum debemus, ut videlicet ad reprehendendos nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus, qui incessanter terram mentis nostræ pœnitentiæ dolore confodiat, et hoc quod a nobis fetidum erumpit abscondat. Ventris quippe egestio fossa humo per paxillum tegitur, cum mentis nostræ superfluitas, subtili redargutione discussa, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum celatur.

CAP. XV. — *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu ejus, et dimittet eam de domo sua* (*Deut.* XXIV, 1).

Cum de postponenda cura rei transitoriæ ob utilitatem spiritualium tractaretur, adjunctum est: *Si acceperit homo uxorem*, etc. — [a] Necessarium valde est ut cura vitæ præsentis edomari fortiter debeat, fortasse valeat dominari. Et cum terrena actio fuerit repulsa, non iterum repetenda, ne p gum respiciat qui super aratrum manum posuis debatur. Hinc est enim quod per Moysen dicitur: *acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu ejus, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit eam de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus uccipere eam in uxorem, quia polluta est.* Ubi videlicet patet quia vis præcepti ratione juxta litteram caret. Cum enim Veritas dicat, excepta fornicationis causa uxorem dimitti non posse (*Matt.* 5), non sine culpa est hanc propter fœditatem dimitti. Sed homo uxorem accepit, cum actionis terrenæ suscepit curam. Si fœditatem cognoverit, dat libellum repudii, et dimittit eam de domo sua, quia sæpe ipsa terrena actio priusquam haberetur, fortiter amabatur; cum habita fuerit, cujus sit fœditatis agnoscitur, cum esse polluta per peccata videtur. Dimittat ergo eam vir de domo sua, ut amorem ejus abjiciat a mente sua. Quæ egressa alterum virum accipit, quia terrenam actionem, quam tu deseris, alius concupiscit. Sed fortasse et ipsi in odium quandoque ventura est, ut eam utiliter dimittat. Bene autem dicitur: Dimiserit, vel certe mortuus fuerit, quia unusquisque terrenam curam aut dimittit, aut moritur, id est aut non ei ex animo succumbit, aut propter eam funditus in animæ vita succumbit. Sive ergo ea sequens maritus dimiserit, sive mortuus fuerit, maritus prior non poterit eam in uxorem accipere, quia polluta est; ut videlicet is qui semel curam terrenam atque præsentis vitæ intentionem reliquerit, ad eam ultra nullo modo redeat, quoniam ipse se jam suo judicio polluit, qui eam prius ideo deseruit quia pollutam esse cognovit.

CAP. XVI. — *Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam* (*Deut.* XXIV, 6).

Dum de servanda prædicationis mensura doctoribus, circa delinquentium confessionem proximorum tractaretur in expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 24), adjunctum est: *Non accipies loco pignoris superiorem*, etc. — Accipere aliquando dicimus auferre. Unde et aves illæ, quæ rapiendis sunt avibus avidæ, accipitres vocantur. Unde et Paulus ait: *Sustinetis enim, si quis devorat, si quis accipit* (*II Cor.* II, 20). Ac si diceret, si quis rapit. Pignus vero debitoris est confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cum a peccatore jam peccati confessio tenetur. Superior autem et inferior mola est spes et timor. Spes quippe ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola superior et inferior ita sibi necessario junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore incessanter debet spes et formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat; incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. Loco igitur pignoris mola superior aut inferior tolli prohibetur, quia qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationem debet, ut nec derelicta spe timorem subtrahat, nec subtracta spe in solo eum timore derelinquat. Mola enim superior aut inferior tollitur, si per prædicantis linguam in peccatoris pectore, aut timor a spe, aut spes a timore dividatur.

[b] CAP. XVII. — *Cum debet tibi quippiam frater tuus, et abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue* (*Deut.* XXIV, 10, *seq.*).

Dum de remittenda proximorum injuria, præsertim iis, qui veniam petunt tractaretur in expos. beati Job, l. 16 (*Num.* 6), adjunctum est: *Cum debet tibi*

[a] In Michael. indicatur lib. v, in Job. In aliis liber XIII. In neutro nobis occurrit.

[b] Caput hoc cum tribus immediate sequentibus abest a Mss. Utic. et Gemet. In Michael. exstat cap 18, aliis omissis.

quippiam frater tuus, etc. — Frater etenim noster debitor nobis efficitur, cum quilibet proximus in nos aliquid deliquisse monstratur. Peccata quippe debita vocamus. Unde de peccatore servo dicitur : *Omne debitum dimisi tibi* (*Matth.* XVIII, 32). Et in Dominica quotidie oratione precamur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). A debitore autem nostro pignus accipimus, quando ab eo, qui in nos peccasse cognoscitur, peccati ejus jam confessionem tenemus, per quam relaxare peccatum quod in nos perpetratum est, postulamur. Qui enim peccatum quod commisit fatetur, et veniam petit, jam quasi pro debito pignus dedit. Quod nimirum pignus ante solis occasum reddere jubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitiæ occidat, debemus ei confessionem veniæ reddere, a quo confessionem accipimus culpæ, ut qui se deliquisse in nos meminit, a nobis mox relaxatum sentiat, quod deliquit.

CAP. XVIII. — *Uxorem fratris sine filiis defuncti superstes frater accipiat, atque ad nomen fratris filium gignat. Quam si accipere forte renuerit, huic in faciem mulier exspuat, unumque ei pedem propinquus discalciet, ejusque habitaculum domus discalciati vocetur* (*Deut.* XXV, 5).

Dum de dono regiminis minime subtrahendo tractaretur Reg. past. part. 1 (*Cap.* 5), adjunctum est : *Uxorem fratris sine filiis defuncti superstes frater accipiat*, etc. — Frater defunctus ille est, qui post resurrectionis apparens gloriam dixit : *Ite, nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10). Qui quasi sine filiis oblit, quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes frater sortiri præcipitur, quia dignum profecto est ut cura sanctæ Ecclesiæ ei qui hanc bene regere prævalet, imponatur. Cui nolenti in faciem mulier exspuit, quia quisquis ex muneribus quæ perceperit, prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta Ecclesia exprobrans, ei quasi in faciem salivam jactat. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalciati domus vocetur. Scriptum quippe est : *Calciati pedes in præparatione Evangelii pacis* (*Ephes.* VI, 16). Si ergo ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem per calceamentum munimus. Qui vero suam cogitans utilitatem, proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit.

CAP. XIX. — *Attende cœlum et loquar, et audiat terra verba ex ore meo* (*Deut.* XXXII, 1).

In expos. beati Job, l. 2 (*Num.* 51), adjunctum est : *Attende cœlum et loquar*, etc. — Per cœlum videlicet, signans præpositorum ordinem, per terram vero subditam plebem. *Attende cœlum et loquar* ; non enim insensibili, sed rationabili creaturæ loquebatur.

CAP. XX. — *Expandit alas suas, et assumpsit eum* (*Deut.* XXXII, 11).

In expos. beati Job, l. XXXII (*Num.* 7), adjunctum est : *Expandit alas suas, et assumpsit eum.* — Quia nos parvulos Dominus, dum protegit, nutrit, et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos avium alas tendit.

CAP. XXI. — *Suxere mel de petra, et oleum de firma petra* (*Deut.* XXXII, 13).

Cum de mysteriorum per Christi adventum reseratione, ejusque fidelium meritis tractaretur hom. 2. in Evang. (*Num.* III, 4), adjunctum est : *Suxere mel de petra, et oleum de firma petra.* — Nusquam tale aliquid juxta historiam legitur, si tota Testamenti veteris series recenseatur. Nusquam de petra mel, nusquam oleum ille populus suxit. Sed quia, juxta Pauli vocem, *Petra erat Christus* (*I Cor.* X, 1), mel de petra suxerunt, qui ejusdem Redemptoris nostri facta et miracula videre. Oleum vero de firma petra suxere, quia effusione sancti Spiritus post resurrectionem ejus ungi meruere. Quasi ergo in firma petra mel dedit, quando adhuc mortalis Dominus [a] miraculorum suorum dulcedinem discipulis ostendit. Sed firma petra oleum fudit, quia post resurrectionem suam factus jam impassibilis, per afflictionem spiritus, donum sanctæ unctionis emanavit. De hoc oleo per prophetam dicitur : *Computrescet jugum a facie olei* (*Isa.* X, 27). Sub jugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis, sed uncti sumus oleo Spiritus sancti, et quia nos gratia libertatis unxit, dominationis dæmoniacæ jugum putruit.

CAP. XXII. — *Ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum ; comedet terram et nascentia ejus* (*Deut.* XXXII, 22).

Dum de incorrecte delinquentium ultione perpetua tractaretur in expos. beati Job, l. 18 (*Num.* 35), adjunctum est : *Ignis exarsit ab ira mea*, etc.—De his, quos damnant flagella, et non liberant, scriptum est : *Percussisti eos, nec doluerunt, attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam* (*Jerem.* V, 3). His flagella ab hac vita inchoant, et in æterna percussione perdurant. Hinc ergo per Moysen Dominus dicit : *Ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum.* Quantum ad præsentem etenim percussionem spectat, recte dicitur : *Ignis exarsit ab ira mea.* Quantum vero ad æternam damnationem, apte mox subditur : *Et ardebit usque ad inferos deorsum.* Licet a quibusdam dici soleat illud quod scriptum est : *Non judicat Deus bis in idipsum* (*Nahum.* I, 9). Qui tamen hic quod per prophetam de iniquis dicitur non attendunt : *Et duplici contritione contere eos* (*Jerem.* XVII, 18). Et id quod alias scriptum est : *Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non credidere perdidit* (*Judæ* V). Quibus tamen si consensum præbemus, quamlibet culpam bis feriri non posse, hoc ex peccato percussis atque in peccato suo morientibus debet æstimari, quia eorum percussio hic cœpta illic perficitur. Ut incorrectis unum flagellum sit quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur, quatenus eis qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum percussio sequentium sit initium tormentorum. Sequitur : *Comedet terram, et nascentia ejus* (*In expos. beati Job, l.* XXI, *n.* 19). Ignis quippe terram atque ejus nascentia comedit, cum libido carnem atque per hanc omnia bene acta consumit. Nam quidquid prodit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis.

[b] CAP. XXIII. — *Nonne hæc congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? In die ultionis reddam illis* (*Deut.* XXXII, 34, 35).

(*In expos. beati Job, l.* XII, *num.* 21, *ante med.*)— Quasi in sacculo delicta nostra signantur : quia hoc, quod nos exterius agimus, nisi pœnitentia interveniente diluamus, in secreto judiciorum Dei sub quadam occultatione servatur, ut quandoque etiam de sigillo secreti exeat ad publicum judicii. Unde etiam per Moysen dicitur : *Nonne hæc congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? In die ultionis reddam illis.* Cum vero pro malis quæ fecimus, disciplinæ flagello atterimur, et hæc per pœnitentiam deflemus, iniquitatem nostram signat et curat, quia nec inulta hic deserit, nec in judicio punienda reservat.

CAP. XXIV. — *Ego occidam, et vivere faciam ; percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39).

Cum de electorum purgatione, et divinæ respectu gratiæ tractaretur in expos. beati Job, l. 6 (*Num.* 42), adjunctum est : *Ego occidam, etc.* — Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit, et mentis

[a] Gussanvil. : *In oculorum suorum dulcedinem.*, gravissimo errore.

[b] Caput hoc non occurrit nobis in Mss.

duritiam suo pavore tabefacit. Vulnerando enim ad salutem revocat, cum electos suos affligit exterius, ut interius vivant. Recte ergo per Moysen loquitur, dicens : *Ego occidam, et vivere faciam ; percutiam et ego sanabo.* Occidit enim ut vivificet, percutit ut sanet. Quia idcirco foris verbera admovet, ut intus vulnera delictorum curet. Aliquando autem etiamsi flagella exterius cessare videantur, interius vulnera infligit, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat, quia terroris sui jaculo transfixos, ad sensum nos rectitudinis revocat. Corda enim nostra male sana sunt, cum nullo Dei amore sauciantur, cum peregrinationis suæ ærumnam non sentiunt, cum erga infirmitatem proximi nec quamlibet minimo affectu languescunt. Sed vulnerantur ut sanentur, quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, moxque eas sensibiles per ardorem charitatis reddit.

CAP. XXV. — *Et gladius meus devorabit carnes* (*Num.* 42).

Cum de percussione ultima carnaliter viventium tractaretur, in expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 20), adjunctum est: *Et gladius meus devorabit carnes.* — Dei gladius carnes comedit, quia in extremo judicio ejus sententia eos, qui carnaliter sapiunt, occidit.

CAP. XXVI. — *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII, 2).

Cum de dilectionis gratia erga divina præcepta electorum impressa cordibus tractaretur, homil. 30 in Evang. (*Num.* 5), adjunctum est : *In dextera ejus ignea lex.* — Quid per sinistram nisi reprobi, qui et ad sinistram ponendi sunt? Dextera autem Dei appellantur electi. In dextera ergo Dei ignea lex est, quia electi mandata cœlestia nequaquam frigido corde audiunt ; sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt ; sermo ad aurem ducitur, et mens eorum sibimet irata ex internæ dulcedinis flamma concrematur.

CAP. XXVII. — *Qui dixerit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro illos, et nescierunt filios suos ; hi custodierunt eloquium tuum, et pactum servaverunt* (*Deut.* XXXIII, 9).

Cum de divino amore proximis præferendo, eisdemque discretæ compassionis studio diligendis tractaretur, in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 41, 42), adjunctum est : *Qui dixerit patri suo, et matri suæ : Nescio vos*, etc. — Ille scire Deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat, quos carnaliter scivit. Gravi etenim damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi, quatenus eosdem quos propter Deum viriliter negligit, tanto solidius diligat, quanto in eis affectum solubilem copulæ carnalis ignorat. Debemus quidem et temporaliter his quibus vicinius jungimur plus cæteris prodesse, quia et hæc flamma admotis rebus incendium porrigit, sed hoc ipsum prius ubi nascitur incendit. Debemus copulam terrenæ cognationis agnoscere, sed tamen hanc, cum cursum mentis præpedit, ignorare, quatenus fidelis animus, divino studio accensus, nec ea quæ sibi sunt in infimis conjuncta despiciat, et hæc apud semetipsum recte ordinans summorum amore transcendat. Solerti ergo cura providendum est ne carnis gratia subrepat, atque a recto itinere cordis gressum deflectat, ne vim superni amoris impediat, et surgentem mentem superimposito pondere deorsum premat. Sic enim quisque propinquorum debet necessitatibus compati, ut tamen per compassionem non sinat vim suæ intentionis impediri. Ut affectus quidem mentis viscera repleat, sed tamen a spirituali proposito non avertat. Neque enim sancti viri ad impendenda necessaria propinquos carnis non diligunt, sed amore spiritualium ipsam in se dilectionem vincunt, quatenus sic eam discretionis moderamine temperent, ut per hanc in parvo saltem ac minimo, a recto itinere non declinent. Quos bene nobis per significationem vaccæ innuunt, quæ, sub arca Domini ad montana tendentes, affectu simul et rigido sensu gradiuntur, quarum dum vitulos clausissent domi, scriptum est : *Pergentes et mugientes, dantes quidem ab intimis mugitus, sed tamen a cœpto itinere non deflectentes gressus* (*I Reg.* VI, 10).

CAP. XXVIII. — *Ferrum et æs calceamentum ejus* (*Deut.* XXXIII, 25).

Cum de prædicatione sanctæ Ecclesiæ tractaretur, in expos. beati Job, l. XXXIV (*Num.* 19), adjunctum est : *Ferrum et æs calceamentum ejus.* — Hoc sub specie de sancta Ecclesia per Moysen dicitur. Calceamentum quippe in Scriptura sacra munimen prædicationis accipitur, sicut scriptum est : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* (*Ephes.* VI, 16). Quia ergo per ferrum virtus, per æs autem perseverantia exprimitur, ferrum et æs calceamentum ejus dicitur, dum prædicatio illius acumine simul et constantia munitur. Per ferrum enim mala adversantia penetrat, per æs autem bona quæ proposuit longanimiter servat.

IN LIBRUM JOSUE.

CAPUT PRIMUM. — *Axa filia Caleph sedens super asinum suspiravit ; cui dixit pater suus : Quid habes? Ad quem illa respondit: Da mihi benedictionem. Terram australem, et aridam dedisti mihi ; junge et irriguam. Deditque ei pater suus irriguum superius et irriguum inferius* (*Josue*, XV, 19).

Cum de distinctis compunctionum modis tractaretur, Dial. l. 3 (*cap.* 34), adjunctum est : *Axa filia Caleph sedens super asinum suspiravit*, etc. — [a] Axa super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet, quæ suspirans a patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro, cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono perceperunt libere pro justitia loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere, sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram australem, et arentem habent, sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, oportet nimirum ut aut timore supplicii, aut amore regni cœlestis, mala etiam quæ antea perpetraverunt deplorent. Et licet in multas species compunctio dividatur, quando singulæ quæque a pœnitentibus culpæ planguntur, unde ex voce quoque pœnitentium Jeremias ait : *Divisiones aquarum deduxit oculus meus* (*Thren.* III, 48), principaliter tamen compunctionum genera duo sunt, quia Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore. Prius enim sese lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recordatur, pro his perpeti æterna supplicia pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, et in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur ; et qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit, quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens qui sint illi angelorum chori, quæ societas beatorum spirituum, quæ majestas

[a] Idem legendum est lib. VII, ind. 15, epist. 26, olim lib. VI, epist. 23.

æternæ visionis Dei, et amplius plangit quia a bonis perennibus deest, quam flevit prius quando mala æterna metuebat. Sicque fit ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis. Quod bene in hac sacra veracique historia figurata narratione describitur. Quia ergo, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, et irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit. Irriguum vero inferius accipit cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et post irriguum inferius commemorare debuisset.

CAPUT II. — *Habitavit Chananæus in medio Ephraim tributarius* (*Josue*, XVI, 10).

Dum de electorum exercitio, operibus quibusdam reprehensibilibus ob utilitatem nutriendæ humilitatis in se, nec dum edomitis tractaretur, in expos. beati Job, l. IV (*Num.* 44), adjunctum est: *Habitavit Chananæus in medio Ephraim tributarius.* — Plerumque hi qui magnis jam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid retinentes sustinent ut etiam magna vitæ claritate luceant, et tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc, sicut dictum est, agitur, ut mens proficiens ad virtutem justitiæ sua melius infirmitate roboretur. Et inde verius in bonis luceat; unde eam etiam nolentem parva reprehensibilia humiliter obscurant. Unde et bene cum Israelitico populo percepta repromissionis terra partiretur, Ephraim tribui Chananæus gentilis populus non occisus factus tributarius dicitur. Sicut scriptum est: *Habitavit Chananæus in medio Ephraim tributarius.* Quid enim Chananæus, gentilis videlicet populus, nisi vitium significat? Et sæpe in magnis virtutibus terram repromissionis ingredimur, quia spe intima de æternitate roboramur. Sed dum inter acta sublimia vitia quædam parva retinemus, quasi Chananæum vivere in terra nostra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subjicere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus. Ut eo de se mens, et in summis vilia sentiat, quo suis viribus, etiam parva, quæ appetit, non expugnat. Unde bene rursum scriptum est: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel* (*Jud.* III, 1). Ad hoc namque quædam minima vitia nostra retinentur, ut sese nostra intentio sollicita in certamine semper exerceat; et eo de victoria non superbiat, quo vivere in se hostes conspicit, a quibus adhuc vinci formidat. Israel ergo, reservatis gentibus, eruditur, quando in quibusdam minimis vitiis elatio virtutis nostræ comprimitur, et in parvis sibi resistentibus discit quod ex se majora non subigit.

LIBER SEXTUS.

De testimoniis in librum Judicum.

CAPUT PRIMUM. — *Gedeon cum a paleis frumenta excuteret, angelum vidit; ad cujus imperium protinus hædum coxit, quem super petram posuit, et jus carnium desuper fudit; quæ angelus virga tetigit, eaque ignis exiens de petra consumpsit* (*Jud.* VI, 11, *seq.*).

Dum de perfectorum solida mentis intentione adhærentium studiis tractaretur in expos. beati Job, l.b. III (*Num.* 59), adjunctum est: *Gedeon cum a paleis frumenta excuteret*, etc. — Quid est frumentum virga cædere, nisi rectitudine judicii a vitiorum paleis virtutum grana separare? Sed hæc agentibus angelus apparet, quia tanto magis Dominus interiora denuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hædum præcipit, id est omnem appetitum nostræ carnis immolari, carnesque super petram poni, et jus carnium desuper fundi. Quem alium signat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur: *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X, 4)? Carnes ergo super petram ponimus cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carnium desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas etiam a se carnales cogitationes exinanivit. Quasi enim jus ex carne liquidum in petra funditur, quando mens a cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox angelus virga tangit, quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorii deserit. De petra autem ignis exit, et jus carnesque consumit, quia afflatus a Redemptore spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat, ut omne quod in eo est illicitum et operis et cogitationis, exurat. Perfecta enim mens solerter invigilat, ut non solum perversa agere renuat, sed omne etiam quod in se per cogitationes turpiter liquatur, tergat.

CAP. II. — *De pugna Gedeonis adversus Madianitas* (*Jud.* VII, 5, 6, 16, 17).

Dum de præfigurata Redemptoris incarnatione, electorumque ejus miraculis tractaretur in exposit. beati Job, l. XXX (*Num.* 75), adjunctum est: *De pugna Gedeonis adversus Madianitas.* — Gedeon cum exercitus multitudinem ad bella produceret, divina illi admonitione præceptum est ut ad fluvium veniens, omnes quos flexis genibus aquas haurire conspiceret a bellorum conflictu removeret. Actumque est ut trecenti viri tantummodo qui stantes manibus aquas hauserant remanerent. Cum his ad prælium pergit, eosque non armis, sed tubis, lampadibus et lagenis armavit. Nam sicut illic scriptum est: *Accensas lampades miserunt intra lagunculas, et tubas in dextera, lagenas autem in sinistra tenuere, et ad hostes suos cominus venientes, cecinere tubis, confregere lagunculas, lampades apparuerunt, et hinc tubarum sonitu, illinc lampadum coruscatione territi hostes sunt in fugam conversi* (*Num.* 72). De hoc namque bello per prophetam dicitur: *Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian* (*Isa.* IX, 4). Eripiens quippe Dominus gentilitatem superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit. Superavit virgam humeri ejus, cum percussionem illius quæ ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere Redemptor compescuit. Superavit sceptrum exactoris ejus, cum regnum ejusdem diaboli, qui pro pestifera perpetratione vitiorum exigere consueverat debita tributa pœnarum, de fidelium corde destruxit (*Num.* 73). Quid hoc est quod tale bellum per prophetam ad medium adducitur, et adventui Redemptoris nostri, istius pugnæ victoria comparatur? An indicare nobis propheta studuit quod adventum Redemptoris nostri contra diabolum, illa sub Gedeone duce pugnæ victoria designavit? Talia nimirum illic acta sunt, quæ quanto magis usum pugnandi transeunt, tanto amplius a prophetandi mysterio non recedunt. Quis enim unquam cum lagenis et lampadibus ad prælium venit? Quis contra arma veniens, arma deseruit? Ridicula nobis hæc profecto fuerant, si terribilia hostibus non fuissent. Sed victoria ipsa attestante didicimus, ne parva hæc quæ facta sunt perpendamus. Gedeon itaque ad prælium veniens, Redemptoris nostri signat adventum. De quo scriptum est:

Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, et potens; Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII, 7). Hic Redemptorem nostrum non solum opere, sed etiam nomine prophetavit. Gedeon namque interpretatur, circumiens in utero. Dominus enim noster per majestatis potentiam omnia complectitur, et tamen per dispensationis gratiam intra uterum virginis humanitatem sumens venit. Quis est ergo circumiens in utero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, et humanitatem intra uterum sumens? In quo utero et incarnatus est, et clausus non est. Quia et intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, et extra mundum per potentiam majestatis. Madian vero interpretatur de judicio. Ut enim hostes ejus repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de judicio juste judicantis fuit, et idcirco de judicio vocantur : quia alieni a gratia Redemptoris justæ damnationis meritum etiam in vocabulum trahunt nominis (*Num.* 74). Contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad prælium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo per ter ductum centenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis? Cum his quippe Dominus noster adversarios fidei destruxit, cum his ad prædicationis bella descendit, qui possunt divina cognoscere, qui sciunt de Trinitate, quæ Deus est, perfecta sentire. Notandum vero est, quia iste ter centenarius numerus in *tau* littera continetur, quæ crucis speciem tenet. Cui si super transversam lineam id quod in cruce eminet, adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in *tau* littera continetur, et per *tau* litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur; non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt, quibus dictum est : *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX, 23). Qui sequentes Dominum tanto verius crucem tollunt, quanto acrius et se edomant, et erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Unde et per Ezechielem prophetam dicitur : *Signa tau super frontes virorum gementium, et dolentium* (*Ezech.* IX, 4). Vel certe in his trecentis, qui in *Tau* littera continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostium crucis ligno superetur. Ductique sunt ad fluvium ut aquas biberent, et qui aquas flexis genibus hausere, a bellica intentione remoti sunt. Aquis namque doctrina sapientiæ, stante autem genu recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt genu flexisse perhibentur, a bellorum certamine prohibiti recessere, quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt. Omnes quippe tunc bibisse aquam, sed non omnes recto genu stetisse narrati sunt, reprobatique sunt qui genua dum aquas biberent inflexerunt, quia attestante Apostolo : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* II, 13). Quia enim, ut diximus, dissolutio operum in ipsa genuum incurvatione signatur, recte rursum per Paulum dicitur : *Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris* (*Hebr.* XII, 12). Hi igitur Christo duce ad bellum prodeunt, qui hoc, quod ore annuntiant, opere ostendunt; qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriunt, nec tamen in pravis operibus carnaliter inflectuntur. Quia sicut scriptum est : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccl.* XV, 9). (*Num.* 75.) Itum est ergo ad prælium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis. [a] Inusitatus iste, ut diximus, fuit ordo præliandi. Cecinerunt tubis, et sinistris lagenæ tenebantur, intra lagenas autem sunt missæ lampades. Confractis vero lagenis, lampades ostensæ sunt, quarum coruscante luce, hostes territi in fugam vertuntur. Designatur itaque in tubis clamor prædicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe dux noster secum ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis et gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri, sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis, dum prædicant, confregere lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis opponunt. Resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt, moxque hostes in fugam versi sunt, quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti quod impugnaverunt crediderunt. Cecinere ergo tubis, ut lagenæ frangerentur, lagenæ fractæ sunt ut lampades apparerent, apparuerunt lampades ut hostes in fugam verterentur, id est prædicaverunt martyres, donec eorum corpora in morte solverentur. Corpora eorum in morte soluta sunt ut miraculis coruscarent; coruscavere miraculis ut hostes suos ex divina luce prosternerent, quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent. (*Num.* 76.) Et notandum quod steterunt hostes ante lagenas, fugerunt ante lampades, quia nimirum persecutores sanctæ Ecclesiæ, fidei prædicatoribus adhuc in corpore positis restiterunt; post solutionem vero corporum apparentibus miraculis, in fugam versi sunt, quia pavore conterriti, a persecutione fidelium cessavere. Prædicatione scilicet tubarum fractis lagenis corporum, visis timuerunt lampadibus miraculorum. (*Num.* 77.) Intuendum est etiam id quod illic scriptum est, quia in dextera tubas, lagenas autem in sinistra tenuerunt. Pro dextro enim habere dicimur quidquid pro magno pensamus, pro sinistro vero quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est quod in dextera tubas, et lagenas in sinistra tenuerunt, quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis quam gratiam prædicationis, in sinistra tubam atque in dextra lagenam tenet. Si enim primo loco gratia prædicationis attenditur, et posteriore utilitas corporis, certum est quia in dextris tubæ et sinistris lagenæ teneantur.

CAP. III. — *Manue viso angelo pertimescens dixit : Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Quem uxor protinus consolatur, dicens : Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset* (*Jud.* XIII, 21, *seq.*).

Dum de tenenda fidelibus spei fiducia tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 56), adjunctum est : *Manue viso angelo pertimescens dixit*, etc. — Quid est quod visione angeli vir fit timidus, et mulier audax, nisi quod nobis quoties cœlestia demonstrantur, spiritus quidem pavore se concutit, sed tamen spes præsumit? Inde namque spes ad majora audenda se erigit, unde turbatur spiritus, quia ea quæ superna sunt prior videt. Quia cum altiora secretorum cœlestium sublevata mens conspicit, cuncta humanarum virium soliditas contremiscit.

CAP. IV. — *Samson cum Gazam civitatem Philistinorum fuisset ingressus, illico custodes deputavere : sed ille exiens, portas civitatis tulit, et montis verticem ascendit* (*Jud.* XVI, 3).

Dum de præfiguratione resurrectionis Dominicæ tractaretur homil. 21. in Evang. (*Num.* 7), adjunctum est : *Samson cum Gazam civitatem Philistinorum fuisset ingressus*, etc. — Quem hoc in facto nisi Redemptorem nostrum Samson ille significat? Quid Gaza civitas, nisi infernum designat? Quid per Philistæos, nisi Judæorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulcro jam positum, custodes illico deputaverunt,

[a] Cod. Michael. parumper hic dissentit.

et eum, qui auctor vitæ claruerat in inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Samson vero nocte media non solum exiit, sed etiam portas tulit, quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit, portas tulit. Et montis verticem subiit : quia resurgendo, claustra inferni abstulit, et ascendendo cœlorum regna penetravit.

CAP. V. — *De Samsone, quod cum maxilla asini multos occidisset, ea projecta in terram, aquam fuderit* (*Jud.* XV, 15, 19).

Dum de divinæ operationis magisterio, et prædicatorum Ecclesiæ miraculis tractaretur in expos. beati Job, l. XIII, (*Num.* 15), adjunctum est : *De Samsone, quod cum maxilla asini multos occidisset*, etc.—Quorum hic per maxillam asini, nisi prædicatorum Ecclesiæ personæ designantur? Redemptor enim noster simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitiis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram projecta postmodum aquas fudit, quia data morti prædicatorum corpora, magna populis monstravere miracula.

CAP. VI. — *De Samsone qui, amissis oculis, ad molam ab Allophylis deputatus est* (*Jud.* XVI).

Dum de humanæ duritiæ ad correctionem torpore tractaretur, in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 37), adjunctum est : *De Samsone qui, amissis oculis, ad molam ab Allophylis deputatus est.* — Sciendum est quod aliquando prius oculorum intellectus obtunditur, et postmodum captus animus per exteriora desideria vagatur, ut cæca mens a quo ducitur nesciat, et carnis suæ illecebris sese libenter subdat. Aliquando vero prius desideria carnis ebulliunt, et post longum usum illiciti operis, oculum cordis claudunt. Nam sæpe mens recta cernit, nec tamen audenter contra perversa erigit, et renitens vincitur dum hoc ipsum quod agit dijudicans, carnis suæ delectatione superatur. Quia enim plerumque prius oculus contemplationis amittitur, et post per carnis desideria hujus mundi laboribus animus subjugatur, testatur Samson ab Allophylis captus, qui postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est. Quia nimirum maligni spiritus postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt.

CAP. VII. — *De Samsone, quod paucos cum viveret interemit, everso vero templo multos cum moreretur occidit* (*Jud.* XVI, 30).

Dum de multiplici numerositate credentium per mortem resurrectionemque Redemptoris nostri tractaretur in expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 26), adjunctum est : *De Samsone, quod paucos cum viveret interemit*, etc. — Cujus hoc loco per Samsonem, nisi Redemptoris nostri persona signatur? Samson enim dum viveret paucos occidit, everso vero templo, maximam adversariorum suorum multitudinem etiam ipse moriens stravit. Et Domino nostro prædicante pauci ex plebe Israelitica crediderunt, innumeri vero gentium populi viam vitæ illo moriente secuti sunt. Superbos namque dum adhuc passibilis viveret pertulit, a passibili vero vita multos dum moreretur stravit. Quod bene Samson in semetipso dudum figuraliter expressit, qui paucos quidem dum viveret interemit, destructo autem templo hostes innumeros, cum moreretur occidit, quia nimirum Dominus ab elatione superbiæ paucos cum viveret, plures vero cum templum sui corporis solveretur exstinxit, atque electos ex gentibus, quos vivendo sustinuit, simul omnes moriendo prostravit.

CAP. VIII. — *Quod tribum Benjamin in carnis scelere detectam dum collectus omnis Israel ulcisci voluisset, prius ipse prostratus est, et tunc peccatricem tribum funditus exstinxit* (*Jud.* XX, 3).

Cum de propriis prius ulciscendis delictis quam ad aliena vindicanda prosiliamus tractaretur in expos. beati Job, l. XIV (*Num.* 34, *ordine non semel inverso*), adjunctum est : *Quod tribum Benjamin in carnis scelere detectam*, etc. — Qui semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet ignorat. Et si novit fortasse per auditum quod rectum judicare debeat, recte tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judicii regulam præbet. Hinc est quod cum tribus Benjamin in carnis scelere fuisset obruta, collectus omnis Israel ulcisci iniquitatem voluit, sed tamen semel et iterum in belli certamine ipse prostratus est. Consulto autem Domino si ad ulciscendum ire debuissent, jussum est. Qui juxta divinæ vocis imperium perrexit, et semel et secundo perdidit, et tunc demum peccatricem tribum valde feriens pene funditus exstinxit. Quid est ergo quod in ultione sceleris inflammatur, et tamen prius ipse prosternitur, nisi quod prius ipsi purgandi sunt per quos aliorum culpæ feriuntur? Ut ipsi jam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant. Unde insidiantibus quibusdam, et ad puniendam adulteram deducentibus dicitur : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7). Ad aliena quippe punienda peccata ibant, et sua reliquerant. Revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, et tunc aliena reprehendant. Unde necesse est ut, cum contra nos ultio divini examinis cessat, nostra se conscientia ipsa reprehendat, atque ad lamenta pœnitentiæ ipsa se contra semetipsam erigat, nec contra bonos elata et sibi humilis, sed contra se rigida sit bonis vero omnibus submissa.

LIBER SEPTIMUS.

De testimoniis in primum Regum.

CAPUT PRIMUM. — *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati* (*I Reg.* I, 18).

In exposit. Job, lib. XXXIII (*Num.* 43), adjunctum est : *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.* —[a] Quia videlicet mens ejus nequaquam post preces inepta lætitia lasciviendo perdidit, quod orationis suæ tempore gemituum rigore exquisivit.

CAP. II. — *Dominus judicabit fines terræ* (*I Reg.* II, 10).

Cum de divinæ misericordiæ circa genus humanum dispensatione tractaretur, in expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 20), adjunctum est : *Dominus judicabit fines terræ.* — Prius conditor noster facturam suam non deserens, mala hominum et per suam sapientiam tolerat, et per eorum quandoque conversionem relaxat. Cum duras atque insensibiles mentes respicit, modo eas minis, modo verberibus, modo revelationibus terret, ut quæ pessima securitate duruerant, salubri timore mollescant, quatenus vel sero redeant, et hoc ipsum saltem quod diu exspectati sunt erubescant. Scit enim Dominus quia extrema vitæ nostræ plus judicat, et idcirco electos suos in fine sollicitus purgat. Hinc ergo scriptum est : *Dominus judicabit fines terræ*, quia tanto impensius ultimis

[a] Caput hoc abest a nostris Ms.

nostris invigilat, quanto in ipsis impendere initia vitæ sequentis pensat.

CAP. III. — *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxere ad plaustrum* (*I Reg.* VI, 10). Et paulo post : *Ibant in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsamis, pergentes et mugientes* (*Ibid.*, 12).

Cum de discretæ compassionis bono proximis exhibendo tractaretur, hom. 31 in Evang. (*Num* 4), adjunctum est : *Tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, junxere ad plaustrum.* Cum de terra Philistiim arca Domini ad terram Israelitarum rediret, plaustro superimposita est, et vaccæ plaustro subjunctæ sunt, quæ fetæ fuisse memorantur. Quarum filios clauserunt domi. Et scriptum est : *Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsamis; uno itinere gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram.* Quid igitur vaccæ, nisi fideles quosque in Ecclesia designant? Qui dum sacri eloquii præcepta considerant, quasi superimpositam sibi Domini arcam portant. De quibus hoc est etiam notandum, quod fuisse fetæ memorantur, quia sunt plerique qui in via Dei intrinsecus positi, foris carnalibus affectibus ligantur, sed non declinant a recto itinere, qui arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe dicitur domus solis. Et propheta ait : *Vobis autem qui timetis Dominum, orietur sol justitiæ* (*Malach.* IV, 2). Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, dignum profecto est ut a Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute pensandum est quod vaccæ Dei plaustro suppositæ pergunt et gemunt. Dant ab intimis mugitus et tamen ab itinere non retorquent gressus. Amorem quippe per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt. Sic nimirum prædicatores Dei, sic fideles quique esse intra sanctam Ecclesiam debent, ut et compatiantur proximis per charitatem, et tamen de via Dei non exorbitent per compassionem. (*In expos. beati Job, l.* VII, *n.* 42, *inv. sæpe ord.*) Arca quippe superimposita Bethsamis pergere, est cum superna scientia ad æternæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc vere Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes ad vicina erroris latera, nec pro affectu pignorum declinamus. Sic namque, sic necesse est ut incedere debeant, qui sacræ legis jugo supposititi, jam per internam scientiam Dei arcam portant, quatenus per hoc quod propinquorum necessitatibus condolent, a cœpto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet, ne hæc eadem mens aut si affectu non tangitur dura sit, aut plus tacta, si inflectitur, remissa.

CAP. IV. — *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel* (*I Reg.* XV, 17)?

Dum de cavenda elatione et cordis humilitate sectanda tractaretur, in expos. beati (Job, l. XXXIV (*Num.* 42, 43), adjunctum est : *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis*, etc.—Parvulus in oculis suis est qui in eo quod semetipsum considerat, imparem se alienis meritis pensat. Nam quasi grandem se conspicit quisquis se super aliena merita élatione cogitationis extendit. Saul autem reprobus in bono quod cœperat non permansit, quia fastu susceptæ potestatis intumuit. At eontra David, semper de se humilia sentiens, ejusdemque Saul se comparatione postponens, postquam feriendi locum reperit, et pepercit, eidem sævienti adversario humili se professione prostravit dicens : *Quem persequeris, rex Israel, quem persequeris? Canem mortuum et pulicem unum* (*1 Reg.* XXIV, 15)? Et certe jam unctus in regem fuerat; jam, exorante Samuele et cornu super se oleum fundente, didicerat, quod eum divina gratia, Saul reprobato, ad regni gubernacula possidenda servabat. Et tamen persequenti adversario mente humili se substernebat, cui divino judicio prælatum esse se noverat. Illi itaque se humiliter postponebat, cui per electionis gratiam incomparabiliter noverat esse se meliorem. Discant ergo quomodo humiliari proximis debeant, qui adhuc quo loco apud Deum habeantur nesciunt, si sic se electi etiam illis humiliant quibus jam se per interna judicia antepositos deprehendunt. Hoc autem esse proprium specimen electorum solet, quod de se semper sentiunt infra quam sunt. Hinc namque ab eodem David dicitur : *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam* (*Psal.* CXXX, 2). Hinc Salomon ad sapientiam parvulos vocat, dicens : *Si quis est parvulus, veniat ad eam* (*Prov.* IX, 4). Qui enim nec dum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit. Hinc in Evangelio Dominus dicit : *Confiteor tibi, Domine, pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). Hinc rursum Psalmista ait : *Custodiens parvulos Dominus* (*Psal.* CXIV, 6). Hinc Magister gentium dicit : *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thessal.* II, 7). Hinc discipulos admonens ait : *Superiores sibi invicem arbitrantes* (*Philip.* II, 3). Nam quia iniquus quisque inferiorem se omnem quem cognovit putat, e diverso justus studet, ut superiorem quemlibet proximum attendat; ac ne, dum se alii alter humiliat, eo humiliato iret alter in elationem, bene utramque partem admonuit, dicens : *Superiores sibi invicem arbitrantes*, ut in cogitationibus cordis et ego illum mihi præferam, et vicissim ille me sibi, ut cum ab utraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore sublevetur.

CAP. V. — *Item unde supra.*

In expositione Evangelii, homilia 7 (*Num. ultimo*). — Quid per increpationem Saulis, nisi superbia elati regis abigitur? Quod ad correctionem suam poterit salubriter quisque convertere qui prælatus est. Cum ergo Saul parvulum se in suis oculis æstimavit, caput in tribubus Israel factus est. Ac si aperte diceretur : Cum te parvulum conspiceres, ego te præ cæteris magnum feci, quia vero tu te magnum conspicis, a me parvus æstimaris. Quo contra-cum David regni sui potentiam coram arca Domini saltando despiceret, dixit : *Ludam, et vilior fiam plusquam factus sum; et ero humilis in oculis meis* (*II Reg.* VI, 22). Si igitur sancti viri etiam cum agunt fortia de semetipsis vilia sentiunt, quid in sua excusatione dicturi sunt qui sine operatione virtutis intumescunt? Sed si quælibet adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat, et unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur In cunctis ergo quæ agimus radicem boni operis humilitatem teneamus, nec quibus jam superiores, sed quibus adhuc inferiores simus aspiciamus, ut dum meliorum nobis exempla proponimus, ad majora semper ascendere ex humilitate valeamus.

CAP. VI. — *Item unde supra.*

Reg. Past. part. II (*Cap.* 6, *ante medium*) [a]. — Parvulum se Saul in suis prius oculis viderat, sed fultus temporali potentia jam se parvulum non videbat. Cæterorum namque comparatione se præferens, quia cunctis plus poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Deum magnus; cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipse potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit, qui et tenere illam noverit, et impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, et cum illa cæteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate

[a] Assignatur liber VI, in Job, a Mss. Utic. et Gemet. in quo etiam additur : *Item lib.* XXVI. Legitur hoc loco a nobis notato.

fulcitur. Quanto magis in altum se erigit, cum se ei etiam potestas adjungit? Quam tamen potestatem recte dispensat, qui sollicite noverit et sumere ex illa quod adjuvat, et expugnare quod tentat, et æqualem se cum illa cæteris cernere, et tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre (*Ibid., multo infra*). Scriptum namque est : *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII, 1).

CAP. VII. — *Item unde supra.*

Cum de bono obedientiæ tractaretur, in expos. beati Job, l. XVIII, (*Num.* 59), adjunctum est. — Sciendum magnopere est quia tanto unaquæque anima pretiosior est ante oculos Dei, quanto præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur : *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* Ac si aperte diceret : Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. Unde et per prophetam dicitur : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isa.* V, 21). Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi; tanto pretiosior Deo quanto propter eum vilior sibi : *quia humilia respicit, et alta a longe agnoscit* (*Psal.* CXXXVII, 6).

CAP. VIII. — *Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum* (*I Reg.* XV, 22).

Item cum de bono obedientiæ tractaretur, in expos. beati Job, l. 35 (*Num.* 28-31), adjunctum est : *Melior est obedientia quam victimæ*, etc. Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos, repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso ergo melius ostenditur quid de ejus laude sentiatur. Si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sola est obedientia quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis esse convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostentatione obedientiæ dicitur : *Vir obediens loquitur victorias* (*Prov.* XXI, 28). Vir quippe obediens victorias loquitur, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Hinc in Evangelio Veritas dicit : *Eum qui venit ad me non ejiciam foras, quia de cœlo descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 37). Quid enim, si suam faceret, eos qui ad se veniunt repulisset? Quis autem nesciat quod voluntas filii a voluntate patris non discrepet? Sed quoniam primus homo quia suam facere voluntatem voluit, a paradisi gaudiis exivit; secundus ad redemptionem hominum veniens, dum voluntatem se patris, et non suam, facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam sed patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt foras non ejicit, quia dum exemplo suo nos obedientiæ subjicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait : *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio judico* (*Joan.* V, 30). Nobis quippe obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. Ipse autem si, sicut audit, judicat, tunc quoque obedit, cum judex venit. Ne igitur nobis usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster indicat, quia hanc etiam cum judex venerit servat. Quid ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subjicit, quando hanc Mediator Dei et hominum, et cum obedientes remunerat, non relinquit? Sciendum vero est quia nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur intermitti. Neque enim mala in paradiso arbor exstitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit, sed ut per melius obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat ut hunc etiam a bono prohiberet, quatenus tanto verius hoc quod ageret virtus esset, quanto et a bono cessans auctori suo se subditum humilius exhiberet. Sed notandum quod illic dicitur : *Ex omni ligno paradisi edite, de ligno autem scientiæ boni et mali ne tetigeritis* (*Gen.* II, 16). Qui enim ab uno quolibet bono subjectos vetat, necesse est ut multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si a bonis omnibus penitus repulsa jejunet. Omnes autem paradisi arbores ad esum Dominus concessit, cum ab una prohibuit, ut creaturam suam, quam nolebat exstingui, sed provehi, tanto facilius ab una restringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret. Sed quia nonnunquam nobis hujus mundi prospera, nonnunquam vero jubentur adversa, sciendum summopere est quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda hujus vitæ prospera libidini propriæ ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci et contumeliæ jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea quæ in hac vita despecta sunt invitus nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus sæculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia et in adversis ex suo aliquid habere, et rursum in prosperis ex suo aliquid omnino non habere, quatenus et in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur, et in prosperis [a] tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa quam divinitus percipit gloria funditus ex mente separatur. Sed hoc virtutis pondus melius ostendimus, si cœlestis patriæ duorum hominum facta memoremus. Moyses namque cum in deserto oves pasceret, Domino per angelum in igne loquente, vocatus est, ut eripiendæ omni Israelitarum multitudini præesset (*Exod.* III). Sed quia apud se mente humilis exstitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit; moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens : *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius, ex quo cœpisti loqui ad servum tuum, tardioris et impeditioris linguæ factus sum* (*Exod.* IV, 10). Et se postposito alium deposcit, dicens : *Mitte quem missurus es.* Ecce cum auctore linguæ loquitur, et ne tanti regiminis potestatem susciperet, elinguem se esse causatur. Paulus quoque divinitus fuerat ut Jerosolymam ascendere debuisset admonitus, sicut ipse Galatis dicit : *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam assumpto Barnaba et Tito. Ascendi autem secundum revelationem* (*Gal.* II, 1). Isque in itinere cum prophetam Agabum reperisset, quanta se adversitas Jerosolymis maneret audivit. Scriptum quippe est quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens, dixit : *Virum, cujus hæc zona est sic alligabunt in Jerusalem* (*Act.* XXI, 11). A Paulo autem protinus respondetur : *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu. Neque enim pretiosiorem facio animam meam quam me* (*Ibid.* 13). Præceptione igitur revelationis Jerosolymam pergens adversa cognoscit, et tamen hæc libenter appetit. Audit quæ timeat, sed ad hæc ardentior anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israeliticæ plebi præferatur; Paulus ad adversa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fer-

[a] Utic., *tanto sit vilior*. Prætulimus aliam lectionem quæ est Gemet, et Michael. Cæteroquin ita in libro Moralium legitur.

vescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit jubente declinare; iste Deo aspera et dura disponente, se studuit ad graviora præparare. Præeunte ergo utrorumque ducum infracta virtute instruimur, ut, si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur; prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione militemus.

CAP. IX. — *Ecce spiritus Dei malus exagitat te* (*I Reg.* XVIII, 10.)

Cum de occulta divini dispensatione judicii tractaretur, in expos. beati Job, l. 18 (*Num.* 4; *l.* II, *n.* 16, 17), adjunctum est : *Ecce spiritus Dei malus exagitat te.* — Scit [a] antiquus humani generis inimicus qualiter afflictionem justorum semper appetat; tamen si ab Auctore nostro potestatem non accipit, ad tentationis articulum nullatenus convalescit. Unde et omnis voluntas diaboli injusta est, et tamen, permittente Deo, omnis potestas justa. Ex se enim tentare quoslibet injuste appetit, sed eos qui tentandi sunt, et prout tentandi sunt, nonnisi tentari Deus juste permittit. Bene ergo dicitur : *Spiritus Domini malus exagitat te.* Ecce unus idemque spiritus, et Domini appellatur et malus : Domini videlicet per licentiam potestatis justæ, malus autem per desiderium voluntatis injustæ. Unde et in hoc loco quæri solet : si Domini, cur malus? si malus, cur Domini dicitur? Sed duobus verbis comprehensa est et potestas justa in diabolo, et voluntas injusta. Nam et ipse dicitur spiritus malus per nequissimam voluntatem, et idem spiritus Domini per acceptam justissimam potestatem. Quia etsi hostis sævit, qui ferire appetit, Creator tamen est, qui eum ad aliquid prævalere permittit. Formidari igitur non debet qui nihil nisi permissus valet. Nam et in Evangelio expellenda de homine dæmonum legio Domino dicebat : *Si ejicis nos, mitte nos in greges porcorum* (*Matth.* VIII, 31). Sola ergo jussio illa timenda est, quæ cum hostem sævire permittit, ei ad usum justi judicii et injusta illius voluntas servit.

CAP. X. — *Quod cum Saulem spiritus immundus invaderet, apprehensa David cithara, ejus vesaniam sedabat* (*I Reg.* XVI, 14, 23).

Cum de dispensatione doctrinæ regentium tractaretur, Reg. Pastor. part. III (*Cap.* 2, *admon.* 3), adjunctum est : *Quod cum Saulem spiritus immundus invaderet*, etc. — Plerumque superbus dives exhortationis blandimento placandus est, quia et plerumque dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, et furor insanorum sæpe ad salutem, medico blandiente, reducitur; cumque eis in dulcedine condescenditur, languor insaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est quod cum Saulem spiritus adversus invaderet, apprehensa David cithara, ejus vesaniam sedabat, et temperabat. Quid enim per Saulem nisi elatio potentium, et quid per David innuitur nisi humilis vita sanctorum? Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, David canente, ejus vesania temperatur, quia cum sensus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum est ut ad salutem mentis quasi ad dulcedinem citharæ locutionis nostræ tranquillitate revocetur.

CAP. XI. — *De David et Goliath* (*I Reg.* XVII, 32-34).

Dum de convincendis errorum magistris tractaretur, in expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 24), adjunctum est : *De David et Goliath.* — Vir recta fide plenus quæ Sanctis solet ad justitiam deputari, ea ipsa Scripturæ sacræ, quæ hæreticus affert testimonia colligit, et erroris ejus pertinaciam inde convincit. Contra nos namque dum sacræ legis testimonia apportant, secum nobis afferunt unde vincantur. Unde et David typum Domini, qui videlicet manu fortis interpretatur, Golias vero hæreticorum superbiam signans, hoc rebus locuti sunt, quod nos verbis aperimus. Golias quippe cum gladio, David vero cum pera pastorali venit ad prælium. Sed eumdem Goliam David superans suo gladio occidit; quod nos quoque agimus, qui promissa David membra ex ejus fieri dignatione meruimus. Nam cum superbientes hæreticos et sacræ Scripturæ sententias deferentes eisdem verbis atque sententiis quas proferunt vincimus, quasi elatum Goliam suo gladio detruncamus.

CAP. XII. — *Saul persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat. Cumque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus : quia manum mittere in Christum Domini non deberet; qui tamen occulte surrexit, et oram chlamydis abscidit* (*I Reg.* XXIV, 4, 5).

Cum de obtrectatione fugienda, et humilitate pravis etiam rectoribus exhibenda tractaretur, Reg. Past. part. III (*Cap.* 4, *admon.* 5, *circa finem*), adjunctum est : *Saul persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus*, etc. — Quid per Saul, nisi mali rectores? Quid per David, nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare est pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exsequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit, quia piæ subditorum mentes, ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui et si quando propter infirmitatem sese abstinere vix possunt ut extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter, loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt, quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxie et latenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant; sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene et illic scriptum est : *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat; et cum præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium, a quo sibi prælata est, perhorrescat. Nam cum in præpositis delinquimus, ejus ordinationi qui eos nobis prætulit obviamus. Unde Moyses quoque cum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait : *Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum* (*Exod.* XVI, 8).

CAP. XIII. — *De renuntiatione Abigail ad Nabal* (*I Reg.* XXV, 14, 18, 23).

Dum [b] de opportuno correptionis tempore tractaretur, Reg. Past. part. III (*Cap.* 16, *admon.* 17), adjunctum est : *De renuntiatione Abigail ad Nabal.* — Quid nobis Abigail per renuntiationis suæ dispensationem innuit, nisi quod iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ suæ commotione declinemus? Perturbati quippe quid audiant ignorant, sed ad se reducti tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autem furore ebriæ omne rectum quod dicitur perversum videtur. Unde Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit. Et idcirco malum quod fecerat cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audivit.

[a] Excusi : *scit namque Job quod diabolus licet afflictionem justorum semper appetat*; reluctantibus omnibus Mss. nostris.

[b] In Mss. Michael. Gemet. et Utic. : *Cum de discretis ad correctionem temporibus.*

CAP. XIV. — *Ægyptium puerum Amalechitæ in itinere ægrotum deserunt, quem David cibo reficit, ducemque sui itineris facit. Amalechitam persequitur, epulantem reperit, et funditus exstinguit* (*I Reg.* XXX, 11-13).

Cum de peccatorum per donum supernæ gratiæ conversione tractaretur, in expos. beati Job, l. v (*Num.* 73), adjunctum est : *Ægyptium puerum Amalechitæ in itinere ægrotum deserunt*, etc. — Quid est quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere lassatur, nisi quod amator præsentis sæculi, peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem sæculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat. Sed David hunc invenit, quia Redemptor noster veraciter manu fortis nonnunquam quos despectos a mundi gloria reperit, in suum amorem convertit. Cibo pascit, quia verbo scientiæ reficit. Ducem itineris eligit, quia suum etiam prædicatorem facit. Et quia Amalechitam sequi non valuit, dux David efficitur, quia is quem indignum mundus deseruit, non solum conversus in sua mente Dominum recipit, sed prædicando, hunc etiam usque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce David Amalechitam convivantem invenit, et exstinguit, quia ipsis Christus prædicantibus mundi lætitiam destruit, quos mundus comites habere despexit.

CAP. XV. — *Item unde supra.*

In expositione Evangelii, hom. XXXVI (*Num.* 7).— Hos eligit Deus quos despexit mundus, quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum. Etenim qui patrem reliquit, et partem substantiæ quam percepérat prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus* (*Luc.* XV, 17) ? Longe quippe a se recesserat, quando peccabat ; et si non esurisset, in semetipsum minime rediisset. Postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit. Infirmi ergo quique atque in hoc mundo despecti, plerumque tanto celerius vocem Domini audiunt, quanto et in hoc mundo non habent ubi delectentur. Quod bene Amalechitarum puer ille Ægyptius designat, qui Amalechitis prædantibus atque currentibus æger remansit in via, et fame sitique aruit ; quem cum David invenit, ei cibum potumque præbuit ; qui illico convalescens dux David factus est ; convivantes Amalechitas reperit, et eos qui se debilem reliquerant cum magna fortitudine prostravit. Amalechita quippe populus lambens vocatur. Et quid per lambentem populum nisi mentes carnalium designantur ? Quæ terrena cuncta ambiendo quasi lambunt, dum solis temporalibus delectantur. Quasi enim populus lambens prædam facit, dum terrena diligentes lucra de alienis damnis exaggerant. Sed puer Ægyptius æger in via relinquitur, quia peccator quisque dum infirmari ab hujus mundi statu cœperit, mox sæcularibus mentibus in despectum venit. Quem tamen David invenit, eique cibum et potum præbet, quia manu fortis Dominus abjecta mundi non despicit ; et plerumque eos qui, sequi mundum minime valentes, quasi in via remanent, ad amoris sui gratiam convertit, eisque verbi sui cibum potumque porrigit, et quasi duces sibi in via eligit, dum suos etiam prædicatores facit. Dum enim Christum peccatorum cordibus inferunt, quasi David super hostes ducunt. Qui convivantes Amalechitas velut David gladio feriunt, quia superbos quosque qui se in mundo despexerant, Domini virtute prosternunt. Puer ergo Ægyptius, qui in via remanserat, Amalechitas interfecit, quia plerumque ipsi mentes sæcularium prædicando superant, qui prius cum sæcularibus in hoc mundo currere non valebant.

LIBER OCTAVUS.

De testimoniis in librum secundum Regum.

CAPUT PRIMUM. — *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, neque sint agri primitiarum ; quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quia non esset unctus oleo* (*II Reg.* I, 21, 22).

Cum de maledictionum distinctione tractaretur in præfat. lib. IV, in Job (*Cap.* 4), adjunctum est : *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos*, etc.—Quid montes Gelboe, Saul moriente, deliquerunt, quatenus in eos nec ros nec pluvia caderet, et ab omni eos viriditatis germine sententiæ sermo siccaret ? Sed quia Gelboe interpretatur decursus, per Saul autem unctum et mortuum, mors nostri mediatoris exprimitur ; non immerito per Gelboe montes superba Judæorum corda signantur, quæ dum in hujus mundi desideriis defluunt, in Christi, id est uncti se morte miscuerunt. Et quia in eis unctus rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur. De quibus et bene dicitur : *Ut agri primitiarum esse non possint.* Superbæ quippe Hebræorum mentes primitivos fructus non ferunt, quia in Redemptoris adventu ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluere. Sancta namque Ecclesia in primitiis suis multitudine gentium fecundata, vix in mundi fine Judæos quos invenerit suscipiet, et extrema colligens, eos quasi reliquias frugum ponet. De quibus nimirum reliquiis Isaias dicit : *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isa.* X, 22). Possunt tamen idcirco Gelboe montes ore prophetæ maledici, ut dum fructus ex arescente terra non oritur, possessores terræ sterilitatis damno feriantur, quatenus ipsi maledictionis sententiam accipiant, qui apud se mortem regis suscipere iniquitate sua exigente meruissent.

CAP. II. — *Locutus est Abner ad Azahel, dicens : Recede a me, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram. Qui audire contempsit, et noluit declinare. Percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit eum, et mortuus est* (*II Reg.* II, 22, *seq.*).

Cum de discreta circa delinquentes correptione tractaretur Reg. past. part. III (*Cap.* XVI, *admon.* 17, *circa fin.*) adjunctum est : *Locutus est Abner ad Azahel, dicens*, etc. — Cujus Azahel typum tenuit, nisi eorum, quos vehementer arripiens furor in præceps ducit ? Qui in eodem furoris impetu tanto caute declinandi sunt, quanto et insane rapiuntur. Unde et Abner, qui sermone nostro patris lucerna dicitur, fugit, quia doctorum lingua, quæ supernum Dei lumen indicat, cum per abrupta furoris mentem cujuspiam ferri conspicit, cumque contra irascentem dissimulat verborum jacula reddere, quasi persequentem non vult ferire, sed cum iracundi nulla consideratione se mitigant, et quasi Azahel persequi et insanire non cessant, necesse est ut hi qui furentes reprimere conantur, nequaquam se in furore erigant, sed quidquid est tranquillitatis ostendant, quædam vero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animum pungant. Unde et Abner cum contra persequentem subsistit, non eum recta sed aversa hasta transforavit. Ex mucrone quippe percutere est impetu apertæ increpationis obviare. Aversa vero hasta persequentem ferire est furentem tranquille ex quibusdam tangere, et quasi parcendo superare

Azahel autem protinus occubuit, quia commotæ mentes dum et parci sibi sentiunt, et tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo quod se erexerant, statim cadunt. Qui ergo a fervoris sui impetu sub lenitatis percussione resiliunt, quasi sine ferro moriuntur.

Cap. III.—*Venientes filii Remmon Berothitæ, Rechab et Banaa, ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiebat super statum suum meridie. Ingressi sunt autem domum, et ostiaria domus purgans triticum obdormivit; assumentes spicas tritici latenter ingressi sunt, et percusserunt eum in inguine* (*II Reg.* iv, 5).

Dum de adhibenda menti forti custodia, per sollicitæ circumspectionis studium tractaretur in expos. beati Job, l. i (*Num* 49), adjunctum est : *Venientes filii Remmon Berothitæ, Rechab et Banaa, ingressi sunt fervente die domum Isboseth*, etc.—Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo virtutes a vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprii Domini sui insidiatores admittit : quia cum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis carnis delectatione perforare. Nequaquam vero Isboseth iste hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Fortis namque [a] virilisque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Unde bene et Isboseth appellatus est qui custode femina, hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe, vir confusionis dicitur; vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est. Quia dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis.

Cap. IV.—*De vaccis calcitrantibus inclinata arca, quam cum Oza Levites erigere voluisset, percussus est* (*II Reg.* vi, 6, 7).

Dum de reprimenda contra rectores suos subditorum reprehensionis audacia tractaretur in expos. beati Job, l. v (*Num.* 24), adjunctum est : *De vaccis calcitrantibus inclinata arca*, etc. — Sæpe quia intelligi non valent, deterioribus displicent vel facta vel dicta meliorum. Sed eo ab eis non temere reprehendenda sunt, quo apprehendi veraciter nequaquam possunt. Sæpe aliquid a majoribus dispensatorie agitur vel præcipitur, quod a minoribus error putatur. Sæpe multa a fortibus dicuntur, quæ idcirco infirmiores dijudicant, quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca signavit, quam quia casuram credens Levites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit. Quid est namque mens justi, nisi arca testamenti? Quæ gestata a bobus calcitrantibus inclinatur, quia nonnunquam etiam qui bene præest, dum subjectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione permovetur. Sed in hoc quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa, fortitudinis casus putatur imperitis. Unde et nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt, sed a vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Levites ergo quasi adjuvans manum extendit, sed delinquens, vitam perdidit, quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipsi a viventium sorte reprobantur. Aliquando etiam sancti viri [b] quædam minimis condescendentes dicunt, aliquando vero quædam summa contemplantes proferunt, dumque vim vel condescensionis vel altitudinis nesciunt, audacter hæc stulti reprehendunt. Et quid est justum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam arcam superba reprehensionis manu relevare? Quid est justum de incognita locutione reprehendere, nisi motum ejus fortitudinis erroris lapsum putare? Sed perdit vitam qui arcam Dei tumide sublevat, quia nequaquam quis sanctorum corrigere recta præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Unde et Levites idem recte Oza dicitur, quod videlicet robustus Domini interpretatur, quia præsumptores quoque nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta velut infirma judicarent.

Cap. V.—*Quod David dum arcam Domini Jerusalem saltando reduceret, a Michol filia Saul uxore sua irrisus est* (*II Reg.* vi, 16, 17, 21, 22).

Cum de [c] bono humilitatis regentium per doni superni gratiam tractaretur in exposit. beati Job, l. xxvii (*Num.* 77, 78), adjunctum est : *Quod David dum arcam Domini Jerusalem saltando reduceret*, etc. —Intueri libet quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quam forti se humilitate servabat. Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam sternere, a rege proposita exstinctis Allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere? Et tamen cum arcam Dei in Jerusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admistus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat, rex sese in divino obsequio per saltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino et exæquando minimis, et abjecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subjectorum oculis saltando vilescere metuit, non se honore prælatum cæteris ante ejus arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo egit debilia vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de ejus factis ab aliis sentiatur ignoro, ego David plus saltantem stupeo quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit. Quem Michol filia Saul adhuc ex tumore regii generis insana, cum humiliatum despiceret, dicens : *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum et nudatus est quasi si nudetur unus de scurris* (*II Reg.* vi, 20); protinus audivit : *Vivit Dominus quia ante Dominum ludam, qui elegit me potius quam patrem tuum* (*Ibid.* ii, 22). Ac paulo post ait : *Et ludam, et vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis.* Ac si aperte dicat : Vilescere coram hominibus appeto, quia servare me coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt, quia in honoribus positi nihil se esse nisi pulverem, favillamque perpendunt; sed tamen coram hominibus viles apparere refugiunt, et contra hoc quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt, dejectos se exhibendo contemnunt, sed tamen apud se introrsus quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elationem premunt. Quæ utraque unius elationis bella magna David circumspectione [d] deprehendit, mira virtute superavit. Quia

[a] In Ms. Sagiensi, *vigilque.*

[b] Editi, *quædam minima.* Sequimur Mss. Mich., Gemet., Utic.

Corruptissime in vulgatis : *De doni superni patria.*

[d] Utic., *reprehendit.* Sequimur Gemet., Michael., Sagiensem.

enim de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non quærit insinuat dicens : *Ludam, et vilior fiam.* Et quia per hoc quod vilem se exterius præbuit, nequaquam interius intumescit, adjungit : *Eroque humilis in oculis meis.* Ac si dicat : Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me et interius attendo. Quid ergo acturi sunt, quos doctrina elevat, si David ex carne sua venturum Redemptorem noverat, ejusque gaudia prophetando nuntiabat; et tamen in semetipso cervicem cordis valida discretionis calce deprimebat, dicens : *Eroque humilis in oculis meis.*

CAP. VI. — *Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es* (*I Reg.* VII, *vel potius* I, *Paralip.* XXII, 3).

Dum de servanda doctoribus cordium actuumque munditia tractaretur in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 56), adjunctum est : *Non tu ædificabis mihi templum*, etc. — Mundus in se esse a vitiis debet, qui curat aliena corrigere, ut terrena non cogitet, ut desideriis infimis non succumbat ; quatenus tanto perspicacius aliis fugienda videat, quanto hæc ipse per scientiam et vitam verius declinat. Quia nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat, et superjectas sordes tergere non valent manus quæ lutum tenent. Quod juxta antiquæ translationis seriem bene ad David erga exteriora bella laborantem, per significationem divina vox innuit, cum dicit : *Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es.* Dei autem templum ædificat qui corrigendis atque instituendis proximorum mentibus vacat. Templum quippe Dei nos sumus, qui ad veram vitam ex ejus inhabitatione construimur, Paulo attestante, qui ait : *Templum Dei sanctum est quod estis vos* (*II Cor.* XVII, 27). Sed vir sanguinum templum Dei ædificare prohibetur, quia qui adhuc actis carnalibus incumbit, necesse est ut instruere spiritualiter proximorum mentes erubescat.

CAP. VII. — *Percussit David vallem salinarum* (*I Reg.* VIII, 13).

Dum de vindicta perverse de Deo sentientium tractaretur, in expos. beati Job, l. 3 (*Num.* 45), adjunctum est : *Percusssit David vallem salinarum.* — Quid de percussa multitudine a David in valle salinarum signatur, nisi quia Redemptor noster suo videlicet districtionis examine, in his, qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati saporis exstinguit?

CAP. VIII. — *Quod David in solario deambulans, Bethsabee Uriæ concupivit uxorem* (*II Reg.* XI, 2, 3).

Dum [a] de adhibenda discretione in vestigandis Scripturæ mysteriis tractaretur in expos. beati Job, l. III (*Num.* 55), adjunctum est : *Quod David in solario deambulans*, etc. — Sic plerumque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa, sicut aliquando res gesta, in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis. Quod verum esse citius ostendimus, si unum sacræ Scripturæ testimonium ad utraque probanda proferamus. Quis namque audiens non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium non omnimodo detestetur quod David in solario deambulans, Bethsabee Uriæ concupiscit uxorem? Quem tamen a prælio revertentem, ire ad domum suam admonet, pedes lavare. Qui protinus respondit, dicens : *Arca Dei sub pellibus est, et ego in domo mea requiescam* (*II Reg.* XI, 11)? Quem David ad mensam propriam suscipit, eique epistolas per quas mori debeat tradit. Cujus autem David in solario deambulans typum tenet, nisi ejus de quo scriptum est : *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII, 6)? et quid est Bethsabee ad se perducere, nisi legem litteræ carnali populo conjunctam spirituali sibi intellectu sociare? Bethsabee enim puteus septimus dicitur, quia nimirum per cognitionem legis infusione spiritualis gratiæ perfecta nobis sapientia ministratur. Quem vero Urias, nisi Judaicum populum designat? Cujus nomen interpretatum dicitur, lux mea Dei. Judaicus enim populus, quia de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Uriæ David uxorem abstulit, sibique conjunxit, quia videlicet manu fortis, quod David dicitur, in carne Redemptor apparens, dum de se spiritualiter loqui legem innotuit, per hoc quod juxta litteram tenebatur, hanc a Judaico populo extraneam demonstravit, sibique conjunxit, quia se per illam prædicari declaravit. Uriam tamen ad domum ire David admonet pedes lavare, quia incarnatus Dominus veniens, Judaico populo præcepit ut ad conscientiam redeat, et sordes operum fletibus tergat; ut spiritualiter mandata legis intelligat, et post tantam duritiam præceptorum, fontem baptismatis inveniens, ad aquam post laborem recurrat. Sed Urias qui arcam Domini esse sub pellibus meminit, respondit quod domum suam intrare non possit. Ac si Judaicus populus dicat : Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus video, et redire ad conscientiam per spiritualem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, qui præcepta Dei nonnisi ad exhibendum ministerium sacrificii carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem, David ad mensam vocat, quia quamvis Judaicus populus ad conscientiam reverti contemnat, ei tamen Redemptor veniens mandata spiritualia prædicat : dicens : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi ; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Legem itaque Judaicus populus tenet, quæ ejus divinitatem loquitur, cui idem populus credere dedignatur. Unde et Urias ad Joab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur, quia idem ipse Judaicus populus legem portat, qua convincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens implere renititur, ipse nimirum defert judicium unde damnetur. Quid ergo per factum istud David scelestius? Quid Uria mundius dici potest? Sed rursum per mysterium quid David sanctius, quid Uria infidelius invenitur? quando et ille per vitæ culpam, prophetiæ signat innocentiam, et iste per vitæ innocentiam in prophetia exprimit culpam. Virtus namque sacri eloquii sic transacta narrat, ut ventura exprimat ; sic in facto rem approbat, ut in mysterio non contradicat ; sic gesta damnat, ut hæc mystice gerenda persuadeat.

CAP. IX. — *De concupiscentia David in Bethsabee* (*II Reg.* XI, 4).

Dum de reprimendo illlicitæ visu concupiscentiæ tractaretur in expos. beati Job, l. XXI (*Num.* 12, 15), adjunctum est : *De concupiscentia David in Bethsabee.* — Adhuc carnis corruptibilis pondere gravati nequaquam valemus sic vivere, ut nulla nos possit culpæ delectatio pulsare. Sed aliud est nolentem tangi, aliud consentientem animum perimi. Sancti autem viri tanto vigilantiores se circumspectione custodiunt, quanto se pulsari sinistris motibus vel transitoriæ delectationis dedignantur, ut si quid fortasse cor illicitum concupisceret, pressus disciplinæ magisterio oculus videre recusaret. Sicut enim sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta intrinsecus, compellit sibi extrinsecus, oculos deservire. Nam plerumque res quælibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confoditur. Non enim David Uriæ conjugem ideo studiose respexit, quia concupierat, sed potius ideo concupivit, quia incaute res-

[a] Vel : *Dum per subtilissimæ discretionis studium, de disserendo intellectu sacri eloquii*, ut legitur in plerisque Mss.

pexit. Fit vero rectæ retributionis examine, ut qui exteriori negligenter utitur, interiori oculo non injuste cæcetur. Sæpe autem intrinsecus concupiscentia dominatur, et illecebratus animus ad usus suos sensus corporeos famulari more tyrannidis exigit, suisque voluptatibus oculos servire compellit, atque, ut ita dicam, fenestras luminis ad tenebras aperit cæcitatis. Unde sancti viri cum sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa, per quæ formæ species ad mentem ingreditur, disciplinæ magisterio lumina restringunt, ne pravæ cogitationis visio lenocinata famuletur. Quæ si unquam subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immunditia protinus ad operationem transit.

CAP. X.—*De pœnitentia David pro Bethsabee* (*II Reg.* XII, 13).

Cum de mentis humilitate servanda tractaretur in expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 23), adjunctum est: *De pœnitentia David pro Bethsabee.* — Ad hoc in Scriptura sacra virorum talium, id est David et Petri peccata sunt indita, ut cautela minorum sit ruina majorum. Ad hoc vero utrorumque illic et pœnitentia insinuatur et venia; ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo David cadente nemo superbiat. De lapsu etiam suo David surgente, nemo desperet. Ecce quam mirabiliter Scriptura sacra eodem verbo superbos premit, quo humiles levat. Unam namque rem gestam retulit, et diverso modo superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles vero ad spei fiduciam revocavit. O inæstimabile novi generis medicamentum, quod uno eodemque ordine positum, et premendo tumentia exsiccat, et sublevando arentia infundit. De majorum nos lapsu terruit, sed de reparatione roboravit. (*Num.* 24) Sic quippe semper, sic nos divinæ dispensationis misericordia, et superbientes reprimit, et ne ad desperationem corruamus, fulcit. (*Num.* 25) Sed quia exigente causa David ad medium deducto, tanti facinoris memoriam fecimus, lectoris fortasse animus movetur cur omnipotens Deus eos, quos in perpetuum elegit, quos ad donorum quoque spiritualium culmen assumpsit, illæsos a corporalibus vitiis non custodit? Unde quia satisfieri citius credimus, breviter respondemus. Nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impensam gratiam bonorum operum, in superbiæ vitium cadunt, sed tamen quo ceciderint, non agnoscunt. Proinde contra nos hostis antiquus quia jam interius dominatur, etiam exterius sævire permittitur, ut qui in cogitatione elati sunt, per carnis luxuriam prosternantur. Scimus autem quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Sed cum minus turpis superbia creditur minus vitatur. Luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem novere. Unde fit plerumque ut nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpæ latentis erubescant, et tunc etiam majora corrigunt, cum prostrati in minimis gravius confunduntur. Reos enim se inter minora conspiciunt, qui se liberos inter graviora crediderunt. Pia ergo Domini dispensatione laxatus, nonnunquam malignus spiritus de culpa ad culpam trahit, et dum plus percutit, inde eum quem ceperat amittit atque unde vicisse cernitur, inde superatur. Considerare libet intra munitum gratiæ sinum quanto Deus misericordiæ favore nos continet. Ecce qui de virtute se extollit per vitium ad humilitatem redit. Qui vero acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed ut ita dicam, medicamento vulneratur. Quid est enim virtus, nisi medicamentum? et quid est vitium, nisi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in usum vitiorum, ille vitiorum illecebras assumit in arce virtutum, et salutis statum percutit ut servet, ut qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes hæreamus. Sed inter hæc sciendum quod plerique hominum quo in multis corruunt, arctius ligantur. Cumque eos antiquus hostis ex uno vitio percutit ut concidant, ex alio quoque ligat ne resurgant. Consideret itaque homo cum quo adversario bellum gerat, et si jam se in aliquo deliquisse perpendit, saltem ad culpam pertrahi ex culpa pertimescat, ut studiose vitentur vulnera quibus frequenter interficit, quia valde rarum est quod hostis noster electorum saluti etiam vulneribus servit (*Num.* 28). Erudiendos enim electos suos Dominus sæpe tentatori subjicit, sicut post paradisi claustra, sicut post tertii cœli secreta, ne revelationum magnitudine Paulus extolli potuisset (*II Cor.* XII, 17), ei Satanæ Angelus datus est, sed ipsa hac tentatione disponitur, ut qui elati perire poterant, humiliati a perditione serventur. Secreto ergo dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei. Quia adversarius noster inde obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ.

CAP. XI.—*Dominus transtulit peccatum tuum* (*II Reg.* XII, 13).

Dum de impetranda remissione delinquentium non sine ultione vindictæ congruæ tractaretur in expos. beati Job, l. 9 (*Num.* 54), adjunctum est: *Dominus transtulit peccatum tuum.* — Si peccatum David tam detestabile Dominus transtulit, quid est quod omnia quæ de eodem peccato per prophetam ei a Domino dicta sunt, postmodum toleravit? Sed procul dubio Dominus delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic enim David audire post confessionem meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum;* et tamen, multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat exsolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi parentis absolvimur, sed tamen, reatum ejusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus, quia delicta nostra sive per nos, sive per semetipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare.

CAP. XII. — *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ? Dimittite eum ut maledicat; Dominus enim præcepit ei ut malediceret David* (*II Reg.* XVI, 10).

Dum de servanda contra tentationes in adversis patientia per memoriam præteritorum delictorum tractaretur, in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 37), adjunctum est: *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ?* — Quisquis fidelium divinæ gratiæ illustratione componitur, sancto desiderio de imis ad summa evehi supernæ contemplationis penna festinet, sanctorum præcedentium patrum gesta ante mentis oculos ponat, atque in eis se imitatione exercendo proficiat, et quod præsenti titillat ex vitio, vel præteritorum malorum memoria reprimat, vel donorum præcedentium consolatione restringat, vel etiam imitatione, ut dictum est, patrum præcedentium provocetur ad melius. Quod necesse est ut, sicut proposuimus, exemplis evidentioribus approbemus. Ut enim unum de multis loquar, quatenus studiosus lector multa in paucis intelligat, quisquis, verborum contumeliis pressus, cum virtutem patientiæ servare non sufficit, David factum ad memoriam reducat; quem cum Semei tot conviciis [a] urgeret, et armati proceres ulcisci contenderent, ait: *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ? Dimittite eum ut maledicat; Dominus enim præcepit ei ut malediceret David. Et quis est qui audeat dicere quare sic fecerit?* Et paulo post: *Dimittite eum, ut maledicat juxta præ-*

[a] Utic., *argueret.*

ceptum Domini, si forte respiciat Deus afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Quibus profecto verbis indicat quia pro perpetrato Bethsabee scelere, exsurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetravit, et æquanimiter pertulit quod audivit, et contumeliosa verba non tam convicia quam adjutoria credidit, quibus se purgari sibique misereri posse judicavit. Tunc enim illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus quia pejus est quod meremur. Sicque fit ut contumeliis gratia magis quam ira debeatur, quarum interventu Deo judice pœna gravior declinari posse confiditur.

Cap. XIII. — *De Joab quod Amasæ mentum manu dextra tenuit, et sinistra percussit* (*II Reg.* xx, 9).

Cum de cavenda simulatorum malitia tractaretur, in expos. beati Job, l. xv (*Num.* 13), adjunctum est : *De Joab quod Amasæ mentum manu dextra tenuit*, etc. — Quid est quod Joab Amasæ mentum dextra tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens ejus viscera effudit, nisi hoc quod patenter datur intelligi? Dextra namque mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri ; sed sinistram ad gladium mittit, quia latenter ex malitia percutit.

Cap. XIV. — *Quod David, qui prius alienam uxorem concupiscere non timuit, postmodum vero, cum aquam de cisterna concupisset, expavit* (*II Reg.* xxiii, 16, 17).

Cum de purgatione vitæ electorum per memoriam reprehensionis suorum excessuum tractaretur, hom. 34 in Evang. (*Num.* 16), adjunctum est. *Quod David, qui prius alienam uxorem concupiscere non timuit*, etc. — Cogitandum summopere est ut qui se illicita commisisse meminit, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa ; et se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse. Nimia sunt quæ loquor, si hæc ex sacri eloquii testimoniis non affirmo. Lex certe Veteris Testamenti alienam uxorem concupisci prohibet (*Exod.* xxviii) ; a rege vero fortia jubere militibus, vel desiderari aquam, non pœnaliter vetat. Et cuncti novimus quod David, concupiscentiæ mucrone transfixus, alienam conjugem et appetivit et abstulit, cujus culpam digna verbera sunt secuta, et malum quod perpetravit per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longe post contra hostium cuneos sederet, aquam bibere ex eorum cisterna ex desiderio voluit, cujus electi milites, inter catervas adversantium medias erumpentes, aquam quam rex desideraverat illæsi detulerunt. Sed vir flagellis eruditus semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit, eamque Domino fundens libavit. Sicut illic scriptum est : *Libavit eam Domino* (*II Reg.* xxiii, 17). In sacrificium quippe Domini effusa aqua conversa est, qui culpam concupiscentiæ mactavit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam conjugem nequaquam timuit, post etiam, cum aquam concupisset, expavit. Quia enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum jam rigidus etiam a licitis abstinebat.

Cap. XV. — *Quod David populum numerando peccavit* (*II Reg.* xxiv, 2).

Cum de non judicanda a subditis vita actibusque regentium tractaretur, in expos. beati Job, l. xxv (*Num.* 3) adjunctum est : *Quod David populum numerando peccavit.* Sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis etiam vere boni deliquat vita pastoris. Ille enim Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius David propheta, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit, et tamen vindictam populus, David peccante, suscepit. Cur hoc ? Quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Justus vero judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit. Sed quia ipse, sua scilicet voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit ; nam ira sæviens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. Certum vero est quod ita sibi invicem et rectorum merita connectantur et plebium, ut sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, et sæpe ex merito plebium mutetur vita pastorum. (*Num.* 36) Sed quia rectores habent judicem suum, magna cautela subditorum est non temere vitam judicare regentium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, et cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* xxi) : nimirum significans quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum ; quamvis etiam subditorum vitia, quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel neqeunt, ejus procul dubio judicio reservantur. Igitur dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quidquid prioris est toleratur ; debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emendari. Sed curandum summopere est ne in superbiam transeat justitiæ inordinata defensio, ne dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur ; ne eum sibi præesse quisque despiciat, quem fortasse contingit ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Nam vires nostras veraciter examinare negligimus, et quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos qui nobis prælati sunt districte judicamus. Quo enim nosmetipsos minus agnoscimus, eo illos quos reprehendere nitimur plus videmus. Singula hæc mala sunt quæ sæpe a subditis in prælatos, sæpe a prælatis in subditos committuntur, qui et omnes subditos hi qui præsunt minus quam ipsi sunt sapientes arbitrantur. Et rursum qui subjecti sunt rectorum suorum actiones judicant. Et si ipsos regimen tenere contingeret, se potuisse melius agere putant. Unde plerumque fit ut rectores minus prudenter ea, quæ agenda sunt videant, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat ; et nonnunquam is qui subjectus est hoc, cum prælatus fuerit, faciat quod dudum fieri subjectus arguebat ; et pro eo quod illa quæ judicaverat perpetrat, saltem quia judicavit erubescat. Igitur sicut prælatis curandum est ne eorum corda æstimatione singularis sapientiæ locus superior extollat, ita subjectis providendum est ne sibi rectorum facta displiceant. (*Num.* 37) Si autem magistrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos subditi, etiam cum displicent, veneréntur. Sed hoc est solerter intuendum, ne aut quem venerari necesse est imitari appetas, aut quem imitari despicis venerari contemnas. Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis et humilitatis, ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens a servanda magisterii reverentia non recedat.

LIBER NONUS.

De testimoniis libri tertii Regum.

Caput Primum. — *Salomon, post acceptam divinitus sapientiam, turpium mulierum de judicio causa tentatur* (*III Reg.* iii, 16).

Cum de electorum tentationibus ad utilitatem pro

fectuum proficientibus tractaretur, in expos. beati Job, lib. VIII (*Num.* 48), adjunctum est : *Salomon post acceptam divinitus sapientiam*, etc. — Notandum quod postquam Dominus erroris nostri tenebras luce suæ cognitionis illustrat, mox tentationis aculeo visitando probat, quia et accendendo corda nostra ad virtutes provehit, et recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera nulla tentatione concutitur, hoc se habere animus ex seipso gloriatur. Ut ergo et firmitatis dona habeat, et infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiæ ad alta sustollitur, et per recessum quid ex semetipso sit probatur. Quod bene nobis ex historia sacræ lectionis innuitur, quia Salomon et divinitus accepisse sapientiam, et tamen post acceptam eamdem sapientiam meretricum statim pulsatus quæstione memoratur. Mox enim ut gratiam tantæ revelationis accepit, certamen turpium mulierum pertulit, quia nimirum sæpe cum mentem nostram concessis virtutibus respectus intimæ largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubricæ cogitationes turbant, ut quæ sublevata immenso munere exsultat, etiam tentatione pulsata, quid sit inveniat. Sic Elias et visitatus sermone desuper cœlos aperuit (*III Reg.* XIX, 3), et tamen probatus subito, infirmus per deserta fugiens, unam mulierem expavit. Sic Paulus ad tertium cœlum raptus, paradisi penetrans secreta considerat, et tamen ad semetipsum rediens [a] contra carnis bella laborat. Legem aliam in membris sustinet, cujus in se rebellione fatigari spiritus legem dolet (*Rom.* VII, 21). Post dationem ergo muneris idcirco Deus hominem probat, quia et collato munere sublevat, et abstracto ad paululum, ipsum sibi hominem demonstrat. Quod eo usque procul dubio patimur, quo, detersa funditus labe peccati, ad promissæ incorruptionis substantiam reformemur.

CAP. II. — *De judicio Salomonis inter mulieres, ex quibus una filium, quem vigilans lactare consueverat, dormiens occidit* (*III Reg.* III, 17).

Cum de prædicatoribus recta loquentibus, sed per propriam actionem prava auditoribus exempla præbentibus, tractaretur, in expos. beati Job, l. XXI (*Num.* 16, 17), adjunctum est : *De judicio Salomonis inter mulieres*, etc. — Quid in hac sententia per matrum lactantium nomina, nisi doctorum ordo, quid vero per eorum filios nisi discipulorum persona signatur? Nam magistri nimirum vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt, et negligendo opprimunt quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter vivunt, et habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur, quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud judicia hominum excusent mala quæ agunt, et quasi per subditorum vitam mortiferam tegant negligentiam. Unde et illic mulier filium quia exstinxit proprium, quæsivit alienum; sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit, quia videlicet cujus fructus vivat, vel cujus intereat, in extremo examine ira districti judicis demonstrat. Ubi et illud solerter intuendum est, quod vivens filius prius dividi præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur, quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnunquam alter apud Deum meritum, alter vero apud hominem laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit occidi non metuit, quia arrogantes magistri et charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiæ enim face succensi, nolunt aliis vivere quos se conspiciunt non posse possidere. Unde et illic perversa mulier clamat, *Nec meus, nec istius sit* (*III Reg.* III, 26). Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident, ad gloriam temporalem eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit ut ejus filius saltem apud extraneam sit et vivat, quia concedunt veraces magistri ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterium in examine charitatis approbatur, et sola totum recipere meruit, quæ quasi totum concessit, quia fideles præpositi pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant, ipsi et integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perfectæ retributionis gaudia consequuntur.

CAP. III. — *Domus autem cum ædificaretur, lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata est, et malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur* (*III Reg.* VI, 7).

Cum de purgatione vitæ præsentis, et remuneratione quietis perpetuæ tractaretur, in expos. beati Job, l. XXXIV (*Num.* 23), adjunctum est : *Domus autem cum ædificaretur*, etc. — Quid domus illa nisi sanctam Ecclesiam, quam in cœlestibus Dominus inhabitat, figurabat? Ad cujus ædificationem electorum animæ quasi quidam expoliti lapides deferuntur. Qui cum ædificantur in cœlis, nullus illic jam disciplinæ malleus resonat, quia dolati atque perfecti illuc lapides ducimur, ut locis juxta meritum congruis disponamur. Hic enim foris tundimur, ut illic sine reprehensione inveniamur. Hic malleus, hic securis, hic omnia tunsionum resonant ferramenta; in domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia in æterna patria omnis jam percussionum strepitus conticescit. Nequaquam ibi malleus percutit, quia nulla animadversio affligit, nequaquam securis incidit, quia receptos interius nulla foras severitatis sententia projicit. Nequaquam ferramenta perstrepunt, quia nec quælibet minima ultra jam flagella sentiuntur. Lapides ergo extra tunsi sunt, ut in constructione templi Domini absque mallei sonitu ponerentur, quia videlicet nunc foras per flagella tundimur, ut intus in templum Dei postmodum sine disciplinæ percussione disponamur, quatenus quidquid in nobis est superfluum modo percussio resecet, et tunc sola in ædificatione concordia charitatis liget.

CAP. IV. — *Quod ante fores templi mare æneum, id est luterem ad abluendas ingredientium manus duodecim boves portant, qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent* (*III Reg.* VII, 23).

Cum per meritum vitæ regentium de purgandis subditorum maculis tractaretur, Regul. Past. parte II (*Cap.* 5, *circa finem*), adjunctum est : *Quod ante fores templi mare æneum, id est luterem ad abluendas ingredientium manus duodecim boves portant*, etc. — Quid per duodecim boves nisi universus pastorum ordo signatur? De quibus, Paulo disserente, lex dicit : *Non tu obturabis os bovi trituranti* (*I Cor.* IX, 9; *ex Deut.* XXV, 4). Quorum quidem nos aperta opera cernimus, sed apud districtum judicem quæ illos posterius maneant in occulta retributione nescimus. Qui tamen cum condescensionis suæ patientiam diluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant, ut quisquis intrare æternitatis januam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, ut, quasi in boum lutere, cogitationis vel operis manus lavet.

CAP. V. — *Quod in templi ministerio, in basibus templi sculptorio opere leones, et boves, et cherubim expressa sunt* (*III Reg.* VII, 29).

Cum de perfectione sacerdotalis officii tractaretur, homil. 17 in Evang. (*Num.* 12), adjunctum est : *Quod in templi ministerio*, etc. — Cherubim plenitudo scientiæ dicitur. Sed quid est quod in basibus nec leones sine bobus, nec boves sine leonibus fiunt? Quid enim

[a] Utic., *contra carnis vitia.*

aliud designant bases in templo, nisi sacerdotes in Ecclesia? Qui dum sollicitudinem regiminis tolerant, quasi more basium superimpositum onus portant. In basibus igitur cherubim exprimuntur, quia decet nimirum ut sacerdotum pectora plenitudine scientiæ sint referta. Per leones autem terror severitatis, per boves vero patientia mansuetudinis figuratur. Itaque in basibus nec leones sine bobus, nec boves sine leonibus exprimuntur, quia semper in sacerdotali pectore cum terrore severitatis custodiri debet virtus mansuetudinis, ut et iram mansuetudo condiat, et eamdem mansuetudinem, ne fortasse dissoluta sit, zelus districtionis accendat.

CAP. VI. — *Nebula implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes ministrare vropter nebulam* (*III Reg.* VIII, 10).

Cum per intellectum reprobum ad perscrutanda sacri verbi mysteria, de cæcis Judæorum mentibus tractaretur, in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 2), adjunctum est : *Nebula implevit domum Domini*, etc. —Exigentibus meritis, dum superbi Judæorum pontifices divina mysteria per parabolas audiunt, sacerdotes in domum Domini quasi propter nebulam ministrare nequiverunt, qui et in Testamento Veteri dum sensus mysticos litteræ velamine coopertos inter obscuras allegoriarum caligines investigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium propter nebulam perdiderunt. Quibus et tunc in nebula doctrinæ suæ vocem Dominus protulit, cum de se etiam aperta narravit. Quid est enim apertius quam : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30)? Quid apertius quam : *Ante Abraham ego sum* (*Joan.* VIII, 58)? Sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo compleverat, quasi emissum solis radium nebula interjacens abscondebat. Quid per nebulam, nisi caligo intelligentiæ designatur? Et quia apparente in carne Domino, sacerdotum sensus de ejus intellectu caliginem pertulit, nebula Synagogam, id est, domum Domini implevit. Et sacerdotes propter nebulam ministrare non poterant, quia dum ab intellectu incarnati Dei perfidiæ suæ peste obscurati sunt, veri sacerdotii ministerium perdiderunt.

CAP. VII. — *De propheta quem revertentem in itinere leo occidit* (*III Reg.* XIII, 16-18).

Dum de reprimenda in prosperis relatione cordis per cognitionem infirmitatis tractaretur, in expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 53, 54), adjunctum est : *De propheta quem revertentem in itinere leo occidit.* — Quid est homo, cujuslibet sit meriti, si a conditoris sui protectione deseratur? Quæ nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur. Sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo quam sine illa nihil sit ostendatur. Manus igitur Domini aliquando nos nobis per adversa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat, quia destituti dum cadere incipimus, et tamen adjuti retinemur; et doctrina fit, quod in lapsu trepidavimus; et custodia, quod in statu permanemus. Nemo ergo se alicujus virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter potest, quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruitur, ubi se valenter stare gloriabatur. Quid est enim quod vir Dei contra altare Samariæ ad prophetandum directus præsente rege auctoritatem liberæ vocis exercuit, ejusdemque regis extensum brachium in rigorem mirabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit? Cujus in domo invitatus comedere noluit, quia ne in via comederet prohibitionis dominicæ præcepta servavit, qui tamen in eadem via et seductus comedit, et pastus interiit. Qua in re quid subtili consideratione colligimus; quid, ut ita dixerim, formidandum suspicamur, nisi quod forsitan dum apud semetipsum tacitus pro præceptis dominicis regem se contempsisse gloriabatur, ab interna mox soliditate quassatus est, et inde ei in opere culpa subripuit, unde gloria in corde surrexit, ut prophetæ falsi verbis deceptus disceret quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit quod regis verbis restitisset. Bene autem ex ejus ore mortis sententiam accepit, cujus seductione a vitæ præcepto deviavit, ut inde pœnam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisisset.

CAP. VIII. — *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto* (*III Reg.* XVII, 1).

Dum de disserendo intellectu sacri eloquii tractaretur, in expos. beati Job, l. XI (*Num.* 49), adjunctum est : *Vivit Dominus Deus Israel*, etc. — Sciendum est quod duobus modis in conspectum Domini venimus, uno quidem quo hic peccata nostra subtiliter perpendentes, in ejus nos conspectu [a] ponimus, et flendo dijudicamus. Alio vero modo in conspectum Domini venimus, cum in extremo judicio ante tribunal ejus assistimus. Nam quoties Conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu illius stamus. Unde recte nunc per virum Dei Eliam dicitur : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.*

CAP. IX. — *Sufficit mihi, Domine; tolle, quæso, animam meam* (*III Reg.* XIX, 4).

Cum de electorum per occultam dispensationem tentationibus tractaretur in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 9, 10), adjunctum est : *Sufficit mihi, Domine; tolle, quæso, animam meam.* — Sancti viri qui sublevante spiritu ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant quantum volunt. Sed ne extollantur superbia, fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum. Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Jezabel postmodum quamvis reginam, tamen mulierculam fugit. Perpendo quippe hunc miræ virtutis virum, ignem de cœlo trahere, et secundo quinquagenarios viros cum suis omnibus petitione subita concremare, verbo cœlos a pluviis claudere, verbo cœlos ad pluvias aperire, suscitantem mortuos, ventura quoque prævidentem; et ecce rursus animo occurrit quo pavore ante unam mulierculam fugerit. Considero virum timore perculsum de manu Dei mortem petere nec accipere, de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem dum fugeret, dicens : *Sufficit mihi; tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei.* Unde ergo sic potens, ut tot illas virtutes faciat? Unde sic infirmus, ut ita feminam pertimescat? Nisi quia dispensatione superni nutus mensura occulta libraminis appenduntur, ut ipsi sancti Dei homines et multum valeant per potentiam Dei, et rursum quadam mensura moderati sunt per infirmitatem suam? In illis virtutibus Elias quid de Deo acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat agnoscebat. Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. In illis virtutibus ostendebat quid acceperat, in istis infirmitatibus hoc quod acceperat custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus servabatur.

CAP. X. — *Ecce Dominus transit, spiritus grandis et fortis, subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio, non in commotione Dominus; et post commotionem ignis, non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ tenuis, et ibi Dominus* (*III Reg.* XIX, 11 *et seq.*).

Dum de incircumscriptæ divinæ substantiæ visione corporeis in quantum negata est oculis tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 66), adjunctum est : *Ecce Dominus transit*, etc.—Spiritus ante Dominum evertit montes et petras conterit, quia pavor qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit,

[a] Excusi, *punimus*. Sequimur Mss.

et duritiam liquefacit. Sed spiritui commotionis et ignis non inesse Dominus dicitur; esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere prævalet Deus non est. Cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo verum est quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Unde bene illic subditur : *Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et ingressus stetit in ostio speluncæ* (*Ibidem*). Post auræ tenuis sibilum, vultum suum propheta pallio operuit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo tegatur, agnoscit. Vultui namque pallium superducere est ne altiora mens quærere audeat; hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, ut nequaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet, reverenter claudat. Qui hæc agens in speluncæ ostio stetisse describitur, quid namque spelunca nostra est, nisi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetustate retinemur? Sed cum aliquid percipere de cognitione divinitatis incipimus, quasi jam in speluncæ nostræ ostio stamus: Quia enim progredi perfecte non possumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes, jam aliquid de libertatis aura captamus. In ingressu ergo speluncæ stare, est represso nostræ corruptionis obstaculo, ad cognitionem veritatis incipere exire. Unde et nube in tabernaculum descendente, Israelitæ e longinquo cernentes in papilionum suorum ostiis stetisse memorantur, quia qui adventum divinitatis utcunque conspiciunt, quasi jam ex habitaculo carnis procedunt.

CAP. XI. — *Cum Elias vocem Domini secum loquentis audiret, in speluncæ suæ ostio stetisse describitur, et faciem velasse* (*III Reg.* XIX, 9, 13).

Cum [a] de electorum profectu per supernam gratiam tractaretur in expos. Ezech. l. II, hom. 1 (*Num.* 17, 18), adjunctum est : *Cum Elias vocem Domini secum loquentis audiret*, etc. — Quid est quod propheta cum vocem Domini secum loquentis audivit, in speluncæ suæ ostio stat et faciem velat, nisi quia dum per contemplationis gratiam vox supernæ intelligentiæ fit in mente, totus homo jam intra speluncam non est, quia animum carnis cura non possidet? Sed stat in ostio, quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed jam qui in ostio speluncæ consistit, et verba Dei in aure cordis percipit, necesse est ut faciem velet, quia dum per supernam gratiam ad altiora intelligenda ducimur, quanto subtilius levamur, tanto semper per humilitatem nosmetipsos in intellectu nostro premere debemus, ne conemur plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII). Ne dum nimis invisibilia discutimus aberremus, ne in illa natura incorporea, corporei luminis aliquid quæramus. Aurem enim intendere et faciem operire, est vocem interioris substantiæ audire per mentem, et tamen ab omni specie corporea oculos cordis avertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quæ ubique tota, et ubique incircumscripta est.

CAP. XII. — *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal* (*III Reg.* XIX, 18).

Cum de cavendo elationis vitio tractaretur in expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* 107), adjunctum est : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* — Certum est quod cordis sui oculum per elationis tenebras exstinguit, qui cum recta agit, considerare meliorum merita negligit. At contra magno humilitatis radio semetipsum illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat, quia dum ea quæ ipse fecerit, facta foris et ab aliis conspicit eum qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem premit. Hinc est enim quod vocem Domini ad Eliam solum se æstimantem dicitur : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*, ut dum non solum se remansisse cognosceret, elationis gloriam quæ ei de singularitate surgere poterat, declinaret. Propheta nempe erat, et sæpe mysteria superna cognoverat. Quid ergo difficile fuit agnoscere in hoc mundo fideles Deo famulos et alios remansisse? sed hinc solerter intuendum est, oculum cordis elatio quam nequiter claudat, quia qui humilis et occulta Dei judicia noverat, elatus et aperta nesciebat.

CAP. XIII. — *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et cœli exercitum a dextris et a sinistris ejus, et dictum est : In quo decipiam Achab ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit alius ita, et alius aliter. Et egressus est unus, et dixit : Ego decipiam Achab. Et dictum est : In quo decipies? Qui respondit dicens : Egrediar, et ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum ejus* (*III Reg.* XXII, 19, *seq.*).

Cum de electorum atque reproborum spirituum ministeriis per occultum divinæ distributionis ordinem tractaretur in expos. beati Job, l. II (*Num.* 38), adjunctum est : *Vidi Dominum sedentem super solium suum*, etc. — Quid solium Domini, nisi angelicas potestates accipimus? Quarum mentibus altius præsidens, inferius cuncta disponit. Et quid exercitus cœli, nisi ministrantium angelorum multitudo describitur? Quid est ergo quod exercitus cœli a dextris et a sinistris ejus stare perhibetur? Deus enim qui ita est intra omnia, ut etiam sit extra omnia, nec dextra nec sinistra concluditur; sed dextra Dei angelorum pars electa, sinistra autem Dei pars angelorum reproba designatur. Neque enim ministrant Deo solummodo boni qui adjuvent, sed etiam mali qui probent. Non solum qui a culpa redeuntes sublevent, sed etiam qui redire nolentes gravent, nec quod cœli exercitus dicitur, angelorum pars reproba in eo intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aere novimus, aves cœli nominamus. Et de eisdem spiritibus Paulus dicit : *Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). Quorum caput enuntians ait : *Secundum principem potestatis aeris hujus* (*Ephes.* II, 2). A dextera ergo Dei et a sinistra angelorum exercitus stat, quia voluntas electorum spirituum divinæ pietati concordat, et reproborum sensus suæ malitiæ serviens, judicio districtionis ejus obtemperat. Unde et mox fallax spiritus in medium prosiliisse describitur, per quem Achab rex exigentibus suis meritis decipiatur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallaciæ deservire voluisse, ut diceret : *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Sed quia Achab rex peccatis præcedentibus dignus erat ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam; occulta justitiæ licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. [b] Is, qui vitam reprobam non vitat, a perpetrandis peccatis animum non avertit, cum a propheta aliquid requirit, illa audit Deo disponente quæ meretur audire damnandus. Ecce enim, ut unum vel duo ex multis loquamur, ab omnipotentis Dei cultu domus Israel sub idolorum servitute recesserat, et tamen ad prophetas a quibus decipi consueverat, sæpe veniebat prospera requirens. Cum vero ex ore prophetarum perversa agens prospera audiret, quid

[a] In Michael. et Gemet. laudatur hom. 1 in Ezech., ubi minime reperitur.

[b] Hæc loco indicato minime leguntur. Exstant in Ms. Michael. tanquam ab antecedentibus separata, ut conjicere licet ex majori littera quæ incipit lineam, simili prorsus iis quæ initio capitulorum ponuntur. In Gemetic. præmittitur : *Item unde supra.* Et in Utic. : *Item in eodem libro*

aliud superna judicia agebant, nisi ut peccator populus in suo corde caperetur? Quatenus qui perfidiam sequendo deliquerat, sic prophetarum suorum blandis sermonibus deciperetur, ut jam nec pertimesceret quia deliquisset, et tanto post durius raperetur ad pœnam, quanto nunc securius viveret in culpa. Sed ecce jam largiente omnipotente Deo ab idolorum cultu remotum est genus humanum, veram fidem publice fatetur, subdi lignis et lapidibus vel cuilibet creaturæ adoratione renuit. Securus ergo jam prophetam quilibet in fide positus consulit, quia hoc auditurus est quod audire fidelem decet. Fidenter dicam, si ab immunditiis aliis atque pravis actibus recessisset, securus esset. Nam Paulus egregius prædicator clamat: *Et avaritia quæ est idolorum servitus* (*Ephes.* v, 5). Quisquis enim adhuc avaritiæ subjectus est, a cultu idolorum liber non est. Si ergo is qui avaritiæ æstibus anhelat, in fide quidem positus esse videtur, sed aliena ambit accipere, honores mundi desiderat, præire cæteros temporali gloria concupiscit, atque de hac eadem gloria prophetam consultat, justum valde est ut ex culpæ suæ merito a prophetæ ore prospera audiat; quatenus qui verba Dei audire in sacro eloquio noluit, ut terrena despiceret, cœlestia amaret, illud, Deo judice, ex prophetæ sui ore audiat unde amplius obligatus cadat, dum spe terrenæ gloriæ delectatus pascitur, suisque desideriis ad ima semper ducatur. Neque enim bonus fuit ille spiritus qui mendax esse appetiit in ore prophetarum. Unde et præmissum est quia exercitus cœli stetit a dextris et sinistris ejus. Deus enim qui incircumscripta est veritas, in illa æterna beatitudine, quæ dextra ejus dicitur, sinistram non habet, quia nihil ibi esse quod displiceat potest; sed quia simul omnia contuetur, simul cuncta aspicit. Ea autem in qua bonus spiritus et malus vivit, exercitum cœli a dextris et a sinistris habere describitur, ut per dexteram intelligamus angelos electos, per sinistram vero spiritus reprobos. Nec movere debet quod exercitus cœli etiam repulsi angeli vocantur, quia et ipsi quamvis ab æthereo cœlo expulsi sunt, adhuc tamen in aereo cœlo demorantur, sicut Paulus ait: *Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 21).

LIBER DECIMUS

De Testimoniis in librum quartum Regum.

Caput Primum. — *De Elia quod in cœlum raptus sit* (*IV Reg.* II, 11, 12).

Cum de ascensione Dominica per raptum Eliæ præfigurata tractaretur, hom. 29 in Evang. (*Num.* 5, 6), adjunctum est: *De Elia quod in cœlum raptus sit.* — Quid est quod Elias in cœlum raptus dicitur? Nunquidnam eum adhuc in carne corruptibili positum ad illius summæ quietis sinum ante resurrectionem ascensionemque Domini credimus esse perductum? Sed aliud est cœlum aereum, aliud æthereum. Cœlum quippe aereum terræ est proximum. Unde et aves cœli dicimus, quia eas volitare in aere videmus. In cœlum quippe aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. Sublevatus namque Elias ascensionem dominicam designavit. Ille enim mortem distulit, non evasit. Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit, eamque resurgendo consumpsit, et resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit. Notandum quoque quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte monstraretur quia homo purus adjutorio egebat alieno. Per angelos quippe illa facta et ostensa sunt adjumenta, quia nec in cœlum, quod est aereum, per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non angelis, sublevatus legitur, quia is qui fecerat omnia nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illuc etenim revertebatur ubi erat, et inde redibat ubi remanebat. Quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatis suæ potentiam et terram pariter continebat et cœlum. Sicut autem Joseph a fratribus venditus venditionem nostri Redemptoris figuravit (*Genes.* I, 5): sic Enoch translatus, atque ad cœlum aereum Elias sublevatus, ascensionem dominicam uterque designavit. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuntios et testes habuit, unum ante legem, alium sub lege, ut quandoque veniret ipse qui veraciter cœlos penetrare potuisset. Unde et ipse ordo in eorum quoque utrorumque sublevatione per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias vero ad cœlum subvectus esse memoratur, ut veniret postmodum qui nec translatus, nec subvectus cœlum æthereum sua virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus quia carnis suæ quoque munditiam largiretur, et sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excresceret, in ipsa quoque eorum translatione qui ascensionem dominicam, ut videlicet famuli, designaverunt, et in se ipso, qui ad cœlum ascendit, Dominus ostendit. Nam Enoch quidem uxorem et filios habuit; Elias vero neque uxorem, neque filios legitur habuisse. Pensate ergo quomodo per incrementa temporum creverit munditia castitatis, quod et per translatos famulos, et per ascendentis Domini personam patenter ostenditur; translatus namque est Enoch per coitum genitus, et per coitum generans. Raptus est Elias per coitum genitus, sed non jam per coitum generans. Assumptus vero est Dominus, neque per coitum genitus, neque per coitum generans.

Cap. II. — *De muliere quæ, ne duos filios auferente creditore amitteret, Elisæi prophetæ dictis obedivit, et ex eo quod parum olei habebat, per vasa vacua effudit, quæ cuncta post usque ad summum repleta sunt, et ex eorum repletione mulier a creditoris sui debito est soluta* (*IV Reg.* IV, 1, 2).

Cum de gentilis Judaicique populi per Ecclesiam credulitate per meritum crescentis Ecclesiæ tractaretur, hom. 3 in Ezech. (*Num.* 6), adjunctum est: *De muliere quæ, ne duos filios auferente creditore amitteret*, etc. — Quid per hanc mulierem nisi sancta Ecclesia designatur? Duorum populorum, id est Judaici et gentilis, quasi duorum filiorum mater, quæ ex perverso opere per callidi spiritus persuasionem quasi quemdam peccati nummum a creditore acceperat, et duos, quos in fide genuit, amittere filios timebat. Sed prophetæ verbis, id est Scripturæ sacræ præceptis obediens, ex parvo quod habebat olei vasa vacua infudit, quia dum ab unius ore doctoris parvum quid de amore divinitatis multorum vacuæ mentes audiunt, exuberante gratia, unguento divini amoris usque ad summum replentur. Et jam nunc multorum corda quæ prius fuerant vacua vascula unguento spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei solummodo infusa videbantur. Quod dum aliis atque aliis datur, et ab auditoribus fides accipitur, Sareptana mulier, videlicet sancta Ecclesia, sub creditoris sui jam debito non tenetur.

Cap. III. — *De filio Sunamitis, quem puer ab Elisæo missus cum baculo non resuscitat, per semetipsum vero Elisæus veniens, seque super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, huc et illuc deambulans, et in ore mortui septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per mysterium compassionis animavit* (*IV Reg.* IV, 27, 28, *seq.*).

Cum de novi testamenti gratia per Mediatorem

exhibita tractaretur, in expos. beati Job, l. IX (*Num.* 63), adjunctum est : *De filio Sunamitis*, etc. — Auctor humani generis Deus quasi mortuum puerum doluit, cum exstinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Per legem quippe virgam Deus tenuerat, cum dicebat : *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur* (*Hebr.* VII, 19). — A peccati igitur morte timor nos suscitare non valuit, sed ad statum vitæ aspirata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia, Paulo attestante, *nihil ad perfectum duxit lex.* Ipse autem per semetipsum veniens, et super cadaver se humiliter sternens, ad exæquanda sibi mortui membra se colligit, quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II, 6). Huc illucque deambulat, quia et Judæam juxta et longe positas gentes vocat. Super mortuum septies aspirat, quia per apertionem divini muneris gratiæ septiformis spiritum in peccati morte jacentibus aspirat. Moxque vivens erigitur, quia is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit.

CAP. IV. — *Quod prophetarum filii dum in Jordane ligna cæderent, uni eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit. In quo jactato per Elisæum manubrii ligno, ad eum ferrum rediit* (*IV Reg.* VI, 4, 5).

Cum de servando in exhibitione operis intelligentiæ dono tractaretur, in expos. beati Job, l. XXII (*Num.* 9, 10), adjunctum est : *Quod prophetarum filii dum in Jordane ligna cæderent*, etc. — Ferrum in manubrio est donum intellectus in corde. Ligna vero per hoc cædere est prave agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam ad hoc novimus dari, ut ante dantis oculos ex bona debeat actione restitui. Unde et recte is, qui ferrum amiserat clamabat : *Heu! heu! heu! Domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam* (*IV Reg.* VI, 5). Habent enim hoc electi proprium, ut si quando eis in sua scientia furtiva vanæ gloriæ culpa subrepit, ad cor velociter redeant, et quidquid in se ante districti judicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis insequantur. Qui flentes, non solum caute inspiciunt mala quæ commiserunt, sed ex accepto munere quæ reddere etiam bona debuerunt, quia nimirum tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis quæ agere poterant debitores tenentur. Recte ergo qui ferrum perdidit clamabat : *Heu! heu! heu! Domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam.* Ac si dicat : Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod ut per bona opera redderem ex gratia conditoris accepi. Sed nunquam Deus mentem deserit quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Unde et mox Elisæus veniens lignum deorsum mittit, et ferrum in superficiem, quia videlicet Redemptor noster, pie nos respiciens, cor peccatoris D humiliat, et ei quam amiserat intelligentiam reformat. Lignum mergit, et ferrum revelat, quia cor affligit, et scientiam reparat. Unde bene alia translatio (*Trans.* LXX), dicit quod confregit lignum atque jactavit, et sic ferrum sustulit. Lignum namque confringere est cor ab elatione conterere. Lignum ad ima jactare, est elatum cor in cognitione, ut diximus, propriæ infirmitatis humiliare. Atque illico ferrum ad superficiem redit, quia ad usum exercitationis pristinæ intelligentia recurrit. Igitur quoniam donum intellectus, quod accipitur, vix cum tot difficultatibus custoditur, curandum valde est ne otio torpeat, curandum ne exercitatione operis vitio elationis evanescat. Sancti namque viri minime exsultant, cum A cognoscunt quæ faciunt, sed cum faciunt quæ cognoverant. Et si intelligendo congaudent muneri largitoris, mœrentes tamen considerant debitum operis, ut videlicet actione persolvant quod eis prærogatum est in cognitione. Stultus namque est debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit, et tempus quo reddere debeat non attendit. Moderatur autem lætitia accipiendi, quando solerti providentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur.

CAP. V. — *Dies tribulationis, et increpationis, et blasphemiæ dies iste. Venerunt filii usque ad partum, et vires non habet pariens* (*IV Reg.* XIX, 3, 4).

Cum de difficultate in exhibitione concepti operis tractaretur adjunctum est : *Dies tribulationis*, etc. — [a] Hæc juxta litteram peccatis facientibus videmus, quia cum hostes irruunt, defensores vestri præparantur, sed nullatenus præparata convalescunt. Scriptum namque est : *Requiescet super eum spiritus consilii et fortitudinis* (*Isa.* XXI). Quæ utraque sibi ne- B cessario juncta sunt, quia neque virtus sine consilio esse utilis valet, neque consilium sine virtute. Quid igitur prosunt qui per consilium præparantur, dum ad prælium per fortitudinem non procedunt? Afflictus ergo atque turbatus Ezechias rex loquitur, dicens : *Dies tribulationis, et blasphemiæ dies iste. Venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens.* Filii quippe usque ad partum veniunt, quando apta consilia usque ad desiderium efficiendi operis procedunt. Sed virtutem non habet parturiens, quia dum infirmus quisque consilia concipit, hæc ad utilitatem aliquam per partum operis non perducit.

CAP. VI. — *Quodcunque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum* (*IV Reg.* XIX, 30).

Cum de mansuris in æterna retributione electorum cogitationibus tractaretur in expos. beati Job, l. XII, (*Num.* 54), adjunctum est : *Quodcunque reliquum fuerit de domo Juda*, etc. — Quod radix arbori, hoc cuique hominum cogitatio sua est, quia in hoc quod C exterius videtur, per illud tenetur quod exterius non videtur. Unde et nunc dicitur : *Mittet radicem, deorsum, et faciet fructum sursum.* Cum enim cogitationem nostram ad compatiendum indigenti proximo tendimus, quasi radicem deorsum mittimus, ut retributionis fructum superius faciamus.

CAP. VII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. VIII (*Num* 81). — Quid hoc loco radicum nomine, nisi latentes cogitationes accipimus, quæ in occulto prodeunt, sed in ostensione operum per apertum surgunt? Radicem ergo deorsum mittere, est cogitationem bonam in abditis multiplicare. Fructum vero sursum facere, est per efficaciam operis recta, quæ cogitavit, ostendere : *Mittet ergo radicem deorsum, ut faciat fructum sursum;* ac si aperte diceretur : In imis cogitatio nascitur, ut in summis retributio reddatur.

CAP. VIII. — *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives* (*IV Reg.* XX, 1).

Dum per præfixum de ordine divinæ scientiæ ordinem, de humanæ vitæ termino tractaretur in expos. beati Job, l. XII (*Num.* 2), adjunctum est : *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.* — Nulla, quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante sæcula decrevit qualiter per sæcula disponantur. Statutum quippe jam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum adversitas feriat, ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Statutum quoque est quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivat; nam etsi annos quin-

[a] In Ms. Michael. legitur hæc ex hom. 10 in Ezech. excerpta esse; ubi tamen non habentur. In Gemet. assignatur hom. 5 in Ezech.

decim Ezechiæ regi ad vitam addidit omnipotens Deus, cum eum mori permisit, tunc eum præscivit esse moriturum. Qua in re quæstio oritur quomodo ei per prophetam dicatur : *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.* Cui cum mortis sententia dicta est, protinus ad ejus lacrymas est vita addita. Sed per prophetam Dominus dixit quo, tempore mori ipse merebatur, per largitatem vero misericordiæ illo eum tempore ad mortem distulit, quo ante sæcula ipse præscivit. Nec propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur; nec Dominica statuta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante sæcula præfixum fuit, atque spatium vitæ quod inopinate foris est additum, sine augmento præscientiæ fuit intus statutum.

CAP. IX. — *Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto* (*IV Reg.* XX, 3).

Cum [a] de postulanda apud Dominum cordis munditia tractaretur in expos. beati Job, l. XII (*Num.* 36), adjunctum est : *Obsecro, Domine*, etc. — Plerumque justi aliquibus necessitatibus afflicti, sua opera coguntur fateri. Sed cum eorum dicta injusti audiunt, hæc per elationem potius quam per veritatem existimant prolata; ex suis enim cordibus verba justorum pensant, et dici humiliter posse verba bona non æstimant. Sicut enim gravis culpa est sibi hoc hominem arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat, quod est. Unde sæpe contingit, ut justi et injusti habeant verba similia, sed tamen cor longe semper dissimile; et ex quibus dictis Dominus ab injustis offenditur, in eisdem quoque a justis placatur. Nam Pharisæus ingressus templum dicebat : *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo* (*Luc.* XVIII, 12). Sed justificatus magis publicanus quam ille, exiit. Ezechias quoque rex cum molestia corporis afflictus ad extremitatem pervenisset vitæ, in oratione compunctus dixit : *Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto.* Nec tamen Dominus hanc confessionem perfectionis ejus despexit aut renuit quem mox in suis precibus exaudivit. Ecce pharisæus se justificavit in opere, Ezechias justum se asseruit etiam in cogitatione. Atque unde ille offendit, inde iste Dominum placavit. Cur itaque hoc, nisi quia omnipotens Deus singulorum verba a cogitationibus pensat, et in ejus auribus superba non sunt quæ humili corde proferuntur.

CAP. X. — *Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, in Babylonem* (*IV Reg.* XX, 17, 18).

Cum de cavenda in prosperis elatione cordis tractaretur in expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 81, 82), adjunctum est : *Ecce dies venient*, etc. — [b] Quid hoc loco prophetæ sententia contra Ezechiam regem significat, nisi arrogantiam hypocritarum, qui cogitationes suas in exquirenda hominum admiratione multiplicant? Per omne enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in acervum petrarum mittunt. Operaturi quippe laudes suas cogitant, laudati autem has secum taciti in cogitationibus versant. Gaudent se præcipuos in humana æstimatione claruisse. Cumque inflati favoribus apud semetipsos intumescunt, sæpe mirantur taciti etiam ipsi quod sunt. Videri quotidie semetipsos altiores cupiunt, ac miris intentionibus in opere excrescunt, quia sicut virtus humilitatis omne vitium enervat, sic arrogantia roborat. Cogit namque mentem juvenescere, et contra vires valere, quia et quod negat vigor valetudinis, imperat amor laudis. Unde et factis suis, ut diximus, arbitros [*In Mss.* arbitres] inquirunt. Si vero eorum operi testes deesse contingat, narrant ipsi quæ gesserint. Cumque efferri favoribus cœperint, sæpe eisdem suis operibus quæ peregisse se referunt, mentiendo aliquid adjungunt. Cum vero et vera dicunt, hæc dicendo aliena faciunt : quia quæsitis remunerati favoribus, ab eorum intima retributione vacuantur. In eo enim quod bona sua patefaciunt, ostendunt malignis spiritibus quasi insidiantibus hostibus quæ prædentur. Quorum profecto vitam illa cunctis notissima Ezechiæ culpa figuravit, qui postquam una prece, et sub unius noctis spatio, centum octoginta quinque millia hostium angelo feriente prostravit, postquam occasui proximum ad altiora cœli spatia solem reduxit, postquam vitam propinquanti jam termino coarctatam in tempora longiora protelavit, susceptis Babylonici regis nuntiis, bona omnia quæ possidebat, ostendit. Sed prophetæ voce protinus audivit : *Ecce dies venient, et auferent omnia quæ in domo tua sunt, in Babylonem; non relinquetur quidquam, dicit Dominus.* Sic nimirum hypocritæ postquam magnis virtutibus excrescunt, quia cavere malignorum spirituum insidias negligunt, et celari in eisdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo [c] ostium faciunt, et prodentes subito amittunt, quidquid diutius studentes operantur. Hinc per Psalmistam dicitur : *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici* (*Psal.* LXXVII, 61). Virtus quippe et pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur, quia omne bonum quod per concupiscentiam laudis ostenditur, occulti adversarii juri mancipatur. Hostes namque ad rapinam provocat, qui suas eorum notitiæ divitias denudat. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, per latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona quæ portat. O miseri! qui affectantes laudes hominum in semetipsis dissipant fructus laborum, cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos nimirum maligni spiritus, cum ad jactantiam provocant, eorum sicut diximus, opera captivantes denudant. Hinc est enim quod per Evangelium Veritas dicit : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matth.* VI, 3, 4). Hinc quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur : *Omnis gloria ejus filiæ regum ab intus* (*Psal.* XLIV, 14). Hinc Paulus ait : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Filia quippe regum Ecclesia, quæ in bono est opere spiritualium principum prædicatione generata, gloriam intus habet, quia hoc quod agit, in ostentationis jactantia non habet. Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat, quia favores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus.

CAP. XI. — *Occidit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha coram eo; oculos quoque Sedechiæ eruit* (*IV Reg.* XXV, 6, 7).

Dum de perseveranti cordis innocentia, et de cavendis antiqui adversarii subtilissimæ tentationis aculeis tractaretur in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 37), adjunctum est : *Occidit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha coram eo*, etc. — Cum Scriptura sacra Sedechiæ captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denuntiat. Rex quippe Babylonis est antiquus hostis possessor intimæ confusionis. Qui prius

[a] In editis legitur : *Merita sua viri justi sine superbia interdum ad memoriam revocant.* Id sane habet Gregorii testimonium. At sequimur Mss. Utic., Michael., Gemet., etc.

[b] Brevior est in Vulgatis sententia, sequimur autem Mss. Sagiensem, Utic., Gemet. et præsertim Michaelinum emendatiorem.

[c] Sag., *prædam faciunt.* In aliis Mss. legitur, *hostium faciunt*, quod duplicem patitur sensum. Primum, *hostibus permittunt.* Secundum, *ostium aperiunt.* In Mss. enim ostium per *h* scribitur.

filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse qui captus est, dolens cernat. Nam bona gignit plerumque animus, et tamen carnis suæ delectationibus victus, bona quæ genuit amans perdit, et quæ patitur damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonis levat. Sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque A peccati usu perducitur, ut ipso quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis rex exstinctis prius filiis, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post et intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias in Reblatha patitur; Reblatha quippe multa hæc interpretatur. Ei enim quandoque et lumen rationis clauditur, qui pravo usu ex iniquitatis suæ multitudine gravatur [a].

[a] Post hoc caput aliud legitur in Mss. Gemet. ac Michael. excerptum ex l. XIV in Job, cujus testimonii initium est; cum scriptum sit: *Caro et sanguis*, etc. sic autem absolvitur: *Eamdem per naturam, diversam per gloriam; eamdem per veritatem, diversam per potentiam.* Quæ collecta sunt ex num. 72 et seq.

LIBER UNDECIMUS

De Testimoniis in Psalmos

CAPUT PRIMUM. — *Et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*Psal.* I, 1). B

Cum de cavendis perversi studii operationibus tractaretur, Reg. past. part. III (*cap.* 34, *admon.* 33), adjunctum est: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* — Cathedra judicis esse vel præsidentis solet. In cathedra autem pestilentiæ sedere, est ex judicio prava committere, et ex ratione mala discernere, et tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in perversi consilii cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut adimplere malum etiam per consilium conetur. Et sicut assistentibus turbis prælati sunt qui cathedræ honore fulciuntur, ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt exquisita per studium peccata transcendunt.

CAP. II. — *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (*Psal.* I, 2).

Dum de mysterio incarnationis Dominicæ tractaretur, hom. 2, in Ezech. (*Num.* 6), adjunctum est: C *Et erit tanquam lignum*, etc.—Quid per lignum juxta aquarum decursus plantatum, nisi Incarnationem nostri Redemptoris accipimus? Qui per ejusdem Incarnationis suæ mysterium propinquare dignatus est peccatorum suorum pondera portanti generi humano, quod ab ortu suo quotidie defluit ad mortem. *Erit enim tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Juxta decursus quippe aquarum plantatus est, quia juxta lapsus incarnatus est defluentium populorum.

CAP. III. — *Item unde supra.*

In expositione beati Job, l. XIX (*Num.* 51). — Decursus aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum. Et de semetipsa Veritas dicit: *Si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* XXIII, 31)? Lignum ergo secus decursus aquarum est qui, fructum et protectionem sui nobis umbraculi proferens, apparuit creator in carne, ut humanum genus per resurrectionem robustum figeret, D quod per defectum quotidie ibat in mortem.

CAP. IV. — *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos* (*Psal.* II, 5).

Cum de distinguendis percussionum qualitatibus tractaretur, in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 19), adjunctum est: *Reges eos in virga ferrea*, etc.—Sciendum est quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conterit Deus. Ex contritione autem adversarii a virtute deficimus, per contritionem vero Domini fracti, a vitiis in virtute roboramur. Hanc contritionem Propheta conspexerat, cum dicebat: *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos.* In virga nos ferrea Dominus regit et conterit, quia dispensationis fortitudine cum nos interius reficit exterius affligit. Nam quo virtutem carnis humiliat, intentionem spiritus exaltat. Unde et hæc eadem contritio figuli vasi comparatur, sicut et per Paulum dicitur: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV, 7). Qui simul contritionem et regimen exprimens ait: *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.*

CAP. V. — *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11).

In [a] expos. beati Job, l. XX (*Num.* 8), adjunctum est: *Servite Domino in timore*, etc. — Sancti viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti, quippe quibus dicitur: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore*, ut et de spe exsultatio, et de suspicione nascatur tremor.

CAP. VI. — *Filii hominum usquequo graves corde* (*Psal.* IV, 3)?

Cum de distinguendo intellectu sacri eloquii tractaretur in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 8), adjunctum est: *Filii hominum usquequo graves corde?* — Aliud est gravem esse per consilium, aliud per peccatum, aliud gravem esse per constantiam, aliud per culpam. Ista enim gravitas pondus habet oneris, illa virtutis. Pondus ergo accipiunt animæ, ut ab intentione Dei non jam levi motu dissiliant, sed in eum fixa constantiæ gravitate consistant. Adhuc ille populus leviter movebatur, de quo per prophetam dicitur: *Abiit vagus in viam cordis sui; viam ejus vidi, et dimisi eum* (*Isai.* LVII, 17). Grave autem consilium cordis omnem inconstantiam vagationis expellit. Et quoniam sunt animæ quæ levi motu nunc ista, nunc illa desiderant, omnipotens Deus, quia ipsas leves fluctuationes mentium non leviter pensat, vagationem cordis relinquendo dijudicat. Sed cum per gratiam respicit, vagam mentem in consilii stabilitatem figit. Cum enim leves motus animi misericorditer dignatur aspicere, hunc protinus ad constantiæ maturitatem firmat.

CAP. VII. — *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5).

[b] Dum de discretione commotionis animi tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 82), adjunctum est: *Irascimini, et nolite peccare.* — Quod nimirum non recte intelligunt qui nos irasci nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus, volunt. Si enim sic proximos ut nos amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus sicut nostris vitiis irascamur.

CAP. VIII. — *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Psal.* V, 13).

Dum [c] de discernendis in sacro eloquio multiplicibus rerum significationibus tractaretur in expos.

[a] Omittitur caput hoc in Mss.
[b] Istud etiam deest in nostris Codd

[c] In Mss., *de disserendis*, etc.

beati Job, l. XXXIII (*Num.* 49), adjunctum est : *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* — Scriptura sacra scuti nomine aliquando in parte prospera, aliquando in adversa uti consuevit. Nam sæpe scuti defensio pro divina protectione ponitur : nonnunquam vero pro humana repugnatione memoratur. Pro divina enim protectione per Psalmistam dicitur : *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Scuto nos Dominus coronare perhibetur, quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat. Rursum pro humana repugnatione per eumdem Prophetam scutum ponitur, sicut alibi ait : *Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium et bellum* (*Psal.* LXXV, 4). In cornibus quippe elatio superborum, in arcu insidiæ longe ferientium, in scuto obstinata duritia defensionum, in gladio vicina percussio, in bello autem ipsa contra Dominum mentis motio designatur. Quod nimirum totum in sancta Ecclesia confringitur, dum mentes Deo resistentium superposito jugo humilitatis edomantur. Hinc rursus per eumdem Psalmistam dicitur : *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni* (*Psal.* XLV, 10). Arcum enim Dominus conterit, cum occulta insidiantium machinamenta dissolvit. Arma confringit, cum ea quæ contra se erecta fuerant, patrocinia humana comminuit; scuta igne comburit, cum peccantium mentes obstinata se duritia defendentes ad pœnitentiæ et confessionis ardorem sancti Spiritus calore succendit.

CAP. IX. — *Mane astabo tibi, et videbo* (*Psal.* V, 5).

In [a] expos. beati Job, l. II (*Num.* 39), adjunctum est : *Mane astabo tibi, et videbo.* — Nox quippe est vita præsens, in qua quandiu sumus, per hoc quod interna conspicimus, sub incerta imaginatione caligamus. David quoque hujus noctis caliginem videns, claritatem veri luminis præstolatus, ait : *Mane astabo tibi, et videbo.* Adhuc ergo in nocte minus se videre conspicit, qui ad videndum Deum futurum mane concupiscit.

CAP. X. — *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me* (*Psal.* VI, 2).

Dum de cavenda extremi judicii sententia per donum bonæ operationis tractaretur hom. 16 in Ezech. (*Num.* 2), seu 4 lib. II, adjunctum est : *Domine, ne in ira tua arguas*, etc. — Septem diebus universum tempus evolvitur. Æterna etenim dies, quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur, scilicet octava est. Unde nunc Psalmista resurrectionis diem considerans, quia de extremi judicii erat districtione locuturus, præmisit titulum dicens : *In finem psalmus David pro octava.* Ut enim quam octavam diceret demonstraret, diem illam tremendi terroris in psalmi inchoatione secutus est, dicens : *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Modo enim quisquis per flagella corripitur et correptionibus emendatur; in mansuetudine corripitur, non in ira. In districto autem illo examine omnis [b] argutio atque correptio furor et ira est, quia venia post correctionem non est.

CAP. XI. — *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6) ?

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 34), adjunctum est : *In inferno*, etc. — [c] Potest inferni nomine peccatoris desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur : *In inferno autem quis confitebitur tibi ?* Unde rursum scriptum est : *Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit* (*Prov.* XVIII).

CAP. XII. — *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* VI, 8).

Cum de commoti animi discretione tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 82), adjunctum est : *Turbatus est præ ira oculus meus.* — [d] Ira per vitium oculum mentis excæcat, ira per zelum turbat, quia cum saltem recti æmulatione concutitur, ea quæ nisi tranquillo corde percipi non potest, contemplatio dissipatur. Ipse namque zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, ejus mox aciem obscurat, ut altiora in commotione non videat, quæ bene prius tranquilla cernebat. Sed inde subtilius ad alta reducitur, unde ad tempus ne videat reverberatur. Nam ipsa recti æmulatio æterna, post paululum in tranquillitate largius aperit, quæ hic interim per commotionem claudit. Et unde mens turbatur ne videat, inde proficit ut ad videndum verius clarescat. Sicut infirmanti oculo cum collyrium immittitur, lux penitus negatur, sed inde eam post paulum veraciter recipit, unde hanc ad tempus salubriter amittit. Nunquam vero commotioni contemplatio jungitur, nec prævalet mens perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare, quia nec solis radius cernitur, cum commotæ nubes cœli faciem obducunt; nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus proprie ostendit, quia quo ejus unda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat. Sed cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ne hæc eadem, quæ instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nequaquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus servire contemnit, et tanto se impudentius dilatat, quanto impatientiæ vitium virtutem putat. Unde necesse est ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur attendat, ne ira extra mentis dominium transeat. Sed ultione peccati tempus modumque considerans, consurgentem animi perturbationem subtilius pertractando restringat, animositatem reprimat, et motus fervidos sub æquitate disponat, ut eo fiat justior ultor alienus, quo prius exstitit victor suus, quatenus sic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipse qui corrigit, per patientiam crescat, et fervorem suum transcendendo dijudicet, ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis, longe a rectitudine aberret.

CAP. XIII. — *Inveteravi inter omnes inimicos meos* (*Psal.* VI, 8).

Dum de abdicandis vitiis et [e] sectandis virtutibus tractaretur in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 53), adjunctum est : *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* — Cunctis vera scientibus liquet, quod ad vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Unde et Paulus dicit : *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum* (*Col.* III, 9). Et iterum ait : *Vetus homo noster simul crucifixus est* (*Rom.* VI, 6). Psalmista itaque ex typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit : *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* A fervore etenim mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos ipso aliquo modo vivendi usu veterascimus, et assumptæ novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate quotidie si studia circumspectionis invigilant, orando, legendo, bene vivendo renovamur, quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur.

CAP. XIV. — *Deus judex justus, fortis et longanimis* (*Psal.* VII, 12).

Dum de divini judicii vi tractaretur, hom. 13 in Evang. (*Num.* 5), adjunctum est : *Deus judex justus, fortis et longanimis.* — Dicturus longanimem, præmisit justum, ut quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc quandoque etiam di-

[a] Abest a Mss. nostris.
[b] Editi male, *argutia.*
[c] Abest a Ms. Michael. et aliis, nec reperitur loco in Editis indicato.
[d] Neque hoc caput legitur in Codd. nostris.
[e] Mss.. *studendis virtutibus.*

stricte judicare. Hinc per quemdam sapientem dicitur : *Altissimus enim est patiens redditor* (*Eccli.* v, 4). Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum et patitur, et reddit. Nam quos diu ut convertantur tolerat, non conversos durius damnat.

CAP. XV. — *Arcum suum tetendit et paravit, et in ipso paravit vasa mortis* (*Psal.* VII, 13).

[a] Cum de discernendis in Scriptura sacra rerum significationibus tractaretur in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 55), adjunctum est : *Arcum suum tetendit et paravit*, etc. — Quid hoc loco per arcum, nisi sacra Scriptura signatur? Ipsa quippe arcus Ecclesiæ, ipsa arcus est Domini. De qua ad corda hominum sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Arcum suum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo arcu scilicet vasa mortis præparat, quia secundum eloquii sui sententiam eos qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus efficit : quia ad eos, quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit.

CAP. XVI. — *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem* (*Psal.* VII, 15).

In expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 36), adjunctum est : *Concepit dolorem*, etc.—[b] Vulvæ nomine occulta et malitiosa carnalium cogitatio designatur. Quæ vulva non ad proferendam prolem concipit substantiam corporis, sed ad explendam nequitiam, causam doloris. De hac vulva cordis iniquorum alias dicitur : *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Per hanc vulvam pravi concipiunt, cum mala cogitant, per hanc vulvam pariunt, cum mala quæ cogitaverint, operantur.

CAP. XVII. — *Ut destruas inimicum et defensorem* (*Psal.* VIII, 3).

In expos. beati Job, l. XI (*Num.* 39), adjunctum est : *Ut destruas inimicum et defensorem.* — Inimicus quippe et defensor est qui Deum, quem prædicat, impugnat.

CAP. XVIII. — *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum* (*Psal.* VIII, 4).

Dum de intellectu historico ac mystico tractaretur hom. 13 in Ezech. (*Num.* 3) seu hom. 1, lib. II, adjunctum est : *Quoniam videbo cœlos tuos*, etc. — In Scriptura sacra, et ea quæ accipi secundum historiam possunt, plerumque spiritualiter intelligenda sunt, ut et fides habeatur in veritate historiæ, et spiritualis intelligentia capiatur in mysteriis allegoriæ. Sicut hoc quoque novimus quod Psalmista ait : *Quoniam videbo cœlos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti.* Ecce enim juxta severitatem historiæ stat sermo orationis, quia et cœli opera Dei sunt, et luna ac stellæ ab eo creatæ atque fundatæ sunt. Sed si hoc Psalmista juxta solam historiam, et non etiam secundum intellectum mysticum asserit, quia cœlos opera Dei esse professus est, dicturus lunam et stellas, cur non etiam solem quem scimus, quia ejus opus est, pariter enumeravit? Si enim juxta solam historiam loquebatur, dicturus luminare minus, prius luminare majus dicere debuit, ut ante solem, et post lunam atque stellas fundatas esse perhiberet. Sed quia juxta intellectum mysticum loquebatur, ut lunam sanctam Ecclesiam, et stellas homines sanctos accipere deberemus ; solem nominare noluit, quia videlicet ipsi æterno soli loquebatur de quo scriptum est : *Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur sol justitiæ* (*Malach.* IV, 2). De quo reprobi in fine dicturi sunt : *Sol justitiæ non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6). Dicendo ergo lunam et stellas, quas tu fundasti, et tamen tacendo solem qui factus est indicavit quia illi soli locutus est, qui non solum solem, et lunam, atque stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam, atque stellas sanctos hominesque spiritualiter fecit.

CAP. XIX. — *Pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*Psal.* VIII).

In expos. beati Job, l. XI (*Num.* 5), adjunctum est : *Pisces maris, qui perambulant semitas maris* [c] — Quid per pisces maris, nisi curiosos hujus sæculi debemus accipere, qui in magnis rerum inquisitionibus quasi in abditis fluctibus latent?

CAP. XX. — *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion* (*Psal.* IX, 15).

Cum de perfectorum studiis per aspirationem divinæ gratiæ tractaretur in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 25), adjunctum est : *Qui exaltas me de portis mortis*, etc. — Quid per portas filiæ Sion, nisi bona quæque actio designatur, per quam anima ad conventum regni cœlestis ingreditur? Unde nunc Propheta ait : *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Portæ quippe mortis sunt actiones pravæ, quæ ad interitum trahunt. Quia autem Sion speculatio dicitur, portas Sion actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, ut regis nostri gloriam contemplemur.

CAP. XXI. — *Non in finem oblivio erit pauperum, patientia pauperum non peribit in finem* (*Psal.* 9).

Dum de contemptu præsentium et spe futuri præmii tractaretur hom. XXXV (*Num.* 9), in Evang. adjunctum est : *Non in finem oblivio erit pauperum*, etc. — Quantumlibet vel in adversis patientes, vel in prosperis humiles simus, in hac vita retribui nobis bona præsentia nullo modo requiramus, nam pro labore patientiæ, bona speranda sunt sequentis vitæ, ut tunc præmium nostri laboris incipiat, quando omnis jam labor funditus cessat. Hinc ergo per Psalmistam dicitur : *Oblivio non erit pauperis ; patientia pauperum non peribit in finem.* Quasi periisse patientia pauperum cernitur, cum nihil pro illa in hac vita humilibus recompensatur. Sed patientia pauperum in finem non peribit, quia tunc ejus gloria percipitur, cum simul omnia laboriosa terminantur.

CAP. XXII. — *Sub lingua ejus labor et dolor ; sedet in insidiis cum divitibus in occultis* (*Psal.* IX, 7).

Cum de subdolis reproborum mentibus eorumque capitis virulenta malitia tractaretur in expos. beati Job, l. XV (*Num.* 13), adjunctum est : *Sub lingua ejus labor et dolor*, etc.—Perversi quique quia malum non in lingua, sed sub lingua habent, sermonibus dulcia prætendunt, et cogitationibus perversa moliuntur. De ipso ergo capite scriptum est : *Sub lingua ejus labor et dolor.* Qui enim non aperte mala, quæ cogitat, ostendit, laborem et dolorem eorum, quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit. Cujus tamen hoc loco, nisi personam Antichristi Psalmista descripsit? Propter enim perversa dogmata sub lingua ejus labor et dolor est ; propter miraculorum vero speciem sedet in insidiis ; propter autem sæcularis potestatis gloriam, cum divitibus in occultis. Quia enim simul et miraculorum fraude et terrena potestate utitur, in occultis et cum divitibus sedere perhibetur.

CAP. XXIII. — *Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo* (*Psal.* IX, 30).

Dum de operationibus antiqui adversarii tractaretur in expos. beati Job, l. XXXII (*Num.* 25), adjunctum est : *Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo.* — Hoc de ultima sævitia diaboli propheta testatur, dum in sua fuerit virtute laxatus. Ad apertam nam-

[a] Hic etiam in Mss. legitur, *de disserendis.*
[b] Capp. 16 et 17 non habentur in Mss.
[c] Non exstat in Mss.

que potentiam suffecisset ut leo esset, etiamsi insidians non fuisset. Rursumque ad occultas versutias suffecisset, ut insidians insidias surriperet, etiamsi leo non esset. Sed quia antiquus hostis in cunctis suis viribus effrenatur, sævire per utraque permittitur, ut contra electos in certamine et fraude et virtute laxetur, virtute per potentiam, fraude per signa. Recte ergo et leo et insidians dicitur; insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem sæcularem. Ut enim eos, qui aperte iniqui sunt, ad se pertrahat, sæcularem potentiam ostentat: ut vero etiam justos fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elatione magnitudinis: istos decipit ostensione sanctitatis.

CAP. XXIV. — *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer* (*Psal.* x, 1)?

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 2), adjunctum est: *In Domino confido*, etc. — [a] Cum enim fideli animæ unitate derelicta, in tumenti doctrina confidere hæretici prædicatoris dicitur, deserto Domino quasi in montem transmigrare suadetur.

CAP. XXV. — *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* x, 2).

Cum de reproborum insidiis contra electos tractaretur in expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* 62), adjunctum est: *Paraverunt sagittas suas in pharetra*, etc. — Quid pharetræ nomine, nisi pravorum machinatio designatur? Iniqui enim cum dolos quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas portant, et in hac præsentis vitæ caligine velut in obscuro rectos corde feriunt, quia malitiosa eorum jacula et sentiri per vulnus possunt, et tamen venientia deprehendi non possunt.

CAP. XXVI. — *Palpebræ ejus interrogant filios hominum* (*Psal.* x, 5).

Dum de occultis mysteriis divinæ operationis tractaretur in expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 13), adjunctum est: *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*. — Aperiendo nobis quædam, atque claudendo nos interrogat Deus, sicut per prophetam dicitur: *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*. Palpebris quippe apertis cernimus, clausis nihil videmus. Quid ergo per palpebras Dei nisi ejus judicia accipimus? Quæ juxta aliquid clauduntur hominibus, et juxta aliquid reserantur, ut homines qui se nesciunt, sibimetipsis innotescant: quatenus dum quædam intelligendo comprehendunt quædam vero cognoscere omnino non possunt, eorum corda sese latenter inquirant, si illos divina judicia vel clausa non stimulant, vel aperta non inflant. Hac enim Paulus interrogatione probatus est, qui post perceptam internam sapientiam, post aperta claustra paradisi, post ascensum cœli tertii, post supernæ locutionis mysteria adhuc dicit: *Ego me non arbitror comprehendisse* (*Philipp.* III, 13). Et rursum: *Ego sum minimus omnium apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus* (*I Cor.* XV, 9). Et rursum: *Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5). Apertis ergo palpebris Dei interrogatus Paulus recte respondit, qui et superna secreta attigit, et tamen in humilitate cordis sublimiter stetit. Qui rursum cum secreta Dei judicia de repulsione Judæorum, et Gentium vocatione discuteret, atque ad ea pervenire non posset, quasi clausis Dei palpebris interrogatus est. Sed rectum valde responsum reddidit, qui Deo se in ipsa sua ignorantia scienter inclinavit, dicens: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 33)? Ecce enim absconsis mysteriis, quasi clausis palpebris inquisitus, placita ac recta respondit. Qui secreti aditum pulsans, quia per cognitionem intromitti ad interiora non valuit, per confessionem ante januam humilis stetit, et quod intus comprehendere non potuit, foris timendo laudavit.

CAP. XXVII. — *Item unde supra.*

Hom 17 in Ezech. (*Num.*6). — [b] Per ea enim quæ nobis in sacra Scriptura cooperta sunt, nostra humilitas approbatur, quia quidquid in illa non intelligimus non superbe reprehendere, sed venerari humiliter debemus. Unde de Domino scriptum est; *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Palpebræ quippe ejus judicia sunt, quæ aliquid nobis claudunt, et aliquid aperiunt. Quæ aperiendo nos interrogant, si intelligendo non extollimur, claudendo nos interrogant, si non despicimus quæ intelligere non valemus. Per ea autem quæ de charitate nostra proximis nostris non loquimur, in conspectu Dei verius probamur. In quorumdam enim ore charitas ficta est, in quorumdam cordibus vera, et sæpe de charitate ostenditur quod non est, et non demonstratur quod est. Amorem itaque nostrum erga proximum plus bona operatio loquitur quam lingua, ut in ipso bono opere proximus noster amari se videat, et cum tantum non possumus, quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta amoris nostri sufficiant.

CAP. XXVIII. — *Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum* (*Psal.* x, 7).

Cum de [c] vi districtioris judicii tractaretur in expos. beati Job, l. XV (*Num.* 55), adjunctum est: *Pluet super peccatores laqueos*, etc. — Dicendo laqueos, ignis, sulphur et spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit. Sed quia ab eis doloribus peccator, qui non corrigitur, ad æterna supplicia vocatur, eosdem dolores non jam totum calicem, sed partem calicis dixit, quia videlicet eorum passio hic quidem per dolores incipitur, sed in ultione perpetua consummatur.

CAP. XXIX. — *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* XI, 7).

Dum de operatione divini eloquii tractaretur in expos. beati Job, l. IV (*Num.* 61, *in fine*), adjunctum est: *Eloquia Domini*, etc. — Eloquium Domini argentum igne examinatum dicitur, quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur.

CAP. XXX. — *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI, 9).

Cum de sequentibus antiqui adversarii operationem tractaretur, in expos. beati Job, l. II (*Num.* 7), adjunctum est: *In circuitu impii ambulant.* — Solet per circuitum laboris anxietas designari, sicut de Satanæ responsione scriptum est: *Circuivi terram, et perambulavi eam* (*Job.* II, 2). Sed Satan laborans, terram circuivit, quia quietus in cœli culmine stare contempsit. Cumque se non transvolasse, sed perambulasse insinuat, quanto peccati pondere in imis prematur, demonstrat. Perambulans ergo terram circuit, qui ab illo spiritualis potentiæ volatu corruens, malitiæ suæ pressus gravedine, foras ad gyrum laboris venit. De hujus ergo capitis imitatoribus, ejus videlicet membris per Psalmistam dicitur: *In circuitu impii ambulant*, quia malitiæ illius tabe corrupti, dum interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur.

CAP. XXXI. — *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1).

Dum de reprobis ob amorem visibilium perversa de Deo sentientibus tractaretur, in expos. beati Job, l. XV (*Num.* 25), adjunctum est: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* — Mens hominis male exterius fusa sic in rebus corporeis sparsa est, ut neque

[a] Abest a Mss.
[b] Non est in Mss.
[c] Male in vulgatis, *studii*.

ad semetipsam intus redeat, neque eum, qui est invisibilis, cogitare sufficiat. Unde carnales viri jussa spiritualia contemnentes, Deum quia corporaliter non vident, quandoque ad hoc perveniunt, ut etiam non esse suspicentur. Unde scriptum est : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Plerumque enim plus appetunt homines servire hominibus quos corporaliter vident quam servire Deo quem non vident. Per omne enim quod faciunt, ad fidem oculorum tendunt. Et quia in Deum oculos corporis tenere non possunt, ei obsequia præbere vel despiciunt, vel si cœperint, fatigantur. Esse enim, sicut dictum est, non credunt, quem corporaliter non intuentur. Qui si auctorem omnium Deum humiliter quærerent, id quod non videtur, ex eo quod videtur esse, melius in semetipsis invenirent. Ipsi quippe ex anima invisibili et corpore visibili subsistunt; et si hoc ab eis quod non videtur abstrahitur, illico corruit quod videtur. Et patent quidem carnis oculi, sed videre quidquam vel sentire non possunt. Sensus enim visionis periit, quia habitator recessit, et domus carnis remanet vacua, quia abscessit ille invisibilis spiritus, qui per ejus respicere fenestras solebat. Quia ergo rebus visibilibus invisibilia præstantiora sunt, carnales quique ex semetipsis pensare debuerunt, atque per hanc, ut ita dixerim, scalam considerationis tendere in Deum, quia eo est quo invisibilis permanet, et eo summus permanet quo comprehendi nequaquam potest.

Cap. XXXII. — *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* XIII, 5).

Dum de pusillanimitate infirmarum mentium tractaretur, in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 32), adjunctum est : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* — Sciendum est quod plerique agere recta desiderant, sed sunt nonnulla quæ infirmis eorum mentibus ex presenti vita contradicunt. Cumque adversa in infimis perpeti metuunt, in superni judicii rectitudine offendunt. Unde sæpe nonnulli dum temporalia adversa pertimescunt, districtioni se æternæ animadversionis objiciunt. De his ergo bene per Psalmistam dicitur : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Iste namque veritatem jam libere defendere appetit, sed tamen in ipso suo appetitu trepidus indignationem potestatis humanæ pertimescit. Cum in terra hominem contra veritatem pavet, ejusdem veritatis iram cœlitus sustinet. Ille peccatorum suorum conscius, ea quæ possidet indigentibus jam largiri desiderat, sed tamen ne datis rebus egeat, ipse formidat. Cumque carnis subsidia reservando trepidus præparat, ab alimentis misericordiæ animam necat. Et cum pati in terra inopiam metuit, æternam sibi abundantiam supernæ refectionis abscindit. Qui enim conculcanda in infimis metuunt, a summis metuenda patiuntur; et cum transire nolunt quod calcare poterant, judicium de supernis excipiunt, quod tolerare nequaquam possunt.

Cap. XXXIII. — *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2).

In expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 2), adjunctum est : *Dixi Domino*, etc. — In [a] omni quippe quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Dominum juvamus. Ipse enim vere nobis Dominus, quia et utique Deus est, qui bono non indiget servientis, sed bonitatem confert quam recipit, ut oblata bonitas non ipsi, sed prius accipientibus, et post reddentibus prosit. Nam etsi in judicio Dominus veniens dicit : *Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40), mira hoc pietate loquitur ex suorum compassione membrorum; et ipse nos per hoc, quod caput nostrum est, adjuvat, qui per nostra bona opera in suis membris adjuvatur.

[a] In Mss., *non continetur.*
[b] Omittitur in Mss.

Cap. XXXIV. — *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*Psal.* XV, 6).

Cum de distinguendis multiplicibus rerum significationibus tractaretur, in expos. beati Job, l. XXXII (*Num.* 18), adjunctum est : *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, etc.—Scriptura sacra aliquando fune dimensionum sortes, aliquando peccata aliquando fidem designare consuevit. Nam propter hæreditarias dimensionum sortes dicitur : *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Funes quippe in præclaris cadunt, dum per humilitatem vitæ sortes nos patriæ melioris excipiunt. Rursum quia fune peccata signantur, per prophetam dicitur : *Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis* (*Isa.* V, 18). Iniquitas namque in funiculis vanitatis trahitur, dum per augmentum culpa protelatur. Unde per Psalmistam dicitur : *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (*Psal.* CXVIII, 61). Quia enim funis addendo torquetur ut crescat, non immerito peccatum in fune figuratur, quod perverso corde sæpe dum defenditur multiplicatur. Rursum fune fides exprimitur, Salomone attestante, qui ait : *Funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccl.* IV, 12), quia videlicet fides, quæ de cognitione Trinitatis ab ore prædicantium texitur, fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur.

Cap. XXXV. — *Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus* (*Psal.* XV, 6).

In expos. beati Job, l. XXXV (*Num.* 4), adjunctum est : *Ego clamavi*, etc. — [b] Non enim ait : Quia clamavi, exaudisti me ; sed *Clamavi, quoniam exaudisti me.* Qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditus clamabat : *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te*, quia tunc mirum misericordiæ Domini miræ apud nosmetipsos, qui eripimur, fiunt, cum per easdem misericordias quam gravia fuerint pericula quæ evasimus agnoscuntur.

Cap. XXXVI. — *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI, 9).

Dum de custodia divina circa nos tractaretur, in expos. beati Job, l. XXXII (*Num* 7), adjunctum est : *Sub umbra alarum tuarum protege me.* — Quia nos parvulos Dominus dum protegit, nutrit, et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more avium, super nos alas tendit.

Cap. XXXVII. — *Diligam te, Domine, virtus mea* (*Psal.* XVII, 1).

In expos. beati Job, l. XXXII (*Num.* 14), adjunctum est : *Diligam te*, etc. — [c] Certum est quippe est quia minus diligit ereptorem suum, qui minus intelligit periculum quod evasit ; et vile solatium defensoris deputat, qui virtutem adversarii debilem putat. Unde bene ereptionem suam Domino tribuens propheta dicebat : *Diligam te, Domine, virtus mea*, aperte videlicet dicens : Eo te magis diligo, quo, infirmitatem propriam sentiens, virtutem meam te esse cognosco.

Cap. XXXVIII. — *Caligo sub pedibus ejus; et ascendit super cherubim, et volavit; volavit super pennas ventorum, et posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII, 10).

Cum de divinæ essentiæ celsitudine tractaretur, in expos. beati Job, l. XVII, (*Num.* 39), adjunctum est : *Caligo sub pedibus ejus*, etc. — Caligo sub pedibus est, quia non in ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur. *Ascendit enim super cherubim, et volavit* ; cherubim quippe plenitudo scientiæ dicitur. Proinde super plenitudinem scientiæ ascendisse perhibetur et volasse, quia majestatis ejus celsitudinem scientia nulla comprehendit. Volavit ergo, quia longe in altum ab intellectu nostro se rapuit. Volavit super pennas ventorum, quia scientiam transcendit animarum. *Posuit tenebras latibulum suum,*

[c] Abest a Mss.

quia dum caligine nostræ infirmitatis obscuramur, per ignorantiam nostram nobis absconditur, ne a nobis modo in æterna et intima claritate videatur. Unde ei et in Canticis canticorum a sponsa dicitur : *Fuge, dilecte mi* (*Cant.* VIII, 14), *fuge*.

CAP. XXXIX. — *Item unde supra.*

[a] Super cherubim Dominus ascendit et volavit, quia super plenitudinem scientiæ, quæ esse in hominibus potuit, incarnationis suæ gloriam exaltare dignatus est, ut hoc ejus volare sit, potentiæ suæ mysterium ab intellectu humano subducere. Quantalibet enim plenitudine scientiæ vita spiritualium fulgeat, apprehendere non valet quomodo factum sit ut qui exstitit conciperetur, et ante sæcula auctor hominum nasceretur homo in fine sæculorum, Deus caro esset, Verbum in fine fieret. Unde recte et illic additur : *Volavit super pennas ventorum*, quia videlicet transcendit omnes intellectus animarum. Vento quippe animas figurari pro velocitate suæ cogitationis non inconvenienter accipimus.

CAP. XL. — *Posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII, 12).

Dum de bono pœnitentiæ per aspirationem supernæ gratiæ tractaretur, in expos. beati Job, l. V (*Num.* 12, 13), adjunctum est : *Posuit tenebras latibulum suum*.—Auctor noster, quia nobis in hoc exsilium dejectis lucem suæ visionis abstulit, sese nostris oculis quasi in tenebrarum latibulo abscondit. Quas nimirum cæcitatis nostræ tenebras cum studiose conspicimus, mentem ad lamenta provocamus. Flet enim cæcitatem, quam foris patitur, si humiliter meminit quod interiorum lumine privetur. Cumque tenebras quibus circumdatur respicit, splendoris intimi ardenti se desiderio affligit, omnique intentionis nisu semetipsam concutit, et supernam lucem, quam condita deseruit, repulsa quærit. Unde fit plerumque ut in ipsis piis fletibus illa interni gaudii claritas erumpat, et mens quæ in torpore cæca jacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspiriis vegetata convalescat.

CAP. XLI. — *Tenebrosa aqua in nubibus aeris. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis* (*Psal.* XVII, 12, 13).

Dum de prædicatorum Ecclesiæ virtutibus tractaretur in expos. beati Job, l. XVII (*Num.* 30), adjunctum est : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, etc.—[b] Tenebrosa aqua, quid aliud quam occultam signat scientiam prophetarum, qui ante adventum Domini dum occultis sacramentis gravidi mysteria immensa gestarent, infidelium oculis, eorum intelligentia caligabat? Præ fulgore vero nubes transierunt, quia prædicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando et carbones ignis vocati sunt, quia et per correctionem feriunt, et per flammam charitatis accendunt. Ipsa quoque libera sanctorum increpatio natura grandinis convenienter exprimitur. Grando enim veniens percutit, liquata rigat. Sancti autem viri corda audientium et terrentes feriunt, et blandientes infundunt. Nam quemadmodum feriant Propheta testatur dicens : *Virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt* (*Psal.* CXLIV, 6). Et quemadmodum blandientes rigent, secutus adjunxit : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt* (*Ibid.*, 7).

CAP. XLII. — *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum* (*Psal.* XVII, 34).

Cum de perfectorum studiis tractaretur, in expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 24), adjunctum est : *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum*.—Robustorum mentes in Deo immobiliter fixæ tanto adversa quæque despiciunt, quanto cernunt quod contra præcepta conditoris excrescunt. Æternitatis quippe præmia præstolantes, vires ex adversitatibus sumunt, quia, crescente pugna, gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Sic itaque electorum desideria dum premuntur, adversitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur ut crescat ; et unde quasi exstingui cernitur, inde roboratur. In eo namque ostendimus quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla et mollia, sed etiam per aspera et dura transimus. Bene ergo per Psalmistam dicitur : *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum*. Cervus enim cum montium juga conscendit, quæque se aspera, quæque se objiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, et absque ullo cursus sui obstaculo in superioribus elevatur. Ita etiam electorum mentes, quæque sibi in hoc mundo obsistere atque obviare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum, despectis terrenorum sentibus, in superna se evehunt. Unde idem Psalmista iterum dicit : *Et in Deo meo transgrediar murum* (*Ibid.*, 30). Murus quippe est omne quod itineri nostro objicitur, ne ad eum qui diligitur transeatur. Sed murum transgredimur, cum præ amore supernæ patriæ quæque in hoc mundo fuerint objecta calcamus.

CAP. XLIII. — *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 40), adjunctum est : *Filii alieni mentiti sunt mihi*, etc. — [c] Israeliticus populus idcirco claudus nominatur, quia sanum gressum in operatione non habuit. Quippe quia utroque pede uti noluit, dum unum Testamentum recipit, aliud spernit.

CAP. XLIV. — *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1).

In expos. beati Job, l. IV (*Num.* 10), adjunctum est : *Cœli enarrant gloriam Dei*. — Quid cœlorum nomine nisi prædicantium vita signatur? Ipsi igitur sunt cœli, ipsi sol esse memorantur. Cœli, scilicet, quia intercedendo protegunt ; sol, quia prædicando vim luminis ostendunt.

CAP. XLV. — *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII, 6).

In expos. beati Job, l. XXXIV (*Num.* 25), adjunctum est : *In sole posuit tabernaculum suum*. — Ac si diceret : Humanitatis assumptæ sacramentum in lumine manifestæ visionis ostendit.

CAP. XLVI. — *Ipse enim tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Ibid.*).

Dum de mysterio incarnationis Dominicæ tractaretur, hom. 38 in Evang. (*Num.* 3), adjunctum est : *Ipse enim tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. — Tanquam sponsus Redemptor noster de thalamo suo processit, qui ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero Virginis exivit.

CAP. XLVII. — *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis* (*Psal.* XX, 10).

Dum de iniquorum futuræ retributionis pœna tractaretur, in expos. beati Job, l. XV (*Num.* 35), adjunctum est : *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, etc.—Sciendum est quod omnes reprobi, quia ex anima simul et carne peccaverunt, illic in anima pariter et carne cruciantur. Clibanus namque intrinsecus ardet ; is vero qui ab igne devoratur ab exteriore incipit parte concremari. Ut ergo sacra eloquia ardere et exterius et interius reprobos demonstrarent, eos et ab igne devorari, et sicut clibanum poni testantur, ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente (*Ibid.*, *lib.* VI, *num.* 47).

[a] In Cod. Michael. legitur hoc desumptum *ex commentario Ezech. homilia.* Sed quæ est hæc homilia? Nullibi certe id nobis occurrit. Libro I, comm. in lib. Regum, cap. 1, num. 39, leguntur pene similia.

[b] Item lib. XXVII, num. 15, et lib. XX, num. 38

[c] Caput hoc et duo sequentia non habentur in Mss

In tempore itaque vultus Domini injusti omnes et ut clibanus puniuntur, et ab igne devorantur, quia apparente judice, cum a visione illius eorum multitudo repellitur, et intus per desiderium ardet conscientia, et foris carnem cruciat gehenna.

CAP. XLVIII. — *Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi* (*Psal* XXI, 3).

Dum de dispensatorio divinæ misericordiæ dono circa electos tractaretur in expos. beati Job, l. XX (*Num.* 61), adjunctum est : *Deus meus, clamabo per diem*, etc. — Sancta Ecclesia persecutionis tempore, fide stat, desideriis clamat. Sed dolet se quasi non respici, dum sua videt in tribulationibus vota differri. Alto namque consilio omnipotens Deus cum sancti ejus adversariorum persecutionibus comprimuntur, cumque assiduis ut liberentur interpellationibus clamant, differre solet voces petentium, ut merita patientium crescant, quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. Dicit ergo Psalmista : *Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies, et nocte.* Atque ipsa utilitas de exaudiendi mora mox subditur, cum illic protinus subinfertur : *Et non ad insipientiam mihi.* Ad multiplicandam quippe sanctorum sapientiam proficit, quod postulata tarde percipiunt, ut ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur. Intellectus vero cum intenditur, ejus in Deum ardentior affectus aperitur. Affectus autem ad promerenda cœlestia tanto fit capax, quanto fit exspectando longanimis. Sed tamen inter hæc sanctorum patientiam dolor urget ad vocem, et cum dilati proficiunt, metuunt ne deficiant, et vacui rebus despecti reprobentur.

CAP. XLIX. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 34). — Nemo qui tardius auditur, credat quod a superna cura negligatur. Sæpe enim nostra desideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur; et quod impleri concite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Sæpe vox nostra eo perficitur, quo differtur; et cum superficie tenus petitio negligitur, vota nostra altius in cogitationum radice complentur, sicut et semina messium gelu pressa solidantur; et quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora consurgunt. Desideria itaque nostra dilatione extenduntur ut proficiant; proficiunt ut ad hoc quod percepturа sunt convalescant. Exercitantur in certamine, ut majoribus cumulentur præmiis in retributione. Labor protrahitur pugnæ, ut crescat corona victoriæ. Suos ergo Dominus cum velociter non exaudit, quo repellere creditur trahit. Internus quippe est medicus, et peccatorum in nobis contagia quæ inesse medullitus reprobat secat; abscindit virus putredinis ferro tribulationis; et quo voces ægri audire dissimulat, eo ægritudinis finem procurat. Hinc est ergo quod Propheta ait : *Clamabo per diem, nec exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi* (*Psal.* XXI, 3). Ac si diceret : Nequaquam mihi ad insipientiam proficit, quod die ac nocte clamantem me continuo non exaudis, quia unde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sapientiam plus erudis. Hinc etiam dicit : *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* (*Psal.* IX, 10). In tribulatione quippe dicturus, opportunitatem præmisit, quia sæpe tribulatione conterimur, et tamen opportunum nondum est ut desiderio ereptionis adjuvemur.

CAP. L. — *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 4).

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 14), adjunctum est : *Virga tua et baculus tuus*, etc. — [a] Virga percutimur, et baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit econtra consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate sæviens; sit pietas, sed non plus quam expediat parcens.

CAP. LI. — *Impinguasti in oleo caput meum* (*Psal.* XXII, 5).

In expos. beati Job, l. III (*Num.* 33), adjunctum est : *Impinguasti in oleo caput meum.* — Ac si dicat : Charitatis pinguedine replesti mentem meam. *Exaruit velut testa virtus mea* (*Psal.* XXI, 16). Etenim testa igne solidatur. Caro autem eo ex passione sua robustior exstitit, quo per infirmitatem moriens, a morte sine infirmitate surrexit. Et iterum : *Exaruit velut testa virtus mea.* Sicut testa enim ejus virtus exaruit, quia susceptæ carnis infirmitatem passionis suæ igne roboravit.

CAP. LII. — *Qui non accepit in vano animam suam* (*Psal.* XXIII, 4).

Cum de studio boni operis tractaretur in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 38), adjunctum est : *Qui non accepit*, etc. — De unoquoque electo per Psalmistam dicitur : *Qui non accepit in vano animam suam.* In vano namque animam suam accipit, qui sola præsentia cogitans, quæ sequantur in perpetuum non attendit. In vano animam suam accipit, qui ejus vitam negligens, ei curam carnis anteponit. Sed animam suam in vanum justi non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur, quatenus et transeunte opere operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post vitam parat. Sed hæc curare reprobi negligunt, quia profecto, ambulantes in vacuum, vitam sequentes fugiunt, invenientes perdunt. Unde melius a pravorum imitatione compescimur, si eorum damna ex fine pensamus.

CAP. LIII. — *De necessitatibus meis eripe me* (*Psal.* XXIV, 17).

Dum de [b] cohibendis per usum bonæ operationis, infirmitatis humanæ desideriis tractaretur in expos. beati Job, l. XX (*Num.* 28, 29), adjunctum est : *De necessitatibus meis eripe me.* — Natura humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio propriæ voluntatis lapsa in calamitatem cecidit, quia, pressa innumeris necessitatibus, nihil in hac vita nisi unde affligeretur invenit. Sed cum eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerumque plusquam expedit, deservimus, mentisque curam negligimus, ex miseria negligentiæ, infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ. Necessitates namque naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sæpe in eis minime discernitur quid circa illas per utilitatis studium, et quid per voluptatis vitium agatur. Crebro enim occasione seductionis inventa, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, et infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendæ utilitatis occultat. Infirmitatem vero naturæ nostræ per negligentiam relaxare nihil est aliud, quam calamitati miseriam addere, ac vitiorum squalorem eadem miseria multiplicare. Unde sancti viri in omne quod agunt studiosissima intentione discernunt, ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas quam sibi debetur exigat, ne sub necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat. Aliud enim ex infirmitate, aliud ex tentationis suggestione sustinent; et quasi quidam rectissimi [c] arbitres, inter necessitatem voluptatemque constituti, hanc consolando sublevant, illam premendo frenant. Unde fit ut etsi infirmitatis suæ calamitatem tolerent, tamen ad squalorem miseriæ per negligentiam non descendant. Hoc ipsum enim esse in calamitate est necessitatem naturæ ex carnis adhuc corruptibilis infirmitate sustinere; quas videlicet necessitates cupiebat

[a] Cap. 50 et 51 in Mss. non sunt.

[b] In Excusis, *de discernendo voluptatis et necessitatis negotio.*

[c] Ita Mss. omnes, non *arbitri*, ut legitur in Vulgatis. Familiarem nostro Gregorio vocem hanc jam sæpe probavimus.

evadere, qui dicebat : *De necessitatibus meis eripe me.* Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere, et ne quid sponte illicitum admitteret, hoc ipsum satagebat evelli quod nolens ex radice tolerabat. At contra pravi gaudent in his corruptionis suæ necessitatibus, quia nimirum eas ad usus voluptatum retorquent. Cum enim reficiendis cibo corporibus naturæ serviunt, per delectationem gulæ in voluptatis ingluvie distenduntur. Cum tegendis membris vestimenta quærunt, non solum quæ tegant, sed etiam quæ extollant appetunt; et contra torporem frigoris non solum quæ per pinguedinem muniant, sed etiam quæ per mollitiem delectent; non solum quæ per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quæ per colorem oculos seducant. De his ergo necessitatibus liberari Psalmista desiderans, dicit : *De necessitatibus meis eripe me.* Necessitatis enim causam in usum voluptatis vertere quid est aliud quam calamitati suæ squalorem miseriæ sociare?

Cap. LIV. — *Proba me, Domine, et tenta me* (*Psal.* lxxv, 2).

Cum de providæ circumspectionis electorum studiis tractaretur in expos. beati Job, l. vii (*Num.* 21), adjunctum est : *Proba me, Domine, et tenta me.* — Cum securos nos ac de virtutum affluentia elatos repentinus vel flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio, percutit, protinus a status sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit, ut de semetipsa nihil audeat, sed, infirmitatis suæ ictu prostrata, manum levantis quærat. Hinc est quod sancti viri, cum de occulta erga se dispositione suspecti sunt, plus prospera ipsa pertimescunt, tentari appetunt, flagellari concupiscunt, quatenus incautam mentem metus et dolor erudiat, ne, in hac peregrinationis via hoste ex insidiis erumpente, sua eam deterius securitas sternat. Recte ergo per Psalmistam dicitur : *Proba me, Domine, et tenta me.* Ac si aperte dicat : Prius vires inspice, et tunc ut ferre valeo tentari permitte. Hinc iterum dicit : *Ego ad flagella paratus sum* (*Psal.* xxxvii, 18). Quia enim sanctæ mentes suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, ut aperto vulnere virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat.

Cap. LV. — *Dominus illuminatio mea, et salus mea; quem timebo* (*Psal.* xxvi, 1)?

In expos. beati Job, l. xiv (*Num.* 41), adjunctum est : *Dominus illuminatio*, etc. — [a] Ex pœna culpæ est, videre bonum quod agere debeat, et tamen implere non posse. Et rursum ex graviori pœna culpæ est quod agere debeat nec videre. Unde et contra hæc utraque Psalmistæ voce dicitur : *Dominus illuminatio mea, et salus mea.* Contra ignorantiæ enim tenebras illuminatio, contra infirmitatem vero salus est Dominus, quando et ostendit quid debeat ad agendum appeti, et vires præbet ut quod ostenderit possit impleri.

Cap. LVI.—*Item unde supra.*

In expos. beati Job, lib. xix (*Num.* 39), — Crebro namque peccatum, aut ignorantia, aut infirmitate perpetratur, ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne, quod voluerit possit. Quo contra recte per Psalmistam dicitur : *Dominus illuminatio mea et salus mea.* Quia enim et scientiam Dominus et virtutem præbet, et contra ignorantiam illuminatio, et contra infirmitatem salus vocatur.

Cap. LVII. — *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* xxvi, 4).

Cum [b] de cavendis pravorum desideriis et appetendis bonorum studiis tractaretur in expos. beati Job, l. iv (*Num.* 57), adjunctum est : *Unam petii a Domino, hanc requiram.* — Omnes, qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur. Dumque desideriorum turbas intra se excitanti prostratam mentem pede miseræ frequentationis calcant (*Ibid.*, *n.* 18). At contra, sancti viri, quia nihil hujus mundi appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur. Omnes quippe inordinatos motus desideriorum a cubili cordis manu sanctæ considerationis ejiciunt; et quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum [c] insolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt; et quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. Annon cunctos a se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini.* A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, et ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat; ubi eo tutius nihil extraneum conspiceret, quo competens nil amaret. A tumultu rerum temporalium magnum quemdam secessum petierat, quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret.

Cap. LVIII. — *Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum* (*Psal.* xxx, 21).

Cum de electorum virtutibus tractaretur, in expos. beati Job, lib. iv (*Num.* 19; et lib. iv, *num.* 9), adjunctum est : *Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum.* — Electus quisque in judicio per internum visum in vultu divinitatis absconditur, dum reprobrum foris cæcitas districta animadversione justitiæ repulsa turbatur. Sancti itaque viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium perturbationum semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Unde recte per Psalmistam dicitur : *Abscondes eos abdito vultus tui a conturbatione hominum.* Quod quamvis perfecte postmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur, cum a temporalium desideriorum tumultibus delectatione in interiora rapiuntur, ut mens eorum dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc est quod Paulus per contemplationem mortuos et quasi in secreto divinitatis absconditos discipulos viderat, quibus dicebat : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Colos.* iii, 3). Qui enim mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit, ut exstinctus mundo lateat, et a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris [d] abscondit.

Cap. LIX.—*Ego dixi in pavore meo : Projectus sum a vultu oculorum tuorum.* (*Psal.* xxx, 23).

Cum de electorum profectibus, per propriæ infirmitatis cognitionem tractaretur, in expos. beati Job, l. xxiii (*Num.* 41-43), adjunctum est : *Ego dixi in pavore meo*, etc.—Vir sanctus æternam patriam [e] contemplatus, et hæc mala pensans, in quibus erat, atque illa bona considerans, in quibus adhuc non erat, ait : *Ego dixi in pavore meo, Projectus sum a vultu oculorum tuorum.* Sublevatus quippe in exstasi (quod nostri interpretes pavorem non proprie vocaverunt) a vultu oculorum Dei vidit se esse projectum. Post interni quippe luminis visionem, quæ intus anima per contemplationis gratiam radio claritatis emicuit, a semetipso recessit, et cognitione percepta, vel quibus

[a] Caput 55 et 56 in Mss. desiderantur.
[b] In Editis, *de mentis tranquillitate a mundi tumultibus retinendæ.*
[c] Michael., *tumultus.* Utic. utramque lectionem exhibet.
[d] Editi cum Michael., *abscondat.*
[e] Utic. et Gemet., *contemplatur.*

malis hic adesset invenit ; neque enim quis præsentis vitæ mala sicut sunt conspicere prævalet, si bona æternæ patriæ per contemplationis gustum contingere necdum valet. Unde et a vultu oculorum Dei projectum se esse cognovit. Sublevatus quippe vidit quod se hic videre non posse ad se relaxatus ingemuit. Perfectam scilicet animam ista compunctio afficere familiarius solet, quia omnes imaginationes corporeas insolenter sibi obviantes discutit, et cordis oculum figere in ipso radio incircumscriptæ lucis intendit. Figuras corporalium specierum ad se intus ex infirmitate corporis trahit ; sed perfecte compuncta hoc summopere invigilat, ne cum veritatem quærit, eam imaginatio circumscriptæ visionis illudat, cunctasque sibi obviantes imagines respuit. Quia enim per illas infra se lapsa est, sine illis super se ire conatur. Et postquam per multa indecenter sparsa est, in unum se colligere nititur, ut, si magna vi amoris prævalet, esse unum atque incorporeum contempletur. [a] Unde aliquando ad quamdam inusitatam dulcedinem interni saporis admittitur, et raptim aliquomodo ardenti spiritu afflata renovatur, tantoque magis inhiat, quanto magis quod amet degustat. Atque hoc intra se appetit, quod sibi dulce sapere intrinsecus sentit, quia videlicet ejus amore dulcedinis sibi coram viluit ; et postquam hanc utcumque percipere potuit, quid sine illa dudum fuisset invenit. Cui inhærere conatur, sed ab ejus fortitudine sua adhuc infirmitate repellitur. Et quia ejus munditiæ contemperari non valet, flere dulce habet, sibique ad se cadenti infirmitatis suæ lacrymas sternere. Neque enim potest mentis oculum in id quod contra se raptim conspexerat figere, quia ipso vetustatis suæ usu deorsum ire compellitur. Inter hæc anhelat, æstuat, super se ire conatur, sed ad familiares tenebras suas victa fatigatione relabitur.

Cap. LX. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 66).— [b] Contemplatus quippe interna gaudia visionis Dei et socialem frequentiam angelorum persistentium, reduxit oculos ad ima ; vidit quo jaceret, qui ad hoc conditus fuerat ut in cœlestibus stare potuisset. Pensavit ubi esset, et quod esset ingemuit. Projectumque se a vultu oculorum Dei doluit, quia in comparatione lucis intimæ, graviores senserat exilii sui tenebras quas tolerabat.

Cap. LXI.—*Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (*Psal.* XXX, 25).

In expos. beati Job, l. VII (*Num.* 24), adjunctum est : *Viriliter agite*, etc. — Justorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis exstinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. Reproborum vero fortitudo est transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec ex adversitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine ullo desiderii defectu perpetrare.

Cap. LXII.—*Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 63). — Dicens enim : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum*, quod illico subdidit, quasi sexum cordis munire curavit. Luxuriosi quippe mens corrumpitur si rebus transitoris delectetur.

Cap. LXIII. — *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (*Psal.* XXX, 25).

Dum de disserendo intellectu sacri eloquii tractare-

[a] Reliqua desunt in Mss.
[b] Mss. non habent capita 60, 61, 62.
[c] In Cod. Michael. indicatur lib. XXXIII in Job. In Utic. lib. XXXII. Exstat hæc hom. 4 in Ezech. loco assignato.

tur in expos. beati Job, l. 28 (*Num.* 12), adjunctum est : *Viriliter agite*, etc. — Scriptura sacra viros vocare consuevit, qui nimirum vias Domini fortibus et non dissolutis gressibus sequuntur. Unde et Paulus ait : *Remissas manus et dissoluta genua erigite* (*Hebr.* XII, 12). Unde et Sapientia in Proverbiis dicit : *O viri, ad vos clamito* (*Prov.* VIII, 4). Ac si aperte diceret : Ego non feminis, sed viris loquor, quia hi qui fluxa mente sunt mea verba percipere nequaquam possunt.

Cap. LXIV. — *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1).

Cum de electorum per internam gratiam studiis tractaretur, hom. 4 in Ezech. (*Num.* 6), adjunctum est : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, etc. — [c] Sancti viri ante Dei oculos student culpas linguæ tegere meritis vitæ. Student pondere bonorum operum premere immoderata verborum. Unde sancta Ecclesia in suis electis quotidie otiosæ locutionis vitium virtute boni operis tegit. *Beati*, ergo, *quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Hebr.* IV, 13). Sed rursum cum scriptum sit : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*, quomodo tegi possunt quæ ejus oculis cui cuncta nuda sunt abscondi nequaquam possunt ? Sed quia hoc quod tegimus inferius ponimus, atque hoc unde tegimur nimirum superducimus, ut quod est subterpositum tegamus, tegere peccata dicimur quæ quasi subterponimus, dum abdicamus, eisque aliud superducimus, dum bonæ actionis opus ad hoc post eligimus, ut præferamus. Peccata itaque tegimus, cum bona facta malis actibus superponimus. Quando ergo abdicamus mala quæ fecimus, et eligimus bona quæque ut faciamus, quasi tegmen ei rei superducimus quam erubescimus videri. Qui ergo priora mala deserit, et bona posterius facit, per hoc quod addit transactam nequitiam tegit, cui boni operis meritum superducit. Quamlibet enim sancti viri in hac adhuc vita sint, habent tamen quod ante Dei oculos operire debeant, quia omnino est impossibile ut aut in opere, aut in locutione, aut in cogitatione nunquam delinquant.

Cap. LXV. — *Conversus sum in ærumna mea, dum confringitur spina* (*Psal.* XXXI, 4).

Dum de bono pœnitentiæ tractaretur in expos. beati Job, l. XX (*Num.* 21), adjunctum est : *Conversus sum in ærumna mea*, etc. — Quid hoc loco per spinam nisi omne peccatum evidenter exprimitur ? Quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Hinc ergo justi et pœnitentis voce dicitur : *Conversus sum in ærumna mea, dum confringitur spina*, quia scilicet mens ad lamentum vertitur, ut peccati punctio pœnitendo frangatur. In translatione vero alia non confringi, sed configi spina perhibetur. Quod videlicet ab eodem sensu non dissonat, quia pœnitentis animus ad luctum ducitur, dum perpetrata culpa in memoria fixa retinetur.

Cap. LXVI. — *Dixi : Pronuntiabo adversus me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* XXXI, 5).

Dum de abstergendis cogitationum nondum procedentibus in opere flagitiis tractaretur, Reg. past. part. III (*cap.* 29, *admon.* 30), adjunctum est : *Dixi*, etc. — Sæpe misericors Deus eo citius peccata cordis abluit, quo hæc exire ad opera non permittit, et cogitata nequitia tanto citius solvitur, quanto effectu operis districtius non ligatur. Unde recte per Psalmistam dicitur : *Dixi : Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* Qui enim impietatem cordis subdidit, quia cogitationum injustitias pronuntiare vellet indicavit. Dumque ait : *Dixi : Pronuntiabo*, atque illico

adjunxit : *Et tu remisisti*, quam super hæc sit facilis venia ostendit; qui dum se adhuc promittit petere, hoc quod se petere promittebat obtinuit; quatenus quia usque ad opus non venerat culpa, usque ad cruciatum non perveniret pœnitentia, sed cogitata afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodo cogitata iniquitas inquinasset.

CAP. LXVII. — *In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te* (*Psal.* XXXI, 9).

Cum de utilitate temporalis flagelli tractaretur in expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 56), adjunctum est: *In camo*, etc. — Sæpe qui jubentis verba non audiunt ferientis verberibus admonentur, ut ad bona desideria saltem pœnæ trahant, quos præmia non invitant. Si vero etiam flagella conspiciunt, constat nimirum quod tanto illic gravioris vindictæ supplicia sentiant, quanto hic majoris providentiæ gratiam calcant.

CAP. LXVIII. — *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6).

Dum de apostolorum virtutibus per sancti Spiritus donum tractaretur in expos. beati Job, l. XVII (*Num.* 48-50), adjunctum est: *Verbo Domini cœli firmati sunt*, etc. — Quid cœlorum nomine nisi sancti apostoli designantur? Qui verbis pluunt, et coruscant miraculis, quorum virtus ex dono confortatur spiritus. De quibus per eumdem Psalmistam dicitur : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1). Quibus tunc virtutem dedit spiritus, cum replevit : quod Luca referente didicimus, qui ait : *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes; et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* II, 2. *Ex hom.* 30 *in Evang.*, *num.* 7, 8). Ex eo ergo acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa ante possederat fœditas timoris. Scimus enim quod ille apostolorum, id est cœlorum primus, ante acceptam hujus spiritus gratiam, quoties dum mori timuit, vitam negavit. Qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili potestate cujusquam, sed unius mancipii sola est interrogatione prostratus. Et quidem mancipium ne sexus firmior terribile demonstraret, ancilla est inquirente tentatus. Rursusque ut talis sexus infirmitas etiam officii sui dejectione vilesceret, non ab ancilla tantum, sed ab ostiaria est ancilla requisitus. Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita, ut aperte proderetur quanta eum timoris infirmitas possederit, qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Sed jam hic paulo ante timidus, qualis post acceptam virtutem Spiritus existeret videamus. Certe, Luca testante, didicimus contra sacerdotes ac principes quanta Dominum auctoritate prædicavit. Nam cum facto miraculo quæstio fuisset exorta, et sacerdotum principes, seniores, ac Scribæ in apostolorum persecutione concurrerent, eos in medio statuentes, in qua virtute miraculum fecerint percunctari curaverunt. Quibus, repletus Spiritu sancto, Petrus dixit : *Principes populi et seniores, si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus* (*Act.* XLVIII, 9, 10). Cumque erga hæc persequentium furor excresceret, eosque sacerdotes ac principes Jesum prædicare prohiberent, contra minas principum qua auctoritate Petrus excreverat indicatur, cum illic protinus subditur : *Petrus vero et apostoli dixerunt : Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). Sed cum auctoritatem prædicantium resistentium præcepta non premerent, ad flagella pervenitur, nam subditur : *Tunc principes sacerdotum cæsis denuntiaverunt ne loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos*. Sed quia apostolorum virtutem premere nec flagella valuerunt, patenter ostenditur, cum protinus subinfertur : *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Ibid.*, 41). Mox etiam post flagellorum gaudia quid agerent indicatur : *Omni autem die in templo et circa domos non cessabant, docentes et evangelizantes Jesum Christum* (*Ibid.*, 42). Ecce ille qui paulo ante timidus jam linguis loquitur, coruscat miraculis, infidelitatem sacerdotum ac principum libera voce increpat, ad prædicandum Jesum exemplum auctoritatis cæteris præstat. Ne in nomine Jesu loqui debeat verberibus prohibetur, nec tamen compescitur. Contemnit flagella cædentium, qui paulo ante requirentium verba timuerat, et qui ancillæ vires requisitus expavit, vires principum cæsus premit. *Spiritu ergo oris ejus omnis virtus eorum*. Ejusdem enim jam sancti Spiritus virtute solidatus, hujus mundi altitudines libertatis calce deprimebat, ut in imo esse cerneret quod contra Creatoris gratiam altum tumeret. Hæc est firmitas cœlorum, hæc sunt dona Spiritus, quæ diversis manifestari virtutibus solent. Quas occultæ dispensationis munere divisas Paulus enumerat, dicens : *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii autem gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*I Cor.* XII, 8, *seq.*); quem mox generali definitione concludens, ait : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Bene itaque dicitur : *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, quia prædicatores sancti, nisi promissa Paracleti dona perciperent, nullo fortitudinis decore claruissent.

CAP. LXIX. — *Congregans quasi in utre aquas maris* (*Psal.* XXXII, 7).

Dum de perversis contra Ecclesiam machinationibus tractaretur in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 15), adjunctum est : *Congregans quasi in utre aquas maris*. — Aquas maris quasi in utre Dominus congregat, cum, miro moderamine cuncta disponens, in suis clausas cordibus carnalium minas frenat. Extremi namque temporis persecutione crescente, apertas hæreticorum voces sancta Ecclesia tolerare compellitur, cum motus cordis sui, quos nunc intra cogitationum sinus contegunt, tunc in voce manifesti erroris aperiunt. Nunc enim sicut per Joannem dicitur: *Draco in abysso clausus tenetur* (*Apoc.* XX, 3), quia diabolica malitia in eorum subdolis cordibus occultatur. Sed, sicut illic dictum est, *Educetur draco de puteo abyssi*, quia quod modo præ timore tegitur, tunc contra Ecclesiam publice de iniquorum cordibus omne serpentinum virus aperitur. Nunc enim abscondit se sub blandiente lingua sæviens conscientia, et malitia calliditatis quasi quadam se tegit abysso simulationis. Nunc Dominus, sicut Psalmistæ voce dicitur, *Congregat sicut in utre aquas maris*. Uter quippe est carnalis cogitatio; aquæ ergo maris in utre congregatæ sunt cum amaritudo perversæ mentis non erumpit exterius in vocem pravæ libertatis.

CAP. LXX. — *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9).

Cum de nutriendo in Deum desiderio, per experimentum bonorum actuum tractaretur, homil. 36, in Evang. (*Num.* 1), adjunctum est : *Gustate et videte*, etc. — Augent semper spirituales deliciæ desiderium in mente dum satiant, quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur; et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat quod ignorat? Proinde Psalmista nos admonet, dicens : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus*. Ac si aperte dicat : Suavitatem ejus non

cognoscitis, si hanc minime gustatis. Sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis. Sed has homo delicias tunc amisit, cum in paradiso peccavit, cum os a cibo internæ dulcedinis clausit. Unde nos quoque nati in hujus peregrinationis ærumna, huc fastidiosi jam venimus, nec scimus quid desiderare debeamus, tantoque se amplius fastidii nostri morbus exaggerat, quanto se magis ab esu illius dulcedinis animus elongat; et eo jam internas delicias non appetit, quo eas comedere diu longeque desuevit. Fastidio ergo nostro tabescimus, et longa inediæ peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri famem nostram.

CAP. LXXI. — *Divites eguerunt, et esurierunt* (*Psal.* XXXIII, 11).

Dum de distinguendis veris et falsis deliciis tractaretur in expos. beati Job, l. XV (*Num.* 9), adjunctum est : *Divites eguerunt et esurierunt.* — Si de exteriori fame egestas divitum, et esuries diceretur, profecto divites non essent, qui pane corporis indigerent. Sed quia dum exterius multiplicantur interius inanes fiunt, et divites pariter et egentes esse memorantur, quia videlicet pane sapientiæ saturari minime merentur.

CAP. LXXII. — *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27).

Cum de perfectorum virtutibus tractaretur in expos. beati Job, l. I (*Num.* 3), adjunctum est : *Declina a malo, et fac bonum.* — Nequaquam bona Deo accepta sunt, quæ ante ejus oculos malorum admistione maculantur. Hinc namque per Salomonem dicitur : *Qui in uno offenderit, multa bona perdit* (*Eccle.* IX, 18). Hinc Jacobus attestatur dicens : *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10). Hinc Paulus ait : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* V, 6).

CAP. LXXIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 46). — [a] Declinare quippe a malo est ab eo quo jacuit surgere. Bonum vero facere est mercedis opera in quibus requiescere debeat præparare. Qui enim declinat a malo, sed bona non facit, surrexit quidem ab eo quo jacuit, sed ubi requiescere debeat necdum paravit.

CAP. LXXIV. — *Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur* (*Psal.* XXXIII, 21).

In expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 48), adjunctum est : *Dominus custodit omnia ossa eorum*, etc. — Quod utique non de ossibus corporis, sed de viribus dicitur mentis. Nam certe novimus quod et multorum corporaliter ossa confracta sunt; et persecutores Domini latronis illius cui dictum est : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc* XXIII, 43), sicut latronis alterius, in cruce crura fregerunt.

CAP. LXXV. — *Fiant sicut pulvis ante faciem venti, et angelus Domini affligens eos* (*Psal.* XXXIV, 9).

Dum de tentationum exercitio casuque tractaretur in expos. beati Job, l. III (*Num.* 62, 63), adjunctum est : *Fiant sicut pulvis ante faciem venti*, etc. — Qui in corde suo aura tentationis rapitur, quasi ante faciem venti pulvis elevatur; et cum inter hæc divina districtio percutit, quid aliud quam angelus Domini affligit? Sed hæc aliter aguntur a reprobis, aliter ab electis. Illorum namque corda ita tentantur, ut consentiant; justorum vero tentationes quidem suscipiunt, sed repugnant. Illorum mens delectabiliter capitur; et si ad tempus quod male suggeritur displicet, sed postmodum per deliberationem libet. Isti vero sic tentationum jacula excipiunt ut semper resistendo fatigentur, et si quando usque ad delectationem tentata mens rapitur, ipsi tamen citius subreptionem suæ delectationis erubescunt, et forti censura redarguunt quidquid [b] intra se carnale deprehendunt.

[c] CAP. LXXVI. — *Fiant viæ eorum tenebræ, et lubricum* (*Psal.* XXXIV, 6).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 39), adjunctum est : *Fiant viæ eorum tenebræ, et lubricum.* — Ut scilicet per tenebras ire quo ire debent non videant; qui etsi tecta viderint, in eis tamen per lubricum stare non possunt. Isti itaque per lubricum inter bona claudicant, illi per tenebras quæ bona sequantur ignorant.

CAP. LXXVII. — *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi* (*Psal.* XXXIV, 10)?

Cum de comprimenda sui præsumptione per cognitionem divini occultique judicii tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 55), adjunctum est : *Omnia ossa mea*, etc. — Quid per ossa nisi fortia acta signantur? De quibus et per prophetam dicitur : *Dominus custodit omnia ossa eorum.* Et sæpe quæ agunt homines esse alicujus momenti æstimant, quia districtionis intimæ quam sit subtile judicium ignorant. Sed cum per contemplationem rapti superna conspiciunt, ab ipsa aliquo modo præsumptionis suæ securitate liquefiunt; et tanto magis in divino conspectu trepidant, quanto nec bona sua digna ejus examine quem conspiciunt pensant. Hinc est enim quod is qui fortia operando profecerat per spiritum sublevatus clamabat : *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi* (*Psal.* XXXIV, 10)? Ac si diceret : Carnes meæ verbum non habent, quia infirma mea apud te funditus silent; ossa autem mea tuæ magnitudinis laudem dicunt, quia ipsa quoque quæ esse in me fortia credidi tua consideratione contremiscunt.

CAP. LXXVIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 79). Dum de qualitate divinæ in homine similitudinis tractaretur, adjunctum est : *Domine, quis similis tibi?* — Ad hoc sancti omnes ad illa gaudia æterna perveniunt, ut esse Deo similes possint, sicut scriptum est : *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2). Et tamen scriptum est : *Domine, Deus virtutum, quis similis tibi* (*Psal.* LXXXVIII, 5)? Et iterum ait : *Quis similis erit Domino inter* [d] *filios?* Unde ergo similes, et unde non similes, nisi quia huic sapientiæ et similes erunt ad imaginem, et tamen non erunt similes ad æqualitatem? Aspiciendo quippe æternitatem Dei, fit eis ut æterni sint. Et dum visionis ejus donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident. Et similes ergo sunt; quia beati sunt, et tamen Creatori similes non sunt, quia creaturæ sunt. Et habent itaque quamdam Dei similitudinem, quia non habent finem. Et tamen incircumscripti æqualitatem non habent, quia habent circumscriptionem.

CAP. LXXIX. — *Vidi impium superexaltatum, et elevatum* [e] *sicut cedros Libani; transivi, et ecce non erat* (*Psal.* XXXVI, 35).

Cum de provectu meritorum et de malorum cognitione tractaretur, in expos. beati Job, l. XV (*Num.* 68), adjunctum est : *Vidi impium superexaltatum*, etc. — David propheta quoniam a dilectione præsentis sæculi jam corde transierat, iniqui gloriam describens dicebat : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani.* Sed quia cor huic mundo non subdidit, hunc jure despexit, dicens : *Transivi, et ecce non erat.* Esset quippe aliquid in ejus æstimatione impius, si ipse ab hoc sæculo per intentionem mini-

[a] Hoc caput cum sequenti omittitur in Mss.
[b] Mss. Utic. et Michael., *quidquid intra se ex suggestione carnali*, etc.
[c] Desideratur in Mss. hoc caput.
[d] Nonnulli Mss., *inter filios hominum.*
[e] In Gemet., hic et deinceps, *super cedros.*

me transisset. Sed is qui non transeunti magnum A aliquid esset, transeunti animo quam nihil esset apparuit, quia dum æterna retributio cogitatur, præsens gloria quam sit nulla cognoscitur. Hinc Moyses, cum supernæ contemplationis gloriam quæreret, dixit: *Transiens videbo visionem* (*Exod.* III, 3). Nisi enim gressum cordis a sæculi amore movisset, nequaquam intelligere superna potuisset.

CAP. LXXX. — *Computruerunt, et deterioraverunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII, 6).

Cum de abolenda memoria præteritorum excessuum tractaretur, in expos. beati Job, l. IX (*Num.* 83), adjunctum est: *Computruerunt*, etc. — Qui peccatum corrigit et plangit, cicatricem vulneri superducit. Sed cum mens decepta hoc unde jam pœnituit ad delectationem sui revocat, cicatrix pœnitentiæ, quæ superducta fuerat, ad putredinem vulneris redit, ut fetorem prava delectatio habeat, postquam salutem vulneris jam cicatrix sarcita cute monstrabat. Quid itaque cicatrices, nisi sanationes sunt vulnerum? Laxatas namque nequitias ad delectationem memoriæ redire conspexerat, qui cicatrices deflebat. Cicatrices quippe computrescere est sanata jam peccatorum vulnera rursus in tentationem serpere, atque ex eorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ fetorem culpæ iterum, doloremque sentire, quia videlicet in re et nihil foris opere agitur, et sola intus cogitatione peccatur, districtoque se reatu mens obligat, nisi hoc sollicitis lamentis tergat.

CAP. LXXXI. — *Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque* (*Psal.* XXXVII, 7).

Dum de cavendo usu pravæ consuetudinis tractaretur, hom. 13 in Evang. (*Num.* 7), adjunctum est: *Incurvatus sum*, etc. — Plerumque videmus quæ agenda sunt, sed opere non implemus; nitimur et infirmamur. Mentis judicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit, quia nimirum jam de pœna peccati est ut ex dono quidem C possit bonum conspici, sed tamen ab eo quod aspicitur contingat per meritum repelli. Usitata etenim culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur et labitur, quia ubi sponte diu perstitit, ibi et cum noluerit coacta cadit. Unde bene de hac nostra incurvatione ex typo humani generis per Psalmistam dicitur: *incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque*. Contemplatus quippe quod ad supernam lucem intuendam homo conditus fuerat, sed peccatis exigentibus foras missus, mentis suæ tenebras portat, superna non appetit, in infimis intendit, cœlestia nequaquam desiderat, terrena semper in animo versat. Et hoc, quod de suo genere doluit, in seipso exclamavit dicens: *Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque*. Contemplationem namque cœlestium perdens, si sola carnis necessaria homo cogitaret, incurvatus et humiliatus esset, sed tamen usquequaque non esset. Quem ergo a supernis cogitationibus non solum necessitas dejicit, sed etiam voluptas illicita sternit, non solum incurvatus, sed usquequaque incurvatus est.

[a] CAP. LXXXII. — *Ego autem ad flagella paratus sum* (*Psal.* XXXVII, 18).

Cum de parato semper ad suscipienda flagella, electorum animo tractaretur in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 21), adjunctum est: *Ego autem ad flagella paratus sum.* — Quia enim sancti mentis suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, ut aperto vulnere virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat.

CAP. LXXXIII. — *Iniquitatem meam ego pronuntiabo, et cogitabo pro peccato meo* (*Psal.* XXXVII, 19).

Dum de non abolenda ad corrigendum per cognitionem infirmitatis propriæ peccati memoria tractaretur in expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 37), adjunctum est: *Iniquitatem meam ego pronuntiabo*, etc. — Tribulatio spiritus electorum linguam commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet. Sciendum quoque est qui sæpe reprobi peccata confitentur, [b] sed deflere contemnunt. Electi autem culpas suas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animadversionis fletibus insequuntur. Unde et propheta postquam se iniquitatem suam pronuntiare spopondit, cogitare se etiam de eis subdidit. Ac si aperte fateretur dicens: Sic reatum lingua loquitur, ut nequaquam expers a mœroris stimulo per alia spiritus vagetur, sed culpas loquens vulnus aperio; culpas vero ad correptionem cogitans, salutem vulneris ex medicamine mœroris quæro. Qui enim mala quidem quæ perpetravit insinuat, sed flere quæ insinuaverit, recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpente mente medicamentum vulneri non apponit. B Confessionis igitur vocem solus necesse est ut mœror excutiat, ne vulnus proditum sed neglectum, quo licentius jam per humanam notitiam tangitur, deterius putrescat. Psalmista ergo plagam cordis non solum detexerat, sed detectæ etiam medicamentum mœroris adhibebat, dicens: *Iniquitatem meam pronuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.* Pronuntiando enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quam medicamentum vulneri apponit? Sed afflictæ menti, et sua sollicite damna cogitanti, rixa pro semetipsa oritur contra semetipsam. Nam cum se ad lamenta pœnitentiæ instigat, occulta se increpatione dilaniat.

[c] CAP. LXXXIV. — *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me* (*Psal.* XXXVIII, 2).

In expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 18), adjunctum est: *Posui ori meo*, etc. — Inflammatur quippe corda justorum, cum non correpta crescere conspiciunt acta malorum, eorumque culpæ se participes credunt, C quod in iniquitate crescere silendo permittunt. David propheta postquam sibi silentium indixerat, dicens: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me; obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis;* in ipso suo silentio justo zelo charitatis exarsit. Qui illico subdidit: *Et dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis* (*ibid.* 3). Intus ergo cor concaluit, quia dilectionis ejus ardor per admonitionem locutionis exterius emanare recusavit. Ignis in meditatione cordis exarsit, quia increpatio delinquentium a correptione oris refrixit. Charitatis enim zelus consolatione admirabili augendo se temperat, quando contra iniquorum opera per vocem correptionis emanat, ut et quæ corrigere non valet increpare non desinat, ne se participem delinquentium ex consensu taciturnitatis addicat.

CAP. LXXXV. — *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti* (*Psal.* XXXVIII, 3).

D Cum de non reluctando divinis judiciis tractaretur in expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 33), adjunctum est: *Obmutui*, etc. — Flagellatus homo considerans quia illo major est Deus in omne quod patitur, ejus judicio se postponat cui se minorem esse non dubitat. Et quod a meliore patitur justum credat, etiam si ejusdem justitiæ causas ignorat. Quisquis enim pro peccato percutitur, nisi murmurando renitatur, eo ipso jam justus esse inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. Homo namque sub Deo est conditus, et ad conditionis ordinem redit, quando sibi æquitatem judicis sui, etiam quam non intelligit, anteponit, ut considerata potentia creatoris, deferveat tumor mentis per memoriam conditionis. Unde David propheta, cum percussionis pondere in excestemnunt.

[a] Abest a Mss.

[b] Utic. et Michael., *sed de his cogitare con-*

[c] Abest a Mss.

sum vocis erumpere cogeretur, ad considerationem conditionis suæ se recolligens, ait: *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti me.* Pensavit enim conditionis suæ ordinem, et justitiam percussionis invenit, quia qui benigne eum qui non erat condidit, eum profecto qui erat nonnisi juste percussit.

CAP. LXXXVI. — *Verumtamen vane conturbatur omnis homo* (*Psal.* XXXVIII, 7).

Dum de humanæ naturæ infirmitatibus tractaretur in expos. beati Job, l. XXII (*Num.* 34-36, *inverso ordine*), adjunctum est: *Verumtamen vane conturbatur omnis homo.* — Quanquam ad imaginem Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur. Plerumque agitur ut et turbetur vir sanctus exterius, et imperturbabilis duret interius; et quod vane conturbari potest, de infirmitate carnis sit, quamvis in imagine Dei ambulet, de virtute mentis, quatenus et roboratur intus divino adjutorio, tamen adhuc foris sarcina prematur humana. Magna namque est securitas cordis, nil concupiscentiæ habere sæcularis. Nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest, quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut adepta metuit ne amittat; et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Sin vero semel in appetitione supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe externis motibus eamdem intentionem suam quasi quemdam secretissimum secessum petit; ibique [a] incommutabili inhærens, et mutabilia cuncta transcendens, ipsa jam tranquillitate quietis suæ in mundo extra mundum est; excedit profecto ima omnia intentione summorum; et cunctis rebus quas non appetit libertate quadam superesse se sentit; nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris, quia terrena omnia quæ concupita opprimere mentem poterant despecta subterjacent. Unde bene per prophetam dicitur: *Statue tibi speculam* (*Jerem.* XXXI, 21), ut dum quisque speculatur summa, supereminеat infimis. Hinc etiam Habacuc dicit: *Super custodiam meam stabo* (*Habac.* II, 1). Stat quippe super custodiam suam, qui per solertiam disciplinæ terrenis desiderиis non succumbit, sed supereminet, ut dum semper stantem appetit æternitatem, infra se sit ei omne quod transit. Tamen quia vir sanctus quantalibet virtute profecerit, cum in hac vita positum adhuc extrinsecus carnis infirmitas premit, bene Habacuc iterum unam sententiam protulit, ad utraque servientem, ait etenim: *Et introivit tremor in ossa mea, et subtus me turbata est virtus mea* (*Habac.* III, 16). Ac si diceret: Non mea virtus est, in qua superius raptus imperturbabilis maneo, sed mea infirmitas est, in qua inferius turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis, quia super se ascenderat in quantum rapiebatur ad summa; et sub semetipso erat, in quantum adhuc reliquias trahebat in infima. Ipse super se imperturbabilis, quia in Dei jam contemplationem transierat. Ipse sub se perturbabilis, quia sub semetipso adhuc infirmus homo remanebat. Huic sententiæ David propheta concinens, ait: *Ego dixi in excessu mentis meæ: Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 2). Cui responderi potest: Si omnis, et tu, falsaque jam erit sententia quam mendax ipse protulisti. Si vero ipse non es mendax, vera jam sententia non erit, quia dum tu verax es, non omnis homo cognoscitur mendax. Sed notandum quod præmittitur; *Ego dixi in excessu mentis meæ.* Per excessum ergo mentis etiam semetipsum transiit, cum de hominis qualitate definivit. Ac si patenter dicat: De falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, unde ego ipse super hominem fui. In tantum vero et ipse mendax, in quantum homo. In tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis super hominem. Sic itaque, sic perfecti omnes, quamvis adhuc aliquid turbulentum de infirmitate carnis tolerent; jam tamen intrinsecus tranquillissimo secreto perfruuntur per contemplationem mentis, ut quidquid acciderit exterius, in nullo turbet interius.

CAP. LXXXVII. — *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis; et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos; et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro* (*Psal.* XXXIX, 2-4).

Cum de incrementis bonorum operum tractaretur, l. I hom. 9 in Ezech. (*Num.* 4), adjunctum est: *Eduxit me de lacu miseriæ*, etc. — Qui adhuc ex superbiæ vertice stamus, cum jam de æternitatis timore aliquid sentire cœperimus, dignum est ut ad pœnitentiam cadamus; et cum, infirmitatem nostram subtiliter cognoscentes, humiliter jacemus, per divini verbi consolationem surgere ad fortiora opera debemus; et cum jam in bonorum operum soliditate persistimus, necesse est ut unde nosmetipsos correximus, inde jam prædicantes et alios revocemus. Nam jacenti non præcipitur ut ad prædicationem pergat, ne infirmus quisque hoc quod verbo ædificare potest opere destruat. Recte ergo nunc per prophetam dicitur: *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis: statuit super petram pedes meos*, etc. Postquam de luto fœcis se eductum asseruit, statutosque pedes suos super petram conspexit, immissum in os suum canticum novum asseruit. Prius enim de luto pravitatis educitur, ut ejus pedes per fidem in petra solidentur. Et postquam boni operis pedes et gressus jam in petra fixerat, tunc prædicationis canticum accipit, ut hymnum Deo dicere et operibus et vocibus possit. Sic Saulus dum superbus Damascum pergeret, Redemptoris voce prostratus jacuit; et qui prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret quod viderat audivit; sed ei jacenti dicitur: *Ingredere in civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere* (*Act.* IX, 7). Jacens ergo hoc solum audire potuit, ut surgens disceret quod audierat. Surgens vero hoc didicit, ut quæ didicerat prædicaret.

CAP. LXXXVIII. — *Multa fecisti, tu Domine Deus meus, mirabilia tua* (*Psal.* XXXIX, 6).

Cum de Creatoris potentia ex creaturarum miraculis tractaretur in expos. beati Job, l. VI, (*Num.* 18), adjunctum est: *Multa fecisti*, etc. — Quis omnipotentis Dei mirabilia perscrutari sufficiat; quod cuncta ex nihilo creavit; quod ipsa mundi fabrica mira potentiæ virtute disposita sit, et super aera cœlum suspenditur, et super abyssum terra libratur; quod ex rebus invisibilibus omnis hæc universitas existit; quod hominem fecit, ut ita dixerim, in brevi colligens mundum alterum, sed rationalem; quod hunc, ex anima et carne constituens, investigabili virtutis dispositione permiscuit spiritum et lutum? Ex his itaque aliud novimus, aliud et sumus; sed tamen mirari negligimus, quia ea quæ incomprehensibili indagatione mira sunt in humanis oculis usu viluerunt. Unde fit ut si mortuus homo suscitetur, in admirationem omnes exsiliant; et quotidie homo, qui non erat, nascitur, et nemo miratur; dum procul dubio omnibus constet quia plus sit creari quod non erat quam reparari quod erat. Quia arida Aaron virga floruit (*Num.* 17), cuncti mirati sunt; et quotidie ex arente terra arbor producitur, virtusque pulveris in lignum vertitur, et nemo miratur. Quia quinque panibus quinque millia hominum saliati sunt (*Joan.* 6), crevisse escam sub dentibus cuncti mirati sunt; quotidie sparsa grana seminum plenitudine multiplicantur spicarum, et nemo miratur. Aquam

[a] Ita Utic., Michael. et alii. Gemet. autem, quem sequuntur Excusi, *incommutabiliter inhærens*, etc.

semel in vinum permutatam videntes cuncti mirati sunt (*Joan.* 2); quotidie humor terræ in radice vitis attractus per botrum in vinum vertitur, et nemo miratur. Mira itaque sunt omnia quæ mirari homines negligunt, qui ad considerandum, ut prædiximus, usu torpescunt.

CAP. LXXXIX. — *Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati super numerum* (*Psal.* XXXIX, 6).

Cum de stabilitate electorum et reprobatione malorum, fidem intra sanctam Ecclesiam specietenus tenentium tractaretur, hom. 19 in Evang. (*Num.* 5), et in expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 21), adjunctum est : *Annuntiavi, et locutus sum*, etc. — Vocante Domino, super numerum multiplicantur fideles, quia etiam ii ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingunt. Hinc enim fidelibus per confessionem admisti sunt, sed propter vitam reprobam illic connumerari in sorte fidelium non merentur. Propheta itaque intuens tantos hoc Ecclesiæ tempore specietenus credere, quantos nimirum certum est electorum numerum summamque transire, ait : *Multiplicati sunt super numerum.* Ac si diceret : Multis Ecclesiam intrantibus, etiam ii ad fidem specietenus regni veniunt, qui a numero regni cœlestis excluduntur, quia electorum summam sua videlicet multiplicitate transcendunt.

[a] CAP. XC. — *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus* (*Psal.* XL, 4).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 41), adjunctum est : *Universum stratum ejus versasti*, etc. — Quia dum nos tentatio carnis concutit, tremefacta nostra infirmitas etiam mentis cubile confundit.

CAP. XCI. — *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus* (*Psal.* XL, 4).

[b] Dum de multiplicibus in sacro eloquio rerum significationibus tractaretur in expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 46, 47), adjunctum est : *Universum stratum ejus versasti*, etc. — Quid hoc loco per stratum nisi requies temporalis accipitur? Cum enim quisque, curis secularibus fatigatus, deserere per divitiam gratiam hujus mundi itinera laboriosa compungitur, cogitare solet quomodo præsentis vitæ desideria fugiat, et ab ejus laboribus requiescat; sibique mox desideratæ quietis ordinem quærit, et velut quoddam stratum sicut a cunctis laboribus cessationis locum invenire concupiscit. Sed quia in hac vita adhuc homo positus in cujuslibet ordinis loco, in cujuslibet secreti secessu vivere sine tentationibus nullatenus potest, plerumque in id quod ad requiem construitur major dolor tentationis invenitur. Unde et recte per Prophetam dicitur : *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Ac si diceret : Omne quod hic sibi paravit ad requiem, hoc ei mutasti occulto judicio ad perturbationem. Quod pio quidem Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe est vita præsens qua ad patriam tendimus; et ideireo hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores, cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, et a cœpti itineris rectitudine declinare, eorumque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Unde electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit; ne dum quisque vitæ præsentis requie quasi vitæ amœnitate pascitur, magis eum diu pergere quam citius pervenire delectet; ne dum oblectatur in via, obliviscatur quod desiderabat in patria.

CAP. XCII. — *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI, 4).

Cum de fructu compunctionis tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 15), adjunctum est : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Luctu suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo sublevatur. Et intus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum percipit, quo hic vis amoris per lacrymas emanat.

CAP. XCIII. — *Memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim* (*Psal.* XLI, 7).

Cum de bono humilitatis tractaretur in expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 13), adjunctum est : *Memor ero tui de terra Jordanis*, etc. — Quid Jordanis nisi descensio? Hermoniim autem anathema, id est alienatio, interpretatur. De terra ergo Jordanis et Hermoniim Dei reminiscitur, qui in eo quod semetipsum dejicit, atque a se alienus existit, ad conditoris sui memoriam revocatur. Hinc est enim quod voce Veritatis dicitur : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (*Luc.* IX, 23). Semetipsum enim abnegat, qui, calcato typho superbiæ, ante Dei oculos esse se alienum demonstrat.

CAP. XCIV. — *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit* (*Psal.* XLI, 9).

Cum de electorum probationibus tractaretur in expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 52), adjunctum est : *In die mandavit Dominus misericordiam suam*, etc. — Quia videlicet unusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit in adversitate perturbationis ostendit. Misericordia ergo Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur; in nocte vero declaratur, quia donum quod in tranquillitate sumitur in tribulationibus manifestatur.

CAP. XCV. — *Humiliasti nos in loco afflictionis, et operuit nos umbra mortis* (*Psal.* XLIII, 20).

In expos. beati Job, lib. XXVI (*Num.* 54), adjunctum est : *Humiliasti nos in loco afflictionis*, etc. — Locus afflictionis est vita præsens. Qui ergo ad æternam patriam tendunt, nunc semetipsos temporaliter in afflictionis loco dejiciunt, ut tunc in loco gaudii veraciter sublimentur. (*Ibid.*, *lib.* XX, *num.* LVI.) Electorum namque animas modo dies afflictionis possident, quia dies lætitiæ post sequuntur. Scriptum quippe est : *Timenti Deum bene erit in extremis* (*Eccle.* I, 13). Et rursum de Ecclesia dicitur : *Ridebit in die novissimo* (*Prov.* XXXI, 25). Nunc enim tempus afflictionis est bonis ut sequatur eos exsultatio quandoque sine tempore. Sequitur : *Et operuit nos umbra mortis.* (*Ibid.*, *lib.* IV, *num.* 50.) Quid hoc loco per umbram mortis, nisi mors carnis accipitur? Quia sicut vera est mors qua anima separatur a Deo, ita et umbra mortis est qua caro separatur ab anima. De hac itaque nunc voce martyrum per Prophetam dicitur : *Humiliasti nos in loco afflictionis, et operuit nos umbra mortis.* Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra dicunt mortis operiri. (*Ibid.*, *lib.* XXXIII, *num.* 6.) [c] Quid enim per umbram, quæ tamen cum adjectione mortis ponitur, nisi mors carnis exprimitur, vel quilibet reprobi, qui antiqui hostis tenebras studio pravæ operationis imitantur? Unde voce martyrum per Psalmistam dicitur : *Humiliasti nos in loco afflictionis, et operuit nos umbra mortis.* Umbra enim mortis electos Dei opprimit, cum mors carnis, quæ imago mortis æternæ est, ab hac eos vita disjungit; quia sicut illa a Deo animam, ita hæc ab anima separat corpus. Vel certe umbra eos mortis opprimit, quia de antiquo hoste scriptum est : [d] *Nomen illi mors* (*Apoc.* VI, 8). Umbra ergo mortis sunt omnes reprobi, quia illius nequitiam elationis imitantur, ejusque imaginem quasi umbram exprimunt, dum ejus in se malitiæ similitudinem trahunt. Qui electos Dei operiunt, cum contra illos atrocitate persecutionis temporaliter convalescunt.

CAP. XCVI. — *Lingua mea, calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 2).

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 7), adjunctum

[a] Abest a Mss.

[b] In Excusis legitur : *De variis hujus peregrinationis perturbationibus, ne vræsens magis vita quam fu-tura delectet.*

[c] Hoc loco in Mss. legitur : *item unde supra.*

[d] In pluribus Mss., *nomen illius mors.*

est : *Lingua mea*, etc. — Quia quod loquimur transit, quod scribimus permanet, lingua patris scribæ calamus dicitur, quia ab eo est Verbum illico æternum, ac sine transitu generatum.

CAP. XCVII. — [a] *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV, 4).

In comm. Ezech., hom. 8 (*Num.* 26), adjunctum est : *Accingere gladio tuo*, etc. — Quid in femore nisi propago carnis exprimitur? De femore ergo Abrahæ virgo Maria exiit, in cujus utero unigenitus Patris incarnari dignatus est, ex qua incarnatione universo innotuit mundo Deus. Ipsi ergo per Prophetam dicitur : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*. Gladium etenim circa femur sumpsit, quia sermo prædicationis illius ex incarnatione convaluit.

[b] CAP. XCVII. — *Intende, prospere procede, et regna, propter et veritatem, mansuetudinem, et justitiam* (*Psal.* XLIV, 5).

In expos. beati Job. l. IX (*Num.* 62), adjunctum est : *Intende prospere*, etc. — Per legem quippe Deus virgam tenuerat cum dicebat : *Si quis hæc vel illa fecerit morte moriatur*. Sed incarnatus Dominus virgam abstulit, quia vias vitæ per mansuetudinem ostendit. Unde et ei per Psalmistam dicitur : *Intende prospere, procede, et regna, propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam*. Timeri quippe quasi Deus noluit, sed quasi pater, ut amaretur, inspiravit.

CAP. XCIX. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. I (*Num.* 15). — Veritatem exsequens, mansuetudinem cum justitia conservavit, ut nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere amitteret, nec rursum pondus mansuetudinis zelo rectitudinis perturbaret.

CAP. C. — *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a gradibus eburneis, ex quibus delectavere te filiæ regum in honore tuo* (*Psal.* XLIV, 9).

In expos. beati Job, l. XXXV (*Num.* 44), adjunctum est : *Myrrha, et gutta*, etc. — Quid myrrhæ, guttæ, et casiæ nomine nisi virtutum suavitas designatur? quid eburneis gradibus, nisi magna nitens fortitudine proficientium ascensus exprimitur? Redemptor igitur veniens, myrrha, gutta, et casia in vestimento utitur, quia ex electis suis, quibus se misericorditer induit, miræ virtutis fragrantiam aspergit, in quibus idem odor ab eburneis gradibus ducitur, quia in eis virtutum opinio non ex ostensione simulationis, sed ex veri ac solidi operis ascensu generatur. Bene autem subditur : *Ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo*. Sanctæ namque animæ ab antiquis patribus ad cognitionem veritatis editæ, Redemptorem suum in honore ejus delectant, quia ex eo quod bene agunt, suæ laudi nihil vendicant

* CAP. CI. — *Adorabunt eum filiæ Tiri in muneribus* (*Psal.* XLIV, 13).

In expos. beati Job, l. XXXV (*Num.* 34), adjunctum est : *Adorabunt eum filiæ Tiri in muneribus*. — Aperire libet oculos fidei, et illud extremum sanctæ Ecclesiæ de susceptione Israelitici populi convivium contemplari. Ad quod nimirum convivium magnus ille veniens Elias convivantium invitator adhibetur; et tunc propinqui, tunc noti ad eum cum muneribus veniunt, quem in flagello paulo ante positum contempserunt. Appropinquante enim die judicii, vel præcursoris vocibus, vel quibusdam erumpentibus signis, ipsa eis jam aliquo modo advenientis Domini virtus interlucet. Cujus iram dum prævenire festinant, conversionis suæ tempus accelerant. Conversi autem cum muneribus veniunt, quia eum quem paulo ante in passione deriserunt, tunc virtutum opera quasi munera offerendo venerantur; illud procul dubio sua oblatione complentes, quod et cernimus magna ex parte jam factum, et adhuc credimus perfecte faciendum. *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus*. Tunc namque eum plenius filiæ Tyri in muneribus adorant, cum Israelitarum mentes, hujus nunc mundi desideriis subditæ, ei quem superbientes necaverant quandoque cognito suæ hostias confessionis apportant.

CAP. CII. — *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* (*Psal.* XLIV, 14).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 20), adjunctum est : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*. Sed quia exteriora etiam irreprehensibilia Ecclesia custodit, jure de ea subdidit : *In fimbriis aureis circumamicta varietate*, ut et pulchra intus sibi sit, et aliis foris; et se provehens per internam gloriam, et alios erudiens per exteriora operum exempla.

CAP. CIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 83). — Filia regum Ecclesia, quæ in bono est opere spiritualium principum prædicatione generata, gloriam intus habet, quia hoc quod agit in ostentationis jactantia non habet.

CAP. CIV. — *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV, 17).

In expos. beati Job, l. IV (*Num.* 61), adjunctum est : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, etc. — Principes sanctæ ecclesiæ rectores vocat, quos indesinenter in loco prædicatorum præcedentium divina dispensatio subrogat.

CAP. CV. — *Transferentur montes in cor maris* (*Psal.* XLV, 2).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 50), adjunctum est : *Transferentur montes in cor maris*. — Quid per montes nisi prædicantium altitudo signatur? Electi quippe prædicatores æternæ patriæ non immerito montes vocantur, quia per vitæ suæ celsitudinem ima terrenorum deserunt, et cœlo propinqui fiunt. De his ergo nunc montibus dicitur : *Transferentur montes in cor maris*. In cor enim maris montes translati sunt, cum prædicantes apostoli, a Judææ perfidia repulsi, ad intellectum gentilium venere. Unde ipsi quoque in suis Actibus dicunt : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 45).

CAP. CVI. — *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV, 11).

In expos. beati Job, l. V (*Num.* 19, 20), adjunctum est : *Vacate et videte*, etc. — Nisi quibusdam mentibus contemplativa vita potius quam activa congrueret, nequaquam per Prophetam Dominus diceret : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*. Vacant qui bene in potestate sunt, cum terrenarum actionum strepitus pro divino amore intermittendo postponunt, ne dum ima indesinenter occupant, cor funditus a summis cadat. Sciunt enim quia nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continue in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid etiam vacans laborat? Bene ergo per Psalmistam dicitur : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*, quia qui vacare Deo negligit, suo sibi judicio lumen ejus visionis abscondit. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cum sollicite ad interiora refugiunt, cum nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. Parvæ etenim mentes temporalium rerum tumultus intra semetipsas versare non cessant, etiam cum vacant. In cogitatione enim servant depicta quæ amant, et

[a] In pluribus Mss., *accinge gladium*.
[b] Omittitur in Mss.
[c] Quatuor capita quæ sequuntur desunt in Mss.

quamvis nihil exterius faciant, apud semetipsas tamen sub pondere inquietæ quietis laborant. Quibus si earumdem rerum administratio præbeatur, semetipsas funditus deserunt, et fugitiva temporalia per intentionis cursum continuis cogitationum passibus sequuntur. Piæ autem mentes hæc et cum desunt, non quærunt, et graviter etiam cum adsunt ferunt, quia per exteriorum curas a se exire pertimescunt.

CAP. CVII. — *Deus in gradibus ejus dignoscetur, cum suscipiet eam* (*Psal.* XLVII, 3).

Lib. II, hom. 3, in Ezech (*Num.* 3), adjunctum est: *Deus in gradibus ejus dignoscetur*, etc.—Quid per hos gradus, nisi virtutum merita designantur? Sive enim in cognitione Mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, seu in scientia divini eloquii, seu in ipsa fide quam de illo accepimus, quibusdam gradibus ad altiora incrementa pervenimus. Nemo enim repente fit summus, sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat. Deus ergo in gradibus ejus dignoscetur, cum suscipiet eam. Dum enim sanctam Ecclesiam Dominus suscipit, in gradibus ejus dignoscitur, quia ejus gloria per illius incrementa declaratur; quantum enim sancta Ecclesia ascendendo profecerit, tantum Deus hominibus ex ejus virtutibus innotescit. De quibus gradibus rursum scriptum est: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum* (*Job.* XXXI, 37). Omnipotentem quippe Dominum per singulos gradus suos pronuntiat, qui per incrementa virtutum quæ cœpit, ei semper laudem suæ pietatis reddit. Si quidam gradus in cordis ascensione non essent, [a] item Psalmista non diceret: *Ambulabunt de virtute in virtutem* (*Psal.* LXIII, 8), Nec mirum si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa unaquæque virtus quasi quibusdam gradibus augetur, et sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim et ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, sancti apostoli minime dixissent: *Adauge nobis fidem* (*Luc.* XVII, 5). Et quidam venit ad Dominum, qui curari voluit filium suum, sed requisitus an crederet, respondit: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX, 23). Pensate ergo quod dicitur: si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore is qui necdum perfecte crediderat, simul et credebat, et incredulus erat.

CAP. CVIII. — *Item unde supra.*

Hom. 15. in Ezech. — [b] Omnipotens Deus in Ecclesiæ suæ gradibus agnoscitur, quia in singulis ejus virtutibus atque miraculis quam timendus sit, et amandus omnibus demonstratur. Quem videlicet amorem tunc suscipit, cum a culpis suis ad pœnitentiam redit. Cujus electi laudantur cum dicitur: Quoniam ecce reges vocantur, qui pro eo quod transacta mala per pœnitentiam corrigunt, ipsa quoque eorum pœnitentia qualiter agatur, adjungitur: *Ipsi videntes tunc admirati sunt, conturbati sunt, et commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores sicut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis* (*Psal.* XLVII, 6, 7, 8). Vident quippe et admirantur, sed admirantes in tremore turbantur. Nam cum inter pœnitentiæ lacrymas ad mentis notitiam cœlestis patriæ lumen erumpit, et admiratur, animus et pavescit (quia libet quod terret), tunc dolores in anima sicut parturientis fiunt. Dolor enim pœnitentis quasi dolor parturientis est, quia cum fletibus a se ejicit quod male in voluptate concepit. Tharsis vero exploratio gaudii dicitur. Et scimus quia qui omnes voluptates hujus sæculi sequitur, temporalia sibimet gaudia explorat. Sed omnipotens Deus in spiritu vehementi naves Tharsis conterit, quia mentes carnalium, quæ prius in hujus mundi fluctibus vagabantur, per sancti Spiritus adventum in mœrore pœnitentiæ affligit, ut contritæ a superbia salubriter in humilitate jaceant, quas prius in hoc mari sæculi ad alta vanitatis, prosperitatis suæ unda sublevabat. Per hunc itaque spiritum jacent contritæ naves; quia quibus pœna videbatur ab hominibus despici, postmodum grave fit ab hominibus honorari. Et quia antea mala perpetrare consueverant, et gaudebant, postmodum non timent etiam affligi pro bonis.

CAP. CIX. — *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis* (*Psal.* XLVII, 8).

In expos. beati Job, l. IV (*Num.* 35), adjunctum est: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* — Tharsis exploratio gaudii dicitur. Sed cum vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudii perturbat, ut nil ei jam nisi flere libeat, nihil nisi quod se terrere possit attendat. Ponit namque ante oculos illic districtionem justitiæ, hic meritum culpæ conspicit, quo supplicio digna sit si parcentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia ab æterna eruere pœna consuevit. Spiritus ergo vehemens Tharsis naves conterit, cum vis compunctionis valida, mentes nostras huic mundo quasi mari deditas salubri terrore confundit.

CAP. CX. — *Non dabit Deo propitiationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ* (*Psal.* XLVIII, 8).

In expos. beati Job, l. XII (*Num.* 57), adjunctum est: *Non dabit Deo propitiationem suam*, etc.—Quoties post culpam eleemosynas facimus, quasi pro pravis actibus pretium damus. Unde per prophetam de eo qui hæc non agit, dicitur: *Non dabit Deo propitiationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ.* Nonnunquam divites elati inferiores opprimunt, et aliena rapiunt, et tamen quasi quædam aliis largiuntur. Et cum multos deprimant, aliquando quibusdam opem defensionis [c] ferunt, et pro iniquitatibus, quas nunquam deserunt, dare pretium videntur. Sed tunc eleemosynæ pretium nos a culpa liberat, cum perpetrata plangimus et abdicamus. Nam qui et semper peccare vult, et quasi semper eleemosynam largiri, frustra pretium tribuit, quia non redimit animam quam a vitiis non compescit. Pretium enim redemptionis dare, est opus bonum præveniente nos gratia reddere.

CAP. CXI. — *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes* (*Psal.* XLVIII, 11).

In expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 32, 33), adjunctum est: *Non videbit interitum*, etc. — Justorum adversarii, quos visibiliter emori conspiciunt, invisibiliter vivere posse non credunt, atque eo reatum infidelitatis suæ cumulant, quo visa morte fidelium de æternitate desperant. Igitur violenti quique inde interius deficiunt, unde contra vitam innocentium exterius convalescunt, tantoque illos intima veritas a se foras ejicit, quanto eos contra suos temporaliter quod volunt, posse permittit. Quisquis itaque bonorum vitam persequitur, tunc pejore ultione damnatur, cum nulla ei adversitate resistitur; et tunc fortioris iræ periculis subjacet, cum prospere peragit quod nequiter concupiscit, quia videlicet vindicta superni judicii eum ad futura supplicia reservando deserit, qui hic in malo obviare contempsit.

CAP. CXII. — *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII, 19).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 59), adjunctum est: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* — Sciendum est, quod arrogantes viri tunc divinæ justitiæ rectitudinem laudant, cum se ad gaudium incolumitas sublevat, et alios flagella castigant, cum se conspi-

[a] Gemet. *idem Propheta.*
[b] Assignatur in Michael. hom. 1, in Ezech.
[c] Utic. et alii, *quærunt.*

ciunt rerum prosperitate perfrui, alios adversitate A fatigari. Nam dum perverse agunt, sed tamen se rectos arbitrantur, hoc quod sibi prospera suppetunt, deberi suis meritis credunt, eoque colligunt, quod Deus iniuste non judicat, quod quasi justos se adversitas nulla contristat. Sed si eorum vitam quamlibet breviter vis superna correptionis attigerit, pulsati protinus consilium divini examinis increpant, quod paulo ante incolumes admirando præferebant, justumque esse judicium, quod suis moribus adversatur negant, de divina æquitate disputant, ad resultationis verba prosiliunt, et correpti quia deliquerint, gravius delinquunt. Recte ergo per Psalmistam contra peccatoris confessionem dicitur : *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Despecta quippe vox confessionis est quam format jucunditas prosperitatis. Sola autem confessio habet magni meriti ponderis, quam a veritatis rectitudine nequaquam separat vis doloris, quam usque ad judicium vocis exacuit adversitas lestis cordis :

CAP. CXIII. — *Advocavit cœlos desursum, et terram, ut discerneret populum suum* (*Psal.* XLIX, 4).

In expos. beati Job, l. XV (*Num.* 37), adjunctum est : *Advocavit cœlos desursum*, etc. — Cœlos sursum advocat, eos hi, qui sua omnia relinquentes, conversationem cœlestis vitæ tenuerunt, ad considendum in judicio convocantur, atque cum eo judices veniunt. Terra etiam sursum vocatur, cum ii, qui terrenis actibus obligati fuerant in eis tamen plus cœlestia quam terrena lucra quæsierunt, quibus dicitur : *Hospes eram, et collegistis me : nudus, et operuistis me* (*Matth.* XXV, 43).

CAP. CXIV. — *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Psal.* XLIX, 16) ?

Cum de institutione prædicantium tractaretur in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 13), adjunctum est : *Peccatori autem dixit Deus*, etc. — Lex est ipsis prædicatoribus posita, ut vivendo impleant quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te.* Sermones etenim Domini post se prædicator projicit, cum hoc, quod dicit, facere contemnit. Quando autem dictis ejus alter obediat, dum ipse respuit opere, quod prædicat voce, et dissimulat audire quod narrat? De ista prædicationis lege scriptum est : *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V, 19). Regnum cœlorum, videlicet præsentem Ecclesiam appellat, de qua scriptum est : *Et colligent de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41). In superno etenim regno scandala quæ, ex eo colligi debeant, non habentur. Qui ergo solvit opere, et sic docet voce, in isto regno cœlorum erit minimus; in illo, nec minimus.

CAP. CXV. — *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum* (*Psal.* L, 7).

In expos. beati Job, l. XI (*Num.* 70), adjunctum est : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* — Is, qui per se solus est mundus, mundare prævalet immunda. Homo enim in corruptibili carne vivens, habet tentationum immunditias impressas in semetipso, quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis ejus conceptio immunditia est. Unde nunc per Psalmistam dicitur : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea.* Hinc est ergo quod plerumque tentetur et nolens : hinc est quod immunda quædam in mente patitur, quamvis ex judicio reluctetur, quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod est. Quisquis autem occultæ tentationis motus atque immunditiam cogitationis evicerit, nequaquam sibi suam munditiam tribuat, quia de immundo conceptum semine nullus facere mundum potest, nisi is qui mundus per semetipsum solus est. Qui ergo jam ad locum munditiæ mente pervenit, conceptionis suæ viam respiciat, per quam venit, atque inde colligat, quia ex sua virtute non habet munditiam vivendi, cui de immunditia factum est initium subsistendi.

CAP. CXVI. — *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L, 19).

In Reg. past. part. III (*Cap.* 30, *admon.* 31), sub fin. adjunctum est : *Cor contritum et humiliatum*, etc. — Quisquis enim peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Quisquis vero peccata jam deserit, nec tamen plangit, jam cor quidem humiliat, sed tamen conterere recusat.

CAP. CXVII. — *Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt* (*Psal.* LI, 8).

In expos. beati Job, l. VI (*Num.* 48), adjunctum B est : *Videbunt justi*, etc. — Justus cum iniquos omnes extrema ultione percuti conspicit, ipse de gloria dignæ retributionis hilarescit. Nec damnatis jam tunc ex humanitate compatitur, quia divinæ justitiæ per speciem inhærens, incorrupto districtionis intimæ vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernæ rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit, quia has a miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Bene ergo dicitur : *Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt.* Iniquos enim justi nunc vident et metuunt, tunc visuri sunt et ridebunt. Quia enim modo ad eorum labi imitationem possunt, hic habent formidinem. Quia vero damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Æterno itaque supplicio deditis non esse miserandum, ir ipsa qua beati sunt, justitia judicantis legunt, qui quod suspicari fas non est, qualitatem sibi perceptæ felicitatis imminuunt, si in regno positi volunt quod implere nequaquam possunt. Sed quisC quis ad vitæ præcepta se dirigit, priusquam præmia æterna percipiat, hic jam initia securitatis degustat, ut antiquum hostem non timeat, et intervenientis mortis articulo violentos ejus impetus nullatenus perhorrescat. Justis namque initium retributionis, est ipsa plerumque in obitu securitas mentis.

CAP. CXVIII. — *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* LII, 6).

In expos. beati Job, l. VII (*Num.* 32), adjunctum est : *Illic trepidaverunt timore*, etc. — Sunt plerique qui veritatem jam libere defendere appetunt, sed tamen in ipso suo appetitu trepidi indignationem potestatis humanæ pertimescunt. Cumque in terra hominem contra veritatem pavent, ejusdem veritatis iram cœlitus sustinent. Sunt namque nonnulli, qui peccatorum suorum conscii, ea quæ possident, indigentibus jam largiri desiderant, sed tamen ne datis rebus egeant, ipsi formidant. Cumque carnis subsidia D reservando trepidi præparant, ab alimentis misericordiæ animam necant. Et cum pati in terra inopiam metuunt, æternam sibi abundantiam supernæ refectionis abscidunt. De quibus recte per Psalmistam dicitur : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Quia profecto qui conculcanda in infimis metuunt, metuenda patiuntur, et cum transire nolunt quod calcare poterant, judicium de supernis excipiunt, quod tolerare nequaquam possunt.

CAP. CXIX. — *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV, 8).

In expos. beati Job, l. IV (*Num.* 57, 58), adjunctum est *Ecce elongavi fugiens*, etc. — Fugiens elongat, qui a turba desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se sublevat. Manet vero in solitudine qui perseverat in remota mentis intentione. Omnes enim qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum

tumultibus in corde comprimuntur. Dumque desideriorum turbas extra se excitant, prostratam mentem pede miseræ frequentationis calcant. Alius namque juri se luxuriæ subdit, atque ante mentis oculos schemata turpium perpetrationum fingit, et cum effectus non tribuitur operis, hoc crebrius agitur intentione cogitationis. Voluptatis perfectio quæritur, et concussus enerviter animus hinc inde et sollicitus et cæcatus, occasionem nequissimæ expletionis rimatur. Mens itaque hæc quasi quemdam populum patitur, quæ insolenti cogitationum tumultu vastatur. Alius iræ se dominio stravit, et quid in corde nisi jurgia etiam quæ desunt peragit? Hic [a] sæpe præsentes non videt, absentibus contradicit, intra semetipsum contumelias profert et recipit, receptis autem durius respondet, et cum qui obviet nullus adsit, magnis clamoribus rixas in corde componit. Turbam itaque hic intus sustinet, quem pondus vehemens inflammatæ cogitationis premit. Alius juri se avaritiæ tradit, et fastidiens propria, aliena concupiscit. Hic plerumque concupita adipisci non valens, dies quidem in otium, noctes vero in cogitationem versat. Torpet ab utili opere, quia fatigatur illicita cogitatione. Consilia multiplicat, et sinum mentis cogitationum inventionibus latius expandit, pervenire ad concupita satagit, atque ad obtinenda hæc quosdam secretissimos causarum meatus quærit. Qui mox ut in causa aliquid subtile invenisse se æstimat, jam se obtinuisse quod concupierat exsultat. Jam quid etiam adeptæ rei adjungat, excogitat, atque ut in meliore statu debeat excoli, pertractat. Quam quia jam quasi possidet, et quasi ad meliorem speciem adducit, mox insidias invidentium considerat, et quid contra se jurgii moveatur, pensat, et exquirit quid respondeat. Et cum rem nullam teneat, jam in defensione rei, quam appetit, vacuus litigator elaborat. Quamvis ergo nil de concupita receperit, habet tamen in corde jam fructum concupiscentiæ, et laborem rixæ. Gravi itaque populo premitur, qui instigantis avaritiæ tumultu vastatur. Alius se tyrannidi superbiæ subjicit, et cor miserum dum contra homines erigit, vitio substernit, honorum sublimium insulas appetit, exaltari successibus exquirit, totumque quod esse desiderat, sibi apud semetipsum in cogitationibus depingit. Jam quasi tribunali præsidet, jam sibi parere obsequia subjectorum videt, jam cæteris eminet, jam mala aliis irrogat, aliis, quæ irrogaverit, recompensat. Jam apud semetipsum stipatus cuneis in publicum procedit, jam quibus obsequiis fulciatur, conspicit. Qui tamen hæc cogitans solus [b] repetit: jam alia conculcat, alia sublevat, jam de conculcatis satisfacit odiis, jam de sublevatis recipit favores. Qui igitur tot phantasmata cordi imprimit, quid iste aliud quam somnium vigilans videt? Qui ergo tot rerum causas, quas fingit, tolerat, nimirum intrinsecus natas ex desideriis turbas portat. Alius jam illicita refugit, sed tamen bonis mundi carere pertimescit. Concessa tenere appetit, videri inter homines minor erubescit, et curat summopere ne inops in domo sit, ne despectus in publico; exquirit quid sibi sufficiat, quid necessitas subjectorum petat, atque ut sufficienter jura patronatus subditis expleat, patronos quærit quibus ipse famuletur. Sed his dum familiariter jungitur, eorum proculdubio causis implicatur. Quibus sæpe consentit in illicitis; et mala, quæ pro semetipso non appetit, committit propter aliena, quæ non derelinquit. Nam sæpe dum honorem suum in hoc mundo imminui trepidat, ea apud majores personas approbat, quæ jam per proprium judicium damnat. Is, dum sollicite cogitat quid patronis debeat, quid subjectis; quid sibi augeat, quid affectibus prosit; quasi tanta frequentia turbarum premitur, quanta curarum importunitate laceratur. At contra sancti viri, qui nihil huius mundi appetunt, A nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur. Omnes quippe inordinatos desideriorum nutus a cubili cordis manu sanctæ considerationis ejiciunt. Et quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt, et quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate pertruuntur. Unde nunc recte per Prophetam dicitur: *Elongavi fugiens: et mansi in solitudine.* In solitudine quippe manere, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere: et una intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. Annon cunctos a se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini* (*Psal.* 26)? A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat ad magnam videlicet solitudinem semetipsum, ubi eo tutius nil extraneum conspiceret, quo incompetens nil amaret. A tumultu rerum temporalium magnum quemdam secessum petierat, quietam mentem, in qua tanto B purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret.

CAP. CXX. — *Præcipita, Domine, et divide linguas eorum* (*Psal.* 54, 1).

In expos. beati Job, l. XXXIV (*Num.* 8 et 9), adjunctum est: *Præcipita, Domine, et divide linguas eorum.* — Sicut perniciosum est, si unitas desit bonis: ita perniciosius si non desit malis. Reproborum quippe unitas bonorum vitam tanto durius impetit, quanto se ei per collectionem durior opponit. Hanc unitatem reproborum perniciosam sibi Paulus conspexerat, cum in medio Sadducæorum Phariseorumque deprehensus dicebat: *De spe et resurrectione mortuorum ego judicor.* Qua nimirum voce percussa, protinus contra se vicissim audientium turba dissiluit. Cumque in duas partes tumultuantium multitudo dividitur, Paulo via ereptionis aperitur: quia quem turba persequentium unita constrinxerat, divisa relaxabat. Eripiuntur enim justi, dum dividuntur injusti: et electorum vota ad C perfectum perveniunt, dum reproborum agmina per discordiam confunduntur. Quod bene etiam maris Rubri scissione signatur (*Exod.* XIV). Dum enim in duas partes unda dividitur, ab electo populo ad terram repromissionis tenditur: quia dum malorum unitas scinditur, bonæ mentes ad hoc, quod appetunt, perducuntur. Si malorum unitas noxia non fuisset, nequaquam divina providentia superbientium linguas in tanta diversitate dissipasset. Hanc ergo unitatem reproborum contra electos Propheta considerans, de sanctæ Ecclesiæ hostibus dicit: *Præcipita, Domine, et divide linguas eorum* (*Gen.* XI).

CAP. CXXI. — *Descendant in infernum viventes* (*Psal.* LIV, 16).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 9), adjunctum est: *Descendant*, etc. — Ad majoris culpæ cumulum hostes suos sancta Ecclesia perlibet et scire quod sequi debeant, et sequi nolle quod sciant. De his ergo per Psalmistam dicitur: *Descendunt in infernum viventes.* D Vivi sunt qui sentiunt quæ erga illos fiunt. Mortui enim nec sciunt omnino, nec sentiunt. Mortui itaque qui non sentiunt, pro nescientibus; viventes vero qui sentiunt, pro scientibus poni solent. Viventes ergo in infernum descendere, est scientes sentientesque peccare. Dum enim vivi quæ circa illos aguntur, sciunt et sentiunt; mortui autem sentire nihil possunt; mortui in infernum descenderent, si mala nesciendo perpetrarent: cum vero sciunt mala, et tamen faciunt iniquitates, in infernum viventes miseri, sentientesque descendunt.

CAP. CXXII. — *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* (*Psal.* LIV, 25).

In expos. beati Job, l. V. (*Num.* 70), adjunctum est:

[a] Utic et Gemet. *præsentibus invidet.*
[b] Melius legitur loco Moralium assignato, *solus repit.*

Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.— Dies dimidiare, est tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum ad pœnitentiæ lamenta dividere, atque hoc ad bonum usum partiendo reparare. Sed iniqui dies suos nequaquam dimidiant, quia perversam mentem nec in extremo tempore immutant. Quo contra bene Paulus admonet, dicens : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus.

[a] Cap. CXXIII. — *Ipsi calcaneum meum observabunt* (*Psal.* LV, 7).

In expos. beati Job, l. I. (*Num.* 53), adjunctum est : *Ipsi calcaneum meum observabunt.* — Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc, nisi terminus signatur actionis ? Sive ergo maligni spiritus, sive pravi quique homines illorum sequaces superbiæ, calcaneum observant, cum actionis bonæ finem vitiare desiderant.

Cap. CXXIV. — *Filii hominum dentes eorum, arma, et sagitta : et lingua eorum gladius acutus. Salvum faciet de gladio oris eorum, et de manu violenti, pauperem* (*Psal.* LVI, 5).

In expos. beati Job, VI (*Num.* 35), adjunctum est : *Filii hominum dentes eorum*, etc. — Ipse quippe iste pauper est, de quo per Paulum dicitur : *Propter vos egenus factus est, cum dives esset* (*I Cor.* VIII, 9). Et quia Judæi accusando Dominum tradiderunt, quem traditum Gentiles occiderunt, potest per oris gladium, accusantium Hebræorum lingua signari, de quibus per Psalmistam dicitur : *Filii hominum dentes eorum, arma, et sagitta : et lingua eorum, machæra acuta* (*Marc.* XV). Qui Evangelio etiam teste clamaverunt : *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21). Per illud vero, *violenti manu*, ipsa crucifigens Gentilitas exprimitur, quæ in Redemptoris mortem Hebræorum voces opere implevit. Deus itaque hunc pauperem et de violenti manu, et de oris gladio salvum fecit : quia videlicet Redemptor noster et vires Gentilium, et linguas Hebræorum moriendo ex humanitate pertulit ; sed ex divinitatis suæ potentia resurgendo superavit.

Cap. CXXV. — *Super eos cecidit ignis, et non viderunt solem* (*Psal.* LVII, 9).

In expos. beati Job, l. IX (*Num.* 9), adjunctum est : *Super eos cecidit ignis*, etc. — Ignis super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur ; quia illos, quos gehennæ flamma devorat, a visione veri luminis cæcat ; ut et foris eos dolor combustionis cruciet, et intus pœna cæcitatis obscuret : quatenus qui Auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corpore et corde puniantur ; et utrobique pœnas sentiant, qui dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utroque serviebant.

Cap. CXXVI. — *Lætabitur justus cum viderit vindictam impiorum : manus suas lavabit in sanguine peccatorum* (*Psal.* LVII, 11).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 37), adjunctum est : *Lætabitur justus cum viderit vindictum impiorum*, etc. Plerique dum alienum interitum conspiciunt, revocantur ad cor, ut recogitent suum. Et unde alius ad tormenta ducitur, a tormento inde alius liberatur. Conspicit namque in aliena pœna quid timeat, et dum delinquentem sic percussum aspicit, dissoluta sua opera justitiæ vigore constringit. Sicque fit, ut iniquus vivens qui multos ad culpam traxerat delectatione peccati, quosdam moriens a culpa revocet terrore tormenti. Quod etiam provenire bonis Psalmista testatur dicens : *Lætabitur justus cum viderit vindictam impiorum : manus suas lavabit in sanguine peccatorum.* In peccatorum morientium sanguine justi lavantur manus ; quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur.

[a] Caput hoc cum sequenti omittitur in Mss.

Cap. CXXVII. — *Adjutor meus tibi psallam, quia tu Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea* (*Psal.* LVIII, 8).

In hom. 19 in Evang. (*Num.* 7), adjunctum est : *Adjutor meus tibi psallam*, etc. — Perpendens propheta in quibus laboribus humana sit vita constituta, Deum appellat adjutorem. Et quia a tribulatione præsenti in requiem æternam nos suscipit, appellat etiam susceptorem. Sed considerans quod mala nostra aspicit et portat, culpas nostras tolerat, et tamen nos per pœnitentiam ad præmia reservat, noluit Deum misericordem dicere, sed hunc ipsam misericordiam vocavit, dicens : *Deus meus, misericordia mea.* Revocemus ergo ante oculos nostros mala quæ fecimus ; pensemus ex quanta Dei benignitate toleramur ; consideremus quæ sunt pietatis ejus viscera, ut non solum culpas indulgeat, sed cœleste regnum pœnitentibus etiam post culpam promittat. Atque ex omnibus medullis cordis dicamus singuli, dicamus omnes : *Deus meus, misericordia mea.*

[b] Cap. CXXVIII. — *Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est* (*Psal.* LIX, 4).

In hom. 10 in Ezech. (*Num.* 28), adjunctum est : *Commovisti terram*, etc. — Terra quippe commota et turbata, est peccator de cognitione reatus sui anxius, et ad pœnitentiæ lamenta perductus. Peccanti enim homini dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Exoret ergo ut sanetur contritio terræ, quia mota est, quatenus peccator, qui de culpis suis affligitur, de cœlestis misericordiæ gaudio consoletur.

Cap. CXXIX. — *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* LIX, 5).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 54), adjunctum est : *Ostendisti populo tuo dura*, etc. — Quid hoc loco per arcum, nisi dies extremi judicii designatur ? In arcu enim quanto longius trahitur chorda, tanto de eo districtior exit sagitta. Sic nimirum, sic extremi judicii dies quanto longius differtur ut veniat, tanto cum venerit, de illo districtior sententia procedit. Idcirco autem diversis nunc cladibus percutimur, ut hic correcti, paratiores tunc inveniri valeamus. Unde illic præmissum est : *Ostendisti populo tuo dura.* Flagella videlicet seculi quæ secuturum gravius judicii diem præcurrunt. *Potasti nos vino compunctionis*, ut terrena gaudia in lacrymas verterentur. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Ac si diceret : Hoc tempus misericordiæ est, illud tempus judicii erit. Per ista ergo hujus temporis flagella significas, quomodo tunc percussurus es, quando non parcens judicas, qui sic districte modo percutis, quando parcis.

Cap. CXXX. — *In Idumæam extendam calceamentum meum* (*Psal.* LIX, 10).

In hom. 7 in Evang. (*Num.* 3), adjunctum est : *In Idumæam extendam calceamentum meum.* — Quid per Idumæam, nisi Gentilitas ? et quid per calceamentum, nisi assumpta mortalitas designatur ? In Idumæam ergo Dominus calceamentum se extendere asserit, quia dum per carnem Gentibus innotuit, quasi calceata ad nos divinitas venit. Quis ergo nesciat quod calceamenta ex mortuis animalibus fiunt ? In carne ergo Dominus veniens quasi calceatus apparuit, qui in divinate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit.

Cap. CXXXI. — *Melior est misericordia tua super vitam* (*Psal.* LXII, 40).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 51), adjunctum est : *Melior est misercordia tua super vitam.*—Ad abluendam culpam quælibet humanæ actionis virtus infirma est, nisi hanc misericordia parcentis foveat, et non justitia recte judicantis premat. Unde per Psalmistam

[b] In Mss. non exstat.

dicitur : *Melior est misericordia tua super vitam :* quia quamlibet quis videatur innocens, apud districtum judicem nostra nos vita non liberat, si eis reatus sui debitum misericordiæ benignitas non relaxat. A

CAP. CXXXII. — *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII, 6).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 25), adjunctum est : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* — Adeps pinguedine animam replet, cum hanc contra præsentium desideriorium æstum supernæ spei infusio refovet.

[a] CAP. CXXXIII. — *Rivos ejus inebrians, multiplica generationes ejus, in stillicidiis suis lætabitur, cum exorietur* (*Psal.* LXIV, 11).

Libro I in Ezech., hom. 10 (*Num.* 4), adjunctum est : *Rivos ejus inebrians*, etc. — Rivi quippe Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, qui terram nostri cordis infundunt. Sed cum inebriantur rivi, generationes Ecclesiæ multiplicantur; quia cum uberiorem gratiam spiritus prædicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Quæ sancta Ecclesia in suis stillicidiis lætatur. In stillicidio etenim aqua de tecto in terram cadit, quæ de cœlo ceciderat in tectum. Tectum vero Ecclesiæ sanctæ, sancti prædicatores sunt, qui nos intercedendo et admonitionibus muniendo protegunt. Sed quia illorum cor divinitus in prædicatione infunditur, quasi aqua de cœlo venit in tectum. Quia vero nos eorum verbis irrigamur, quasi aqua de tecto defluit in terram. Sancta itaque Ecclesia dum exoritur, in stillicidiis suis lætatur; quia cum in fide et bonis operibus nascitur, ea quæ accepit, dona considerat, et in verbis prædicantium exsultat. Auditoribus porro ad meliora surgentibus, eorum quoque prædicatoribus gratia multiplicatur. B

CAP. CXXXIV. — *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* (*Psal.* LXIV, 12).

In expos. beati Job, l. IV (*Num.* 37), adjunctum est : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* — Quasi corona anni benedicitur, cum finito laboris tempore virtutum remuneratio confertur. C

CAP. CXXXV. — *Et convalles abundabunt frumento* (*Psal.* LXIV, 14).

In expos. Evang. hom. 10 (*Num.* 3), adjunctum est : *Et convalles abundabunt frumento.* — A montibus namque aquæ dilabuntur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in convallibus surgunt, quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Jam videmus, jam convalles frumento abundare conspicimus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, qui mites ac simplices huic mundo despicabiles esse videbantur.

CAP. CXXXVI. — *Venite, et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV, 5)!

In expos. Evang. hom. 4 (*Num.* 1), adjunctum est : *Venite, et videte opera Domini*, etc. — Sciendum valde est, ut in omne quod agimus, omnipotentis Domini super nos consilia occulta timeamus, ne dum mens nostra exterius fusa, a sua se voluptate non revocat, intus contra eam judex terribiliter adversa disponat. Quod bene Psalmista intuens ait : *Venite, et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum!* Vidit namque quod alius misericorditer vocatur, alius justitia exigente repellitur. Et quia alia parcendo, alia Dominus irascendo disponit, expavit quod penetrare non potuit, et quem non solum investigabilem, sed etiam in quibusdam sententiis suis inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memoravit. D

CAP. CXXXVII. — *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ* (*Psal.* LXVI, 8).

In expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 70), adjunctum est : *Benedicat nos Deus*, etc. — David ut auctorem omnium Deum, Trinitatem ostenderet, dixit : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Ac ne tertio Deum nominans, tres deos dixisse putaretur, i lico unitatem ejusdem Trinitatis insinuans addidit : *Et metuant eum omnes fines terræ.* Qui enim non eos, sed eum subdidit, unum tria, quæ dixerat, intimavit. Unde Isaias cum laudem de unitate Trinitatis aperiret, Seraphim voce exprimens, ait : *Sanctus, Sanctus, Sanctus* (*Isai.* VI, 8). Ac ne tertio sanctum nominans, unitatem divinæ substantiæ scindere videretur, adjunxit : *Dominus Deus Sabaoth.* Qui ergo non Domini dii, sed Dominus Deus addidit, unum existere, quod tertio sanctum vocaverat, indicavit. Hinc est quod Paulus ut operationem sanctæ Trinitatis ostenderet, ait : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36); atque ut unitatem ejusdem Trinitas intimaret, protinus addidit : *Ipsi gloria, in sæcula sæculorum* Qui igitur non ipsis, sed ipsi subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit, quod superius tertio idipsum dixit.

CAP. CXXXVIII. — *Iter facite ei, qui ascendit super occasum* (*Psal.* LXVII, 5).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 6), adjunctum est : *Iter facite ei*, etc. — Super occasum namque Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit, qui mortem, quam pertulit resurgendo calcavit. Ait ergo : *Qui ascendit super occasum, iter facite ei*, id est resurgenti Domino in vestris cordibus per fidem præbete viam. Ei itaque qui ascendit super occasum, iter facimus, cum ejus gloriam fidelibus mentibus prædicamus, ut eas et ipse post veniens, per amori sui præsentiam illustret. Hinc Joanni per spiritum dicitur : *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus* (*Luc.* I, 70). Quisquis etenim prædicando a sordibus vitiorum corda audientium mundat, venienti sapientiæ viam præparat.

CAP. CXXXIX. — *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in specie auri* (*Psal.* LXVII, 14).

In expos. [b] Ezechiel. homil. adjunctum est : *Si dormiatis inter medios cleros*, etc. — Cleros Latina lingua sortes dicimus. Dormire autem nostrum, est a prava actione quiescere. Et quia electi quique a perversorum operum se inquietudinibus compescunt, terrena deserunt, cœlestia concupiscunt, nimirum inter medios cleros dormiunt, quoniam fugiendo temporalia, et æterna præmia desiderando, a perversis actibus quiescunt. Mente quippe ad summa evolant, unde et pennæ vocati sunt. Quæ bene pennæ columbæ deargentatæ esse memorantur. Columba vero deargentata, sancta Ecclesia est, quæ aperte prædicationis luce resplendet. Sed hæc columba in pennis quidem deargentata est, sed posteriora dorsi ejus in auri specie refulgent; quia sancta Ecclesia, quæ modo per prædicantium linguas clara est, in illa remuneratione, quæ sequitur, non jam argenti sed auri fulgore decoratur. Ad illa quippe invisibilia bona perveniens, ad illa cœlestia dona pertingens, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, jam prædicationis eloquio non indigebit, sed sola auri specie in posterioribus pulchra est, quia in eo, quod post accipiet, solo resplendet fulgore claritatis.

CAP. CXL. — *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Psal.* LXVII, 10).

In expos. Evang. hom. 29 (*Num.* 10), adjunctum est : *Ascendens in altum*, etc. — Quid his prophetæ verbis, nisi ascensio Dominica declaratur? *Ascendens*

[a] Caput hoc cum duobus sequentibus abest a Mss.
[b] Quæ sit hæc hom. non assignatur in Mss. Pars tamen ultima hujus sacri contextus expon. in hom. 3, l. II, num. 14.

quippe in altum, captivam duxit captivitatem, quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit. *Dedit* vero *dona hominibus*, quia misso desuper spiritu, alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii gratiam virtutum, alii gratiam curationum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit. Dedit ergo dona hominibus, dum per hujus spiritus gratiam eorum in mundo virtus excrevit.

CAP. CXLII. — *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* (*Psal.* LXVII, 24).

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 15), adjunctum est : *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*. — Quid hoc loco canum nomine, nisi sancti Doctores vocantur? qui fidelium in sancta Ecclesia custodes steterunt, qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigiliis intenti clamaverunt, magnos, ut ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. Nonnulli quippe ab idolorum cultibus revocati, facti sunt prædicatores Dei. Lingua ergo canum Ecclesiæ ex inimicis prodit : quia conversos Gentiles Dominus etiam prædicatores facit. Unde Judæorum tarditas, qui pro Domino loqui noluerunt, increpante prophèta reprehenditur, qui ait : *Canes muti non valentes latrare* (*Isa.* LVI, 10). [*Hom.* 40, *in Ev.*, *n.* 2.] Nonnunquam solent in sacro eloquio per canes prædicatores intelligi. Canum etenim lingua, vulnus dum lingit, curat, quia et doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt. Et quia nos loquendo a peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad salutem reducunt. Quia enim canum nomine, prædicatorum lingua signatur, a Domino per Psalmistam dicitur *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*. Ex Judæis quippe infidelibus sancti prædicatores electi sunt, qui in assertione veritatis contra fures latronesque venientes, magnos pro Domino, ut ita dicam, latratus dederunt. Quo contra de quorumdam reprobatione dicitur : *Canes muti non valentes latrare*.

CAP. CXLIII. — *Vidi sunt gressus tui, Deus; ingressus Dei mei regis, qui est in sancto* (*Psal.* LXVII, 25).

In expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 41), adjunctum est : *Visi sunt gressus tui, Deus*, etc. — Quasi quidam namque gressus Dei sunt ipsæ, quas cernimus, operationes ejus ; quibus bonus quisque malusque regitur ; quibus justi injustique suis ordinibus disponuntur ; quibus et subjectus quisque ad meliora quotidie ducitur, et adversus ad deteriora corruens toleratur. De quibus nimirum propheta gressibus dicebat : *Visi sunt gressus tui, Deus*. Nos itaque cum virtutem longanimitatis atque pietatis ejus intuemur, et intuentes imitari contendimus, quid aliud quam gressum ejus vestigia sequimur, quia extrema quædam operationis imitamur? *Visi sunt gressus tui, Deus ; ingressus Dei mei regis, qui est in Sancto*. Qui inordinatos motus animi, divinorum judiciorum memoria, in se reprimi conspicit, quasi deambulantis in se gressus Domini vidit.

CAP. CXLIII. — *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Psal.* LXVII, 32).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 84), adjunctum est : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*. — David Propheta, videns quod ad Judæam redimendam veniret Dominus, sed ante gentilitas crederet, postmodum Judæa sequeretur, sicut scriptum est : *Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret*, dicit : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Rom.* XI, 25), id est priusquam Judæa credat, salvandam se offert omnipotenti Domino peccatis nigra gentilitas. Agamus itaque gratias unico summi Patris, nos qui ex gentilitate collecti, atque ejus lumine perfusi, Judæam quoque ipsam præcessimus ad fidem, ut impleretur quod scriptum est : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*. Nigri ergo perfidiæ meritis fuimus, sed per fidei meritum suscipientes candorem gratiæ, ipsam etiam Synagogam, per cujus sobolem vocati sumus ad gratiam Dei, prævenimus.

CAP. CXLIV. — *Laboravi sustinens* (*Psal.* LXVIII, 4).

Hom. 8 in Ezech., adjunctum est : *Laboravi sustinens*. — [b] Hoc ex persona Redemptoris nostri Propheta de perverse adhuc viventibus dicit : *Laboravi* [Ubi legimus, *clamans*] *sustinens*. Non enim sustinendo Dominus laborat, cujus divinitatis potentiam, nulla fatigatio contingit, sed verbis humanitatis loquens, ipsam suam circa nos patientiam laborem vocat.

CAP. CXLV. — *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum* (*Psal.* LXVIII, 16).

In expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 65, 66), adjunctum est : *Non me demergat tempestas aquæ*, etc. — Omnis qui jam viam vitæ deserens, in peccatorum se tenebras dejicit, semetipsum quasi in puteum vel in foveam mergit. Si vero diuturna perpetratione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora jam possit exsurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Hinc ergo David sub specie peccantium orat dicens : *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum*. Quem enim mali operis iniquitas a bona stabilitate commovit, quasi tempestas aquæ rapuit. Sed si adhuc longa consuetudine non prævaluit, non demersit. Jam in puteum cecidit, qui hoc quod divina Lex prohibet, perpetravit. Sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustavit. Tanto ergo facilius egreditur, quanto minori consuetudine coarctatur. Quædam namque quasi conclusi oris angustia est, ab opprimente mala consuetudine exsurgere velle, nec posse. Jam quidem desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis remanere, præire corde, nec tamen sequi opere, atque in semetipso [c] contradictorem perpeti semetipsum. Cum vero ita tendens anima manu gratiæ exaltantis adjuvatur, ab angusto ore ad latitudinem pervenit : quia, victis difficultatibus, opera bona perficit, quæ concupiscit. David propheta conclusionem angusti oris aspexerat, cum dicebat : *Salvam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manibus inimici* (*Psal.* XXX, 9). Latissime autem salvatum se noverat, cum subderet, dicens : *Statuisti in loco spatioso pedes meos*. In spatioso quippe loco pedes stabiliti sunt, quando et ad congruentia bona tendimus, et nulla difficultate præpedimur. Quasi enim per latum locum, quo volumus, pergimus, quia nullis objectis difficultatibus angustamur.

CAP. CXLVI. — *Propter inimicos meos eripe me* (*Psal.* LXVIII, 19).

In expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 32), adjunctum est : *Propter inimicos meos eripe me*. — Plerumque accidit, ut justi in tribulatione deprehensi, supernum solatium etiam temporaliter percipiant, quod tamen non temporaliter implorant. Salvari enim non propter se, sed pro adversariorum salute concupiscunt ; ut dum illos omnipotens Deus ab immensis periculis facto quodam miraculo liberat, virtutem suam ipsis etiam persecutoribus innotescat, atque inde adversarios ad æternitatem redimat, unde suos temporaliter salvat. Hinc est quod Psalmista voces martyrum suscipiens, ait : *Propter inimicos meos eripe me*. Ac si diceret : Propter me quidem eripi de temporalibus tribulationibus non appeto, sed tamen eripi propter adversarios concupisco, ut dum mea vita salvari mi-

[a] Reliqua capitis in Mss. desiderantur.

[b] In Mich. assignatur hom. 8 in Ezech. ubi tamen hæc desiderantur.

[c] Sic legitur in omnibus nostris Mss. licet in Moralibus, pro, *contradictorem*, sit *contradictionem*, consentientibus omnibus codicibus.

rabiliter cernitur, ipso miraculorum visu inimicorum duritia convertatur. Sicut ergo sæpe Dominus suorum vitam temporaliter pro inimicorum conversione eripit, ita sæpe suorum voces, propter damnationem persequentium, non exaudit; ut videlicet inde reatum suum cumulent, unde prævaluisse se nequiter gaudent. Nam qui invisibilia despiciunt, moveri nonnunquam visibilibus miraculis possunt. Sed idcirco cum justis plerumque nihil mirum visibiliter agitur; quia eorum adversarii illuminari visibiliter non merentur.

• Cap. CXLVII. — *Consolantem me quæsivi, et non inveni* (*Psal.* LXVIII, 21).

In expos. beati Job, l. XVII (*Num.* 5), adjunctum est : *Consolantem me quæsivi, et non inveni.* — Tunc solum quippe sancta Ecclesia consolantem invenit, cum ex ea morte, quam vir ejus pertulit, multos intra semetipsam surgere ad vitam cernit.

Cap. CXLVIII. — *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 24).

In Reg. past. part. I (*Cap.* 1), adjunctum est : *Obscurentur oculi eorum ne videant*, etc. — Hoc a propheta de reprobis prænuntiandi studio, non autem maledicentis dicitur voto. Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium suscipiunt. Quibus hi nimirum, qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur : quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profecto ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Ait ergo : *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva*, ac si dicat : Qui humanæ vitæ actionibus, quasi prævidendis itineribus præsunt, veritatis lucem non habeant, ut et qui sequuntur, subditi iniquitatum suarum oneribus incurvati, omnem statum rectitudinis amittant (*Moral. l.* XXIV, *n.* 40). Quod factum procul dubio in Judæa novimus, cum in ipso nostri Redemptoris adventu Pharisæorum turba atque sacerdotum a vero lumine mentis oculos clausit, et per præpositorum exempla gradiens, in infidelitatis tenebris populus erravit.

b Cap. CXLIX. — *Confundantur statim erubescentes, qui dicunt mihi : Euge, euge* (*Psal.* LIX, 4).

In expos. Ezech. l. I hom. II (*Num.* 14), adjunctum est : *Confundantur statim erubescentes*, etc. — Adulatio etenim si vel ad tempus patienter suscipitur, augetur, et paulisper demulcet animum, ut a rigore suæ rectitudinis emolleseat in delectatione sermonis; sed ne crescere debeat, statim est sine mora ferienda.

Cap. CL. — *Inimici ejus terram lingent* (*Psal.* LXXI, 9).

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 26, 27), adjunctum est : *Inimici ejus terram lingent.* — Libet intueri hoc quod per Psalmistam dictum est : *Inimici ejus terram lingent.* Duo quippe sunt genera hominum ambitioni suæ servientium; unum videlicet, quod semper ad avaritiam blandimentis utitur linguæ : aliud vero, quod aperta vi intendit rapinæ. Nam rodimus, cum aliquid exterius forti adnisu atterimus; lambitur enim, quando hoc quod edi facile non potest, impressa linguæ lenitate gustatur. Omnes igitur etiam sub specie fidei prave viventes, qui aliena appetunt, sed ea, quæ appetunt, rapere nequaquam possunt; blandis autem sermonibus, et quasi mollitia dulcedinis concupita abstrahere conantur, qui aliud quam terram lingunt? quia terrena quæque, quæ virtute nequeunt auferre, mollitie linguæ molliuntur. Qui vero in hoc mundo aliqua potestate sufflulti sunt, et concupiscentes aliena, blandiri quidem ex fraude despiciunt; quia etiam injuste robore possunt implere quod volunt; hi hoc quod appetunt, non lambunt, sed rodunt, quoniam propinquorum vitam fortitudine virium velut adnisu dentium demoliuntur.

Cap. CLI. — *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII, 2).

In expos. beati Job, l. VI (*Num.* 7, 8), adjunctum est : *Mei autem pene moti sunt pedes*, etc. — Cum malos florere infirmi conspiciunt, trepidant, et apud semetipsos peccantium prosperitate turbati, intus in gressibus mentis nutant. Horum ergo speciem sumpsit Psalmista, cum diceret : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns.* Cum vero eorum gloriam fortes aspiciunt, protinus quæ post gloriam pœna sequatur attendunt, et c alta intus cogitatione despiciunt hoc quod superbi foris fastu vacuæ inflationis intumescunt. Unde et de hoc perfectorum despectu per beatum Job dicitur : *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Pulchritudini quippe stulti maledicere, est ejus gloriam ex considerata damnatione judicare, quia eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis elevatur, quia transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in perventione damnabitur, et quasi per amœna prata ad carcerem pervenit, qui per vitæ præsentis prospera ad interitum tendit.

Cap. CLII. — *Dejecisti eos, dum allevarentur* (*Psal.* LXXII, 12).

In Reg. past. part. III (*Cap.* 25, *adm.* 27), adjunctum est : *Dejecisti eos, dum allevarentur.* — Reprobi cum recta opera d divinis muneribus non rependunt, cum totos se hic deserunt, et affluentibus prosperitatibus dimittunt, unde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt. Hinc est quod in inferno cruciato diviti dicitur : *Recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI, 25). Idcirco enim bona hic recipit malus, ut illic plenius mala reciperet; quia hic fuerat nec per bona conversus. Non ergo ait : Dejecisti eos postquam elevati sunt, sed cum allevarentur; quia hoc ipsum fit superbis interius dejici, quod eis falsa contingit gloria exterius elevari. Ordinante etenim divino judicio, non eis hic aliud culpa est atque aliud pœna, sed sua illis in pœnam vertitur culpa, ut elatis fastu superbiæ hoc ipsum sit vere intus cadere, quod foris ostenditur profecisse.

Cap. CLIII. — *Tu dirupisti fontes, et torrentes : tu siccasti fluvios Ethan* (*Psal.* LXXIII, 15).

In expos. beati Job, l. XXXII (*Num.* 20), adjunctum est : *Tu dirupisti fontes*, etc. — Ethan interpretatur fortis. Et quis est hic fortis, nisi de quo per Evangelium Veritas dicit : *Nemo potest vasa fortis ingressus domum diripere, nisi prius alliget fortem* (*Marc.* III, 27)? Fontes itaque et torrentes Dominus dirupit, dum in Apostolorum suorum cordibus fluenta veritatis operuit. De quibus rursum per Prophetam alium dicitur : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*Isa.* XII, 3). Ad eorum quippe doctrinam silientes pergimus, ut veritate plenas cordium nostrorum lagunculas reportemus. Sed emanantibus suis fontibus Ethan fluvios exsiccavit, dum doctrinam fortis et maligni spiritus ostenso radio suæ veritatis arefecit.

Cap. CLIV. — *Dixi iniquis : Nolite iniquè agere : et delinquentibus : Nolite exaltare cornu* (*Psal.* LXXIV, 5).

In Reg. past. part. II (*Cap.* 30, *admon.* 31), adjunctum est : *Dixi iniquis*, etc. — Cornu delinquentes exaltant, si nequaquam se ad pœnitentiam ex cogni-

[a] Abest a Mss.
[b] Non legitur in Mss.
[c] Utic. *alta mentis.*
[d] Gemet., *divinis operibus.*

tione suæ iniquitatis humiliant. Hinc rursum dicitur: *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L, 19). Quisquis enim peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Quisquis vero peccata jam deserit, nec tamen plangit, jam quidem humiliat, sed tamen conterere cor recusat.

CAP. CLV. — *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXV, 5).

In expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 16), adjunctum est : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* — Qui orientem contemplari non valet, irradiatos montes aspicit, et quia sol ortus sit deprehendit. Ex æternis montibus nos Deus illuminat; quia per admiratam vitam patrum præcedentium, radio nos suæ claritatis illustrat. Ecce in studio devotionis Dominicæ et charitatis accenditur, sed in hac devotione atque charitate melius horum montium contemplatione formamur. Quid enim devotius Petro? Quid carius Joanne? Ille per devotionem fluida maris dorsa calcare non timuit (*Matth.* XIV, 29) : iste per amorem in ipso auctoris nostri pectore requievit (*Joan.* XIII, 21) : et qui ad corporalis cœnæ refectionem venerat, spirituale pabulum de sinu Redemptoris sumpsit. Sed quia signari per montes præcedentium patrum vitam diximus, necesse est ut adhuc ad medium etiam superiorum patrum exempla deducamus. Ecce cum præceptis cælestibus subdi per obedientiam cupimus, consideratis antiquorum patrum vestigiis juvamur. Quid enim Abraham obedientius, qui ad unam vocem Dominicam cognatos et patriam deserit (*Gen.* XII), et pro adipiscenda æterna hereditate ipsum ferire non trepidat, quem senex jam et pene moriturus acceperat heredem? Cum patientiæ apprehendere virtutem conamur, præcedentium exempla conspicimus. Quid enim Isaac patientius, qui ligna portat, de holocausto rogat, atque post paululum ligatur, et non loquitur (*Gen.* XXII) : aræ superponitur, et non reluctatur? Quid ergo isto viro dici patientius potest? Qui quasi ad solatium ducitur, et requirit : ad feriendum ligatur, et conticescit : et oblaturus holocaustum interrogat, offerendus in holocaustum tacet. Cum accingi ad laborum tolerantiam nitimur, exemplis præcedentium informamur. Quid enim Jacob laboriosius, qui apud Laban tam longo tempore propinquus jure cognationis opera exercuit servitutis (*Gen.* XXXIX), et vice obsecutus est famuli, ut perfrueretur præmiis heredis? Cum arcem continentiæ et castitatis ascendere nitimur, exemplis præcedentium sublevamur. Quid enim Joseph castius, qui ad desiderium petulantis dominæ, jugo luxuriæ premi non potuit, etiam captivus (*Gen.* XXXIX)? Et quidem hominibus servus exstitit, sed contra dominantem nequitiam, et in servitio liber fuit. Cum mansuetudine repleri concupiscimus, præcedentium exemplis adjuvamur. Quid enim Moyse mansuetius, qui commissi sibi populi seditionem tolerat, et tamen irascentem Dominum pro suis persecutoribus rogat, seque pro illis divino furori objicit; quia in sancto ejus pectore etiam ex persecutione charitas ignescit? Cum contra adversa mundi firmare mentis constantiam nitimur, præcedentium consideratione fulcimur. Quid enim Josue constantius (*Num.* 13, 14), qui ad explorandam qualitatem gentium missus, nec proceritatis magnitudinem, nec numerositatis multitudinem expavit? Unde et easdem Gentes, quas explorando non timuit, etiam præliando prostravit. Cum benignitatis culmen apprehendere conamur, præcedentium exemplis instruimur. Quid enim Samuele benignius, qui de principatu regendi populi dejectus (*I Reg.* X, 12), successorem sibi humiliter requirit, inventumque ungit in regem : unctum mox tolerat persecutorem? A quo ne moriatur, trepidat : et tamen ne ei Dominus irascatur, rogat. Ipse quippe cum mitteretur, ait : *Audiet Saul, et interficiet me* (*I Reg.* XVI, 2). Et ei per semetipsam Veritas dicit : *Usquequo tu luges Saulem, cum ego abjecerim eum* (*Ibid.*, 1)? Quid ergo isto viro dici benegnius potest, qui et hunc non vult divinitus percuti, a quo formidat occidi? Cum ad pietatis atque humilitatis celsitudinem tendimus, præcedentium exemplis levamur (*I Reg.* XVII, 18, 19). Quid enim David misericordius, quid humilius dici potest, qui a rege reprobo pro victoriis contumelias recipit, qui de manu hostili Israeliticam Gentem fortis eripuit, et tamen ne ipse moriatur, quasi debilis fugit? Qui et se electum divino judicio, et persecutorem suum reprobum agnoscit, et tamen eidem persecutori suo crebræ satisfactionis humilitate se subjicit. Qui persecutoris lanceam tollit, oram chlamydis detruncat, atque ad cacumen montis protinus properat, et uno eodemque tempore, quia occidendi potestatem habuerat, ostentat, et ne occidatur, rogat (*Ex num.* 15). Hinc est quod de prædicatoribus per Prophetam dicitur : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant* (*Isa.* LX, 8) (*Num.* 17)? In cunctis ergo quæ spiritualiter appetimus, exemplis præcedentibus informamur. More enim nubium extensa super nos patrum vita tegimur, ut ad fructum fecundi germinis infundamur; et quasi intuentes cœlum, prius nubes aspicimus, quia ante bonorum facta admirando cernimus : et post, illa quæ sunt cœlestia, experiendo penetramus.

CAP. CLVI. — *Turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus sui* (*Psal.* LXXV, 6).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 28, 29), adjunctum est : *Turbati sunt omnes insipientes corde*, etc. — Ut in sua manu divites post mortem quidquam inveniant, eis ante mortem dicitur, divitias suas in quorum manibus ponant *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XV, 9). Dives ergo cum dormierit, nihil in manibus suis inveniet (*Job.* XXVII, 19). Res ergo suas, cum moreretur, secum tolleret, si ad petentis vocem, cum viveret, sibi tulisset. Nam terrena omnia, quæ servando amittimus, largiendo servamus, patrimoniumque nostrum retentum perditur, manet erogatum. Diu enim cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viventes quasi deserunt pereundo. Agendum ergo nobis est, ut res absolute perituras in non pereuntem cogamus transire mercedem. Dormit namque dives, et nihil invenit : nihil nimirum de rebus, quas tenuit. Nam culpa rerum simul ducitur, quamvis hic omnia, pro quibus culpa perpetrata est, relinquantur. Eat ergo nunc, et acceptis rebus tumeat, seseque super cæteros extollat : glorietur se habere quod proximus non habet. Veniet quandoque tempus ut evigilet, et tunc cognoscat, quam vacuum fuerit, quod in somno tenuerat. Sæpe namque contigit dormienti inopi, ut se per somnium divitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat : lætetur se habere quod non habuit, jamque dedignari quærat, a quibus dedignatum esse se doluit. Sed repente evigilans evigilasse se dolet, qui interim divitiarum imaginem vel dormiens tenebat. Gemit enim protinus sub paupertatis pondere, et inopiæ suæ angustiis premitur, et eo pejus quo ad tempus brevissimum, vel vacue dives fuit. Sic, sic nimirum hujus mundi sunt divites, qui rebus acceptis tument. Bene operari de sua abundantia nesciunt. Quasi dormientes sunt divites, sed paupertatem suam evigilantes eveniunt; quia nihil secum ad illud judicium, quod permanet, ferunt : et quanto nunc ad breve tempus sublimius elati sunt, tanto contra se in perpetuum gravius ingemiscunt. [a] Qui, teste Sapientia, damnationis suæ tempore dicturi referuntur : *Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis?*

[a] In Uticensi multa alia hic intexta leguntur quæ ex loco Moralium assignato sunt excerpta.

Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens (*Sap.* v, 8). Vilia ergo et fugitiva fuisse, quæ tenuerant, jam amissa cognoscunt. Quæ quandiu aderant, stultis eorum cordibus et magna et mansura videbantur. Sero dives aperuit oculos, quando Lazarum requiescentem vidit, quem jacentem ante januam videre contempsit (*Luc.* xvi, 23). Intellexit ibi quod hic facere noluit, et in damnatione sua cognoscere compulsus est, quid fuit quod perdidit, quando indigentem proximum non agnovit. Cum enim corpus obdormiscit in morte, tunc anima evigilat in vera cognitione, et cum carne moritur, ejus anima videre cogitur, quod providere contempsit. Tunc esse conspicit quod timebat, tunc se vacuam invenit, quæ plena rebus præ cæteris hominibus se esse lætabatur.

[a] Cap. CLVII. — *Dormitaverunt qui ascenderunt equos* (*Psal.* lxxv, 7).

In expos. beati Job, l. xxxi (*Num.* 43), adjunctum est : *Dormitaverunt qui ascenderunt equos.* — Equi nomine, dignitas temporalis accipitur, Propheta attestante, qui ait : *Dormitaverunt qui ascenderunt equos* : id est, morte animæ mentis oculos a veritatis luce clauserunt, qui in præsentis vitæ honore confisi sunt.

Cap. CLVIII. — *Eripe me de luto, ut non inhæream* (*Psal.* lxviii, 15).

In expos. beati Job, l. xxiv (*Num.* 27, *in fine*), adjunctum est : *Eripe me de luto*, etc. — Luto inhærere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari.

Cap. CLIX. — *Negavi consolari animam meam, memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* lxxvi, 3).

Cum [b] de perfectorum intra sanctam Ecclesiam desideriis tractaretur in expos. beati Job, l. xviii (*Num.* 66), adjunctum est : *Negavi consolari animam meam*, etc. — Sancti viri ad animum suum ex præsenti vita nullius gratiæ consolationem admittunt. Nam plerumque hujus sæculi divites, solent mentis tædio affecti, bona temporaliter accepta conspicere, et tristitiam delinire. Cum enim mœrore quodam tangi se sentiunt, equos aspiciunt, auri argentique sui vascula contemplantur, prædia circumeunt. Cumque per hæc temporalia oculos libenter trahunt, obortum animæ mœrorem vincunt. Unde eis et in Evangelio Veritas dicit : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram* (*Luc.* vi, 24). Sed sanctus vir, qui hoc luget, quia ab æternis gaudiis cecidit, consolationem de temporalibus non admittit, dicens : *Negavi consolari animam meam.* Ac si aperte dicat : Qui de temporalium amissione non lugeo, de temporalium abundantia consolari nequaquam possum. Cui tanquam si nos audientes ista, diceremus : Quid igitur quæris, qui consolari in his, quæ mundi sunt, renuis? Illico adjecit : *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Ac si aperte dicat : Terrenarum rerum me nec abundantia refovet, auctoris autem mei, quem adhuc videre non valeo, vel sola memoria delectat.

Cap. CLX. — *Exercitatus sum et defecit paulisper spiritus meus* (*Psal.* lxxvi, 4).

Dum de incrementis profectuum tractaretur in expos. beati Job, l. xx (*Num.* 46), adjunctum est : *Exercitatus sum*, etc. — Quid est quod ait : *Spiritus meus*, nisi spiritus hominis, videlicet spiritus elationis? Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus, quanto in nobis de Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit. Qui spiritus erroris, quia non a nobis subito penitus amputatur, bene paulisper defecisse perhibetur. Tunc vero in Deo plene proficimus; cum a nobis ipsis funditus defecerimus.

[c] Cap CLXI. — *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt* (*Psal.* xxvi 19).

In expos. beati Job, l. xxix (*Num.* 47), adjunctum est : *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt.* — De imbre namque sanctæ prædicationis alias dicitur : *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* v, 6). De cursu vero imbris, qui in electorum cordibus agitur, Psalmista testatur dicens : *Velociter currit sermo ejus* (*Psal.* cxlvii, 15). Plerumque vero imber est, et cursum non habet : quia prædicatio ad aures venit, sed cessante interna gratia, ad corda audientium non pertransit. De cujus prædicationis verbis, propter electos dicitur : *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt.* Sagittæ quippe Dei pertranseunt, quando verba prædicationis ejus ab auribus ad corda descendunt. Quod quia solo divino munere agitur, imbri cursum Dominus se dedisse testatur.

Cap. CLXII. — *Attendite, populus meus, legem meam* (*Psal.* lxxvii, 1).

Dum de servando modo sacri eloquii tractaretur in præfat. Moral. (*Cap.* 1, *n.* 3), adjunctum est : *Attendite, populus meus, legem meam.* — Non lex David, aut populus David, sed personam ejus, ex quo loquebatur, assumens, ipsius auctoritate loquitur, cujus inspiratione replebatur. Hoc quotidie fieri in Ecclesia cernimus, si vigilanter intueamur. Nam stans in medio populi lector clamat : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* iii, 6) : et quod ipse Deus sit, vere profecto non dicit nec tamen per hoc, quod dicit, veritatis regulam deserit; quia cui ministerium lectionis exibet, ejus dominium voce prætendit. Itaque scriptores sacri eloquii, quia repleti sancto Spiritu super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt, et sic de se sententias quasi de aliis proferunt.

Cap. CLXIII. — *Filii Ephrem intendentes arcum et mittentes sagittas suas, conversi sunt in die belli* (*Psal.* lxxvii, 9).

Dum de pusillanimitate prædicantium tractaretur in Ezech. hom. 9, adjunctum est : *Filii Ephrem intendentes arcum*, etc. — [d] Plerumque nos, qui doctores videmur, dum prædicamus, audientes instruimus, et loquendo armamus alios, sed ipsi ad laborem certaminis ire recusamus. Et scriptum est : *Filii Ephrem intendentes arcum et mittentes sagittas suas, conversi sunt in die belli.* Ephrem quippe fructificatio dicitur. Et quæ est talis vel tanta fructificatio, nisi lingua doctorum? Qui dum verbum seminant, multiplicant fructus animarum. Qui cum docere præparamus, et sensum sacræ Scripturæ exquirimus, arcum intendimus. Cum verba correptionis facimus, sagittas emittimus. Arcus enim nonnunquam in sacro eloquio ipsum sacrum eloquium poni solet, quod ex utroque Testamento velut ex cornu et chorda constat. Vetus quippe Testamentum figuratur cornu propter duritiam, novum vero, quod incarnato Domino factum est, signatur chorda. Et dum chorda trahitur, cornu curvatur : quia cum Testamentum novum discutitur a duritia litteræ, vetus inclinatur, et ad intellectum spiritualem flectitur, quia rigor ejus duritiæ non tenetur. Sagittæ enim sunt hæc ipsa verba, quæ doctores proferunt. Unde bene etiam per Prophetam de sanctis doctoribus gentilitatem ingredientibus dicitur : *Cum sagittis et arcu ingredientur illud* (*Isa.* vii, 24). Nos ergo cum Scripturæ sacræ dicta pensamus, arcum intendimus cum verba doctrinæ damus, sagittas emittimus. Sed in die belli convertimur,

[a] Caput hoc cum sequenti abest a Mss.
[b] Ita legitur in Genet.
[c] Caput hoc non est in Mss.
[d] In Cod mss. indicatur hom. 9 in Ezech., ubi frustra hæc quæsivimus. Pauca exstant in hom. 21, quæ est nona libri ii.

quia nonnunquam contra vitiorum certamina labo- A rem subire recusamus.

CAP. CLXIV. — *Statuit aquas quasi in utre* (*Psal.* LXXVII, 13).

Dum de reproborum contra Ecclesiam machinationibus tractaretur, in expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 39), adjunctum est : *Statuit aquas quasi in utre.* — Aquæ in utre sunt lubrica pravorum desideria, quia cum operis effectum non inveniunt, sub carnali corde deprimuntur.

CAP. CLXV. — *Recordatus est, quia caro sunt* (*Psal.* LXXVII 39).

Cum de providentia divinæ misericordiæ erga genus humanum tractaretur in expos. beati Job, l. IV (*Num.* 8), adjunctum est : *Recordatus est*, etc. — Omnipotens Deus, sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cum voluit, per incarnationis suæ mysterium etiam perdita bona reparavit. Duas vero ad intelligendum se creaturas fecerat angelicam videlicet, et B humanam. Utramque vero superbia perculit, atque a statu ingenitæ rectitudinis fregit. Sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero et spiritus est, et caro. Misertus ergo Creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat hausisse ; et eo altius debuit apostatam angelum repellere, quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Unde et recte Psalmista cum misertum Redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit dicens : *Et memoratus est, quia caro sunt.* Ac si diceret : Quo eorum infirma vidit, eo districte culpas punire noluit. Est adhuc aliud, quo perditus homo reparari debuit, et superbiens spiritus reparari non possit, quia nimirum Angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit.

CAP. CLXVI. — *Conversi sunt in arcum perversum* (*Psal.* LXXVII, 57). C

Dum de cavendo elationis vitio, et studio veræ humilitatis tractaretur, in expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 75), adjunctum est : *Conversi sunt in arcum perversum.* — Arcus perversus ipsum, a quo intenditur, percutit. Unde in dictis suis arrogantium linguæ arcui perverso sunt similes, quia dum contra elationem verba faciunt, in suis auctoribus sagittas figunt. Unde summa cura providendum est, ne accepta sapientia, cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, ut jam sapientia esse nequeat, quæ etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat (*Num.* 70). Alia namque sunt bona summa, alia bona media. Bona etenim summa sunt fides, spes, et charitas. Quæ cum veraciter habentur, in malum inflecti non possunt. Bona autem sunt media, prophetia, doctrina, curationum virtus et cætera : quæ ita inter utrumque sunt posita, ut aliquando per hæc sola æterna patria, aliquando vero gloria terrena requiratur. Medias ergo has vir- D tutes dicimus, quas ad quodcunque mens appetit inclinamus. Quibus perceptis ita uti sicut terrenis divitiis potest. Per terrenas namque divitias, alii in gloriæ ostentatione superbiunt, alii erga proximorum indigentiam ministeria pietatis operantur. Cum per doctrinam igitur, atque prophetiam laus exterior quæritur, quasi per corporales divitias terrenæ gloriæ culmen ambitur. Cum vero doctrina, atque prophetia lucrandis animabus impenditur, quasi acceptæ divitiæ egenis fratribus largiuntur. Quia ergo sæpe per ipsa dona, quæ se percipere exsultat, a manu dantis incautus animus elongat, vigilanti provisione curandum est, ut et prius subigantur vitia, et post sub circumspectione dona teneantur. Nam si in eis mens incaute se deserit, non per hæc adjuta subvehitur, sed quasi pro anteactis laboribus remunerata reprobatur. Unde fit etiam ut accepta virtus, dum in usu transitoriæ laudis assumitur, quia vitio militat, virtus non sit. Quia enim origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est in humilitate perdurat. A qua nimirum si abscinditur, aresci, quia vivificantem se in intimis humorem charitatis perdit.

CAP. CLXVII. — *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, et pulchritudinem eorem in manus inimici* (*Psal.* LXXVII, 61).

Cum de vitanda in bonis operibus arrogantia tractaretur, Regul. past., part IV, adjunctum est : *Tradidit in captivitatem virtutes eorum*, etc. — In captivitatem virtus, et pulchritudo in manus inimici traditur, cum deceptæ menti antiquus hostis ex boni operis elatione dominatur. Quæ tamen virtutis elatio, quamvis plene non superet, utcunque tamen et electorum sæpe animum tentat, sed cum elevatus destituitur, destitutus ad formidinem revocatur. Hinc etenim David dicit : *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum* (*Psal.* XXIX, 7). Sed quia de confidentia virtutis intumuit, paulo post quod pertulit adjunxit : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Ac si aperte dicat : Fortem me inter virtutes credidi, sed quantæ infirmitatis sim, derelictus agnovi. Hinc rursum dicitur : *Juravi et statui, custodire judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII, 105). Sed quia ejus virium non erat manere in custodia quam jurabat, debilitatem suam protinus turbatus invenit. Unde ad precis opem repente se contulit, dicens : *Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum.*

CAP. CLXVIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. 8. (*Num.* 82) : — Virtus quippe et pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur, quia omne bonum, quod per concupiscentiam laudis ostenditur, occulti adversarii juri mancipatur. Hostes namque ad rapinam provocat, qui suas eorum notitiæ divitias denudat. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, per latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona, quæ portat. O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum? Cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos nimirum maligni spiritus cum ad jactantiam provocant eorum, sicut diximus, opera captivantes denudant.

CAP. CLXIX. — *Immissiones per angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ* (*Psal.* LXXVII, 49).

In expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 23, 24), adjunctum est : *Immissiones per Angelos malos*, etc.—Cor quippe Dominus prioribus meritis aggravatum, juste permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli, quod cum digne in culpa trahitur, reatus ejus in pœna cumulatur. Unde et iræ suæ Dominus viam de semita fecisse perhibetur. Latior est enim via quam semita. Ex semita vero iræ suæ viam facere, est iræ causas districte judicando dilatare, ut qui illuminati agere recte noluerunt, juste cæcati adhuc faciant unde amplius puniri mereantur. Jam meretur supplicium peccatum, et causa peccati : sed expectatur adhuc ut augmentum supplicii subrogent peccatum, et pœna peccati. Plerumque vero unum idemque peccatum, et peccatum est, pœna peccati, et causa peccati. Quod melius ostendimus, si res ipsas ad medium deducamus. Effrenata enim ventris ingluvies, in fervorem luxuriæ plenitudinem carnis instigat ; perpetrata autem luxuria sæpe aut perjurio aut homicidio tegitur ; ne humanarum legum ultione puniatur. Ponamus ergo ante oculos quod quidam voracitatis sibi frena laxavit, qua voracitate superatus, adulterii facinus admisit ; deprehensus autem in adulterio, latenter virum

[a] Tria quæ sequuntur non sunt in Mss.

adulturæ, ne ad judicium traheretur, occidit. Hoc itaque adulterium inter voracitatem et homicidium positum; de illa videlicet nascens, hoc generans; peccatum est, et pœna, et causa peccati. Peccatum est per seipsum; pœna vero peccati est, quia culpam voracitatis auxit; causa autem peccati est, quia subsequens etiam homicidium genuit. Unum ergo idemque peccatum est, et pœna præcedentis, et causa culpæ subsequentis: quia et transacta dum exaggerat, damnat: et adhuc subsequentia quæ damnari debeant, seminat.

CAP. CLXX. — *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum* (*Psal.* LXXVIII, 12).

In expos. beati Job, l. XXII (*Num.* 32), adjunctum est: *Redde vicinis nostris*, etc.—Scriptura etenim sacra plerumque sinum ponere pro mente consuevit. Sicut voce Ecclesiæ de persecutoribus nostris, qui nobis natura quidem conjuncti sunt, sed vita disjuncti, per Psalmistam dicitur: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*. Ac si aperte diceretur: In mente sua recipiant hoc, quod in nostris corporibus sævientes, operantur, ut dum nos exterius ex parte puniunt, ipsi interius perfecte puniantur.

CAP. CLXXI. — *Potum dedit nobis in lacrymis, et in mensura* (*Psal.* LXXVII, 6).

Dum de studio dignæ pœnitentiæ tractaretur, Reg. past. part. III (*Cap.* 20, *admon.* 30), adjunctum est: *Potum dedit nobis*, etc. — Providendum est iis qui peccata suorum operum deplorant, ut consummata mala perfecto diluant lamento; ne plus astringantur in debito perpetrati operis, et minus solvant fletibus satisfactionis. Scriptum quippe est: *Potum dedit nobis in lacrymis, et in mensura*, ut videlicet uniuscujusque mens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibat lacrymas, quantum se a Deo meminit aruisse per culpas.

CAP. CLXXII. — *Sumite psalmum, et date tympanum* (*Psal.* LXXX, 2).

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 33), adjunctum est: *Sumite Psalmum*, etc. — In prædicatione fidei, quasi quoddam negotium geritur, dum verbum datur, et fides ab auditoribus sumitur. Quasi quoddam negotium faciunt, qui prædicationem prærogant, et a populis fidem reportant, fidem impertiunt, et eorum sanctam protinus vitam sumunt. Si enim justorum prædicatio negotium non fuisset, profecto Psalmista non diceret: *Sumite psalmum, et date tympanum*. In tympano etenim corium siccatur, ut sonet. Quid est ergo dicere: *Sumite psalmum, et date tympanum?* nisi, accipite spirituale canticum cordis, et reddite temporalem macerationem corporis.

CAP. CLXXIII. — *Exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te ad aquas contradictionis* (*Psal.* LXXX, 8).

Cum de cavendis prava contra votum suadentibus tractaretur in expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 24), adjunctum est: *Exaudivi te in abscondito tempestatis*, etc. — Absconditum tempestatis est, cum in corde contrito cogitationum tentantium fluctus intumescunt, cum contra amoris sancti studium curarum sæcularium se tumultus illidunt. In abscondito ergo tempestatis auditur, quia clamor deprecantis est hæc ipsa fluctuatio tribulationis. Quia vero omnino non desunt, qui bona quærentibus suadere perversa moliantur, aquæ contradictionis sunt populi resistentes. Et quia tunc probatur desiderium, cum aliqua ei adversitate resistitur, recte dicitur: *Probavi te ad aquas contradictionis*.

CAP. CLXXIV. — *Erit tempus eorum in æternum* (*Psal.* LXXX, 16).

Dum de pereuntium defectu tractaretur, in expos. beati Job, l. IV (*Num.* 5), adjunctum est: *Erit tempus eorum in æternum* (*Num.* 5).—Quia per momenta tempus deficit, nomen temporis eorum defectum vocavit, ostendens quod sine fine omnimodo defectu deficiunt ii, qui a visionis internæ consolatione separantur.

CAP. CLXXV. — *Deus meus, pone illos ut rotam, et velut stipulam ante faciem venti* (*Psal.* LXXXII, 14).

Cum de pœna reprobarum mentium tractaretur, in expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 79), adjunctum est: *Deus meus, pone illos ut rotam*, etc.—Ut rota ponuntur iniqui, quia in circuitu laboris missi, dum ea, quæ anteriora sunt negligunt, et ea quæ deserenda sunt sequuntur, ex posterioribus elevantur, et in anterioribus cadunt. Qui recte quoque stipulæ ante faciem venti comparantur, quia irruente aura tentationis, dum nulla subnixi sunt ratione gravitatis, elevantur ut corruant, et sæpe eo se alicujus meriti existere æstimant, quo eos in altum flatus erroris portat.

CAP. CLXXVI. — *Concupivit et defecit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 3).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 45), adjunctum est: *Concupivit*, etc. — Sunt nonnulli justorum, qui sic cœlestia appetunt, ut tamen a terrenorum spe minime frangantur. Largita divinitus patrimonia ad necessitatis subsidium possident, honores sibi temporaliter impensos tenent, aliena non ambiunt, suis licite utuntur. Qui tamen ab eisdem rebus quas habent, alieni sunt, quia ad hæc ipsa quæ possident, ex desiderio non tenentur. Et sunt nonnulli justorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui rebus se habitis nudant, gloria honoris exspoliant. Qui internorum desiderio per assiduitatem se amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt, qui in æternis gaudiis, dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant. Talibus namque per Paulum dicitur: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3). Horum itaque voces Psalmista expresserat cum dicebat: *Concupivit, et defecit anima mea in atria Domini*. Concupiscunt enim, sed non deficiunt, qui jam quidem cœlestia appetunt, sed adhuc tamen a terrenorum delectationibus minime laxantur. Concupiscit vero et in Dei atria deficit, qui cum æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat. Hinc Psalmista iterum dicit: *Defecit in salutari tuo anima mea* (*Psal.* CXVIII, 81). Hinc per semetipsam Veritas admonet, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (*Matth.* XVI, 24). Et rursum: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). In salutari ergo Dei animam justi deficere, est præsentis vitæ bona electione æternitatis deserere, mansura quærere, et in rebus temporalibus fiduciam non habere.

CAP. CLXXVII. — *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos* (*Psal.* LXXXIII, 4).

Dum de fidelium desideriis in pace Ecclesiæ educatis tractaretur in expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 48), adjunctum est: *Etenim passer invenit sibi domum*, etc. — Quid per nidi nomen exprimitur, nisi tranquilla quies fidei, qua unusquisque infirmus nutritur? Nam nisi sancta Ecclesia infirmos quosque filios nunc in nido pacis enutriret, Psalmista non diceret: *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos*. Jam quippe domum invenit passer, quia æternum cœli habitaculum noster Redemptor intravit. Et turtur invenit nidum, quia sancta Ecclesia amore conditoris affecta, crebris gemitibus utitur, et velut nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios, quasi plumescentes pullos quousque ad superiora evolent, charitatis gremio fovet.

[a] Mss. non habent hoc caput.

CAP. CLXXVIII. — *Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum* (*Psal.* LXXXIII, 6).

Cum de electorum studiis tractaretur in expos. beati Job, lib. XXX (*Num.* 64), adjunctum est : *Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum.* — Sancti viri quanto magis se exterius despiciendo dejiciunt, tanto amplius interius revelationum contemplatione pascuntur. Quos enim exterius in fletu continet convallis humilitatis, eos interius sublevat, ascensus contemplationis.

[a] CAP. CLXXIX. — *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LXXXV, 11).

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 8), adjunctum est : *Lætetur cor meum*, etc. — Sancti etenim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti, quorum voce Psalmista dicit : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* In quo notandum, quod non ait : Lætetur ut securum sit, sed lætetur ut timeat. Meminerunt namque, quamvis eorum actio prosperetur, quia adhuc in hac vita sunt, de qua per eumdem Job dicitur : *Tentatio est vita humana super terram* (*Job.* IX, 71). Meminerunt rursum quod scriptum est : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Meminerunt, et metuunt, et certitudinem sibi in se promittere non præsumunt, sed positi inter gaudium spei et tentationis metum, confidunt et timent, confortantur et titubant, certificantur et suspecti sunt.

CAP. CLXXX.—*Posuerunt me in abominationem sibi; traditus sum, et non egrediebar* (*Psal.* LXXXVII, 9).

Cum de mysteriis Dominicæ passionis tractaretur, in expos. beati Job, l. XXII (*Num.* 41), adjunctum est : *Posuerunt me in abominationem sibi*, etc. — Hoc de tempore passionis suæ Redemptor noster per prophetam insinuat. Ipse namque traditus egressus non est, quia sub ipsa jam hora passionis cum humanitatis infirma pateretur, divinitatis potentiam exercere noluit. Mediatori quippe Dei et hominum quasi egredi fuisset, si cum teneretur homo, majestatis suæ potentiam voluisset ostendere, et per divinitatis magnitudinem susceptæ carnis infirma transire. Ut enim apertius homo mori posset, Deus mansit occultus : *Quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Egressus ergo non est, qui et requisitus a Pilato tacuit, atque inter persecutorum manus et corpus passioni obtulit quod pro electis assumpserat, et resistentibus noluit demonstrare quod erat. Cum enim despiceretur quia homo videbatur, egressus esset si occultam majestatem suam ostentare voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit, in eo quod persecutoribus suis incognitus mansit, ad eos minime exivit. Qui tamen ad electos exit, qui divinitatis suæ suavitatem quærentibus aperit. Unde ei per prophetam dicitur : *Exiisti in salutem populi tui, ut salvos facias christos tuos* (*Habac.* III, 13).

[c] CAP. CLXXXI — *Inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 5).

In expos. beati Job, l. X (*Num.* 66), adjunctum est : *Inter mortuos liber.* — Omnis *qui peccat, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 35). Et quia incarnatus Dominus particeps nostræ factus est naturæ, non culpæ, liber dimissus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur. Inter mortuos liber dicitur, quia naturam nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullo modo tenetur. Quem quamvis macula culpæ nostræ non attigit, passio tamen nostræ mortalitatis astrinxit (*Num.* 67). Esurire enim, sitire, lassescere, teneri, flagellari, cruciligi, nostræ mortalitatis vinculum fuit. Sed cum expleta morte velum templi rumperetur, scinderentur petræ, monumenta panderentur, inferni claustra patescerent, quid aliud tot argumentis tantæ virtutis ostenditur, nisi quod illa infirmitatis nostræ vincula A solvebantur, ut is, qui ad suspiciendam servi formam venerat, in ipsa servi forma ab inferni vinculis absolutus, ad cœlum etiam cum membris liber rediret ?

CAP. CLXXXII. — *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me* (*Psal.* LXXXVII, 17).

Cum de fructuoso electorum pavore tractaretur in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 6), adjunctum est : *In me transierunt iræ tuæ*, etc. — Justorum mens non solum perpendit quod tolerat, sed etiam pavet quod restat. Videt qualia in hac vita patitur, metuit ne post hanc graviora patiatur. Luget, quia in hujus cæcitatis exsilio, a paradisi gaudiis cecidit, timet ne cum exsilium relinquitur, mors æterna subsequatur. Jam ergo sententiam tolerat in pœna, sed minas adhuc venturi judicis formidat ex culpa. Recte ergo per Psalmistam dicitur : *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me.* Interni quippe judicii postquam iræ pertranseunt, etiam terrores conturbant, quia jam aliud de damnatione patimur, et adhuc B aliud de æterna ultione formidamus.

CAP. CLXXXIII. — *Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo* (*Psal.* LXXXVIII, 1).

Cum de pavore electorum et retributionis incertitudine tractaretur in expos. beati Job, l. IV (*Num.* 71, 72), adjunctum est : *Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.* — Plerumque mens justi jam quidem quod perverse se egisse meminit deplorat, jam prave acta non solum deserit, sed amarissimis etiam lamentis punit, sed dum eorum quæ egit reminiscitur, graviter judicii pavore terretur. Jam se perfecte convertit, sed adhuc se perfecte in securitatem non erigit, quia dum quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem ac formidinem sollicita trepidat, quia justus judex veniens quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Nam quam prava commiserit, meminit, et an commissa digne defleverit, nescit, ac ne culpæ immanitas modum C pœnitentiæ transeat, metuit. Et plerumque culpam jam veritas relaxat, sed mens afflicta adhuc de venia dum valde sibi est sollicita, trepidat. Sanctus ergo vir etiam hic misericordiam suscipit, sed suscepisse se nescit : quia peccatum suum homo jam corrigendo et pœnitendo deserit, sed tamen adhuc districtum judicem de ejus retributione pertimescit. Illic ergo justus quilibet misericordias Domini libere in æternitate cantat, ubi jam de peccati venia dubietas non erit, ubi jam securam mentem culpæ suæ memoria non addicit, ubi non sub reatu animus trepidat, sed de ejus indulgentia libere exsultat. Sed si nulla ibi homo peccati sui memoria tangitur, ereptum se unde gratulatur? Aut quomodo largitori gratias refert de venia quam accepit, si interveniente oblivione transactæ nequitiæ esse se pœnæ debitorem nescit? Ait enim Psalmista : *Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.* Quomodo ergo misericordias Dei in æternum cantat, si se fuisse miserum ignorat? et si miseriæ transactæ non meminit, unde largitori mise- D ricordiæ laudes reddit? Sed rursum quærendum est quomodo electorum mens perfecta esse in beatitudine poterit, si hanc inter gaudia memoria sui reatus tangit? Aut quomodo perfectæ lucis clarescit gloria, quam reducta ad animum obumbrat culpa? Sed sciendum est, quia sicut sæpe nunc tristium læti reminiscimur, ita tunc transactæ nequitiæ sine læsione nostræ beatitudinis recordamur. Plerumque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos sine dolore reducimus : et quo ægro nos recolimus, eo nos incolumes plus amamus. Erit ergo et in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, sed quæ nos lætitiæ arctius astringat, ut dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, et debitorem se medico verius intelligat, et eo magis acceptam salutem diligat, quo de molestia meminit, quid evasit. In illa itaque lætitia sic tunc sine tædio mala

[a] Non legitur in Mss.

nostra conspicimus, sicut nunc in luce positi sine ulla cordis caligine animo tenebras videmus. Quia etsi obscurum est quod mente cernimus, de judicio est hoc luminis, non de passione cæcitatis. Et in æternum ergo laudes misericordiæ largitori nostro referimus, et nequaquam miseriæ conscientia gravamur, quia dum mala nostra sine aliquo mentis malo respicimus, et nunquam erit quod corda laudantium de transactis iniquitatibus polluat, et semper erit quod hæc ad laudem liberatoris accendat.

CAP. CLXXXIV. — *Beatus populus, qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII, 16).

Dum de ineffabili electorum gaudio mente concepto tractaretur in expos. beati Job, l. XXIV (*Num.* 10), adjunctum est : *Beatus populus, qui scit jubilationem.* — Jubilum dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri, et tamen quibusdam motibus proditur, quamvis nullis proprietatibus exprimatur. Unde David Propheta intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere, quantum sermone non valent aperire, ait : *Beatus populus, qui scit jubilationem.* Non enim ait : qui loquitur, sed, *qui scit*, quia sciri quidem jubilatio intellectu potest, sed dicto exprimi non potest. Sentitur per illam quippe quod ultra sensum est. Et cum vix ad hoc contemplandum sufficiat conscientia sentientis, quomodo ad hoc exprimendum sufficiat lingua dicentis?

[a] CAP. CLXXXV. — *Mane sicut herba transeat, mane floreat et pertranseat* (*Psal.* LXXXIX, 6).

In expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 52), adjunctum est : *Mane sicut herba transeat*, etc. — In Scriptura sacra aliquando per herbam viror gloriæ temporalis accipitur, sicut Psalmista ait : *Mane sicut herba transeat.* Mane namque sicut herbam florere atque transire, est in prosperitate hujus sæculi temporalis gloriæ velociter decus arescere.

CAP. CLXXXVI. — *Posuisti munitiones ejus in formidinem* (*Psal.* LXXXVIII, 41).

Dum de occultis divinorum judiciorum dispositionibus tractaretur, adjunctum est : *Posuisti munitiones ejus in formidinem.* — [b] Sæpe quis fallaciæ vel iræ, vel immunditiæ, vel superbiæ suæ meminit, et se in humilitatis loco a mundi hujus strepitu abscondit. Sed dum ad regendum populum post occultationem suam ducitur, hinc inde subintrantibus peccatorum jaculis feritur, atque timere incipit ne ei et hoc ipsum jam sit ad judicium, quia bonum quietis intimæ degustavit, quod tenere non potuit. Sicut scriptum est : *Posuisti munitiones ejus in formidinem.* Cum enim humilem locum pro rectitudine mentis appetimus, quid aliud quam munitionis arcem tenemus? Sed cum ad turbas atque strepitus mundi vel coacti revertimur, inter irruentia peccata deprehensi, et ipsam munitionem nostram pertimescimus, quia de subtili omnipotentis Dei examine hoc quoque formidare incipimus, quod bene vixisse credebamus.

CAP. CLXXXVII. — *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare* (*Psal.* LXXXIX, 11)?

Cum de justorum formidine ob divinorum judiciorum incertitudinem tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 16), adjunctum est : *Quis novit potestatem iræ tuæ*, etc. — Potestas divinæ iræ nostra nón potest mente comprehendi, quia ejus dispensatio obscuris super nos dispositionibus sæpe unde æstimatur deserere, inde nos recipit, et unde nos recipere creditur, inde derelinquit, ut plerumque hoc fit gratia, quod ira dicitur, et hoc aliquando ira sit, quod gratia putatur. Nonnullos enim flagella corrigunt, nonnullos ad impatientiæ vesaniam perducunt, et alios prospera, quia demulcent, ab insania mitigant; alios quia elevant, funditus ab omni spe conversionis eradicant. Cunctos autem vitia ad ima pertrahunt, sed tamen quidam eo ab his facilius redeunt, quo se in eis corruisse altius erubescunt. Et semper virtutes ad superna sublevant, sed nonnunquam quidem dum tumorem de virtutibus concipiunt, per ipsum tramitem ascensionis cadunt. Quia ergo potestas divinæ iræ minime cognoscitur, in cunctis necesse est ut sine cessatione timeatur.

CAP. CLXXXVIII. — *Ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero* (*Psal.* XC, 3).

Cum de electorum exercitio ex reprobatione detrahentium tractaretur in expos. beati Job, l. VI (*Num.* 45), adjunctum est : *Ipse liberavit me de laqueo venantium*, etc. — Venantes nihil aliud quam carnes quærunt. Sed a venantium laqueo, atque ab aspero verbo eripimur, quando et insidias carnalium et irrisionum probra despiciendo superamus. Aspera quippe eorum verba sunt, quæ bonis nostris itineribus adversantur. Sed asperitatem verbi evadere est irrisiones detrahentium dissimulando calcare. Sancta ergo anima ab aspero verbo liberatur, quia dum in hoc mundo honorem laudis non quærit, nec contumelias detractionis sentit.

CAP. CLXXXIX. — *In scapulis suis obumbrabit tibi* (*Psal.* XC, 4).

Cum de modo sacri eloquii tractaretur in expos. beati Job, l. XXXII (*Num.* 7), adjunctum est : *In scapulis suis obumbrabit tibi.* — Cum in Deo scapulæ, oculi, brachium dicuntur, cavendum summopere est ne quid in eo mens corporeum suspicetur. In anthropomorphitarum namque hæresim cadere est, cum qui incircumscripte implet et circumplectitur omnia, intra corporalia lineamenta concludere. Sed omnipotens Deus ad sua nos trahens, usque ad nostra se humiliat, atque ut alta insinuet, humilibus condescendit, quatenus parvulorum animus rebus cognitis enutritus, ad inquirenda exsurgat incognita, atque ab eo, qui longe super ipsum est, quædam juxta se audiens, quasi quibusdam ad illum passibus moveatur. Unde fit ut per Scripturam suam aliquando a corporibus hominum, aliquando a mentibus, aliquando vero ab avibus, aliquando vero ab insensatis rebus quasdam longe dissimiles in se similitudines trahat. Plerumque enim a corporibus hominum in se similitudinem trahit, sicut de eo speranti homini per prophetam dicitur : *In scapulis suis obumbrabit tibi*, cum constet quod in natura sua nec oculum Deus, nec scapulas, nec certa lineamenta membrorum habeat. Sed quia nos per oculum cernimus, in scapulis vero onera substinemus, Deus, quia omnia videt, oculum habere perhibetur. Quia vero nos tolerat, atque eo ipso quo tolerat, servat, obumbrare nobis in scapulis dicitur. Ait enim : *In scapulis suis obumbrabit tibi.* Ac si diceretur peccatori homini, et post peccatum veniam deprecanti : Ea pietate Dominus te protegit, qua pietate toleravit. Obumbrat enim scapulis suis, quia dum portat, defendit

CAP. CXC. — *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt, ut annuntient* (*Psal.* XCI, 15).

Dum de collectione fidelium extremi temporis tractaretur in expos. beati Job, l. XXXV (*Num.* 35), adjunctum est : *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi*, etc. — Prædicatores namque sanctæ Ecclesiæ benedictione extremi temporis Psalmista ditari conspexerat, qui dicebat : *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi.* Qui in senecta uberi multiplicantur, quia cum eorum vita differtur, semper ad melius fortitudo producitur, eisque per augmentum temporis crescunt etiam lucra meritorum. Bene autem patientes sunt ut annuntient, quia cœlestia prædicantes tanto robu-

[a] Abest. a Mss.

[b] Legitur in Mss. Michael., Celestin. et Paris. id ex hom. 10 in Ezechielem esse descriptum, ubi tamen frustra a nobis quæsitum est.

stius adversa tolerant, quanto et per tolerantiam suam animarum commoda locupletius reportant.

CAP. CXCI. — *Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus* (*Psal.* XCII, 4).

Cum de reprehensa reproborum superbia et divinis in prædicatorum virtute miraculis tractaretur in expos. beati Job, l. IX (*Num.* 11), adjunctum est : *Mirabiles elationes maris*, etc. — Cum morem suum gentilitas destrui novæ conversationis prædicatione conspiceret, cum mundi hujus divites elationi suæ contraire facta pauperum cernerent, cum sapientes sæculi adversari sibi imperitorum verba pensarent, in persecutionum protinus tempestatem tumuerunt. Sed qui verborum adversitate commoti ad persecutionis procellas insiliunt, signorum admiratione temperantur. Quia ergo contra electorum vitam ad persecutionis undas mundus se mirabiliter extulit, has supernorum conditor sublevata virtute prædicantium mirabilius stravit. *Mirabiles* ergo *elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus.* Ministros etenim suos plus ostendit posse per miracula, quam potestates terrenæ tumuerant per iram. Quod bene etiam per Jeremiam Dominus exteriora narrans, interiora denuntiat, dicens : *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum* (*Jerem.* V, 22).

[a] CAP. CXCII. — *Donec justitia convertatur in judicium* (*Psal.* XCIII, 15).

In expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 53), adjunctum est : *Donec justitia convertatur in judicium.* — Paulus de se suisque consortibus dicit : *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (*I Cor.* V, 21). Justitia ergo in judicium convertitur, quia ii qui nunc juste atque irreprehensibiliter vivunt, tunc judicandi potentiam nanciscuntur.

CAP. CXCIII. — *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ, Domine, lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII, 19).

In expos. beati Job, l. XXXV (*Num.* 22), adjunctum est : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo*, etc. — In ea enim mensura consolatum se, in qua afflictus fuerat, indicat, qui lætificatum se secundum multitudinem dolorum clamat.

CAP. CXCIV. — *Qui fingis dolorem in præcepto* (*Psal.* XCIII, 20).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 35), adjunctum est : *Qui fingis dolorem in præcepto.* — Flagellum namque tunc diluit culpam, cum mutaverit vitam. Nam cujus mores non mutat, non expiat actiones. Omnis ergo divina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est aut initium pœnæ sequentis. Propter eos enim qui ex flagello proficiunt, dictum est : *Qui fingis dolorem in præcepto*, quia cum flagellatur iniquus et corrigitur, audire præceptum noluit, audit dolorem. Dolor in præcepto fingitur ei, qui a malis operibus quasi præcepti vice dolore cohibetur. De his vero quos damnant flagella et non liberant, dicitur : *Percussisti eos, nec doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam* (*Jerem.* V, 3). His flagella ab hac vita inchoant, et in æterna percussione perdurant.

CAP. CXCV. — *Non repellet Dominus plebem suam, quoniam in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit* (*Psal.* XCIV, 4).

Cum de conversione potentum sæculi per aspirationem supernæ gratiæ tractaretur in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 78), adjunctum est : *Non repellet Dominus plebem suam*, etc. — Altitudines montium, elationes sunt utique superborum, quas Dominus conspicere dicitur, id est ab iniquitate sua in melius commutare. Convertit namque Dominus eum quem conspicit. Unde scriptum est : *Conversus Dominus respexit Petrum; et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Dominus : Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, et egressus foras, flevit amare* (*Luc.* XXII, 61). Et sicut Salomon ait : *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo* (*Prov.* XX, 8). De hac altitudine montium rursum per Prophetam dicitur : *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini* (*Psal.* XCVI, 5) : quia post perversitatis suæ duritiam divina formidine liquefacti, ab illo prius rigido tumore subtracti sunt.

[b] CAP. CXCVI. — *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini* (*Psal.* XCVI, 5).

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 2), adjunctum est : *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.* — Quia multi, qui prius alta rigiditate tumuerunt, Domino in carne apparente, magno sunt per pœnitentiam timore liquefacti.

CAP. CXCVII. — *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum* (*Psal.* XCV, 13).

In expos. Evang., hom. 36 (*Num.* 8), adjunctum est : *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum.* — Ligna silvæ, gentes vocatæ sunt, quia in infidelitate suæ tortæ et infructuosæ semper fuerunt.

CAP. CXCVIII. — *Honor regis judicium diligit* (*Psal.* XCVIII, 4).

In expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 12), adjunctum est : *Honor regis judicium diligit.* — Ut videlicet qui jam Dominum honorat ex fide, sollicite judicet quid ei debeat in operatione.

CAP. CXCIX. — *Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi* (*Psal.* CI, 29).

Dum de pravorum desperatione tractaretur in expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 35), adjunctum est : *Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi.* — Locus quippe hominis, sed non localis, ipse scilicet conditor existit, qui hunc ut in semetipso consisteret, creavit. Quem nimirum locum tunc homo deseruit, cum seductoris verba audiens, a conditoris amore discessit. Sed cum omnipotens Deus redimendo se homini etiam corporaliter ostendit, ipse, ut ita dixerim, fugitivi sui vestigia subsequens, ad retinendum, quem amiserat, hominem, locus venit. Si enim appellari locus nequaquam conditor posset, Deum laudans Psalmista non diceret : *Filii servorum tuorum inhabitabunt. Ibi* enim non dicimus, nisi cum locum specialiter designamus. Sed sunt plerique qui etiam post perceptum Redemptoris auxilium ad desperationis tenebras devolvuntur, et tanto nequius pereunt, quanto et oblata remedia misericordiæ contemnunt.

CAP. CC. — *Ipse enim scit figmentum nostrum* (*Psal.* CII, 14).

In expos. beati Job, l. XIII (*Num.* 27), adjunctum est : *Ipse enim scit figmentum nostrum.* — Scire ejus, est nostra suscepisse. Quid enim mirum si figmentum nostrum dicatur specialiter scire, dum constet nil esse quod nesciat? Sed figmentum nostrum scire ejus, est hoc in seipso ex pietate suscepisse.

CAP. CCI. — *Memoria retinentibus mandata ejus ut faciant ea* (*Psal.* CII, 18).

In expos. beati Job, l. XV (*Num.* 17), adjunctum est : *Memoria retinentibus mandata ejus ut faciant ea.* — Qui mandata illius memoria retinet, sed nequaquam servat, hic in doctrinæ verbis sententias, quibus damnetur, tenet.

CAP. CCII. — *Ascendunt montes, et descendunt campi* (*Psal.* CIII, 8).

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 2), adjunctum est : *Ascendunt montes, et descendunt campi.* — Plerique persecutores Domini, superbi contra eum veniunt, sed ab eo humiles revertuntur. Qui inquies

[a] Caput hoc cum duobus sequentibus abest a Mss.

[b] Hoc caput et cætera usque ad 203 in Mss. non habentur.

ascendunt per tumorem potentiæ, sed campi descendunt, plani videlicet facti per cognitionem culpæ.

CAP. CCIII. — *Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi* (*Psal.* XCIX, 4).

Cum de modo dignæ pœnitentiæ tractaretur, l. II, hom. 4 in Ezech. (*Num.* 1), adjunctum est : *Intrate portas ejus in confessione*, etc. — Cum peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ vitæ portam intramus, sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessionum laudibus intramus, quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitia æternæ solemnitatis assumpserit. Propter confessionis nostræ angustiam Veritas dicit : *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13). Et cum se Psalmista recipi in latitudine gaudii æterni præsumeret, dicebat : *Statuisti in loco spatioso pedes meos* (*Psal.* XXX, 9).

CAP. CCIV. — *Potum meum cum fletu temperabam* (*Psal.* CI, 10).

Cum de divino judicio in homine tractaretur, in exp·s. beati Job, l. XXV (*Num.* 19), adjunctum est : *Potum meum cum fletu temperabam.* — Cunctis vera scientibus liquet quod in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus, ut alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni cœlestis admittat. Sed hoc nunc secreto Dei judicio quotidie agitur, quod tunc publico demonstrabitur. Nam juste ac misericorditer singulorum corda vel examinans vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea, quæ sunt intrinsecus, trahit. Ilos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare. Horum mentem ad superna erigit, illorum per superbiam in infimis desideriis mergit. Aliena autem corda humanis oculiis clausa sunt, et nescitur qui repellitur, quia penetrari nequeunt quæ ab unoquoque cogitantur. Nam sæpe de corde perverso necdum processit usque ad effectum operis deliberatio cogitationis, et adhuc fortasse per habitum intus astringitur, qui jam mente foris vagatur. Sed talis quilibet iste tunc ante oculos interni judicis cecidit, cum ab appetendis interioribus per desiderium exivit. Nonnunquam vero alii post malæ operationis usum ad spem cœlestem subito amore reviviscunt, et qui in perversa actione se sparserant, ad sinum internæ retractationis semetipsos increpando recolligunt. Ilos adhuc despicientes homines, quales dudum in opere noverant, tales putant. At contra illi per districtæ considerationis examen, vitam suam qualem fuisse recolunt, insequuntur, sciturque quid fuerint, sed quid jam cœperint esse, nescitur. In hoc ergo utroque genere hominum sæpe contingit, ut et qui videntur stare humano judicio, jam in conspectu æterni judicis jaceant, et qui adhuc coram hominibus jacent, jam in conspectu æterni judicis stent. Quis enim hominum æstimare potuisset Judam vivendi sortem, etiam post ministerium apostolatus, amittere? Et quis e contra, latronem crederet causam vitæ posse etiam in ipso articulo mortis invenire? Occultus autem judex præsidens, et utrorumque cor discernens, alterum pie statuit, alterum juste confregit; illum districte exterius repulit, hunc introrsus misericorditer traxit. Hinc est ergo quod per prophetam casuros alios passionis suæ tempore, atque alios surrecturos annuntians, ait : *Potum meum cum fletu temperabam.* Potus quippe ab exterioribus interius trahitur : fletus autem ab interioribus exterius emanat. Potum ergo Domino cum fletu temperare, est alios ab exterioribus introrsus trahere, alios ab interioribus ad exteriora reprobare.

[a] CAP. CCV. — *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28).

In expos. beati Job, l. IV (*Num.* 8), adjunctum est : *Tu autem idem ipse es*, etc. — Hunc electorum locum esse denuntiat, subdens : *Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi.* Deus enim qui sine situ omnia continet, nobis ad se venientibus locus non localis manet, ad quem locum dum pertingimus, etiam ipsa in hac vita mentis nostræ tranquillitas, quanta fuerit perturbatio, videmus. Quia etsi jam justi in pravorum comparatione quieti sunt, in æstimatione tamen quietis intimæ omnimodo quieti non sunt.

CAP. CCVI. — *Confessionem et decorem induisti, amictus lumen sicut vestimentum* (*Psal.* CIII, 2).

Dum de celsitudine divinæ essentiæ tractaretur in expos. beati Job, l. XXXII (*Num.* 3), adjunctum est : *Confessionem et decorem induisti*, etc. — Redemptor noster confessionem et decorem induit, quia sanctorum angelorum choros, quos condidit, in usum sui decoris assumpsit, et velut quamdam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet, non habentem maculam aut rugam. Confessionem ergo et decorem induit, hoc est, hic confessionem, illic decorem, quia quos hic per pœnitentiam confitentes fecerit, illic fulgentes per decorem justitiæ ostendit. Luce ergo sicut vestimento amicietur, quia sanctis omnibus, quibus dictum est : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14), in illa æterna gloria vestietur. Unde et per Evangelium dicitur : Quia transfigurato in monte Domino, vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix (*Matth.* XVII). In qua transfiguratione quid aliud quam resurrectionis ultimæ gloria nuntiatur? In monte enim vestimenta ejus sicut nix facta sunt, quia in supernæ claritatis culmine sancti omnes ei luce justitiæ fulgentes adhærebunt.

[b] CAP. CCVII. — *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII, 2).

Hom. 17 in Ezech. (*Num.* 4) seu hom. 5 lib. II, adjunctum est : *Extendens cœlum sicut pellem*, etc. — Cœlum quippe sicut pellis extenditur, quia per ora mortalium Scriptura sacra nobis explicatur. Sed sunt aquæ in cœlo, superiores videlicet multitudines, id est angelorum agmina, in quibus ejusdem cœli teguntur superiora, quia ea quæ in sacro eloquio altiora et obscuriora sunt, angelicis solummodo spiritibus patent, et nobis adhuc incognita perdurant.

CAP. CCVIII. — *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII, 2).

Cum de intellectu sacri eloquii, per dispensationem inspirationis intimæ tractaretur hom. 9 in Ezech. (*Num.* 30), adjunctum est : *Extendens cœlum sicut pellem*, etc. — Quid cœli nomine, nisi sacra Scriptura signatur? de qua nobis et sol sapientiæ, et luna scientiæ, et ex antiquis patribus stellæ exemplorum atque virtutum lucent. Quod sicut pellis extenditur, quia per scriptores suos carnis lingua formatum ante oculos nostros, et per verba doctorum exponendo displicatur. Quid vero aquarum nomine, nisi purissimi angelorum signantur chori? De quibus scriptum est : *Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII, 4). Hujus ergo cœli superiora Dominus in aquis tegit, quia alta sacri eloquii, id est ea, quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Cœlum ergo hoc et coram nobis extenditur, et tamen in aquis superiora illius conteguntur, quia quædam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent, et quædam, quæ solis angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc servantur occulta. De quibus tamen occultis jam partem per spiritualem intelligentiam sentimus, jam sancti Spiritus pignus accepimus qui hæc et plene necdum cognovimus, et tamen medullitus amamus, et in multis spiritualibus sensibus quos jam cognovimus, veritatis pabulo pascimur.

CAP. CCIX. — *Qui ponit nubem ascensum suum* (*Psal.* CIII, 3).

Dum de incarnationis divinæ mysterio tractaretur

[a] Abest a Mss.

[b] Non habetur in Mss.

hom. 8 in Ezech. (*Num.* 29), adjunctum est: *Qui ponit nubem ascensum suum.* — Quid hoc loco per nubem, nisi redemptoris nostri carnem non inconvenienter accipimus? Nubem quippe ascensum suum posuit, quia hic, qui divinitate ubique est, carne ad cœlestia ascendit.

CAP. CCX. — *Qui ambulat super pennas ventorum* (*Psal.* CIII, 3.)

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 8), adjunctum est: *Qui ambulat super pennas ventorum.* — Solent in sacra Scriptura velocitate ac subtilitate ventorum, animæ designari, sicut per Psalmistam dicitur de Deo: *Qui ambulat super pennas ventorum*, id est, qui transgreditur virtutes animarum.

[a] CAP. CCXI. — *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Psal.* CIII, 4).

In expos. beati Job, l. XI (*Num.* 7), adjunctum est: *Qui facit angelos suos spiritus*, etc. — Angeli quippe, id est nuntii, in sacro eloquio nonnunquam prædicatores vocantur, sicut per prophetam dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7). Omnipotens ergo Dominus angelos suos spiritus facit, quia prædicatores suos spirituales efficit.

CAP. CCXII. — *Item unde supra.*

Hom. 34 in Evang. (*Num.* 8). — Sciendum vero quod angelorum vocabulum, nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper quidem spiritus sunt, sed semper vocari angeli nequaquam possunt, quia tunc solum sunt angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Qui facit angelos suos spiritus.* Ac si patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, angelos facit. Hi autem qui minima nuntiant angeli, qui vero summa annuntiant archangeli vocantur. Hinc est enim quod ad Mariam virginem non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur (*Luc.* I).

CAP. CCXIII. — *Ascendunt montes, et descendunt campi* (*Psal.* CIII, 2).

Cum de superbientibus ad humilitatem per donum gratiæ redactis tractaretur in expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 2), adjunctum est: *Ascendunt montes*, etc. — Plerique persecutores Domini, superbi contra eum veniunt, sed humiles revertuntur, qui montes ascendunt per tumorem potentiæ, sed campi descendunt, plani videlicet facti per cognitionem culpæ. Unde rursum per eumdem Prophetam de his montibus dicitur: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini* (*Psal.* XCV, 5); quia multi qui prius alta rigiditate tumuerunt, Deo in carne apparente, magno sunt per pœnitentiam timore liquefacti.

CAP. CCXIV. — *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis* (*Psal.* CIII, 18).

Cum de intellectu sacri eloquii secundum meritum auditorum tractaretur in expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 64), adjunctum est: *Montes excelsi cervis*, etc. — Quid hoc loco per montes, nisi altæ sententiæ Scripturæ sacræ accipiendæ sunt? Hi enim qui jam clare contemplationis saltus noverunt, altos sententiarum divinarum vertices, quasi cacumina montium ascendunt, ad quæ profecto cacumina, quia infirmi non valent pervenire, recte illic subditur: *Petra refugium herinaciis*, quia videlicet invalidos non sublimiter intelligentia exercet, sed sola in Christo fides humiliter continet.

[b] CAP. CCXV. — *Item unde supra.*

Homil. 9 in Ezechiel (*Num.* 31). — Habeant montes intelligentiæ qui jam contemplationis saltus clare verunt. Sed petra sit refugium herinaciis, quia nos parvuli, et peccatorum nostrorum spinis cooperti, etsi intelligere alta non possumus, in petræ tamen nostræ refugio, id est in Christi fide, salvamur.

CAP. CCXVI. — *Posuisti tenebras et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvarum: catuli leonum rugientes ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi* (*Psal.* CIII, 20).

Cum de reprobatione infidelium per rectitudinem divini judicii tractaretur, in expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 49), adjunctum est: *Posuisti tenebras, et facta est nox*, etc. — Tenebras Dominus ponit, cum peccatis judicia rependens, lumen suæ intelligentiæ subtrahit, et nox efficitur, quia pravorum mens ignorantiæ suæ erroribus cæcatur. In qua omnes bestiæ silvæ dum pertranseunt, maligni spiritus sub opacitate fraudis latentes, in reproborum cordibus pravitates suas explendo percurrunt. In qua et catuli leonum rugiunt, quia nequissimarum, sed tamen eminentium potestatum ministri spiritus, importunis tentationibus insurgunt. Qui tamen a Deo escam expetunt, quia nimirum capere animas nequeunt, nisi justo judicio prævalere divinitus permittantur. Ubi et apte subjungitur: *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis se collocaverunt* (*Psal.* CIII, 22): quia veritatis lumine per carnem apparente, a fidelium mentibus excussi, quasi ad cubilia sua reversi sunt, dum sola infidelium corda tenuerunt.

CAP. CCXVII. — *Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur* (*Psal.* CIII, 29).

In expos. beati Job, l. XXIV (*Num.* 49), adjunctum est: *Auferes spiritum eorum*, etc. — Quid eorum spiritus, nisi spiritus superbiæ nominatur? Tollatur ergo spiritus eorum ut deficiant, id est subducto superbiæ spiritu nihil se esse cognoscant, et revertantur in pulverem, id est humilientur ex infirma conditione. Propter hunc pulverem, ad cujus memoriam qui semetipsos considerant, revocantur, per Sapientiam dicitur: *Justi fulgebunt sicut sol, et sicut scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* III, 7). Sancti enim viri dum peccatoribus permiscentur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque omne quod nitet in cinerem redigunt, quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciunt, nihil aliud quam favillam se esse cognoscunt, ut a superbiæ suæ duritia resoluti, per pœnitentiam dicant: *Memento, Domine, quod pulvis sumus* (*Psal.* CII, 15).

[c] CAP. CCXVIII. — *Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII, 30).

In expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 35), adjunctum est: *Emitte spiritum tuum*, etc. — Sic enim, sic facies terræ virtute renovationis immutatur, dum sicca dudum mens gratia veniente compluitur, et post ariditatem pristinam, quasi productis herbis, scientiæ viriditate vestitur.

CAP. CCXIX. — *Verbi quod mandavit in mille generationes* (*Psal.* CIV, 8).

In expos. beati Job, l. IX (*Num.* 3), adjunctum est: *Verbi quod mandavit in mille generationes.* — In Scriptura sacra millenarius numerus pro universitate solet intelligi. Sed cum constet, quod ab ipso mundi exordio usque ad Redemptoris adventum per Evangelistam non amplius quam septuaginta septem propagines numerentur (*Luc.* III), quid hoc loco mille generationibus nisi ad proferendam novam sobolem perfecta universitas præscitæ generationis exprimitur? Hinc et per Joannem dicitur: *Regnabunt cum eo mille annis* (*Apoc.* XX, 6); quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ universitatis perfectione solidatur.

[d] CAP. CCXX. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXXV (*Num.* 42). — *Millena-*

[a] Hoc caput cum sequenti non leguntur in Mss.
[b] De hoc capite nihil in Mss.
[c] Non legitur in Mss.
[d] Neque tria quæ sequuntur capita habentur laudatis Mss.

rius quoque numerus in sacro eloquio perfectus accipitur, quia appellatione ejus universitas designatur. Unde scriptum est : *Verbi quod mandavit in mille generationes.* Cum enim nequaquam credendum sit quod ad centum generationes mundus extendatur, quid aliud per mille generationes, nisi generationum universitas figuratur?

CAP. CCXXI. — *Quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CVI, 1).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 30), adjunctum est : *Quoniam in sæculum misericordia ejus.* — Quia nimirum quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post præsens sæculum justitia addicit.

CAP. CCXXII. — *Ferrum pertransivit animam ejus* (*Psal.* CIV, 18).

In expos. beati Job, l. XV (*Num.* 30), adjunctum est : *Ferrum pertransivit animam ejus.* — Omnis necessitas non congrue ferrum vocatur, quia vitam inopis, mœroris vulnere cruciat, sicut de ejus quoque necessitatibus scriptum est, qui a fratribus venditus, afflictam vitam ducebat : *Ferrum pertransivit animam ejus.* Quid ergo sunt arma ferrea, nisi necessitates vitæ præsentis, quæ dure premunt, et vitam inopis insequuntur?

CAP. CCXXIII. — *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos* (*Psal.* CVI, 26).

In expos. beati Job, l. IX (*Num.* 29), adjunctum est : *Ascendunt usque ad cœlos*, etc. — Plerumque anima ut divini amoris igne accendatur, atque ad intuenda cœlestia et arcana sublevetur, ad summa jam rapitur, et perfecto desiderio compuncta ab infimis alienatur. Sed repentina tentatione percussa, quæ intentione forti erecta in Deum fuerat, obortis cogitationibus transfixa curvatur, ita ut seipsam discernere nequeat, atque inter vitia virtutesque deprehensa, ex qua parte sit valentior non agnoscat. Nam sæpe ad hoc usque perducitur, ut miretur quomodo tam summa comprehendat, quam cogitatio illicita polluit. Et rursum, quomodo illicitas cogitationes recipiat, quam super se validus fervor spiritus rapit. Hos ergo alternantes cogitationum motus in animo bene Psalmista intuens, ait : *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos.* Usque ad cœlos quippe ascendimus, cum summa penetramus, sed ad abyssos usque descendimus, cum repente a contemplationis culmine per turpia tentamenta dejicimur. Motus itaque animi dum inter vota et vitia alternant, nimirum sibi certitudinem exauditionis obnubilant.

CAP. CCXXIV. — *Effusa est contentio super principes eorum, et seduxerunt eos in invio, et non in via* (*Psal.* CVI, 42).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 27), adjunctum est : *Effusa est contentio super principes eorum*, etc. — Qui hoc loco principum nomine designantur, nisi hæreticæ pravitatis auctores? Ipsi etenim dum dispensationem Dei perverse interpretari non metuunt, profecto plebes subditas non in eam viam, quæ Christus est, sed in invium trahunt. Super quos recte quoque effusa contentio dicitur, quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt. Arius quippe tres personas in divinitate suscipiens, tres etiam Deos credidit. Quem contra Sabellius unum suscipiens, unam credidit esse personam. Quos inter, sancta Ecclesia rectum prædicationis suæ tramitem indeclinabiliter tenens, et unum Deum prædicans, tres personas contra Sabellium asserit; et tres personas asserens, unum Deum contra Arium confitetur. Quia autem in sacro eloquio Manichæus virginitatem laudari comperit, conjugia damnavit. At contra Jovinianus, quia concedi conjugia cognovit, virginitatis munditiam despexit. Unde fit ut semper hæreticis perversa intelligentia confusis, vicissim sibi eorum nequitia, et in culpa concordet, et in sententia discrepet. At contra, sancta Ecclesia per medias utrarumque partium lites ordinata pace graditur, et sic scit superiora bona suscipere, ut noverit etiam inferiora venerari, quatenus nec summa æquet infimis nec rursum ima despiciat, cum summa veneratur.

[a] CAP. CCXXV. — *Et omnis iniquitas obturavit os suum* (*Psal.* CVI, 42).

In expos. beati Job, adjunctum est : *Et omnis iniquitas obturavit os suum.* — Iniquitas autem contrahit os suum. Os enim suum nunc adhuc iniquitas dilatat, quia humani generis Redemptorem lingua infidelium contumeliis lacessere nequaquam cessat. Sed tunc os contrahit, cum hoc, quod non vult per studium, per supplicium claudit. Quod tamen bene accipi etiam de conversis persecutoribus potest. Salvato enim paupere, dum egenus ad spem rediit, contracto ore, iniquitas obmutescit, quia resurrectionis ejus clarescente miraculo, dum copiosa multitudo infidelium credidit, a Redemptoris sui injuriis contumeliisque cessavit. Os enim suum, quod ad Deum deridendum aperuit, jam formidando contraxit.

CAP. CCXXVI. — *Excussus sum sicut locusta* (*Psal.* CVIII, 23).

In expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* 48), adjunctum est : *Excussus sum sicut locusta.* — Quid hoc loco locustæ nomine, nisi Redemptoris nostri resurrectio designatur? Teneri enim se a persecutoribus usque ad mortem pertulit, sed sicut locusta excussus est, quia ab eorum manibus salva subtile resurrectionis evolavit.

CAP. CCXXVII. — *Induantur sicut diploide confusione sua* (*Psal.* CVIII, 29).

In expos. beati Job, l. IX (*Num.* 68), adjunctum est : *Induantur sicut diploide confusione sua.* — Duobus modis in hac vita hominem judicat Deus, quia aut per mala præsentia irrogare jam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequentia flagellis præsentibus exstinguit. Nisi enim delictis exigentibus justus judex et nunc, et postmodum quosdam percuteret, de iniquis Psalmista non diceret : *Induantur sicut diploide confusione sua.* Diploidem quippe, duplex vestimentum dicimus. Confusione ergo sicut diploide induti sunt, qui juxta reatus sui meritum, et temporali et perpetua animadversione feriuntur. Unde et Judas ait : *Secundo eos, qui non crediderunt, perdidit.* Solos quippe pœna a supplicio liberat, quos immutat. Nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. Si autem nequaquam quosdam pœna præsens a supplicio æterno defenderet, Paulus minime dixisset : *Cum judicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (*I Cor.* XI, 32). Hinc voce angeli ad Joannem dicitur : *Ego quos amo, arguo, et castigo* (*Apoc.* III, 19). Hinc etiam scriptum est : *Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* II, 6). Sed sæpe mens justi, ut magis secura sit, altius trepidat, et cum flagellis tunditur, superni judicii incertitudine turbatur. Pavet ne initium sequentis damnationis sit omne quod patitur, et per cogitationem interrogat judicem, quia de vitæ suæ meritis ambigit in percussione. Sed cum vitæ virtus ad oculos mentis reducitur, quasi consolatio ad judicem respondetur, quia nequaquam ad perdendum percutit, quem in actionis innocentia feriendo custodit.

[b] CAP. CCXXVIII. — *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 89), adjunctum est : *Dixit Dominus Domino meo*, etc. — Non quod a dextris Domini nequaquam Dominus sedeat, post-

[a] In Mss. Michael. et in aliis omittitur.

[b] Caput hoc abest a Mss.

quam inimicos illius feriens, ejus potestati substerait, sed quod in æterna cunctis beatitudine præsidet, et priusquam rebellium suorum corda conculcet, in qua nimirum constat quia subjectis hostibus sine fine, et posterius regnat.

CAP. CCXXIX. — *De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput* (*Psal.* CIX, 7).

Mixtim ex hom. 25 in Evang. (*Num.* 7) ac expos. beati Job, l. XIV (*Num.* 68, *et lib.* XXXIII, *num.* 11), adjunctum est : *De torrente in via bibit*, etc. — Conditor ac Redemptor noster citius a morte voluit surgere, ne nostra diu anima in infidelitatis morte remaneret. In humano quippe genere ab ipso mundi initio torrens mortis effluxerat. Sed de hoc torrente Dominus quasi de quodam flumine passionis nostræ non in mansione bibere, sed in via dignatus est, quia mortem transitorie, id est ad triduum contigit, atque in ea morte, quam contigit, nequaquam sicut nos usque ad finem sæculi remansit, qui mortalis vitæ pœnam in quodam transitu attigit. Et idcirco diu eidem morti, cui sponte succubuit, non inhæsit, atque ideo exaltavit caput, quia hoc quod moriendo in sepulcro posuit, surgendo super Angelos elevavit; et inde antiquum hostem in æternum perculit, unde sævire contra se minas persequentium temporaliter permisit.

[a] CAP. CCXXX. — *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX, 2).

In expos. beati Job, l. VI (*Num.* 33), adjunctum est : *Magna opera Domini*, etc. — Sic quippe ejus opera magna sunt, ut per omne, quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur. Nam sæpe inde perficitur, unde repelli putabatur.

CAP. CCXXXI. — *Confessio, et magnificentia opus ejus* (*Psal.* CX, 3).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 65), adjunctum est : *Confessio et magnificentia opus ejus.* — Ab eo itaque accipimus recta confiteri, a quo nobis et magna datur operari.

CAP. CCXXXII. — *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV, 7).

In expos. beati Job, l. IX (*Num.* 94), adjunctum est : *Dirupisti vincula mea*, etc. — Tunc igitur ad plangendum dolorem nos Dominus dimittit, cum et mala nobis quæ fecimus demonstrat atque ad hæc eadem flenda, quæ cognoscimus, adjuvat. Culpas oculis objicit, et pia manu gratiæ vincula cordis solvit, ut ad vacationem pœnitentiæ mens nostra se erigat; et carnis soluta compedibus, in auctorem suum libera gressum amoris tendat.

CAP. CCXXXIII. — *Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos* (*Psal.* CXVII, 7).

In expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 25), adjunctum est : *Dominus mihi adjutor*, etc. — Tenebrosa ostia, maligni spiritus vocantur, quia dum per occultationis suæ insidias non videntur, deceptis mentibus viam mortis aperiunt. Quæ tenebrosa ostia Dominus videt; quia immundorum spirituum fraudulentam malitiam et respicit et premit. Quos nisi ipse nobis nescientibus videndo prohiberet, et nil de insidiis mens nostra cognosceret, et eisdem insidiis capta deperiret. Quæ tenebrosa ostia nos etiam cernimus, quando supernæ lucis radiis illustramur. Unde per Prophetam dicitur : *Dominus mihi adjutor est, et ego videbo super inimicos meos.* Hostes igitur nostros ipse videt, qui suo eos munere nobis visibiles facit.

CAP. CCXXXIV. — *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis* (*Psal.* CXVII, 12).

In hom. 8 in Ezech. (*Num.* 21), adjunctum est : *Circumdederunt me sicut apes*, etc. — Apes enim in ore mel habent, in aculeo caudæ vulnus. Et omnes, qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt, quia loquendo, dulcedinem mellis proponunt, sed occulte feriendo vulnus inferiunt. Ista vero facientes exardescunt, sicut ignis in spinis, quia flamma detrahentium, non justorum vita comburitur, sed si quæ eis inesse poterant peccatorum spinæ, concremantur.

CAP. CCXXXV. — *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22).

In expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 19), adjunctum est : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes*, etc. — Jam per divinam gratiam omnibus liquet quia Scriptura sacra lapidem, qui in anguli caput factus sit, vocet profecto illum qui dum in se hinc Judaicum, illinc gentilem populum suscipit, in una Ecclesiæ fabrica quasi duos parietes jungit, illum de quo scriptum est : *Fecit utraque unum*, quia angularem se lapidem non solum in inferioribus, sed et in supernis exhibuit, quia et in terra plebi Israeliticæ nationes gentium, et utraque simul angelis in cœlo sociavit. Eo quippe nato, clamaverunt Angeli : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). In ortu enim regis nequaquam pro magno offerrent hominibus pacis gaudia, si discordiam non haberent. Hujus lapidis typum Jechonias rex tenuit, quem Matthæus dum quaterdenas generationes describeret, secundo numeravit (*Matth.* I). Quem enim fini secundæ, ipsum rursum initio tertiæ generationis inseruit. Ipse namque in Babyloniam cum Israelitica plebe migratus est, qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro utriusque parietis latere non immerito secundo numeratur. Cujus migrationis flexu angularem lapidem signat. Ubi enim ordo a rectitudine flectitur, ut eat in diversum tanquam angulum facit. Recte enim numerari bis potuit, quia per utrumque parietem, quasi in se duo latera ostendit. Unde et ejus bene imaginem tenuit, qui in Judæa ortus, gentilitatem colligens, quasi ab Jerosolymis Babyloniam venit, atque hanc in semetipso fidei fabricam prius discordiæ studio scissam, arte charitatis intexuit.

CAP. CCXXXVI. — *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris* (*Psal.* CXVII, 27).

In expos. beati Job., l. IX (*Num.* 43), adjunctum est : *Constituite diem solemnem*, etc. — Solemnem diem Domino in confrequentatione constituit, qui se assidue in ejus desiderio affligit. Qui nimirum solemnitatis dies usque ad altaris cornu tendi præcipitur, quia tandiu necesse est ut quisquis se afficiat, quousque ad superni sacrificii altitudinem, et ad gaudia æterna pertingat.

CAP. CCXXXVII. — *Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua* (*Psal.* CXVIII, 6).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 9, 10), adjunctum est : *Tunc non confundar*, etc. — Sciendum est quod quisquis a præceptis Dominicis discordat opere, quoties ea audit a corde suo reprehenditur atque confunditur, quia id quod non fecerit memoratur. Nam in quo se errasse considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. Hinc ergo David propheta deprecatur, dicens : *Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua.* Graviter namque unusquisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo, vel audiendo respicit, quæ vivendo contempsit. Hinc etenim Joannis voce dicitur : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, ab eo accipiemus* (*I Joan.* III, 21). Ac si diceret. Si id quod præcepit facimus, id quod petimus obtinebimus. Valde namque apud Deum utraque hæc sibi necessario congruunt, ut et operationi oratio, et orationi fulciatur operatio. Hinc etenim Jeremias ait : *Scrutemur vias nostras, et quæramus,*

[a] Quinque capitibus sequentibus carent Mss. nostri.

et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlum (*Thren.* III, 21). Vias etenim nostras scrutari, est cogitationum interna discutere. Cor vero cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat sed operari dissimulat, cor levat et manus non levat. Quisquis vero operatur et non orat, manus levat et cor non levat. Juxta ergo Joannis vocem ; tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit.

CAP. CCXXXVIII. — *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas* (*Psal.* CXVIII, 15).

In expos. beati Job, l. XVII (*Num.* 9), adjunctum est : *In mandatis tuis exercebor*, etc.— Ac si aperte spondeat, dicens : Quæ mea sunt, videre refugio, quia per imitationis tuæ viam pergere conversationis gressibus inardesco. Qui enim præsenti jam mundo contradicit, amoris excitatione continua, ad Redemptoris sui vias cordis oculos objicit, ut mens prospera fugiat, et ad adversa præparetur. Nihil quod demulceat, appetat, nihil quod deterrere creditur, pertimescat. Mœrorem gaudium deputet, præsentis vitæ gaudia, damna mœroris putet : abjectionis detrimenta non timeat, sed per hæc manentis gloriæ locum quærat. Has etenim vias sequentium monstrabat oculis Veritas, cum dicebat : *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26). Ad has vias tumentia discipulorum corda revocabat, cum locum jam gloriæ quærerent, sed ejusdem gloriæ iter ignorarent, dicens : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 22) : confessionis quippe illius celsitudinem a dextris, sinistrisque quæsierant, sed quanta ad hanc esset itineris angustia non videbant. Unde et eorum mox oculis imitandus calix passionis objicitur, ut videlicet si ad sublimitatis gaudia tenderent, prius viam humilitatis invenirent.

[a] CAP. CCXXXIX. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 30). —Via quippe est incarnatæ sapientiæ omnis actio quam temporaliter gessit. Viæ ejus sunt vivendi ordines, quos ad se venientibus stravit. Tot itaque ad se venientibus vias præbuit, quot bene vivendi exempla monstravit. Humilitatis ejus propheta vias aspexerat cum suspirabat, dicens : *In mandatis tuis me exercebo, et considerabo vias tuas.*

CAP. CCXL. — *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque* (*Psal.* CXVIII, 43).

In expos. beati Job, l. XI (*Num.* 23), adjunctum est : *Ne auferas*, etc. — Cum sacerdos non agit bona quæ loquitur, ei etiam sermo subtrahitur ne loqui audeat quod non operatur. Unde et per eumdem prophetam dicitur : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* Hinc est ergo quod nunc precatur, dicens : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.* Perpendit namque quod omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, et non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo non auferri petiit, quid aliud quam gratiam bonæ operationis quæsivit? Ac si aperte diceret : A bono opere me errare non sinas, ne dum amitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi. Et plerumque doctor qui docere audet quod negligit agere, cum desierit bona loqui, quæ operari contempsit, docere subjectos incipit prava quæ agit, ut justo omnipotentis Dei judicio in bono jam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recusat, qualenus cum mens ejus terrenarum rerum amore incenditur, de terrenis rebus semper loquatur. Unde in Evangelio Veritas dicit : *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala* (*Matth.* XII, 35). Hinc etiam Joannes ait : *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur* (*I Joan.* 45).

CAP. CCXLI. — *Defecit in salutari tuo anima mea* (*Psal.* CXVIII, 81).

In expos. beati Job, l. IV (*Num.* 67), adjunctum est : *Defecit in salutari tuo anima mea.* — Omnes, qui in hoc mundo fortes sunt robore, quasi fortes sunt, non robore defessi. Qui vero in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine convalescunt, eo a propria virtute deficiunt, et quo robustius æterna appetunt, eo a temporalibus salubri defectione lassantur. Hinc ergo Psalmista amoris sui robore lassus dicebat : *Defecit in salutari tuo anima mea.* In salutari enim Dei proficiendo defecerat : quia æternitatis lucem conspiciens, a carnis jam fiducia fractus anhelabat. Hinc rursum dicit : *Concupivit et defecit anima mea in atria Domini* (*Psal* LXXXIII, 3). Qui nimirum, cum dixerat : *Concupivit*, recte subdidit : *Et defecit :* quia valde minor est divinitatis concupiscentia quam non mox etiam proprius sequitur defectus. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum profecto est ab hoc temporalitatis amore lassetur, ut tanto frigescat a studio sæculi, quanto surgit ardentius in amorem Dei. Quem scilicet si perfecte arripit, mundum etiam plene derelinquit, et eo funditus temporalibus moritur, quo ad supernam vitam altius afflatu æternitatis animatur. Annon robore suo fessam se invenerat, quæ dicebat : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Cant.* V, 6)? Quia nimirum mens, dum occultæ locutionis aspiratione tangitur, a statu suæ fortitudinis infirmata, ipso a quo absorbetur desiderio liquatur, et inde se apud semetipsam fessam invenit, unde ultra se esse conspicit fortitudinem quam conscendit. Hinc prophetа cum visionem Dei conspexisse diceret, adjungit : *Elanqui, et ægrotavi per dies plurimos* (*Dan.* VIII, 27) : quia cum ad virtutem Dei mens astringitur, a fortitudine propria caro lassatur (*Gen.* XXXII). Hinc Jacob qui angelum tenuit, uno mox pede claudicavit, quia qui vero amore sublimia respicit, jam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis nescit. Uno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur, et necesse est ut alius marcescat : quia mentis virtute crescente, oportet procul dubio ut carnis fortitudo torpescat.

[b] CAP. CCXLII. — *Os meum aperui, et attraxi spiritum* (*Psal.* CXVIII, 131).

In hom. 9 in Ezech. (*Num.* 28), adjunctum est : *Os meum aperui*, etc. — Non enim spiritum attraheret, nisi os aperiret, quia nisi ad prædicandum proximis se impenderet, spiritualis doctrinæ in eo gratia non crevisset.

CAP. CCXLIII. — *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine* (*Psal.* CXVIII, 85).

In expos. beati Job, l. VII (*Num.* 15, 16, 17), adjunctum est : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine.* — Sæpe verba carnalium dum se importune nostris auribus ingerunt, in corde bellum tentationum gignunt. Et quamvis hæc, et ratio respuat, et lingua reprehendat, cum labore tamen intus vincitur quod foris cum auctoritate judicatur. Unde necesse est ut nec ad aures veniat quod mens a cogitationis aditu vigilans repellat. Sancti igitur viri cum æternitatis desideriis anhelabat, in tantam altitudinem vitæ se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt, grave sibi ac deprimens pondus credant. Valde namque insolens atque intolerabile æstimant, quidquid illud non sonat, quod intus amant. Sed sæpe mens jam per desiderium ad sublimia rapitur, jam funditus ab stulta terrenorum hominum locutione separatur, nec tamen adhuc pro amore veritatis ad perferendos præsentis vitæ cruciatus accingitur, jam superna appetit, jam in infimis stulta contemnit. Sed nec dum se ad perferendæ adversitatis tolerantiam dirigit, sed plerumque mens justi ad tantum se virtutis culmen exten-

[a] In Mss. hoc minime legitur.

[b] Caput hoc non legitur in Mss.

dit, ut et apud se internæ rationis arce præsideat, et quorumdam foris stultitiam tolerando convertat. Quos enim ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est ut infirma toleremus, quia nec jacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. Cum vero alienæ infirmitati compatimur, valentius nostra roboramur, ut amore futurorum mens ad præsentia adversa se præparet, et cruciatus corporis, quos timebat, exspectet : auctis namque desideriis cœlestibus angustatur. Cumque æternæ patriæ quanta sit dulcedo considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines ardenter amat. His itaque divinæ legis, id est mandatorum cœlestium vinculis sese ad alta sustollit, quisquis ab iniquorum nunc suggestionibus aurem removens, intentionem suam in superni desiderii, quo avelli non valeat, secreto suspendit.

CAP. CCXLIV. — *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII, 96).

In homil. 14 in Ezech. (*Num.* 15), adjunctum est : *Latum mandatum tuum nimis.* — Nil latius quam omnes in sinu amoris recipere, et nullas odii angustias sustinere. Sic quippe lata est charitas, ut in amplitudine dilectionis suæ capere etiam inimicos possit. Unde et præcipitur : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Luc.* VI, 27).

[a] CAP. CCXLV. — *Super seniores intellexi* (*Psal.* CXVIII, 100).

In expos. beati Job, l. XI (*Num.* 24), adjunctum est : *Super seniores intellexi.* — Doctrina senum ablata est, postquam hanc Ecclesia ex gentibus videlicet juvencula accepit. Quam quia operando tenuit, qualiter super seniores intellexerit ostendit, dum protinus subdit dicens : *Quia mandata tua exquisivi.* Quia enim studuit operando implere quod didicit, accepit intelligere quod doceret.

CAP. CCXLVI. — *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa* (*Psal.* CXVIII, 162).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 25), adjunctum est : *Lætabor ego super eloquia tua*, etc. — Quæ spolia idcirco vocata sunt, quia ad fidem Domini, gentilitate transeunte, Judæi sacris eloquiis, quibus induti fuerant, exuuntur.

CAP. CCXLVII. — *Fiat manus tua, ut salvum me faciat* (*Psal.* CXVIII, 137).

In hom. 2 in Ezech. (*Num.* 7), adjunctum est : *Fiat manus tua*, etc. — Manus vel brachium Domini filius dicitur, quia per ipsum omnia facta sunt. Sed quid est quod dicitur, *Fiat manus tua?* Manus ergo Dei, quæ per divinitatem non est facta, sed genita, per humanitatem facta est, ut humani generis vulnera sanaret.

[b] CAP. CCXLVIII. — *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei* (*Psal.* CXVIII, 115).

In expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 23), adjunctum est : *Declinate a me maligni*, etc. — Sæpe cum eloquiis sacris intendimus, malignorum spirituum insidias gravius toleramus, quia menti nostræ terrenarum cogitationum pulverem aspergunt, ut intentionis nostræ oculos a luce internæ visionis obscurent. Quod nimirum Psalmista pertulerat cum dicebat : *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei*; videlicet patenter insinuans quia mandata Dei perscrutari non poterat, cum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat.

[c] CAP. CCXLIX. — *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis* (*Psal.* CXXVI, 3).

Homil. in Ezech. adjunctum est : *Vanum est vobis ante lucem surgere*, etc. — In quibusdam locis sacri eloquii sola exquirenda est allegoria, et verba litteræ omnino postponenda. Ut unum de multis dicam, indicat Psalmista qui ait : *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Quod si quis accipere juxta litteram velit, nocturnis Dei laudibus contradicit. Et quomodo idem Propheta loquitur, dicens : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII, 62). Si enim vanum est ante lucem surgere, cur ad confitendum Domino media nocte surrexit? Sed ille ante lucem surgit, qui ante diem venturi sæculi in hac vita quæ nocti est similis, extolli ac proficere appetit.

CAP. CCL. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 80). — Ante lucem surgere est priusquam claritas æternæ retributionis appareat, in præsentis vitæ nocte gaudere. Sed dendum ergo prius est ut post recte surgamus, quia quisquis nunc se sponte non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat.

[d] CAP. CCLI. — *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini* (*Psal.* CXXV, 4).

In hom. 27 in Evang. (*Num.* 5), adjunctum est : *Cum dederit dilectis suis somnum*, etc. — Quisquis igitur jam æterna cognovit, apud ejus animum temporales fructus vilescant. Tales fructus operemur, qui maneant, qui cum mors cuncta interimat, ipsi exordium a morte sumant. Nam quod a morte incipiat fructus Dei, testatur Propheta, qui dicit : *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini.* Omnis qui dormit in morte, perdidit hæreditatem. Sed cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini, quia electi Dei postquam pervenerint ad mortem, tunc inveniunt hæreditatem.

CAP. CCLII. — *Qui confidit in Domino, sicut mons Sion* (*Psal.* CLII, 1).

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 2), adjunctum est : *Qui confidit in Domino*, etc. — Sion namque speculatio dicitur, per quam scilicet speculationem, contemplans Deum Ecclesia designatur.

CAP. CCLIII. — *Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV, 6).

Cum de sterili malorum hominum labore tractaretur, in expos. beati Job, l. VII (*Num.* 38), adjunctum est : *Venientes autem venient in exsultatione*, etc. — In vacuum quippe ambulant qui nihil secum de fructu sui laboris portant. Alius namque adipiscendis honoribus exsudat, alius multiplicandis facultatibus exæstuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc quisque moriens deserit, labores in vacuum perdidit, quia secum ante judicem nihil tulit. Quo contra bene per legem dicitur : *Non apparebis in conspectu Domini vacuus* (*Exod.* XXIII, 15). Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendo non providet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de justis per Psalmistam dicitur : *Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos.* Ad examen quippe judicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt.

CAP. CCLIV. — *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV, 6).

In expos. beati Job, l. X (*Num.* 36), adjunctum est : *Euntes ibant*, etc. — Tanto namque spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit, quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. Quia igitur nunc per tribulationem seritur, ut post gaudii fructus metatur, tanto major fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio angustat.

CAP. CCLV. — *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum* (*Psal.* CXX, 6).

In hom. 1, l. II in Ezech. (*Num.* 16), adjunctum

[a] Non legitur in Mss. Idem dicimus de sequenti. Deest in Mss.

[c] In Cod. Mich. legitur ex hom. in Ezech. id esse sumptum, sed ex quota siletur; nullibi a nobis visum.

[d] Septem consequenter capita non leguntur in Mss.

est : *Dominus custodiat introitum tuum*, etc. — Custodit enim Dominus uniuscujusque animæ introitum, quo intrat ad fidem, exitum quoque quo exit ad speciem, ut neque intrans Ecclesiam, erroribus supplantetur, neque ab hac temporali ad æternam exiens, ab antiquo hoste rapiatur. Propter hunc vero egressum nostrum, quem quotidie debemus mente meditari, de Redemptore nostro Paulus quoque loquitur, dicens : *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII, 12).

CAP. CCLVI. — *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXVIII, 3).

In expos. beati Job, l. XIII (*Num.* 1), adjunctum est : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*. — Esse hoc perversorum proprium solet, ut mala sua per convicium bonis ingerant, priusquam de his ipsis veraciter accusentur. Et dum metuunt increpari de his quæ faciunt, adversantes suis pravitatibus justos hæc facere testantur. Sancti autem viri patienter audiunt etiam, quæ se nunquam fecisse meminerunt, quamvis ea mala, quæ sibi ingeri conspiciunt, ab ipsis suis criminatoribus noverint perpetrata, et cum eos prædicando corrigere non possunt, patiendo tolerant, quatenus si fructum conversionis eorum consequi non valent, ex ipsis tamen præmium longanimitatis acquirant. Unde et sancta Ecclesia David prophetæ vocibus dicit : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, quia videlicet dum hæreticos, vel quoslibet reprobos, quos corrigere non valet, tolerat, facta peccantium supra dorsum portat.

CAP. CCLVII. — *Item unde supra.*

In Reg. past. part. II (*Cap.* 10). — In dorso quippe onera sustinemus. Super dorsum igitur suum fabricasse peccatores queritur, ac si aperte dicat : Quos corrigere nequeo, quasi superimpositum onus porto.

CAP. CCLVIII. — *Fiant sicut fenum ædificiorum, quod priusquam evellatur, exarescit* (*Psal.* CXXVIII, 6).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 68), adjunctum est : *Fiant sicut fenum ædificiorum*, etc. — Hoc de hypocritarum persona per Psalmistam exprimitur. Fenum quippe ædificii in alto nascitur, sed nequaquam pingui radice solidatur, quia et hypocrita summa quidem sunt quæ agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quod nimirum fenum et non evulsum citius arescit, quia videlicet hypocrita et in præsenti adhuc vita subsistit, et jam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Quia enim sine intentione rectæ cogitationis bona studuit agere, hæc amittens, indicat se sine radice floruisse.

[a] CAP. CCLIX. — *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX, 1).

In expos. beati Job, l. XXVIII (*Num.* 25), adjunctum est : *Neque ambulavi in magnis*, etc. — In præcipitio enim pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit. Bene itaque David intra acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis presserat, cum dicebat : *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Super se quippe in magnis ambularet, si apparere magnus ultra quam poterat, quæreret. Super se namque in mirabilibus, attollitur, qui et in his ad quæ ipse non sufficit videri idoneus conatur.

CAP. CCLX. — *Sacerdotes tui induantur justitia* (*Psal.* CXXXI, 9).

In expos. beati Job, l. XIV (*Num.* 42), adjunctum est : *Sacerdotes tui induantur justitia.* — Gloria quippe uniuscujusque justitia est. Sicut vestimentum tegit a frigore, ita justitia munit a morte. Unde non immerito justitia vestimento comparatur, cum per Prophetam dicitur : *Sacerdotes tui induantur justitia.*

CAP. CCLXI. — *In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra* (*Psal.* CXXXVI, 2).

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 11), adjunctum est : *In salicibus*, etc. — Quid per sterilitatem salicum, nisi vita peccantium designatur? Nam si hoc non esset, nequaquam ex voce prædicantium contra Babyloniam Psalmista dixisset : *In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra.* Babylonis quippe medio inesse salices describuntur, quia nimirum infructuosi quique, atque ab amore patriæ cœlestis alieni, totis visceribus cordis in hac sæculi confusione radicantur. Unde et prædicatores sancti in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt, quia cum infructuosas ac reprobas mentes aspiciunt, vim prædicationis suæ non exhibent, sed potius lugentes silent.

CAP. CCLXII. — *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (*Psal.* CXXXVI, 7).

In expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 27), adjunctum est : *Exinanite*, etc. — Qui digna fidei opera servare contemnunt, etiam fidem perdunt quam tenere videbantur. Super quos bene propheta sub Jerusalem specie, inimicorum destruentium verba memorat, a quibus scilicet dicitur : *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Paulus quippe ait : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Inimici ergo destruentes usque ad fundamentum Jerusalem, exinaniunt, quando perversi spiritus a corde fidelium, destructo prius ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim supra fundadamentum fabrica, sic supra fidem opera construuntur. Usque ad fundamentum ergo exinanisse, est everso bene vivendi opere etiam robur fidei dissipasse.

CAP. CCLXIII. — *Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus* (*Psal.* CXXXVIII, 12).

In expos. beati Job, l. V (*Num.* 2), adjunctum est : *Sicut tenebræ ejus*, etc. — In Scriptura sacra nonnunquam lucis appellatione prosperitas, noctis autem nomine, hujus mundi adversitas designatur. Unde et per Psalmistam dicitur : *Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.* Quia enim sancti viri ita prosperitatem sæculi despicientes calcant, sicut adversitatem ejus calcantes tolerant, per magnam mentis celsitudinem, mundi sibi et adversa et prospera substernentes dicunt : *Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.* Ac si apertius dicant : Sicut intentionis nostræ fortitudinem ejus tristia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt.

[b] CAP. CCLXIV. — *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* (*Psal.* CXXXVIII, 11).

In expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 24), adjunctum est : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* — Quia dum per intellectum mysticum studiosa mens relicitur, jam in ea vitæ præsentis obscuritas fulgore diei subsequentis illuminatur, ut etiam in hujus corruptionis caligine in intellectum illius, vis futuri luminis erumpat, et verborum deliciis pasta, prægustando discat quid de pabulo veritatis esuriat.

CAP. CCLXV. — *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal.* CXXXVIII, 17).

In hom. 27 in Evang. (*Num.* 4) adjunctum est : *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* — Amicus quasi animi custos vocatur. Quia igitur Psalmista prospexit electos Dei a mundi hujus amore separatos, custodire in mandatis cœlestibus voluntatem Dei, miratus est amicos Dei, dicens : *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Et tanquam si

[a] Duo quæ sequuntur capita, in Mss. minime leguntur

[b] In Mss. non continetur.

ab eo protinus causas tanti honoris nobis insinuari quæreremus, illico adjunxit : *Nimis confortatus est principatus eorum.* Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum voce et moribus prædicant, eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingunt, occidi possunt, et flecti nequeunt. *Nimis* ergo *confortatus est principatus eorum.* In ista ipsa passione qua ceciderunt in mortem carnis, videte quantum fuerit culmen mentis. Unde hoc, nisi quia confortatus est principatus eorum? Sed sic magni forsitan pauci sunt. Ideo subjunxit : *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Totum mundum, fratres, aspicite, martyribus plenus est. Jam pene tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quanti sint, a nobis comprehendi non possunt. Sed quisquis ad hanc pervenit dignitatem ut amicus vocetur Dei, sese in se conspiciat, dona autem quæ percipit super se : nihil suis meritis tribuat, ne ad inimicitias erumpat.

CAP. CCLXVI. — *Nonne qui oderant te, Deus, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi* (*Psal.* XXXVIII, 21).

In Reg. past. part. III (*Cap.* 22, *admon.* 23), adjunctum est : *Nonne qui oderant te, Deus, oderam*, etc. — Inimicos Dei perfecto odio odisse, est et quod facti sunt diligere, et quod faciunt increpare ; mores pravorum premere, et vitæ prodesse. Pensandum est etenim, quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa est, si cum pessimis pax tenetur, si Propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit.

CAP. CCLXVII. — *Labor labiorum ipsorum operiet eos* (*Psal.* CXXXIX, 10).

In Reg. past. part. III (*Cap.* 11, *admon.* 12), adjunctum est : *Labor labiorum ipsorum operiet eos.* — Nihil est ad defendendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam suam tueri conatur, duro cor labore fatigatur. Hinc ergo scriptum est : *Labor labiorum ipsorum operiet eos.* Qui enim nunc implet, tunc operiet : quia cujus nunc animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem premit. Hinc per Jeremiam dicitur : *Docuerunt linguas suas loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt* (*Jerem.* IX, 9). Ac si aperte diceretur : Qui amici esse veritatis sine labore poterant, ut pecceut laborant ; cumque vivere simpliciter renuunt, laboribus exigunt ut moriantur.

[a] CAP. CCLXVIII. — *Obumbra caput meum in die belli* (*Psal.* CXXXIX, 3).

Cum de verbi Dei pabulo tractaretur, in expos. beati Job, l. VI (*Num.* 44), adjunctum est : *Obumbra caput meum in die belli.* — Bellum quippe patimur, cum carnis nostræ tentationibus impugnamur. De quo bello per Prophetam dicitur : *Obumbra caput meum in die belli.* Quia igitur reprobi, dum fame verbi deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur ; electos suos Dominus in fame a morte eripit, et in bello a gladio abscondit, quia eorum mentes dum verbi sui pabulo reficit, contra tentationes corporis fortes reddit.

CAP. CCLXIX. — *In miseriis non subsistent* (*Psal.* CXXXIX, 11).

In expos. beati Job, l. II (*Num.* 28), adjunctum est : *In miseriis non subsistent.* — Hoc de reproborum inter flagella impatientia Psalmista testatur, quia in miseriis subsisterent, si æquanimiter adversa tolerarent. At postquam mente inter flagella corruunt, quasi inter illatas miserias subsistendi constantiam perdunt.

CAP. CCLXX. — *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL, 2).

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 3), adjunctum est : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* — Quia Redemptor noster juxta mundi finem vim persequentium pertulit, semetipsum pro nobis sacrificium vespertinum dedit.

CAP. CCLXXI. — *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL, 3).

In expos. beati Job, l. VII (*Num.* 61), adjunctum est : *Pone, Domine*, etc. — Studiose lingua sub magni moderaminis libratione frenanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat. Quod bene Psalmista considerans, brevi postulatione complexus est, dicens : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.* Ostium namque aperitur, et clauditur. Qui ergo ori suo nequaquam ponit obstaculum, sed ostium petiit, aperte docuit quod et per disciplinam retineri lingua debeat, et ex necessitate laxari, quatenus os discretum et congruo tempore vox aperiat, et rursum congrua taciturnitas claudat. Hinc namque per quemdam dicitur : *Sapiens tacebit usque ad tempus* (*Eccli.* XX, 7) : ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendi quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Hinc Salomon ait : *Tempus tacendi et tempus loquendi* (*Eccl.* III, 7). Discreta quippe vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat ; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat.

CAP. CCLXXII. — *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL, 5).

In hom. 12 in Evang. (*Num.* 5) adjunctum est : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* — Quid per appellationem capitis, nisi ea, quæ principatur corpori, mens vocatur? Impinguat ergo caput oleum peccatoris, cum demulcet mentem favor adulantis.

[b] CAP. CCLXXIII. — *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum* (*Psal.* CXLIII, 1).

In expos. beati Job, l. XV (*Num.* 45) adjunctum est : *Benedictus Dominus Deus meus*, etc. — Per manus videlicet operationem, per digitos vero discretionem signat.

CAP. CCLXXIV. — *Protector meus, et in ipso sperabo, subjiciens populum meum sub me* (*Psal.* CXLIII, 2).

In expos. beati Job, l. XXVI (*Num.* 84), adjunctum est : *Protector meus, et in ipso sperabo*, etc. — Sanctis mentibus populi subigunlur, cum ab eis per districtæ severitatis præsentiam cogitationes stultæ desiliunt : ut non per abrupta phantasmatum rapiant, sed rationi subditæ a corde humiliter conquiescant.

CAP. CCLXXV. — *Domine, inclina cœlos tuos, et descende ; tange montes, et fumigabunt* (*Psal.* CXLIII, 5).

In expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 48), adjunctum est : *Domine, inclina cœlos tuos*, etc. — Quid cœlorum nomine, nisi prædicatorum ordo signatur? Nisi ergo prædicatores sancti ab illa immensitate contemplationis interne, [c] quam capiunt, ad infirmitatem nostram humillima prædicatione, quasi quadam inclinatione descenderent, nunquam utique in fide filios gignerent. Nobis quippe prodesse non possent, si in suæ altitudinis erectione persisterent. Si enim sancti viri ea nobis prædicare vellent quæ capiunt, cum in superna contemplatione debriantur, et non magis scientiam suam quodam moderamine et sobrietate temperarent, adhuc angusto intelligentiæ sinu illa superni fontis fluenta quis caperet? Unde nunc bene dicitur : *Domine, inclina cœlos tuos, et descende.* Cum

[a] Non legitur in Mss.
[b] Abest a Mss.
[c] Utic. *cupiant.*

enim inclinantur cœli, descendit Dominus, quia cum se in prædicatione sua sancti doctores attrahunt, divinitatis notitiam nostris cordibus infundunt. Nequaquam quippe ad nos Dominus descenderet, si prædicatores ejus in contemplationis rigore inflexibiles permanerent. Inclinantur ergo cœli, ut descendat Dominus, quia nimirum si nostræ infirmitati non condescenderent, nos ad suam celsitudinem nunquam elevarent.

CAP. CCLXXVI. — *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno* (*Psal.* CXLIII, 10).

In expos. beati Job, l. XXXIV (*Num.* 17), adjunctum est : *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno.* — Quid hoc loco per malignum gladium, nisi ira vel persuasio maligni hostis exprimitur? Benignus quippe sanctæ prædicationis est gladius quo percutimur, ut a culpa moriamur. Malignus vero est diabolicæ persuasionis gladius, quo male quisque percutitur, ut a vita rectitudinis exstinguatur. Antiqui namque hostis est gladius ille tunc damnatus homo, in usum ministerii ejus assumptus. Ipsum quippe per malitiam fraudis exhibet, et infirmorum corda transfigit.

CAP. CCLXXVII. — *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* CXLV, 4).

In expos. beati Job, l. X (*Num.* 41), adjunctum est : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* — Quia æterna mala nunquam cogitata reperiunt, et subito amittunt bona temporalia, quæ diu tractando tenuerunt.

CAP. CCLXXVIII. — *Humiliat autem peccatores usque ad terram.* (*Psal.* CXLVI, 6).

In expos. beati Job, lib. XXXV (*Num.* 20), adjunctum est : *Humiliat autem peccatores usque ad terram.*—Quæ major poterit esse humiliatio quam, deserto Creatore, creaturam quærere, desertis supernis gaudiis infimis rebus inhiare? Amissis enim cœlestibus, terrenum est omne quod sitiunt : et dum plus videre conantur, minus est quod appetunt. De quibus per Jeremiam dicitur : *Recedentes a te, in terra scribentur* (*Jerem.* XVII, 13): At contra de electis : *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X, 20).

CAP. CCLXXIX. — *Qui producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum* (*Psal.* CXLV, 8).

In expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 52), adjunctum est : *Qui producit in montibus fenum*, etc. — Quid hoc loco per herbam, nisi sustentatio prædicantium demonstratur, cum dicitur : *Qui producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum?* In montibus quippe fenum et herba servituti hominum producitur, cum sublimes hujus sæculi ad fidei cognitionem vocati, sanctis prædicatoribus in hujus vitæ itinere spiritualiter sibi servientibus transitorie alimenta largiuntur.

CAP. CCLXXX. — *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* (*Psal.* CXLVI, 9).

In expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 28, 29), adjunctum est : *Qui dat jumentis escam ipsorum*, etc. — Jumenta escam accipiunt, dum sacræ Scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur. Pullis vero corvorum, filiis scilicet gentium esca datur, cum eorum desiderium nostra conversatione reficitur. Iste corvus esca fuit, dum ipsum sancta Ecclesia quæreret, sed nunc escam accipit, quia ipse ad conversionem alios exquirit. Cujus videlicet pulli, id est prædicatores ex eo editi, non in se præsumunt, sed in viribus Redemptoris sui. Unde bene dicitur : *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Nihil enim sua virtute posse se sciunt. Et quamvis animarum lucra piis votis esuriant, ab illo tamen, qui cuncta intrinsecus operatur, hæc fieri exoptant. Vera enim fide comprehendunt : quia, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III, 7).

CAP. CCLXXXI. — *Mittet verbum suum; et liquefaciet ea; flabit spiritus ejus, et fluent aquæ* (*Psal.* CXLVII, 18).

In expos. beati Job, lib. XXVII (*Num.* 55), adjunctum est : *Mittet verbum suum*, etc.—Per has aquas ad se currentes Dominus significat. Aquæ namque de gelu currunt, quia plerique ex duris persecutoribus magni prædicatores fiunt. Gelu igitur in aquam liquatur, cum torpor interni frigoris ad irrigationem convertitur prædicationis. An Paulus gelu non erat, qui acceptis epistolis Damascum pergens (*Act.* IX, 2), in corde fidelium quasi in terra Dei jactata verbi semina, ne ad perfectionem operum surgerent, restringere quærebat? Sed gelu hoc in aquam rediit, quia quos persequendo prius premere studuit, hos postmodum fluentis sanctæ exhortationis infudit, ut tanto uberior electorum [b] messis exsurgeret, quanto hanc imber Dei etiam ab ore persecutoris irrigaret.

[c] CAP. CCLXXXII.—*Præceptum posuit, et non præteribit* (*Psal.* CXLVIII, 6).

In expos. beati Job, l. XVI (*Num.* 46), adjunctum est : *Præceptum posuit*, etc.— Quia semel fixa judicia Dei mutari nequaquam possunt. Cum ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur, quia de unaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur.

CAP. CCLXXXIII. — *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis hæreditatem gentium* (*Psal.* CX, 6).

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 14), adjunctum est : *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo*, etc. —Ac si aperte dicat : Ideirco fortitudinem suæ operationis insinuat, ut eum qui audierit, donis ditescat.

CAP. CCLXXXIV. — *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* (*Psal.* CXLIX, 5).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 41), adjunctum est : *Exsultabunt sancti in gloria*, etc. —Quia scilicet cum mala ab exterioribus fugiunt, securi intra mentium secreta gloriantur. Sed tunc lætitia cordium perfecta erit, cum carnis ab exterioribus pugna non fuerit. Nam quousque caro illicit (quia quasi nostræ domus paries quatitur) etiam cubile turbatur.

CAP. CCLXXXV.—*Laudate eum in potentatibus ejus; laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus* (*Psal.* CL, 2).

In expos. beati Job, l. IX (*Num.* 19), adjunctum est : *Laudate eum in potentatibus ejus*, etc. —Divinæ fortitudinis facta tunc veritus explemus; cum hæc nos explere non posse cognoscimus. Tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera, habet defectus noster, quam sufficienter exerat linguam suam, ut quæ comprehendere idonee non valet, hæc idonee mutus laudet. Unde bene nunc per Psalmistam dicitur : *Laudate eum in potentatibus ejus; laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.* Ille quippe Deum laudat secundum multitudinem magnitudinis, qui se succumbere in ejus laudis expletione considerat.

CAP. CCLXXXVI.—*Laudate eum in tympano, et choro* (*Psal.* CL, 4).

In homil. 8 in Ezech. (*Num.* 8), adjunctum est : *Laudate eum in tympano, et choro.* —Quanta sit concordiæ virtus ostenditur, cum sine illa virtute reliquæ virtutes non esse monstrantur. Magna enim

[a] Caput hoc cum sequenti abest a Mss.

[b] In quibusdam Mss. hactenus legitur [illegible].

[c] Hæc usque ad finem desunt in Mss.

al legendum *messis*, ut loco Moral. designato.

est virtus abstinentiæ, sed si quis ita ab alimentis abstineat, ut cæteros in cibo dijudicet, et alimenta eadem quæ Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, in fidelibus etiam damnet quid huic virtus abstinentiæ facta est, nisi laqueus culpæ? Hinc ergo Psalmista nullam esse abstinentiæ virtutem sine concordia designans, ait : *Laudate eum in tympano, et choro.* In tympano enim corium siccum resonat, in choro autem voces concorditer cantant. Quid ergo per tympanum nisi abstinentiam, et quid per chorum, nisi charitatis concordiam designat? Qui itaque sic abstinet, ut concordiam deserat, laudat quidem in tympano sed non laudat in choro.

Cap. CCLXXXVII. — *Item unde supra.*

In Reg. past. part. III (*Cap.* 22, *admon.* 23).—Sæpe nonnulli quædam specialiter dona percipiunt, sed dum superbiunt, donum concordiæ, quod majus est, amittunt; ut si fortasse carnem præ cæteris gulæ refrenatione quis edomat, concordare eis quos superat, abstinendo contemnat. Sed qui abstinentiam a concordia separat, quid admoneat Psalmista, perpendat; ait enim : *Laudate eum in tympano, et choro,* In tympano namque sicca et percussa pellis resonat, in choro autem voces societate concordant. Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro.

LIBER DUODECIMUS.

De Testimoniis in Proverbia.

Caput primum. — *Cum simplicibus sermocinatio ejus* (*Prov.* III, 32).

In Regula pastorali part. III (*Cap.* 11, *Admon.* 12), adjunctum est : *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* — Deo enim sermocinari, est per illustrationem suæ præsentiæ humanibus mentibus arcana revelare. Cum simplicibus igitur sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio [a] sui doni illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat.

Cap. II. — *Justorum semitæ, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* (*Prov.* IV, 18).

In hom. 5 in Ezech. (*Num.* 5), adjunctum est : *Justorum semitæ*, etc. — In eorum namque animis bonum desiderium, atque intellectus lucis intimæ jam pars diei est. Sed quia usque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad regna cœlestia perducti, in ea luce; quam desiderant, jam minus aliquid non habebunt.

Cap. III. — *Omni custodia serva cor tuum, quia de ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 33), adjunctum est : *Omni custodia serva cor tuum*, etc. — Dicturus enim : *Custodia*, præmisit *omni*, ut videlicet unusquisque hinc inde se diligenter inspiciat. Et quandiu in hac vita est, contra inimicos spirituales in acie se positum sciat, ne mercedem quam per has actiones colligit per alias amittat, ne hinc hostis fores obstruat, et aliunde aditum pandat. Si qua etenim civitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, insomni muniatur custodia, unum vero in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde procul dubio hostis ingreditur, qui undique exclusus esse videbatur.

Cap. IV. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. I (*Num.* 49).—Virtutes ergo quas agimus, dignum est ut summopere ab intentionis origine pensemus, ne ex malo ortu prodeant, etiam si recta sunt quæ ostentantur.

Cap. V.— *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos* (*Prov.* IV, 25).

In cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 15, *admon.* 16), adjunctum est : *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Palpebræ quippe gressus præcedunt cum operationem nostram consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerando prævidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit. Pergendo iter conficit, sed prævidendo sibimetipsi non antecedit, atque idcirco citius corruit, quia quo pedem operis ponere debeat, per palpebram consilii non attendit.

Cap. VI. — *Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes* (*Prov.* V, 1).

In cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 14, *admon.* 15), adjunctum est : *Fili mi, attende ad sapientiam meam*, etc. — Nihil quippe in nobis est corde fugacius, quod a nobis toties recedit, quoties per pravas cogitationes defluit. Hinc etenim Psalmista ait : *Cor meum dereliquit me* (*Psal.* XXXIX, 13). Hinc ad semetipsum rediens dicit : *Invenit servus tuus cor suum, ut oret te* (*II Reg.* VII, 27). Cum ergo cogitatio per custodiam restringitur, cor, quod fugere consuevit, invenitur. Plerumque autem nimis taciti, cum nonulla injusta patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, quo ea quæ sustinent non loquuntur. Nam si illatas molestias tranquillæ linguæ sermone dicerent, a conscientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant. Nam cum putredo quæ interius fervet ejicitur, ad salutem dolor aperitur.

Cap. VII. — *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena : et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes et corpus tuum* (*Prov.* V, 9, *seq.*)

In cod. Reg. past. p. III (*Cap.* 12, *admon.* 13), adjunctum est : *Ne des alienis honorem tuum*, etc. — Qui namque a nobis alieni sunt, nisi maligni spiritus, qui a cœlestis sunt patriæ sorte separati? Quis vero honor noster est, nisi quia etiam in luteis corporibus conditi, ad conditoris tamen nostri sumus imaginem et similitudinem creati? Vel quis alius crudelis est, nisi ille apostata angelus, qui et semetipsum pœna mortis superbiendo perculit, et inferre mortem humano generi etiam perditus non pepercit? Honorem itaque suum alienis dat, qui ad Dei imaginem ac similitudinem conditus, vitæ suæ tempora malignorum spirituum voluntatibus administrat. Annos etiam suos crudeli tradit, qui ad voluntatem male dominantis adversarii, accepta vivendi spatia expendit. Ubi bene subditur : *Ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena.* Quisquis enim per acceptam valetudinem corporis, per tributam sibi sapientiam, mentis non exercendis virtutibus, sed perpetrandis vitiis elaborat, nequaquam suis viribus suam domum, sed extraneorum habitacula, id est immundorum spirituum facta multiplicat; nimirum vel luxuriando, vel superbiendo agens, ut etiam se addito perditorum numerus crescat. Bene autem subditur : *Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnem et corpus tuum.* Plerumque enim accepta salus carnis per vitia expenditur : sed cum repente subtrahitur, cum molestiis caro atteritur, cum jam anima egredi urgetur, diu male habita quasi ad bene

[a] Ita Mss. Sag., Utic., etc., licet loco indicato legamus, *suæ visitationis.*

vivendum salus amissa requiritur, et tunc gemunt homines quod Deo servire noluerunt, quando damna suæ negligentiæ recuperare serviendo nequaquam possunt.

CAP. VIII.—*Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* (*Prov.* v, 15, *seq.*)

In commentario Ezech., homil. 13 (*Num.* 12), adjunctum est : *Bibe aquam de cisterna tua*, etc.—Valde contraria videntur esse quæ dicit : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide*, cum protinus adjungit : *Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui*. Quomodo enim aquam scientiæ solus habere poterit, si hanc in plateis dividit? Quomodo alieni aquarum ejus participes non sunt, si fontes illius foras derivantur? Sed cum prædicamus in populis, nimirum in plateis aquas dividimus, quia in auditorum multitudinem verba scientiæ dilatamus. Cum vero nos adjuvante divina gratia intrinsecus custodimus, et maligni spiritus qui vere a nobis alieni sunt, quia sortem beatitudinis perdiderunt, ne nobis in elatione subripiant, sollicitudine cauta circumspicimus, soli habemus aquas, quas in plateis dividimus, ut nobis in eis alieni participes non sint. Illi nimirum de quibus scriptum est : *Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam* (*Psal.* LIII, 5). Aquas ergo et in plateis dividit, et solus habet, qui per hoc, quod multis prædicat, in temporali se cogitatione gloriæ non exaltat. Tunc etenim possidet homo quod docet, quando non se gaudet innotescere, sed prodesse.

CAP. IX. — *Item unde supra.*

In cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 24, *admon.* 25). — Aquam quippe prædicator de cisterna sua bibit, cum ad cor suum rediens prius audit ipse quod dicit : *Bibit sui fluenta putei, si sui irrigatione infunditur verbi*. Ubi bene subjungitur : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide*. Rectum quippe est, ut ipse prius bibat, et tunc prædicando aliis influat. Fontes namque foras derivare est exterius aliis vim prædicationis infundere; in plateis autem aquas dividere est in magna auditorum amplitudine, juxta uniuscujusque qualitatem, divina eloquia dispensare. Et quia plerumque inanis gloriæ appetitus subrepit, dum sermo Dei ad multorum notitiam currit, postquam dictum est : *In plateis aquas divide*, recte subjungitur, *Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui*. Alienos quippe malignos spiritus vocat, de quibus per Prophetam tentati hominis voce dicitur : *Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam* (*Psal.* LIII, 5). Ait ergo : Aquas in plateis divide, et tamen solus bibe. Ac si apertius dicat : Si necesse est ut prædicationi exterius servias, quatenus per elationem te immundis spiritibus non conjungas, ne in divini verbi ministerio hostes tuos ad te participes admittas. Aquas ergo in plateis dividimus, et tamen soli possidemus, quando exterius late prædicationem fundimus, et tamen per eam humanas laudes assequi minime ambimus.

CAP. X. — *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam; illaqueatus es verbis ori tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico tibi, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ* (*Prov.* VI, 6, *seq.*).

In cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 4, *admon.* 5), adjunctum est : *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo*, etc. — Spondere namque pro amico est, alienam animam in periculo suæ conversationis accipere. Unde et apud extraneum manus deligitur, quia apud curam sollicitudinis quæ ante deerat, mens ligatur. Verbis vero oris sui illaqueatus est, ac propriis sermonibus captus, quia dum commissis sibi cogitur bona dicere, ipsum prius necesse est quæ dixerit, custodire. Illaqueatur igitur verbis oris sui, dum ratione exigente constringitur, ne ejus vita ad aliud quam admonet, relaxetur. Unde et apud districtum judicem cogitur tanta in opere exsolvere, quanta eum constat aliis voce præcepisse. Unde bene mox exhortatio subditur et dicitur : *Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera; quia incidisti in manus proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ*. Quisquis enim ad vivendum aliis in exemplum præponitur, non solum ut ipse vigilet, sed etiam ut amicum suscitet, admonetur. Ei namque vigilare bene vivendo non sufficit, [a] si non et illum, cui præest, a peccati torpore disjungit. Bene autem dicitur : *Ne dederis somnum oculis tuis*. Somnum quippe oculis dare, est intentione cessante subditorum curam omnino negligere. Palpebræ vero dormitant, cum cogitationes nostræ, quæ in subditis arguenda cognoscunt, pigredine deprimente dissimulant. Plene enim dormire, est commissorum acta nescire, nec corrigere. Non autem dormire, sed dormitare est, quæ quidem reprehendenda sunt cognoscere, sed tamen propter mentis tædium dignis ea increpationibus non emendare. Dormitando vero oculus ad plenissimum somnum ducitur, quia dum plerumque qui præest, malum quod cognoscit non resecat, ad hoc quandoque negligentiæ suæ merito pervenit, ut quod a subjectis delinquitur, nec agnoscat.

CAP. XI. — *Usquequo, piger, dormis* (*Prov.* VI, 10).

In expos. beati Job, l. VI, (*Num.* 20), adjunctum est : *Usquequo, piger, dormis?* — Electus igitur quisquis cum peccati somno premitur, ad justitiæ vigilias exsurgere conatur. Sed sæpe cum surrexerit, ipsa se extolli virtutum magnitudine sentit. Unde et tentari se præsentis vitæ adversitatibus post virtutes desiderat, ne pejus ex confidentia virtutum cadat. Si enim servari se melius per tentationem non cognosceret, nequaquam Psalmista dixisset : *Proba me, Domine, et tenta me* (*Psal.* XXV, 2).

CAP. XII. — *Homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso; annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et in omni tempore jurgia seminat* (*Prov.* VI, 12).

In cod. Reg. pastoralis part. III (*Cap.* 23, *admon.* 24), adjunctum est : *Vir inutilis graditur ore perverso*, etc. — Ecce quem seminantem jurgia dicere voluit, prius apostatam nominavit, quia nisi more superbientis angeli a conspectu conditoris prius intus aversione mentis caderet, foras postmodum, usque ad seminanda jurgia non veniret. Qui recte describitur quod annuit oculis, digito loquitur, terit pede. Interior namque est custodia quæ ordinata servat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat. Audiant jurgiorum seminatores quod scriptum est : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9); atque e diverso colligant, quia si Dei vocantur filii qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ sunt filii qui confundunt. Omnes autem qui per discordiam separantur, a viriditate dilectionis arefiunt; qui et si boni operis fructus in suis actibus proferunt, profecto nulli sunt, quia non ex unitate charitatis oriuntur. Illinc ergo perpendant seminantes jurgia quam multipliciter peccent, qui dum unam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In uno enim malo innumera peragunt, quia seminando discordiam, charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater est, exstinguunt. Quia autem nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, nihil desiderabilius est diabolo exstinctione charitatis, quisquis igitur seminando jurgia a

[a] Ita Sagiensis et Michael., at in Utic. et Cemet. : *Si non et illius cui præest peccati torporem disjungit.*

dilectione proximorum perimit, hosti Dei familiarius servit, quia qua ille amissa cecidit, hanc iste vulneratis cordibus subtrahens, eis iter ascensionis abscidit.

CAP. XIII. — *Nunquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam in summis excelsisque virtutibus, super viam in mediis stans semitis* (*Prov.* VIII, 1)?

In expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 29, 30), adjunctum est : *Nunquid non sapientia clamitat*, etc. — Transire fortasse per viam vitæ temporalis cum ejus ignorantia poteramus, si hæc eadem sapientia in semitæ angulis constitisset. Investiganda fuerat, si occulta esse voluisset. Sed postquam incarnationis suæ mysteria publice ostendit, postquam humilitatis exempla superbientibus præbuit, semetipsam nobis quasi transeuntibus in mediis semitis fixit, ut videlicet in eam, quam quærere nolumus, impingamus; et quam transeuntes videre negleximus, tangamus offendentes.

CAP. XIV. — *O viri, ad vos clamito* (*Prov.* VIII, 4).

In expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 6), adjunctum est : *O viri, ad vos clamito.* — De Domino igitur viri canunt, cum nobis ejus potentiam vel superni spiritus, vel perfecti quique doctores innotescunt. Sed tamen opus ejus ignoratur, quia nimirum judicia illius ipsi etiam qui hunc prædicant, impenetrata venerantur. Et sciunt ergo quem prædicant, et tamen ejus opera ignorant, quia cognoscunt per gratiam cum a quo facti sunt, sed ejus judicia comprehendere nequeunt, quæ ab illo etiam super ipsos fiunt. Quod enim omnipotens Deus perspicue in sua actione non cernitur, Psalmista testatur, dicens : *Qui posuit tenebras latibulum suum* [a] (*Psal.* XVII, 12).

CAP. XV. — *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, proposuit mensam. Misit ancillas, ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis : Si quis est parvulus, veniat ad me* (*Prov.* IX, 1, *seq.*).

In expos. beati Job, l. XVII (*Num.* 43), adjunctum est : *Sapientia ædificavit sibi domum*, etc. — Immolavit enim Dominus victimas, seipsum offerendo pro nobis : miscuit vinum præceptorum suorum poculum ex narratione historica et intelligentia spirituali contemperans. Unde alias dictum est : *Calix in manu Domini, vini meri, plenus est misto* (*Psal.* LXXIV, 9). Et proposuit mensam, id est Scripturam sacram, quæ fessos ad se atque a sæculi oneribus venientes, pane verbi nos reficit, et contra adversarios sua refectione nos roborat. Unde et alias ab Ecclesia dicitur : *Posuisti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me* (*Psal.* XXII, 5). Misit ancillas suas, apostolorum videlicet animas, in ipso suo initio infirmas ut vocarent ad arcem, et mœnia civitatis supernæ, quia dum æternam viam denuntiant, ad alta nos mœnia supernæ civitatis levant. Quæ profecto mœnia nisi humiles non ascendunt. Unde illic ab eadem Sapientia subditur : *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Ac si aperte dicat : Quisquis se apud se magnum æstimat, aditum sibi mei accessus angustat, quia tanto ad me altius pertingitur, quanto uniuscujusque mens apud se verius humiliatur. Sed quantalibet quisque virtute proficiat, quantalibet scientia excrescat, penetrare non sufficit, quo nos conditor moderamine judiciorum regit.

CAP. XVI. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 33). — Sapientia quippe domum sibi condidit, cum unigenitus Dei Filius in semetipso intra uterum Virginis, mediante anima, humanum sibi corpus creavit; sic quippe corpus Unigeniti, domus Dei dicitur, sicut etiam templum vocatur. Ita ut unus idemque Dei atque hominis filius ipse sit qui inhabitat, ipse qui inhabitatur. Quod tamen recte aliter accipitur, si domus sapientiæ Ecclesia vocetur. Quæ septem columnas excidit, quia ab amore præsentis sæculi disjunctas, ad portandum ejusdem Ecclesiæ fabricam mentes prædicantium erexit. Quæ pro eo quod perfectionis virtute subnixæ sunt, septenario numero designantur. Immolavit victimas, quia vitas prædicantium mactare in persecutione permisit. Vinum miscuit, quia divinitatis et humanitatis suæ pariter nobis arcana prædicavit. Mensam quoque proposuit, quia Scripturæ sacræ nobis pabula aperiendo præparavit. Ancillas etiam suas misit, quæ ad arcem nos, atque ad civitatis mœnia vocarent, quia prædicatores infirmos abjectosque habere studuit, qui fideles populos ad spiritualis patriæ ædificia superna colligerent. Unde Dominus in Evangelio Nathanaelem laudat, nec tamen in sorte prædicantium numerat, quia ad prædicandum eum tales venire debuerant, qui de laude propria nihil habebant, ut tanto solidius veritatis cognosceretur esse quod agerent, quanto et aperte cerneretur, quia ad hoc agendum per se idonei non fuissent. Ut ergo mira potentia per prædicatorum linguas claresceret, prius mirabilius actum est, ut eorumdem prædicantium meritum nullum esset.

CAP. XVII. — *Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit* (*Prov.* IX, 10).

In expos. beati Job, l. X (*Num.* 5), adjunctum est : *Qui erudit derisorem*, etc. — Nam fit plerumque ut cum correpta in se mala defendere nequeunt, ex verecundia pejores fiant, ac sic in sua defensione superbiunt, ut quædam vitia contra vitam corripientis exquirant, et eo se criminosos non æstimant, si crimina aliis imponant. Qui cum vera invenire nequeunt, fingunt ut ipsi quoque habeant, quod impari justitia increpare videantur.

CAP. XVIII. — *Noli arguere derisorem, ne oderit te* (*Prov.* IX, 18).

In expos. beati Job, . VIII (*Num.* 67, 68), adjunctum est : *Noli arguere derisorem*, etc. — Neque enim justo timendum est ne derisor cum corripitur, contumelias inferat, sed ne tractus ad odium pejor fiat. Inter hæc sciendum est quod justorum bona, quia ex corde incipiunt, usque ad præsentis vitæ terminum crescunt. Hypocritarum vero opera quia nequaquam sunt in occulto radicata, sæpe ante deficiunt quam præsens vita finiatur. Nam plerumque studio sacræ eruditionis insistunt, et quia hanc non præparandis meritis, sed promerendis favoribus inquirunt, statim ut judicium humanæ laudis arripiunt, et per hoc gratiam transitorii provectus assequuntur, tota mente sæcularibus curis inserviunt, atque a sacra funditus eruditione evacuantur, et agendo post indicant quantum temporalia diligant, qui sola prius æterna prædicabant. Plerumque autem assumptæ speciem maturitatis ostendunt; quiete silentii, longanimitate patientiæ, continentiæ virtute decorantur. Sed cum per hæc quæsiti culmen honoris attigerint, cumque sibi jam reverentia a cunctis impenditur, protinus se in lasciviam voluptatis infundunt, et bona se non ex corde tenuisse ipsi sibi testes sunt, qui hæc cito dimiserunt. Nonnunquam vero aliqui quæ possident tribuunt, atque indigentibus cuncta largiuntur, sed tamen ante vitæ terminum, avaritiæ prurigine accensi, aliena appetunt, qui sua largiri videbantur, et pertinaci post crudelitate ambiunt quod ficta prius pietate reliquerunt.

CAP. XIX. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 47). — Si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus, non jam lucra

[a] Hoc loco multa in Mss. Sag., Utic. et Michael. adduntur, quæ consequenter leguntur numero Moraliun indicato. Ploraque etiam ex sequentibus cap. in laudatis codicibus sunt longe prolixiora, additis multis vel in initio, vel in medio, vel in fine.

Dei, sed nostra quærimus. Qua in re sciendum est quod nonnunquam, cum redarguuntur pravi, deteriores existunt. Ipsis ergo et non nobis parcimus, si ab eorum redargutione pro eorum amore cessamus. Unde necesse est ut aliquando toleremus tacendo quod sunt, quatenus in nobis discant videndo quod non sunt. [a] Quia igitur sancta Ecclesia, quæ verba sua semper per charitatem exerit, ea etiam nonnunquam ex charitate restringit, dicat : *Noli*, etc.

A

Cap. XX. — *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior* (*Prov.* IX, 17).

In expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 49), adjunctum est : *Aquæ furtivæ dulciores sunt*, etc. — Per panem hæreticorum interdum prædicatio designatur, sicut per Salomonem mulier hæreticæ Ecclesiæ typum gestans, et stultos convocans dicit : *Panes occultos libenter edite.* Vel ut in nostra translatione scriptum est : *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.* Sunt enim nonnulli hæretici qui aperte metuunt prædicare quod sentiunt, et apud infirmorum mentes verba sua tanto magis condiunt, quanto quasi amplius reverenter abscondunt. Unde non immerito dicitur : *Panes occultos libenter edite.* Miseris enim cordibus occulta hæreticorum verba eo magis sapiunt, quo cum reliquis communiter non habentur.

Cap. XXI. — *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Prov.* X, 9).

In cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 11 *admon.* 12), adjunctum est : *Qui ambulat simpliciter*, etc. — Fiducia quippe magnæ securitatis est simplicitas actionis.

Cap. XXII. — *Quasi tempestas transiens non erit impius* (*Prov.* X, 25).

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 50), adjunctum est : *Quasi tempestas transiens*, etc. — Cum infirmus quisque perversos florere conspicit, hunc in perversitatis pelagus unda mergit miseræ imitationis.

Cap. XXIII. — *Manus in manu non erit innocens malus* (*Prov.* XI, 21).

In expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 7), adjunctum est : *Manus in manu non erit innocens malus.* — Manus enim manui jungi solet, quando quiescit in otio, et nullus eam in usus laboris exercet. *Manus* ergo *in manu non erit innocens malus.* Ac si diceret : Et cum manus cessat ab iniquo opere, malus tamen non est innocens per cogitationem. Quia ergo novimus quod districte omnia non solum facta, sed etiam cogitata pensentur, quid faciemus de incessu mali operis, si sic subtiliter Deus judicat gressus cordis ? Ecce occulta mentis nostræ itinera nullus hominum videt, et tamen ante Dei oculos tot gressus ponimus, quot affectus movemus, toties ante illum labimur, quoties a recto itinere infirmæ cogitationis pede claudicamus.

Cap. XXIV. — *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua* (*Prov.* XI, 22).

In expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* 2), adjunctum est : *Circulus aureus in naribus suis*, etc. — Hæretica namque doctrina nitore videtur eloquii resplendere, nec tamen sapientiæ apto intellectu congruere. Ait ergo : *Circulus aureus in naribus suis*, id est pulchra et circumplexa locutio in sensibus mentis stultæ : cui ex eloquio aurum pendet, sed tamen ex terrenæ intentionis pondere, more suis, ad superiora non respicit. Quod secutus exposuit, dicens : *Mulier pulchra et fatua*, id est doctrina hæretica, pulchra per verbum, fatua per intellectum.

Cap. XXV. — *Præstolatio impiorum furor* (*Prov.* XI, 23).

In expos. beati Job, l. V (*Num.* 79), adjunctum est : *Præstolatio impiorum furor.* — Sicque fit ut perturbatus animus majorem strepitum sui silentii sentiat, eumque gravius clausæ iræ flamma consumat.

Cap. XXVI. — *Anima quæ benedicit, impinguabitur : et qui inebriat, ipse quoque inebriatur* (*Prov.* XI, 25).

In cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 25, *admon.* 26), adjunctum est : *Anima quæ benedicit*, etc. — Qui enim nimirum exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit. Et dum vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit.

Cap. XXVII. — *Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis* (*Prov.* XI, 26).

In cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 25, *admon.* 26), adjunctum est : *Qui abscondit frumenta*, etc. — Frumenta quippe abscondere est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur, aspiciant, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum ? Unde bene per prophetam dicitur : *Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jerem.* XLVIII, 10). Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere.

B

Cap. XXVIII. — *Qui stultus est, serviet sapienti* (*Prov.* XI, 33).

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 52), adjunctum est : *Qui stultus est, serviet sapienti.* — Sæpe tamen conspicimus sapientes subesse, stultos vero arcem dominii tenere ; sapientes serviliter obsequi ; stultos tyrannica elatione dominari. Quomodo igitur definitione divinæ sententiæ sapienti stultus servit, dum plerumque hunc jure temporalis dominii comprimit ? Sed sciendum est quia contra sapientis vitam, dum stultus præeminens, terrorem potestatis exercet, dum nunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profecto hunc ab omni vitiorum rubigine urendo purgat. Stultus ergo sapienti etiam dominando servit, quem ad meliorem statum premendo provehit ; sic nonnunquam pupillis dominis ad disciplinæ magisterium servi præsunt, terrent, premunt, feriunt ; et tamen esse servi nullo modo desistunt, quia ad hoc ipsum ordinati sunt, ut proficientibus dominis etiam feriendo famulentur. Quia igitur mala reproborum bonos, dum cruciant, depurgant, utilitati justorum militat etiam potestas iniquorum. Sed plerumque justi tribulatione deprehensi, tardam manum subvenientis æstimant, cum se persequentium immanitas paulo longius angustat, et concita quidem sunt ereptionis remedia, sed hoc quod ab ereptore citius agitur, dolori tardum videtur. Cumque adesse postulationi auxilium quæritur, si vocem non statim sequitur, quia desit, æstimatur.

C

D

Cap. XXIX. — *Cogitationes justorum judicia* (*Prov.* XII, 5).

In expos. beati Job, l. XXV (*Num.* 13), adjunctum est : *Cogitationes justorum judicia.* — Debet enim cujusque mens, et causas suas apud Dominum, et causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere, debet caute pensare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius perverse viveudo responderit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non cessant. Unde bene Salomon ait : *Cogitationes justo-*

[a] Gemet., *Quia igitur.* Legitur tamen *Quia*, loco Moralium indicato.

rum judicia. Accedunt enim ad secretarium judicis intra sinum cordis, considerant quam districte quandoque feriat, qui diu patienter exspectat. Metuunt in his, quæ se egisse meminerunt, et puniunt flendo, quod perpetrasse se intelligunt, timent subtilia divina judicia, etiam de his quæ in semetipsis intelligere fortasse non possunt. Vident enim videri divinitus, quod ipsi in se per humanitatem non vident. Conspiciunt districtum judicem, qui quo tardius venit, eo severius percutit. Sanctorum etiam patrum residere conventum cum eo pariter contemplantur, eorumque vel exempla, vel dicta se contempsisse reprehendunt, atque in hoc secreto interioris judicii ipsa mentis suæ exsecutione constricti pœnitendo feriunt, quod superbiendo commiserunt. Ibi namque adversum se, quidquid se impugnat enumerant, ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coacervant. Ibi quidquid per iram districti judicis discerni possit intuentur, ibi tot patiuntur supplicia quot pati timent. Nec deest in hoc judicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat; nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod judicium eo certius punit, quo interius sævit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Unusquisque enim cum causam hujus examinis contra se aggredi cœperit, ipse est actor qui exhibet, ipse reus, qui exhibetur. Odit se, qualem fuisse se meminit, et ipse qui est, per semetipsum insequitur illum qui fuit, atque ab ipso homine adversus semetipsum fit quædam rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.

Cap. XXX. — *Verte impios, et non erunt* (*Prov.* XII, 7).

In hom. XXXII (*Num.* 2), in Evang. adjunctum est: *Verte impios, et non erunt.* — Conversi namque impii non erunt, non quia omnino non erunt in essentia, sed scilicet non erunt impietatis culpa. Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, tunc nosipsos abnegamus, cum mutamus quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur quo per novitatem vocamur.

Cap. XXXI. — *In ore stulti virga superbiæ* (*Prov.* XIV, 3).

In expos. beati Job, l. XXIV (*Num.* 40, 41), adjunctum est: *In ore stulti virga superbiæ.* — Quia videlicet percutere rigide scit, sed compati humiliter nescit. Solent etiam prædicatores justi, auditores suos objurgando corrigere, solent in eorum vitiis districta increpatione sævire. Unde scriptum est: *Verba sapientium quasi stimuli, et sicut clavi in altum defixi* (*Eccles.* XII, 11).

Cap. XXXII. — *Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus* (*Prov.* XIV, 10).

In expos. beati Job, l. V (*Num.* 3, 4), adjunctum est: *Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ*, etc. — In amaritudine namque sunt corda reproborum, quia ipsis etiam pravis desideriis affliguntur, sed eamdem amaritudinem nesciunt, quia pensare quod tolerant, sponte sua excæcati non possunt. At contra, cor bonorum amaritudinem suam novit, quia ærumnam exsilii in qua projectum laceratur intelligit, et quam sint tranquilla quæ perdidit, quam confusa in quibus cecidit sentit. Sed hoc amaricatum cor ad gaudium suum quandoque reducetur, atque in ejus gaudio extraneus non miscebitur, quia is, qui nunc [a] ab hoc mœrore cordis foras se per desideria sæculi ejicit, exclusus tunc ab illa intima ejus solemnitate remanebit. Hi itaque qui in amaritudine animæ sunt, mori mundo funditus concupiscunt, ut sicut in sæculo ipsi nihil appetunt, ita jam a sæculo nulla obligatione teneantur. Et plerumque contingit ut homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus hominem occupationibus astringat. Et ipse quidem mundo jam mortuus est, sed ipsi mundus adhuc mortuus non est. Quasi enim vivus adhuc mundus eum conspicit, dum alio intentum in suis actionibus rapere contendit.

Cap. XXXIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. VI (*Num.* 23). — Humana etenim mens animæ suæ amaritudinem scit, cum æternæ patriæ desideriis accensa, peregrinationis suæ pœnam flendo cognoscit. Sed in ejus gaudio extraneus non miscebitur, quia qui nunc a mœrore compunctionis alienus est, tunc particeps ad lætitiam consolationis non est. Hinc est quod in Evangelio Veritas dicit: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Cap. XXXIV. — *Est via, quæ videtur hominibus recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem* (*Prov.* XIV, 12).

In expos. beati Job, l. V (*Num.* 12), adjunctum est: *Est via*, etc. — Unde sancti viri, cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim quia corruptionis adhuc pondere gravati, dijudicare bona subtiliter nesciunt, et cum ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipsa in se nonnunquam et quæ approbant metuunt, et tota quidem mente interna desiderant, et tamen de incertitudine trepidi quo gradiuntur, ignorant.

Cap. XXXV. — *Corona sapientium divitiæ, fatuitas stultorum imprudentia* (*Prov.* XIV, 24).

In expos. beati Job, l. XXII (*Num.* 8), adjunctum est: *Corona sapientium divitiæ*, etc. — Si enim coronas sapientium terrenas divitias diceret, procul dubio fatuitatem stultorum, paupertatem potius quam imprudentiam fateretur. Sed dum fatuitatem stultorum imprudentiam subdidit, sapientum divitias, quia prudentiam dixerit, indicavit. Has in se Paulus scientiæ divitias contemplatus, et contemplationem suam consideratione humanæ fragilitatis humilians, ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV, 7). Multas itaque apud nos divitias reperimus, cum dona abundantis intelligentiæ sacra eloquia investigando percipimus, atque in his plura nec tamen sibimet diversa sentimus. Non est autem secura lætitia in divinis paginis vel fortia vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo operari debeat, agnoscit. Quanto enim per intellectum latius extenditur, tantum ad explenda opera enixius ligatur.

Cap. XXXVI. — *In timore Domini fiducia fortitudinis* (*Prov.* XIV, 26).

In expos. beati Job, l. V (*Num.* 33), adjunctum est: *In timore Domini fiducia fortitudinis.* — Timori quippe Domini inesse fiducia fortitudinis dicitur, quia nimirum mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori earumdem veracius per formidinem subdit. Quæ in timore Domini constituta non invenit, extra quod metuat, quia dum recto metu conditori omnium jungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur. Fortitudo autem nonnisi in adversitate ostenditur, unde et mox post fortitudinem patientia subrogatur. Tanto enim se quisque ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat. Nam minus in se convaluit quem aliena iniquitas sternit. Qui in eo, quod ferre contrarietatem non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus jacet. Quia vero perfectio de patientia nascitur, statim post patientiam, viarum perfectio subinfertur. Ille enim vere perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit, ipse sibi testis

[a] Utic.: *Ad hoc in errore cordis foris se ad desideria ejicit.*

est quod perfecte necdum proficit. Hinc in Evangelio Veritas dicit : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 29).

CAP. XXXVII. — *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia* (*Prov.* XIV, 30).

In expos. beati Job, l. v (*Num.* 85), adjunctum est : *Vita carnium sanitas cordis*, etc. — Quid enim per vitam carnis, nisi infirma quædam ac tenera, et quid per ossa, nisi fortia acta signantur ? Plerumque contingit ut quidam cum vera cordis innocentia in nonnullis suis actibus infirmi videantur, quidam vero jam quædam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona intus invidiæ pestilentia latenter tabescant. Bene ergo dicitur : *Vita carnium sanitas cordis*, quia si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt, quandoque roborantur. *Putredo ossium invidia*, quia per livoris vitium ante Dei oculos percunt, etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa quippe per invidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire [a].

[a] Post hæc verba in Mss. Vaticano multa sunt attexta ex his quæ loco assignato sequuntur, usque ad hæc : *Nihil est quod ejus erga proximum charitati contradicat.*

LIBER DECIMUS TERTIUS.

De Testimoniis in Cantica Canticorum.

CAPUT PRIMUM. — *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1).

In expos. beati Job, lib. XIV (*Num.* 51), adjunctum est : *Osculetur me osculo oris sui.* — Sancta Ecclesia quot præcepta ex ejus prædicatione cognovit, quasi tot oris ejus oscula accepit. Osculum recte conditoris sui desiderat, quæ se ei obsequi per amorem parat.

CAP. II. — *Adolescentulæ dilexerunt te* (*Cant.* I, 3).

In expos. beati Job, l. XXIV (*Num.* 8), adjunctum est : *Adolescentulæ dilexerunt te.* — Scriptura sacra sæpe adolescentiam pro novitate vitæ ponere consuevit. Unde venienti sponso dicitur : *Adolescentulæ dilexerunt te*, id est electorum animæ gratia baptismatis renovatæ, quæ non vitæ veteris usu deficiunt, sed novi hominis conversatione decorantur.

CAP. III. — *Posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi* (*Cant.* I, 5).

In hom. 17 in Evang. (*Num.* 14), adjunctum est : *Posuerunt me custodem in vineis*, etc. — Vineæ quippe, nostræ actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in vineis positi, nostram vineam minime custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus.

CAP. IV. — *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant.* I, 6).

In hom. 33 in Evang. (*Num.* 7), adjunctum est : *Indica mihi*, etc. — Cervorum quippe hinnulus Dominus appellatur, juxta assumptam carnem, antiquorum filius patrum. Ferventior vero in meridie æstus ardescit, et umbrosum locum hinnulus quærit, quem æstus igne afficit. In illis ergo cordibus Dominus requiescit, quæ amor præsentis sæculi non incendit, quæ carnis desideria non exurunt, quæ incensa suis anxietatibus in hujus mundi concupiscentiis non arescunt. Umbrosa ergo loca in meridie ad pascendum hinnulus quærit, quia talibus mentibus Dominus pascitur, quæ per respectum gratiæ temperatæ, corporalibus desideriis non uruntur.

CAP. V. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 79). — Pascitur quippe Dominus, cum bonis nostris actibus delectatur. Cubat vero in meridie, cum ex desideriis carnalibus ardenti corde reproborum, apud electorum suorum pectora refrigerium invenit cogitationis bonæ.

CAP. VI. — *Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos* (*Cant.* I, 7).

In expos. beati Job, l. XVI (*Cap.* 21 *sub init.*), adjunctum est : [a] *Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres*, etc. — Id est, nisi honorem tuum quo ad similitudinem Dei es condita, bene vivendo cognoveris, a conspectu meæ contemplationis egredere, et imperitorum vitam imitare populorum. [b] Semetipsam namque ea quæ est inter mulieres pulchra cognoscit, quando electa quæque anima etiam inter peccantes posita, quod ad auctoris sui imaginem ac similitudinem sit condita, meminit, et juxta perceptæ similitudinis ordinem incedit. Quæ si se non cognoscit egreditur, quia a secreto sui cordis expulsa, in exterioribus concupiscentiis dissipatur. Egressa vero abit post vestigia gregum, quia sua interna deserens, ad latam videlicet viam ducitur, et sequitur exempla populorum. Nec jam agnos, sed hædos pascit, quia non innoxias cogitationes mentis, sed nutrire pravos motus carnis intendit.

CAP. VII. — *Donec rex in recubitu suo est, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I, 11).

In expos. beati Job, l. XXXV (*Num.* 43), adjunctum est : *Donec rex in recubitu suo est*, etc. — Ac si aperte dicat : Quousque meis obtutibus rex apud se in requie secreti cœlestis absconditur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur, ut quo adhuc eum quem appetit non videt, ardentius per desiderium flagret. Rege quippe in recubitu suo posito, nardus odorem dat, dum quiescente in sua beatitudine Domino, sanctorum virtus in Ecclesia magnæ nobis gratiam suavitatis administrat.

CAP. VIII. — *Fulcite me floribus, et stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II, 5).

In comment. in Ezech., l. II, hom. 3 (*Num.* 8), adjunctum est : *Fulcite me floribus*, etc. — Quid namque sunt flores, nisi animæ bonum jam opus inchoantes, et desiderium cœleste redolentes ? Quid mala de floribus, nisi perfectæ jam bonorum mentes, quæ ad fructum perveniunt boni operis, de initio sanctæ propositionis? Quæ ergo amore languet, fulciri quærit floribus, stipari malis, quia si illum, quem desiderat videre, adhuc non permittitur, magna ei est consolatio, si de aliorum profectibus lætetur. Anima ergo sancto amore languida, floribus malisque fulciatur, ut requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei.

CAP. IX. — *Vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* II, 5, *sect. LXX*).

In expos. beati Job, l. VI (*Num.* 42), adjunctum est : *Vulnerata charitate ego sum.* — Male enim sana anima, atque in hujus exsilii cæca securitate prostrata, nec videbat Dominum, nec videri requirebat a Domino. Percussa autem charitatis ejus spiculis, vulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis, et miro modo vivificatur ex vulnere quæ prius mortua jacebat in salute. Æstuat, anhelat, etiam videre desiderat quem fugiebat. Percussione

[a] Eadem leguntur lib. XXX ejusdem exposit. in Job, num. 56.

[b] Hic incipit caput in Michael.

ergo ad salutem reducitur, quæ ad securitatem quietis ultimæ, amoris sui perturbatione revocatur. Sed cum sauciata mens anhelare in Deo cœperit, cum cuncta mundi hujus blandimenta despiciens, ad supernam patriam per desiderium tendit, ad tentationem ei protinus vertitur quidquid amicum prius in sæculo, blandumque putabatur. Nam qui peccantem amare consueverant, recte viventem crudeliter impugnant; et rectus in Deo animus carnis suæ bella tolerat, in qua prius vitiis serviens delectabiliter jacebat. Voluptates priscæ ad memoriam redeunt, et contradicentem mentem gravi certamine affligunt. Sed dum transitorio labore atterimur, a perpetuo dolore liberamur.

CAP. X. — *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II, 6).

In cod. Reg. past. part. III (*Cap.* 26, *admon.* 27), adjunctum est : *Læva ejus sub capite meo*, etc. — Sinistram Dei, prosperitatem videlicet vitæ præsentis, quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premit. Dextera vero Dei eam amplectitur, quia sub æterna ejus beatitudine tota devotione continetur.

CAP. XI. — *Ecce iste venit saliens in montibus, et transiliens colles* (*Cant.* II, 8).

In expos. Evang. in hom. 29 (*Num.* 10), adjunctum est : *Ecce venit saliens in montibus*, etc. — Consideravit namque tantorum operum culmina, et ait : *Ecce iste venit saliens in montibus.* Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam, ut ita dixerim, saltus dedit. De cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum. Ecce, ut nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem Veritas dedit.

CAP. XII. — *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* (*Cant.* II, 9).

In expos. Ezech., l. II (*Num.* 15), homil. 1, adjunctum est : *En ipse stat post parietem nostrum*, etc. — Qui enim humanis oculis hoc quod de mortali natura assumpsit, ostendit, et in ipso invisibilis permansit in aperto se videre quærentibus, quasi post parietem stetit, quia videndum se manifesta majestate non præbuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumpsit, ostendit, et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Unde et illic subditur : *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quisquis enim per fenestras, vel per cancellos respicit, nec totus latet, nec totus videtur. Sic nimirum Redemptor noster ante dubitantium oculos factus est, quia si miracula faciens nil pertulisset, ut homo plene eis apparuisset Deus, et rursum humana patiens, si nulla fecisset ut Deus, putaretur purus homo. Sed quia et divina fecit, et humana pertulit, quasi per fenestras, vel per cancellos ad homines prospexit, ut Deus appareret ex miraculis, et lateret ex passionibus, et homo cerneretur ex passionibus, sed tamen esse ultra homines ex miraculis agnosceretur.

CAP. XIII. — *Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni; jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit* (*Cant.* II, 10).

In expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 45), adjunctum est : *Surge, propera, amica mea*, etc. — Transeunte hyeme, imber recedit, quia cum vita præsens peragitur, in qua nos ignorantiæ nubilo carnis corruptibilis torpor astrinxerat, omne ministerium prædicationis cessat. Clarius quippe per nos tunc videbimus hoc quod sanctorum nunc vocibus obscurius audimus.

[a] CAP. XIV. — *In lectulo meo per noctem quæsivi illum, et non inveni* (*Cant.* III, 1).

In expos. beati Job, l. VIII (*Num.* 41), adjunctum est : *In lectulo meo per noctem quæsivi illum*, etc. — In lectulo quippe, et per noctem dilectus quæritur, quia nimirum invisibilis conditoris species repressa omni corporeæ visionis imagine, in cubili cordis invenitur.

CAP. XV. — *Quæsivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem : Num quem diligit anima mea vidistis? Cum paululum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea* (*Cant.* III, 3).

In expos. Evangel., homil. 25 (*Num.* 2), adjunctum est : *Quæsivi illum, et non inveni*, etc. — Dilectum in lectulo quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie, Redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia etsi jam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. Sed qui dilectum suum non invenit, restat ut surgat, et civitatem circumeat, id est sanctam electorum Ecclesiam mente et inquisitione percurrat. Per vicos eum et in plateis quærat, id est per angusta et lata gradientes aspiciat, ut si qua invenire in eis valeat, ejus vestigia exquirat, quia sunt nonnulli etiam vitæ sæcularis qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inveniunt, qui custodiunt civitatem, quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, ut suo vel verbo, vel scripto nos doceant. Quos cum paululum pertransimus, invenimus quem diligimus, quia Redemptor noster, etsi humilitate homo inter homines, divinitate tamen super homines fuit. Cum ergo transeuntur vigiles, dilectus invenitur, quia cum prophetas et apostolos infra ipsum esse conspicimus, illum qui natura Deus est, esse supra homines consideramus. Prius ergo non inveniendus quæritur, ut post inventus, strictius teneatur.

[b] CAP. XVI. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 4). — Dilectus in lectulo per noctes quæritur, quia intra secreta cordis cubilia, in tribulatione spiritus desideratur. Quem tamen quærens sponsa non invenit, quia electa quæque anima jam quidem amoris ejus facibus flagrat, sed adhuc quæsiti negatur species, ut amantis desiderium crescat. Et quasi in siti aqua subtrahitur, ut ejusdem sitis æstus augeatur, et quo hanc diutius sitiens desiderat, eo quandoque, cum invenerit, avidius sumat. Sed hanc quærentem vigiles inveniunt, eamque vulnerant, et ejus pallium tollunt, quia unamquamque animam Redemptoris sui jam speciem requirentem, cum solliciti doctores inveniunt, hanc per prædicationis verbum cœlestis amoris spiculis vulnerant. Et, si quod ei adhuc de vetusta conversatione tegmen inest, subtrahunt, ut quo exuta ab hujus mundi onere redditur, eo, is qui quæritur, ab illa citius inveniatur.

CAP. XVII. — *Item unde supra.*

In commentario Ezech. hom. 19 (*Num.* 11). — In lectulo enim dilectum quærit, quando in ipso suo otio et vacatione, quam appetit, jam videre anima Dominum concupiscit, jam ad eum exire desiderat, jam carere præsentis vitæ tenebris anhelat. Sed quærit illum, et non invenit, quia quamvis magno amore desideret, adhuc tamen ei videre non conceditur, quem amat.

CAP. XVIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. V (*Num.* 6). — Abscondit se sponsus cum quæritur, ut non inventus ardentius quæratur, et differtur quærens sponsa, ne inveniat ut tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inveniat quod quærebat.

CAP. XIX. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 80). — Quos vigiles qui civitatem custodiunt, nisi priores Patres vel prophetas accipimus, qui studuerunt ad custodiam

[a] Abest a Ms. Michael. in quo solo legimus Pateril lucubrationem in Cantica.

[b] Non habetur in Ms.

nostram sanctæ prædicationis voce vigilare? Sed cum Redemptorem suum Ecclesia quæreret, in ipsis antiquis prædicatoribus spem figere noluit, quæ dicit: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Istum quippe invenire non potuisset, si istos pertransire noluisset. In istis se custodibus infideles fixerant, qui Christum Dei filium unum quemlibet esse illorum credebant. Voce igitur ac fide Petri inventos vigiles, sancta Ecclesia transiit, quæ prophetarum dominum unum quemlibet ex prophetis credere contempsit.

CAP. XX. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXVII (*Num.* 4): *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* — Quia visionis ejus mens avida nisi prophetarum æstimationem, nisi patriarcharum celsitudinem, nisi cunctorum hominum mensuram transcenderet; eum qui est super homines, non inveniret. Transire ergo vigiles, est etiam eos quos miratur anima, in ejus comparatione postponere, et tunc is qui quærebatur, cernitur, si homo quidem, sed tamen extra mensuras hominum credatur.

CAP. XXI. — *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii* (*Cant.* III, 6).

In expos. beati Job, l. I (*Num.* 54), adjunctum est: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum*, etc. — Sancta Ecclesia sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit, quia ex vitæ suæ virtutibus in interni quotidie incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per cogitationes defluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris virga constringit. Quæ ea quæ agit, dum recogitare semper ac retractare non desinit, myrrham quidem et thus habet in opere, sed pulverem in cogitatione.

CAP. XXII. — *Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi* (*Cant.* III, 2).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 56), adjunctum est: *Omnes tenentes gladios*, etc. — Quid in divina Scriptura per gladium figuretur, Paulus aperuit, dicens: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17). Salomon autem non ait: Omnes habentes gladios, sed tenentes, quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere. Habet quippe, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundum illud vivere negligit, et doctus esse ad bella jam non [a] valet, qui spiritualem quem habet gladium minime exercet. Nam resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit.

CAP. XXIII. — *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos* (*Cant.* III, 8).

In expos. beati Job, l. XX (*Num.* 8), adjunctum est: *Uniuscujusque ensis super femur suum*, etc. — Nocturni quippe timores sunt insidiæ tentationis occultæ. Ensis autem super femur, est custodia vigilans, carnis illecebras premens. Ne ergo nocturnus timor, id est occulta et repentina tentatio subrepat, semper necesse est ut femur nostrum superpositus custodiæ ensis premat. Sancti etenim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti, quippe quibus dicitur: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11).

CAP. XXIV. — *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constravit propter filias Jerusalem* (*Cant.* III, 9, *seq.*).

In commentario Ezech., l. II, hom. 3 (*Num.* 13, 14, 15), adjunctum est: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani*, etc. — Neque enim credendum est Salomonem tantæ magnitudinis regem, qui sic immensis divitiis affluebat ut pondus auri ejus æstimari non posset, et argentum in diebus illis pretium non haberet, quia ferculum sibi ligneum fecit. Sed est Salomon, videlicet pacificus noster, qui sibi de lignis Libani ferculum fecit. Libani quippe ligna cedrina valde sunt imputribilia. Ferculum itaque regis nostri sancta Ecclesia est, quæ de fortibus patribus, id est de imputribilibus mentibus est constructa. Quæ recte ferculum dicitur; quia ipsa fert quotidie animas ad æternum convivium conditoris sui. Cui ferculo columnæ argenteæ factæ sunt, quia prædicatores Ecclesiæ sanctæ eloquii luce resplendent. Est autem cum columnis argenteis reclinatorium aureum, quia per hoc quod a sanctis prædicatoribus lucide dicitur, mentes audientium fulgorem claritatis animæ, in qua reclinentur inveniunt. Per hoc enim quod luculente et aperte audiunt, in illud, quod claresci, in corde requiescunt. Columnæ ejus argenteæ, et reclinatorium aureum factum est, quia per lucem sermonis invenitur apud animum claritas quietis. Illius jam quippe fulgor internus mentem irradiat, ut per intentionem ibi requiescat, ubi prædicationis gratia non quærebatur. Sed ad hoc, quod clarum intus ostenditur, qualis sit ascensus adjungit, cum de eodem ferculo protinus subdit: *Ascensum purpureum.* Vera quippe purpura, quia de sanguine tingitur, non immerito in colore sanguinis videtur; quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiæ per martyrii sanguinem pervenit ad regnum. Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo, quia ad clarum, quod intus aspicitur, per tribulationem sanguinis pervenitur. Quid ergo nos miseri, atque ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columnæ esse non possumus, quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus, quia necdum sicut oportet, per intellectum, spiritualem requiem internæ claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro Redemptore nostro fundere sanguinem non valemus. Quid ergo de nobis agendum est? quæ spes erit, si nullus ad regnum pervenit, nisi qui summis præditus virtutibus fuerit? Sed adest quoque nostra consolatio. Amemus, in quantum possumus, Deum, diligamus proximum, et simul quoque nos ad Dei ferculum festinemus, quia sicut illic scriptum est: *Media charitate constravit.* Habe quippe charitatem, et ibi sine dubio pertines, ubi et columna argentea erigitur, et ascensus purpureus tenetur. Tamen quia hoc propter nostram infirmitatem dicitur, aperte monstratur, cum illic protinus subditur: *Propter filias Jerusalem.* Sermo etenim Dei, qui non filios, sed filias dicit, quid aliud per sexum femineum, quam mentium infirma signavit? Quod ergo illic inter columnas argenteas reclinatorium aureum, et ascensum purpureum inesse media charitas dicitur, propter filias Jerusalem, hoc hic inter thalamos per quinque cubitos designatur, quia et qui in virtutibus infirmantur, si ipsi bona quæ possunt facere cum charitate non negligunt, a Dei ædificio alieni non sunt.

CAP. XXV. — *Dentes tui sicut greges detonsarum ascendentium de lavacro* (*Cant.* IV, 2).

In expos. beati Job, l. XXXIII (*Num.* 47), adjunctum est: *Dentes tui sicut greges*, etc. — Non immerito sancti detonsis ac lotis ovibus comparantur, quia innocuam vitam sumentes, in lavacro baptismatis, conversationis pristinæ vellera vetusta posuerunt.

CAP. XXVI. — *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce* (*Cant.* IV, 3).

In expos. beati Job, l. II (*Num.* 82), adjunctum est: *Sicut vitta coccinea labia tua*, etc. — Vitta quippe crines capitis astringit. Labia ergo Sponsæ sicut vitta sunt; quia exhortatione sanctæ Ecclesiæ,

[a] Ita Mss., Ed., *vellet.*

cunctæ in auditorum mentibus diffusæ cogitationes ligantur, ne amissæ defluant, ne sese per illicita spargant, ne sparsæ cordis oculos deprimant, sed quasi ad unam se intentionem colligant, dum vitta eas sanctæ prædicationis ligat. Quam recte et coccineam asserit, quia sanctorum prædicatio solo charitatis ardore flammescit. Quid vero per caput, nisi ea quæ principale uniuscujusque actionis est, mens ipsa signatur? ut et alias dicitur : *Et oleum de capite tuo non deficiat* (*Eccl.* IX, 8). Oleum quippe in capite est charitas in mente, et a capite oleum non deficit, cum charitas a mente non discedit.

CAP. XXVII. — *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (*Cant.* IV, 5).

In expos. beati Job, l. XXIV (*Num.* 17), adjunctum est : *Duo ubera tua sicut hinnuli capreæ gemelli*, etc. — Quæ sunt duo ubera, nisi ex Judæa et gentilitate veniens uterque populus, qui in sanctæ Ecclesiæ corpore per intentionem sapientiæ arcano est cordis infixus? Ex quo populo hi qui electi sunt, idcirco capreæ hinnulis comparantur, quia per humilitatem quidem parvos sese ac peccatores intelligunt, sed eis per charitatem currentibus, si qua obstacula de impedimento temporalitatis obviant, transeunt, et datis contemplationum saltibus, ad superna conscendunt, quia ut hæc agant, præcedentium sanctorum exempla conspiciunt. Unde et in liliis pasci referuntur. Quid enim per lilia, nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt : *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* 2, 15)? Electi ergo ut assequi summa prævaleant, conspecta odorifera et candida justorum vita satiantur. Jam quidem videre Dominum sitiunt, jam de ejus contemplatione satiari charitatis æstibus inardescunt. Sed quia in hac vita positi, necdum valent, per præcedentium interim Patrum exempla pascuntur. Unde et apte illic tempus de ipso liliorum pastu definitur, dum dicitur : *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ*. Tandiu quippe refici justorum exemplis indigemus, donec præsentis mortalitatis umbras, æterno die aspirante, transeamus. Cum enim hujus temporalitatis umbra transacta hac mortalitate fuerit inclinata, quia ipsius diei internum lumen cernimus, nequaquam jam appetimus, ut ad amorem ejus per aliorum exempla flagremus. Nunc autem quia necdum eum intueri possumus, summopere necesse est, ut eorum, qui illum perfecte secuti sunt, conspectis actionibus incitemur. Intueamur ergo quam pulchra est agilitas sequentium, et videamus quam turpis hebetudo pigrorum. Statim namque ut bene agentium gesta respicimus, nosmetipsos, confusione intima ulciscente judicamus. Mox verecundia mentem concutit, mox juste sæviens reatus addicit, et vehementer hoc etiam displicet, quod adhuc fortasse turpiter libet.

CAP. XXVIII. — *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum* (*Cant.* IV, 8).

In expos. beati Job, l. XVII (*Num.* 52), adjunctum est : *Coronaberis de capite Amana*, etc. — Quid aliud leonum nomine, quam dæmonia signantur, quæ ira contra nos atrocissimæ crudelitatis insæviunt? quia et peccatores ad fidem vocati sunt, quorum corda leonum cubilia fuerunt, dum vicisse mortem Dominus eorum confessione creditur, quasi de leonum cubilibus coronatur. Remuneratio quippe victoriæ corona est. Toties ergo ei coronam fideles offerunt, quoties hunc vicisse mortem ex resurrectione confitentur.

CAP. XXIX. — *Meliora ubera tua vino* (*Cant.* IV, 10).

In expos. beati Job, l. XXX (*Num.* 48), adjunctum est : *Meliora ubera tua vino*. — Ubera sunt, quæ in arca pectoris fixa, lacte nos potant, quia prædicatores arcanis summæ contemplationis inhærentes, subtili prædicatione nos nutriunt.

CAP. XXX. — *Mel et lac sub lingua tua* (*Cant.* IV, 11).

In expos. beati Job, l. XV (*Num.* 13), adjunctum est : *Mel et lac sub lingua tua*. — Sicut plerique justorum, cum quosdam agere perverse conspiciunt qui duris sunt increpationibus feriendi, in lingua asperitatem sumunt, sed sub lingua mentis suæ benignitatem contegunt. Unde et sanctæ Ecclesiæ sponsi voce dicitur : *Mel et lac sub lingua tua*. [a] Qui enim mentis suæ dulcedinem aperire infirmis nolunt, sed loquentes quadam eos asperitate feriunt, et tamen inter verba aspera quasi latenter quiddam dulcedinis intermittunt, hi videlicet non in lingua, sed sub lingua habent dulcedinem, quia inter dura, quæ proferunt, emittunt quædam blanda, et dulcia, quibus contristati mens possit ex benignitate refoveri. Ita perversi quique, quia malum non in lingua, sed sub lingua habent, sermonibus dulcia prætendunt, et cogitationibus perversa moliuntur.

[b] CAP. XXXI. — *Surge, Aquilo, et veni, Auster; perfla hortum meum, et fluant aromata illius* (*Cant.* IV, 16).

In expos. beati Job, l. IX (*Num.* 17), adjunctum est : *Surge, Aquilo, et veni*, etc. — Quid nomine Austri, nisi fervor sancti Spiritus designatur? Quo dum repletus quisque fuerit, ad amorem patriæ spiritalis ignescit. Unde et sponsi voce in canticorum Canticis dicitur : *Surge, Aquilo, et veni, Auster; perfla hortum meum, et fluant aromata illius*. Austro quippe veniente, Aquilo surgens recedit, cum adventu sancti Spiritus expulsus antiquus hostis, qui in torpore mentem constrinxerat, deserit. Atque hortum sponsi Auster perflat, ut aromata defluant, quia nimirum, dum sanctam Ecclesiam donorum suorum virtutibus Spiritus veritatis impleverit, ab ea longe lateque odores boni operis spargit.

CAP. XXXII. — [c] *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2).

Dum de somno tribus modis in Scriptura sacra accepto tractaretur in expos. beati Job, l. V (*Num.* 54), adjunctum est : *Ego dormio*, etc. — Sciendum est, quod in sacra Scriptura tribus modis somnus accipitur. Aliquando somno mors carnis, aliquando torpor negligentiæ, aliquando calcatis terrenis desideriis quies vitæ exprimitur. Somni namque vel dormitionis nomine, carnis mors intimatur, sicut Paulus ait : *Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus* (*I Thess.* IV, 12). Et paulo post : *Ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo* (*Ibid.*, 13). Somno rursus torpor negligentiæ designatur, sicut ab eodem Paulo dicitur : *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII, 34). Et rursum : *Evigilate, justi, et nolite peccare* (*I Cor.* XV, 34). Somno quoque calcatis carnis desideriis, vitæ quies figuratur, sicut sponsæ voce in Canticis canticorum dicitur : *Ego dormio, et cor meum vigilat*, quia videlicet sancta mens quo se a strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit; et tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat.

[d] CAP. XXXIII. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXIII (*Num.* 33). — Qui exterioribus officiis inoffense deserviunt, et ad secreta cordis currere incessabiliter curant, vocem Dei quasi per somnium audiunt, dum in meditatione

[a] Ad hæc verba incipit caput in Ms.

[b] Caput hoc longe prolixius est in Ms.

[c] In Ms. versus hujus explicatio desumitur ex hom. 14 in Ezech. : *Vigilanti corde dormit*, etc. usque ad verba : *Et post ad visionis ejus gloriam pertingat.*

[d] Caput hoc cum plerisque sequentibus deest in Ms., ubi quatuor duntaxat supersunt capita.

mentis a carnalibus motibus abstrahuntur. Hinc est quod sponsa in Canticis canticorum ait : *Ego dormio, et cor meum vigilat*, ac si diceret : Dum exteriores sensus ab hujus vitæ sollicitudinibus sopio, vacante mente vivacius interna cognosco. Foris dormio, sed intus cor vigilat, quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo.

CAP. XXXIV. — *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus* (*Cant.* v, 5).

In commentario Ezech. lib. II, hom. 7 (*Num.* 10), adjunctum est : *Dilectus meus misit manum suam per foramen*, etc. — Dilectus manum per foramen mittit, quando virtute sua Dominus nostrum animum per subtilem intellectum pulsat. Et venter in tactu illius contremiscit, quia infirmitas nostra per hoc quod cœlestis gaudii intellectu tangitur, ipsa exsultatione turbatur : et fit in mente pavor cum lætitia, et si jam sentit quid de cœlesti gaudio diligat, adhuc metuit [a] ne non pereipiat quod vix tenuiter sentit. Quid igitur restat, nisi ut se ad perfectioris vitæ cursum dirigant omnes, qui illa gaudia patriæ cœlestis agnoscunt?

CAP. XXXV. — *Anima mea liquefacta est* (*Cant.* v, 6).

In expos. Evang., hom. 25 (*Num.* 2), adjunctum est : *Anima mea liquefacta est.* — Mens namque hominis, conditoris sui speciem non quærentis male dura est, quia in semetipsa remanet frigida, at si ardere jam ex desiderio cœperit, ad sequendum quem diligit liquefacta per ignem amoris currit.

CAP. XXXVI. — *Caput ejus aurum optimum* (*Cant.* v, 11).

In expos. beati Job, l. XXXIV (*Num.* 26), adjunctum est : *Caput ejus aurum optimum.* — Auri appellatione in sacro eloquio aliquando divinitatis claritas, aliquando splendor supernæ civitatis, aliquando claritas, aliquando nitor gloriæ sæcularis, aliquando pulchritudo sanctitatis accipitur. Auri enim nomine, ipsa intima divinitatis claritas designatur, sicut in canticorum Canticis sponsi species describitur : *Caput ejus aurum optimum*, quia caput Christi Deus, nil vero est in metallis auro fulgentius. Sponsi caput aurum dicitur, quia ejus humanitas ex divinitatis suæ nobis claritate principatur. Rursum auri nomine splendor supernæ civitatis accipitur, sicut hanc Joannes se vidisse testatur, dicens : *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo* (*Apoc.* XXII, 12). Aurum namque ex quo illa civitas constat, simile vitro dicitur, ut et per aurum clara, et per vitrum perspicua designetur. Rursusque auri nomine charitas intimatur, sicut angelum, quem sibi loqui idem Joannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit (*Apoc.* I), quia nimirum supernorum civium pectora dum pœnali jam nequaquam timori subjecta sunt, atque a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola se charitate constringunt. Zonam vero auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vinculum restringere. Rursus auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per prophetam dicitur : *Calix aureus Babylon* (*Jerem.* LI, 7). Quid enim Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? quæ calix aureus dicitur, quia dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia debriat, ut speciosa temporalia appetant, et invisibilia pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima sponte sua Eva debriata est; de qua historiæ veritas dicit : *Quia cum vetitum lignum concupisceret, vidit quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile, et comedit* (*Gen.* III, 6). Aureus ergo Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit. Rursum auri nomine splendor sanctitatis accipitur. Sicut Judaicum populum a splendore justitiæ ad nequitiæ tenebras commutatum Jeremias deplorat, dicens : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus* (*Thren.* IV, 1)? Sicut enim superius diximus, aurum obscuratur, cum consequentibus iniquitatum tenebris, justitiæ pulchritudo deseritur; color optimus mutatur, cum splendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ.

CAP. XXXVII. — *Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI, 3).

In commentario Ezech homil. VIII (*Num.* 6), adjunctum est : *Pulchra es, amica mea*, etc. — Quia Jerusalem pacis visio interpretatur, cujus nomine patria cœlestis exprimitur, sancta Ecclesia suavis et decora ut Jerusalem dicitur, quia ejus vita et desiderium visioni jam pacis intimæ comparatur, ut in eo, quod auctorem suum diligit, quod ejus speciem videre concupiscit, de quo scriptum est : *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12), per ipsa jam amoris sui desideria angelis similis dicatur. Quæ quantum Deo amabilis efficitur, tanto agitur ut malignis spiritibus terribilis fiat. Qualiter autem sit terribilis subjuncta comparatione ostenditur, id est ut castrorum acies ordinata. Quid est quod sancta Ecclesia ab hostibus suis, ut castrorum acies, sit timenda? non enim a magno intellectu vacat ista comparatio, et idcirco est subtiliter intuenda. Scimus enim et constat, quia castrorum acies, tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur; nam si ita disponitur, ut locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur, profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus, spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est ut per charitatem semper uniti atque constricti, nunquam interrupti per discordiam inveniamur, quia quælibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos hostis valeat intrare. [b] Antiquus vero inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet, quia ipse nec carne premitur, ut in ejus luxuria dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non utitur, quia necessitate corporis non urgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit, quia divitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem veram, id est amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, et nimis concordiæ nostræ invidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cœlo. Bene ergo dicitur : *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, quia electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam munitos contra se et conglobatos aspiciunt.

CAP. XXXVIII. — *Sicut cortex mali punici genæ tuæ absque occultis tuis* (*Cant.* VI, 6).

In commentario Ezech. l. II, hom. 4 (*Num.* 8), adjunctum est : *Sicut cortex mali punici genæ tuæ absque occultis tuis.* — Genæ quippe sunt sanctæ Ecclesiæ spirituales patres, qui nunc in ea miraculis coruscant, et velut in ejus facie venerabiles apparent. Cum enim videmus multos mira agere, ventura prophetare, mundum perfecte relinquere, cœlestibus desideriis ardere, sicut cortex mali punici sanctæ genæ rubent.

CAP. XXXIX. — *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens* (*Cant.* VI, 9)?

In expos. beati Job, l. IV (*Num.* 19), adjunctum

[a] Editi, *ne non pereat*, gravi errore quem alias emendavimus; occurrit enim hom. 19, seu lib. II, hom. 7 in Ed. Vatic., Guss., etc. Mss. codices vero habent *recipiat*, aut *percipiat*, quod hic lego in Cod. Michael.

[b] Hic absolvitur hoc caput, et prima pars expositionis Paterii, in Cod. Michael.

est : *Quæ est ista*, etc. — Aurora Ecclesia dicitur, quæ a peccatorum suorum tenebris ad lucem justitiæ permutatur. Unde hanc Sponsus in canticorum Canticis miratur, dicens : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Quasi aurora quippe electorum surgit Ecclesia, quæ pravitatis pristinæ tenebras deserit, et sese in novi luminis fulgorem convertit. In illa igitur luce quæ in districti judicis adventu monstratur, corpus damnati hostis ortum surgentis auroræ non videt, quia cum districtus judex ad retributionem venerit, iniquus quisque suorum caligine meritorum pressus, quanta claritate sancta Ecclesia in intimum lumen cordis surgat, ignorat. Tunc namque electorum mens in altum rapitur ut divinitatis radiis illustretur, et quo ejus respectu perfunditur, eo ultra se, gratia coruscante, sublevatur. Tunc sancta Ecclesia plena aurora fit, cum mortalitatis atque ignorantiæ tenebras funditus amittit. In judicio ergo adhuc aurora est, sed in regno dies, quia etsi jam cum restauratione corporum lumen videre in judicio inchoat, ejus tamen visum plenius in regno consummat. Ortus itaque auroræ est exordium clarescentis Ecclesiæ, quem videre nequeunt reprobi, quia a conspectu districti judicis, malorum suorum pondere pressi, ad tenebras pertrahuntur.

CAP. XL. — *Item unde supra.*

In expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 2, 3). — Sancta Ecclesia cœlestis vitæ præmia appetens, aurora vocata est : quia dum peccatorum tenebras deserit, justitiæ luce fulgescit. Habemus tamen subtilius aliquid, quod consideratа qualitate diluculi vel auroræ, pensemus. Aurora namque vel diluculum noctem præterisse nuntiant, nec tamen diei claritatem integram ostentant; sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem tenebris mixtam tenent. Quid itaque in hac vita omnes, qui veritatem sequimur, nisi aurora vel diluculum sumus? Quia et quædam jam, quæ lucis sunt agimus, et tamen in quibusdam; adhuc tenebrarum reliquiis non caremus.

CAP. XLI. — *Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano* (*Cant.* VII, 4).

In expos. beati Job, l. XXXI (*Num.* 85), adjunctum est : *Nasus tuus sicut turris*, etc. — Quid per nasum, nisi provida sanctorum discretio designatur? Turris vero speculationis in altum ponitur, ut hostis veniens a longe videatur. Recte ergo nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicitur, quia sanctorum provida discretio, dum sollicite circumquaque conspicit, in altum posita, priusquam veniat culpa, deprehendit, eamque quo vigilantius prænotat, eo fortius declinat.

CAP. XLII. — *Item unde supra.*

In commentario Ezech. hom. II (*Num.* 7). — Quid per nasum, nisi speculatorum discretio designatur? Qui nimirum nasus, et sicut turris esse, et Libani dicitur, quia videlicet præpositorum discretio, et munita semper debet esse ex circumspectione, et in altitudine vitæ consistere, id est in valle infirmi operis non jacere. Sicut enim turris in monte idcirco ad speculandum ponitur, ut hostes, qui veniunt, longius videantur : sic prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fetores vitiorum, odoresque virtutum; occursus maliguorum spirituum longe prospiciat, et commissas sibi animas per suam prudentiam cautas reddat.

CAP. XLIII. — *Mane surgamus ad vineas; videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt* (*Cant.* VII, 2).

In expos. beati Job, l. XII (*Num.* 60, 61), adjunctum est : *Mane surgamus ad vineas*, etc. — Florent quippe vineæ, cum mentes fidelium bona opera proponunt; sed fructus non pariunt, si ab eo quod proposuerint, aliquibus vieti erroribus infirmantur. Non ergo intuendum est si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum convalescant, quia mirum non est si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. Unde fit plerumque ut si in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus quod bonum creditur, amittatur.

CAP. XLIV. — *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata* (*Cant.* VIII)?

In expos. beati Job, l. XVIII (*Num.* 87), adjunctum est : *Quæ est ista*, etc. — Quia enim sancta Ecclesia cœlestem vitam naturaliter non habet, sed superveniente spiritu, pulchritudine donorum componitur, non alba, sed dealbata memoratur.

CAP. XLV. — *Pone me sicut signaculum super cor tuum* (*Cant.* VIII, 6).

In expos. beati Job, l. XXIX (*Num.* 12), adjunctum est : *Pone me sicut signaculum super cor tuum.* — Idcirco namque signaculum rebus ponitur, ne qua diripientium præsumptione temerentur. Sponsus ergo in corde signaculum ponitur, quando fidei ejus mysterium in custodia nostræ cogitationis imprimitur; ut ille infidelis servus, nimirum noster adversarius, cum signata corda considerat, tentando ea irrumpere non præsumat.

CAP. XLVI. — *Fortis est ut mors dilectio* (*Cant.* VIII, 6).

In expos. Evang. hom. 11 (*Num.* 2), adjunctum est : *Fortis est ut mors dilectio.* — Sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit. Nam quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit.

CAP. XLVII. — *Soror nostra parvula est, et ubera non habet* (*Cant.* VIII, 8).

In expos. beati Job, l. XIX (*Num.* 19), adjunctum est : *Soror nostra parvula est*, etc. — Sancta Ecclesia priusquam proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus præbere non potuit ubera prædicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei verbo copulata, sancto repleta Spiritu, per prædicationis ministerium in illorum conceptione fecundatur, et quos exhortando parturit, convertendo parit.

CAP. XLVIII. — *Quæ habitas in hortis amici, auscultа, fac me audire vocem tuam* (*Cant.* VIII, 13).

In commentario Ezech. homil. XIV (*Num.* 4), adjunctum est : *Quæ habitas in hortis amici*, etc. — In hortis enim unaquæque anima habitat, quæ etiam viriditate spei est, et bonorum operum repleta. Sicca quippe spes est hujus sæculi, quia omnia, quo illic amantur, cum festinatione marcescunt. Et Petrus hos apostolus festinare admonet, dicens : *In hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem* (*I Petr.* I, 4). Quæ ergo jam in hortis habitat, oportet ut sponsum suum vocem suam audire faciat, id est canticum bonæ prædicationis emittat, in qua ille delectetur quem desiderat. Quia amici auscultant, videlicet omnes electi, qui ut ad cœlestem patriam reviviscant, verba vitæ audire desiderant.

CAP. XLIX. — *Fuge, dilecte mi, fuge* (*Cant.* VIII, 14).

In expos. beati Job, l. XVII (*Num.* 39), adjunctum est : *Fuge, dilecte mi, fuge.* — Fugit nos, dicimus, quoties id quod reminisci volumus, memoria non tenemus. Sancta ergo Ecclesia postquam mortem ac resurrectionem Domini, ascensionemque describit, clamat ei prophetico plena spiritu : *Fuge, dilecte mi, fuge.* Ac si diceret : Tu, qui ex carne comprehensibilis factus es, divinitate tua intelligentiam nostri sensus excede, et in teipso nobis incomprehensibilis permane.

• In moralibus legitur ex mss. *felatur*.

Pars secunda,

IN QUA EXPLANANTUR HI VETERIS TESTAMENTI LIBRI : *SAPIENTIA, ECCLESIASTICUS ET PROPHETÆ.*

LIBER PRIMUS.

De Testimoniis in librum Sapientiæ.

CAPUT PRIMUM. — *De tentationibus vitiorum sive flagellorum, ad illud : Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se* (*Sap.* III, 5).

(Moral. in Job lib. XXIII, capp. 25 et 26, a num. 51 ad num. 53.) Idcirco moderamine occultæ dispensationis ita tentari permittimur, ut qui ex divino munimine in virtute proficimus, ex infirmitatis nostræ memoria etiam quid sumus ex propria infirmitate memoremur, et qui ex perceptione muneris opera virtutis inferimus, ex infirmitatis nostræ memoria sacrificium humilitatis offeramus. Aliquando autem post profectum virium, non solum tentant vitia, sed etiam flagella castigant. Cum autem tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus quibus proficimus extollamur. Cum vero flagellis atterimur, malis increpantibus admonemur, ne mundo blandiente seducamur. Vitia dum nos tentant, proficientes in nos virtutes humiliant. Flagella dum tentant, surgentes in corde hujus mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus quid de nobis simus, per ferientia flagella cognoscimus quid de hoc mundo fugiamus; per illa restringimur ne intrinsecus extollamur, per ista comprimimur ne quid exstrinsecus appetamus. In hac ergo vita dum sumus, et flagellis atteri, et aliquando vitiis tentari necesse est; sive enim in laboribus flagellorum, seu in certaminibus vitiorum, non solum nobis nostra infirmitas innotescit, sed etiam in quanta virtute profecerimus, agnoscimus. Nemo quippe vires suas in pace agnoscit, si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles est qui fortem se in pace gloriatur. Sæpe virium merita per flagellorum patefiunt adversa, quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea quæ quasi sub carne latuerant virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscit. Cum enim adsunt prospera, cerni virtutum documenta non possunt. Unde alias scriptum est : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declarabit* (*Psal.* XLI, 9), quia videlicet unusquisque superni dona gratiæ in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit in adversitate perturbationis ostendit. Veritatis ergo paterna correptionibus, ut quantum proficimus agnoscimus. Flagellis enim Dominus carnalis atteritur delectatio, et virtutum nostrarum [a] aperitur fortitudo. Decus nostrum exterius ipsa mundi hujus adversitate fœdatur, sed quid in nobis latebat intrinsecus ostenditur. Cæsis namque Apostolis denuntiatum est ne ultra loquerentur in nomine [*Text.*, Jesu] Domini (*Act.* V), sed magna exsultatione gavisi sunt quod digni habiti sint pro ejus nomine contumelias pati, suisque adversariis cum fiducia responderunt : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Ibid.*, 23). Ecce inter adversa validius virtutum fideique robur emicuit ; hinc de eis dicitur : *Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se* (*Sap.* III, 5). Tentati sunt quippe adversitate plagarum, sed digni inventi sunt ostensione virtutum [*Text.*, nudatione ossium]. Vires ergo uniuscujusque per adversa patefiunt, et dum quod infirmum est flagellis atteritur, per hoc quod in nobis valitum latet, aperitur. In ipsa quippe adversitate tentationis non solum detegitur robur fortitudinis, sed etiam cognoscitur infirmitas humanitatis, et tentatus quisque ostendit quantum de Deo profecerit, et in ipsis flagellorum afflictionibus quantum [*Text.*, etiam] de semetipso sit infirmus, cognoscit.

CAP. II. — *Quod sancti peccatores exemplo suo convertant, ad illud : Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* III, 7).

(Moral. lib. XXXIII, c. 3, n. 7, et lib. XXIV, c. 22, n. 49.) Fulgebunt *justi et tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Arundinetum appellat vitam sæcularium, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate inanescunt veritatis. Sancti autem viri dum peccatoribus permiscentur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque omne quod nitent, in cinerem redigunt, quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciunt, nihil aliud quam favillam se esse cognoscunt, ut a superbiæ suæ duritia resoluti, per pœnitentiam dicant : *Memento, Domine, quia pulvis sumus* (*Psal.* CII, 15).

CAP. III. — *Quod pro peccatis nostris ab insensibilibus flagellamur, ad illud : Pugnabit pro eis orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* V, 21).

(Moral. lib. VI, c. 21, n. 14.) Per occulta mentium merita et aperta prodeunt flagella pœnarum, et sensus nostri malitia exigit ut a rebus insensibilibus feriamur [*Text.*, ferialur]. Ecce enim cernimus quod ad correptionem nostram exspectatus imber ab arente terra suspenditur, et caliginosus aer in ardescente sole siccatur. Mare procellis tumescentibus sævit, et alios ad transmeandum susceptos interciput ; aliis desideratum iter erecta in tumultum [*Text.*, cumulum] unda contradicit : Terra non solum germina fecunditatis inhibuit, sed etiam semina accepta consumit. In quibus omnibus cunctis patenter aspicitur, hoc quod de Domino dicitur : *Pugnabit* [*Text.*, *cum*] *pro eo orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* V, 21). Orbis quippe terrarum cum Domino contra insensatos pugnat, cum in pœna delinquentium et elementorum adversitas militat (*Hom.* 33 *in Evang.*, n. 1). Omnia itaque quæ ad usum vitæ percipimus, ad usum culpæ convertimus ; sed cuncta quæ ad usum pravitatis infleximus, ad usum nobis vertuntur ultionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis ad usum vertimus vanæ securitatis. Peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patriæ, salutem corporum in usum redegimus vitiorum, ubertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad perversitatem intorsimus voluptatis. Ipsa serena blandimenta aeris ad amorem nobis servire coegimus terrenæ delectationis. Jure igitur restat ut simul nos omnia feriant, quia [*Text.*, qui]-simul omnia vitiis nostris male subacta serviebant, ut quos prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipsis [*Text.*, ipso] coganur postmodum sentire tormenta.

CAP. IV. — *Quod per visibilia cognoscitur Deus, ad*

[a] Apud sanctum Gregorium, *ossa patefiunt*. Deinceps variantes hæ lectiones inter uncinos in textu inserentur cum hoc verbo *Text.*, id erit, Textus sancti Gregorii. EDIT.

illud : In viis ostendit illis se hilariter, et in omni providentia occurrit illis (*Sap.* VI, 17).

(**Moral. lib. XXVI, c. 12, n. 17.**) Si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora revocamur. Vestigia quippe Creatoris nostri sunt mira opera visibilis creaturæ. Ipsum namque adhuc videre non possumus, sed jam ad ejus visionem tendimus, si eum in his quæ fecit miramur. Ejus [*Text.*, ergo] vero vestigia creaturam dicimus, quia per hæc quæ ab ipso sunt, sequendo imus ad ipsum. Unde Paulus ait : *Invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* (*Rom.* I, 20). Unde et in libro Sapientiæ scriptum est : *Per magnitudinem enim creaturæ et speciem, potest intelligibiliter Creator videri* (*Sap.* XIII, 5). Menti enim nostræ peccato suo exterius sparsæ necdum Deus sicut est interius innotescit, sed dum facturæ suæ decus foras proponit, quasi quibusdam nobis nutibus innuit, et quæ intus sequamur ostendit, at miro modo istis formis exterioribus nos ad interiora perducit. Innuit immensa admiratione quod est, mira hæc exterius ostendendo quod [*Text.*, quæ] non est. Hinc enim de Sapientia scriptum est : *In viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis* (*Sap.* VI, 17). Viæ quippe ad Creatorem sunt opera considerata creaturæ, quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In istis viis a Sapientia omni providentia nobis occurritur, quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur, in omne quod mirabiliter factum videtur, et quo [*Text.*, quocumque] sese vertit anima si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit ejus potentiam. Ex eorum rursus consideratione cognoscit quorum amore deservit, et per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. Ubi enim lapsi sumus, ibi incumbimus ut surgamus, et quasi ibi surgendo manum considerationis figimus, ubi pede amoris lubrici corruentes negligendo jacebamus. Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est ut ad invisibilia ipsis rursum invisibilibus innitamur, ut quo casu anima venit ad infima eo gradu revertatur ad summa : atque eisdem quibus corruit passibus surgat, dum, sicut dictum est, ita nos ad Deum bene considerata revocent, quæ nos ab eo male electa diviserunt.

CAP. V. — *De arrogantibus, ad illud : Mihi autem det Deus hæc dicere ex sententia* (*Sap.* VII, 15).

(**Moral. lib. XXIII, c. 17, n. 31.**) Arrogantes etsi secreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt; et si noverint quomodo sunt, ignorant quomodo sapiunt. Et fit plerumque ut fortiter dicant, sed tamen juxta ea quæ dicunt vivere nesciant. Unde bene quidam Sapiens dicit : *Mihi autem det Deus hæc dicere ex sententia* (*Sap.* VII, 15). Sententia quippe a sensu vocata est, et recta quæ intelligit, non ex sola scientia, sed etiam ex sententia dicere appetit, qui nequaquam tantummodo sciendo dicere, sed sentiendo desiderat experiri quod dicit. Sed mens arrogantium dictorum suorum sensum non penetrat, quia ab interno gustu recto judicio in eos favores reliditur, quos foris amat. Vera autem scientia afficit, non extollit, nec superbientes quos impleverit, sed lamentantes facit.

CAP. VI. — *Quomodo Spiritus sanctus sit mobilis et stabilis* (*Sap.* VII, 22).

(**Lib. I, hom. 5, in Ezech., n. 9.**) Spiritus sanctus Deus ante sæcula Patri est et Filio coæternus, et cuncta intra ipsum sunt, et locus nusquam est ubi non sit, sicut scriptum est : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I, 7). Et tamen cum laus Sapientiæ describeretur : *Est enim in illa spiritus intellectus, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis* (*Ibid.*, VII, 22). Et paulo post : *humanus, stabilis.* In quibus verbis magna nobis quæstio oritur, cur iste spiritus qui implet omnia, simul stabilis et mobilis [*Text.*, mobilis et stabilis] dicatur. Sed si ad usum consuetudinis humanæ recurrimus, sensum citius loquentis invenimus. Homo quippe qui in ea regione in qua est ubique discurrit, procul dubio ubique obviam venit, et repente ubi non creditur, invenitur. Omnipotens ergo spiritus ut ubique præsens signaretur, simul et stabilis et mobilis dicitur. Stabilis, quia per naturam omnia continet; mobilis autem dicitur, quia ubique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia, stabilis, præsentem se omnibus exhibens mobilis appellatur.

CAP. VII. — *Cur Deus filium suum absque peccato flagellari permiserit, ad illud : Cum sis justus, juste omnia disponis* (*Sap.* XII, 15).

(**Moral. lib. III, c. 14, n. 26.**) Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, ut culpas nostræ transgressionis exstingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare, et qui Patri æqualis est per divinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem : quia [*Text.*, quæ] nimirum flagella non susciperet, nisi formam damnati hominis redimendo sumpsisset : nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minime veniret. Nisi enim Adam primum diabolus per voluntarium vitium in animæ mortem traxisset, Adam secundus sine vitio in carnis mortem voluntariam non veniret. Frustra itaque afflictus est, qui in carne natus, propria admissa non habuit, et tamen pœnam carnalium sine culpa suscepit. Hinc est enim quod per Prophetam loquitur, dicens : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 6). Alius namque ad paradisum conditus, divinæ potentiæ similitudinem superbe rapere voluit; sed tamen culpas hujus superbiæ sine culpa mediator exsolvit. Hinc est quod Patri quidam Sapiens dicit : *Cum sis justus, juste omnia disponis; eum quoque qui non debet puniri condemnas* (*Sap.* XII, 15). Sed pensandum est quomodo justus sit et omnia juste disponat, si eum qui non debet puniri condemnat. Mediator etenim noster pro semetipso puniri non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetravit, sed si ipse indebitam non susciperet, nunquam nos a debita morte liberaret. Pater ergo cum justus sit, justum puniens, juste omnia disponit, quia per hoc cuncta justificat, quod eum qui sine peccato est pro peccatoribus damnat, ut eo electa omnia ad culmen justitiæ surgerent, quo is qui est super omnia, damna injustitiæ nostræ sustineret. Qui juxta semetipsum frustra afflictus est, juxta vero nostra acta non frustra, rubigo quippe vitii purgari non potuit, nisi igne tormenti. Venit itaque sine vitio qui se subjiceret sponte tormento, ut debita nostræ iniquitatis supplicia eo reos suos juste amitterent, quo hunc a semetipsis liberum injuste tenuissent. Frustra ergo, et non frustra afflictus est, qui in se quidem admissa non habuit, sed cruore proprio, reatus nostri maculam tersit.

CAP. VIII. — *Quod divinus sermo qualitati audientium condescendat, ad illud : Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore* (*Sap.* XVI, 20).

(**Moral. lib. VI, c. 16, n. 22.**) Alius elatione erigitur, alius pondere timoris inclinatur, alius libidine æstuat, alius avaritia anhelat, alius remissione se dejicit, alius ira fervescit; sed per doctrinam sacri eloquii dum superbo humilitas tribuitur, timido confidentia præbetur; luxuriosus per castitatis studium ab immunditia tergitur, avarus per continentiam ab ambitionis æstu temperatur, remissus zeli rectitudine erigitur, iracundus a præcipitationis suæ excitatione refrenatur [*Text. add.* Universa Deus aquis irrigat]. Vim sui sermonis Deus in singulis juxta morum diversitatem format, ut hoc in ejus eloquio quisque inveniat, per quod virtutis necessariæ germen ferat. Unde per quemdam sapientem de mannæ dulcedine dicitur : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, atque omnis saporis suavitatem.* Manna quippe omne delectamentum atque omnis saporis in se suavitatem habuit, quod videlicet in ore spiritualium juxta vo-

luntatem edentium saporem dedit, quia divinus sermo et omnibus congruens, et a semetipso non discrepans, qualitati audientium condescendit : quem dum electus quisque utiliter juxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem venit [*Text.*, vertit].

CAP. IX. — *Quod nemo se de ignorantia peccati excusare queat* (*ad Sap.* XVII, 10).

(Moral. lib. XXVII, c. 25, n. 48.) Creator omnipotens Deus a cunctis insensibilibus irrationabilibusque distinctum rationabilem creaturam hominem condidit, quatenus quid egerit ignorare non possit. Naturæ enim lege scire compellitur seu pravum, sive rectum sit quod operatur. Nam ad judicium pro actione cur venit, si non potuit nescire [*Text.*, si potuit nescire] quod egit? Et ipsi ergo qui præceptis dominicis eruditi [*Text.*, erudiri] contemnunt, utrum bona an mala sint quæ faciunt, sciunt. Nam si bona se facere nesciunt, cur de aliquibus factis in ostensionem [*Text.*, ostentatione] gloriantur? Rursum si mala se agere ignorant, cur in eisdem fac is alienos oculos declinant? ipsi enim sibi testes sunt, quia sciunt malum esse quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum esse non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent. Unde et bene per quemdam Sapientem dicitur : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis* (*Sap.* XVII, 10); quia dum de facto suo conscientiam suam pulsans, A timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet damnabile esse quod agit. Et cum illicita quisque perpetrat, pavet quod facit, et apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis, quia et timetur quod agitur, et tamen malum non vincitur quod timetur. Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsos certe fugere non possunt, quia enim malum quod faciunt noverunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem suam. In peccato igitur quod committunt prius contra se judicium suæ rationis inveniunt, et post ad districtionem æterni examinis perducuntur. Et hoc est fortasse quod per Psalmistam dicitur : *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum* (*Psal.* XLI, 8), quia dum miro ordine dispositionis occultæ, malum non permittitur nesciri quod agitur, et suo se jam judicio peccator in conscientia condemnat, et post condemnationem propriam, ad æterni judicis sententiam properat. Abysso ergo abyssum invocari, est de judicio ad judicium pervenire. Eant ergo prædicatores sancti, redarguant facta peccantium, auditores autem pravi contemnant verba justorum, defendant quantum voluerint pravitates suas, atque impudenter gestas impudentius defendendo multiplicent, certe ipsi sibi in conscientia testes sunt qui excusabiles non sunt. Eo enim ipso quo rationabilem creaturam Deus hominem condidit, in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. B

LIBER SECUNDUS.

De Testimoniis in librum Ecclesiastici.

CAPUT PRIMUM. — *De tentationibus conversorum, ad illud : Fili, accendens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore* (*Eccl.* II, 1).

(Moral. lib. XXIV, c. 11, a n. 25 ad 34.) Solerter intuendum est tres esse vices, quibus unusquisque anxietate mœroris afficitur, et post mœrorem protinus ad securitatem lætitiæ revocatur. Quod si vigilanter attendimus, has tres vices mœroris et lætitiæ uniuscujuscunque electi animo istis modis alternari invenimus, id est conversione, tentatione et morte. In prima quippe, quam diximus, conversionis vice gravis mœror est, cum sua unusquisque peccata considerans, curarum sæcularium vult compedes rumpere, et viam Dei per spatium securæ conversationis ambulare, desideriorum temporalium grave onus abjicere, et leve jugum Domini libera servitute portare. Cogitanti enim ista occurrit illa familiaris sua carnalis delectatio, quæ inveterata dudum, quanto eum diutius tenuit, tanto arctius astringit, atque a se tardius abire permittit; et quis ibi mœror, quæ anxietas cordis, quando hinc spiritus vocat, hinc caro revocat, huc amor novæ conversationis invitat, huc usus vetustæ perversitatis impugnat, hinc desiderio ad spiritualem patriam flagrat, et hinc in seipso carnalem concupiscentiam tolerat, quæ eum aliquo modo etiam invitum delectat? Sed quia divina gratia diu nos istis difficultatibus affici non permittit, citius nos ruptis peccatorum vinculis ad libertatem novæ conversationis consolando perducit, et præcedentem tristitiam subsequens lætitia refovet : ita ut conversi uniuscujusque animus eo magis ad votum suum perveniendo gaudeat, quo magis se pro illo meminit laborando doluisse. Fit cordi immensa lætitia, quia ei quem desiderat, jam per spem securitatis propinquat. At ne conversus quisque jam sanctum se esse credat, et quem pugna mœroris superare non valuit, ne ipsa postmodum [*Text.*, valuit, ipsa postmodum] securitas sternat, dispensante Deo permittitur, ut post conversionem suam tentationum stimulis fatigetur. Jam quidem per conversionem rubrum mare transitum est, sed adhuc in eremo vitæ præsentis ante faciem hostes occurrunt. Jam peccata præterita velut exstinctos Ægyptios post terga relinquimus, sed adhuc nocentia vitia, quasi hostes alii obviant, ut ad terram repromissionis pergentibus cœptum iter intercludant. Jam priores culpæ, velut insequentes adversarii, sola divina virtute prostratæ sunt, sed tentationum stimuli quasi hostes alii, contra faciem veniunt, qui et cum nostro labore superentur. Conversio videlicet securitatem parit, mater autem negligentiæ solet esse securitas. Ne ergo securitas negligentiam generet, sic scriptum est : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccl.* II, 1). Non enim ait, ad requiem, sed ad tentationem, quia hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex jure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum nonnisi post baptisma se tentare permisit; ut signum nobis quoddam futuræ conversionis innueret, quod membra ejus, postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. Post primam igitur vicem mœroris atque lætitiæ, quam unusquisque per studium conversionis agnoscit, hæc secunda suboritur, quia ne securitas [*Text.*, securitatis] negligentia dissolvatur, impulsu tentationis afficitur; et quidem quisque in ipso conversionis initio magna plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodum probationis experitur. Tres quippe sunt modi conversorum : inchoatio, medietas atque perfectio. In inchoatione autem inveniuntur [*Text.*, inveniunt] blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum vero perfectio [*Text.*, perfectionem] plenitudinis. Prius ergo illos dulcia suscipiunt quæ consolentur, postmodum amara quæ exerceant; et tunc demum suavia atque sublimia quæ confirment. Nam et sponsam suam vir quisque prius dulcibus blandi- C D

mentis fovet, quam tamen jam conjunctam asperis inerepationibus probat, probatam vero securis cogitationibus possidet. Unde et plebs Israelitica, cum spondente se Deo ad sacras mentis nuptias ex Ægypto vocaretur, quasi arrharum vice prius accepit blandimenta signorum; conjuncta autem, probationibus exercetur in eremo, probata vero, in promissionis terra virtutis plenitudine confirmatur. Ante igitur in miraculis degustavit quid appeteret; postmodum in labore tentata est, si custodire noverat quod gustasset, ad extremum quoque plenius accipere meruit, quod laboribus probata custodivit. Ita ergo vitam uniuscujusque conversi, et inchoatio blanda permulcet, et aspera medietas probat, et plena post perfectio roborat (*Moral. l.* XXIV, *c.* 11, *n.* 29). Sæpe autem tam diutina sunt tentationum certamina, quam longa inchoationum fuerant blandimenta. Sæpe vero majus datur in inchoatione dulcedinis, minus autem in labore probationis : sæpe minus in inchoatione dulcedinis, majus in labore probationis. Nunquam vero laborem tentationis dispar sequitur perfectio firmitatis; quia juxta summam certaminis, remuneratur quisque plenitudine perfectionis. Plerumque autem in eo quisque conversus labitur quod dum quibusdam donis gratiæ dulcedine inchoationis excipitur, confirmationem accepisse se perfectionis arbitratur, et plenitudinem consummationis æstimat, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat. Unde fit ut dum subita tentationis procella tangitur, despectum se et perditum Deo suspicetur, qui si inchoationi suæ non passim crederet, adhuc in prosperis positus, mentem ad adversa præpararet, et vitiis venientibus postmodum tam firmus resisteret, quam ea etiam sagacius prævidisset. Quæ quidem si tranquillius prævidet, tolerat, eorum tamen omnino certamina etiamsi prævideat non declinat; quia cursus nostri itineris nequaquam peragitur sine pulvere tentationis. Plerumque autem conversus talibus quisque tentationum stimulis agitatur, qualibus ante conversionis gratiam nunquam pulsatum se esse reminiscitur, non quia tunc hæc eadem radix tentationis deerat, sed quia non apparebat. Humanus quippe animus multis cogitationibus occupatus, sæpe sibimetipsi aliquo modo manet incognitus, ut omnino quod tolerat nesciat, quia dum per multa spargitur, ab interna sui cognitione removetur. Si autem Deo soli vacare appetat, et ramos multimodæ cogitationis abscidat, tunc libere conspicit quod de intima procedit radice carnis. Carduus namque si nascatur in via, itinerantium pedibus teritur, atque ipso usu transeuntium ejus superficies ne appareat conficitur. Sed quamvis desuper frutificantes spinæ non appareant, subter tamen radix occulta perdurat. Si autem cum transeuntium pedes terere et calcare cessaverint, mox in superficiem surgendo progreditur, et per solitam prodit in publicum, quidquid in radice vivebat occultum. Ita et in corde saepe occulta quædam tentationum radix non facile apparet exsurgere, quia velut in via actionum sita, transeuntium pede teritur cogitationum; et per innumeras curas quasi nullis itinerantibus prælibata ne videatur. Si autem per conversionis gratiam a via cordis curarum turba removetur, ut nulla actionum insolentia conterat, nullius cogitationum tumultus premat, tunc quod occultum latebat agnoscitur, tunc de radice vitiorum pungit libere spina tentationum. Contra quam bene viventis manu agitur, ut quantum potest fieri non tegatur occulta, sed radicitus evellatur. Quod donec fiat, unius cujusque conversi animum ita hæc spina conturbat, ut sæpe percussione subita pene superari se sentiat, ejusque vulnus medullitus inflictum exitiabiliter pertimescat. Plerumque vero ipsi tentationum stimuli dum in usum veniunt, dilatantur, et non quidem acriores, sed longiores existunt. Minus autem dolent, sed magis inficiunt : quia dum menti diutius adhærent, tanto fiunt minus pavendi, quanto magis assueti. Inter hæc ergo deprehensa mens huc illucque discordiæ, et multiplicibus tentationum æstibus dissipatur, et sæpe hinc inde provocata cui tentanti vitio obviet, vel quod primum impugnet ignorat. Unde plerumque evenit ut dum nimis insurgentia vitia cruciant, dum repugnantis animum jam jamque in lapsum quasi desperationis inclinant; conversus quisque hanc sublimitatis viam, quam sibi ad remedium elegit, expavescat : et quasi in summo eductus titubat, qui in imo solidus stabat. Sed quia misericors Deus nos probari permittit tentationibus, non tolerat reprobari, sicut scriptum est : *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* x, 13); citius nobis ope consolationis occurrit [*Text.*, succurrit], et surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantesque se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immensam de spe cœlesti lætitiam percipit, dum devictum malum respicit quod toleravit. Illis itaque duabus vicibus, id est confessionis et probationis, per mœrorem lætitiamque transactis, superest tertia cujus et mœrorem adhuc sustineat, et gaudia consequatur. Post conversionis namque certamina, post probationis ærumnam, restat adhuc dura tentatio, quia venire non potest ad perfectæ gaudia libertatis, nisi prius debitum solverit humanæ conditionis. Conversus autem quisque sibi caute sollicitus tacite secum considerare non cessat, æternus judex quam districtus adveniat, suumque terminum quotidie prospicit, et ante severitatem tantæ justitiæ quas rationes vitæ suæ positurus sit attendit; et si cuncta prava opera quæ intelligere potuit devitavit, venturus tamen coram districto judice, illa magis quæ in semetipso non intelligit pertimescit. Quis enim considerare valeat quanta mala, per momenta temporum ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetrâmus? Facile est autem opera perversa vitare, sed nimis difficile est ab illicita cogitatione cor tergere. Sæpe ergo electis, etiam nolentibus, in cogitatione surripit quod in se quidem solerter aspiciunt, et ante Dei oculos quanti sit reatus ostendunt; et cum de his omnibus semper districta judicia pertimescant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto judici propinquare se cernunt, et lit tanto timor acrior, quanto et retributio æterna vicinior. Crescit pavor vicina retributione justitiæ, et urgente solutione carnis, quanto magis districtum judicium jam jamque quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Et si eâ quæ sciunt, nunquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt, quia videlicet semetipsos diiudicare et comprehendere omnino non possunt, atque urgente exitu subtiliori terrentur ictu. Unde Redemptor noster solutioni carnis appropinquans, et insuperatum adhuc mortis spectem superans, factus in agonia cœpit prolixius orare (quia opus pro se illo cum agonia petivit labore, in agonia cæpit, qui in terris positus cœlestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte, nostræ menti in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris atque formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno judicio propinquamus. Neque enim tunc cujuslibet animus immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit quod in æternum mutare non possit. Consideramus quippe quod viam vitæ præsenti nequaquam sine culpa transire potuimus. Consideramus etiam quia ne hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate judicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium patrum valeat vel superare vel assequi? Et tamen David dicit : *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2); Paulus cum diceret : *Nihil mihi conscius sum*, caute subjunxit : *Sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV, 4). Jacobus dicit : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Joannes dicit : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 2). Quid ergo faciant inter ea ubi et tremunt columnæ? aut qui magis vir-

gulta mobilia [*Text.*, immobilia] stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictæ etiam justi animâ turbatur, cui et si quod tranquillum in hac vita sapere potuit, mortis articulo interveniente concutitur? Sed quia justorum animæ a levibus quibusque contagiis ipso sæpe pavore mortis purgantur, et æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt, plerumque vero contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam priusquam carne exspolientur hilarescunt, et dum debitum vetustatis solvunt; novi jam muneris lætitia perfruuntur. Electi igitur uniuscujusque mens his tribus vicibus, id est vel labore conversionis, vel tentatione probationis, vel formidine solutionis afficitur [*Text.*, atteritur], et magnis postmodum securitatis gaudiis refovetur.

Cap. II. — *De hypocritis, ad illud : Væ peccatori terram ingredienti duabus viis* (*Eccli.* II, 14).

(Moral. lib. I, c. 26; n. 3). *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis* (*Eccli.* II, 14). Duabus quippe viis peccator terram ingreditur, quando et Dei est quod opere exhibet, et mundi quod per cogitationem quærit. Sunt namque nonnulli qui in bonis quæ faciunt, non retributionem interius, sed exterius favorem quærunt.

Cap. III. — *De amatoribus et contemptoribus mundi, ad illud : Væ his qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II, 16).

(Moral. lib. VII, cap. 30, n. 45). Sæpe dum præsentis vitæ brevitas quasi diu perseveratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, et delectatur præsentibus; cumque longum putat quod ad vivendum sibi spatium restat, repente vitam deserens, æterna invenit, quæ vitare jam nequeat. Hinc est quod per quemdam sapientem dicitur : *Væ his qui perdiderunt sustinentiam*. Sustinentiam videlicet perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem invisibilium derelinquunt. Cumque mens in præsentibus figitur, vita terminatur, et repente ad supplicia improvisa perveniunt, quæ decepti suis præsumptionibus, aut nunquam se contingere, aut tarde credidérunt. Hinc scriptum est : *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet* (*I Thessal.* V, 2). Quia enim ad rapiendam animam propinquans minime conspicitur, furi in nocte comparatur. Tanto igitur debet quasi semper veniens metui, quanto a nobis non valet ventura præsciri. Unde et sancti viri quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt, et tanto se solidius mansuris præparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait : *Pusillus adhuc et non erit peccator* (*Psalm.* XXXVI, 10). Hinc mentes præsumentium Jacobus sopire quærit, dicens : *Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum parens* (*Jacob.* IV, 15). Initium nanque quisque est quod cum termino sequitur, et parum est quidquid finitur, longum autem nobis non debet videri, quod cursu [*Text.*, cursu sui temporis] ad occasum sui temporis tendit, ut non sit. Quod dum per momenta ducitur, ipsa hæc momenta sua quæ deserunt [*Text.* differunt], impelluut, atquo unde teneri cernitur, inde agitur ne teneatur.

Cap. IV. — *De verecundia bona vel mala, ad illud : Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam* (*Eccli.* IV, 25).

(Lib. I, hom. 10, in Ezech., n. 17.) Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est; bonum vero erubescere fatuitatis. Unde scriptum est : *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam* (*Eccli.* IV, 25). Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit, qui vero erubescit bona facere, ab statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit, sicut per Redemptorem dicitur : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* (*Luc.* IX, 26).

Cap. V. — *De patientia Dei erga peccatores, ad illud : Ne dicas : Peccavi, et quid accidit triste* (*Eccli.* V, 4)?

(Moral. lib. XXV, c. 4 et 5, n. 5 et 6; lib. I, hom. 13, in Evang., n. 3.) Divina severitas eo iniquum acrius in judicio punit, quod diutius pertulit, et tanto sequitur districtior sententia, quanto peccanti ei magna est patientia prorogata. Iniquus autem dum diu omne quod nequiter concupiscit exercet, quia non subito percutitur, sed ejus in finem pœna differtur nequissima ejus actio a Deo videri non creditur. Æstimatur Deus injusti acta non cernere, quia differt juste damnare, et magna ejus patientia quasi quædam negligentia putatur. Iniquus quoque ipse toties se in peccatis suis non videri a Deo credidit, quoties inulte peccavit. Cui per quemdam sapientem dicitur : *Ne dicas : Peccavi, et quid accidit mihi triste* (*Eccl.* V, 4)? Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non pertulit pœnam. Et quo pie exspectatus est, eo ad peccandum nequiter est instigatus, et patientiam supernæ longanimitatis despiciens, unde corrigere culpam suam debuit, inde cumulavit. Sæpe etiam quia pœnam quam meretur, repente non suscipit, hoc ipsum Deo non æstimat displicere quod facit. Eat ita nunc, et ad quaslibet blasphemias præsumendo prorumpat voluptatum [*Text.*, voluptatum] suarum nequitias impleat, aliena rapiat, innocentum oppressione saletur, et quia necdum percutitur, vias suas aut non videri a Domino æstimet, aut quod pejus est, approbari. Veniet profecto, veniet æterna et repentina percussio; et tunc cognoscet ab eo [*Text.*, a Deo] cuncta conspici, quando se improviso exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc considerasse omnia verum judicem sentiet, quando malorum suorum meritum jam evadere sentiendo non possit. Nemo igitur dicat humana facta Deum non cernere, cum iniquum quempiam iniquitates suas libere prospicit cumulare. Nemo hanc Dei longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem justitiam in judicio exercet, quanto longiorem patientiam ante judicium prærogavit. Hinc etenim Paulus dicit : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundum autem duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 4). Hinc Psalmista ait : *Deus judex, justus, fortis, et longanimis*. Dicturus quippe longanimem, præmisit justum, ut quem vides delinquentium peccata diu patienter ferre, scias hunc quandoque etiam districte judicare. *Altissimus etenim patiens redditor* (*Eccli.* V, 4); patiens enim redditur dicitur, quia peccata hominum et patitur et tendit, cum quousque ad conversionem differat non cognoscit.

Cap. VI. — *De oratione, qui sint : Vos fletus eorum in oratione* (*Eccli.* VII, 39).

(Moral. lib. XV, cap. 19, num. 21, etc.) Mens in Deo se per studium orationis intendens, ab spei aucta protinus frangitur, si eam intendentem reatus sui accusat conscientia, si intenta precibus necdum devictæ culpæ mordetur memoria. Dimidit namque accipere se posse quod appetit, quæ profecto reminiscitur nolle se adhuc facere quod divinitus audivit. Hinc per Joannem dicitur : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus ab eo accipiemus* (*I Joan.* III, 21). Hinc Salomon ait : *Qui averlit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII, 9). Cor quippe nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis ejus, quem postulat, meminit, et oratio sit exsecrabilis, cum a censura avertitur legis, quia dignum profecto est ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus. Qua in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione deleat quod erravit; quatenus erroris macula cum fletibus tergitur, in peti-

tione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Sed curandum nimis est ne ad hoc rursus proruat, quod se mundasse fletibus exsultat ; ne dum plorata iterum culpa committitur, in conspectu judicis justi ipsa etiam lamenta levigentur. Solerter quippe debemus meminisse quod dicitur : *Ne iteres verbum in oratione tua* (*Eccli.* VII, 15). Quo videlicet dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Verbum quippe in oratione iterare est post fletum committere quod rursum necesse sit deflere. Ac si aperte dicat : Cum male gesta defleveris, nequaquam rursum facias quod in precibus iterum plangas. Ante igitur orationis tempora debet sollicite conspici, quidquid potest in oratione reprobari. Talem quippe se mens, et cum ab oratione cessat, exhibere festinet, qualis apparere judici in ipso orationis tempore exoptat. Sæpe namque immunda quædam vel illicita in animo vertimus [*Text.*, versamus], quoties a precibus vacamus. Sed cum se mens ad studia orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur. Sæpe curis mundi libenter occupamur, cumque post hæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cœlestia erigit, quia pondus hanc terrenæ sollicitudinis in profundum mersit. Nonnunquam vero cor a cunctis excutimus, et illicitis motibus etiam cum a prece vacat obviamus ; sed tamen quia culpas rarius committimus, aliena pigrius delicta laxamus, et quo peccare noster animus sollicitius metuit, eo districtius hoc quod in se ab alio delinquitur abhorrescit. Unde fit ut eo inveniatur quisque tardus ad veniam, quo proficiendo factus est cautus ad culpam. Sed quid hac doloris macula inveniri deterius potest, quæ in conspectu judicis non inquinat charitatem, sed necat ? Vitam quippe animæ quælibet culpa polluit : servatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, et mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur, qui scilicet a transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur, quia vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante subtrahatur. Hinc est quod per semetipsam Veritas dicit : *Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester qui in cœlis est, remittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI, 13). Hinc constitutioni postulationis conditionem pietatis posuit, dicens : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Ibid.* 12) : ut profecto bonum quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conversi faciamus. Tunc ergo vere oramus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea quæ in nos commissa sunt ex proprio zelo retinemus. Gravi mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, ut alienæ malitiæ servatus dolor accusat (**Mor. lib. XVI, c. 20**). Nam sicut per corporis faciem hominibus, ita per interiorem imaginem Deo noti atque conspicabiles sumus ; cum vero reatu culpæ deprimimur, ad Deum levare cordis nostri faciem veremur. Dum enim nulla bonorum operum confidentia fulcitur, intueri summa mens trepidat, quia ipsa se conscientia accusat. Cum vero jam pœnitentiæ lamentis culpa diluitur, et sic perpetrata planguntur ut plangenda minime perpetrentur, magna in mente fiducia nascitur et ad conspicienda supernæ retributionis gaudia cordis nostri facies levatur.

CAP. VII. — *Quod pro mortis memoria evadantur crimina, ad illud : In omnibus operibus tuis memorare novissima tua* (*Eccli.* VII, 40).

(Moral. lib. XIII, c. 29, n. 33.) *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Qui enim considerat qualis erit timidus in morte, semper fit timidus in operatione ; nihil quod transeat appetit, cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit, et pene mortuum se considerat, quia se moriturum minime ignorat. Perfecta enim vita est mortis imitatio, quam dum justi sollicite custodiunt [*Text.*, peragunt], culparum laqueos evadunt.

CAP. VIII. — *De superbia, ad illud : Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 15).

(Moral. lib. XXXI, c. 45, n. 87, lib. XXXIV, c. 23, n. 47.) Radix cuncti mali superbia est, Scriptura attestante qua dicitur : *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 15). Prima autem ejus soboles inanis gloria. Septem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem vitiis superbiæ nos captos doluit, ideo Redemptor noster ad spiritale liberationis prælium Spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed ex his septem principalibus vitiis alia vitiorum pullulant germina. Nam de inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ et novitatum præsumptiones oriuntur. De invidia, odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira : timor [*Text.*, tumor] mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia : malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De avaritia : proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Ex his ergo principalibus vitiis quinque sunt spiritualia et duo carnalia. Sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut nonnisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, invidiam gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat, quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur, et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut gravius pressa sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens quo inordinate se concutit, eo addicendo confundit, et cum tranquillitatis dulcedinem amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit. Tristitia quoque ad avaritiam derivatur, quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, unde consolari debeat foris quærit, et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet ad quod intrinsecus recurrat. Post hæc vero duo carnalia vitia, id est ventris ingluvies et luxuria supersunt. Sed cunctis liquet quod de ventris ingluvie luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnixa [*Text.*, subnexa] videantur : unde dum unum inordinate reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur. Radix ergo et regina vitiorum superbia cum devictum plene cor cœperit, mox illud his septem vitiis principalibus devastandum trahit. Sicut autem inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur, ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret. Intus namque prius ebullit in elatione, quod foras postmodum spumat in opere. Sed quia occasio de superbiæ disputatione se præbuit, debemus hanc subtilius sollicitiusque discutere, atque ad humanas mentes quanta vel qualis veniat, et quibus qualiterve surripiat, demonstrare. Alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam exstinguet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis exstinctione contenta,

contra cuncta animæ membra se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiamsi virtus esse ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit, et quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exsurgit, quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Quisquis vero ejus in se tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod cluso [*Text.*, clauso] cordis oculo judicii æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis vel bene geruntur displicent, et sola ei quæ vel prave ipse egerit placent; semper aliena opera despicit, semper miratur quod ipse facit, quia et quidquid egerit, egisse se singulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimet ipsi favet per cogitationem, et cum se in cunctis transcendere cæteros æstimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat. Nonnunquam vero ad tantam elationem mens ducitur, ut in eo quod tumet, etiam per ostentationem locutionis effrenetur; sed tanto facilius ruina sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur. Illinc enim scriptum est: *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov.* XVI, 18). Illinc per Danielem dicitur: *In aula Babylonis deambulabat Rex; respondit que, et ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei* (*Dan.* IV, 26)? Sed hunc tumorem quam concita vindicta represserit, illico adjungit, dicens: *Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex, regnum tuum transiet a te: et ab hominibus te ejicient, et cum bestiis et feris erit habitatio tua; fenum quasi bos comedes, et septem tempora immutabuntur super te* (*Ibid.*, 28). Ecce quia tumor mentis usque ad aperta verba se protulit, patientia judicis protinus usque ad sententiam erupit, tantoque hunc districtius perculit, quanto ejus se superbia immoderatius erexit. Et quia enumerando bona dixit in quibus sibi placuit, enumerata mala in quibus ferietur audivit. Sciendum vero est quod ipsa hæc de qua tractamus elatio, alios ex rebus sæcularibus, alios vero ex spiritalibus possidet. Alter namque intumescit auro, alter eloquio, alter in infimis et terrenis rebus, alter summis cœlestibusque virtutibus, una tamen eademque res ante oculos Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens, in eorum obtutibus diverso amictu pallietur. Nam cum is qui de terrena prius gloria superbiebat, postmodum de sanctitate extollitur; nequaquam cor ejus elatio deseruit, sed ad eum consueta veniens ut cognosci nequeat, vestem mutavit. Sciendum quoque est quod aliter hæc præpositos, atque aliter subditos tentat. Prælato namque in cogitationibus suggerit, quia solo vitæ merito super cæteros excrevit; et si qua ab eo bene aliquando gesta sunt, hæc importune ejus animo objicit, et cum hunc Deo singulariter placuisse insinuat, quo facile suggesta persuadeat, ipsam ad testimonium potestatis traditæ retributionem vocat dicens: Quia nisi omnipotens Deus de his omnibus meliorem cerneret, omnes hos sub tuo regimine non dedisset. Ejusque mox mentem erigit, viles atque inutiles eos ostendit qui subjecti sunt; ita ut jam nullum quasi dignum respiciat, cui æquanimiter loquatur. Unde et mox mentis tranquillitas in iram vertitur, quia dum cunctos despicit, dum sensum vitamque omnium sine moderatione reprehendit, tanto irrefrenatius [*Text.*, effrenatius] se in iracundiam dilatat, quanto eos qui sibi commissi sunt, esse sibimet indignos putat. At contra cum subjectorum cor superbia instigat, hoc summopere agere nititur, ut sua acta considerare funditus negligant, et semper tacitis cogitationibus rectoris sui judices fiant, qui dum in illo quod reprehendere debeant importune respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquam vident. Unde et tanto atrocius pereunt, quanto a se oculos avertunt: quia in hujus vitæ itinere offendentes corruunt, dum alibi intendunt. Et quidem peccatores se asserunt, nec tamen tantum ut tam noxie in regimine personæ traderentur. Et dum ejus facta despiciunt, dum præcepta contemnunt, ad tantam usque vesaniam devolvuntur, ut Deum res humanas curare non æstiment, quia ei qui quasi jure reprehenditur, esse se commissos dolent. Sicque dum contra rectorem superbiunt, etiam contra judicia conditoris intumescunt, et dum pastoris sui vitam dijudicant, ipsam quoque sapientiam omnia disponentem [*Text.*, disponentis] impugnant. Sæpe autem rectoris sui dictis proterve obviant, et eamdem vocis superbiam libertatem vocant; sicque prope elatio [*Text.*, sic quippe elatio] se quasi pro rectitudine libertatis objicit, sicut sæpe timor pro humilitate supponit. Nam sicut plerique reticent ex timore, et tamen tacere se existimant ex humilitate, ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, et tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. Aliquando autem subditi proterva quæ sentiunt nequaquam produnt, et hi quorum loquacitas vix compescitur, nonnunquam ex sola amaritudine intimi rancoris obtice cunt. Qui per dolorem mentis procacitatis suæ verba subtrahentes, cum male loqui soleant pejus tacent, quia cum peccando aliquid de correptione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt. Cum his quando aspere agitur, sæpe ad querelæ voces de hac ipsa asperitate prosiliunt. Cum vero eos magistri sui blande præveniunt, de hac ipsa humilitate qua præventi sunt gravius indignantur, et tanto eorum mens vastius accenditur, quanto consideratius infirma judicatur. Ili nimirum, quia humilitatem, quæ virtutum mater est, nesciunt, usum sui laboris perdunt, etiamsi qua bona sunt quæ operari videantur; quia surgentis fabricæ robusta celsitudo non ligitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli ergo ruinæ crescit quod ædificant, quia ante molem fabricæ humilitatis fundamina non procurant, quos bene ab intimis prodimus, si paucis in exterioribus ostendamus. Cunctis namque superba apud se cogitatione tumentibus, inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendum [*Text.*, lacessendos] vero importuna, ad ea quæ facere debet et prævalet ignava, ad ea autem quæ facere nec debet nec prævalet parata. Hæc in eo quod sponte non appetit nullis exhortationibus flectitur; ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit ut cogatur, quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa sua voluntate tolerare. Igitur quia humanos animos aliter tentari ex rebus carnalibus, atque aliter ex spiritalibus diximus, audiant illi: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos feni* (*Isai.* XL, 6). Audiant isti quod quibusdam post miracula dicitur: *Nescio vos unde sitis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII, 27). Rursumque aliter tentari prælatos, et aliter subditos præfati sumus. Audiant illi, cum de accepta potestate gloriantur, hoc quod Abrahæ voce ardenti diviti dicitur: *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI, 2). Audiant isti cum contra rectores suos in querelam prosiliunt, hoc quod murmuranti populo, Moysi et Aaron vocibus respondetur: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum; nos enim quid sumus* (*Exod.* XVI, 8)? Contra hujus languoris pestem audiamus cuncti quod magistra Veritas docet, dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Ad hoc namque unigenitus Dei Filius formam humilitatis nostræ suscepit; ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum probra [*Text.*, opprobria], passionumque tormenta

toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitas [*Text.*, humilitatis] virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is qui sine æstimatione est magnus, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ præbuit superbia diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri supra omnia voluit elatus; Redemptor autem noster, magnus manens supra omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Sed melius et elationis causam detegimus, et fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus quid mortis auctor, quid vitæ conditor suadeat [*Text.*, dicat]. Ille enim nihil aliud mentes sibi subditas docet, quam celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum alta elatione transire, sese et contra potentiam conditoris erigere, sicut de eisdem per Psalmistam dicitur: *Transierunt in dispositione cordis; cogitaverunt et locuti sunt nequitias, iniquitatem in Excelso locuti sunt* (*Psal.* LXXII, 7, 8). Iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra sua admonet, dicens: *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26). Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, et mortis auctor rex est superborum, aperte cognoscimus quod evidentissimum signum reproborum superbia est, at contra humilitas electorum. Cum igitur quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate rectoris. Unde et per Evangelium dicitur: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16). Qui ergo sub rege superbiæ militant, licet aliquando speciem humilitatis assumant, semetipsos tamen celare in omnibus nequaquam possunt, quia eorum superbia diu latere non sustinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione nudatur. Qui vero sub rege humilitatis militant, semper pavidi atque ex omni latere circumspecti, adversum jacula elationis pugnant, et quasi contra venientes ictus solum magis in suo corpore oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur.

CAP. IX. — *Quod in adversis prosperorum, in prosperis adversorum meminisse debeamus, ad illud: In die bonorum ne immemor sis malorum* (*Eccli.* XI, 27).

(Moral. lib. III, 5, c. 9, n. 16.) Magna consolatio tribulationis est si cum adversa patimur, auctoris nostri ad memoriam dona revocemus. Nec frangit quod ex dolore obviat, si menti citius quod [*Text.*, hoc] ex munere sublevat occurrat. Hinc scriptum est: *In die bonorum ne sis immemor malorum, et in die malorum, ne immemor sis bonorum* (*Eccli.* XI, 27). Quisquis enim dona percipit, sed donorum tempore nequaquam etiam flagella pertimescit, in elatione per lætitiam corruit. Quisquis autem flagellis atteritur, sed flagellorum tempore nequaquam se ex donis quæ eum contigit accepisse consolatur, ab statu mentis omnimoda desperatione destruitur. Sic ergo utraque jungenda sunt, ut unum ex altero fulciatur, quatenus et flagelli pœnam memoria temperet doni, et doni lætitiam mordeat suspicio et formido flagelli.

CAP. X. — *De dilectione Dei, et proximi, ad illud: Non agnoscitur in bonis amicus, et non absconditur in malis inimicus* (*Eccli.* XII, 8).

(Moral. lib. VII, c. 24, n. 28.) Duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor et proximi. Per amorem Dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profecto diligere proximum nescit, et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejus dilectionis gremio prius proximi dilectione [*Text.*, charitate] jactamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus: *Diliges proximum*; præmisit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI, 5; X, 12); ut scilicet in terra pectoris nostri prius amoris sui radicem figeret, qualenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum quia amor Dei ex proximi amore coalescit, testatur Joannes dicens: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere* (*I Joan.* IV, 20)? Quæ tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur. Sæpe vero omnipotens Deus ut quantum quisque a charitate ejus ac proximi longe sit, vel in ea quantum profecerit innotescat, miro ordine cuncta dispensans, alios flagellis deprimit, alios successibus fulcit, et cum quosdam temporaliter deserit, in quorumdam cordibus quod malum latet ostendit. Nam plerumque ipsi nos miseros insequuntur, qui felices sine comparatione coluerunt. Cum enim quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est utrum prosperitas an persona diligatur. Amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis. Unde dicitur [*Text.*, bene quidam Sapiens dicit]: *Non agnoscitur in bonis amicus, et non absconditur in malis inimicus* (*Eccli.* XII, 8). Nec prosperitas quippe amicum indicat, nec adversitas inimicum celat, quia et ille sæpe prosperitatis nostræ reverentia tegitur, et iste ex confidentia adversitatis aperitur. Qui vero ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur quod hunc in prosperis non amavit. Et cum omnipotens Deus ideo quosdam percutiat, ut et percussos erudiat, et non percussis occasionem boni operis præbeat, quisquis percussum despicit, occasionem a se virtutis repellit, et tanto se nequius contra actorem [*Text.*, auctorem] erigit, quanto hunc nec pium in salute propria, nec justum in alieno vulnere agnoscit.

CAP. XI. — *De his qui aliis impendunt misericordiam, nec tamen deserunt injustitiam, ad illud: Quid sibi nequam est cui bonum est* (*Eccli.* XIV, 5)?

(Moral. lib. XIX, c. 23, n. 38.) Ille bene agit quæ pia sunt, qui scit prius servare quæ justa sunt, ut collatus in proximos rivus misericordiæ de justitiæ fonte ducatur. Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed injustitiæ facta non deserunt. Quod [*Text.* qui] si veraciter proximis misericordiam facere studerent, sibi ipsis debuerant prius juste vivendo misereri. Unde scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24). Qui ergo misereri vult proximo, a se trahat necesse est originem miserendi. Scriptum namque est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XIX, 19). Quomodo ergo alteri miserendo pius est, qui adhuc injuste vivendo fit impius sibimetipsi? Unde dicitur: *Qui sibi nequam est, cui bonus erit* (*Eccli.* XIV, 5)? Ad exhibendam quippe misericordiam ut indigentibus plene exterius valeat impendi, duo sibi necessaria congruunt, id est homo qui præbeat, et res quæ præbeatur. Sed longe incomparabiliter melior est homo quam res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam a nequitia non custodit; rem suam Deo tribuit, et se peccato. Hoc quod minus est obtulit actori [*Text.*, auctori], et quod majus est servavit iniquitati.

CAP. XII. — *Quod pietas et humilitas inesse debeant eleemosynariis, ad illud: Omni dato ne des tristitiam mali verbi* (*Eccli.* XVIII, 16).

(Moral lib. XXI, c. 19, n. 29, etc.) Duæ virtutes, humilitas scilicet et pietas, ita sibimet connexæ debent esse, ut vicaria se per opera fulciant [*Text.*, vicario semper opere fulciantur]: quatenus nec humilitas cum veneratur proximum, largitatis gratiam deserat; nec pietas cum largitur, intumescat erga indulgentiam. Itaque proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem, ut cum indigentem rebus necessariis naturæ tuæ consortem vides, nec per pietatem [*Text.*, impietatem] desinas tegere, nec per superbiam negligas venerari quem tegis. Nam

nonnulli qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largituri, in eis prius contumeliosa verba jaculantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen humilitatis gratiam perdunt, ita ut plerumque videantur [*Text.*, videatur], quia illatæ jam injuriæ satisfactionem solvunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quod postulata tribuunt, quia ipso dationis suæ munere vix eumdem excessum sermonis tegunt. Quibus bene dicitur : *Omni dato non des tristitiam mali verbi.* Et rursum : *Ecce verbum super datum bonum; et utraque cum homine justificato* (*Eccli.* XVIII, 16, 17); ut videlicet datum exhiberi debeat per pietatem, et bonum verbum tribui per humilitatem. At contra alii egenos fratres non student rebus fulcire cum possunt, sed blandis tantum sermonibus fovere, quos vehementer Jacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens : *Si autem frater aut soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, ite in pace et calefacimini et saturamini. non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit vobis* (*Jacob.* II, 15)? Quos Joannes quoque apostolus admonet, dicens : *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* (*I Joan.* III, 12). Dilectio itaque [*Text.*, namque] nostra semper exhibenda est et veneratione sermonis, et ministerio largitatis. Multum vero ad edomandam dantis superbiam valet, si cum terrena tribuit, verba sollicite cœlestis magistri penset, qui ait : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, vos recipiant in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI, 9). Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis munera potius offerimus, quam egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur : *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum* (*II Cor.* VIII, 14), ut videlicet sollicite perpendamus, quia et eos quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus, et qui abundantes aspicimur, si largiri negligamus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab ea [*Text.*, eo] postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit uberius reddit. Restat ergo ut nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet dives ex eo quod pauperi tribuit, agit ut in perpetuum pauper non sit. Quisquis autem super eum cui aliquid attribuit, factu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus largiendo mercedem, fitque et ipse bonis interioribus nudus, cum nudum despicit vestiens, eo quod agit ut seipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliorem putat; minus quippe inops est qui vestem non habet quam qui humilitatem. Unde necesse est ut cum naturæ nostræ consortes exteriora non habere conspicimus, quam multa nobis desint dona interiora pensemus, quatenus sese super inopes cogitatio nostra non elevet, cum solerter videt quia nos tanto verius, quanto et interius indigentes sumus. Sunt quippe nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis quos per assiduitatem notitiæ didicerint miserentur, apud quos nimirum plus familiaritas quam natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines sunt, sed quia noti sunt, largiuntur. Sed unusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, ei jam incognitus non est, et apud ipsam mentem plus natura valet quam notitia.

CAP. XIII. — *De vitandis minutis peccatis, ad illud : Qui modica negligit, paulatim decidit* (*Eccli.* XIX, 1).

(Reg. pastoral. part. III, cap. 33.) *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Qui peccata minima flere ac devitare negligit, ab statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit.

CAP. XIV. — *De defendentibus peccata sua, ad illud : Peccasti, ne adjicias iterum* (*Eccli.* XXI, 1).

(Moral. lib. IV, c. 21, n. 39.) *Peccasti; ne adjicias iterum.* Peccato peccatum adjicit, qui male gesta etiam defendit, qui culpæ suæ [*Text.*, tenebris] etiam patrocinia defensionis adjungit.

CAP. XV. — *De his qui affliguntur pro amissione temporalium, ad illud : De stercore boum lapidatus est piger* (*Eccli.* XX, 2).

(Moral. lib. XV, c. 4, n. 5.) *De stercore boum lapidatus est piger.* Gaudia vitæ præsentis, quæ injusti æstimant magna bona, justi ut stercora deputant, is autem qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit, et quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ justi viri velut stercora contemnunt. Qui ergo externarum [*Text.*, ex terrenarum] rerum percussione atteritur, quid aliud quam de stercore boum flagellatur [*Text.*, lapidatur]?

CAP. XVI. — *De hypocritis, ad illud : Transi, hospes, et orna mensam* (*Eccli.* XXIX, 39).

(Moral. lib. XXXII, c. 15, n. 19.) *Transi, hospes, et orna mensam.* Transeundo hospes ornare mensam dicitur, quia si ad altare Dei quis positus, per bona opera gloriam propriam quærit, et de ostentatione sanctitatis ejus laus altaris extenditur, et ipse tamen apud Dominum in numero civium non habetur. Aliis ejus opinio proficit, et tamen a Deo extraneus ipse pertransit. Mensam itaque transeundo decoravit, quia stare ad sacra voluit [*Text.*, noluit], qui per omne quod agere studuit, ad humanas laudes mente decucurrit. Nonnulli namque hominum, et apud Deum [*Text.*, fenum] reprobi sunt, et apud homines sanctitatis nomine censentur, cum et ante humanos oculos aliud ostendit vita, et ante divina judicia aliud intendit conscientia.

CAP. XVII. — *De bonis et malis prælatis, ad illud : Ducem te constituerunt, noli extolli* (*Eccli.* XXXII, 1).

(Moral. lib. XXIII, c. 1, n. 8; lib. XXIV, c. 25, n. 22, et c. 23, n. 50.) Sanctæ universalis Ecclesiæ spiritualis quisque prædicator, in cunctis quæ dicit solerter curare inspicit, ne in eo quod recte prædicat, vitio se elationis extollat, ne vita a lingua discordet, ne pacem cum in Ecclesia annuntiat, in semetipso, dum bene dicit et male vivit amittat; sed studet summopere contra maledicos rumores adversantium, et defendere loquendo quod vivit, et ornare vivendo quod dicit. Nec in his omnibus suam, sed actoris [*Text.*, auctoris] gloriam quærit, atque omnem sapientiæ gratiam, quam ut loqueretur accepit, non suis se æstimat meritis, sed eorum intercessionibus pro quibus loquitur, accepisse. Sicque dum se infra dejicit, superest, quia nimirum suæ mercedi magis proficit quod bona quæ exercere prævalet, alienis meritis reddit, indignum se omnibus judicat, etiam dum dignius cunctis vivit. Scit enim quod bona quæ innotescunt hominibus, sine periculo vix esse possunt, et quamvis sapientem esse se sentiat, vellet tamen esse sapiens nec videri, atque hoc sibi omnimodo quod loquendo proditur pertimescit, et si liceat tacere appetit, dum esse multis tutius silentium cernit, eosque se [*Text.*, esse] feliciores putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat. Et tamen ut sancta Ecclesia defendatur, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit, sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit, hoc servat voto, illud observat [*Text.*, exercet] ministerio. Hanc autem dicendi formulam arrogantes ignorant, neque enim loquuntur quia causæ eveniunt, sed causas evenire optant [*Text.*, appetunt], ut loquantur. Ipsi etiam, sicut sæpe novimus, inordinatum sibi metum a subditis exigunt; et non tam propter Dominum quam pro Domino venerari volunt; intus enim se tumore cordis extollunt, cunctosque subditos in sui comparatione despiciunt, nec con-

descendendo consolantur [*Text.*, consulunt], sed dominando premunt, quia videlicet alta cogitatione se erigunt, et æquales se esse illis quibus eos præesse contigit, non agnoscunt. Contra hunc tumorem prælatorum dicitur : *Ducem te constituerunt; noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII, 1). Hunc tumorem Dominus per prophetam in pastoribus increpans, ait : *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia* (*Ezech.* XXXIV, 4). Ipsa enim bona quæ subditis dicunt, dominando potius quam consulendo proferunt; quia videlicet quidquam eis quasi ex æquo dicere, seipsos existimant dejecisse; singularitate autem gaudent culminis, et non æqualitate conditionis. Unusquisque autem superbus rector toties ad culpam superbiæ [*Text.*, apostasiæ] dilabitur, quoties præesse hominibus delectatur, et honoris sui singularitate lætatur, sub quo enim sit non considerat, et quod æqualibus quasi non sit æqualis, exsultat. Unde autem hæc vitiorum radix pullulat in corde regentium, nisi ex imitatione illius qui despectis angelorum societatibus, dixit : *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV, 14)? Rectores ergo quoties extolluntur in eo quod cæteros regunt, toties per lapsum superbiæ a summi rectoris servitio separantur; et cum æquales sibi subditos despiciunt, ejus super se dominium, sub quo omnes æquales sunt, non agnoscunt. Quia vero dominando præsunt, exemplo suæ superbiæ subditos ad impietatem trahunt, ad viam autem pietatis ducerent, si eorum oculis humilitatis exempla monstrarent. Dux autem est impius, qui per tumorem a tramite veritatis exorbitat, et dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Dux est impius, qui per tumoris exempla viam ostendit erroris. Paulus impius dux esse [*Text.*, dux esse impietatis] metuebat, cum potestatis suæ celsitudinem reprimebat, dicens : *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possimus oneri esse ut Christi apostoli; sed facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 6). Parvulus in medio eorum fuerat factus, quia timebat ne si inter discipulos honorem suæ celsitudinis vindicaret, exempla elationis ostenderet. Timebat nimirum ne dum sibi ipse potestatem pastoralis potentiæ quæreret, grex subditorum [*Text.*, subditus] per abrupta sequeretur, et ad impietatem sequentes duceret, qui pietatis officium suscepisset. Unde necesse est ut is qui præest, quæ exempla subditis præbeat solerter attendat, et tantis se sciat vivere, quantis præesse, ac vigilanter inspiciat ne in eo quod prælatus est intumescat, ne jura debitæ potestatis immoderatius exigat, no disciplinæ jus in rigorem mutetur superbiæ, et unde a perversitate subditos restringere poterat, inde magis intuentium corda pervertat, ne ut dictum est, impietatis dux per officium pietatis existat. Non autem debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, in se committat. Hinc inde se ergo qui præsunt conspiciant [*Text.*, circumspiciant], ut sibi subditis vivant, ut bonum quod faciunt, et intra sinum mentis abscondant, et eo ad provectum sequentium exempla rectæ operationis impertiant, ut subditorum culpas animadvertentes corrigant, nec tamen per vim ejusdem animadversionis intumescant, ut quædam leniter correpta tolerent, nec tamen disciplinæ vincula eadem lenitate dissolvant, ut quædam tolerando dissimulent, nec tamen ea crescere dissimulando permittant. Laboriosa sunt ista, et nisi divina gratia fulciat, ad custodiendum difficilia. Recte ergo de adventu judicis per Sapientiæ librum dicitur : *Horrende et cito apparebit quam* [Text., *quoniam*] *durissimum judicium in his* [Text. *judicium his*], *qui præsunt, fiet* (*Sap.* VI, 6). Quia ergo plerumque per potestatem regiminis ad culpam prorumpitur elationis; initium [*Text.*, unde vitium] superbiæ ab ipsa mox radice secandum est, ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abscidatur, ne provectu vigeat, ne usu roboretur. Difficile enim in se quisque inveteratam superbiam deprehendit, quia nimirum hoc vitium quanto magis patimur, tanto minus videmus. Sic quippe in mente superbia sicut in oculis caligo generatur, quo se hæc latius dilatat, eo vehementius lumen angustatur [*Text.*, angustat]. Paulisper ergo elatio in præcordiis crescit, et cum se vastius extenderit, oppressæ mentis oculum funditus claudit; ut captivus animus elationis typum et pati possit, et tamen id quod patitur videre non possit. Unde magnopere curandum est, ut qui regendis hominibus præfertur, apud se intra secretarium mentis in cathedra præsideat humilitatis, cumque judicanti ei a cæteris foris assistitur, vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoque judici ipse de his judicandus assistat, ut quanto nunc ante eum quem non videt sollicitus [*Text.*, sollicitius] trepidat, tanto eum cum viderit securior cernat. Penset ergo quia qui ad satisfaciendum districto judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, quot regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. Quæ nimirum cogitatio si assidue mentem excoquit, omnem superbiæ tumorem premit; et rector providus tanto jam neque superbus [*Text.*, nec apostata] neque dux impius vocabitur, quanto ei cogitatione sollicita potestas quæ accepta est, non honor, sed onus æstimatur. Nam cui esse nunc judicem libet, huic videre tunc judicem non libet, numerari enim culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur. Tunc vero solum potestas bene geritur, cum non amando sed timendo retinetur; quæ ut ministrari recte valeat, oportet primum ut hanc non cupiditas, sed necessitas imponat, percepta autem nec pro formidine debet deseri, nec ex libidine amplecti, ne aut pejus quis quasi ex humilitate superbiat, si divinæ dispensationis ordinem fugiendo contemnat, aut eo jugum superni rectoris abjiciat, quo eum super cæteros privatum regimen delectat. Potestas ergo cum percipitur, non ex libidine amanda est, sed ex longanimitate toleranda; ut inde tunc ad judicium salubriter levis sit, unde nunc ad ministerium patienter gravis innotescit.

CAP. XVIII. — *Quod per domesticos quærat diabolus decipere justos, ad illud : A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende* (*Eccli.* XXXII, 26).

(Moral. lib. II, c. 8, n. 13.) *A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende.* Antiquus adversarius non solum per semet ipsum, sed per eos etiam qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare, cum enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium repit. Hinc per prophetam dicitur : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam* (*Jerem.* IX, 4). Hinc rursum scriptum est : *Inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* X, 36). Callidus namque adversarius cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur exquirit, et per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur, ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis gladius [*Text.*, ejus] ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat.

CAP. XIX. — *Quot modis tangant animum imagines somniorum, ad illud : Multos errare fecerunt somnia* (*Eccli.* XXXIV, 7).

(Moral lib. VIII, c. 24, n. 42.) Aliquando somnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando vero illusione, aliquando cogitatione simul et illusione, aliquando revelatione, aliquando cogitatione simul et revelatione generantur. Sed duo quæ prima diximus, omnes experimento cognoscimus, subjuncta autem quatuor in sacræ Scripturæ paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir sapiens indicaret dicens : *Multos errare fecerunt somnia, et illusiones vanæ* (*Eccli.* XXXIV, 7). Vel certe : *Non augurabimini, nec observabitis somnia* (*Levit.* XIX, 26).

Quibus profecto verbis cujus sint detestationis ostenditur, quæ auguriis conjunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul et illusione procederent, Salomon minime dixisset : *Multas curas sequuntur somnia* (*Eccle.* v, 2). Et nisi aliquando somnia ex mysterio revelationis orirentur, Joseph præferendum se fratribus somnio non videret (*Genes.* 37) : nec Mariæ sponsum ut ablato puero in Ægyptum fugeret, per somnium Veritas [*Text.* Angelus] admoneret (*Matth.* II). Rursum nisi aliquando somnia cogitatione simul et revelatione procederent, nequaquam Daniel propheta Nabuchodonosor visionem disserens, a radice cogitationis inchoasset, dicens : *Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurum post hæc ; et qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ futura* [Text. *ventura*] *sunt* (*Daniel.* II, 29). Et paulo post : *Videbas, et ecce quasi statua una grandis; statua illa magna, et statua* [Text. *statura*] *sublimis stabat contra te*, etc. (*Ibid.*, 31). Daniel itaque dum somnium, et [*Text.* ad] implendum reverenter insinuat, et ex qua ortum sit cogitatione manifestat, patenter ostenditur quia hoc plerumque ex cogitatione simul et revelatione generetur. Sed nimirum cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis difficilius credi debet, quanto et ex quo impulsu veniant facilius non elucet. Sæpe namque malignus spiritus his quos amore vitæ præsentis vigilantes intercipit, prospera etiam dormientibus promittit, et quos formidare adversa considerat, eis hoc durius somnii imaginibus intentat, quatenus indiscretam mentem diversa qualitate afficiat, eamque aut spe sublevans, aut deprimens timore, confundat. Sæpe etiam sanctorum corda afficere somniis nititur, ut ab intentione cogitationis solidæ ad tempus saltem momentoque deriventur, quamvis ipsi protinus animum ab illusionis imagine [*Text.* imaginatione] discutiant ; sed hostis insidians quo eos vigilantes minime superat, eo dormientes gravius impugnat ; quem tamen hoc maligne agere superna dispensatio benigne permittit, ne in electorum cordibus ipse saltem a passionis præmio somnus vacet.

CAP. XX. — *De victimis impiorum, ad illud : Qui offert sacrificium de substantia pauperis* (*Eccli.* XXXIV, 24).

(Reg. pastoral. part. III, cap. 23, admon. 21.) Aliud est pro peccatis misericordiam facere, aliud pro misericordia facienda peccare. Quæ jam nec misericordia nuncupari potest, quia ad dulcem fructum non proficit quæ per virus pestiferæ radicis amarescit. Hinc est enim quod ipsa etiam sacrificia per Prophetam Dominus reprobat, dicens : *Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum* (*Isa.* LXI, 8). Hinc iterum dicit : *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere* (*Prov.* XXII, 27). Sæpe enim indigentibus subtrahunt quod [*Text.* quæ Deo] indigentibus largiuntur, sed quanta eos animadversione renuat per quemdam Sapientem Dominus demonstrat, dicens : *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui* (*Eccli.* XXXIV, 24). Quid namque esse intolerabilius potest quam mors filii in conspectu [*Text.*, ante oculos] patris ? Hoc itaque sacrificium quanta ira aspiciatur ostenditur, quod orbati patris dolori comparatur.

CAP. XXI. — *De iterantibus peccata sua, ad illud : Qui baptizatur a mortuo*, etc. (*Eccli.* XXXIV, 30).

(Reg. pastoral. III part., cap. 30, admon. 31.) *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid prodest* [Text. *proficit*] *lavatio ejus?* Baptizatur quippe a mortuo, qui lavatur [*Text.* mundatur] fletibus a peccato ; sed post baptisma mortuum tangit, qui culpas post lacrymas repetit.

CAP. XXII. — *De quotidianis flagellis hominum, ad illud : Grave jugum super filios Adam* (*Eccli.* XL, 1).

(Moral. lib. XXIV, c. 4, n. 7 ; lib. VIII, c. 32, n. 52 et seq. ; lib. XI, c. 49, n. 66 ; lib. VIII, c. 32, n. 55.)

A *Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque ad diem sepulturæ in matre* [Text. *matrem*] *omnium*. In Adam quippe primo homine a Domino [*Text.* Deo] recedente, repulsi à paradisi gaudiis in hanc mortalis vitæ ærumnam cecidimus, et quam gravem culpam serpentis suasione commisimus, pœnæ nostræ ultione sentimus. Hic enim lapsi, nihil extra Deum nisi quo affligeremur invenimus. Et quia per oculorum visum carnem secuti sumus, de ipsa carne quam præceptis Dei præposuimus, flagellamur. In ipsa quippe quotidie gemitum, in ipsa cruciatum, in ipsa interitum patimur, ut hoc nobis mira dispensatione Dominus in pœnam verteret, per quod fecimus culpam, nec aliunde esset interim censura supplicii, nisi unde fuerat causa peccati, ut ejus carnis amaritudine homo erudiretur ad vitam, cujus oblectatione superbe [*Text.* superbiæ] pervenit ad mortem. Homo quippe serpentis persuasionibus captus, dum Domini præcepta contemnens, eum peccando dereliquit, humilitatis arcem deserens, ad B infirmitatis jugum superbiendo pervenit, et cervicem cordis erigendo supposuit : quia qui subesse divinis jussionibus noluit, sub suis se necessitatibus stravit. Quod melius ostendimus, si ea quæ dejectus sustinet, et prius carnis, et post pondera mentis exprimamus. Ut enim taceamus hoc quod dolores tolerat, quod febribus anhelat, sua quadam ægritudine constringitur ipsa hæc nostri corporis quæ salus vocatur. Nam otio tabescit, opere deficit, inedia deficiens cibo reficitur ut subsistat, refectione lassescens, abstinentia relevatur ut vigeat, aqua perfunditur ne arescat, linteis tergitur ne ipsa nimis perfusione liquefiat, labore vegetatur, ne quiete torpeat, quiete refovetur, ne laboris exercitatione succumbat. Fatigatur vigiliis, somno reparatur, oppressa somno vigiliis excutitur, ne sua pejus quiete lassetur. Vestibus tegitur, ne frigoris adversitate penetretur, quæsito calore deficiens aurarum flatu refovetur, cumque unde molestias invenit, unde molestias fugere quæsivit, male sauciata, ut ita dixerim, C de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus, cessantibusque doloribus, ipsa nostra salus ægritudo est, cui curandi necessitas non [*Text.* nunquam] deest, quot enim solatia ad vivendi usum quærimus, quasi tot nostræ ægritudinis medicamentis obviamus ; sed ipsum quoque medicamen in vulnus vertitur, quia exquisito remedio paulo diutius inhærentes, ex eo gravius deficimus quod provide ad refectionem paramus. Sic nimirum debuit præsumptio corripi, sic sic superbia sterni, quia enim elatum semel spiritum sumpsimus, ecce defluentem [*Text.* defluens] quotidie portamus luctum [*Text.*, lutum] : ipsa quoque mens nostra a secreti interioris gaudio [*Text. securo*] exclusa, modo spe decipitur, modo pavore vexatur, modo despiciendo dolore dejicitur, modo falsa hilaritate relevatur. Transitoria pertinaciter diligit, eorumque amissione incessanter atteritur, quia et incessanter cursu rapiente permutatur. Rebus autem mutabilibus subdita, et a semet- D ipsa variatur, nam quærens quod non habet, anxia percipit, cumque hoc habere cœperit, tædet hanc percepisse quod quæsivit. Amat sæpe quod despexerat, despicit quod amabat, cum labore quæ æterna sunt discit, sed eorum repente obliviscitur, si laborare desierit. Diu quærit ut parum quid de summis inveniat, sed ad consueta citius relabens, nec parum in his quæ invenerit perseverat. Erudiri appetens, vix suam ignorantiam superat, sed erudita, gravius contra scientiæ gloriam pugnat. Vix carnis suæ sibi tyrannidem subjicit, sed tamen adhuc intus culpæ imagines tolerat, cujus jam foris opera vincendo restrinxit. In actoris [*Text.* auctoris] sui inquisitione se erigit, sed reverberatam hanc corporearum rerum amica caligo confundit. Semetipsam qualiter incorporea corpus regat intueri vult et non valet. Requirit mire quod sibi respondere non sufficit ; et sub eo ignara deficit, quod prudenter requirit. Amplam

se simul et angustam consideramus, qualem se veraciter æstimet ignorat : quia si ampla non esset, nequaquam tam investiganda requireret, et rursus si angusta non esset, hoc ipsum saltem quod ipsa requirit inveniret. Quia ergo repulsus homo et a carne molestias, et a mente quæstiones tolerat, grave nimirum pondus semetipsum portat, undique languoribus premitur, undique infirmitatibus urgetur, ut qui relicto Deo se sibi ad requiem sufficere credidit, nihil in se nisi tumultum perturbationis inveniret, inventumque se fugere quæreret, sed actore [*Text.* auctore] contempto, quo se fugeret non haberet. Si subtiliter etiam consideretur omne quod hic agitur, expulsi hominis gravis pœna et miseria est. Quod enim multa cautela custoditur salus corporis, quod etiam custodita amittitur, amissa cum gravi dolore [*Text.* labore] reparatur, et tamen reparata semper in dubio est, quid hoc aliud quam mortalis vitæ miseria est? Quod amamus amicos, suspecti ne offendi valeant, formidamus inimicos, atque de eis securi non sumus utique quos formidamus, quod plerumque inimicis loquimur, et nonnunquam pura verba proximorum, et multum nos fortasse diligentium, quasi verba suscipimus inimicorum, et qui falli nunquam vel fallere volumus, ex cautela nostra gravius erramus. Quid itaque hoc nisi humanæ vitæ gravis pœna [*Text.* miseria est] est? Quod amissa cœlesti patria repulsus homo delectatur exsilio, gravatur curis; et tamen cogitare dissimulat quam grave sit, quia multa cogitantur. Quod privatus est interno lumine, et tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatem suam, quid hoc aliud quam de pœna nostra nata miseria est? Sed quamvis diu hic stare desideret, ipso tamen cursu mortalis vitæ impellitur, ut egrediatur : cujus infirmitatis pondera bene quidam sapiens contemplatus, ait : *Grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque ad diem sepulturæ in matre* [Text., *matrem*] *omnium.*

CAP. XXXIII. — *Quod melior sit discretus homo peccans quam indiscretus bene agens, ad illud : Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier (Eccli.* XLII, 14).

(Moral. lib. XI, cap. 49, n. 65.) *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.* Vir etenim fortis quilibet et discretus vocatur, mulier vero mens infirma vel indiscreta accipitur. Et sæpe contingit ut etiam discretus quisque subito labatur in culpam, atque indiscretus alius et infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is qui indiscretus atque infirmus est, nonnunquam de eo quod bene egerit amplius elevatur, atque gravius in culpam cadit, discretus vero quisque etiam ex eo quod male se egisse intelligit, ad districtionis regulam arctius se reducit, et inde altius ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Qua in re recte dicitur : *Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier*, quia nonnunquam etiam culpa fortium occasio virtutis fit, et virtus infirmorum occasio peccati.

CAP. XXIV. — *De Sapientia, ad illud : Sapientiam scribæ in tempore otii (Eccli.* XXXVIII, 25).

(Moral. lib. XVIII, c. 43, n. 68 et 69; lib. V, c. 4, n. 5, 6 et 55.) *Sapientia in tempore otii : et qui minoratur actu, ipse percipiet eam.* Nullus quippe eam plene recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Sed quid quod plerosque antiquorum patrum novimus hanc sapientiam et intrinsecus vivaciter tenuisse, et curas mundi extrinsecus solemniter ministrasse? An perceptione hujus Sapientiæ Joseph privatum dicimus, qui famis tempore toties Ægypti curas suscipiens, non solum Ægyptiis alimenta præbuit, sed vitam quoque exterorum advenientium ministerii sui arte servavit (*Genes.* XLII, 43, *seq.*)? An ab hac sapientia Daniel alienus exstitit, qui a Chaldæorum rege in Babylonia princeps magistratuum effectus, tanto majoribus curis occupatus est, quanto et sublimiori dignitate omnibus prælatus (*Dan.* II)? Quia vero aliquando qui solam cœlestem patriam diligunt, terrenæ patriæ curis subjacent, pleni superna sapientia discernunt qualiter debeant vacare ad aliud intrinsecus, et ad aliud extrinsecus occupari, ut si forte occulta Dei ordinatione aliquid eis non appetentibus de hujus sæculi curis imponitur, cedant Deo quem diligunt, et præ amore ejus intrinsecus solam ejus desiderent visionem, præ timore vero ejus impositam sibi extrinsecus humiliter expleant actionem, ut et vacare Deo appetant ex gratia dilectionis, et rursum curas superimpositas ex conditione expleant servitutis. Cumque occupationes extrinsecus perstrepunt, intrinsecus in amore pacatissima quies tenetur, atque occupationum tumultus exterius perstrepentes dispensat interius præsens judex ratio, et tranquillo moderamine ea quæ circa se minus tranquilla sunt, disponit. Sicut enim vigor mentis frenandis præest motibus carnis, sic sæpe superimpositos tumultus occupationis bene regit amor quietis, quia exteriores curæ, si perverso amore non appetantur, non confuso sed ordinato animo ministrari queunt. Sancti enim viri nequaquam eas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt, et quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant, quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant; sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, exercent quod vitant. Intrant enim ad cor suum et ibi consulunt quid velit occulta voluntas Dei, seseque subditos esse debere summis ordinationibus cognoscentes, humiliant cervicem cordis jugo divinæ dispensationis. Quisquis talis est, quilibet tumultus versentur extrinsecus, nunquam ad ejus interiora perveniunt. Itaque agitur ut et aliud intrinsecus voto, et aliud extrinsecus teneatur officio; et hac ipsa sapientia non jam turbulenta atque confusa, sed tranquilla corda repleantur. Mira autem divinitatis pietate agitur, cum is qui perfecto corde ad contemplationem tendit, humanis ministeriis occupatur, ut et multis infirmioribus ejus mens perfecta proficiat, et quo semetipsum imperfectum respicit, inde ad humilitatis culmen perfectior assurgat. Nonnunquam enim sancti viri unde desideriorum suorum detrimenta tolerant, inde majora lucra conversis aliis reportant, quia dum eis vacare, ut appetunt, non licet, rapere secum alios quibus adhiscentur libet. Fit ergo mira dispensatione pietatis, ut unde se destructiores æstimant, inde locupletiores ad cœlestis patriæ constructionem surgant. Nonnunquam vero idcirco ad concepta desideria minime perveniunt, ut ipsa interveniente tarditate, ad eadem desideria laxato mentis sinu dilatentur. Et quæ extenuari fortasse impleta poterant, magna dispositione agitur ut repulsa crescant. Sic quippe mortificari appetunt ut jam perfecte, si liceat, conditoris sui faciem contemplentur; sed eorum desiderium differtur ut proficiat, et tarditatis suæ sinu nutritur ut crescat. Intus itaque servant desiderium pietatis, foris autem explent ministerium ordinis, quatenus nec a perfectione per intentionem recedant, nec per superbiam dispositioni conditoris contradicant. Qui vivit et regnat per infinita sæculorum sæcula. Amen.

LIBER TERTIUS.

De Testimoniis in Isaiam prophetam.

CAPUT PRIMUM. — *Cognovit bos possessorem suum (Isa.* I, 3).

(Moral. lib. I, c. 16, n. 23.) *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* In Scriptura sacra, aliquando per boves Judææ operarii; per asinum gentes [*Text.* gentiles] populi designan-

tur. Unde Dominus Jerusalem tendens asellum sedisse perhibetur (*Matth.* XXI). Quid est enim sedendo asinum Jerusalem tendere [*Text.* venire], nisi gentilitatis simplicia corda possidendo, ea ad visionem pacis regendo et præsidendo perducere? Quis enim bos, nisi Judaicus populus exstitit, cujus cervicem jugum legis attrivit, et quis asinus nisi gentilitas fuit, quam quilibet seductor reperit quasi brutum animal, et nulla ratione renitens, quo voluit errore substravit? Bos ergo possessorem, et asinus Domini præsepe cognovit, quia et Hebraicus populus dominum quem colebat, sed ignorabat, reperit, et gentilitas, legis pabulum quod non habebat, accepit.

CAP. II. — *Levamini, mundi estote* (*Isa.* I, 16).

(Reg. past. III p., c. 30, adm. 31.) Qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, flendo inaniter se mundant: quia [*Text.* qui] vivendo nequiter se post inquinant, cum ideirco se lacrymis mundant [*Text.* lavant], ut mundi ad sordes redeant. Hinc per Isaiam dicitur: *Lavamini, mundi estote* (*Isa.* I, 16). Post lavacrum enim mundus esse negligit, quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit. Et lavantur ergo, et nequaquam mundi sunt, quia commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt.

CAP. III. — *Auferte malum cogitationum vestrarum* (*Isa.* I, 16).

(Moral. l. XXV, c. 5, n. 7, 8; lib. XXV, c. 6, n. 11.) Occultas mentis nostræ cogitationes nullus hominum videt, et tamen ante Dei oculos toties labimur, quoties a recto itinere infirma cogitatione declinamus. Hinc per prophetam clamat, dicens: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Hoc nimirum dicens, vim coopertæ nostræ malitiæ quasi ferre se non posse testatur. Quæ cooperta illi esse non potest, quia videlicet importune ejus conspectui ingeritur, quidquid a nobis illicitum mente [*Text.* occulte] cogitatur. Omnia enim, sicut scriptum est, nuda et aperta sunt oculis ejus (*Hebr.* IV, 13), et mala hominum, nec cogitata ignorat, nec perpetrata obliviscitur, nisi ab ejus oculis pœnitendo deleantur. Quid ergo faciemus de malis operibus, si a Deo subtiliter omnia, non solum facta, sed saltem cogitationes pensantur, et ab eo districte judicabuntur? Nunc ergo dum possumus, a conspectu æterni judicis et male cogitata et pejus perpetrata deleamus. Revocemus ante oculos cordis quidquid perverse egimus; per nequitiam præsumptionis nihil sibi nostra blandiatur infirmitas, et in his quæ recolit, seipsam delicate non palpet, sed quanto sibi mali male fit conscia, tanto in se benignius sit severa. Proponat contra se futurum judicium, et quæque in se sentit districte ferienda per sententiam judicis, hæc in se feriat pie per pœnitentiam conversionis.

CAP. IV. — *Quiescite agere perverse* (*Isa.* I, 16).

(Moral. lib. IX, c. 38, n. 60.) *Quiescite agere perverse, discite benefacere, et venite, et arguite me.* Ei namque quem arguimus, rationis auctoritate contraimus. Quid est ergo quod Dominus agere sancta nos admonens, adjungit: *Venite, et arguite me*, nisi quod aperte insinuat quantam bonis actibus fiduciam præstet? Ac si patenter dicat: Recta agite, et animadversionis meæ motibus, non jam per deprecationis gemitum, sed per fiduciam auctoritatis obviate. Hinc enim Joannes dicit: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* (*I Joan.* III, 21). Hinc est quod arguentem Dominus non habuisse se queritur per prophetam, dicens: *Quæsivi virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me, ne dissiparem eam, et non inveni* (*Ezech.* XXII, 30). Hinc Isaias graviter deplorat, dicens: *Iniquitates nostræ quasi ventus abstulerant nos, nec est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te* (*Isa.* LXIV, 7).

CAP. V. — *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini* (*Isa.* II, 2).

(Moral. lib. XXXIII, c. 1, n. 2; lib. II, hom. 1 in Ezech., n. 4.) In Scriptura sacra cum numero singulari mons ponitur, aliquando incarnatus Dominus, aliquando apostata angelus designatur. Cum vero plurali numero montes nominantur, aliquando celsitudo apostolorum et prophetarum exprimitur. Mons namque Dominum signat. Sicut Isaias incarnandum prospiciens eum esse venturum per prophetiæ spiritum sublevatus, ait: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*; domus enim Domini Israeliticus populus fuit. Mons itaque domus Domini ille appellatus est qui ex Israelitico populo incarnari dignatus est. Fuerunt autem in eodem populo sancti viri qui montes jure vocarentur. Quia per vitæ merita ad cœlestia propinquaverunt. Sed incarnatus Dominus istis montibus æqualis non fuit, qui a natura vitæ [*Text.* quia naturam, vitam] merita omnium ex sua divinitate transcendit. Unde et recte mons super verticem montium dicitur, quia excelsus ex divinitate sua inventus est etiam super cacumina sanctorum, ut hi qui multum in Domino proficerent [*Text.* profecerant], ejus vestigia vix potuissent tangere ex vertice cogitationis. Mons itaque est in vertice montium incarnatus Dominus, transcendens celsitudinem prophetarum. Rursum per montem angelus apostata designatur, sicut sub Babylonis regis specie de antiquo hoste per eundem Isaiam in sequentibus dicitur prædicationibus: *Super montem caliginosum levate signum* (*Isa.* XIII, 2). Prædicatores quippe sancti super caliginosum montem signum elevant, quando contra Satanæ superbiam qui sæpe sub nebula simulationis absconditur, virtutem crucis exaltant.

CAP. VI. — *Ingredere in petram, abscondere fossa humo* (*Isa.* II, 10).

(Moral. l. XXXI, c. 27, n. 53.) Cordis nostri duritia crebris perscrutationum ictibus est rumpenda, sicut ad Isaiam Dominus dicit: *Ingredere in petram, abscondere fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus.* Petram ingredimur, cum torporis [*Text.* cordis] nostri duritiam penetramus, et a facie timoris Domini fossa humo abscondimur, si terrenas cogitationes egerentes, ab ira districti judicis in humilitate mentis nostræ celamur. Quo enim plus terra fodiendo projicitur, eo pavimentum semper inferius demonstratur. Unde et nos si a nobis studiosius terrenas cogitationes ejicimus, quo apud nosipsos abscondamur humilius, invenimus. Ecce enim quia divini judicii dies imminet, quasi ipsa jam timoris ejus facies apparet, tantoque magis necesse est ut unusquisque illum terribilius timeat, quanto jam gloria majestatis ejus appropinquat. Quid ergo agendum est, quove fugiendum? quo enim quis latere potest eum qui ubique est? Sed ecce petram ingredi, fossa humo occultari præcipimur, ut videlicet cordis nostri duritiam disrumpentes, eo iram invisibilem declinemus, quo ab amore rerum visibilium apud nosipsos in corde subtrahimur, ut cum pravæ cogitationis terra ejicitur, mens apud seipsam tanto tutius, quanto humilius abscondatur.

CAP. VII. — *Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est* (*Isa.* II, 22).

(Moral. l. XXI, c. 26, n. 51.) *Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse.* Naribus præscientia designatur, quia sæpe id quod non videmus, odore comprehendimus, ita ut nonnullæ res, etiam cum longe jaceant, fragrantia nobis suæ qualitatis innotescant, dumque per nares spiritum ducimus, plerumque aliqua et invisa præscimus. Redemptoris ergo nostri spiritus esse in naribus dicitur, ut videlicet scientia illius esse in præscientia designetur, quia quæcunque se scire in natura humanitatis innotuit, hæc nimirum ante sæcula ex divinitate præscivit. Qui unde spiritum in naribus habuit [*Text.* habuerit] propheta subjungit: Quia excelsus reputatus est ipse. Ac si diceret: In inferioribus ventura desuper præscit [*Text.* præscivit], quia ad ima de cœlestibus venit.

CAP. VIII. — *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt* (*Isa.* III, 9).

(Moral. lib. IV, c. 27, n. 31; Regul. past. III part., c. 31, admon. 32.) Sunt quidam qui postquam Deum in mente contempserint, multo magis humana judicia spernunt, et omne malum quod appetunt, nulla aperta verecundia retardati, audaciter peragere non erubescunt. Cum vero pravus quisque impudenter innotescit, quo liberius omne facinus perpetrat, eo etiam licitum putat, et quod licitum suspicatur, in hoc procul dubio multiplicius mergitur. Unde scriptum est : *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Peccatum enim suum si Sodoma absconderet, adhuc sub timore peccaret; sed funditus frena timoris amiserat, quia ad culpam nec tenebras requirebat.

CAP. IX. — *Populo meus, qui te beatificant, ipsi te decipiunt* (*Isa.* III, 12).

(In Ezech. l. I, hom. 9, n. 15.) In omni quod de nobis dicitur, tacite [*Text.* semper taciti] recurrere ad mentem debemus, interiorem testem et judicem quærere. Quid enim prodest si omnes laudent, cum conscientia accuset? aut quid poterit obesse, si omnes nobis derogent, et sola conscientia nos defendat? Hinc Isaias ait : *Populo meus, qui te beatificant, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Qui videlicet populus ne verba suæ laudis attenderet, et in culpas altius periret, statim ei dicitur, quem aspiciat, cujus judicium pertimescat, cum subditur : *Stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandos populos* (*Isa.* III, 13). Ac si aperte dicat : Judicia humana cur sequeris, qui stare te cœlestem scis judicem?

CAP. X. — *In die illo erit fructus terræ sublimis* (*Isa.* IV, 2).

(In Ezech. l. II, hom. 1, n. 4.) Mediator Dei et hominum Christus Jesus, non solum homo ultra homines, sed homo etiam super angelos factus est. Hinc enim de illo per Isaiam dicitur : *In die illo erit fructus terræ sublimis.* Creator etenim noster quia pro nobis incarnatus est, fructus terræ factus est nobis. Sed jam fructus sublimis terræ est, quia homo natus in terra, super angelos regnat in cœlo, quia juxta David et Pauli vocem, omnia subjecit sub pedibus ejus (*Psal.* VIII, 8; *Hebr.* II, 8); in eo enim quod illi subjecit omnia, nihil dimisit non subjectum ei.

CAP. XI. — *Væ qui conjungitis domum ad domum* (*Isa.* V, 8).

(In pastor. Reg. III part., c. 20, admon. 21.) Multiplicare large habitationis spatia cupientibus Dominus per Isaiam dicit : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum* [Text. *agro*] *copulatis, usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Ac si aperte diceret : Quousque vos extenditis qui habere in communi mundo consortes minime potestis? conjunctos quidem premitis, sed contra quos vos valeatis extendere semper invenitis.

CAP. XII. — *Nobiles eorum interierunt fame* (*Isa.* V, 13).

(Moral. lib. I, c. 21, n. 29; lib. I, homil. 3 in Ezech., n. 19.) Scriptura sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, et mandendo glutitur; potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut invenitur. Quasi cibum et potum vidit propheta Isaias Judææ defecisse [*Text.*, defuisse], cum diceret : *Nobiles ejus interierunt fame.* Paucorum quippe est fortia et occulta cognoscere, multorum vero historiæ aperta sentire, et idcirco Judææ nobiles non siti, sed fame interiisse asserit, quia ii qui præesse videbantur dum totos se exteriori intelligentiæ dederant, quod de intimis discutiendo manderent non habebant. Quia vero sublimioribus ab interno intellectu cadentibus, parvularum intelligentia et in exterioribus exsiccatur, recte illic adjungitur : *Multitudo ejus siti exsaruit.* Ac si aperte diceret : Dum vulgus vitæ suæ studium deserit, jam nec historiæ fluenta exquirit. Cibum vidit Jeremias Scripturam sacram qui exponendo frangeretur, cum diceret : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV, 4); id est, infirmi quique Scripturæ sacræ valentiores sententias petierunt exponendo comminui, sed qui exponere debeat non valet inveniri. Inter hæc considerare libet nos qui simus, qui usque ad sacri eloquii perscrutanda mysteria sublevamur. Certe in antiquis parentibus nostris cultores idolorum fuimus, sed ecce per spiritum gratiæ verba jam cœlestia rimamur. Unde hoc nobis? Sed implevit Redemptor humani generis quod per Isaiam dixit : *Et deserta in ubertatem versa, advenæ comedent* (*Isa.* V, 17). Hæc quippe prophetarum dicta deserta apud Judæos fuerunt, quia per intellectum mysticum ea excolere inquirendo noluerunt, nobis autem in ubertatem versa sunt, quia juxta historiam dicta, largiente Deo, menti nostræ spiritualiter sapiunt, et jam advenæ comedimus, quæ cives legis manducare noluerunt.

CAP. XIII. — *Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis* (*Isa.* V, 18).

(Moral. XXXIII, c. 10, n. 18.) *Væ qui trahitis iniquitatis* [Text. *iniquitatem*] *in funiculis vanitatis.* Per funem peccata significantur. Itaque iniquitas in funiculis vanitatis trahitur, dum per augmentum culpa protelatur, quia enim funis addendo torquetur ut crescat, non immerito peccatum in fune figuratur, quia perverso corde sæpe dum defenditur multiplicatur.

CAP. XIV. — *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem* (*Isa.* VI, 1).

(Lib. II, hom. 2 in Ezech., n. 14.) Sciendum est, quia quandiu in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso jam incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat. Neque enim omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur quo anima videndo proficiat, et post ad visionis ejus gloriam pertingat. Sic namque Isaias cum se Deum vidisse fateretur, dicens : *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*; protinus adjunxit : *Et ea quæ sub ipso erant, implebant templum.* Quando Ozias rex superbus ac præsumptor moritur, videtur Dominus, quia cum mundi hujus elatio a desiderio mentis occiditur, tunc ipsa mens gloriam Dei contemplatur. Et notandum quod Dominus super solium excelsum et elevatum sedet, quid namque est ejus solium nisi creatura angelica vel humana, cui per intellectum quem dedit, præsidet? Quod videlicet solium excelsum et elevatum dicit, quia et natura humana ad cœlestem gloriam elevata proficit, et creatura angelica, dum multis spiritibus cadentibus jam solidata est in cœlo ne cadat, inde elevata est unde et confirmata. Templum vero hoc est quod solium, quia æternus rex ibi habitat ubi sedet. Nos ergo templum illius sumus, in quorum mentibus habitare dignatur. Sed ea quæ sub ipso erant, implebant templum, quia quidquid de illo modo conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est. Sic Jacob angelum vidit, et vidisse se Dominum fatetur (*Genes.* XXVIII), quia cum mysteria [*Text.* ministeria, *id est* ministros, *scilicet* angelos] ejus conspicimus, jam multum est quod super nosipsos levamur. Notandum vero quod dicitur, *implebant templum*, quod etsi angelus appareret, infirmæ tamen mentis desiderio satisfaceret [*Text.* satisfecit], ut si adhuc majus non potest, jam tamen minus quod videt admiretur. Ea vero quæ sub ipso sunt, implent templum, quia sicut dictum est, et cum mens in contemplatione profecerit, non jam quod ipse est, sed id quod sub ipso est contemplatur.

CAP. XV. — *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum* (*Isa.* VI, 5).

Dialog. l. 3, cap. 15.) Turbis popularibus admisti dum frequenter otiosa, nonnunquam vero etiam graviter noxia loquimur, os nostrum omnipotenti Deo tanto longinquum fit, quanto huic mundo proximum, multum quippe deorsum ducimur, dum locutione continua sæcularibus admiscemur. Quod bene Isaias postquam regem Dominum exercituum vidit seipsum [*Text.* in semetipso] reprehendit et pœnituit, dicens : *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Qui cur labia polluta haberet aperuit, dum subjunxit : *In medio populi labia polluta habentis ego habito.* Pollutionem namque labiorum habere se doluit, sed unde hanc contraxerit, indicavit, cum in medio populi polluta labia habentis se habitare perhibuit. Valde enim difficile est ut lingua sæcularium mentem non inquinet quam tangit, quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condescendimus, paulisper ab otiosis ad noxia, a levibus ad gravia verba venimus, et os nostrum ab omnipotente Deo tanto jam minus exauditur in prece, quanto amplius inquinatur stulta locutione.

CAP. XVI. — *Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti* (*Isa.* IX, 4).

(Moral. lib. XXX, c. 25, n. 72.) Redemptori nostro gentilitatem a diaboli dominio liberanti per Isaiam dicitur : *Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Eripiens quippe gentilitatem Dominus, superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit ; superavit virgam humeri ejus, cum percussionem illius qua [*Text.*, quæ] ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere redempto compescuit. Superavit sceptrum exactoris ejus, cum regnum ejusdem diaboli qui pestifera perpetratione vitiorum exigere consueverat debita tributa pœnarum, de fidelium corde destruxit. Sed quomodo hæc acta sunt audiamus ; subjunctum est : *Sicut in die Madian.* Hoc Madianitarum bellum, quod in comparatione adventus dominici a propheta vigilanter illatum est, in libro Judicum superius disertum est.

CAP. XVII. — *Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel* (*Isa.* IX, 8).

(Moral. lib. II, c. 35, n. 57.) *Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel.* Jacob [*Text. add.* quippe] supplantator, Israel vero vir videns Deum dicitur. Quid per Jacob nisi Judaicus populus, et quid per Israel, nisi Gentilis populus designatur? quia quem Jacob per mortem carnis supplantare studuit, hunc nimirum per oculos fidei gentilitas Deum vidit. Ad Jacob ergo missum verbum in Israel cecidit, quia eum quem ad se venientem Judaicus respuit, hunc repente confitens populus gentilis invenit.

CAP. XVIII. — *Lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus* (*Isa.* IX, 10).

(Lib. II, hom. 9 in Ezech., num. 5.) Cum Judæorum populum Isaias a fide perire cognosceret, et sanctos apostolos fortes surgere in Ecclesia prævideret, per quos multi sunt ex gentibus in fidei et vitæ fortitudine solidati, in magna consolatione locutus est, dicens : *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus.* Lapis quadrus æque stat in quocunque latere ceciderit [*Text.* fuerit versus]. Quos ergo lapides quadros accipimus, nisi quoslibet sanctos, quorum vita in prosperitate, et adversitate novit fortiter stare, nec casum in qualibet permutatione habere? Videns itaque propheta in sancta Ecclesia apostolos, martyres et doctores surgere, et de laterum casu, id est Judæorum [*Text.* de Judæorum perditione] minus doluit, quia omnipotentis Dei ædificium, id est Ecclesiam sanctam de quadris lapidibus ædificari conspexit.

CAP. XIX. — *Computrescet jugum a facie olei* (*Isa.* X, 27).

(Moral. lib. X, c. 15, n. 24, et hom. 26 in Evang., n. 4.) *Computrescet jugum a facie olei.* Nomine olei ipsa sancti Spiritus unctio designatur : sub jugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis, sed uncti sumus oleo Spiritus sancti, et quia nos gratia sancti Spiritus unxit, dominationis dæmoniacæ jugum, quo libertatis nostræ colla premebantur, repulsum computruit, et a captivitatis nostræ servitute sumus liberati, Paulo attestante, qui ait : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III, 17). De hoc rursus oleo scriptum est : *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei* (*Isa.* V, 1). Filius quippe olei fidelis populus dicitur, quia ad fidem Dei interna Spiritus sancti unctione generatur.

CAP. XX. — *Requiescet super eum spiritus sapientiæ* (*Isa.* XI, 2).

(Lib. II, hom. 7 in Ezech., num. 7.) Per sancti Spiritus septiformem gratiam aditus nobis cœlestis vitæ aperitur. Quam septiformem gratiam Isaias in ipso nostro capite, vel in ejus corpore quod sumus, enumerans dicit : *Requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 2, 3). Quos gradus de cœlestibus loquens, descendendo magis quam ascendendo numeravit ; videlicet Sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem. Et cum scriptum sit : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Prov.* IX, 10) : constat procul dubio quia a timore ad sapientiam ascenditur, non autem a sapientia ad timorem redit ur ; quia nimirum perfectam habet sapientia charitatem et scriptum est : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*Joan.* IV, 18). Propheta ergo quia de cœlestibus Deus nos ad ima loquebatur cœpit a sapientia et descendit ad timorem, sed nos qui de terrenis ad cœlestia tendimus, a timore ad sapientiam numerantes ascendimus. Est itaque primus gradus ascensionis timor Domini in mente. Sed qualis timor iste est si pietas in eo non est? Qui enim compati tribulationi proximi vel ignorat vel dissimulat, hujus timor ante Deum nullus est, quia ad pietatem non sublevatur, sed pietas per inordinatam misericordiam [*Text. add.* errare solet, si fortasse pepercerit quæ parcenda non sunt. Peccata enim], cum peccata quæ parcenda non sunt, et quæ feriri gehennæ ignibus possunt [*Text. add.* disciplinæ verbere sunt corrigenda. Sed inordinata pietas cum], temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit. Ut ergo vera et ordinata sit pietas, ad scientiam est sublevanda, ut sciat quid ex justitia puniat, quid ex misericordia dimittat. Sed quid, si sciat quid agere quis debeat, virtutem vero agendi non habeat? Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem, ut cum videt quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit, ne a timore trepidet, et timore lapsa non valeat defendere bona quæ sentit. Sed sæpe fortitudo si improvida fuerit, et minus contra vitia circumspecta, ipsa sui præsumptione in casum ruit. Ascendat ergo ad consilium, ut prævidendo præmuniat omne quod agere fortiter potest. Sed esse consilium non potest, si intellectus deest, quia qui non intelligit malum quod agentem gravat, quomodo potest bonum solidare quod adjuvat? Itaque a consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid si intellectus magno quidem acumine vigilet, et moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam, ut hoc quod acute intellectus invenit, sapientia mature disponat. Quia igitur per timorem surgimus ad pietatem, per pietatem ducimur ad scientiam, per scientiam ad fortitudinem roboramur, per fortitudinem ad consilium tendimus, per consilium in intellectum proficimus, per intellectum ad sapientiam pervenimus, per septiformem sancti Spiritus gratiam nobis ascendentibus aditus vitæ cœlestis aperitur.

CAP. XXI. — *Habitabit lupus cum agno* (*Isa.* XI, 6).

(Lib. II, hom. 4 in Ezech., num. 3.) Ad audiendum verbum omnipotentis Domini, nos qui religioso indecti habitu videmur, ex diversa mundi qualitate convenimus, et ex dissimilibus iniquitatibus in sanctæ Ecclesiæ concordia congregati sumus, ita ut [*Text.* jam] pæne factum esse videatur quod de repromissione Ecclesiæ per Isaiam dicitur: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit.* Lupus quippe cum agno habitat, quia ii qui in sæculo raptores fuerunt, cum mansuetis et mitibus in pace conquiescunt, et pardus cum hædo accubat; quia is qui peccatorum suorum maculis varius fuerit, cum eo qui se despicit, et peccatorem fatetur, humiliari consentit. Ubi et subditur: *Vitulus, et ovis, et leo simul morabuntur*, quia et is qui per contritum cor ad quotidianum se Deo sacrificium præparat, et alius qui tanquam leo ex crudelitate sæviebat, et alter qui velut ovis innocentiæ suæ simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ convenerunt. Sequitur: *Et puer parvulus minabit eos.* Quis est iste parvulus, nisi is de quo scriptum est: *Puer natus est nobis* (*Isa.* IX, 6)? Puer ergo parvulus nos simul minat habitantes, quia is qui paulo minus quam angeli minoratus est, corda nostra per internum desiderium ad suum amorem incessanter accendit et per dilectionis suæ charitatem quam nobis tribuit, in hoc nos mundo mentem figere non permittit.

CAP. XXII. — *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis* (*Isa.* XI, 8).

(Moral. XVII, c. 32, n. 51.) Antiquus hostis nunc sanctos omnes non tenendo possidet, sed tentando persequitur, et quia intus dominium perdidit, bella molitur foris. Ille enim eum de carnalibus hominum cordibus expulit, qui propter homines ad incarnationem venit. Unde per Isaiam dicitur: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernam reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet, non nocebunt, neque occident in universo monte sancto meo.* Quem namque infantem ab ubere, vel eum qui ablactatus fuerit, nisi Dominum appellat? Quid vero foramine aspidis, vel caverna reguli, nisi corda signavit iniquorum? Quia antiquus hostis, dum totum se in eorum consensu contulit, quasi in foramine proprie [*Text.* proprio] coluber tortuosus sinus astutiæ colligendo glomeravit, quem et aspidis appellat nomine occulte sævientem, et regulum aperte ferientem. Manum ergo suam in foramine reguli, et aspidis misit Dominus quando iniquorum corda divina potestate tenuit, et comprehensum exinde aspidem vel regulum, id est diabolum, captivum traxit, ut in monte sancto ejus, quod est Ecclesia, electis fidelibus non noceret.

CAP. XXIII. — *Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti* (*Isa.* XI, 15).

(Moral. XXXIII, c. 10, n. 18, 19.) Incarnatus Dominus noster ab electorum suorum cordibus cuncta diabolicæ fallaciæ argumenta destruxit, et veritate ejus cognita, cuncta erroris et falsitatis doctrina conticuit. Unde per Isaiam dicitur: *Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti*; lingua quippe maris Ægypti est scientia doctrinæ sæcularis. Bene ergo mare Ægyptus dicitur, quia peccati obscuritate fuscatur, linguam vero maris Ægypti Dominus desolat, quia hujus mundi falsam sapientiam per carnem se tendendo destruxit.

CAP. XXIV. — *Sedebo in monte testamenti* (*Isa.* XIV, 13).

(Lib. I, hom. 2 in Ezech., num. 9.) *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Malignus spiritus qui hæc loquitur montem testamenti tenuit, quia Judaicum populum qui legem acceperat sibi in perfidia subjugavit. Quando enim corda doctorum tenet, in monte testamenti diabolus præsidet. Qui etiam in lateribus Aquilonis sedet, quia mentes hominum frigidas possidet. Pro eo enim quod ventus Aquilo constringit in frigore (*Isa.* XIV, 14), non incongrue Aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur.

CAP. XXV. — *Væ terræ cymbalo alarum* (*Isa.* XVIII, 1.)

(Moral. lib. XIII, c. 10, n. 13.) Sicut incarnatus Dominus in prædicatione sua pauperes, idiotas et simplices elegit, sic e contra ille damnatus homo, quem in fine mundi apostata angelus assumet ad prædicandum falsitatem suam, astutos ac duplices, et hujus mundi scientiam habentes, electurus est. Unde per Isaiam dicitur: *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, quæ mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas.* Terra quippe cui væ dicitur, ille principaliter damnatus homo est, qui alarum cymbalum vocatur, quia hi qui per superbiam in altitudinem cogitationis evolant, eumdem perversum hominem prædicando sonant. Quæ videlicet terra recte trans flumina Æthiopiæ esse perhibetur; Æthiopia enim nigrum populum mittit, et omnem hominem mundus iste, quia peccatorem profert, quasi nigrum Æthiopia populum parit. Sed terra cui væ dicitur, trans flumina Æthiopiæ esse perhibetur, quia damnatus ille homo tanta immensitate iniquus est, ut omnium peccantium peccata transcendat. Qui mittit in mare legatos, quia prædicatores suos in sæculo spargit, de quibus recte subditur qualiter mittantur dum dicitur: *In vasis papyri super aquas.* Ex papyro quippe charta est. Quid itaque per papyrum nisi sæcularis scientia designatur? Vasa ergo papyri sunt corda doctorum sæcularium. In vasis ergo papyri super aquas legatos mittere, est prædicationem suam in sapientium carnalium sensibus ponere, et defluentes ad culpam populos vocare.

CAP. XXVI. — *Custos quid de nocte* (*Isa.* XXI, 11).

(Moral. lib. VI, c. 19, n. 34; lib. XVI, c. 5[1], num. 72; lib. II, c. 31, num. 51.) Judæi persecutores Redemptoris nostri, in eo divinæ virtutis miracula cernebant, et tamen de ejus divinitate dubitabant, et in ipsa veritatis præsentia perfidiæ errore cæcati sunt, sicut Isaias dicit: *Custos quid de nocte, custos quid de nocte? Dixit custos; venit mane et nox.* Per mane, adventus dominicæ incarnationis intelligitur. De nocte itaque custos venit, quia humani generis protector, et manifestus in carne apparuit, et tamen hunc pressa perfidiæ suæ tenebris Judæa minime cognovit. Ubi bene ex voce custodis additur, venit mane et nox, quia per ejus præsentiam et novæ lucis primordia mundo fulserunt, et tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit, et a persecutorum cordibus perfidiæ suæ tenebræ non sunt detersæ, quorum cæcitas ad crudelitatem, crudelitas usque ad aperta opera persecutionis exarsit. Nam droctrinæ veritatis invidentes, opportunitatem dominicæ traditionis exquirebant. De quibus dicit Propheta: *Et nunc ignis adversarios consumit* (*Isa.* XXVI, 11). Ac si aperte dicat: Malos non solum ignis per vindictam post cruciat, sed nunc etiam per livorem cremat, quia qui post puniendi sunt retributionis supplicio, nunc seipsos afficiunt invidiæ tormento. Dum vero a doctoribus qui vera docere videbantur, flamma invidiæ exarsit, imperitus populus adversitatem Pharisæorum et principum tolerare timens, concremationе pariter consumptus est infidelitatis, et a præpositis invidiæ flamma descendens, corda plebis subvertendo succendit, impleta prophetia quæ dicit: *Zelus apprehendit populum ineruditum* (*Rom.* X, 2). Ac si aperte dicat: Dum prophetarum verba plebs discutere noluit, sed crudelitatem suam verbis invidentium dedit, zeli igne periit, quia in alienæ invidiæ se flamma concremavit.

CAP. XXVII. — *Qui habitatis in terra Australi* (*Isai.* XXI, 14).

(Moral. XXIII, c. 25, n. 49.) In Scriptura sacra eruditio divinæ doctrinæ designatur, sicut per Isaiam dicitur: *Qui habitatis in terra Australi, cum panibus occurrite fugienti.* In terra Australi habitant qui

sancta Ecclesia positi, superni spiritus charitate perflantur; fugit autem qui hujus mundi mala evadere concupiscit. Qui ergo in terra Australi habitat, fugienti cum panibus occurrat, id est is qui jam sancto Spiritu intra Ecclesiam positus est, eum qui mala sua evadere nititur eruditionis eloquio consoletur. Fugienti scilicet cum panibus occurrere, est metuenti aeterna supplicia doctrinae sacrae escas offerre, et modo timorem terrore comprimere, modo pavorem exhortatione refovere. Quia panis refectio Scripturae sacrae non inconvenienter accipitur, per eumdem prophetam Judaeis solam litteram servantibus dicitur: *Quare appenditis argentum, et non in panibus* (*Isa.* LV, 2)? Ac si diceret: Pensatis sacra eloquia, sed non in refectione, quia dum solam speciem litterae custoditis, de spirituali intelligentia pinguedinem internae refectionis amittitis. Unde et aperte [*Text.* apte] subjungitur: *Et laborem vestrum non in saturitate* (*Ibid.*)?

CAP. XXVIII. — *Erubesce, Sidon, ait mare* (*Isa.* XXIII, 4).

(Praefat. Moral., c. 2, n. 5; Regul. past. III part., c. 23, admon. 29.) Plerumque ex vita gentilium redarguitur vita sub lege positorum, et ex actione saecularium confunditur actio religiosorum, dum isti etiam promittendo non servant quae in praeceptis audiunt, et isti vivendo ea custodiunt in quibus nequaquam mandatis legalibus astringuntur, dum illi ultra habitum assumunt opera, et isti juxta ordinem proprium non excitant corda. Quod per Isaiam breviter dicitur: *Erubesce, Sidon, ait mare* (*Isa.* XXIII, 4). In Sidone quippe figuratur stabilitas in lege positorum et religiosorum, in mare vero vita gentilium et saecularium. Quasi ergo per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitae gentilium et saecularium atque in hoc mundo fluctuantium Christianorum; et religiosorum, qui muniti et quasi stabiles cernuntur, vita reprobatur.

CAP. XXIX. — *Erit sicut populus sic sacerdos* (*Isa.* XXIV, 2).

(In Reg. past. II part., cap. 7.) Ex ira justae retributionis per Isaiam Dominus minatur, dicens: *Erit sicut populus sic sacerdos*: Sacerdos quippe est sicut populus, quando ea agit is qui spirituali officio fungitur, quae illi nimirum facient, qui adhuc de studiis carnalibus judicantur, quando in terrenis negotiis, quae reprehendere in aliis debuit, pastor animarum versatur.

CAP. XXX. — *Ponetur in ea murus et antemurale* (*Isa.* XXVI, 1).

(In Ezech. lib. II, hom. 2, num. 5; ibid., part. II, num. 5; Moral. lib. XX, c. 25.) Plerumque in sacro eloquio ex protectionis suae munere [*Text.* munimine] murus dici incarnatus Dominus solet, de quo pro Ecclesiae sanctae aedificatione per Isaiam dicitur: *Ponetur in ea murus et antemurale.* Ipse enim nobis est murus qui nos undique custodiendo circumdat, qui ad corda nostra pertingere malignorum spirituum cursum vetat: antemurale vero muri nostri omnes prophetae fuerunt qui priusquam appareret Dominus in carne, ad construendam fidem prophetando missi sunt. Recte quippe antemurale vocantur qui dum subsequentem praedicaverunt Dominum, quasi ante murum steterunt. In sancta ergo Ecclesia Dominus murus nobis, et prophetae ejus antemurale sunt positi, quia ad nos quos ipse perfecte protegit, etiam prophetarum verba in fidei constructione veneruut. Unde bene prius murus, et post antemurale ponitur, quia vocati ex gentibus nisi prius Dominum cognovissemus, prophetarum illius dicta minime suscepissemus.

CAP. XXXI. — *Domine, exaltetur manus tua ut non videant* (*Isa.* XXVI, 11).

(Moral. VII, c. 32, n. 47.) Intellectum reproborum nunc merita obscurant, sed in die judicii cognitio A reatus illuminat, ut et modo sequendam vitam non videant, et tunc eam postquam amiserint, cernant. De quibus per Isaiam dicitur: *Domine, exaltetur manus tua ut non videant; videant et confundantur.* Nunc quippe aeterna intelligere negligunt, vel appetere intellecta contemnunt, sed tunc ea intelligentes desiderantesque conspiciunt, et considerata assequi pudore confusi nequaquam possunt.

CAP. XXXII. — *Mortui non vivent, gigantes non resurgent* (*Isa.* XXVI, 14).

(Moral. XVII, c. 21, n. 30.) *Mortui non vivent, gigantes non resurgent.* Quos mortuos Isaias hic nominat, nisi peccatores, et quos gigantes, nisi eos qui de peccato etiam superbiunt, appellat? Illi vere non vivunt, quia peccando vitam justitiae perdiderunt, isti etiam resurgere post mortem nequeunt, quia post culpam suam inflati per superbiam, ad poenitentiae remedia non recurrunt.

CAP. XXXIII. — *Intra cubilia tua* (*Isa.* XXVI, 20).

(Moral. IV, c. 26, n. 47.) *Intra* [Text. *in cubicula*] *cubilia tua, claude ostia tua.* Ostia sunt desideria concupiscentiae carnalis, cubilia quippe ingredimur cum secreta nostrae mentis intramus, ostia vero claudimus, cum desideria illicita coercemus.

CAP. XXXIV. — *Super serpentem Leviathan vectem* (*Isai.* XXVII, 1).

(Moral. IV, c. 9, n. 15.) Dominus angelum apostatam describens, dicit per Isaiam: *Super serpentem Leviathan vectem, serpentem tortuosum.* Leviathan interpretatum dicitur additamentum eorum, scilicet hominum; recte autem additamentum eorum dicitur, quia eos immortales in paradiso reperit, sed divinitatem immortalibus promittens, quasi eis aliquid ultra quam erant se addere blande spopondit. Serpens vero tortuosus vocatur, quia in eo quod se addere homini promisit, tortuosis ad eum sinibus irrepsit, quia dum falso impossibilia spopondit, vere et possibilia sustulit. Quaerendum vero est cur qui serpentem dixerat tortuosum, subjungens interposuit vectem, nisi forte in serpentis tortitudine fluxa mollities, in vecte autem est duritia rigiditatis. Ut ergo hunc durum designaret et mollem, et vectem nominat et serpentem. Durus est per malitiam, mollis per blandimenta, vectis dicitur, quia usque ad necem percutit, serpens vero quia se per insidias molliter infundit.

CAP. XXXV. — *Sola vexatio dabit intellectum auditui* (*Isa.* XXVIII, 19).

(Moral., lib. XV, n. 58; lib. XI, c. 29, num. 41.) Nescit impius mala quae fecit, nisi cum pro eisdem malis coeperit puniri. Unde per Isaiam dicitur: *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Cum enim de praeceptis Dei contemptis verberari et vexari per vindictam coeperit, tunc intelliget quod audivit.

CAP. XXXVI. — *Ut faciat opus suum* (*Isa.* XXVIII, 21).

(Lib. II, hom. 4, in Ezech., num. 20.) Salutem nostram in passione Domini contemplatus Isaias, ait: *Ut faciat opus suum, alienum est opus ejus ab eo.* Opus enim Dei est animas quas creavit colligere, et ad aeternae lucis gaudia revocare. Flagellari vero, et sputis illiniri, crucifigi, mori et sepeliri, non hoc in sua substantia opus Dei est, sed opus hominis peccatoris, qui haec omnia meruit per peccatum. Ut ergo faciat opus suum, alienum opus ejus est ab eo, quia incarnatus Deus ut nos ad suam justitiam colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator homo vapulare, et alienum opus fecit, ut faceret proprium, quia per hoc quod infirmatus mala nostra sustinuit, nos qui creatura illius sumus, ad fortitudinis suae gloriam perduxit.

CAP. XXXVII. — *Et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum* (*Isa.* XXX, 20).

(Lib. II, hom. 34 in Evang., n. 16 et 17; Reg. past., part. III, c. 28, admon. 29.) Pensemus, cha-

rissimi, super nos charitatem conditoris nostri. Peccare nos videt et perfert, et ipse quem peccando despicimus, post culpam exspectare ad veniam non cessat. Aversi ab illo sumus, et tamen revocando nos, non avertitur. Quia nimirum per Isaiam post delictum misericordia vocationis exprimitur, cum averso homini dicitur : *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient verbum* [Text. *vocem*] *post tergum manentis.* Humanum quippe genus Dominus in faciem monuit, quando in paradiso condito homini, et in libero arbitrio stanti, quid facere, quidve non facere deberet indixit, sed homo in faciem Dei terga dedit, cum superbiens ejus jussa contempsit. Nec tamen superbientem Deus deseruit, quia ad revocandum hominem legem dedit, exhortantes angelos misit, in carne nostræ mortalitatis apparuit, ergo post tergum stans nos admonuit, qui ad recuperationem nos gratiæ etiam contemptus vocavit. Quod ergo generaliter dici potuit de cunctis, hoc necesse est specialiter sentiri de singulis; quasi enim coram positus Deo quisque verba monitionis ejus percipit, cum priusquam peccata perpetret voluntatis ejus præcepta cognoscit. Adhuc enim ante ejus faciem stare est, necdum eum peccando contemnere, cum vero derelicto bono innocentiæ iniquitatem eligens appetit, terga jam in ejus faciem mittit. Sed ecce adhuc et post tergum Deus subsequens monet qui etiam post culpam ad se rediri [*Text.* redire] persuadet. Vocem ergo post tergum monentis audimus, si ad invitantem nos Dominum saltem post peccata revertimur. Superbe quidem aversos per patientiam exspectat, per præcepta clamans benigne revocat. Tanta ergo Conditoris nostri misericordia duritiam nostri reatus emolliat : ut homo qui malum quod fecit experiri percussus poterat, saltem exspectatus erubescat.

Cap. XXXVIII. — *Ut frenum erroris canticum erit vobis* (*Isa.* xxx, 28).

(Lib. II, hom. 6 in Ezech., num. 21.) Antiqui parentes nostri lignis servierunt et lapidibus, nos vero per omnipotentis Dei gratiam de servitio creaturæ colla mentis excussimus; et in nobis impletum est quod per Isaiam dicitur : *Et frenum erroris quod erat in maxillis populorum canticum erit vobis; sicut vox sanctificatæ solemnitatis.* Frenum quippe erroris maxillas populorum constrinxerat, quando idolorum errore obligata gentilitas Deo vero confessionis laudem dare nesciebat. Sed hoc ipsum frenum erroris jam nobis in canticum versum est, cum gaudendo psallimus et cantamus : *Omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit* (*Psal.* xcv, 5). Quia itaque hæc omnipotenti Deo [*Text.* Domino] dicimus psallendo, ipsum erroris nostri frenum, quod a laude Dei ora nostra ligaverat, vero Domino canticum fecimus. Bene autem dicitur : *Sicut vox sanctificatæ solemnitatis*, quia dum confessionis laudem Deo reddimus, in sanctificata solemnitate gaudemus. Respondeamus ergo moribus tantæ misericordiæ Redemptoris nostri, ut qui lucem cognovimus, pravorum operum tenebras declinemus.

Cap. XXXIX. — *Vivit Dominus, cujus ignis est in Sion* (*Isa.* xxxi, 9).

(Lib. II, hom. 6 in Ezech. et hom. 9, num. 20.) De amore qui hic incipitur, ut ex visione Domini in æterna patria perficiatur, Isaias loquitur, dicens : *Vivit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.* Plus est autem caminum esse quam ignem, quia et ignis parvus esse potest; in camino vero vastior flamma succenditur. Sion vero speculatio ; Jerusalem visio pacis dicitur, pacem vero nostram hic interim speculamur, ut illic postmodum plene videamus. Ex amore ergo Domini in Sion ignis est, in Jerusalem caminus; quia hic amoris ejus flammis aliquatenus ardemus, ubi de illo aliquid contemplamur, sed ibi plene ardebimus ubi illum plene videbimus quod [*Text.* quem] amamus.

Cap. XL. — *Super humum populi mei spinæ et vepres erunt* (*Isa.* xxxii, 13).

(Moral. xvii, cap. 17, n. 23.) Si a peccato liberi esse nequeunt, qui jam in cœlestibus desideriis conversantur, quæ peccatorum pondera tolerant, qui carnis suæ deserviunt voluptatibus? Hinc per Isaiam dicitur : *Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent, quanto magis super omnem domum gaudii civitatis exsultantis?* Humum quippe populi sui Dominus electorum omnium mentem vocat, super quam spinas et vepres ascendere perhibet, quia nec ipsam quoque esse absque punctionibus vitiorum videt : domus vero gaudii civitatis exsultantis est mens pravorum, quæ dum ventura supplicia conspicere negligit, in carnis voluptate se deserens, inaniter hilarescit. Ait ergo : *Super humum populi*, etc. Ac si aperte dicat : Si et illorum mentem vitia deprimunt, qui se pro cœlestis patriæ desiderio affligunt, quibus culpis substrati sunt, qui sine ulla formidine se in carnis voluptate derelinquunt?

Cap. XLI. — *Beati qui seminatis super omnes aquas* (*Isa.* xxxii, 20).

(Moral. xxxv, c. 16, n. 39, 40.) *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini.* Per bovem aliquando Israeliticus populus jugo legis edomitus signatur; per asinum vero gentilis populus voluptatibus deditus indicatur. Super omnes ergo seminare aquas, est cunctis late populis Ecclesiæ sanctæ prædicatores fructuosa verba vitæ prædicare, pedem vero bovis et asini immittere, est vias Israelitici et gentilis populi, per præceptorum cœlestium vincula religare.

Cap. XLII. — *Qui ambulat in justitiis, iste in excelsis habitabit* (*Isa.* xxxiii, 15).

(Moral. xxxi, c. 51, n. 102, lib. xxiii, c. 25, n. 49; lib. I, hom. 4, in Evang., num. 4.) Libet ad medium Isaiæ verba deducere, de activa sive contemplativa vita, et quasi uno spiritu proferantur, ab eo indicare. Qui activam exprimens, ait : *Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem; qui excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum.* Sciendum est quod aliquando munus ab obsequio, aliquando a manu, aliquando ab ore porrigitur; munus quippe est ab obsequio indebite impensa subjectio; nam qui nummum tribuit, munus ex manu dedit, qui vero verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. Sed justus ab omni munere manus excutit, quia boni operis nullam retributionem in hoc mundo requirit. Quid est autem obturare aures suas, ne audiat sanguinem, nisi peccatis suadentibus quæ de sanguine et carne nascuntur non præbere consensum? Et quid est ne malum videat oculos claudere, nisi omne quod rectitudini adversum est non approbare? Cumque activæ vitæ virtutes expressisset, illico ab ejusdem vitæ gradibus ad quæ contemplationis culmina ascendatur, subjungit, dicens : *Iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas ejus; panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt; regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.* In excelsis habitare, est cor in cœlestibus ponere; licet adhuc caro in inferioribus retineatur, mentem jam in sublimibus et cœlestibus ponendo figere [*Text.* fixit]. Et munimenta saxorum sublimitas nostra est; cum præcedentium fortiumque patrum præcepta respicimus, et ab infima cogitatione separati, abjectaque desideria terrenæ conversationis calcantes, ad supernam patriam per eorum exempla sublevamur. Munimenta saxorum sublimitas nostra est, cum mente choris castrisque cœlestibus jungimur, et insidiantes malignos spiritus, stantes in arce cordis, quasi subterpositos expugnamus. Tunc etiam nobis panis datur, quia in supernis erecta intentio æternitatis contemplatione reficitur, et per contemplationis donum, gratia spiritali satiamur. Per pa-

nem enim aliquando in sacro eloquio accipitur gratia doni spiritalis, sicut et de sancta Ecclesia per David Dominus dicit : *Pauperes ejus saturabo panibus* (*Psal.* CXXXI, 15), quia in illa positæ mentes humilium, spiritualium replentur refectione donorum. Aquæ enim nostræ fideles sunt, quia doctrina Dei, quod hic per spem promittit, hoc illic in munere exhibet. Sapientia namque hujus mundi infidelis est, quia mansura post mortem non est. Aquæ nostræ fideles sunt, quia verba vitæ quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant. Regem in decore suo oculi nostri conspiciunt, quia Redemptor noster in judicio et a reprobis homo videbitur, sed ad intuendam divinitatis ejus celsitudinem, soli qui electi sunt sublevantur ; quasi enim quamdam fœditatem regis videre est, solam servilem formam, in qua ab iniquis despectus est, cernere. Sed ab electis in decore suo rex cernitur, quia ultra semetipsos rapti, in ipso deitatis fulgore oculos cordis figunt. Qui quandiu in hac vita sunt, quia illam viventium patriam, sicut est, videre non possunt, recte adjungitur : *Cernent terram de longe.*

CAP. XLIII. — *Locus fluviorum rivi latissimi* (*Isa.* XXXIII, 21).

(Moral. XVIII, c. 30, n. 60.) Isaias propheta plana sanctæ Ecclesiæ expositione verba conspiciens, et non allegoriarum tenebris obscurata [*Text.* obscura], exclamavit, dicens : *Locus fluviorum rivi latissimi et patentes.* Testamenti enim veteris dicta, quasi angusti et clausi rivi fuerant, qui immensas scientiæ suæ sententias collectione obscurissima constringebant. At contra doctrina sanctæ Ecclesiæ, rivi et lati et patentes sunt ; quia ejus dicta et invenientibus multa sunt, et quærentibus plana.

CAP. XLIV. — *Inebriatus est in cœlo gladius meus* (*Isa.* XXXIV, 5).

(Moral. XXXII, c. 23, n. 49.) Consideret homo quid sit alatus in terra mereatur, si et prælatus angelis, angelus in cœlo prosternitur. Unde et bene per Isaiam Dominus dicit : *Inebriatus est in cœlo gladius meus.* Ac si aperte diceret : Qua ira feriam superbos terræ, perpendite ; si ipsos etiam quos in cœlo juxta me condidi, pro elationis vitio percutere non peperci ?

CAP. XLV. — *Orientur in domibus ejus spinæ et urticæ* (*Isa.* XXXIV, 13).

(Moral. XXXIII, cap. 4.) Peccatores quique in quo sibi male sunt conscii, in eo et alium peccantem defendunt, umbræ umbram ejus protegunt, dum et nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur, ne dum culpa, in qua et ipsi obligati sunt in aliis corrigitur, ad ipsos quoque [*Text.* quandoque] veniatur. Quod factum per Isaiam Dominus sub Babylonis specie redarguit, dicens : *Orientur in domibus ejus spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus.* Quid namque per urticas, nisi cogitationum prurigines ; quid vero per spinas, nisi vitiorum punctiones accipimus ? In domibus igitur Babylonis urticæ et spinæ pullulant, quia in confusione mentis reprobæ et desideria cogitationum surgunt, quæ exasperent, et operum peccata quæ pungant. Sed hæc agentes habent etiam nequiores alios defensores suos. Unde et subditur : *Et paliurus in munitionibus ejus.* Paliurus quippe tanta spinarum circumdatione densescit, ut præ asperitate tangi vix possit. Intus ergo urtica et spina nascitur. Sed utrumque hoc exterius per paliurum munitur, quia videlicet minores iniqui mala quælibet faciunt, sed ea nequissimi majores tuentur.

CAP. XLVI. — *Erit cubile draconum* (*Isa.* XXXIV, 13).

(Moral. VII, c. 28, n. 36.) Contra perversam mentem sub Judææ specie per Isaiam dicitur : *Erit cubile draconum et pascua struthionum : et occurrent dæmonia onocentauris et pilosus clamabit alter ad alterum* (*Isa.* XXXIV, 13, 14). Quid per dracones, nisi malitia ? quid vero struthionum nomine, nisi hypocrisis designatur ? Struthio quippe speciem volandi habet, sed usum volandi non habet, quia et hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, et tenere viam sanctitatis ignorat. In perversa igitur mente draco cubat et struthio pascitur, quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur. Quid vero onocentauri nomine, nisi et lubrici figurantur et elati ? Græco quippe eloquio ὄνος asinus dicitur, et appellatione asini luxuria designatur lubrici et elati : tauri vero vocabulo cervix superbiæ demonstratur. Onocentauri ergo sunt, qui subjecti luxuriæ vitiis et suæ carnis voluptatibus, expulsa verecundia, de opere confusionis gaudent, et inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerunt. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni spiritus valde eis ad votum deserviunt, quos de his gaudere conspiciunt, quæ flere debuerunt. *Et pilosus clamabit alter ad alterum.* Qui namque pilosi [*Text.* alii] appellatione figurantur, nisi hi quos Græci *panas*, Latini *incubos* vocant ? Quorum nimirum forma ab humana effigie incipitur, sed bestiali extremitate terminatur. Pilosi ergo nomine cujuslibet peccati asperitas designatur ; quod etsi quando quasi obtentu rationis incipit, semper tamen ad irrationales motus tendit. Et quasi homo in bestiam desinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans, usque ad irrationabilem effectum trahit. Nam sæpe edendi delectatio servit gulæ, et servire se simulat indigentiæ naturæ. Cumque ventrem in ingluviem extendit, membra in luxuriem erigit. Pilosus autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata nequitia ad perpetrandam aliam nequitiam provocat, et quasi quadam cogitationis voce, commissa jam culpa culpam adhuc quæ committatur invitat. Sæpe namque gula dicit : Si abundanti alimento corpus non relicis, in nullo utili labore subsistis. Cumque mentem per desideria carnis accenderit, mox quoque luxuria verba propriæ suggestionis facit, dicens : Si misceri homines Deus corporaliter nollet, membra ipsa coeundi apta usibus non fecisset. Cumque hæc quasi ex ratione suggerit, mentem ad libidinum effrenationem trahit, quæ sæpe deprehensa, patrocinium mox fallaciæ et negationis inquirit, reamque se esse non æstimat, si mentiendo vitam defendat. Pilosus ergo alter ad alterum clamat, quando sub aliqua ratiocinandi specie perversam mentem culpa subsequens ex occasione culpæ præcedentis illaqueat. Cumque hanc peccatorum [*Text.* peccata] dura et aspera deprimunt, quasi convocati in ea concorditer pilosi dominantur.

CAP. XLVII. — *Ibi curabit lamia, et inveniet requiem* (*Isa.* XXXIV, 14).

(Moral. XXXIII, c. 29, n. 53.) Hypocritæ et callidi homines tanto vehementius culpas suas confiteri refugiunt, quanto se stultius videri ab hominibus peccatores erubescunt, et cum deprehensi corripiuntur, defensiones objiciunt. Unde per Isaiam contra Judæam dicitur : *Ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem : ibi habuit foveam ericius.* Per lamiam hypocritæ, per ericium vero malitiosi quique qui diversis se defensionibus contegunt, designantur. Lamia enim humanam habere faciem dicitur, et corpus bestiale. Sic omnes hypocritæ in prima facie quod ostendunt, quasi ex ratione sanctitatis est, sed et bestiale corpus est quod sequitur, quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur. Ericii vero nomine malitiosarum mentium defensio designatur. Quia videlicet ericius cum apprehenditur, ejus caput cernitur, et pedes videntur, et omne corpus conspicitur, sed apprehensus in sphæram se colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, et inter tenentis manum totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur. Sic malitiosæ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur ; caput enim ericii et pedes cernuntur, quia quo initio peccator ad culpam accesserit, et quibus vestigiis nequitia sit perpetrata cognoscitur, et tamen adductis mox excusatio-

nibus malitiosa mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus, nec inchoasse se pravum aliquid ostendit; et quasi sphæra in manu tenentis remanet [*Text.* quia], et is qui corripit, cuncta quæ jam cognoverat subito amittens, involutum contra [*Text.* intra] conscientiam peccatorem tenet; et qui totum jam deprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus, totum pariter ignorat. Foveam ergo ericius in reprobis habuit; quia malitiosa mens se intra se colligens, in tenebris defensionis abscondit.

CAP. XLVIII. — *In cubilibus in quibus dracones habitabant* (*Isa.* XXXV, 7).

(Moral. lib. XXIX, c. 26, n. 52; lib. II, hom. 1 in Ezech., num 11.) De sancta Ecclesia per Isaiam Dominus pollicetur, dicens : *In cubilibus in quibus dracones habitabant, orietur viror calami et junci.* Quid per calamum nisi scriptores [*Text.* prædicatores], quid per juncum nisi pusilli et teneri auditores sacri eloquii designantur? Sicut enim ad humorem aquæ et juncus et calamus nasci solet, et ex una eademque aqua utraque proficiunt, et calamus quidem ad scribendum assumitur, cum junco vero scribi non potest, sic est una doctrina veritatis, quæ multos auditores irrigat; quia [*Text.* sed] irrigati alii ad hoc usque in verbo Dei proficiunt, ut etiam scriptores fiant tanquam calami. Alii verbum vitæ audientes, tanquam junci in aqua Dei stant, bonæ spei rectorum operum viriditatem tenent; sed litteras exprimere nequaquam valent. In draconum ergo cubilibus viror calami et junci oritur, quia in eis populis, quos antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia, et auditorum obedientia coacervatur.

CAP. XLIX. — *Ponam circulum in naribus tuis* (*Isa.* XXXVII, 29).

(Moral. lib. XXXI, c. 14, n. 21.) Antiquus hostis divinæ virtutis omnipotentia a callida sua crudelitate refrenatur, ne ejus sagacia contra infirmitatem hominum tantum prævaleat, quantum perditionis argumenta intenter explorat. Unde per Isaiam ab Israelitarum lesione prohibetur, cum regi Babylonis dicitur : *Ponam circulum in naribus tuis.* Per circulum divinæ virtutis omnipotentia, per nares insidiæ designantur. Ac si aperte diceretur : Cogitando insidias suspiras, sed explere quæ appetis non valendo, omnipotentiæ meæ circulum in naribus portas, ut cum bonorum mortem ardentius anhelas, ab eorum vita vacuus redeas.

CAP. L. — *Vox clamantis in deserto* (*Isa.* XL, 3).

(Lib. I. hom. 7 in Evang., num. 2; hom. 20, num. 3, 5, 6.) *Vox clamantis in deserto.* Scitis, fratres charissimi, quia unigenitus Filius Verbum Patris vocatur, et ex vestra locutione cognoscitis; et prius vox sonat, ut Verbum postmodum audiatur. Joannes autem Baptista ideo vox vocatus est ab Isaia, quia Verbum præcedebat. Adventum itaque dominicum præcurrens vox dicitur, quia per ejus ministerium Patris Verbum ab hominibus auditur. Qui etiam in deserto clamat, quia derelictæ et destitutæ Judææ solatium Redemptoris annuntiat. Quid autem clamaret, aperitur, cum subditur : *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Isa.* XL, 3). Omnis qui fidem rectam et bona opera prædicat, venienti Domino ad corda audientium viam parat, ut hæc vis gratiæ penetret, ut lumen veritatis illustret, ut rectas Deo semitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format. *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur.* Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles? quid montium et collium, nisi superbi homines designantur? In adventu igitur Redemptoris valles impletæ, montes vero et colles humiliati sunt. Quia juxta ejus vocem : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et omnis qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIX, 14; XVIII, 14). Vallis enim impleta crescit, mons vero humiliatus decrescit. Quia in fide mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, et gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, et Judæa per errorem perfidiæ, hoc unde tumebat, perdidit. Omnis enim vallis implebitur, quia corda humilium sacræ doctrinæ eloquio virtutum gratia replebuntur, juxta hoc quod scriptum est : *Qui emittis fontes in convallibus* (*Psal.* CIII, 10). Et rursum dicitur : *Et valles abundabunt frumento* (*Psal.* LXIV, 14). A montibus namque aqua dilabitur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in convallibus surgunt, quia mentes humiliun verbum prædicationis excipiunt. Jam convalles abundare frumento conspicimus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, qui mites et simplices huic mundo despicabiles esse videbantur. Omnis ergo vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, quia in cordis humilitate perdurantes donum humiles accipiunt, quod apud seipsos elata cogitatione tumentes repellunt. *Et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.* Prava directa fiunt, cum malorum corda per justitiam detorta ad justitiæ regulam diriguntur. Et aspera in vias planas immutantur, cum immites et iracundæ mentes per infusionem supernæ gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Quando enim Verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergentis repellit. Sed cum mens iracunda per acceptam mansuetudinis gratiam correctiones vel exhortationes recipit, ibi planam viam prædicator invenit, ubi prius propter asperitatem itineris pergere, id est prædicationis gressum non valebat ponere. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Quia omnis caro accipitur omnis homo. Salutare Dei, videlicet Christum, in hac vita omnis homo videre non potuit. Ubi ergo in hac sententia Isaias Prophetiæ oculum, nisi ad extremum judicii diem tetendit? Cum enim apertis cœlis, ministrantibus angelis, consedentibus apostolis, in sede majestatis suæ Christus apparuerit, omnes hunc et electi et reprobi pariter videbunt; ut et justi de munere retributionis sine fine gaudeant, et injusti in ultione supplicii in perpetuum gemant.

CAP. LI. — *Omnis caro fenum* (*Isa.* XL, 6).

(Moral lib. XVII, c. 8, n. 10; lib. II, c. 31, n. 43.) Isaias propheta brevitatem gloriæ carnalis pensans, denuntiat, dicens : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni.* Iniquorum potentia flori feni comparatur, quia nimirum carnis gloria dum nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Et cum iniqui et superbi humiliantur in morte, carnis gloria tabescit in putredine. Intueamur enim qualia in sepulcris jaceant divitum cadavera; quæ illa in exstincta carne sit imago mortis; quæ tabes corruptionis. Et ipsi certe erant qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, cæteros despiciebant. Et dum non perpenderent quo tendebant, nesciebant quid erant. Sed despecti jacent in putredine, qui tumebant [*Text. add.* in] vanitate. Et quantum gloria [*Text.*, potentia] carnis valeat, tabes corruptionis probat.

CAP. LII. — *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion* (*Isa.* XL, 9).

(Lib. I, hom. 11, in Ezech., num. 4.) Quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. Hinc speculatorem Isaias admonet, dicens : *Super excelsum montem ascende tu, qui evangelizas Sion.* Ut videlicet qui prædicationis cœlestis locum suscipit, terrenorum operum ima deserens, ad altitudinem bonæ ascendat actionis, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat, quatenus subjectorum vitam tanto subtilius videat, quanto terrenis rebus quas despicit, animum non supponit, et tanto facilius subditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat.

CAP. LIII. — *Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem* (*Isa.* XL, 31).

(Moral. lib. XVIII, c. 28, n. 4; lib. XIX, c. 27, num. 50.) Cum cujuslibet ad vitam prædestinati cor durum et frigidum divini amoris igne tactum fuit, et emollitum; ille qui prius durus et fortis fuerat in sæculi amorem, ita commutatus ad veram fortitudinem, et ita se exercet fortem in Dei amorem, ut quod antea audire renuebat, jam et credere et prædicare incipiat. Hanc electorum mutationem [*Text.* constantiam] Isaias intuens ait: *Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient.* Mutant quippe fortitudinem, quia fortes student esse in spirituali opere, qui dudum fortes fuerant in carne [a] *Et conversi tanta virtute præsens sæculum fugiunt, quanta hoc ante quæsierunt.* Assumunt autem pennas ut aquilæ, qui contemplando volant, currunt et non laborant, quia velocibus magna celeritate prædicant. Ambulant, et non deficient, quia intellectus sui velocitatem retinent, ut tardioribus condescendant.

CAP. LIV. — *Ponam desertum in stagnum aquæ* (*Isa.* XLI, 18).

(Lib. I, hom. 20, in Evang., n. 12, 13.) Cum pauci sint qui spiritualia dona percipiunt, et multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites pauperum virtutibus inserunt, quo eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis solatium tribuunt [*Text.* solatiantur]. Unde cum per Isaiæ vocem Dominus derelictæ gentilitati, id est sanctæ Ecclesiæ spiritualium virtutum merita tanquam deserto arbusta promitteret, ulmum pariter promittit, dicens: *Ponam desertum in stagnum aquæ* [*Text. stagna aquarum*], *et terram inviam in rivos aquarum.* Desertum quippe Dominus in stagna aquarum posuit, et terram inviam in rivos aquarum, quia gentilitati, quæ prius per ariditatem mentis nullos bonorum operum fructus ferebat, fluenta sanctæ prædicationis dedit, et ipsa ad quam prius pro asperitate suæ siccitatis via prædicatoribus non patebat, doctrinæ postmodum rivos emanavit. *Dabo in solitudine cedrum et spinam, myrtum et lignum olivæ* (*Isa.* XLI, 19). Per cedrum, quia magni odoris est, et imputribilis naturæ, significantur ii qui virtutes exhibent, et signa in sua operatione, qui dicere cum Paulo valent: *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* I, 15); quorum corda [*Text. add.* ita] in æterno amore solidata sunt, ut ea [*Text.* eadem] jam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per spinam signati sunt spirituales [*Text.* doctrinæ spiritualis] viri, qui dum de peccatis et virtutibus disserunt, et modo æterna supplicia minantur, modo cœlestis regni gaudia promittunt, corda audientium pungunt, sicque mentem dolore compunctionis perforant, ut ab eorum oculis, quasi quidam sanguis animæ lacrymæ decurrant. Per myrtum vero quæ temperativæ virtutis est, ita ut dissoluta membra temperando constringat, signati sunt qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem per compassionem temperant. Qui dum afflictis proximis verbum, vel opem consolationis ferunt, eos ad statum rectitudinis perstringunt [*Text.* restringunt], ne immoderata tribulatione in desperatione solvantur. Per olivam autem misericordes accipimus. Græce enim ἔλεος, misericordia vocatur, et quasi olivæ liquor ante omnipotentis Dei oculos misericordiæ fructus lucet. Cui adhuc in promissione subjungitur: *Ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* (*Isa.* XLI, 19). Qui per abietem, quæ valde crescendo ad aeris alta sustollitur, nisi ii designati sunt, qui intra sanctam Ecclesiam adhuc in terris [*Text.* terrenis] corporibus positi, contemplando tamen cœlestia jam juxta æthera verticem mentis tollunt? Et quid per ulmum, nisi sæcularium mentes expressæ sunt, quæ dum terrenis adhuc curis inserviunt, nullum spirituA lium virtutum fructum ferunt? Sed etsi fructum proprium ulmus non habet, portare tamen vitem cum fructu solet, quia et sæculares viri intra sanctam Ecclesiam, quamvis spiritualium virtutum dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos sua largitate sustentant, quid aliud quam vitem cum botris portant? Buxus vero quos alios designat, quæ in altum non proficit, et quamvis fructum non habeat, viriditatem tamen habet; nisi eos qui intra sanctam Ecclesiam adhuc ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valent, sed tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetuæ viriditatis tenent? Post quæ omnia recte subjungitur: *Ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter* (*Ibid.*, 20). Ad hoc enim cedrus in Ecclesia ponitur, ut quisquis a proximo odorem virtutum spiritualium trahit, ipse quoque in æternæ vitæ dilectionem non torpeat, sed ad donorum cœlestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur; ut qui prædicationis ejus verbo compunctus fuerit, ipse B quoque exemplo illius discat corda sequentium prædicationis verbo compungere. Ad hoc myrtus ponitur; ut qui in ardore tribulationis ab ore, vel opere proximi compatientis temperamentum consolationis acceperit; ipse etiam discat quemadmodum proximis suæ consolationis temperamentum proferat. Ad hoc oliva ponitur, ut qui alienæ opera misericordiæ cognoscit, discat quemadmodum debeat indigenti proximo et ipse misereri. Ad hoc abies ponitur, ut quisquis vim contemplationis ejus agnovit, ipse quoque ad contemplanda præmia æterna succendatur. Ad hoc ulmus ponitur, ut quisquis intueter eum qui habere fructum virtutum spiritualium non valet, si tamen eos qui spiritualibus donis sunt pleni sustentat, ipse quoque sanctorum vitæ quanta valet largitate inserviat, et cœlestium bonorum botros, quos gignendo non valet, sustinendo ferat. Ad hoc buxus ponitur, ut qui habere multos adhuc in infirmitate positos veræ fidei viriditatem considerat, ipse etiam esse infidelis erubescat. Bene ergo descriptis prius C arboribus dicitur: *Ut videant et sciant, et recogitent et intelligant pariter*, quia cum intra sanctam Ecclesiam diversi hominum mores, diversi sunt ordines, necesse est ut omnes discant simul, dum in ea spirituales viri diversæ qualitatis, ætatis, et ordinis ad imitandum simul videntur.

CAP. LV. — *Calamum quassatum non conteret* (*Isa.* XLII, 3).

(Moral. XXXIII, c. 3, n. 7.) Judæorum regnum calamo comparatur, cum per Isaiam, apparente in veritate carnis Domino, dicitur: *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet.* Quid hoc loco calami nomine, nisi Judaici populi temporale regnum denuntiat, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, et regnum ejus ab alienigena possidebatur, apte hoc idem regnum quassatum calamum vocat. Quid vero per linum, nisi ejus sacerdotium exprimitur, quod lineis vestibus utebatur? D Quod quia in adventu Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso jam igne fidei, non ardens, sed fumigans fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, et linum fumigans non exstinxit, quia Judææ regnum quod pene destructum jam fuerat, ejusque sacerdotium quod ignem fidei non tenebat, non potestate judicii perculit, sed cum patientiæ longanimitate toleravit.

CAP. LVI. — *Tacui, semper silui, patiens fui* (*Isa.* XLII, 1).

(Moral. lib. IX, c. 23, n. 35; lib. X, c. 31, n. 54.) Deus in judicio districte peccatoribus inferet pœnas, quorum in hoc sæculo diu tacitus pertulit culpas. Quod breviter per Isaiam insinuat, dicens: *Tacui,*

[a] Hæc Italico charactere excusa non sunt apud sanctum Gregorium; verum prænonuimus Paterium multa et detrahere et addere Gregoriano textui.

semper silui, patiens fui; sicut parturiens loquar. Parturiens namque cum dolore ejicit quod diu in abditis cum pondere portavit. Post longum ergo silentium sicut parturiens Dominus loquitur, quia venturus judex qui sine ultione diu peccata [*Text.* facta] hominum pertulit, quandoque cum fervore examinis, quasi cum dolore mentis, quantæ animadversionis sententiam intus servaverit ostendit; et quod apud se nunc tacitus tolerat, in ultione quandoque judicii quasi cum dolore manifestat.

CAP. LVII. — *Dicam Aquiloni, Da; et Austro, Noli prohibere* (*Isa.* XLIII, 6).

(Moral. XXVII, c. 43, n. 71.) Conversis ad fidem gentibus, Judæa contradicens eos suscipere dedignatur ad cœlestium præmia retributionum, qui dudum fuerant cultores idolorum; sicut Petro dicitur post conversionem gentilium : *Quare introisti ad viros præputium habentes, et comedisti cum eis?* Quo contra per Isaiam Dominus dicit : *Dicam Aquiloni, da, et Austro, noli prohibere.* Per Aquilonem peccati frigore constricta gentilitas, per Austrum Judæa signatur, quæ quasi meridiano sole incaluit, quia Redemptore in carne apparente, fervorem fidei prima suscepit. *Aquiloni* ergo, *da*, dicitur; cum offerre Deo suæ fidei munera gentilitas imperatur. Austro vero dicitur [*Text.* jubetur] ne prohibeat, quia Hebræis in fide consistentibus præcipitur, ne vitam gentium repellendo condemnent.

CAP. LVIII. — *Glorificabunt me bestiæ agri* (*Isa.* XLIII, 20).

(Moral. XXXI, c. 8, n. 11.) Apertam malorum pravitatem et hypocritarum simulationem se conversurum Dominus pollicetur, cum per Isaiam Dominus dicit : *Glorificant me bestiæ agri, dracones et struthiones.* Qui enim draconum nomine, nisi in aperto malitiosæ mentes exprimuntur, quæ per terram semper infirmis [*Text.* in infimis] cogitationibus repunt? Qui vero per struthionum vocabulum, qui pennas quasi * volatum habent, sed a terra volando elevare * non valent, nisi hi qui se bonos simulant designantur, qui sanctitatis vitam, quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent? Glorificari itaque se Dominus a dracone vel struthione asserit, quia et aperte malos, et ficte bonos plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit. Vel certe bestiæ agri, id est dracones et struthiones, Dominum glorificant; cum fidem quæ in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat gentilitas exaltat, quam et propter malitiam draconum nomine exprobrat, et propter hypocrisim vocabulo struthionum notat. Quasi enim pennas accipit gentilitas, sed volare non potuit, quæ et naturam habuit rationis, et actionem rationis ignoravit.

CAP. LIX. — *Germinabunt inter herbas sicut salices* (*Isa.* XLIV, 4).

(Moral. XXXIII, cap. 5, n. 11.) Salices tantæ sunt viriditatis, ut arescere vel radicitus abscissæ et projectæ vix possint. Unde in sacro eloquio salicum nomine, aliquando boni designantur pro viriditate. Nisi enim electorum vitam per constantiam suæ viriditatis exprimerent, nequaquam de sanctæ filiis Ecclesiæ dixisset Isaias : *Germinabunt inter herbas sicut salices juxta prætérfluentes aquas.* Sanctæ enim Ecclesiæ filii inter herbas sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium hominum, et multiplici numerositate, et perpetua mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta prætérfluentes aquas germinare perhibentur, quia unusquisque eorum ubertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquii quam temporaliter percurrit.

CAP. LX. — *Ego Dominus, et non est alter* (*Isa.* XLIV, 7).

(Moral. l. III, c. 9, n. 15.) Cum non sint a Domino creata mala, quæ nulla sua subsistunt natura; quid est quod Isaias dicit : *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans mala?* sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum format, ut ea ipsa et per dolorem quo feriunt, deliquentibus, mala sint, et per naturam qua existunt, bona. Unde et venenum mors quidem est homini, et tamen vita serpenti. Amore enim præsentium ab actoris [*Text.* auctoris] nostri dilectione recedimus; et perversa mens, dum dilectioni creaturæ se subdit, a Creatoris societate disjungit. Ex his ergo ferienda est ab actore, quæ errans actori præposuit, ut unde culpam homo non timet superbus admittere, inde pœnam corrigendus inveniat, et tanto citius resipiscat ad illa quæ perdidit, quanto doloris plena esse conspicit quæ quæsivit. Unde bene dicitur : *Formans lucem et creans tenebras*, quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. *Faciens pacem et creans mala*, quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ bene sunt condita, sed non bene concupita, in ea quæ nobis mala sunt flagella vertuntur. Per culpam quippe Deo discordes existimus. Dignum ergo est ut ad pacem illius per flagella redeamus, ut cum unaquæque res bene condita nobis in dolorem vertitur, correcti mens ad auctoris pacem humiliter reformetur.

CAP. LXI. — *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isa.* XLVI, 8).

(Moral. XXVI, c. 33, n. 61.) Hypocritæ cor suum exterius in humanis laudibus fundunt, sanctosque se esse, non quia ita vivunt, sed quia ita dicuntur, credunt. Quibus bene per Isaiam dicitur : *Redite prævaricatores ad cor.* Si enim ad cor redirent, per exterioris attestationis verba se non funderent. Nam quid vicinius est nobis corde nostro, quod intra nos est? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, a nobis cor nostrum longius evagatur. Longius ergo propheta prævaricatorem vidit [*Text.* mittit], cum eum ad cor suum redire compellit, quia quo se exterius fudit, eo ad se unde possit redire vix invenit, quia enim ab una æternitatis intentione dividitur, cogitationum multiplicium inundatione vastatur

CAP. LXII. *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon* (*Isa.* XLVII, 1).

(Moral. lib. VI, c. 16, n. 25; lib. XIV, c. 17, n. 21; lib. VI, c. 16, n. 25.) Sub Babylonis specie per Isaiam menti reprobæ dicitur : *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon; sede in terra.* Hoc loco humana mens virgo, non incorrupta, ut arbitror, dicitur, sed infecunda. Et quia Babylon confusio interpretatur, recte infecunda mens Babylonis filia vocatur, quæ in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quasi confusione matre generatur. Sin autem virgo non infecunda, sed incorrupta dicitur, postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suæ cumulum appellatur quod fuit. Cui apte per interpretationem divina voce dicitur, *descende;* in alto quippe humana mens stat, quando supernis retributionibus inhiat, sed ab hoc statu descendit, cum turpiter sese victa defluentibus mundi desideriis subjicit. Cui additur : *Sede in pulvere.* Quid per pulverem nisi terrenas cogitationes debemus accipere, quæ dum importunæ et silenter in mente evolant, ejus oculos excæcant? Descendens itaque in pulvere resedit, quia cœlestia deserens, terrenis cogitationibus aspersa, in infimis vilescit, ubi adhuc subjungitur : *Sede in terra.* Quid per terram, nisi terrena actio designatur? Ac si aperte exprobrans dicat : Quia cœlesti conversatione noluisti te erigere, sub temetipsa prostrata, in terrenis actibus humiliare. Prius ergo in pulvere, et postea in terra sedere præcipitur, quia pravorum mens quæ ab internæ rectitudinis judicio descendit, prius ad prava cogitanda dejicitur, et postmodum ad facienda prosternitur. Sequitur : *Non est solium filiæ Chaldæorum* (*Isa.* XLVII, 1). Chaldæi feroces interpretantur. Valde autem feroces sunt, quia voluntates proprias sequentes,

* Nonne legendum AD *volatum* et *elevari?* EDIT.

nec suis parcere mortibus sciunt. Ferocia sunt terrena desideria, quæ non solum contra conditoris, sed sæpe etiam contra percussionum verbera duram et insensibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium solium non habet, quia mens quæ ad amorem mundi ex pravis desideriis nascitur, et eisdem desideriis obduratur, in eo quod se terrenis concupiscentiis subjicit, sedem judicii amittit, nullique apud se solio præsidet, quia examine discretionis caret, et quasi a judicii sui sessione repellitur, quia per exteriores concupiscentias vagatur. Liquet enim quod mens quæ intus consilii sedem perdidit, foras se per desideria innumerabilia spargit, et quia agere intellecta dissimulat, cæcatur recte etiam ut nesciat quid agat, et sæpe justo judicio in sua voluntate relinquitur, et sub ea quæ anxie appetit laboriosissima mundi ministeria relaxatur. Unde apte illic subditur: *Quia ultra non vocaberis mollis et tenera : tolle molam et mole farinam* (*Ibid.*, 2). Constat nimirum quod teneræ suæ filiæ parentes parcunt, nec duris et servilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quasi teneram filiam vocat, quando dilectam uniuscujusque animam a laboriosis hujus mundi servitiis revocat ; ne dum exterioribus actibus afficitur, ab internis desideriis induretur. Sed Chaldæorum filia mollis et tenera non vocatur, quia mens pravis desideriis dedita, in eo quem anxie appetit, hujus sæculi labore relinquitur, ut foris mundo velut ancilla serviat, quæ intus Deum ut filia nequaquam amat. Unde et molam tollere, et farinam molere jubetur. Mola in gyro ducitur et farina profertur. Unaquæque vero mundi hujus actio mola est; quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit, atque ex se velut farinas projicit, quia seducto corde semper minutissimas cogitationes gignit. Nonnunquam vero qui quietus alicujus esse meriti creditur, positus in qualibet actione denudatur. Unde protinus subinfertur : *Denuda turpitudinem tuam : discooperi humerum, revela crus, transi flumina* (*Id.*, *ibid.*) In administratione quippe operis turpitudo denudatur, dum vilis mens abjectaque in actionis ostentatione cognoscitur, quæ quieta prius magna putabatur. Humerum mens discooperit, quando opus suum quod ignorabatur ostendit. Crus revelat, quia quibus desideriorum passibus lucris mundi inhiet, manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones hujus sæculi quæ quotidie ad terminum defluunt, indesinenter appetit, dumque alias relinquit, alias assequitur, quasi semper de flumine ad flumen tendit.

CAP. LXIII. — *Posuisti profundum maris viam* (*Isa.* LI, 10).

(Moral. lib. XXIX, c. 12, 23.) Omnipotens Deus, qui nulla peccatorum vincula quibus constringeretur pertulit, in infernum liber ut ligatos solveret venit, et in inferni profundum electorum suorum animas erepturus intravit. Unde per Isaiam dicitur : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati.* Si mare, divini more eloquii, sæculum debet intelligi, nihil prohibet profundum maris inferni claustra sentiri : hoc namque profundum maris ante Redemptoris adventum non via, sed carcer fuit, quia in se etiam bonorum animas quamvis non in locis pœnalibus clausit. Quod tamen profundum Dominus viam posuit, quia illuc veniens electos suos a claustris inferi ad cœlestia redire concessit. Unde et apte dicitur : *Ut transirent liberati.*

CAP. LXIV. — *Qui dixerunt animæ meæ, Incurvare ut transeamus* (*Isa.* LI, 23).

(Lib. II, hom. 31 in Evang., num. 7, 8.) Nos, fratres charissimi, viam in nobis malignis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cum ad temporalia appetenda curvamur. Hinc Isaias de immundis spiritibus dicit : *Qui dixerunt animæ meæ* [Text. *tuæ*]: *incurvare ut transeamus.* Recta quippe stat anima cum superna desiderat, et nequaquam flectitur ad ima, sed maligni spiritus, cum hanc stare in sua rectitudine conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum est immunda illi desideria spargere. Dicunt ergo : *Incurvare ut transeamus*, quia si ipsa se ad ima appetenda non dejicit, contra hanc illorum perversitas nullatenus convalescit, et transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Pudeat ergo, fratres, terrena concupiscere et dorsa mentium ascendentibus adversariis præbere.

CAP. LXV. — *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII, 11).

(In Reg. past. II part., cap. 2.) Nulla rector immunditia debet pollui, qui hoc suscepit officii ut in aliis quoque [*Text.* alienis quoque cordibus] tergat maculas pollutionis. Hinc per Isaiam dicitur : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Vasa Domini ferunt, qui proximorum animas ad interna sacraria perducendas in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud seipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinum [*Text.* sinu] propriæ sponsionis portant.

CAP. LXVI. — *Ad dexteram et ad lævam dilataberis* (*Isa.* LIV, 3).

(Moral. XXV, c. 8, n. 21.) Per Isaiam sanctæ Ecclesiæ dicitur : *Ad dexteram et ad lævam dilataberis, et semen tuum gentes hæreditabit.* Intrante [*Text.* In tanta] quippe multitudine gentium ad dexteram extenditur, dum quosdam justificandos suscipit, ad lævam quoque dilatatur, cum ad se quosdam etiam in iniquitate permansuros admittit.

CAP. LXVII. — *Ego sternam per ordinem lapides tuos* (*Isa.* LIV, 11).

(Moral. lib. XVIII, c. 33, n. 52 ; lib. II, hom. 6 in Ezech., num. 4.) Venienti Ecclesiæ per Isaiam Dominus pollicetur, dicens : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in saphyris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles : universos filios tuos doctos a Domino.* Stravit in sancta Ecclesia per ordinem lapides, quia in ea sanctas animas meritorum diversitate distinxit. Fundavit eam in saphyris, qui scilicet lapides coloris aerii in se similitudinem tenent, quia robur Ecclesiæ in animabus cœlestia appetentibus solidatur. Et quoniam jaspis viridis est coloris, jaspidem propugnacula ejus posuit : quia illi contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione objecti sunt, qui internis desideriis virentes, nulla torporis [*Text.* teporis] reprobi ariditate arescunt [*Text.* marcescunt]. Portas vero ejus posuit in lapides sculptos ; hi quippe portæ sunt Ecclesiæ, per quorum vitam et doctrinam intrat in eam multitudo credentium. Qui pro eo [*Text. add.* etiam] quod magnis operibus pollent, et id quod loquentes asserunt, viventes ostendunt, non puri, sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimitur quod egerunt. Portæ vero non sculptæ, sed puræ essent, si vocem quidem promerent, sed sancta in se opera non demonstrarent. Et ubi secundum hoc se ostendunt vivere quod loquuntur, et portæ sunt quia intus ducunt, et sculptæ quia sancta opera quæ aliis præcipiunt, dum vivendo custodiunt, quasi in seipsis sculpta repræsentantes ostendunt. Dehinc omnem quoque sanctorum numerum generali collectione concludens subdit : *Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Sanctæ Ecclesiæ universos terminos in lapides desiderabiles positos videmus, dum in ea fideles quosque fortes in fide et charitate conspicimus. Et tanquam si audientes ista peteremus, ut hos lapides quos diceret indicaret, adjunxit : *Universos filios tuos doctos a Domino.*

CAP. LXVIII. — *Omnes sitientes, venite ad aquas* (*Isa.* LV, 1).

(Moral. l. VI, c. 5, n. 86.) Fluentis sacræ locutionis, quæ Judaicus populus in ostentatione superbiæ possederat, conversæ gentilium mentes nunc irrigantur. Unde eis per Isaiam dicitur : *Omnes sitientes*

venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate (*Isa.* LV, 1). Quia enim argenti vocabulo eloquia divina signantur, Psalmista testatur, dicens : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* XI, 7). Qui ergo argentum non habent, ad aquas vocantur : quia gentilitas quæ Scripturæ sacræ præcepta non acceperat, sacri eloquii inundatione satiatur, quam tanto nunc avidius potat, quanto hanc diu sicca sitiebat.

CAP. LXIX. — *Pro saliunca ascendet abies* (*Isa.* LV, 13).

(Moral. XVIII, c. 20, n. 32.) Sanctæ Ecclesiæ per Isaiam, Domino promittente, dicitur : *Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus.* Pro saliunca in sancta Ecclesia ascendit abies, et pro urtica crescit myrtus ; dum in sanctorum corde pro abjectione terrenæ cogitationis, altitudo supernæ contemplationis exhauritur, urtica vero igneæ omnino naturæ est ; myrtum namque temperativæ ferunt esse virtutis. Pro urtica igitur crescit myrtus; cum justorum mentes a prurigine et ardore vitiorum, ad cogitationum temperiem tranquillitatemque perveniunt : dum jam terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cœlestibus exstinguunt.

CAP. LXX. — *Eunuchis qui custodierint sabbata mea, dabo in mea locum* (*Isa.* LVI, 4).

(In Reg. past. III part., cap. 28, admon. 29.) Peccata carnis ignorantibus per Isaiam promittit Dominus, dicens : *Eunuchis qui custodierint Sabbata mea, et elegerint quæ volui; dabo eis in domo mea locum, et nomen melius a filiis et filiabus.* Eunuchi sunt qui compressis motibus carnis [*Text.* affectum], effectum in se pravi operis abscidunt, quo autem apud patrem loco habentur ostenditur, quia in domo patris, videlicet æterna mansione, etiam filiis præferuntur.

CAP. LXXI. — *Mentita es, et non es mei recordata* (*Isa.* LVII, 11).

(Reg. pastor. II part., c. 10.) Nonnulla subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur indicanda, ut cum delinquens et deprehendi se cognoscit et perpeti, has, quas in se [*Text.* tacite.] tolerari considerat, augere culpas erubescat, sicque judice puniat quem sibi apud se rectoris patientia clementer excusat. Qua videlicet dissimulatione bene Judæam Dominus corripiens per Isaiam dicit : *Mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens et quasi non videns.* Et dissimulavit ergo culpas et innotuit, quia et contra peccantem tacuit, et hoc ipsum tamen quia tacuerit, dixit.

CAP. LXXII. — *Clama, ne cesses* (*Isa.* LVIII, 1).

(Reg. pastor. II part., cap. 4.) Prædicatorem per Isaiam Dominus admonet, dicens : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Præconis officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, ut ante adventum Judicis qui terribiliter sequitur, ipse clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus?

CAP. LXXIII. — *In diebus jejuniorum vestrorum invenitur voluntas vestra* (*Isa.* LVIII, 3).

(Reg. pastor. III part., c. 19.) Abstinentibus per Isaiam dicitur : *In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ.* Et paulo post : *In judicia et rixas jejunatis, et percutitis pugnis impie.* Voluntas pertinet ad lætitiam, pugnus ad iram ; mentes enim abstinentium aliquando ira, aliquando corrumpit lætitia. Incassum ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis dimissa motibus mens vitiis dissipatur, et eo abstinentiæ bonum perit, quo se a spiritualibus vitiis minime custodit.

CAP. LXXIV. — *Sustollam te super altitudines terræ* (*Isa.* LVIII, 14).

(Moral. XXXI, c. 47, n. 96.) Sequenti se animæ per Isaiam Dominus pollicetur, dicens; *Sustollam te super altitudinem terræ.* Quasi quædam inferiora sunt terræ, damna, contumeliæ, egestas, objectio, altitudines vero ejus sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor et sublimitas dignitatum, quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox cuncta [*Text.* quam] abjecta sint cernitur, quæ alta videbantur. Nam sicut cum montem quisque conscendit, eo paulisper cætera subjacentia despicit, quo ad altiora amplius gressum tendit, ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annisu ipso nullam præsentis vitæ gloriam esse deprehendit, super altitudines terræ elevatur; et quod prius in imis desideriis positus super se credidit, post ascendendo proficiens sibi subesse cognoscit.

CAP. LXXV. — *Ova aspidum ruperunt* (*Isa.* LXVI, 5).

(Moral. XV, c. 15, n. 19.) Initium occultæ suggestionis, quam immundus spiritus consiliis subtilibus cordi leniter persuadet, libenter suscipit, violentis se postmodum ejus tentationibus devictus tradit. Unde per Isaiam dicitur : *Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt. Qui comederit ex ovis eorum morietur, et quod confotum est, erumpet in regulum.* Quid per aspides, qui sunt parvi serpentes, nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius suasione surripiunt? Ova quippe aspidum pravis hominibus erumpere, est malignorum spirituum consilia quæ in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire. Tela quoque araneæ texere, est pro hujus mundi concupiscentia temporalia quælibet operari, quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit. Bene autem additur : *Qui comederit de ovis eorum morietur*, quia qui immundorum spirituum consilia recipit, vitam in se animæ occidit. *Et quod confotum est, erumpet in regulum*, quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur. Regulus namque rex serpentium dicitur. Quis vero reproborum caput est, nisi Antichristus? Quod ergo confotum est erumpet in regulum, quia is qui in se nutrienda aspidis consilia recipit, membrum iniqui capitis factus, in corpus Antichristi accrescit.

CAP. LXXVI. — *Qui sunt isti qui ut nubes volant* (*Isa.* LX, 8).

(Lib. II, hom. 6, in Ezech. n. 15; Moral. l. XXI, c. 2, n. 4.) Priores patres conjugiis utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant. Isaias vero prophetiæ spiritu prævidens prædicatores sancti Evangelii substantias deserere, conjugia non appetere, nihil in terra appetere [*Text.* quærere, *et subdit* nihil] vel possidere; non eos per terram velut homines ambulantes, sed ut nubes volantes nominavit, dicens : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Recte enim prædicatores, et justi quilibet nubes appellati sunt, quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur, quia in terra viventes, extra terram est omne quod agunt (Moral. *l.* XXI, cap. 2, n. 4) terrena despicientes, mente cœlestibus appropinquantes, a terrenis contagiis sublevantur. Volant qui terram non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt, et eos a terrenis sancta prædicatio, et sublimis vita suspendunt, qui et ad fenestras suas quasi columbæ sunt, quia pro mansuetudinis spiritu in hoc mundo per oculos nihil concupiscunt, et per omnes sensus corporis exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis, sed omnia simpliciter aspiciunt.

CAP. LXXVII. — *Ut prædicarem annum placabilem Domini* (*Isa.* LXI, 1).

(Moral. IV, c. 7, n. 12.) *Ut prædicarem annum placabilem Domini.* Per annum intelligitur multitudo redemptorum. Sicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione bonorum omnium

illa electorum innumerabilis universitas expletur. Annus itaque placabilis Domini prædicatur, cum futura plebs fidelium veritatis lumine illustranda prædicitur.

CAP. LXXVIII. — *Quare rubrum est indumentum tuum* (*Isa.* LXII, 2)?

(Lib. II, hom. 1, in Ezech., n. 9.) Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod sumpsit ex Virgine, longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum, dixit : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Cui ipse respondit : *Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum* (*Isa.* LXII, 3.) Solus enim torcular calcavit in quo calcatus est, quia sua potentia eam quam pertulit passionem vicit. Nam qui usque ad mortem crucis passus est, de morte cum gloria resurrexit. Bene autem dicitur : *et de gentibus non est vir mecum;* quia hi pro quibus pati venerat, passionis ejus esse participes debebant, qui pro eo quod [*Text.* illo] tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita [*Text.* in] illa passione quærebatur.

CAP. LXXIX. — *Cecidimus quasi folium universi* (*Isa.* LXIV, 6).

(Moral. II, c. 44, n. 60.) *Decidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Quid est homo nisi folium, qui videlicet [*Text. add.* in paradiso] ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, et desideriorum flatibus levatur? Quia ergo quod tentatione patitur, quasi tot flatibus movetur et elevatur; recte folio homo comparatur. Quasi ventus autem nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem levavit.

CAP. LXXX. — *Puer centum annorum morietur* (*Isa.* LXV, 20).

(Moral. XVIII, c. 6, n. 8.) Quisquis delinquit et vivit, idcirco divina dispensatio hunc in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat. Sed quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam. Hinc Isaias ait : *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.* Ac si aperte nos deterreat, dicens : vita quidem pueri in longum trahitur, ut a factis puerilibus corrigatur. Sed si a peccati perpetratione nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas quam per misericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis crescit. Unde necesse est ut cum nos diutius exspectari conspicimus, ipsa prorogatæ pietatis tempora quasi damnationis argumenta timeamus : ne ex clementia judicis crescat suppliciuni peccatoris, et unde quisque eripi a morte poterat, inde gravius ad mortem tendat.

CAP. LXXXI. — *Erit mensis ex mense* (*Isa.* LXVI, 23).

(Moral. XIII, c. 28, n. 32; lib. XIX, c. 10, n. 17.) Electi quo amplius extremo judicio propinquare se sentiunt, eo in bonis se exercentes operibus, ad discutiendos seipsos terribilius contremiscunt, et si quas in se carnales cogitationes, vel mala opera inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt. Qui quoniam seipsos judicantes subtilius puniendo feriunt, peracto judicio æternam requiem pro perfecto opere bono recipient, attestante Isaia, qui ait : *Erit mensis ex mense* (*Isa.* LXVI, 23). Mensis aliquando pro perfectione ponitur. Erit ergo mensis ex mense, perfectio videlicet eis in requie, quibus nunc perfectio fuerit in operatione.

CAP. LXXXII. — *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24).

(Moral. IX, c. 66, n. 100; c. 65, n. 97; c. 64, n. 96, 101, 104; lib. XIV, c. 59, n. 79.) Reprobi ignibus interni traditi in suppliciis dolorem sentient, et in doloris angustia pavore ferientur, et semper tolerabunt quod timent, et quod tolerabunt sine cessatione pertimescent. De his enim per Isaiam scriptum est : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Hic flamma quæ succendit, illuminat; illic ignis qui cruciat, obscurat : hic ignis et lucem exhibet et concremationem, sed transactorum illic ultrix flamma vitiorum concremationem habet, non lumen. Hinc quod reprobis Veritas dicit : *Ite, maligni, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41). Quorum rursum omnium corpus in unius personam significans dicit : *Ligate ei manus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores* (*Ibid.*, XXII, 13). Si itaque ignis qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, mitti in tenebras non diceretur. Hinc Psalmista ait : *Super eos cecidit ignis, et non viderunt solem* (*Psal.* XXXVII, 9)? Ignis enim super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur; quia quo illos gehennæ flamma devorat, a visione veritatis [*Text.* veri luminis] cæcat; ut et foris eos dolor combustionis cruciet, et intus pœna cæcitatis obscuret; quatenus qui actori [*Text.* auctori] suo corpore et corde deliquerunt, simul corpore et corde puniantur. Expulsos ergo a conspectu districti judicis reprobos foris dolor cruciabit, et divisos a vero lumine intus cæcitas obscurabit, foris æterno igne succendentur, et ab interno lumine obtenebrabuntur. Erit eis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate, supplicia eos in se dimersos [*Text.* demersos] ultra vires cruciabunt, et in eis vitæ subsidium exstinguentes servabunt, ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciati vivant; quia et ad finem per tormenta properabunt, et sine fine deficientes durabunt. Fiet [*Text.* fit] ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors vivet, et finis semper incipiet, et deficere defectus nesciet. Mors perimet, et non exstinguet, dolor cruciabit, sed pavorem non fugabit; flamma comburet, sed tenebras non decutiet. Quamvis autem illic ignis ad consolationem non lucebit, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucebit, nam sequaces quosque suos secum in tormento flamma. [*Text.* reprobi] illustrante miro judicii ordine visuri sunt, quorum inordinato amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat, et pœnam propriæ punitionis exaggeret ilia actori præposita carnalis cognatio, pari ante oculos ultione damnata. Quid vero mirum si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis et luminis, quando experimento novimus, quia et tædarum flamma lucet obscura? Ignis itaque qui reprobos in obscuritate cruciabit, credendum est quia lumen ad tormentum servabit, non lucebit ad consolationis gratiam, et tamen lucebit ad pœnam, ut damnatorum oculis et nulla claritate candeat, et ad doloris cumulum dilectis [*Text.* dilecti] qualiter erucientur ostendat. Ecce quæ maneat damnatos pœna cognovimus, et quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quantus quoque in obscuritate pavor sit, nullatenus, sacro nos instruente eloquio, ambigimus. Sed quid prodest ita prænosse si non contingat evadere? Tota ergo intentione curandum est, ut cum vacationis tempus accipimus, bene vivendi studio malorum ultricia tormenta fugiamus. Sunt autem plerique qui extremum judicium esse verbo tenus sciunt, sed perverse agendo testantur quia nesciunt; qui enim hoc non formidat ut debet, necdum cognovit eum quanto turbine terroris adveniet. Si enim pensare pondus tremendi examinis nosset, quæ in illo punienda sunt non ageret, et iræ diem utique timendo præcaveret, vitare namque terror judicis nonnisi ante judicium potest. Modo non cernitur, sed precibus placatur; cum vero in illo tremendo examine sederit, et videri potest, et placari jam non potest, quia facta pravorum quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddit iratus. Unde necesse est, fratres charissimi, nunc timere judicem cum necdum

judicium exercet, cum diu sustinet, cum adhuc mala tolerat quæ videt; ne cum semel manum in retributionem ultionis excusserit, tanto in judicio districtius feriat, quanto ante judicium diutius exspectavit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER QUARTUS.

De Testimoniis in Jeremiam prophetam.

CAPUT PRIMUM. — *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum* (*Jerem.* I, 6).

(Reg. past. II part., cap. 7.) Duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet et proximi. Per activam vitam prodesse proximis cupiens Isaias, officium prædicationis appetiit; et quærenti Domino quem mitteret, ultro se obtulit, dicens: *Ecce ego, mitte me* (*Isa.* V, 6). Per contemplativam vero Jeremias amori conditoris sedulo inhærere desiderans, ne pergeret cum pavore recusans mittitur: et tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur, dicens: *A, a, a, Domine Deus; ecce nescio loqui, quia puer ego sum* (*Jerem.* I, 6). En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit. Quod alter laudabiliter appetiit, hoc alter laudabiliter expavit; iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia et is qui recusavit plene non resistit, et is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit, ne aut non purgatus adire quisque sacra prædicationis ministeria audeat, aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbe contradicat.

CAP. II. — *Ecce constitui te hodie super gentes* (*Jerem.* I, 10).

(Moral. XVIII, c. 10, n. 17; Reg. past. III part., c. 34.) Ars docentium debet esse, ut in auditorum suorum mentibus prius studeant perversa destruere, et postmodum recta prædicare, ne bonum sanctæ prædicationis semen plena malis corda non valeant capere. Unde ad Jeremiam dicitur: *Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas et destruas, ut ædifices et plantes.* Nequaquam enim rectæ veritatis fundamentum ponitur, nisi prius erroris fabrica destruatur, et nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris prædicator evellat, frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantat.

CAP. III. — *Ollam succensam ego video* (*Jerem.* I, 13).

(Moral. l. XVIII, c. 20, n. 32; lib. XXXIII, c. 33, 37, n. 66.) Immundus spiritus malæ suggestionis flatu, ad terrena desideria iniquorum corda succendit, Jeremia attestante, qui ait: *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis.* Olla succensa est cor humanum sæcularium curarum ardoribus desideriorumque anxietatibus fervens. Olla succenditur, cum mens humana maligni hostis suasionibus instigatur, et per consensum in desideriis pravæ persuasionis accenditur. Ab Aquilonis autem facie humani cordis olla succenditur, cum per instigationem adversarii spiritus, qui nomine Aquilonis vocari solet, illicitis desideriis inflammatur. Ille namque qui ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem* (*Isa.* XIV, 14), mentem quam semel cœperit, malignis persuasionis suæ facibus quasi suppositus ignis [*Text.* suppositis ignibus] accendit; et humanas mentes ad delectationes pertrahens illicitas, alias superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ, alias avaritiæ facibus inflammat.

CAP. IV. — *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus* (*Jerem.* II, 3).

(Lib. I, hom. 11, in Ezech., n. 1.) *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus.* Bonæ animæ fruges Dei appellantur; fruges enim Domini conversæ ad fidem gentes postmodum factæ sunt; sed quia prius Israel Domino credidit, recte hunc Isaias frugum ejus primitias appellavit.

CAP. V. — *Filii Mempheos et Taphnis constupraverunt te* (*Jerem.* II, 16).

(Moral. XXV, c. 10, n. 27.) Ad Judæam per Jeremiam dicitur: *Filii Mempheos et Taphnis constupraverunt te usque ad verticem.* Usque ad verticem constuprari, est post malæ operationis usum, etiam in ipsa fidei sublimitate corrumpi. Cum enim nequissimi spiritus uniuscujusque animam in pravis operibus involvunt, sed integritatem fidei vitiare non possunt, quasi adhuc inferiora membra polluunt, sed ad verticem non pertingunt. Quisquis autem in fide corrumpitur, usque ad verticem constupratur. Malignus enim spiritus quasi ab inferioribus membris usque ad summum [*Text.* summa] pertingit, quando activam vitam polluens, castam celsitudinem fidei diffidentiæ morbo corrumpit.

CAP. VI. — *Onager assuetus in solitudine* (*Jerem.* II, 24).

(Moral. l. XVI, c. 47, n. 60.) *Onager assuetus in solitudine; in desiderio animæ suæ attraxerit ventum amoris sui.* In hoc loco onagri nomine intelliguntur hæretici, qui in suis voluptatibus dimissi, a vinculis sunt fidei et rationis alieni. Onager itaque in solitudine assuetus est, quia dum terram cordis sui disciplinæ virtute non excolit, ibi habitat ubi fructus non est. Qui in desiderio animæ suæ ventum amoris sui attrahit; quia ea quæ ex desiderio scientiæ mente [*Text.* in mente] concepit, inflare prævalent, non ædificare.

CAP. VII. — *Si dimiserit vir uxorem suam* (*Jerem.* III, 1).

(Lib. II, hom. 33 in Evang., n. 8.) Sub Judææ specie unicuique peccatrici animæ a Domino per Jeremiam dicitur: *Si dimiserit vir uxorem suam, et illa recedens duxerit alterum virum, nunquid ultra revertetur ad eam? nunquid non polluta et contaminata est mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Ecce paradigma turpis mulieris dedit. Ostendit quod post turpitudinem recipi non possit, sed hoc ipsum paradigma quod protulit, per misericordiam vincit, cum dicit fornicantem mulierem recipi non posse, et tamen fornicantem animam ut recipiat exspectat. Pensate, fratres, pondus tantæ pietatis; dicit quod fieri non potest, et demonstrat quia hoc ipse facere etiam contra morem potest. Ecce vocat, et quos inquinatos denuntiat, hos etiam amplecti quærit, a quibus se desertum [*Text.* esse] queritur. Ecce superna benignitas aversos nos revocat, et nobis revertentibus suæ clementiæ sinum parat; nemo ergo tantæ misericordiæ tempus perdat, nemo oblata remedia divinæ pietatis abjiciat. Penset unusquisque quo debito constringatur, quando Deus illum exspectat, ne [*Text.* nec] contemptus exasperetur.

CAP. VIII. — *Nunquid vidisti quæ fecerit adversatrix Israel* (*Jerem.* III, 7)?

(Lib. I, hom. 12 in Ezech., num. 18.) Plerumque multi qui necdum in via rectitudinis firmi sunt, ad prava opera ex aliorum exemplo dilabuntur. Hinc ad Jeremiam voce dominica de Juda et Israel dicitur: *Nunquid vidisti quæ fecerit adversatrix Israel? Abiit super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi; et dixi cum fecisset hæc omnia, ad me revertere, et non est reversa.* Ubi statim subditur qualiter ex æmulatione ejus etiam Judas cecidit, quæ stare videbatur. Ait enim: *Et vidit præ-*

varicatrix soror ejus Juda, quia pro eo quod mœchata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii; et non timuit prævaricatrix soror Juda ejus, sed abiit et fornicata est etiam ipsa. Ecce misericors Deus contemnitur et vocat aversantes se [*Text.*, vocat, aversantibus se sinum]; sinum misericordiæ aperit, quia peccanti dicit, ad me convertere, et tamen non est conversa. Sed quia plebs Israelitica Deum deseruit, reverti nolens, libellum repudii accepit, deseruit peccando, sed libellum repudii accepit, in suis iniquitatibus sine flagello remanendo. Anima enim quæ peccat, recedit, sed si eam post peccatum prosperitas sequitur, nulla disciplina, nulla districtionis increpatio revocat ad cor. In divisione quam inter se et Dominum fecit, etiam libellum repudii accepit, ut jam velut aliena derelicta, faciat mala quæ vult, zeli Dei flagella non sentiat, quatenus ad æterna supplicia profundius descendat. Sed soror ejus Juda, quia [*Text.*, quoniam dimissam] Israeliticam plebem aspexit in sua perversitate florere, etiam ipsa non timuit a conjunctione Domini, quasi a viri legitimi cubili recedere, unde necesse est ut peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros, quando eos conspicimus in sua culpa sine flagello derelictos.

Cap. IX. — *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ?* (*Jerem.* iv, 14.)

(Moral. lib. xxvii, c. 26, n. 50.) Ad Judæam Dominus per Jeremiam dicit: *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Non reprehendit cur veniunt, sed cur morantur. Et in bonis cordibus cogitationes illicitæ veniunt, sed morari prohibentur, quia recti quique ne captivandam domum conscientiæ præbeant, ab ipso cordis limine hostem fugant. Qui etsi quando repentinis suggestionibus mentes bonorum ingreditur; [*Text.*, sed] resistente superno adjutorio usque ad consensum prævalere prohibetur.

Cap. X. — *Ventrem meum doleo* (*Jerem.* iv, 19).

(Lib. i, hom. 10 in Ezech., n. 6.) In sacro eloquio nonnunquam venter pro mente poni consuevit; unde per Jeremiam dicitur: *Ventrem meum doleo.* Quod quia de spirituali, et non de corporeo ventre dixerit, adjunxit: *Et sensus cordis mei conturbati sunt.* Neque enim ad salutem populi pertinebat, si propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret; sed ventrem doluit qui mentis afflictionem sensit. Hinc enim Veritas ait: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* vii, 38). Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt.

Cap. XI. — *Si steterit Moyses coram me* (*Jerem.* vii, 16).

(Moral. lib. ix, c. 16, n. 23; lib. ii, hom. 27 in Evang., num. 8.) Iræ Dei resisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur; et resisti omnino non valet, quando se ad ulciscendum præparat [*Text.*, excitat], et precem quæ ei funditur ipse non aspirat. Unde cum Judæa Dei justitiam culpis exigentibus offendisset, et Jeremiam Dominus ab oratione prohibet, dicens: *Tu ergo noli orare pro populo hoc.* Et rursum: *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Qua in re quæri utiliter potest cur relictis tot antiquioribus Patribus, ad effundendam precem Moyses et Samuel tantum nominantur, quod facile agnoscimus si ejus qua diligere et inimicos præcipimur, charitatis merita pensamus. Conditoris namque auribus illa maxime oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur. Cum vero Patrum priorum facta sacro eloquio describente revolvimus, Moysen et Samuelem exorasse pro adversantibus invenimus. Unus quippe eorum sævientis populi persecutionem fugit, et tamen pro vita sui persecutoris intervenit; alter ex principatu populi dejectus, ipsis suis adversariis dicit: *Absit a me hoc peccatum in Domino quominus cessem orare pro vobis* (*I Reg.* xii, 23). Quid est ergo in difficultate deprecandi Moysen et Samuelem deducere, nisi apertius indicare, quia ejus iræ neque illi si adstarent obsisterent, qui idcirco pro amicis intervenire citius possent, quia apud hunc intercedere et pro inimicis solerent? Ac si aperte dicat: Nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito orare etiam pro inimicis scio.

Cap. XII.—*Docuerunt linguam suam loqui mendacium* (*Jerem.* ix, 5).

(In Reg. past. iii part., c. 11.) Nihil ad defendendum puritate tutius; nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam suam tueri cogitur, duro cor labore fatigatur. Hinc per Jeremiam dicitur: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt.* Ac si aperte diceretur: Qui amici veritatis esse sine labore potuerunt, ut peccarent laboraverunt, eumque vivere simpliciter renuunt, laboribus exigunt ut moriantur. Hinc etiam scriptum est: *Labor labiorum ipsorum operiet eos* (*Psal.* cxxxix, 13). Qui enim nunc implet, tunc operit; quia cujus nunc animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem premit.

Cap. XIII. — *Ascendit mors per fenestras nostras* (*Jerem.* ix, 21).

(Moral. xxi, c. 2, n. 4.) Per quinque sensus corporis quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc Jeremias ait: *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Mors per fenestras ascendit et domos ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum mentis intrat. Hinc etiam sub Judææ voce quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, idem propheta dicit: *Oculus meus deprædatus est animam meam* (*Thren.* iii, 51). Concupiscendo enim visibilia invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis. Unde nobis ad custodiendam munditiam cordis exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est, nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt, et nisi interioris gravitatis pondere, et quasi juvenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem trahunt.

Cap. XIV.—*Olivam uberem pulchram vocavit Dominus nomen tuum* (*Jerem.* xi, 16).

(Ezech. hom. 9, sec. part., num. 16.) Sæpe contingit ut sive recta quælibet opera, seu sacræ doctrinæ verba in omnipotentis Dei judicio pereant, cum per hæc quisque transitoriis favoribus anhelat. Hinc enim per Jeremiam dicitur Judææ quod in seipsa incauta mens invenit, si saltem post culpam suas caute cogitationes rimetur: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in eam, et combusta sunt omnia fruteta ejus.* Olivam quippe uberem et pulchram, fructiferam et speciosam Dominus vocat, cujus vel efficaciam in operatione, vel sancta studia in verbi scientia approbat. Sed ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, quia cum laudari quis cœperit, erubescit forsitan minor videri quam dicitur, et studet esse quod dicitur; vox enim grandis loquelæ est favor adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis exarsit ignis in eam, quia in magnitudine amoris [*Text.*, favoris] flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia olivæ fruteta comburuntur, quia ante omnipotentis oculos vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta depereunt, cum jam non amore Domini, sed intentione transitoriæ laudis fiunt.

Cap. XV. — *Mittamus lignum in panem ejus* (*Jerem.* xi, 29).

(Moral. lib. xii, c. 4, n. 5; lib. iii, c. 15, n. 28.) *Mittamus lignum in pane* [Text., *panem*] *ejus.* Per lignum crux Domini hic intelligitur; lignum quippe

in panem ei mittere est dominico corpori crucem adhibere, et configendo ejus corpori stipitem crucis admovere. *Et eradamus eum de terra viventium.* Vitam Domini de terra viventium eradicare [*Text.*, eradere] se posse existimant, quem dum mortalem conspiciunt, finiri morte suspicantur.

CAP. XVI. — *Congrega eos quasi gregem ad victimam* (*Jerem.* XII, 3).

(Moral. lib. XXVII, c. 24, n. 45.) Veniente ad judicium Domino, reprobi sancta cum agere non valebunt, sentient, et rectum quod sequi debuerunt, ex pœna sua [*Text.*, fortitudinis suæ pœna] cognoscent. Unde per Jeremiam dicitur : *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis.* In die [*Text.*, enim] occisionis sanctificantur reprobi, quia tunc sancta quæ debuerunt agere sentiunt, cum digna gravitatis suæ supplicia jam declinare non possunt.

CAP. XVII. — *Onagri steterunt in rupibus* (*Jerem.* XIV, 5).

(Moral. XXIX, c. 25, n. 52.) *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones; defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* In hoc dicto superba et nequissima Judæorum est persecutio prophetata ; ipsi quippe onagri pro mentis elatione, ipsi dracones pro virulenta cogitatione vocati sunt. Qui steterunt in rupibus, quia non in Deo sed in summis potestatibus hujus mundi confisi sunt, dicentes : *Regem non habemus nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). Traxerunt ventos quasi dracones, quia elationis inflati spiritu, superbia malitiosa tumuerunt. Defecerunt oculi eorum, quia spes eorum ab eo quod intendebat corruit, quæ temporalia diligens, præstolari æterna neglexit, et terrena, ideo quia Deo præposuit, amisit. Timuerunt enim ne locum non occiso Domino perderent, et tamen occiso perdiderunt. Sed cur miseris ista evenerint subdit, quia non erat herba, id est quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia, et nullo refecit eos pabulo viriditatis internæ doctrinæ.

CAP. XVIII. — *Quasi colonus futurus es in terra* (*Jerem.* XIV, 8).

(Moral. XIV, c. 41, n. 49.) Redemptor noster dum a Synagoga cognitus non fuit, in domo sua quasi peregrinus exstitit; quod aperte Jeremias testatur, dicens: *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum?* Quia enim ut Dominus non est auditus, non possessor agri, sed colonus est creditus ; qui quasi viator ad manendum tantummodo declinavit, quia paucos ex Judæa abstulit, et ad vocationem Gentium pergens, iter cœptum peregit.

CAP. XIX. — *A facie manus tuæ solus sedebam* (*Jerem.* XV, 17).

(Moral. lib. IV, c. 30, n. 60.) *A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Facies manus Dei est illa percussio justi judicii, qua superbientem hominem a paradiso repulit, et in hac cæcitate præsentis exsilii exclusit; comminatio vero ejus est terror adhuc supplicii sequentis. Post faciem igitur manus adhuc nos minæ terrificant, quia per experimentum judicii jam nos ex pœna præsentis exsilii perculit, et si peccare non desistimus, æternis adhuc supplicis addicit. Consideret ergo vir sanctus projectus huc unde homo ceciderit, et hunc post ista peccantem, quo adhuc justitia judicantis rapit ; et cunctas a se desideriorum temporalium turbas ejiciat, seque in magna mentis solitudine abscondat, dicens : *A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Ac si aperte dicat : Dum considero quid jam per judicii experimentum patior, a tumultu desideriorum temporalium trepidus secessum mentis peto, quia et adhuc acrius illa quæ minaris æterna supplicia formido.

CAP. XX. — *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris* (*Jerem.* XV, 19).

(Moral. XVIII, c. 33, n. 59.) *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Vilis est Deo mundus præsens, pretiosa vero e anima humana. Qui ergo a vili pretiosum separat, quasi os Domini vocatur, quia per eum Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis sæculi, loquendo quæ potest humanam animam evellit.

CAP. XXI. — *Idem ac supra.*

(Moral. XXXIII, c. 17, n. 33.) Pretiosum etiam a vili separat, qui humanas mentes a reproba antiqui hostis imitatione disjungit ; et recte os Dei dicitur, quia per eum divina eloquia formantur.

CAP. XXII. — *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo* (*Jerem.* XVII, 1).

(Moral. XIV, c. 53, n. 62.) *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino.* Unguis finis est corporis ; ita vero durus est lapis adamas, ut non valeat ferro incidi. Per stylum ferreum fortis Dei sententia, per unguem vero adamantinum signatur finis æternus. Peccatum vero Judæ stylo ferreo in ungue adamantino scriptum dicitur, quia culpa Judæorum per fortem Dei sententiam in fine servatur infinito.

CAP. XXIII. — *Et factus est in corde meo quasi ignis æstuans* (*Jerem.* XX, 9).

(Moral. XXIII, c. 11, n. 18.) Jeremias cum sibi, quia a populo non audiebatur, silentium indixisset, dicens : *Non loquar ultra in nomine illius*, illico adjunxit : *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans; et defeci, ferre non sustinens; audivi enim contumelias multorum.* Pro eo enim quod se audiri minime conspexit, silentium appetiit; sed cum crescentia mala cerneret, in eodem silentio non permansit, quia enim foris tacuit ex tædio locutionis, intus ignem pertulit de zelo charitatis. Inflammantur quippe corda justorum, cum non correpta crescere acta conspiciunt malorum ; eorumque culpæ se participes credunt, quos in iniquitate crescere silendo permittunt.

CAP. XXIV. — *Maledictus vir qui annuntiaverit patri meo dicens : Natus est tibi puer masculus* (*Jerem.* XX, 15).

(Moral. IV, c. 4, præfat.) Jeremias cum prædicationem sum cerneret audientium difficultate præpediri, maledixit, dicens : *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens : Natus est tibi puer masculus*, Si ex matris suæ utero hoc in mundo propheta affligendus prodiit, nativitatis ejus nuntius quid deliquit? Sed quid persona prophetæ fluctuantis, nisi per pœnæ meritum veniens humani generis mutabilitas designatur? Et quid per patrem illius, nisi iste de quo nascimur mundus exprimitur? Et quis est ille vir qui nativitatem nostram annuntiat, nisi antiquus hostis, qui eum nos in cogitationibus fluctuare considerat, malorum mentes qui ex auctoritate hujus mundi præeminent, ad persuasionem nostræ deceptionis instigat? Cumque nos agere infirma conspexerit, ea quasi fortia favoribus extollit, et quasi natos masculos loquitur, cum corruptores veri [*Text.*, veritatis] per mendacium nos exstitisse gratulatur. Patri ergo masculum natum denuntiat, quando huic mundo eum quem persuaserit factum innocentiæ corruptorem demonstrat. Nam cuilibet peccanti et superbienti dicitur : Fecisti sicut vir, quid aliud quam natus masculus in mundo perhibetur? Jure itaque vir qui masculum natum nuntiat maledicitur, quia ipso ejus nuntio reprobum gaudium nostri corruptoris indicatur.

CAP. XXV. — *Deserta facta est terra a facie iræ columbæ* (*Jerem.* XXV, 38).

(Moral. XXXII, c. 7, n. 9.) Creator omnium in extremo judicio in semetipso incommutabilis manebit, et cum tranquillitate bonos et malos judicabit. Hinc Jeremias ait : *Deserta facta est terra a facie iræ columbæ, a facie furoris Domini.* Quod enim iram columbæ prædixerat, hoc furorem Domini subjunxit. Columba namque valde simplex animal, et quia in Deum

nulla furoris inæqualitas serpit, furorem Domini iram columbæ nominavit, ut enim divinæ districtionis vim imperturbabilem demonstraret, et iram dixit et columbæ; ac si apertius diceretur [*Text.*, diceret] : Districtum judicium inconcussus exerit, quia [*Text.*, qui] permanens mansuetus punit, sed tamen electis et reprobis nequaquam sub specie ejusdem incommutabilitatis ostenditur, quia et tranquillus justis et iratus parebit injustis; istis eum benignum ostendet anteacta justitia, et illis terribilem culpa. Hoc quotidie in usu vitæ præsentis agitur, ut cum duo ad judicium pergunt, alius innocens, alter reus, ante prolatam sententiam adhuc tacentem judicem utrique conspiciunt; et tamen reus gravem contra se iram judicis [*Text.*, hoc ipsum judicis silentium] suspicatur, quam iram sibi non denuntiat perturbatio judicis, sed recordatio pravitatis; at contra justitiæ amicus intus de testimonio bonæ recordationis hilarescit, et quia [*Text.*, quo] apud se quod metuat non habet [*Text.*, *add.* eo] omne quod erga seipsum est blandum videt. Sic ergo in horribili Domini judicio, quamvis justi et injusti eum tranquillum videant, peccatores tamen sibi male conscii, eum erga se perturbatum et iratum putant.

Cap. XXVI. — *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli* (*Jerem.* xxx, 14).

(Moral. præfat., c. 3, n. 12; lib. xiv, c. 37.) Percussionum diversa sunt genera. Aliquando enim peccator percutitur, ut absque retractatione puniatur, sicut perituræ Judææ per Jeremiam dicitur : ***Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli.*** Cum virtutem nostræ patientiæ ultra id quod possumus ferre Dei flagella transeunt; valde metuendum est ne, peccatis nostris exigentibus, non jam quasi filii a patre, sed quasi hostes a Domino feriamur.

Cap. XXVII. — *Idem ac supra.*

(Moral. lib. xiv, c. 37, n. 45; præfat. c. 5, n. 12.) Qui enim ita crudeliter percutitur, ut vires illius a percussione superentur, non hunc Dominus quasi filium percutit per disciplinam, sed quasi hostem per iram ferit. Aliquando peccator percutitur ut corrigatur, sicut cuidam in Evangelio dicitur : ***Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*** (*Joan* v, 14). Verba enim salvantis indicant, quia peccata præcedentia habiti vim doloris exigebant. Aliquando quisque non pro præterita culpa diluenda, sed pro futura vitanda percutitur, quod Paulus aperte de seipso testatur, dicens : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ* (*II Cor.* xi, 7). Qui enim non ait, quia extulit, sed ne extollat, aperte indicat quod percussione illa, ne eveniat, compescitur, non autem quæ evenerit, culpa purgatur. Nonnunquam vero quisque nec pro præterita, nec pro futura iniquitate percutitur, sed ut sola divinæ virtutis potentia ex amputata percussione monstretur; et dum inopinata salus percussionem sequitur, salvantis virtus cognita ardentius ametur; et cum innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cumulatur. Unde cum Domino in Evangelio de cæco nato diceretur : *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur* (*Joan.* ix, 2), respondit Dominus dicens : *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* In qua manifestatione quid aliud agitur, nisi ut ex flagello meritorum virtus augeatur, et cum nulla præterita culpa [*Text.*, iniquitas] tergitur, magna de patientia fortitudo generetur?

Cap. XXVIII. — *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam* (*Jerem.* xxxi, 19).

(Moral. xxiv, c. 22, n. 48.) Cum omnipotens Deus ad conversionem sui desiderii hominem commutat, mox homo cuncta carnis suæ fluxa restringit, et quodam districtionis suæ gladio omne quod in ea male vivebat, interficit. Hoc disciplinæ gladio seipsum Jeremias interfecerat, cum dicebat : *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod dicit, postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, nisi quod postquam superna spiritualiter vidit, omne quod inferius in se carnaliter vivebat, exstinxit; ut quanto magis superna [*Text.*, summa] patescerent, tanto amplius ima quæ tenuerat non liberent? nam quanto magis incipit quisque superius vivere, tanto et inchoat inferius interire.

Cap. XXIX.—*Statue tibi speculam* (*Jerem.* xxxi, 23).

(Moral. xxxi, c. 44, n. 85.) Uniuscujusque animam Jeremias admonet, dicens : *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.* Speculam sibi statuere est, ventura vitiorum certamina ex alta consideratione prænoscere. Sibique mens electi amaritudines ponit quoniam [*Text.*, quando] et in virtutum pace constituta, dum mala insidiantia conspicit, secura quiescere non consentit.

Cap. XXX. — *Omnis homo qui comederit uvam acerbam* (*Thren.* xxxi, 30).

(Moral. lib. xi, c. 35, n. 45.) *Omnis homo qui comedit* [Text., *comederit*] *uvam acerbam, obstupescent dentes ejus.* Per dentes cibus frangitur, ut glutiatur. Unde non immerito in dentibus interiores sensus accipimus, qui singula quæ cogitant, quasi mandunt et comminuunt, et ventri memoriæ transmittunt. Quid autem uva acerba, nisi peccatum est. Uva quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur uvam acerbam comedit, dentes ejus obstupescunt, quia qui præsentis vitæ delectatione pascitur, interni ejus sensus ligantur, ut jam spiritu alia mandere, id est intelligere nequeant. Quia unde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt, quia dum peccato anima pascitur, panem justitiæ edere non valet, quoniam ligati dentes ex peccati consuetudine, justum quod intus sapit nequaquam edere possunt, quia vero per dentes sensus interiores accipi solent, idem Jeremias testatur, dicens : *Fregit ad numerum dentes meas.* Dentes suos, id est sensus ad numerum fractos dicit, quia juxta mensuram uniuscujusque peccati intelligentiæ cæcitas generatur in sensibus, et secundum quod quisque egit exterius in eo obstupescit, quod de internis et invisibilibus intelligere potuit.

Cap. XXXI. — *Ædificabitur civitas Domino a turre Ananeel* (*Jerem.* xxxi, 38).

(Moral. xxv, c. 8, n. 21.) ***Ædificabitur civitas Domino a turre Ananeel, usque ad portam anguli, et exivit ultra normam mensuræ.*** Civitatem Domini esse sanctam Ecclesiam nullus ignorat. Ananeel vero Dei gratia interpretatur; in angulo autem duplex paries jungitur. Civitas ergo Domini a turre Ananeel, usque ad portam anguli ædificari perhibetur, quia sancta Ecclesia a celsitudine supernæ gratiæ inchoans, usque ad ingressum susceptionemque construitur utrorumque populorum Judaici videlicet et gentilis. Sed quia in ea crescente multitudine etiam reprobi colliguntur, apte subditur : *Et exivit ultra normam mensuræ,* quia usque ad eos quoque extenditur, qui normam justitiæ transeuntes intra mensuræ cœlestis numerum non sunt.

Cap. XXXII.—*Qui ut levetur ex puteo funes ei et panni veteres deponuntur* (*Jerem.* xxxviii, 11).

(Moral. lib. xxv, c. 7, n. 17.) Divinis admonitionibus et præcedentium patrum exemplis adjuti, de hujus vitæ profundo liberamur, quod Jeremiæ in puteum misso signatum est : ***Qui ut levetur ex puteo funes ei et panni veteres deponuntur.*** Quid enim funibus, nisi præcepta dominica figurantur? Quæ quia nos in mala operatione positos et convinciunt et eripiunt, quasi ligant et extrahunt, coarctant et levant. Sed ne ligatus his funibus, dum trahitur, incidatur, simul etiam panni veteres deponuntur, quia ne divina præcepta nos terreant, et antiquorum patrum nos exem-

pla confortant, et ex eorum comparatione facere nos posse præsumimus, quod ex nostra imbecillitate formidamus. Si ergo levari de hoc profundo festinamus, ligemur de his funibus, id est præceptis dominicis astringamur. Intersint etiam panni veteres cum quibus melius teneantur funes, id est præcedentium confortemur exemplis ne infirmos nos et timidos præcepta subtilia vulnerent dum levant.

CAP. XXXIII. — *Venerunt octoginta viri de Sichem* (*Jerem.* XLI, 5).

(Moral. lib. I, c. 36, n. 52.) Cum antiquus hostis intentionem boni operis vitiare non prævalet, in via positos laqueos tegit, ut in eo quod bonum agitur, cor exaltans se ex latere ad vitium dirivetur. In ipsa actione se quasi in itinere opponit, ut cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter vitio quasi ex insidiis perimatur. Quod subtilius Jeremias insinuat, qui dum gesta foris referre studuit, quæ intus apud nosipsos gererentur indicavit, dicens : *Venerunt octoginta viri de Sichem et de Silo, et de Samaria rasi barba, et scissis vestibus squalentes; munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. Egressus autem Ismael filius Nathaniæ in occursum eorum de Maspha incedens, et plorans vat. Cumque occurrisset eis, dixit ad eos : Venite ad Godoliam filium Aicham, qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos.* Barbam radunt qui sibi de propriis viribus fiduciam subtrahunt; vestes scindunt qui sibimetipsis in exterioris laceratione decoris non parcunt, oblaturi in domo Domini thus et munera veniunt. Qui exhibere se in Dei sacrificio orationem cum operibus pollicentur, sed tamen si se in ipsa sanctæ devotionis via caute circumspicere nesciunt, Ismael Nathaniæ filius in occursum eorum venit; quia quilibet malignus spiritus prioris sui Satanæ videlicet exemplo in superbiæ errore generatus, se ad laqueum deceptionis opponit. De quo et bene dicitur : *Incedens et plorans ibat*, quia ut devotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat : et dum concordare se vere lugentibus simulat, ad cordis intima securius admissus, hoc quod intus de virtute latet occidit, qui plerumque spondet se ad altiora provehere. Unde et dixisse perhibetur : *Venite ad Godoliam filium Aicham;* et dum majora promittit, etiam minima subtrahit. Unde recte dictum est : *Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos.* Viros ergo ad offerenda Domino munera venientes in medio civitatis interficit, quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, subripiente hoste, dum devotionis portant hostiam, in ipso itinere perdunt vitam : de cujus hostis manu non evaditur, nisi intus ad pœnitentiam recurratur. Unde subjungitur : *Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismael : Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti et hordei, et mellis; et non occidit eos* (*Ibid.*, 18). Thesaurus in agro est spes in pœnitentia, quæ quia non cernitur, quasi intra [*Text.*, in terra] cordis suffossa continetur : qui enim thesauros in agro habuere, servati sunt; quia qui post incautelæ suæ vitium ad lamentum pœnitentiæ redeunt, nec capti moriuntur.

CAP. XXXIV. — *Maledictus qui facit opus Domini negligentes* (*Jerem.* XLVIII, 10).

(Moral. IX, c. 34, n. 53.) Duo sunt quæ in bonis operibus necesse est ut studiose formidentur, desidia videlicet et fraus. Unde et per Jeremiam apud vetustam translationem dicitur : *Maledictus omnis qui facit opus Domini* [Text., *Dei*] *fraudulenter et desidiose* (*Jerem.* XLVIII, 10). Sed sciendum est quod desidia per torporem nascitur, fraus per privatam dilectionem. Illam minor Dei amor exaggerat, hanc vero male mentem possidens proprius amor creat. Fraudem quippe in opere Dei perpetrat quisquis, seipsum inordinate diligens, per hoc quod recte egit ad remunerationis; transitoria bona festinat, et per hanc fraudem, aut tacitam humani cordis gratiam, aut favoris auram, aut rem quamlibet exteriorem desiderat. Solus ergo in opere Dei fraudem non facit, qui, cum ad studia bonæ actionis invigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani judicii gratiam anhelat. Sæpe enim nonnulla bona nostra latrocinante fraude depereunt, quia rectis se nostris actionibus concupiscentiæ terrenæ subjungunt. Sæpe enim desidia interveniente deficiunt, qui a fervore quo cœpta sunt, frigescente amore, tabescunt.

CAP. XXXV. — *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jerem.* XLIII, 18).

(Reg. pastoral. III part, cap. 25.) Gravi culpa involvuntur qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. Unde per Jeremiam dicitur : *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jerem.* XLVIII, 18). Gladium quippe a sanguine prohibere est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere.

CAP. XXXVI. — *Quomodo confractus est malleus universæ terræ* (*Jerem.* L, 23).

(Moral. XXXIII, cap. 14, n. 28 et 29; lib XXXIV, c. 12, num. 23, et c. 7, n. 15 et 16.) Antiquus hostis justos viros malevole tentare appetit; sed tamen hoc Dominus vel misericorditer fieri, vel juste permittit. Erudiendos enim electos suos tentatori subjicit, ut qui elati perire poterant, humiliati tentatione liberentur a perditione. Electos igitur Dei diabolus volens tentat, et tentando nesciens probat; in illa vero superna patria justos cœlesti felicitate pollentes, nequaquam tentare permittetur, sed ante eorum oculos æternis gehennæ ignibus mancipabitur, et cum corpore suo, reprobis videlicet omnibus, flammis ultricibus traditus sine fine cruciabitur. Hanc super antiquum hostem extremi judicii vim venturam Jeremias contemplatus dixit : *Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ?* (*Jerem.* L, 23.) Ac si aperte diceret : Eum per quem vascula sua Dominus in ministerii sui usu formanda percutit, quis perpendat quo turbine, veniente extremo judicio, in æterna damnatione confringit? Adveniente enim districto judice, de hoc mundo per iram judicii tolletur qui nunc mira mansuetudinis longanimitate toleratur, et tanto hinc pondere tortoris excussus cum judicii turbine rapietur, ut hi qui in corporibus reperiri poterunt, jam fortes et perfecti in tanti terroris turbine magna formidine concutiantur, et si quid in eis inesse potuit levium rubigo vitiorum, hoc pavore excoquatur.

CAP. XXXVII. — *Calix aureus Babylon* (*Jerem.* LI, 7).

(Moral. lib. XXXIV, c. 15, n. 26.) *Calix aureus Babylon* (*Jerem.* LI, 7). Auri nomine nitor exprimitur temporalis gloriæ : quid vero Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? Quæ calix dicitur aureus; quia dum pulchra esse temporalia ostendit, stultas mentes in sui concupiscentia debriat, ut speciosa temporalia appetant, et invisibilia pulchra contemnant. Aureus Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit.

CAP. XXXVIII. — *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (*Jerem.* LI, 9).

(Reg. pastoral. III part., cap. 13.) Voce flagellantium vitam reproborum Jeremias conqueritur, dicens : *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (*Jerem.* LI, 9). Babylon curatur nec tamen ad sanitatem reducitur, cum mens in prava actione confusa verba correptionis audit, flagella correptionis percipit, et tamen ad recta salutis itinera redire contemnit.

CAP. XXXIX. — *Plorans ploravit in nocte* (*Thren.* I, 2).

(Moral. lib. XIII, cap. 12.) Maxilla sanctæ Ecclesiæ prædicatores sancti sunt, sicut per Jeremiam sub

Judææ specie dicitur : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus* (*Thren.* I, 2). Quia adversitatem [*Text.*, in adversitatibus] Ecclesiæ illi amplius plangunt qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt.

CAP. XL. — *Facti sunt hostes ejus in capite* (*Thren.* I, 3).

(Moral. lib. I, c. 36, n. 51 et 53.) Antiquus hostis aliquando intentionem in bono opere polluit, ut omne quod in actione sequitur, eo purum mundumque non exeat, quo hoc ab origine perturbat. Intentionem quippe in bono opere polluit, quia cum facilia ad decipiendum corda hominum conspicit, eorum desideriis auram transitorii favoris apponit, ut in his quæ recta faciunt, ad appetenda ima tortitudine intentionis inclinentur. Unde [*Text.* Recte] sub Judææ specie de unaquaque anima laqueo miseræ intentionis capta per Jeremiam dicitur : *Facti sunt hostes ejus in capite* (*Thren.* I, 3). Ac si aperte diceretur : Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur; tantoque eam plenius possident, quanto per initium dominantes tenent. Si vero semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas et terminus ab hoste callido secure possidetur. Summa ergo cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens mens reproba intentione polluatur.

CAP. XLI. — *Viderunt eam hostes* (*Thren.* I, 7).

(Moral. lib. V, c. 31, n. 55.) Sunt nonnulli qui quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundæ in se cogitationis strepitum per otium congerant. Unde sub Judææ specie per Jeremiam torpens otio anima defletur, cum dicitur : *Viderunt eam hostes, et desiderunt sabbata ejus* (*Tren.* I, 7). Præcepto enim Legis ab exteriori opere in sabbato cessatur. Hostes ergo sabbata videntes irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut unaquæque anima quo remota ab externis actionibus Deo servire creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur.

CAP. XLII. — *Omnis populus ejus gemens* (*Thren.* I, 11).

(Moral. lib. XXV, c. 23, n. 49.) Jeremias propheta, cum Synagogæ perditos mores defleret, dixit : *Omnis populus ejus gemens, et quærens panem : dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam* (*Thren.* I, 11). Per panem aliquando jocunditas humanæ delectationis accipitur. Gemens itaque populus quærit panem, cum prava hominum multitudo affligitur; quia non ad votum de præsentis vitæ jocunditate satiatur. Sed et pretiosa quæque pro cibo dat, quia virtutes mentis in appetitu transitoriæ delectationis inclinat, et refocillare animam nititur; quia perversis suis desideriis satisfacere conatur. Unde bene mox et ex voce electæ [*Text. add.* illius] multitudinis subditur : *Vide, Domine, et considera, quia facta sum vilis* (*Ibid.*). Vilis quippe plebs Dei efficitur cum, pravorum numero crescente, in eis non summa et cœlestia, sed abjecta et terrena sectatur.

CAP. XLIII. — *O vos omnes qui transitis per viam* (*Thren.* I, 12).

(Moral. XV, cap. 57.) Jeremias luctum cordis sui considerari deposcens, ait : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus* (*Ibid.*). Qui præsentem vitam non quasi viam transeunt, sed quasi patriam attendunt, luctum cordis electorum considerare nesciunt; illos ergo ut dolorem suum considerent [*Text. add.* propheta] exquirit quos in hoc mundo animum non fixisse contigit.

CAP. XLIV. — *Foris interficit gladius* (*Thren.* I, 20).

(Moral, III, cap. 32, n. 62.) Sæpe foris flagellis afflimur, et intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est quod Jeremias deplorat, dicens : *Foris interficit gladius, et domi mors similis est* (*Thren.* I, 20). Foris enim interficit gladius, cum nos exterius feriens vindicta configit : sed domi mors similis est, quia et flagella quidem sustinet, et tamen intus conscientia a tentationis sordibus munda non est.

CAP. XLV. — *Factus est Dominus velut inimicus* (*Thren.* II, 5).

(Moral. XI, c. 16, n. 25.) Israelitarum casum longe ante Jeremias intuens, ait : *Factus est Dominus velut inimicus; præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus* (*Thren.* II, 5). Mœnia in urbibus pro ornamento sunt, munitiones vero in defensionem; quia et alia sunt dona quæ nos muniunt, alia quæ ornant. Prophetiæ quippe, doctrina, genera linguarum, curationum virtus, quasi quædam mentis mœnia sunt; quæ si quisque non habeat, stare munitus per fidem et justitiam potest, quamvis ornatus virtutum altitudine minime esse videatur. Spes vero, fides, et charitas non nostra mœnia, sed munitiones sunt; quæ si habere negligimus, hostium insidiis patemus. De Judæa ergo quia prophetiam et doctrinam, vel miraculorum signa abstulit, *mœnia præcipitavit.* Quia vero fidem, spem, et charitatem propter ejus duritiam auferre permisit, munitiones ejus auferre studuit. Rectus vero ordo servatus est, ut prius mœnia, et post munitiones dissipatæ dicerentur, quia cum peccatrix anima relinquitur, prius ab ea dona virtutum quæ ad manifestationem spiritus data sunt, et postmodum fidei, spei, et charitatis fundamenta destruuntur.

CAP. XLVI. — *Prophetæ tui viderunt tibi falsa* (*Thren.* II, 14).

(Reg. pastoral. sec. part., c. 4.) Populo delinquenti per Jeremiam dicitur : *Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent* (*Thren.* II, 14). Prophetæ in sacro eloquio nonnunquam doctores vocantur, qui dum fugitiva et præsentia indicant, quæ sint ventura manifestant. Quos divinus sermo falsa videre redarguit, quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur. Qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe apertionis est sermo correptionis, quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit etiam ipse qui perpetravit.

CAP. XLVII. — *Ego vir videns paupertatem meam* (*Thren.* III, 1).

(Moral. XXXIV, c. 3, n. 5.) Electi in hoc ærumnoso vitæ præsentis exsilio positi pauperes se esse sciunt, et quia veras divitias cœlestis patriæ nequaquam conspiciunt, ad eas assidue suspirantes in ærumna paupertatis istius gemunt. Hanc paupertatem Jeremias inspexerat, cum dicebat : *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus* (*Thren.* III, 1). Virga indignationis Dei est percussio districtionis; quam indignationem tunc homo pertulit, cum ex paradiso pulsus, veras interni gaudii divitias amisit. Sed quia electi quique incessanter conspiciunt quod in præsentis vitæ penuriam ab illa potestatis ingenitæ facultate ceciderunt, bene dicitur : *Ego vir videns paupertatem meam.* Quisquis enim adhuc hæc visibilia appetit, peregrinationis suæ malum non intelligit; et hoc ipsum quod patitur videre nescit. Hanc paupertatem David [*Text.*, propheta] intuens, ait : *Infirmata est in paupertate virtus mea* (*Psal.* XXX, 11). In paupertate enim virtus infirmari dicitur, quia lapsus in hac peregrinatione animus, et corruptionis suæ molestiis reverberatus, hoc quod perdidit contemplari præpeditur.

CAP. XLVIII. — *Aggravavit compedem meum* (*Thren.* III, 7).

(Hom. 12, l. I, in Ezech., n. 13.) Subtile omnipotentis Dei judicium Jeremias intuens, ait : *Aggravavit compedem meum* (*Thren.* III, 7). Habemus compedes ipsam infirmitatem et corruptionem mortalitatis nostræ. Sed cum tribulatio nobis et gemitus additur, ipsæ nostræ compedes aggravantur.

CAP. XLIX. — *Inebriavit me absinthio* (*Thren.* III, 15).

(Moral. lib. XX, c. 15, n. 39; lib. VII, cap. 21.) Jeremias totius in se humanæ conversationis speciem sumens per lamentum conqueritur, dicens : *Inebriavit me absinthio* (*Thren.* III, 15). Ebrius quisque quod patitur nescit : qui vero absinthio debriatur, et hoc quod sumpsit amarum est, et tamen non intelligit eamdem amaritudinem qua repletur. Humanum ergo genus recto Dei judicio in voluptatibus suis sibi dimissum, et per easdem voluptates in spontaneis tribulationibus traditum, absinthio est ebrium; quia et amara sunt quæ pro hujus vitæ amore tolerat, et tamen eamdem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis, ignorat. Mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes suscipit, amarum est quod bibit. Sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, ejusdem amaritudinis malum discernere jam pro ipsa ebrietate non sufficit. A sensu rationis alienus, dum quidquid pro mundo sustinet, leve putat, et laboris amaritudinem quam tolerat, ignorat, quia delectabiliter ad cuncta ducitur in quibus pœnaliter fatigatur.

CAP. L. — *Scrutemur vias nostras* (*Thren.* III, 40).

(Moral. XVIII, c. 5, n. 10.) Valde apud Deum duo congruunt necessario : ut oratione operatio, et operatione fulciatur oratio. Hinc enim Jeremias ait : *Scrutemur vias nostras, levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlum* (*Thren.* III, 40). Vias enim nostras scrutari est cogitationum interna discutere. Corda vero cum manibus levat qui orationem suam cum operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat et manus non levat; quisquis vero operatur et non orat, manus levat et cor non levat.

CAP. LI. — *Opposuisti nubem, ne transeat oratio* (*Thren.* III, 44).

(Moral. XXVIII, c. 17, n. 37.) Sancti viri qui etiam alienæ negligentiæ compatiuntur, et se pati æstimant quod pati alios sentiunt, Deo orantes dicunt : *Opposuisti nubem, ne transeat oratio* (*Thren.* III, 44). Ac si aperte dicant : Menti nostræ, terrenis voluptatibus assuetæ, curarum suarum phantasmata justo judicio objicis, quibus eam in ipsa orationis suæ intentione confundis; et quam infimis desideriis deditam non ignoras, recte cæcatam ab intuenda lucis tuæ perspicuitate reverberas; ut cum in te intenditur, ipso a te cogitationum suarum nubilo reflectatur; et quæ terrena hæc assidue cogitat, quia vult, hæc etiam toleret in oratione, cum non vult.

CAP. LII. — *Divisiones aquarum deduxit oculus meus* (*Thren.* III, 48).

(Reg. pastoral. III, part. c. 29.) Peccatores singula quæque admissa considerare debent, ut dum per unumquodque erroris sui inquinationem deflent, simul se ac totos lacrymis mundent. Unde per Jeremiam dicitur, cum Judææ singula delicta pensaret : *Divisiones aquarum deduxit oculus meus* (*Thren.* III, 48). Divisas ex oculis aquas deducimus, cum peccatis singulis dispertitas lacrymas damus. Neque enim uno eodemque tempore æque mens de omnibus dolet; sed dum nunc hujus, nunc illius culpæ memoria acrius tangitur, simul de omnibus in singulis commota purgatur.

CAP. LIII. — *Lapsa est in lacum vita mea* (*Thren.* III, 53).

(Moral. XXVI, c. 36, n. 65.) Cum Jeremias Judæam A in iniquitatibus longa consuetudine obrutam fœde conspiceret, in lamentis suis sub ejus specie seipsam deplorat, dicens : *Lapsa est in lacu vita mea, et posuerunt lapidem super me* (*Thren.* III, 53). In lacum vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur, lapis vero superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato devoratur; ut et si velit exsurgere, jam utcunque non possit, quia moles desuper malæ consuetudinis premit.

CAP. LIV. — *Quomodo obscuratum est aurum?* (*Thren.* IV, 1.)

(Reg. Pastoral. sec. part., c. 7; Moral. l. XXVII, cap. 43, et l. XXXIV, cap. 15; Reg. past. ibid.) Magno dolore charitatis Jeremias sub destructione templi deplorat, dicens : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* IV, 1). Quid auro quod cæteris metallis præeminet, nisi excellentia sanctitatis? Quid colore optimo, nisi cunctis B amabilis reverentia religionis exprimitur? Quid sanctuarii lapidibus, nisi sacrorum ordinum personæ signantur? Quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo figuratur? Quia enim Græco eloquio πλάθος latitudo dicitur, profecto a latitudine plateæ sunt vocatæ. Aurum vero obscuratum doluit, quia in quibusdam claritatem innocentiæ et religionis, versam in culpæ nigredinem vidit. Aurum quippe obscuratur, cum subsequentibus iniquitatem tenebris, justitiæ pulchritudo deseritur : cum terrenis actibus spiritualis vita polluitur. Color optimus mutatur, cum splendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ. Color optimus commutatur, cum quorumdam qui degere religiose credebantur, existimatio anteacta minuitur; nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarii quoque lapides in plateas disperguntur, cum causarum sæcularium foris lata itinera expetunt, hi qui ad [ornamentum Ecclesiæ internis C mysteriis, quasi in secretis sanctuarii [*Text.*, tabernaculi] vacare debuerunt. Ad hoc quippe lapides sanctuarii flebant, ut in Sancta sanctorum in vestimento summi sacerdotis apparerent. Cum vero ministri religionis a subditis honorem Redemptoris sui ex merito vitæ non exigunt, sanctuarii lapides in ornamento pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarii lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum, voluptatum suarum latitudini deditæ, terrenis negotiis inhærent. Et notandum quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit; quia et cum terrena agunt, summi videri appetunt, ut et lata itinera teneant ex voluptate delectationis, et tamen in platearum sunt capite ex honore sanctitatis. Nihil ergo obstat si sanctuarii lapides eosdem ipsos quibus constructum sanctuarium existebat accipimus, qui dispersi in capite platearum jacent, cum sacrorum ordinum viri terrenis actibus ex desiderio inserviunt, ex quorum prius D officio sanctitatis gloria stare videbatur. Sæcularia itaque negotia aliquando ex compassione sunt toleranda, nunquam vero ex amore requirenda; ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de cœlestibus mergant.

CAP. LV. — *Reddes eis vicem, Domine* (*Thren.* III, 64).

(Moral. l. XXXIII, c. 28, n. 49; lib. II, hom. 22 in Evang., num. 4.) De Judæis contra præcepta Domini superba se defensione tuentibus per Jeremiam dicitur : *Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum* (*Thren.* III, 64). Moxque eamdem vicem expressius subdidit, dicens : *Dabis scutum cordis laborem tuum* (*Ibid.* 65). Labor Domini apparens inter homines, passibilis ejus humanitas fuit; quam Judæi superbe sapientes despexerunt, eumque immortalem credere dedignati sunt, quem natura passibili mortalem viderunt. Cumque ejus humilitatem conspicerent, fastibus superbiæ obdurati, summa cura moliti sunt

ne eorum mentes sancta prædicantium verba penetrarent. Dum ergo eis Dominus vicem malorum operum redderet, dedit eis scutum cordis laborem suum : quia recto judicio inde illos contra se superbe obstinatos exhibuit, unde ipse pro nobis in infirmitate laboravit. Repulerunt quippe a se verba prædicantium, quia dedignati sunt in Domino infirma passionum. Laborem igitur Domini contra eumdem Dominum scutum cordis habuerunt, quia superbe sapientibus eo despectus apparuit, quo propter eos humilis fuit. Ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis ejus laborem dedignati sunt, quasi eumdem laborem illius pro scuto tenuerunt; ut eo ad se transire prædicatorum ejus verba non permitterent, quo eum laborare usque ad mortem videant [*Text.* viderunt].

CAP. LVI. — *Posui arenam terminum mari* (*Jerem.* v, 22).

(Moral. IX, c. 10, n. 11.) Cunque Judæi superbe sapientes, morem suum vi præceptorum Christi discipulorum prædicatione destrui conspicerent, in persecutionis procellas adversus eos se commoventes mirabiliter extulerunt. Sed has supernorum Conditor, sublevata virtute suorum prædicatorum mirabilius stravit, sicut scriptum est : *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus* (*Psal.* XCII, 4). Ministros enim suos plus ostendit posse per miracula, quam potestates terrenæ tumuerant per iram. Unde bene etiam per Jeremiam Dominus exteriora narrans, interiora denuntians, ait : *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit; et commovebuntur, et non poterunt, et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud* (*Jerem.* v, 22). Arenam quippe Dominus terminum mari posuit, quia ad frangendam mundi gloriam abjectos et pauperes elegit. Cujus nimirum maris fluctus intumescunt, cum potestates sæculi ad commotionem persecutionis exsiliunt; sed transire arenam maris nequeunt, quia despectorum miraculis et humilitate franguntur.

CAP. LVII. — *Sed et lamiæ nudaverunt mammam* (*Thren.* IV, 3).

(Moral. XIX, c. 18, n. 27.) Tempore Antichristi cum sancta Ecclesia adversitate premetur, hæreticis et pravis quibusque prædicatoribus licentia locutionis dabitur. Quod longe ante Jeremias intuens, ait : *Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos* (*Thren.* IV, 3). Quid namque lamias, nisi hæreticos appellat, humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestantes, qui tunc mammam nudant cum errorem suum libere prædicant? Tunc catulos lactant, quia male sequaces parvulorum animas, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.

CAP. LVIII. — *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli* (*Thren.* IV, 19).

(Moral. lib. XXXI, cap. 47.) *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli* (*Thren.* IV, 19). Aquilarum nomine insidiatores spiritus intelliguntur. Persecutores itaque nostri velociores aquilis cœli sunt, cum contra nos tanta maligni homines faciant, ut ipsas etiam aerias potestates inventionibus malitiæ præire videantur.

CAP. LIX. — *Candidiores Nazaræi ejus nivei* (*Thren.* IV, 7 et 8).

(Moral. XXXII, c. 22, n. 46 et 42.) Nonnunquam hi qui viam sanctitatis appetunt, errore lapsi tardius emendantur. Rectum quippe æstimant esse quod agunt et idcirco suo judicio enixius serviunt. Unde Jeremias cum diceret : *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Denigrata est facies eorum super carbones, et non sunt cogniti in plateis;* illico adjunxit : *Adhæsit cutis eorum ossibus; aruit, et facta est quasi lignum* (*Thren.* IV, 7, 8). Quid enim Nazaræorum nomine, nisi abstinentium et continentium vita signatur, quæ nive et lacte candidior [*Text.*, nitidior] dicitur? Nix enim ex aqua congelascit quæ desuper venit, lac autem ex carne exprimitur, quæ in inferioribus nutritur. Quid vero per nivem, nisi candor vitæ cœlestis? Quid per lac, nisi temporalis dispensationis administratio designatur? Et quia plerumque continentes viri in Ecclesia tam mira opera faciunt, ut ab eis multi qui cœlestem vitam tenuerant, multi qui terrenam [*Text.*, terrena] bene dispensaverunt superari videantur, et candidiores nive, et nitidiores lacte referuntur. Qui etiam quia per fervorem spiritus antiquorum et fortium patrum nonnunquam vincere vitam videntur, recte adjungitur : *Rubicundiores ebore antiquo.* Dum enim ruboris nomine [*Text.* nomen] exprimitur, sancti desiderii flamma signatur. Ebur vero esse os magnorum animalium non ignoramus. Ebore itaque antiquo rubicundiores sunt, quia sæpe ante humanos oculos nonnullis præcedentibus patribus studii ferventioris existunt. De quibus ut simul totum ostendatur, adjungitur : *saphiro pulchriores.* Etherei quippe coloris est saphirus, et quia præcedentes multos et ad superna tendentes per cœlestem conversationem videntur vincere, narrantur saphiro pulchriores exstitisse. Sed plerumque dum virtutum copia etiam plus quam expedit prosperatur, in quadam sui fiducia mens adducitur, et decepta præsumptione propria, repente peccato subripiente fuscatur. Unde repente [*Text.*, recte] subjungitur : *Denigrata sicut* [Text. *est super*] *carbones facies eorum.* Nigri enim post candorem fiunt, quia amissa Dei justitia, cum de se præsumunt, in ea etiam quæ non intelligunt peccata dilabuntur. Et quia post amoris ignem ad frigus torporis veniunt, exstinctis carbonibus ex comparatione præleruntur. Nonnunquam enim dum timorem Dei per sui fiduciam deserunt, etiam frigidis mentibus frigidiores fiunt. De quibus recte subjungitur : *Non sunt cogniti in plateis.* Platea quippe Græci sermonis ratione pro latitudine dicitur. Quid vero est humanæ menti angustius quam voluntates proprias frangere? De qua fractione Veritas dicit : *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13). Quid autem latius quam nullis propriis voluntatibus reluctari, et quaquaversum impulsus arbitrii duxerit, se sine retractione diffundere? Qui ergo per fiduciam sanctitatis, postposito meliorum judicio, se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis, quia de vita sua aliud ostenderant, quando frangendo voluntates proprias in angusto se calle retinebant. Et bene additur : *Adhæsit cutis eorum ossibus.* Quid enim in osse, nisi duritia, fortitudinis? Quid in cute, nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt quæ faciunt, sed elationis fiducia decepti, fortibus ea suspicionibus jungunt; et quo de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt. Unde et recte adjungitur : *Aruit et facta est quasi lignum.* Culpa quippe eorum tanto insensibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilis habetur : quam recte aridam asserit, quia nulla sui cognitione virescit. Cum itaque error ab eis virtus creditur, difficilius emendatur; et tanto tardius mens eorum vitium suum deserit, quanto per virtutis speciem decepta, præmiorum etiam de eo retributionem quærit. Facile autem culpa corrigitur, quæ et erubescitur; quia esse culpa sentitur, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat per infinita sæculorum sæcula.

LIBER QUINTUS.

De Testimoniis in Ezechielem prophetam.

CAPUT PRIMUM. — *De electri specie in medio ignis (Ad Ezech.* I).

(Moral. lib. XXVIII, c. I, n. 5.) Aliquando rebus per angelos loquitur Deus, cum nil verbo dicitur, sed ea quæ futura sunt, assumpta de elementis imagine, nuntiantur; sicut Ezechiel, nil verborum audiens, electri speciem in medio ignis vidit (*Ezech.* I), ut videlicet dum solam speciem aspiceret, quæ erant in novissimis ventura sentiret. Electrum quippe ex auri et argenti metallo miscetur, in qua permixtione argentum clarius redditur, et fulgor auri temperatur. Quid ergo in electro nisi Mediator Dei et hominum demonstratur? qui dum se [*Text.*, semetipsum] nobis ex divina et humana natura composuit, humanam per deitatem clariorem reddidit, et divinam per humanitatem nostris aspectibus temperavit. Quod enim virtute divinitatis ejus tot miraculis humanitas fulsit, ex auro crevit argentum; et quod per carnem cognosci Deus potuit, quodque per carnem tot adversa toleravit, quasi ex argento temperatum est aurum: quod bene in medio ignis ostenditur, quia incarnationis ejus mysterium subsequentis judicii flamma comitatur. Scriptum quippe est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio* (*Joan.* V, 22).

CAP. II. — *De facie quatuor animalium (Ad Ezech.* I).

(Moral. XXXI, c. 47, n. 94.) Cum Ezechiel quatuor animalia describeret se vidisse (*Ezech.* I), in eis sibi hominis, leonis, bovis et aquilæ faciem testatur apparuisse. Et quamvis singula ad unumquemque evangelistam conveniant, dum alius humanæ nativitatis ordinem; alius per mundi sacrificii mactationem, quasi vituli mortem; alius potestatis fortitudinem, quasi leonis clamorem insinuat; alius nativitatem verbi intuens, quasi ortum solem aquila aspectat; possunt tamen hæc quatuor animalia ipsum suum caput cujus sunt membra signare. Ipse namque homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit; et vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; et leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit; et ad extremum aquila, quia ad cœlum de quo venerat, rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cœlos ascendendo.

CAP. III. — *Manus hominis erant sub pennis eorum (Ezech.* I, 8).

(Moral. VI, c. 37, n. 61.) Ezechiel animalia volantia contemplatus, ait: *Manus hominis sub pennis eorum erant* (*Ezech.* I, 8). Quid per pennas animalium, nisi contemplationes eorum possumus dicere [*Text.*, sentire sanctorum], quibus ad summa transvolant, et terrena deserentes sese in cœlestibus librant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? cum enim sancti in proximi amore se dilatant, bona quæ prævalent etiam corporaliter administrant; sed eorum manus sub pennis sunt, quia actionis suæ opera virtute contemplationis vincunt.

CAP. IV. — *Junctæque erant pennæ eorum (Ezech.* I, 8).

(Moral. XXIX, c. 31, n. 71.) Cum Ezechiel diversi generis animalia se vidisse diceret adjunxit: *Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum* (*Ezech.* I, 8). Pennæ animalium alterius ad alterum junctæ sunt, quia etsi dissimilia sunt quæ agunt, uno tamen eodemque sensu sibi sanctorum voces et virtutes sociantur; et quamvis alius rationabiliter cuncta agendo sit homo, alius in passionibus fortis adversa mundi non timendo sit leo, alius per abstinentiam seipsum vivam hostiam offerendo sit vitulus, alius in alta se rapiendo contemplationis volatu sit aquila; pennis tamen se dum volant tangunt, quia et confessione vocum et virtutum sibi unanimitate junguntur.

CAP. V. — *Non revertebantur cum incederent (Ezech.* I, 9).

(Moral. X, c. 15, n. 31.) In activa vita sine defectu et indefesse persistens mens figitur, a contemplativa vero infirmitatis suæ pondere victa descendendo lassatur, et ad hanc magnis conatibus per intervalla temporum reformatur. Quod breviter Ezechiel insinuat, cum eorum quæ viderat motus animalium narrat, dicens: *Non revertebantur cum incederent* (*Ezech.* I, 9), et paulo post subjunxit: *Et animalia ibant et revertebantur* (*Ibid.*, XIV). Sancta quippe animalia aliquando vadunt, et minime redeunt, aliquando vadunt et protinus revertuntur, quia electorum mentes cum per collectam sibi activæ vitæ gratiam erroris viam deserunt, redire ad mala mundi nesciunt quæ reliquerunt. Cum vero per contemplationis aciem ab hac eadem activa vita suspendunt, eunt et redeunt, quia per hoc quod diu sustinere [*Text.*, persistere] minime in contemplatione sufficiunt, se ad operationem rursus fundunt; ut in his quæ sibi juxta sunt se exercendo refoveant, et super se iterum surgere contemplando convalescant.

CAP. VI. — *In circuitu et intus plena erant oculis (Ezech.* I, 18).

(Moral. XIX, 6., 12, n. 20.) Sancti omnes foris se et intus circumspiciunt, et reprehendi [*Text.* reprehendendo] se exterius, vel iniquos se interius videri invisibiliter timent. Hinc est quod animalia quæ per Ezechielem videntur, in circuitu et intus plena oculis esse memorantur (*Ezech.* I, 18). Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet. Sancti vero omnes quia et exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla fratribus præbeant, et interiora sua vigilanter attendunt, quia se irreprobabiles interni judicis obtutibus parant, et in circuitu oculos et intus habere perhibentur.

CAP. VII. — *Stabant et summittebant alas suas (Ezech.* I, 25).

(Moral. XXXV, c. 2, n. 3.) Ezechiel loquens de quatuor animalibus, dicit: *Cum fieret vox supra firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant et submittebant alas suas* (*Ezech.* I, 25). Quid per volatum animalium, nisi evangelistarum et doctorum sublimitas designatur? vel quid sunt alæ animalium, nisi sanctorum contemplationes eos ad cœlestia sublevantes? Sed cum fit vox supra firmamentum, quod super eorum caput est, stantes submittunt alas suas; quia cum internam vocem supernæ sapientiæ audiunt, quasi volatus sui alas deponunt, quia videlicet ipsam veritatis altitudinem minus se contemplari posse cognoscunt. Ad vocem ergo desuper venientem alas deponere est, cognita superna potentia, virtutes proprias humiliare, et consideratione Creatoris nihil de se aliud quam abjecta sentire.

CAP. VIII. — *Audivi vocem alarum (Ezech.* I, 24).

(Moral. XXIV, cap. 8, n. 19, 20, 21.) Cum Ezechiel animalia volantia descripsisset, adjunxit: *Audivi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram* (*Ezech.* I, 24). Quid alas animalium, nisi virtutes debemus sentire sanctorum, qui dum terrena despiciunt, ad cœlestia volando sublevantur? Volantia itaque animalia aliis suis se vicissim feriunt, quia sanctorum mentes in eo quod superna appetunt,

consideratis invicem alterius virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit qui exemplo sanctitatis propriæ ad melius me accendit, et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imitetur ostendo. Magna namque sollicitudine meliorum vitam conspicere debemus, quia ad curam nostræ meliorationis accingimur, quando id virtutis in aliis cernimus quod non habemus. Tanto vero ardentius ad humilitatem proficimus, quanto ex bonis quæ nos habemus inferiores nos habentibus ea pensamus, et ab elatione reprimimur, et ad provectus studium accendimur. Sancti enim viri dum virtutum consideratione vicissim alios sibi præferunt, volantia animalia alarum percussione se tangunt, ut eo ad volatum se altius excitent, quo humilius alter in altero quod admiretur videt. Reprobi vero non in meliorum vestigia, sed deteriorum vitam et exempla considerant, quibus meliores se esse gloriantes superbiendo præferunt ; et idcirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi sufficere credunt quod pessimos antecedunt.

CAP. IX. — *De libro in quo erant lamentationes et carmen et væ* (*Ezech.* II, 9).

(Moral. l. XX, c. 16, n. 27.) Quia ad æterna gaudia redire non possumus, nisi per temporalia detrimenta, tota Scripturæ sacræ intentio est, ut spes manentis lætitiæ nos inter hæc transitoria adversa corroboret. Unde Ezechiel librum se testatur accepisse, in quo scriptæ erant lamentationes, et carmen, et væ (*Ezech.* II, 9). Quid enim libro hoc nisi divina eloquia figurantur? quæ quia et nobis lacrymas luctusque præcipiunt, lamentationes in eo scriptæ referuntur. Carmen quoque et væ continent, quia sic de spe gaudium prædicant, ut in præsenti tamen pressuras et angustias indicent. Carmen et væ continent, quia et si illuc dulcia appetimus, prius necesse est ut hic amara toleremus.

CAP. X. — *Linguam tuam adhærere faciam palato* (*Ezech.* III, 26).

Moral. lib. XXX, c. 27, n. 82; lib. I, hom. 17 in Evang., num. 3; Ibid. Moral. lib. XXX, c. 27, n. 82 et 83.) Sæpe doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, et sæpe pro auditoris culpa subtrahitur sermo doctori, sicut ad Ezechielem contra Israel dicitur : *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans es* (*Ezech.* III, 26). Ac si aperte dicat : Idcirco tibi prædicationis sermo tollitur, quia dum me in suis actionibus plebs exasperat, non est digna cui exhortatio veritatis fiat. Aliquando enim sermo prædicationis propter utrosque, doctorem scilicet et auditorem, datur ; aliquando propter utrosque subtrahitur. In his ergo quæ ubertim prædicat doctor, nulla se elatione efferat, ne fortasse non pro sua, sed pro auditoris gratia ejus repleatur lingua. Et in his quæ doctor steriliter dicit, auditor non succenseat ; ne fortasse doctoris lingua non pro sua, sed pro auditoris reprobatione torpescat. Cur autem quilibet de doctrina superbiat, cum occulto judicio vel cui quando detur, vel quando cui subtrahatur ignorat. Inter hæc igitur cum vel pro quo sermo detur, vel propter quem subtrahatur ignoramus, unum est salubre remedium, nec de iis quæ aliis majus accepimus nosipsos extollere, nec de eo alterum quod minus acceperit irridere.

CAP. XI. — *Sume tibi laterem* (*Ezech.* IV, 1).

(Regul. pastor. II part., c. 10 ; IV part.; II part. c. 10; Moral. lib. XXVI, c. 6, n. 10.) Debitum rectorum est supernæ patriæ gloriam auditoribus per vocem prædicationis ostendere, quanta in hujus vitæ itinere tentamenta antiqui hostis latrent aperire, et subditorum mala quæ tolerari leniter non debent, cum magna zeli austeritate [*Text.*, asperitate] corrigere; ne si minus contra culpas accenduntur, culparum omnium ipsi rei teneantur. Unde ad Ezechielem dicitur : *Fili hominis, sume tibi laterem* (*Ezech.* IV, 1). Notandum est, quod quoties ad contemplanda cœlestia propheta Ezechiel ducitur, prius filius hominis vocatur. Ac si aperte Dominus admoneat, dicens : Ne de his quæ vides cor in elatione subleves, cautus perpende quod es, ut cum summa penetras, esse te hominem recognoscas; quatenus dum ultra te raperis, ad teipsum sollicitus infirmitatis tuæ freno revoceris. Ezechieli igitur magistrorum speciem tenenti dicitur : *Sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem.* Doctores quippe laterem sibi sumunt, cum terrenum cor auditorum ut doceant apprehendunt. Quem laterem coram se ponunt, quia tota illud sollicitudinis intentione custodiunt : in quo et civitatem Jerusalem jubentur describere, quia prædicando terrenis cordibus, curant summopere quanta sit supernæ pacis visio, demonstrare. Sed quia incassum gloria patriæ cœlestis agnoscitur, nisi et quanta hujus irruant hostis callidi tentamenta noscantur, apte subjungitur : *Et ordinabis adversus eam obsidionem* (*Ibid.*, 2). Sancti enim prædicatores obsidionem circa laterem in quo Jerusalem descripta est ordinant, cum terrenæ menti sed jam supernam patriam requirenti, quanta eam in hujus vitæ tempore vitiorum impugnet adversitas demonstrant. Cum enim unumquodque peccatum quomodo menti [*Text.*, proficientibus] insidietur ostenditur, quasi obsidio circa civitatem Jerusalem voce prædicatoris ordinatur. Sed quia non solum insinuatur quomodo mentem vitia expugnent, sed etiam quomodo custoditæ virtutes roborent, subjungitur : *Et ædificabis munitiones* (*Ibid.*). Munitione sanctus prædicator ædificat, cum quæ virtutes quibus vitiis obvient insinuat. Et quia crescentibus virtutibus, plerumque tentationis bella augentur, bene adhuc subditur : *Et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro.* Aggerem comportat, cum prædicator quisque molem crescentis tentationis indicat; et contra Jerusalem castra erigit, cum rectæ intentioni audientium hostis callidi circumventiones patefacit, et quasi incomprehensibiles insidias prædicit. Et in gyro parietes ponit, cum tentationum aculeos in hac vita nos undique circumdantes, et virtutum murum perforantes innotescit. Sed cuncta hæc licet subtiliter Rector insinuet, nisi contra delicta singulorum æmulationis spiritu ferveat, nullam sibi in perpetuum absolutionem parat. Unde recte additur : *Et tu sume tibi sartaginem ferream* (*Ibid.*, 30). Per sartaginem frixura mentis, per ferrum vero fortitudo ostenditur increpationis. Quid vero acrius doctoris mentem quam zelus Domini frigit et excruciat? Et quia quisquis zelo Dei contra peccantes accenditur, forti in perpetuum custodia munitur, ne ex neglecta prædicationis et regiminis cura damnetur, recte subditur : *Et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem* (*Ibid.*). Sartago ferrea murus ferreus inter prophetam et civitatem ponitur, quia cum nunc fortem zelum doctores exhibent, eumdem postmodum inter se et auditores suos fortem munitionem tenent : ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc fuerent in correctione dissoluti. Nunc ergo doctores necesse est ut appetant zeli ardoribus frigi, ne cogantur post de torpore negligentiæ igne gehennæ cruciari.

CAP. XII. — *Sume tibi gladium* (*Ezech.* V, 1).

(Moral. l. II, cap. 35.) *Fili hominis, sume tibi gladium et duces per caput tuum et per barbam tuam* (*Ezech.* V, 1). Hoc prophetæ facto judicium Redemptoris exprimitur, qui in carne apparens caput rasit, quia a Judaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Barbam rasit, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis ejus amputavit.

CAP. XIII. — *Missa similitudo manus apprehendit me* (*Ezech.* VIII, 3).

(Moral. l. XXXI, cap. 12, n. 19.) Sancti viri dum cogitationes cordis a visibilium appetitu constringendo, intra seipsos colligunt, occulta etiam aliena de-

licta deprehendunt. Unde per Ezechielem dicitur : *Emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me spiritus inter cœlum et terram, et adduxit me in Jerusalem, in visione Dei, juxta ostium interius quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum Zeli, ad æmulationem provocandam* (*Ezech.* VIII, 3). Quid est cincinnus capitis, nisi collectæ cogitationes mentis, ut non sparsæ fluant [*Text.*, diffluant), sed per disciplinam constrictæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, et propheta per cincinnum capitis elevatur, quia cum nostra mens se per custodiam colligit, vis superna sursum nos ab infimis trahit. Bene ergo inter terram et cœlum sublevatum se asserit, quia quilibet sanctus in carne mortali positus, plene quidem adhuc ad superna non pervenit, sed jam tamen ima derelinquit. In visione vero Dei in Jerusalem ducitur, quia videlicet unusquisque proficiens per charitatis zelum, qualis esse Ecclesia debeat contemplatur. Bene quoque additur quia juxta ostium interius ductus est quod respiciebat ad Aquilonem ; quia nimirum sancti viri, dum per aditum internæ contemplationis aspiciunt, plus prava intra Ecclesiam fieri quam recta deprehendunt, et quasi in Aquilonis parte oculos, id est ad solis sinistram flectunt, quia contra vitiorum frigora charitatis se stimulis accendunt. Ubi et subjungitur, quia illic erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. Dum enim intra sanctam Ecclesiam a nonnullis specie sola fidelibus rapinas et vitia perpetrari considerant, quid aliud quam in Jerusalem idolum vident ? Quod idolum zeli dicitur, quia per hoc contra nos æmulatio superna provocatur ; et tanto districtius delinquentes ferit, quanto nos charius Redemptor amat.

Cap. XIV. — *Fili hominis, fode parietem* (*Ezech.* VIII, 8).

(Moral. XXVI, c. 6, n. 7.) Sancti doctores sæpe solent exaggerare delinquentium vitia, et ex quibusdam signis publicis rimari occulta, ut possint ex minimis cognoscere majora. Unde ad Ezechielem dicitur : *Fili hominis, fode parietem* (*Ezech.* VIII, 8). Per Ezechielem præpositorum persona significatur ; per parietem duritia subditorum : et quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus et asperis correptionibus duritiam cordis aperire ? et cum perfodisset parietem, apparuit ostium ; quia cum cordis duritia percunctationibus et asperis increpationibus scissa aperitur, quasi quædam janua ostenditur ex qua omnia in eo qui corripitur cogitationum interiora videantur. Unde et sequitur : *Ingredere et vide abominationes pessimas quas isti faciunt* (*Ibid.*, 9). Quasi ingreditur ut abominationes videat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cuncta ei quæ illicite cogitantur innotescant. Unde et subdit : *Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio* (*Ibid.*, 10). In reptilibus cogitationes omnino terrenæ signantur, in animalibus vero, jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent, animalia vero ventre a terra suspensa sunt appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, cum cogitationes volvuntur in mente, quia a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, cum et si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt ; et per seipsa quidem jam quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum, quasi per gulæ desiderium, sese ad ima submittunt. Unde et bene subditur : *Et universa idola domus Israel depicta erant in pariete* (*Ibid.*). Scriptum quippe est, et avaritia quæ est idolorum servitus (*Coloss.* III, 5). Recte ergo post animalia, idola describuntur, quia et si honesta actione quasi a terra nonnulli se erigunt, ambitione tamen inhonesta seipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur : *Depicta erant*, quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, in corde quasi depingitur quidquid fictis imaginibus cogitatur. Notandum itaque est quia prius foramen in pariete, et deinde ostium cernitur, tunc demum occulta abominatio demonstratur ; quia uniuscujusque peccati prius signa forinsecus, deinde janua iniquitatis aperte ostenditur, et tunc demum omne malum quod intus latet aperitur. Idcirco ergo etiam sancti doctores graviter solent minuta discutere, ut ab extremis exterioribus ad occulta majora possint pervenire.

Cap. XV. — *Ecce sex viri veniebant de via superioris portæ* (*Ezech.* IX, 2).

(Moral. XXII, c. 18, n. 44.) Novum Testamentum Dominus ad redemptionem nostram veniens in extremo condidit, quod bene Ezechiel denuntiat, dicens : *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem* (*Ezech.* IX, 2). Quid namque aliud in sex viris venientibus, nisi sex ætates humani generis designantur? Quæ de via portæ superioris veniunt, quia a conditione paradisi sicut ab ingressu mundi a superioribus generationibus evolvuntur? Quæ porta ad Aquilonem respicit, quia videlicet mens humani generis vitiis aperta, nisi calorem charitatis deserens, torporem mentis appeteret, ad hanc mortalitatis latitudinem non exisset. *Et unusquisque vas interitus in manu ejus* (*Ibid.*) ; quia unaquæque generatio, singulis quibusque ætatibus evoluta ante Redemptoris adventum, in sua operatione habuit unde pœnam damnationis sumpsit. *Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis* (*Ibid.*), quia Redemptor noster qui etiam de sacerdotali tribu juxta carnem parentes habere dignatus est, vestitus lineis perhibetur : vel certe quia linum de terra, non autem sicut lana de corruptibili carne nascitur ; quia qui indumentum sui corporis ex matre virgine non autem ex corruptione commixtionis sumpsit, profecto ad nos vestitus lineis venit. *Et atramentarium scriptoris ad renes ejus* (*Ibid.*). In renibus posterior pars corporis est ; et quia ipse Dominus, postquam pro nobis mortuus est, et resurrexit, et ascendit in cœlum, tunc Testamentum Novum per apostolos scripsit, vir iste atramentarium ad renes habuit. Qui enim Scripturam novi Testamenti postquam discessit condidit, atramentarium quasi ad renes habuit [*Text.*, a tergo portavit].

Cap. XVI. — *Non ascendistis ex adverso* (*Ezech.* XIII, 5).

(Lib. I, ep. 25 edit. recent.) Sæpe doctores humanam amittere gratiam formidantes loqui libere recta pertimescunt. Hinc eos per Ezechielem Dominus increpat, dicens : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini* (*Ezech.* XIII, 5). Ex adverso ascendere est pro defensione commissi gregis quibuslibet hujus mundi potestatibus libera voce contraire ; et in die Domini pro domo Israel stare est et murum opponere pravis decertantibus ex amore justitiæ resistere, et fideles innocentes [*Text.*, Est pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere ; et murum opponere, est fideles innocentes, etc.] contra perversorum injustitiam ex justitiæ auctoritate vindicare. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud quam tacendo terga præbuisse ? Qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit.

Cap. XVII. — *Væ his qui consuunt pulvillos* (*Ezech.* XIII, 18).

(Moral. lib. XVIII, c. 4, n. 8. Regul. III. past. part. c. 8. Mor. ibid.). Sunt nonnulli qui dum male facta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc per Ezechielem dicitur : *Væ hi qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus et fa*

cervicalia sub omni capite ad capiendas animas (*Ezech.* XIII, 18). Adhoc pulvillus ponitur, ut molliter quiescatur. Pulvillos itaque sub omni cubito manus ponere, est cadentes a sua rectitudine animas et in hujus mundi se delectatione reclinantes, blanda adulatione fovere. Quasi enim pulvillo cubitus vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correctionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum sub cubito vel capite jacentis ponit; ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc per eumdem prophetam scriptum est: *Ipse ædificabat parietem, et illi liniebant eum* (*Ezech.* XIII, 10). Parietis quippe nomine peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere; sed parietem liniunt qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perverse agentes ædificant isti adulantes quasi hitidum reddant.

CAP. XVIII. — *Mortificabant animas quæ non moriuntur* (*Ezech.* XIII, 19).

(Lib. II, hom. 26, in Evang. num. 5.) Solvendi et ligandi auctoritatem in Ecclesia suscipiunt qui regiminis sortiuntur gradum, et quia plerumque contingit ut hic judicii locum teneat cui ad locum vita non concordat, sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel ligatus ipse solvat alios. Sæpe in solvendis et ligandis subditis suæ voluntatis motum, non autem causarum merita sequitur. Sæpe erga quemlibet odio vel gratia movetur. Judicare vero digne de subjectis nequeunt qui in eorum causis vel sua odia, vel gratiam sequuntur. Unde per Ezechielem dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt* (*Ezech.* XIII, 19). Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi et solvendi potestas exercenda.

CAP. XIX. — *De tribus viris liberatis, Noe scilicet, Daniel et Job* (*Ad Ezech.* XIV, 14).

(Moral. lib. XXII, cap. 20; et hom. 4, lib. II, in Ezech. n. 5.) Post apostolos tres distinctiones in Ecclesiæ conversatione secutæ sunt: rectorum, continentium, et conjugatorum. Unde Ezechiel tres liberatos viros audisse se asserit, Noe scilicet, Daniel, et Job (*Ezech.* XIV, 14). Quid ergo [*Text.*, enim] per Noe qui arcam in undis rexit, nisi præpositorum ordo signatur, qui, dum ad formam populis præsunt, sanctam Ecclesiam in tentationum fluctibus regunt? Et quid per Danielem cujus mira abstinentia scribitur, nisi continentium vita figuratur, qui dum cuncta quæ mundi sunt deserunt, despectæ Babyloniæ alta mente dominantur? Quid per Job, nisi bonorum conjugum vita signatur, qui de rebus mundi quas possident, dum pia opera faciunt, quasi per terræ viam ad cœlestem patriam tendunt.

CAP. XX. — *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus* (*Ezech.* XVI, 4).

(Moral. lib. XXXII, c. 14, n. 20.) Seminarium luxuriæ feminis in umbilico continetur, sicut Ezechiel testatur; qui sub feminæ specie prostitutæ Judææ petulantiam increpans, ait: *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus* (*Ezech.* XVI, 4). In die quippe ortus umbilicum præcidere, est conversionis tempore carnis luxuriam resecare. Quia enim difficile est mala inchoata corrigere, et semel formata deformiter in melius reformare, de ortu suo Judæa reprehenditur, quæ dum in Deo nata est, impræcisum umbilicum retinuit, quia fluxa luxuriæ non abscidit.

CAP. XXI. — *Habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es* (*Ezech.* XVI, 15).

(In Reg. past. IV part.) Sub Jerusalem specie virtute superbiens anima reprobatur, cum per Ezechielem dicitur: *Perfecta eras in decore meo quem posueram super te, dicit Dominus: et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo* (*Ezech.* XVI, 15). Fiducia quippe suæ pulchritudinis animus attollitur, cum de virtutem meritis læta apud se securitate gloriatur. Sed per hanc eamdem fiduciam ad fornicationem ducitur, quia cum interceptam mentem cogitationes suæ decipiunt, hanc maligni spiritus per innumera vitia seducendo corrumpunt. Notandum vero quod dicitur: *Fornicata es in nomine tuo*, quia cum respectum mens superni Rectoris deserit, laudem protinus privatam quærit, et sibi arrogare incipit omne bonum, quod ut largitoris præconio serviret, accepit. Opinionis suæ gloriam dilatare desiderat, satagit ut mirabilis cunctis innotescat. In suo ergo nomine fornicatur quæ legalis thori connubium deserens, corruptori spiritui in laudis appetitu substernitur.

CAP. XXII. — *Aquila grandis magnarum alarum* (*Ezech.* XVII, 3).

(Moral. XXXI, c. 17, n. 34.) *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit* (*Ezech.* XVII, 3). Hæc aquila quis alius nisi Nabuchodonosor rex Babyloniæ designatur: quæ pro immensitate exercitus, magnarum alarum; pro diuturnitate temporum, longo membrorum ductu; pro multis vero divitiis, plena plumis; pro innumera autem terrenæ gloriæ compositione, plena varietate describitur. Quæ Judææ celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus quasi medullam cedri abstulit; et dum tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus evulsit.

CAP. XXIII. — *Dedi ei præcepta non bona* (*Ezech.* XX, 25).

(Moral. XXVIII, c. 18, n. 41.) Præcepta quæ rudi Judæorum populo et inchoanti Dominus dedit, ipse reprehendit per Ezechielem, dicens: *Ego dedi eis præcepta non bona* (*Ezech.* XX, 25). Mala enim quasi mala esse desinunt comparatione pejorum, et bona quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut pejus delinquenti Judææ de Sodoma et Gomorrha [*Text.*, atque Samaria] dicitur: *Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es* (*Ezech.* XVI, 51). Ita melioribus Testamenti novi præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur.

CAP. XXIV. — *Versa est mihi domus Israel in scoriam* (*Ezech.* XXII, 18).

(In pastor. Reg. III part. c. 13.) Captivo Israelitico populo nec tamen ab iniquitate converso per Ezechielem Dominus exprobrat, dicens: *Versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti in æs, stannum, ferrum, et plumbum versi sunt; quia non ad virtutem, sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt* (*Ezech.* XXII, 18). Æs quippe dum percutitur, amplius cæteris metallis sonitum reddit; qui igitur in percussione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est, in medio fornacis. Stannum vero cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur; qui igitur simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro vero utitur qui vitæ proximi sui insidiatur: ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis est gravius. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus a terrenis desideriis non levetur. Hinc per eumdem prophetam scriptum est: *Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem* (*Ezech.* XXIV, 6). Ignem quippe nobis tribulationis admovet, ut in nobis rubiginem vitiorum purget; sed nec per ignem rubiginem amittimus, quando et inter flagella vitio non caremus. Hinc propheta dicit [*Text.*, iterum]: *Frustra con-*

flavit conflator; malitiæ eorum non sunt consumptæ (*Jerem.* VI, 29).

CAP. XXV. — *In Ægypto subacta sunt ubera earum* (*Ezech.* XXIII, 3).

(In Reg. past. III part, c. 28.) Sub Judææ specie Dominus per Ezechielem corruptis in hoc mundo mentibus transactas culpas ad memoriam revocat, quatenus pollui in futuris erubescant, dicens: *In Ægypto subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum* (*Ezech.* XXIII, 3). In Ægypto ubera subiguntur, cum turpi hujus mundi desiderio humanæ mentis voluntas substernitur: in Ægypto pubertatis mammiæ franguntur, cum naturales sensus adhuc in seipsis integris pulsantis concupiscentiæ corruptione vitiantur.

CAP. XXVI.—*Sanguis in medio ejus* (*Ezech.* XIV, 7).

(Moral. XV, cap. 31.) Gravius est si quis justis potius quam peccatoribus noceat. Unde per Ezechielem dicitur: *Sanguis ejus in medio ejus est; super limpidissimam petram effudit illum, non autem super terram, ut possit operiri pulvere* (*Ezech.* XIV, 7). Per terram et pulverem peccatores, per petram vero limpidissimam justum significans, qui gravibus peccatorum contagiis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione justæ animæ grassatur. Cum ergo sit gravius justos quam injustos [*Text.* injuste] affligere, multo tamen gravius est, et justis pariter et injustis nocere.

CAP. XXVII. — *Tu signaculum similitudinis Dei* (*Ezech.* XXVIII, 12).

(Moral. lib. XXXII, c. 23, n. 47, 48.) Angelo qui primus conditus per Ezechielem dicitur: *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia et perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII, 12). Multa de ejus magnitudine locuturus, primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, si signaculum similitudinis Dei fuit? De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum similitudinis Dei dicitur; ut quo subtilior est natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Hinc est quod primatus ejus potentiam adhuc insinuans, idem propheta subjungit: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum; sardius, topasius, jaspis, chrysolitus, onix, et berillus, saphyrus, carbunculus, et smaragdus* (*Ibid.* 13). Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines angelorum. Nam cum per sacra eloquia angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubim et seraphim aperta narratione memorantur, superiorum civium quantæ sint distinctiones ostenditur. Quibus tamen primus angelus opertus fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. De cujus illic adhuc descriptione subjungit: *Aurum opus decoris tui, et foramina in die qua conditus es, præparata sunt* (*Ibid.*). Aurum opus decoris ejus exstitit, quia sapientiæ claritate canduit quam bene creatus accepit. Foramina vero idcirco in lapidibus fiunt, ut vinculati auro in ornamenti compositione jungantur, et nequaquam a se dissideant quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. Hujus ergo lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus; qua si repleri voluisset, stantibus angelis tanquam positis in regis ornamento lapidibus, potuisset inhærere. Si enim charitatis auro se penetrabilem præbuisset, sanctis angelis sociatus in ornamento regi [*Text.*, regio] lapis fixus remaneret: habuit ergo lapis iste foramina, sed superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadant, ideo iste cecidit, quia etiam A perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contempsit. Nunc vero cæteris lapides qui huic similiter erant perforati, penetrante se invicem charitate, ligati sunt, et hoc in munere isto cadente meruerunt, ut nequaquam jam de ornamento regio cadendo solvantur. Hujus principatus celsitudinem adhuc idem propheta intuens, adjunxit: *Tu Cherub extentus et protegens in monte sancto Dei: in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti* (*Ibid.* 14). Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur. Et idcirco iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur. Qui in medio lapidum ignitorum perfectus ambulavit, quia inter angelorum corda charitatis igne succensa clarus conditionis gloria exstitit. Quem bene extentum et protegentem dicit; omne enim quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ obumbrasse cæterorum claritatem creditur, ipse extentus et protegens fuisse perhibetur. Reliquos quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majore transcendit. B Nam cum Deus cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem reddidit. Hujus etiam primatus eminentiam adhuc idem propheta inspiciens, ait: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus. Platani non fuerunt æquæ frondibus ejus; omne lignum paradisi Dei non est assimilatum ei et pulchritudini ejus, quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus* (*Ezech.* XXXI, 8). Quinamque accipi in cedris, abietibus, et platanis possunt, nisi illa virtutum cœlestium proceræ celsitudinis agmina, in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ, quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Qui speciosus factus in multis condensisque frondibus esse dicitur, quia prælatum cæteris legionibus tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta et supposita angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum C spirituum legiones accendit. Qui et idcirco peccans sine venia est damnatus, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.

CAP. XXVIII. — *Quo pulchrior es, descende et dormi cum incircumcisis* (*Ezech.* XXXII, 19).

(Reg. pastor. IV part.; Moral. lib. XXIV, cap. 3.) Extollenti se animæ per Ezechielem dicitur: *Quo pulchrior es, descende et dormi cum incircumcisis* (*Ezech.* XXXII, 19). Ac si aperte diceretur: Quia ex virtutum decore te elevas: ipsa tua pulchritudine impelleris, ut cadas. Omnis enim qui fœditatem infirmitatis suæ considerare negligit, sed per elationis fastum virtutis suæ gloriam attendit, unde pulchrior est, inde descendit: quia extollendo se de suis meritis, inde in ima interius [*Text.*, interitus] corruit, unde gloriosum se esse judicavit. Qui descendens cum incircumcisis dormit, quia in æterna morte cum cæteris peccatoribus deficit.

D CAP. XXIX. — *Ibi Assur et omnis multitudo ejus* (*Ezech.* XXXII, 22).

(Moral. IX, c. 60, n. 102 et 103; c. 65, n. 97.) Infinite patens inferni barathrum devorabit quos nunc elatio exaltat inanis; et qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleverunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perveniunt. Et quamvis angelorum et hominum longe sit natura dissimilis, una tamen pœna implicat quos unus in crimine reatus ligat. Quod breviter insinuat Ezechiel, qui ait: *Ibi Assur et omnis multitudo ejus, et in circuitu ejus sepulchra illius* (*Ezech.* XXXII, 22). Quis namque Assur superbi regis nomine, nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur? Qui pro eo quod multos ad culpam pertrahit, cum cuncta sua multitudine ad inferni claustra descendit. Sepulcra autem mortuos tegunt. Et quis alius mortem acrius pertulit, quam is qui Conditorem suum despiciens vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cum humana

corda suscipiunt, ejus procul dubio sepulcra fiunt. Sed in circuitu ejus sepulcra illius sunt, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta conjungit. Et quoniam nunc in se ipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulcra cum mortuis ardebunt. Tunc edax flamma comburet, quos nunc carnis delectatio polluit. Et in corde et in corpore pœnas sentient, qui pravis suis delectationibus ex utroque serviebant, dum hic viverent. Unde per eumdem prophetam dicitur : *Descenderunt ad infernum cum armis suis* (*Ibid.* IX, 27). Arma quippe peccantium, sunt membra corporis quibus perversa desideria quæ concipiunt exsequuntur. Unde per Paulum dicitur : *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Rom.* VI, 13). Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris quibus desideria voluptatis expleverunt æterni judicis tormenta tolerare; ut tunc eos undique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi, undique contra justitiam juste judicantis pugnant.

CAP. XXX. — *Quod fractum est non alligastis* (*Ezech.* XXXIV, 4).

(In Reg. past. II part., c. 6.) Pastores per Ezechielem Dominus increpat, dicens : *Quod fractum est non alligastis; et quod abjectum non reduxistis* (*Ezech.* XXXIV, 4). Abjectus reducitur, cum quisque in culpa lapsus ad statum justitiæ, ex pastoralis sollicitudinis vigore, revocatur. Fracturam vero ligamen adstringit, cum culpam disciplina deprimit : ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur cum fractura incaute colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Unde necesse ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur, quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat.

CAP. XXXI. — *Cum austeritate imperabatis* (*Ezech.* XXXIV, 4).

(Moral. XXIII, cap. 13.) Hoc proprium arrogantes pastores habent, ut humiliter nesciant inferre quod docent; et apud se ut [*Text. add.* in] quodam summitatis culmine residentes, longe infra se positos velut in imo respiciunt quos docent, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Recte autem his per Ezechielem Dominus dicit : *Vos autem cum austeritate imperabatis eis et cum potentia* (*Ezech.* XXXIV, 4). Cum austeritate autem et cum potentia imperant, quia subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinant.

CAP. XXXII. — *Cum limpidissimam aquam biberetis* (*Ezech.* XXXIV, 19).

(In Reg. past. I part., c. 2.) Sunt nonnulli pastores qui solerti cura spiritualia præcepta perscrutantur, sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Repente docent quæ non opere, sed meditatione didicerunt; et quod verbis prædicant, moribus impugnant. Hinc per Ezechielem Dominus contra contemptibilem pastorum scientiam queritur, dicens (*Ezech.* XXXIV, 19) : *Cum* [Text. add. *ipsi*] *limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis; et oves meæ, quam pedes vestri turbaverant, hanc bibebant* [Text., *et oves meæ quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, et quæ*]. Aquam vero limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt; sed eamdem aquam pedibus perturbare est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum pedibus turbatam oves bibunt, cum subjecti ea ad exemplum vivendi appetunt, quæ prælati pravo opere pervertunt; nec sectantur verba quæ audiunt, sed sola pravitatis exempla imitantur quæ conspiciunt; qui cum dicta sitiunt, quia per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Hinc rursum de malis pastoribus per eumdem prophetam Dominus dicit : *Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis* (*Ezech.* XLIV, 12). Nemo quippe in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplum vehementer culpa extenditur, quoniam [*Text.*, quando] pro reverentia ordinis peccator honoratur. Unde fit ut cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur.

CAP. XXXIII. — *Tollam vobis cor lapideum* (*Ezech.* XXXVI, 26).

(Moral. X, cap. 14.) Quibusdam per Ezechielem Dominus misericorditer dicit : *Tollam vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XXXVI, 26). Cor lapideum tollit, cum a nobis superbiæ duritiam subtrahit; et cor carneum tribuit, cum eamdem nostram protinus duritiam ad sensibilitatem vertit. Quia qui humilitatis viscera gestat, cum sagitta divinæ formidinis penetrat. Quisquis vero pertinacia insensibilitatis obdurescit, quasi cor lapideum gerit [*Text.*, firmat], ne hoc confodiant jacula superni timoris.

CAP. XXXIV. — *De calamo in manu viri* (*Ad Ezech.* XL, 5).

(Moral. lib. XXX, c. 16, n. 53.) Nequaquam in hoc mundo contemplatio perficitur, quamvis ardenter inchoetur; quod per Ezechielem (IV, 5) congruenter exprimitur, qui pro mensura civitatis in monte conditæ, in manu viri calamum sex cubitorum et palmi se vidisse testatur : in monte quippe electorum Ecclesia sita est, quia fundata in infimis desideriis non est. Quid vero per cubitum, nisi operatio? Quid per senarium numerum, nisi operationis perfectio designatur, quia et sexto die cuncta opera Dominus explesse memoratur? Quid ergo super sex cubitos palmus insinuat, nisi contemplationis vim, quæ jam initia æternæ et septimæ quietis demonstrat? Quia enim æternorum contemplatio hic minime perficitur, mensura cubiti septimi non expletur. Electorum itaque Ecclesia, quia cuncta quæ operanda sunt perficit, in sex cubitis sese in monte posita civitas ostendit. Quia vero hic adhuc initia contemplationis inspicit, de septimo cubito nonnisi palmum tangit.

CAP. XXXV. — *Terra usque ad fenestras et fenestræ clausæ* (*Ezech.* XLI, 16).

(Lib. I, hom. 11 in Ezech. 41, num. 26.) Ezechiel templum in monte positum videns, quæ in eodem conspexit inter cætera narrat, dicens : *Terra usque ad fenestras, et fenestræ clausæ.* Paulus apostolus dicit, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). In hoc templo fenestræ sacerdotes et speculatores sunt, qui in populo fidelium lumen prædicationis sanctæ fundunt : sed cum terra usque ad fenestras est, fenestræ clausæ sunt; quia cum terrena cogitatio in sacerdotum cordibus excrescit, fenestræ lumen non funduut, quia sacerdotes ab officio prædicationis obtumescunt. Loqui enim de Deo quietæ multum et liberæ mentis est.

CAP. XXXVI. — *Ostende domui Israel templum* (*Ezech.* XLIII, 10).

(Moral. lib. XXIV, c. 8, n. 18.) Quicunque perduci ad summa desiderant, necesse est ut meliorum provectibus intendant; quatenus tanto districtius in se culpas confusione intima ulciscente judicent, quanto in illis altius quod admirentur vident. Unde per Ezechielem dicitur : *Fili hominis, ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, et erubescant ex omnibus quæ fecerunt* (*Ezech.* XLIII, 10). Templum quippe Dei filiis Israel ad confusionem ostenditur, cum unius cujusque justi anima quam inspirando Deus anhelat, quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suam peccatoribus demonstratur; ut in illa bonum quod negligunt videant, et in seipsis malum quod operantur erubescant. Metiri vero fabricam est pensare subtiliter

justorum vitam; sed dum metimur fabricam, necesse est ut ex cunctis quæ fecimus erubescamus, quia bonorum vitam quanto subtilius pensando discutimus, tanto severius in nobis omnia inique gesta reprobamus. Bene autem prophetæ dicitur ut ostendat templum; quia enim justorum rectitudinem peccator considerare dissimulat, saltem hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere est sponte sua considerare nolentibus rectorum opera narrare.

CAP. XXXVII. — *De fossa in altari Dei* (*Ad Ezech.* XLIII, 13).

(In Reg. past. III part., c. 9.) Cum patientia relinquitur, etiam bona reliqua quæ jam gesta sunt destruuntur. Unde bene ad Ezechielem esse in altari Dei fossa perhibetur [*Text.*, præcipitur], ut in ea holocausta superposita serventur. Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Dei, nisi animam justi, quæ quot bona B ægerit, tot super se ante ejus oculos sacrificia imponit? Quid autem est altaris fossa, nisi bonorum patientia, quæ dum mentem adversa tolerando humiliat, quasi more foveæ [*Text. add.* hanc] in imo positam demonstrat. Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat : id est, electorum mentem patientia custodiat, ne commota vento impatientiæ, et hoc quod bene operata est amittat. Bene ergo hæc eadem fossa unius cubiti esse monstratur, quia nimirum si patientia non deseritur, unitatis mensura servatur. Unde et Paulus dicit : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Lex Christi est charitas unitatis, quam soli perficiunt, qui nec cum gravantur excedunt.

CAP. XXXVIII. — *Sacerdotes ad populum exterius egredientes* (*Ezech.* XLIV, 17).

(Lib. I, hom. 11; in Ezech., num. 28.) Nihil tam onerosum est in ordine sacerdotum, quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis super- C venientibus animum mutare; et tamen hoc valde est necessarium. Nam quando ex prædicatione ejus ad boni operis gratiam peccator reducitur, ipse qui prædicat videtur ingratus. Unde per Ezechielem dicitur ut sacerdotes qui intrinsecus ministrant, vestibus laneis non utantur. De quibus subditur : *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimenta sua, in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarii* (*Ezech.* XLIV, 17). Grossiora quippe sunt vestimenta lanea. Sed cum sacerdos ad sanctum ministerium accedit, cum intus per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est quasi lineo vestimento induatur. Sed cum ad populum foras egreditur, oportet ut vestimenta in quibus intrinsecus ministraverat, reponat, et populo aliis vestibus indutus appareat. Quia si in compunctionis suæ rigore se teneat, si in eo quem orationis tempore habuit mœrore perduret, exteriorum rerum verba suscipere non admittit. Et quid grex de neces- D sariis faciat, si audire et perpendere hoc quod præsens tempus exigit pastor recusat? Grossiora ergo indumenta sacerdos exiens ante populum induat, ut mentis suæ habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat. Pensandum vero est, quantus sacerdoti labor sit ad sublimia cor tendere, et hoc repente ad ima revocare, et in sublimitate cogitationis intimæ extenuare animum, et propter exteriores proximorum causas, ut ita dicam, subito in cogitatione grossescere.

CAP. XXXIX. — *Sacerdotes caput non radent* (*Ezech.* XLIV, 20).

(Lib. I. ep. 25.) Sollicitudo quæ a pastoribus subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur; ne dum cura ab eis exterior agitur, ab interna intentione mergantur. Unde bene ad Ezechielem dicitur : *Sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondeant capita sua* (*Ezech.* XLIV, 20). Sacerdotes jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatum præbeant, fidelibus præsunt. Capilli vero in capite, exteriores sunt cogitationes in mente : qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis designant, quæ ex sensu negligenti quia importune aliquando redeunt (*Text.*, prodeunt], quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Ubi et bene dicitur : *Tondentes tondeant capita sua*. Ut videlicet curæ temporalis sollicitudinis in quantum necesse est prodeant, et tamen rescindantur citius ne immoderatius excrescant. Dum igitur et per administratam exteriorem providentiam corporum vita protegitur, et rursus per moderatam administrationem alta cordis intentio non impeditur, capilli in capite sacerdotis et servantur, ut cutem cooperiant, et resecantur ne oculos claudant.

CAP. XL. — *Mensus et cubitos mille* (*Ezech.* XLVII, 3).

(Moral. XXII, c. 20, n. 50.) Ezechiel de eo viro quem in excelsum montem viderat, figurata locutione denuntiat, dicens : *Mensus est cubitos mille, et transduxit me per aquam usque ad talos; rursusque mensus est mille, et transduxit me per aquam usque ad genua. Et mensus est mille, et transduxit me per aquam usque ad renes. Mensus est mille torrentemque non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ torrentis profundi qui non potest transvadari* (*Ezech.* XLVII, 35). Quid millenario numero, nisi collati muneris plenitudo signatur? Vir itaque qui apparuit, mille cubitos metitur, et propheta usque ad talos per aquam dicitur, quia Redemptor noster cum nobis ad se conversis boni exordii plenitudinem tribuit, dono spiritualis sapientiæ prima nostri operis vesti- C gia infundit. Aquam quippe usque ad talos venire, est jam nos per acceptam sapientiam desideratæ rectitudinis vestigia tenere. Qui rursum mille metitur, et propheta usque ad genua per aquam ducitur, quia cum boni operis plenitudo tribuitur, ad hoc usque nostra sapientia augetur. Hinc namque per Paulum dicitur : *Genua dissoluta erigite, et rectos gressus facite pedibus vestris* (*Hebr.* XXI, 12). Aqua ergo ad genua pervenit, cum nos percepta sapientia perfecte ad boni operis rectitudinem stringit. Qui iterum metitur mille, et propheta per aquam usque ad renes ducitur, quia tunc in nobis plenitudo operis excreseit, cum in nobis percepta sapientia omnem quoque, in quantum est possibile, delectationem carnis exstinxerit. Nisi enim carnis delectatio in renibus esset, Psalmista non dixisset : *Ure renes meos et cor meum* (*Psal.* XXV. 2). Aqua igitur ad renes venit cum dulcedo sapientiæ etiam incentiva carnis interimit; ut ea quæ mentem urere poterant delectationis incendia, frigescant. Qui adhuc mensus est mille, D torrentem videlicet quem propheta pertransire non potuit, de quo etiam dicitur, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis qui non potest transvadari : perceptam namque perfectione operis, ad contemplationem venitur. In qua contemplatione dum mens in altum ducitur sublevata, videt in Deo quia non potest penetrare quod videt, et quasi tangit aquam torrentis quem pertransire non valet. Et quia intuetur speculando quod libeat, et tamen hoc ipsum perfecte non valet intueri quod libet, propheta quoque ad aquam quandoque pervenit quam non pertransit; quia ad contemplationem sapientiæ eum ad extremum ducimur, ipsa ejus immensitas quæ ex se hominem sublevat, ad se humano animo plenam cognitionem negat, ut hanc et tangendo amet, et tamen pertranseundo nequaquam penetret. Ipsa itaque sapientia quæ esse bonorum operum solet magistra, anhelanti menti per incrementa tribuitur, ut ad eam

proculdubio magni moderaminis gradibus ascendatur; præstante et auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SEXTUS.

De Testimoniis in Danielem prophetam.

CAPUT PRIMUM. — *De dura vita in domo regis (Ad Dan.* I).

(Moral. l. XXX, cap. 10, n. 39.) Si internæ scientiæ dulcedinem quærimus, nec tamen ejus secreta contingere prævalemus, Danielis vitam ad imitandam memoriæ revocantes conspiciamus, et desiderandum scientiæ culmen apprehendamus. Ille quippe qui postmodum voce angelica pro cognitionis internæ concupiscentia vir desideriorum dicitur, prius in aula regia, carnis in se desideria edomuisse memoratur, ut nihil ex delectabilibus cibis attingeret, sed lautis et mollioribus duriora et aspera cibaria præferret: ut dum sibi exterioris cibi blandimenta subtraheret, ad interni pabuli delectamenta perveniret, et tanto avidius gustum sapientiæ intus acciperet, B quanto saporem carnis pro eadem sapientia foras [*Text.*, foris] robustius repressisset. Si enim a carne hoc quod libet abscindimus, mox in spiritu quod delectat invenimus. Intentioni quippe animæ si exterior vagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se intendere per provectum potest.

CAP. II. — *De succensa fornace (Ad Dan.* III).

(Moral. lib. XXX, c. 18, n. 59; lib. IX, c. 66, n. 102.) Charitas in Daniele, quia a regis dapibus gulam compescuit, ei esurientium ora leonum clausit. Et quia ei sociisque ejus in tranquillitate positis incendia vitiorum subdidit, tribulationis tempore et flammas in fornace temperavit. Nam cum rex Babyloniæ succendi fornacem juberet, naphtæ, stupæ, picis, et malleoli ministrari congeriem præcepit, sed tamen abstinentes pueros hoc igne minime consumpsit. Similiter antiquus hostis licet innumeras ciborum C concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis exsecat, bonis tamen mentibus superni spiritus gratia insibilat, et a carnalis concupiscentiæ artibus illæsæ perdurant; ut et si ad tentationem cordis flamma ardeat, usque ad consensum tamen tentatio non exurat. Mira igitur dispensatione Conditoris, qualitas ignis in diversa virtute temperata, et vestimenta non attigit, et vincula incendit. Sanctisque viris ad inferendum tormentum flamma friguit, et ad solutionis ministerium exarsit.

CAP. III. — *Nonne hæc est Babylon quam ædificavi (Dan.* IV, 27).

(Reg. pastor. I part., cap. 4; lib. XXXIV, c. 23; lib. V, c. 2.) Sæpe qui in potestate sunt, ea quæ recte faciunt, quia elate cogitant, amittunt. Et quia in cogitatione se elevant, in se iram judicis provocant; et licet lateat homines quid apud se agant, tamen Deo judice teste peccant. Neque enim rex Babyloniæ tunc reus de elatione exstitit, cum ad D elationis verba pervenit: quippe qui ore propheticо et ante eum ab elatione tacuit, sententiam reprobationis audivit. Culpam namque perpetratæ superbiæ jam ante detersit, qui omnipotentem Deum quem se offendisse reperit, cunctis sub se gentibus prædicavit. Sed quia nonnunquam mens ad tantam elationem ducitur, ut in eo quod timet per ostentationem locutionis effrenetur: post hoc successu suæ potestatis elevatus, dum magna se fecisse gauderet, cunctis prius in cogitatione se prætulit et post hæc adhuc tumidus, dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, et in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei* (*Dan.* IV, 27)? Quæ vox illius vindictam iræ aperte pertulit, quam occulta elatio accendit. Nam districtus judex prius invisibiliter videt, quod publice feriendo deprehendit. Nam cum adhuc esset sermo in ore regis, vox de cœlo ruit: *Tibi dicitur, Nabuchonodosor rex, regnum tuum transiet a te, et ab omnibus te ejicient, et cum bestiis erit habitatio tua. Fenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te* (*Ibid.*, 28 *seqq.*). Ecce quia tumor mentis usque ad aperta verba se protulit, patientia judicis se protinus usque ad sententiam erupit; tantoque hunc districtius perculit, quanto ejus se superbia immoderatius erexit. Et quia enumerando bona, dixit in quibus sibi placuit, enumerata mala in quibus feriretur audivit. Unde et in irrationale animal hunc vertit, ab humana societate separavit, agri bestiis, mutata mente, conjunxit; ut districto justoque judicio homo quoque esse perderet, qui magnum se ultra homines æstimasset. Quod ergo factus fuerat perdidit, qui humiliter noluit dissimulare quod fecit; et quia elatione cogitationis se super homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis amisit. Ut igitur cujuslibet prælati facta digniora sint, necesse est ut ei apud se semper indigna videantur; ne eadem bona actio cor agentis sublevet, et sublevando plus actorem de elatione dejiciat, quam ipsos quibus impenditur juvet.

CAP. IV. — *Thronus Dei flamma ignis (Dan.* VII, 9).

(Lib. I, hom. 5 in Ezech., num. 10.) De pastoribus et prædicatoribus per Danielem dicitur: *Thronus Dei flamma ignis et rotæ ejus ignis accensus* (*Dan.* VII, 9). Hi enim qui animarum custodes sunt, et pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia in uno loco positi divinitatis in se præsentiam portant et ardent, thronus Dei C flamma ignis dicitur. Hi autem qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ ejus ignis ardens sunt; quia cum ex desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent, et alios incendunt.

CAP. V. — *Millia millium ministrabant ei (Dan.* VII, 10).

(Moral. lib. XVII, c. 13, n. 18; lib. II, c. 3, n. 3.) De electis angelis obtutibus divinæ majestatis inservientibus per Danielem dicitur: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII, 10). Aliud est assistere, aliud est ministrare; assistunt enim illæ Potestates procul dubio quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt: ministrant vero hi qui ad explenda officia nuntiorum veniunt. Et quia plures sunt qui ministrant quam qui principaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero indefinitus ostenditur. De his ergo voce Veritatis dicitur: *Angeli eorum semper vident in cœlis faciem Patris mei* (*Matth.* VIII, 10). Sed cum de illis per Paulum dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Heb.* I, 14). Quomodo aut semper assistere, aut semper videre faciem Patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur. Quod tamen citius solvimus, si quantæ subtilitatis sit angelica natura pensamus. Neque enim sic a divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis priventur gaudiis: quia si Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera annuntiare possent, fontemque lucis quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent. In hoc itaque est [*Text. add.* nunc] angelica

natura a naturæ nostræ conditione distincta, quod nos [*Text. add.* et] a loco circumscribimur, et cæcitatis ignorantia coarctamur : angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo distenti sunt quod ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaque scientia comparatione nostræ valde dilatata est, sed tamen comparatione divinæ scientiæ angusta, sicut ipsi illorum spiritus comparatione nostrorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi et incircumscripti spiritus, corpus. Et mittuntur igitur et assistunt, quia et per hoc quod circumscripti sunt exeunt, et per hoc quod intus quoque præsentes sunt nunquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, et tamen ad nos veniunt : quia et ad nos spirituali præsentia foras exeunt, et tamen ibi se unde recesserant per internam contemplationem servant.

Cap. VI. — *Dejecit de fortitudine* (*Dan.* VIII, 10).

(**Moral. XXXII, c. 15, n. 26; lib. XXXIV, c. 2, n. 2.**) Sub Antiochi specie de Antichristo loquitur Daniel, dicens : ***Dejecit de fortitudine et de stellis, et conculcavit eas, et usque ad principem fortitudinis magnificatus est, et ab eo abstulit juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est ei contra juge sacrificium, propter peccata, et prosternetur veritas in terra, et faciet et prosperabitur*** (*Dan.* VIII, 10, 11, 12). De fortitudine et de stellis dejicit, cum nonnullos et luce justitiæ splendentes et virtute operis robustos frangit. Qui usque ad principem fortitudinis magnificatur, quia contra ipsum actorem [*Text.*, auctorem] virtutis extollitur. Juge ergo sacrificium tollit, quia studium conversationis Ecclesiæ, in eis quos ceperit, interrumpit. Robur vero propter peccata contra juge sacrificium ei datur, quia nisi pereuntium merita exigerent, eos qui recti credebantur obtinere adversarius non posset. Veritas in terra prosternitur, quia tunc fides rerum cœlestium ad desiderium vitæ temporalis inclinatur. *Et faciet et prosperabitur* : quia tunc non solum in reproborum mentibus, sed etiam in electorum corporibus crudelitate inæstimabili, sine qualibet objectione grassabitur. Hinc rursus per Danielem dicitur : *Et roborabitur fortitudo ejus ; sed non in viribus suis* (*Ibid.*, 23). Illius namque hominis fortitudo non in suis viribus roboratur, quia Satanæ virtute in gloriam perditionis attollitur. Hinc rursum ait : *Interficiet robustos et populum Sanctorum secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu ejus* (*Ibid.*, 24, 25). Robustos quippe interficit cum eos qui mente invicti sunt, corporaliter vincit; vel certe robustos et populum sanctorum secundum voluntatem suam interficit, cum eos qui robusti et sancti credebantur, ad nutum suæ voluntatis trahit, in cujus manu dolus dirigitur. Quia quidquid callide machinatur, etiam cum virtute potentiæ secularis exsequitur. Dolus quippe in manu ejus est fraus in virtute : quia omne quod nequiter volet, hoc ad tempus exsequi etiam fortiter potest. Dolus vero ejus dirigi dicitur, quia fraudis ejus malitia nulla difficultate præpeditur. Vel certe dolus in manu ejus dirigetur; quia in illo fraus per opus adjuvatur. Quod enim fallendo dicit, hoc mira faciendo asserit. Nam quidquid lingua mendax simulat, hoc quasi verum esse manus operis tentans ostentat. Hinc rursum cum Daniel bestiam quartam diceret decem cornibus fultam, adjunxit, dicens : *Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus ; et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia* (*Dan.* VII, 8). Undecimum quippe hujus bestiæ cornu esse describitur, quia regni ejus potentia in dignitate roboratur. Omne enim peccatum undenarium est, quia dum perversa agit, præcepti Decalogum transit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est quod in tabernaculo vela cilicina undecim fiunt. Hinc Petrus in undenario numero Apostolos remanere metuens, et signari culpam per undenarium cernens, implere numerum Apostolorum duodenario, Matthiam duodecimum sorte missa apponens curavit [*Text.*, requisivit]. Quia ergo per undenarium transgressio exprimitur, hujus bestiæ cornu undecimo ipse transgressionis auctor demonstratur : quod videlicet parvulum oritur, quia purus homo generatur. Sed immaniter crescit, quia usque ad conjunctam sibi vim angelicæ fortitudinis proficit. Quod tria cornua quæ ei ante faciem sunt evellit : quia ditioni suæ regna totidem quæ sibi vicina sunt subigit. Cujus oculi sunt ut oculi hominis, sed os super omnes ingentia loquitur, quia in illo humana forma cernitur, sed verbis suis ultra homines elevatur. Sicut per Paulum dicitur : *Qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thess.* II, 4). Tota enim virtus diaboli in illo uno damnato homine congeretur, ut tanto per illum fortia et mira faciat, quanto illum collectis suis viribus instigat, qui in omni fastu fallaciæ et virtutis robore et culminis elatione prosperabitur. De eo iterum Daniel dicit : *Contra principem principum consurget, et sine manu conteretur* (*Dan.* VIII, 25). Hoc idem Paulus dicit : *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus* (*II Thess.* II, 4). Sine manu vero conteretur, quia non angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per adventum judicis solo oris spiritu æterna morte ferietur. Sicut per Paulum dicitur : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (*Ibid.*, 3).

Cap. VII. — *Et ego elangui et ægrotavi* (*Dan.* VIII, 27).

(Dialog. l. III, cap. 24; lib. I, hom. 8, in Ezech., num. 19.) Cum Daniel magnam et terribilem visionem vidisset ex qua contremuit, protinus adjunxit : *Et ego elangui et ægrotavi per dies plurimos* (*Dan.* VIII, 27). Caro quippe ea quæ sunt spiritus capere non valet, et idcirco nonnunquam cum mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est ut hoc carneum vasculum quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur. Vel certe videns sublimem visionem, per plurimos dies elanguit et ægrotavit, quia hi qui in virtutibus fortes sunt, cum altiora Dei conspiciunt, in sua sibi æstimatione infirmi et imbecilles fiunt.

Cap. VIII. — *Audivi vocem verborum, et audiens, jacebam consternatus* (*Dan.* X, 9).

(Moral. XXII, c. 20, n. 47.) Daniel propheta, loquente ad se Domino, dum positionem sui corporis nobis insinuare studuit, meritorum incrementa signavit. Ait enim : *Audivi vocem verborum ejus : et audiens, jacebam consternatus super faciem meam ; vultusque meus hærebat terræ : et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum, et dixit ad me : Daniel, vir desideriorum, intellige verba quæ loquor ad te, et sta in gradu tuo : nunc enim missus sum ad te. Cumque dixisset mihi sermonem hunc, steti tremens, et ait ad me : Noli metuere* (*Dan.* X, 9, 12). Quam videlicet positionem sui corporis, dum verba intrinsecus loquentis audiret, nequaquam nobis tanta cura exprimeret, si a mysteriis vacuam cognovisset. In Scriptura enim sacra justi viri non solum quæ dicunt prophetia est, sed etiam plerumque quod agunt. Vir etiam sanctus internis mysteriis plenus, per positionem quoque corporis virtutem exprimit vocis. Et per hoc quod primum in terra prostratus jacuit, per hoc quod se postmodum in manuum suarum articulis et in genibus erexit, per hoc quod ad extremum erectus et tremens constitit, in seipso nobis omnem ordinem nostri provectus innotescit. Verba enim Dei in terra jacentes audimus, cum in peccatis positi, terrenæ pollutioni conjuncti, sanctorum voce spiritualia præcepta cognoscimus. Ad ejus præcepta quasi super genua et super manuum nostrarum articulos erigi-

mur, quia a terrenis contagiis recedentes, quasi jam ab infimis ventrem [*Text.* mentem] levamus. Sicut enim totus terræ inhæret qui consternatus jacet, ita qui in genibus et manuum suarum articulis incurvatur, inchoante provectu, ex magna jam parte a terra suspenditur. Ad extremum vero voce dominica erecti quidem, sed trementes assistimus, cum a terrenis desideriis perfecte sublevati, verba Dei quo plenius cognoscimus, plus timemus : adhuc enim quasi in terra jacet, qui ad cœlestia erigi terrenorum desideriis negligit. Quasi sublevatus autem adhuc in genibus et in manibus incumbit qui quædam jam contagia deserit, sed quibusdam adhuc terrenis operibus non contradicit : jam vero ad verba Dei erectus assistit, qui perfecte mentem ad cœlestia [*Text.* sublimia] erigit, et per immunda desideria incurvari contemnit. Bene vero trementem se stetisse indicat, quia examen subtilitatis internæ quo plenius ad illud proficiscitur, plus formidatur. Ubi apte divina voce subjungitur : *Noli metuere;* quia cum plus ipsi quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus : quatenus et contemptus noster paulisper transeat in timorem, et timor transeat in charitatem. Ut quia quærenti nos Deo per contemptum resistimus, per timorem fugimus, et contemptu quoque et timore postposito solo ei amore jungamur. Paulisper enim etiam timere dediscimus, eique vi solius dilectionis inhæremus [*Text.* timorem ejus discimus, cujus | solius dilectioni inhæremus]. Appositis igitur quasi quibusdam gradibus provectus nostri, mentis pedem prius per timorem in imo ponimus, et post propter charitatem ad alta amoris levamus : ut et ab eo quod quisque tumet, reprimatur ut timeat; et ab eo quod jam timuit, sublevetur ut præsumat.

Cap. IX. — *Ego veni propter sermones tuos* (*Dan.* x, 13).

(Moral. xvii, c. 12, n. 17.) Libet inquirere si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per Angelum Danieli dicitur : *Ego veni propter sermones tuos, princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus. Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi* (*Dan.* x, 13). Et paulo post : *Nunc revertar ut prælier adversum principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum adveniens* (*Ibid.*, 20). Quos itaque alios principes gentium, nisi angelos vocat qui sibi resistere exeunti potuissent? Quæ ergo pax esse in sublimibus potest, si inter ipsos quoque angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? Sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata, cum subjectorum mores adversum se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur : is enim angelus qui Danieli loquebatur captivis Israelitici populi in Perside constitutis prælatus agnoscitur. Michael autem eorum qui ex eadem plebe in Judæa remanserant, præpositus invenitur. Unde ab hoc eodem angelo paulo post Danieli dicitur : *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester* (*Ibid.*, 21). De quo et hoc quod præmisimus, dicitur : *Ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi.* Qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adjutorium dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur, qui captus in alia parte tenebatur. Quid est ergo angelum dicere : *Ego veni propter sermones tuos, princeps vero Persarum restitit mihi*, nisi sua subditis opera nuntiare? Ac si aperte dicat : Precum quidem tuarum merita exigunt, ut Israeliticus populus a jugo suæ captivitatis exuatur; sed est adhuc quod in eodem populo Persarum dominio purgari debeat, unde de ereptione illius Persarum princeps mihi jure contradicat. Quamvis preces tuas eorum quoque lacrymæ qui in Judæa relicti sunt, adjuvent. Unde hoc quoque quod diximus, adjungit : *Michael princeps vester venit in adjutorium mihi.* Cumque ut adversum Persarum principem prælietur egreditur, Græcorum sibi princeps apparet adveniens; qua ex re innuitur quod adversum Græcos quoque Judæa aliquid commiserat, quorum profecto causa ereptioni illius resistebat. Prophetæ igitur preces angelus exaudit; sed Persarum princeps resistit, quia et si jam vita justi deprecantis ereptionem populi exigit, ejusdem tamen populi adhuc vita contradicit; ut quia nec plene hi qui in captivitatem fuerant ducti purgati sunt, jure eis adhuc Persæ dominentur. Michael adjuvat, sed Græcorum princeps ad prælium venit : quia mereri quidem veniam tam longa oppressorum captivitas poterat, sed ereptionis eorum beneficio, hoc quoque quod in Græcos deliquerant, obviabat. Recte ergo dicitur quod contra se angeli veniunt, quia subjectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam pro injuste agentibus decertant, sed eorum facta juste judicantes examinant. Cumque uniuscujusque gentis vel culpa vel justitia ad supernæ curiæ consilium ducitur, ejusdem gentis præpositus, vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur : quorum tamen omnium una victoria est et sui super se opificis voluntas summa; quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent nunquam volunt.

Cap. X. — *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* xii, 4).

(Lib. ii, hom. 4, in Ezech., n. 12.) Sciendum nobis est, quod per incrementa temporum crevit scientia spiritalium patrum; plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetæ quam Moyses, plus apostoli quam prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt; Daniele attestante, qui ait : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* xii, 4). Ad Moysen Dominus dicit : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* vi, 3). Ecce plus Moysi quam Abraham innotuerat, qui illud de se Moysi indicat quod se Abrahæ non indicasse narrabat. Prophetæ etiam plus quam Moyses divinam scientiam apprehendere potuerunt, Psalmista teste, qui ait : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est;* et subjungit : *Super omnes docentes me intellexi* (*Psal.* cxviii, 97 *et seq.*); et iterum : *Super seniores intellexi.* Qui ergo legem meditari se memorat, et super omnes docentes se ac super seniores intellexisse testatur, quia divinam scientiam plus quam Moyses acceperat, manifestat. Plus quoque sancti apostoli docti sunt quam prophetæ, Veritate teste quæ dicit : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Matth.* xiii, 17). Plus ergo quam prophetæ divinam scientiam noverunt, quia quod illi solo spiritu viderunt, ipsi etiam corporaliter videbant. Impleta est itaque Danielis sententia, quia pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia : quanto enim mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria in sæcula. Amen.

LIBER SEPTIMUS.

De Testimoniis in Oseam prophetam.

Caput Primum. — *Ecce ego sepiam vias tuas spinis* (*Ose.* ii, 6).

(Lib. ii, hom. 35, in Evang., num. 9; Moral. l. xxxiv, cap. 2, num. 3.) Vir unuscujusque fidelis animæ Deus est, quia ei hæc per fidem conjuncta est. Sed plerumque contingit, ut anima Deo conjuncta for-

tassis infirmata in illicitis desideriis ruat, immundis adhuc se spiritibus in operatione substernat, mundi gloriam quærat, delectatione carnali pascatur, exquisitis voluptatibus nutriatur. Sed plerumque Dominus omnipotens talem animam respicit misericorditer, et ejus voluptatibus permiscet amaritudines. Ut dum votis ejus valida contrarietate nascitur, ex ipsa impossibilitate corrigatur. Hinc est quod specie uniuscujusque animæ, de infirmante Judæa et in pravis itineribus gradiente, per Osee prophetam Dominus dicit: *Ecce sepiam vias tuas spinis* (*Osee* II, 6). Viæ fidelis animæ spinis sepiuntur, dum dolorum punctiones [*Text.* dolorem punctionis] invenit, in hoc quod temporaliter concupiscit. *Et sepiam maceria; et vias suas non inveniet.* Quasi interposita maceria viis ejus obviat, cujus nimirum desideria perfectionis difficultas repugnat [*Text.* impugnat]. Et semitas suas invenire non potest, quia hoc quod male quærit prohibetur adipisci. *Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos: et quæret eos, et non inveniet.* Malignos enim spiritus quibus se in suis desideriis anima subdidit, ad desideriorum suorum effectum minime apprehendit. Sed de hac salubri adversitate et difficultate quanta utilitas nascatur, adjungit, dicens: *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia melius mihi erat tunc quam nunc.* Prior vir Dominus est, quia castam sibi animam sancti spiritus interposito amore conjunxit. Quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cum multiplices amaritudines velut quasdam spinas invenit in eis delectationibus quas temporaliter concupiscit. Nam cum adversitatibus mundi quem diligit morderi anima cœpit, tunc plenius intelligit quanto illi cum priore viro melius fuit. Tunc quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, fidelis conjux esse decernit. Eos ergo quos voluptas [*Text.* voluntas] prava pervertit, plerumque adversitas corrigit. Unde nimis timendum est ne sequantur prospera, cum desiderantur injusta. Quia difficilius malum corrigitur, quod perfectionis [*Text. add.* etiam] prosperitate fulcitur.

Cap. II. — *Dedi eis frumentum, vinum et oleum* (*Ose.* II, 8).

(In Reg. pastor., cap. 24.) Qui sacræ legis verba non recte intelligunt, errores discordiasque generando, legem Dei quæ idcirco homini data est, ut Satanæ sacrificia prohibeat, eamdem ipsam in Satanæ sacrificium vertunt. Unde per Osee queritur Dominus dicens: *Dedi eis frumentum, vinum et oleum; et argentum multiplicavi eis et aurum, quæ fecerunt Baal* (*Osee* II, 8). Frumentum a Domino accipimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ per medelam spiritus, legis interna sentimus. Vinum suum nobis præstat Dominus, cum Scripturæ suæ alta prædicatione nos debriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cum præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cum luce veritatis nobis splendida eloquia subministrat; auroque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæretici Baal offerunt; quia apud auditorum suorum corda corrupte omnia intelligendo pervertunt, et de frumento Dei, vino, et oleo, argento pariter et auro Satanæ sacrificium immolant, quia ad errorem discordiæ verba pacis inclinant.

Cap. III. — *Maledictum et mendacium inundaverunt* (*Ose.* IV, 2).

(Lib. I, hom. 11, in Ezech., num. 25; Moral. lib. I, c. 17.) Justus et omnipotens Deus cum præcedentibus peccatis irascitur, permittit ut cæcata mens etiam in aliis labatur. Unde per Osee dicitur: *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt; et sanguis sanguinem tetigit* (*Osee* IV, 2). Solet enim sanguinis nomine peccatum signari. Unde is qui a peccatis liberari desiderat, per pœnitentiam clamat: *Libera me de sanguinibus* (*Psal.* L, 15). Sanguis itaque sanguinem tangit, cum culpæ culpam copulaverit. Et peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur.

Cap. IV. — *Peccata populi mei comedunt* (*Ose.* IV, 8).

(Lib. I, hom. 17, in Evang., num. 8.) Ecce de oblatione fidelium vivimus, sed pro animabus fidelium non laboramus. Illa in stipendio nostro sumimus quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra eadem peccata vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus. Vix pro culpa sua quempiam aperta voce reprehendimus, et adhuc quod est gravius, aliquando si persona in hoc mundo potens sit, ejus forsitan acta laudamus, ne si adversetur per iracundiam, munus subtrahat quod impendebat. Sed debemus sine cessatione meminisse quod de quibusdam scriptum est in Osee: *Peccata populi mei comedunt* (*Osee* IV, 8). Cur autem peccata populi comedere dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant. Sed et nos qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro suis peccatis obtulerunt, si comedimus et tacemus, eorum procul dubio peccata manducamus. Pensemus ergo cujus sit apud Dominum criminis peccatorum pretium comedere, et nihil contra peccata peccantium [*Text.* prædicando] agere.

Cap. V. — *Victimas in profundo deferebant* (*Ose.* V, 2).

(Lib. I, hom. 4, in Ezech., num. 4.) Væ his qui per bona quæ faciunt terrenam gloriam quærunt. Per Osee dicitur: *Victimas in profundo deferebant* (*Osee* V, 2). Quid sunt aliud lacrymæ orationis, nisi victimæ oblationis nostræ, sicut scriptum est: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L, 18)? Et sunt nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus sancti esse videantur. Quid isti nisi victimas in profundum deferunt, qui per hoc quod in imo sunt quæ requirunt, orationis suæ sacrificium deorsum deponunt.

Cap. VI. — *Fornicationis spiritus in medio eorum* (*Ose.* V, 2).

(Moral. lib. XXVI, c. 17, n. 28.) Omni custodia mens est a superbiæ tumore servanda: intus enim videt Deus quod mentem elevat, et idcirco foras permittit innotescere quod deponat. Intus prius extollitur, quod foras postmodum luxuriæ corruptione feriatur. Hinc quippe per Osee contra Israelitas dicitur: *Fornicationis spiritus in medio eorum, et Dominum non cognoverunt* (*Osee* V, 2). Qui ut ostenderet quod causa libidinis ex culpa prorupit elationis, mox subdit, dicens: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus* (*Ibid.*, 5). Ac si diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondit. Occultam enim culpam sequitur aperta percussio, ut malis exterioribus interiora puniantur, et cor publice per luxuriam corruat, quod latenter tumebat.

Cap. VII. — *Factus est Ephraim panis subcinericius* (*Ose.* VII, 8).

(Moral. lib. XXXII, c. 10, n. 12.) Quisquis adhuc ea quæ mundi sunt appetit, ante faciem veri luminis non apparet, quia sub pulvere terrenæ contagionis [*Text.* cogitationis] latet. Hinc est quod de unaquaque anima terrenis desideriis aggravata sub Ephraim specie dicitur per Osee: *Factus est Ephraim panis subcinericius, qui non reversatur* (*Osee* VII, 8). Ex natura quippe bene condita nobis est intentio quæ surgat in Dominum; sed ex conversatione nequiter assueta, inest voluptas quæ præsens premet in sæculum. Panis vero subcinericius ex ea parte est mundior quam inferius occultat, et ex parte sordidior qua desuper cinerem portat. Quisquis igitur intentionem qua Dominum debuisset quærere negligit, quasi more panis subcinericii mundiorem partem inferius premit. Et cum curas sæculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. Reversaretur vero panis subcinericius, si desideriorum carnalium cinerem repelleret, et intentionem bonam quam in se dudum de-

spiciendo oppresserat, superius ostentaret. Sed reversari renuit, cum mens amore curarum secularium pressa, molem superpositi cineris abigere negligit; dumque assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi mundiorem faciem subtus premit.

Cap. VIII. — *Comederunt alieni robur ejus et nescivit* (*Ose.* VII, 9).

(Moral. lib. XXV, c. 7, n. 14; lib. XXXIV, c. 3, n. 6.) In hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est, et cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis soporatur; quia sui negligens propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. Unde dicitur per Osee sub Ephraim specie: *Comederunt alieni robur ejus et nescivit: sed et cani effusi sunt in eo, et* [Text. add. *ipse*] *ignoravit* (*Osee* VII, 9). Alieni quippe solent intelligi spiritus apostatæ, qui robur comedunt cum virtutem mentis pervertendo consumunt. Quod Ephraim et pertulit et nescivit, quia in tentatione malignorum spirituum et robur animi perdidit, et hoc ipsum quod perdiderit non intellexit.

Cap. IX. — *Ipsi regnaverunt et non ex me* (*Ose.* VIII, 4).

(In Reg. pastor. I part., c. 1.) Contra malos pastores Dominus per Osee queritur, dicens: *Ipsi regnaverunt et non ex me, principes exstiterunt et non cognovi* (*Osee* VIII, 4). Ex se enim et non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur. Quos tamen internus judex, et provehit et non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat. Unde ad se quibusdam post miracula venientibus dicit: *Recedite a me operarii iniquitatis, nescio vos qui estis* (*Luc.* XIII, 27).

Cap. X. — *Culmus stans non est in eis germen* (*Ose.* VIII, 7).

(Moral. VIII, c. 43, n. 70, 71.) Hypocritis humanos favores desiderantibus per Osee dicitur: *Culmus stans non est in eis germen, et non facit farinam; quod et si fecerint, alieni comedent illam* (*Osee* VIII, 7). Culmus germen non habet, cum vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit, cum is qui in præsenti sæculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. Sed sæpe et cum perfecerit farinam, hanc alieni comedunt, quia et cum bona opera hypocritæ ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, sed alienos pascunt.

Cap. XI. — *Ephraim vitula docta diligere trituram* (*Ose.* X, 11).

(Moral. XX, c. 15, n. 39.) Perversi homines pro A hujus mundi gloria cunctis sudoribus libenter serviunt, et gravium laborum jugo devotissime colla submittunt. Quod bene sub Ephraim specie Osee prophetante describitur, qui ait: *Ephraim vitula docta diligere trituram* (*Osee* X, 11). Vitula enim trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque, ad ejusdem laboris usum etiam non compulsa revertitur: ita pravorum mens hujus mundi serviliis dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi libere sibi vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat. Et usu [*Text.* usum] miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a jugo mundanæ servitutis non libeat cessare, etiamsi liceat.

Cap. XII. — *Dabo tibi reges in furore meo* (*Ose.* XIII, 11).

(Moral. XXV, c. 16, n. 34.) Nullus qui malum rectorem patitur, eum quem patitur, accuset; quia nimirum sui fuit meriti, perversi rectoris subjacere B ditioni. Culpam ergo proprii magis accuset operis, quam injustitiam gubernatoris. Scriptum est enim in Osee: *Dabo tibi reges in furore meo* (*Osee* XIII, 11). Quid igitur illos nobis præesse despicimus quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus? Si ergo irascente Domino Deo secundum nostra merita rectores accipimus, in illorum actione colligimus quid ex nostra actione [*Text.* æstimatione] pensemus.

Cap. XIII. — *Ero mors tua, o mors* (*Ose.* XIII, 14).

(Moral. XII, cap. 11; lib. II, hom. 22; in Evang., num. 6.) Ab inferno rediens Dominus, nequaquam electos simul et reprobos traxit; sed exinde illos sustulit quos suos in fide et actibus recognovit. Unde per Osee prophetam dicit: *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne* (*Osee* XIII, 14). Id namque quod occidimus, agimus ut penitus non sit. Ex eo vero quod mordemus partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus C occidit mortem, mors mortis exstitit; quia vero ex inferno partem abstulit et partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo: *Ero mors tua, o mors.* Ac si aperte dicat: Quia in electis meis te funditus perimo, ero morsus tuus, inferne; quia sublatis eis te ex parte transligo; quod enim ante passionem promisit, in resurrectione sua Dominus implevit: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (*Joan.* XII, 32). Omnia abstulit utique electa: omnia traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER OCTAVUS.

De Testimoniis in Joel prophetam.

Caput Primum. — *Residuum erucæ comedit locusta* (*Joel* I, 4).

(Moral. lib. XXXIII, c. 37, n. 65.) Sæpe mens reproborum gaudet de quibusdam vitiis, quod eis subjecta non sit; et præcavere ac gemere negligit: quia dum quædam pravitatis desideria transeunt, alia vice eorum, quibus fortasse nequius succumbit, succedunt. Unde bene per Joel prophetam dicitur: *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* (*Joel* I, 4). Quid enim per erucam quæ toto corpore in terra repit, nisi luxuria designatur? quæ cor quod tenet ita polluit, ut in superioris munditiæ surgere amore non possit. Quid per locustam quæ saltibus volat, nisi inanis gloria exprimitur, quæ se vanis præsumptionibus exaltat? Quid per bruchum, cujus pene D totum corpus in ventrem colligitur, nisi edendi ingluvies figuratur? Quid per rubiginem, quæ dum tangit incendit, nisi ira innuitur? Residuum ergo erucæ locusta comedit, quia sæpe cum luxuriæ vitium a mente recesserit, inanis gloria succedit. Nam quia jam per amorem carnis non sternitur, quasi sanctam se ex charitate gloriatur. Residuum locustæ bruchus comedit, quia sæpe cum inani gloriæ quæ quasi ex sanctitate veniebat resistitur, vel ventri, vel quibuslibet ambitiosis desideriis immoderatius indulgetur; mens enim Dei nescia tanto atrocius ad quemlibet ambitum ducitur, quanto nullo vel humanæ laudis amore refrenatur. Residuum bruchi rubigo consumit, quia sæpe dum ventris ingluvies per abstinentiam restringitur, iræ impatientia acrius dominatur; quæ more rubiginis quasi exurendo messem

comedit : quia virtutum fructus impatientiæ flamma tabescit : dum ergo vitiis vitia succedunt, agrum mentis alia pestis devorat, dum alia relinquit. Bene autem subditur : *Expergiscimini ebrii et flete* (*Joel* I, 4). Ebrii quippe vocati sunt qui mundi hujus amore confusi mala non sentiunt quæ patiuntur ; quid est ergo dicere : *Expergiscimini ebrii et flete* (*Ibid.*, 5), nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, et in devastatione cordis, tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate.

CAP. II. — *Posuit vineam meam in desertum* (*Joel.* I, 7).

(Moral. VIII, cap. 48, n. 81). Hypocritæ affectantes laudes hominum, cum se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos cum maligni spiritus ad jactantiam provocant, opera eorum captivantes denudant. Unde sub cujusdam gentis specie antiquorum hostium malitiam signans per Joel Veritas dicit : *Posuit vineam meam in desertum, decorticavit ficum meam ; nudans exspoliavit eam, albi facti sunt rami ejus* (*Joel* I, 7). Insidiantibus quippe spiritibus, Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit, eamque nudans exspoliat, quia quousque in bonis suis absconditur quasi proprii tegminis cortice vestitur. Cum vero mens hoc quod egerit, videri ab aliis concupiscit, quasi exspoliata ficus eum qui se texerat corticem amisit. Unde [*Text.* Ubi] apte subditur : *Albi facti sunt rami ejus* : quia ostensa humanis oculis ejus opera candescunt. De sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur : sed quodiam subducto cortice rami fici hujus arefiunt, solerter intuendum est, quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, unde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per jactantiam producitur [*Text.* proditur] decorticata ficus [*Text. add.* recte] vocatur : quia et candida est per hoc quod cernitur, et siccitati proxima ; per hoc quod tegmine cordis nudatur.

CAP. III. — *Sanctificate jejunium* (*Joel.* I, 14).

(Reg. pastor. III part., c. 19 ; lib. I, hom. 16, in Evang., num. 6.) Virtus abstinentiæ parva esse creditur [*Text.* quam parva respicitur], quæ non [*Text. add.* nisi] ex aliis virtutibus commendatur. Hinc per Joel dicitur : *Sanctificate jejunium* (*Joel* I, 14) : jejunium sanctificare est, adjunctis aliis bonis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Tunc etiam abstinentes Deo placentem abstinentiam offerunt, cum ea quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus tribuunt. Solerter namque metuendum [*Text.* audiendum] est, quod per prophetam Dominus redarguit, dicens : *Cum jejunaretis et plangeretis, nunquid jejunium jejunastis mihi ? et cum comedistis et bibistis, nunquid non vobis comedistis et vobisipsis bibistis* (*Zach.* VII, 5). Non enim Deo sed sibi quisquis jejunat, si ea quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Sibi comedit et bibit qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona conditoris, sine indigentibus percipit. Illud ergo jejunium Dominus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat. Incassum quoque jejunio caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrenatur, cum per prophetam Dominus dicat : *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis* (*Isa.* LVIII, 3). Neque enim qui debitorem suum, hoc quod dedit repetit, aliquid injuste facit ; sed dignum est ut quisquis se in pœnitentia macerat, etiam hoc quod sibi juste competit interdicat. Sic [*Text.* sic sic] nobis afflictis et pœnitentibus a Deo dimittitur quod injuste egimus, si pro amore illius et hoc quod nobis juste competit relaxemus. Per abstinentiam itaque vitia carnis mortificantur ; et ne mortua caro putrefiat, per jejunium agitur ; mortuam ergo carnem putrescere est, hoc mortale corpus fluxui luxuriæ deservire. Sicut de quibusdam per eumdem Joel prophetam dicitur : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel* I, 17). Jumenta quippe in stercore suo putrescere est, carnales homines in fetore luxuriæ vitam finire. Bene ergo jejunamus, quando hoc mortale corpus a luxuriæ putredine per continentiæ et jejunii condimentum custodimus : auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per infinita sæcula. Amen.

LIBER NONUS.

De Testimoniis in Amos, Michæam et Naum prophetas.

CAPUT PRIMUM. — *Secuerunt prægnantes Galaad* (*Amos* I, 13).

(Reg. past. III, part., c. 24, admon. 25.) Hæretici, ut apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere et ab aliis recte intellecta destruere, et sua perversa roborare. Unde bene per prophetam Amos dicitur : *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum* (*Amos* I, 13). Galaad namque acervus testimonii interpretatur. Et quia cuncta simul congregatio Ecclesiæ per confessionem servit testimonio veritatis, non incongrue per Galaad Ecclesia exprimitur, quæ ore cunctorum fidelium de Deo quæ sunt vera testatur. Prægnantes vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex divino amore concipiunt, si ad perfectum tempus veniant, conceptam intelligentiam operis ostensione parituræ. Terminum vero suum dilatare est opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum, quia nimirum hæretici mentes fidelium quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perversa prædicatione perimunt ; et scientiæ sibi nomen extendunt : parvulorum corda jam de verbi conceptione gravida erroris gladio scindunt, et quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt.

CAP. II. — *Ecce ego stridebo super vos* (*Amos* II, 13).

(Moral. lib. XXXII, c. 5, n. 2.) Aliquando insensatis rebus propter infirmitatem nostram alta condescensione Dominus se comparat, sicut per Amos dicitur : *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum feno* (*Amos* II, 13). Quia enim fenum est vita carnalium, sicut scriptum est : *Omnis caro fenum* (*Isa.* XL, 6) ; in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fenum se portare testatur. Cui sub feni onere stridere est, pondera et iniquitates peccantium cum querela tolerare.

CAP. III. — *Plui super civitatem unam* (*Amos* IV, 7).

(Lib. I, hom. 10, in Ezech., num. 23.) Quotidie impleri videmus hoc quod Dominus per Amos narrat, quia fuerit iratus, cum dicit : *Plui super civitatem unam, et super civitatem alteram non plui : pars una compluta est, et pars super quam non plui* [Text. *quæ compluta non est*], *aruit* (*Amos* IV, 7). Cum enim sanctæ exhortationis verba alia mens suscipit, alia mens suscipere recusat, super unam civitatem Dominus pluit, super alteram non pluit. Cum vero et ipse qui prædicationem audit, ab aliis se vitiis corrigit, et ab aliis emendari contemnit : in isto pars una compluta, quia fructum fecit, et pars quæ compluta non est, aruit ; quia exhortationis verbum non plene suscipiens, a bono opere sterilis remansit.

CAP. IV. — *Constituite in porta judicium* (*Amos* V, 15).

(Moral. lib. XXI, c. 20, n. 32.) Mos apud veteres fuit ut ad portam seniores sederent, qui certantium jurgia judiciaria examinatione distringerent : quatenus

urbem in qua concorditer vivere oporteret, discordes non intrarent. Unde et per Amos Dominus dicit: *Constituite in porta judicium* (*Amos* v, 15).

CAP. V. — *Væ desiderantibus diem Domini* (*Amos* v, 18).

(Moral. lib. IV, c. 11, n. 18.) Sunt nonnulli qui fidem quam tenere se sermonibus ostendunt, operibus destruunt; et aut prava sunt quæ faciunt, aut recta opera non recto corde sectantur: non enim de suis operibus retributiones perpetuas, sed transitorios favores quærunt. Et tamen quia quasi sanctos laudari se audiunt, esse se veraciter sanctos arbitrantur, et quanto se ex multorum æstimatione irreprehensibiles putant, tanto diem districti judicii securius exspectant. De quibus per Amos dicitur: *Væ desiderantibus diem Domini* (*Amos* v, 18).

CAP. VI. — *Vocavit Dominus judicium* (*Amos* VII, 4).

(Moral. lib. XXXIII, c. 6, n. 13.) Nonnulli mundum deserunt, et bonorum transeuntium vana derelinquunt; et ima humilitatis appetentes, humanæ conversationis morem bene vivendo transcendunt; et in tanta studiorum arte proficiunt, ut signorum virtutes jam operentur. Sed quia seipsos circumspiciendo tegere negligunt, inanis gloriæ telo percussi ad inferni profundum pejus de alto ruunt. Hinc per Amos dicitur: *Vocavit Dominus judicium ad ignem, et devoravit abyssum multam, et comedit partem domus* (*Amos* VII, 4). Judicium [*Text. add.* Domini] ad ignem vocatur, cum justitiæ sententia ad pœnam jam æternæ concremationis ostenditur; et multam abyssum devorat, quia iniquas et incomprehensibiles hominum mentes concremat, quæ nunc se hominibus etiam sub signorum miraculis occultant. Pars vero domus [*Text.* Domini] comeditur, quia illos quoque gehenna devorat qui nunc quasi in sanctis actibus de electorum numero se esse gloriantur.

CAP. VII. — *Non sum propheta* (*Amos* VII, 14).

(Moral. lib. II, c. 56, n. 89.) Si prophetiæ spiritus A prophetis semper adesset, inquisitus Amos propheta non diceret: *Non sum propheta* (*Amos* VII, 14). Quomodo autem propheta non fuit qui de futuris tot vera prædixit? Aut quomodo propheta fuit, qui de se in præsenti vera denegavit? Sed quia eadem hora qua requisitus est, prophetiæ sibi spiritum deesse sensit; de seipso veraciter intulit, dicens: *Non sum propheta*. Qui tamen secutus adjunxit: *Et nunc audi verbum Domini* [Text. *hæc dicit Dominus*]: *uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ in gladio cadent* (*Ibid.*, 16). Quibus prophetæ verbis ostenditur, quia dum de se illa loqueretur impletus est, et mox habere prophetandi spiritum meruit, et prophetam se non esse humiliter agnovit.

CAP. VIII. — *Et veniens ad Babylonem ibi liberaberis* (*Mich.* IV, 10).

(Lib. I, hom. 10, in Ezech. num. 12.) Si qui ab statu rectitudinis in pravam actionem ceciderunt, non sunt desperandi; quia per Prophetam Michæam Dominus B dicit: *Et veniens usque ad Babylonem ibi liberaberis* (*Mich.* IV, 10). Quid Babylonia nisi confusio vocatur? Sæpe enim quis postquam in confusionem vitiorum cecidit, erubescens mala quæ perpetravit, ad pœnitentiam redit, seque à suis lapsibus bene vivendo erigit. Quis ergo iste, nisi qui usque ad Babylonem venit; et liberatus est, qui postquam confusus mente perversa perpetravit, hæc ipsa erubescens mala quæ fecit, se contra se erigit, et bene operando ad statum rectitudinis redit: in Babylonem itaque venit et ibi liberatus est, qui per divinam gratiam ostenditur etiam de confusione salvatus.

CAP. IX. — *Sicut spinæ invicem se complectuntur* (*Naum.* I, 10).

(Moral. lib. XXXIII, c. 31, n. 55.) De unitate reproborum Naum propheta ait: *Sicut spinæ invicem se complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium* (*Naum.* I, 10). Convivium reproborum est delectatio temporalium voluptatum. In quo nimirum convivio C pariter potant, qui delectationis suæ illecebris se concorditer debriant.

LIBER DECIMUS.

De Testimoniis in Habacuc et Sophoniam prophetas.

CAPUT PRIMUM. — *Super custodiam meam stabo* (*Habac.* II, 1).

(Moral. l. XXII, c. 16, n. 35, 36.) Si semel in appetitione supernæ patriæ, forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur: nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris: quia terrena omnia quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subter jacent. Unde per prophetam dicitur: *Statue tibi speculam* (*Jerem.* XXXI, 21), ut dum quisque speculatur summa, infimis supereminеat. Hinc etiam Habacuc dicit: *Super custodiam meam stabo* (*Habac.* II, 1). Stat quippe super custodiam suam, D qui per solertiam disciplinæ terrenis desideriis non succumbit, sed supereminet: ut dum stantem semper appetit æternitatem, infra sit ei omne quod transit. Tamen quia vir sanctus, quantalibet virtute profecerit, cum in hac vita positum adhuc extrinsecus carnis infirmitas premit, ut scriptum est: *Quanquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbabitur* (*Psal.* XXXVIII, 7), plerumque agitur ut et turbetur exterius et imperturbabilis duret interius. Et quod vane conturbari potest, de infirmitate carnis sit; quamvis quod in imagine Dei ambulet, de virtute mentis: quatenus et roboretur intus divino adjutorio, et tamen adhuc foris sarcina prematur humana. Unde bene Habacuc iterum unam sententiam protulit ad utraque servientem. Ait enim: *Et introivit tremor in ossa mea, et subtus me turbata est virtus mea* (*Habac.* III, 16). Ac si diceret: Non mea virtus est in qua superius raptus imperturbabilis maneo, et mea virtus est in qua inferius turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis; quia super se ascenderat in quantum rapiebatur ad summa, et sub seipso erat in quantum adhuc reliquias trahebat ad infima; ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei contemplatione jam transierat, ipse sub se perturbabilis, quia sub seipso adhuc infirmus homo remanebat.

CAP. II. — *Væ ei qui multiplicat non sua* (*Habac.* VI, 1).

(Moral. lib. XXXIV, c. 15, n. 27.) Luti nomine in sacro eloquio terrenarum rerum multiplicitas figuratur, sicut per Habacuc dicitur: *Væ ei qui multiplicat non sua: usquequo aggravat contra se densum lutum* (*Habac.* VI, 1)? Densum lutum contra se aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare: denso quippe luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressione angustat. Rursum luti nomine doctrina sordidum sapiens designatur. Sicut per eumdem prophetam Domino dicitur: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum* (*Habac.* III, 15). Ac si diceret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis, inter doctrinas hujus sæculi sordida et terrena sapientes.

CAP. III. — *Deus a Libano veniet* (*Habac.* III, 3).

(Moral. lib. XXXIII, c. 1, n. 2.) Aliquando per

montem, Testamentum Dei exprimitur, sicut Habacuc ait: *Deus a Libano veniet, et Sanctus de monte umbroso et condenso* (*Habac.* III, 3). Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spopondit, quasi inde venit, unde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet Testamentum bene mons umbrosus et condensus dicitur, quia ipsis allegoriarum obscuritatibus opacatur.

CAP. IV. — *Pedes ejus steterunt et mota est terra* (*Habac.* III, 6).

(Moral. lib. XXXV, c. 14, n. 26; lib. II, c. 10, n. 15.) Quia aliquando per Veritatis formidinem tacta ab insensibilitate sua mens peccatoris concutitur, bene per Habacuc dicitur: *Pedes ejus steterunt et mota est terra* (*Habac.* III, 6). Stante ergo Domino terra proculdubio movetur; quia cum cordi nostro timoris sui vestigia imprimit, cuncta in nobis cogitatio terrena contremiscit; cum Veritas in corde figitur, peccatricis mentis duritia ab immobilitatis suæ obstinatione agitata permutatur.

CAP. V. — *Dedit abyssus vocem suam* (*Habac.* III, 10).

(Moral. lib. IX, c. 25, n. 39. Ibid. lib. XXIX, c. 15; lib. IX, n. 39; lib. XXIX.) *Dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ* (*Habac.* III, 10). Quid est abyssus, nisi mens humana? Abyssus quippe phantasiæ altitudinem portat, cum humana mens immensa cogitatione caligosa semetipsam comprehendere, et discutiendo penetrare non valet, et sese in omne quod est velut abyssus obscura latet. Sed ab hac altitudine vocem dare est, quia dum se deprehendere non potest altitudine considerationis, in requisitionibus suis eo ipso quo latius extenditur, angustatur. Exclamare cogitur, id est in admiratione consurgere, ut eo perscrutari non audeat quod super ipsam est, quo incomprehensibilitatem suam ipsa cogitans invenire non valet quod est. Et ex comparatione sui divinæ naturæ potentiam quam comprehendere non sufficit, humilius laudat.

CAP. VI. — *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo* (*Habac.* III, 11).

(Lib. II, hom. 29, in Evang., n. 10.) De ascensionis dominicæ gloria Habacuc dicit: *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo* (*Habac.* III, 11). Quis enim solis nomine, nisi Dominus; et quæ lunæ nomine, nisi Ecclesia designatur? Quousque enim Dominus ad cœlos ascendit, sancta ejus Ecclesia mundi adversa omnimodo formidavit. At postquam ejus ascensione roborata est, aperte prædicavit quod occulte credidit. Elevatus est ergo sol, et luna stetit in ordine suo: quia cum Dominus cœlos petiit, sancta ejus Ecclesia in auctoritate prædicationis roborata exercevit.

CAP. VII. — *In lumine jacula tua ibunt* (*Habac.* III, 11).

(Moral. lib. XXX, c. 2, n. 6.) De sanctis prædicatoribus Habacuc dicit: *In lumine jacula tua ibunt* (*Habac.* III, 11). Jacula Dei sunt, verba Sanctorum quæ corda peccantium feriunt. Jacula vero Dei in lumine ire, est verba ejus aperta veritate resonare. Sed quia sæpe homines verba vitæ etiam intellecta despiciunt, adjunguntur miracula. Unde subditur: *In splendore fulgoris armorum tuorum* (*Ibid.*). Fulgor armorum est claritas miraculorum. Armis enim nos tuemur, jaculis adversa destruimus. Arma cum jaculis, sunt miracula cum prædicamentis. Sancti enim prædicatores verbis suis, quasi quibusdam jaculis adversarios feriunt; armis vero, id est miraculis seipsos tuentur, ut et quantum sint audiendi sonent per impetum jaculorum, et quantum sint reverendi clarescant per arma miraculorum.

CAP. VIII. — *Præcidisti in alienatione capita potentium* (*Habac.* III, 14).

(Lib. I, hom. 10, in Ezech., num. 3?; lib. XXXI, c. 24.) De conversione Gentium Habacuc Domino dicit: *Præcidisti in alienatione capita potentium, movebuntur in ea Gentes: aperient ora sua sicut pauper edens in occulto* (*Habac.* III, 14). Omnipotens Deus in alienatione capita potentium præcidit, quia Judæorum superbiam a semetipso alienando repulit. In qua alienatione Gentes motæ sunt, quia dum Judæi a fide caderent, ad cognitionem fidei corda fidelium [*Text.* Gentilium] cucurrerunt. Quæ videlicet Gentes in sacræ lectionis pabulo os cordis aperiunt, et in occulto sicut pauper comedunt, quia cum festinatione, et silentio verba legentes vitæ sumunt. Impletum est enim in illis quod idem Habacuc de illis Domino dicit: *Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas* (*Ibid.*, 15). Equorum nomine sancti prædicatores accipiuntur: quietæ vero aquæ jacuerunt, quia humanæ mentes gentium diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt. Sed equis Dei mare turbatum est, quia missis prædicatoribus sanctis omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit.

CAP. IX. — *Ecce dies Domini venit magnus* (*Sophon.* I).

(Reg. pastoral. III part., cap. 11.) Supra impuros et duplices propheta Sophonias vim divinæ animadversionis intentat, dicens: *Ecce dies Domini venit magnus, et horribilis. Dies iræ, dies illa, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super omnes civitates munitas, et super omnes angulos excelsos* (*Sophon.* I). Quid enim per civitates munitas exprimitur, nisi suspectæ mentes et fallaci semper defensione circumdatæ? Quæ quoties earum culpa corrigitur, veritatis ad se jacula non admittunt. Et quid per excelsos angulos (duplex quippe semper est in angulis paries) nisi impura corda signantur? Quæ dum veritatis simplicitatem fugiunt, ad seipsa quodammodo duplicitatis perversitate replicantur. Et quod est deterius, apud cogitationes suas in fastu prudentiæ, ex ipsa se culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini vindictæ et animadversionis plena, super civitates munitas, et super angulos excelsos venit; quia extremi judicis ira humana corda et defensionibus contra veritatem clausa destruit, et duplicitatibus involuta dissolvit. Tunc enim civitates munitæ cadunt, quia mentes Deo impenetratæ damnabuntur. Tunc excelsi anguli corruunt, quia corda quæ per puritatis prudentiam eriguntur, per sententiam justitiæ prosternuntur.

LIBER UNDECIMUS.

De Testimoniis in Aggæum prophetam.

CAPUT PRIMUM. — *Seminastis multum* (*Agg.* I, 5).

(Lib. I, hom. 10, in Ezech., n. 7.) Multi legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt, et post vocem vacui recedunt. Hinc est quod per Aggæum prophetam quosdam Dominus increpat, dicens: *Ponite corda vestra super vias vestras: Seminastis multum et intulistis parum, comedistis et non estis saturati, bibistis et non estis inebriati* (*Agg.* I, 5). Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis cœlestibus vel legendo, vel audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit et non saturatur, qui verbum Dei audiens, lucra vel gratiam sæculi concupiscit. Bene vero non satiari dicitur, quia aliud mandit, et aliud esurit. Bibit et non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum

devotus est, sed ea quæ sunt hujus sæculi adipisci desiderat, bibit et debriatus non est. Si enim debriatus esset, mentem mutasset, ut jam terrena non quæreret, jam vana et transitoria quæ amaverat, non amaret. De electis enim per Psalmistam dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* (*Psal.* XXXV, 9); quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibimelipsis extranei esse videantur. Implentes quod scriptum est: *Qui vult venire post me abneget semetipsum* (*Matth.* XVI, 24). Seipsum abnegat qui mutatur ad meliora, et incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat.

CAP. II. — *Qui mercedes congregavit* (*Agg.* I, 6).

(Lib. I, hom. 4, in Ezech., num. 10. Reg. pastor. III part., c. 21.) Perversi indigentibus de propriis rebus multa donant: sed cum occasionis tempus inveniunt, eosdem quibus valent rapinis devastant. Quanta vero tribuunt pensant, quanta rapiunt considerare dissimulant, et qualiter bona opera malis artibus perdant, perpendere recusant. Sicut per Aggæum scriptum est: *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum* (*Agg.* I, 6). De sacculo pertuso aliunde exit, quod aliunde mittitur: et in sacculo pertuso videtur, quando pecunia mittitur, sed quando amittitur non videtur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sacculo mercedes mittunt: quia profecto has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt; merces enim quæ ex bono opere acquiritur ex malo opere perditur.

LIBER DUODECIMUS.

De Testimoniis in Zachariam prophetam.

CAPUT PRIMUM. — *Dixit angelus qui loquebatur in me* (*Zach.* I, 14).

(Moral. lib. XXVIII, c. 1, n. 9; lib. II, hom. 34, in Evang., n. 13; Moral. lib. IV, c. 29.) Nonnunquam humanis cordibus per angelos Deus, secreta eorum præsentia, suæ virtutis aspirationem [*Text.* virtutem suæ aspirationis] infundit. Unde Zacharias dixit: *Dixit angelus ad me, qui loquebatur in me* (*Zach.* I, 14). Dum ad se quidem, sed tamen in se loqui angelum dicit, liquido ostendit quod is qui ad ipsum verba faceret, per corpoream speciem extra non esset. Unde et paulo post subdidit: *Et ecce Angelus Domini qui loquebatur in me, egrediebatur* (*Zach.* II, 3). Sæpe enim non exterius apparent, sed sicut sunt angelici spiritus, voluntatem Dei prophetarum sensibus innotescunt; et subtilitas angelicæ virtutis menti eorum apparens, intimis afflatibus ad sublimia elevat; et quæque in rebus futura sunt, in causis originalibus præsentia demonstrat. Sed ne quis in prædictis Zachariæ verbis angeli, designatum nomine vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum putet: quia textus Scripturæ sacræ nunquam Patrem, nunquam Spiritum sanctum, et nonnisi per incarnationis suæ prædicationem Filium angelum vocat. Unde in ejusdem Zachariæ verbis aperte ostenditur quod in illo vere angelus, id est creatura loqueretur, cum dicitur: *Ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur.* Statimque subjungitur: *Et alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem* (*Ibid. v.* 3 *et* 4). Non est itaque Deus Angelus qui mittitur, cui verba ab angelo quæ dicere debeat, jubentur. Sed quia in conspectu Conditoris angelica ministeria ordinata graduum dispositione distincta sunt, ut et pro communi felicitate beatitudinis opificem suum simul videntes gaudeant, et tamen pro dispositione dignitatis aliis alii subministrent, ad prophetam angelum angelus mittit; et quem secum de Deo gaudere communiter conspicit, et docet et dirigit: quia eum et per superiorem scientiam virtute cognitionis, et per præstantiorem gratiam culmine potestatis excedit. Certissime enim scimus, quia cunctorum Conditor Dominus qui omnia per semetipsum tenet ad distinguendum pulchræ universitatis ordinem, alia aliis dispensantibus regit, et angeli a superiorum angelorum potestatibus dispensantur, et ad explendum de supernis ministerium alii spiritus ab aliis mittuntur. Dum enim angelus dicit ad angelum: *Curre, et loquere*, dubium non est quia alius alium mittit: et si in ipsis officiis sanctorum spirituum nequaquam potestates summæ minimas disponerent, nullomodo hoc, quod homini diceret, angelus ab angelo cognovisset. Sed hoc quoque de ipsis agminibus certum tenemus: quia minora sunt quæ mittuntur; majora quæ mittunt: et ea quæ mittuntur, cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut nunquam desint interius per contemplationem.

CAP. II. — *Et ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum* (*Zach.* III, 1).

(Moral. lib. XX, c. 22, n. 48.) In nostræ locutionis usu pro dextro habere dicimus, quod pro magno pensamus; pro sinistro vero id quod despicimus. Quod Zacharias aperte insinuat, dicens: *Et ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini; et Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei* (*Zach.* III, 1). Qui, ut patentius hoc quod præmisit ostenderet, secutus adjunxit: *Et Dominus dixit ad Satan: Increpet Dominus in te Satan, qui elegit Jerusalem. Nunquid non iste torris erutus de igne? Et Jesus indutus erat vestibus sordidis* (*Ibid. v.* 2). Sordidis enim vestibus Jesus indutus est, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati. Cui advenienti Satan a dextris stetit. Pro magno namque Dominus Judaicum populum, et pro nihilo gentes habere videbatur. Sed postquam incarnatus apparuit, gentilitas quæ pro sinistro habita fuerat, credidit: Judaicus vero populus ad perfidiam declinavit. Satan ergo illi a dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit. Sed quia ipse Judaicus populus, modo perditus, in fine est quandoque crediturus, Propheta teste, qui ait: *Reliquiæ salvæ fient* (*Isa.* X, 21): Satan e dextris suis removet Dominus, dicens: *Increpet Dominus in te Satan.* Et ejusdem populi liberationem indicans, subdit: *Quia elegit Jerusalem.* Qui nimirum populus quia ad gehennæ incendia perfidia duce defluebat, sed dum ad fidem reducitur, ab eodem æterni ignis incendio liberatur, statim de eo illic subditur: *Nunquid non iste est torris de igne erutus?*

CAP. III. — *Super lapidem unum septem oculi sunt* (*Zach.* III, 9).

(Moral. lib. XXIX, c. 31, n. 74.) Redemptor noster in carne veniens, operationes septiformis spiritus simul in se cunctas et manentes habuit; sicut Zacharias ait: *Super lapidem unum septem oculi sunt* (*Zach.* III, 9); et iterum: *Et in candelabro aureo lucernæ septem* (*Zach.* IV, 2). Nullus quippe hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei et hominum, cujus est idem spiritus qui de Patre ante sæcula procedit. Huic itaque lapidi septem oculos habere est, simul omnem virtutem spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere.

CAP. IV. — *Quid tu vides Zacharia* (*Zach.* V, 2)?

(Moral. lib. XV, c. 14, n. 18.) Qui mandata Dei memoria retinet, sed nequaquam faciendo complet, hic in doctrinæ verbis sententias quibus damnetur tenet. Hinc in Zacharia scriptum est: *Quid tu vides*

Zacharia? Et dixi : Video volumen volans : longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum : et dixit ad me : Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem universæ terræ (*Zach.* v, 2, 3). Quid namque volumen volans est, nisi sacra Scriptura? Quæ dum de cœlestibus loquitur, ad superiorem mentis nostræ intentionem levat; quia dum illam super nos aspicimus esse, ima attendere, id est concupiscere devitamus. Quæ latitudinem cubitorum decem, longitudinem vero viginti habere perhibetur : quia latitudo operationis nostræ simpla est, et longanimitas spei in duplum tenditur; quoniam pro nostro bono opere, et hic nobis mentis requies, et illic gaudia æterna præparantur; Veritate attestante, quæ ait : Si *quis reliquerit domos aut agros*, etc., *centuplum in hoc sæculo recipiet, et in futuro vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29; *Luc.* XVIII, 30). Centenarius quippe numerus decemplicato denario fit perfectus. Hic itaque centuplum recipit, qui etsi nihil habuerit, ipsa tamen perfectione mentis jam in hoc sæculo nil habere quærit. Quia ergo per hanc nobis duplum pro simplo redditur, recte hoc volumen per viginti cubitos in longum tenditur, quod per decem dilatatur. Sed quia hæc ipsa sacra eloquia ad æternam damnationem sunt eis qui illa vel scire nolunt, vel certe sciendo contemnunt, recte de hoc volumine dicitur : *Hæc est maledictio quæ egredietur super faciem universæ terræ.* Et cur maledictio dicatur, adjungit : *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur.* Hypocrita igitur, quia secundum verba Legis, quæ novit, vivere contemnit, et de doctrina favorem quærit, fur judicabitur; quia per hoc quod justa loquitur, laudem sibi vitæ justorum rapit.

CAP. V. — *Leva oculos tuos, et vide quid est quod egreditur* (*Zach.* v, 5).

(Moral. lib. XIV, c. 53, n. 63, 64, 65.) Per plumbum cujus natura gravis est ponderis, peccatum avaritiæ specialiter designatur; quod mentem quam interfecerit, ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli non possit. Hinc in Zacharia scriptum est : *Leva oculos tuos, et vide quid est quod egreditur. Et dixi, quidnam est? Et dixit : hæc est amphora egrediens* (*Zach.* v, 5). Volens Deus prophetæ ostendere genus humanum, ex qua ab eo maxime culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quasi patens os avaritiæ designavit; avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet, et dixit : *Hæc est oculus eorum in universa terra* (*Ibid.*). Multos obtusi sensus homines cernimus, et tamen in malis actibus eos astutos videmus, propheta teste, qui ait : *Sapientes sunt ut faciant mala* (*Jerem.* IV, 22). Hi itaque sensu torpent; sed in his quæ appetunt, avaritiæ stimulis excitantur. Et quia ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmiis ad peragenda mala vigilantes fiunt. Unde recte de hac eadem avaritia dicitur : *Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur* (*Zach.* v, 6). Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati? *Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ* (*Ibid.*, 7) : quam mulierem ne fortasse quæ esset dubitaremus; mox innotuit Angelus. Nam sequitur, et dixit : *Hæc est impietas, et projecit eam in medio amphoræ* (*Vers.* 8). Impietas in medio amphoræ projicitur, quia in avaritia semper impietas tenetur. *Et misit massam plumbi in os ejus* (*Ibid.*). Massa plumbi in os mulieris mittitur, quia scilicet impietas avaritiæ peccati sui pondere gravatur. Si enim ad ea quæ deorsum sunt non ambiret, erga Deum et proximos impia non existeret. Quid vero de hac visione amphoræ, et mulieris, et plumbi cognovisset, ut latius ostenderet, secutus adjunxit : *Et levavi oculos meos et vidi; et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum* (*Ibid.*, 9). Quid aliud in his duabus mulieribus accipimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet et inanem gloriam, quæ impietati absque dubitatione conjuncta sunt? Quæ et in alis suis spiritum habere narrantur, quia et in actionibus suis Satanæ voluntati deserviunt. Ipsum quippe spiritum Propheta appellat de quo in Evangelio Dominus dicit : *Cum immundus spiritus exierit ab homine* (*Matth.* XII, 43). Spiritus in alis earum est, quia superbia et inanis gloria per omne quod agunt, Satanæ voluntati famulantur. *Et habebant alas, quasi alas milvi.* Milvus semper naturæ stu det insidiari pullorum. Istæ ergo mulieres alas habent, quasi alas milvi; quia actiones earum diaboli sunt similes, qui insidiatur semper vitæ parvulorum *Et levaverunt amphoram inter cœlum et terram.* Superbia et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerunt, in cogitatione sua super cæteros homines extollant; et modo per ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem elevent. Qui vero inter cœlum et terram est, ima deserit, et superiora minime tangit. Levant igitur istæ mulieres amphoram inter cœlum et terram; quia superbia et inanis gloria mentem per avaritiam honoris captam ita elevant, ut quoslibet proximos despicientes, quasi ima deserant, et alta gloriantes petant. Sed tales quique, dum superbiunt, et eos mente transeunt cum quibus sunt, et superioribus civibus minime jungutur. Amphora ergo levata inter cœlum et terram dicitur; quia avari quique per superbiam et inanem gloriam proximos juxta se despiciunt, et superiora quæ ultra ipsos sunt non apprehendunt. Inter cœlum et terram itaque feruntur; quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere se extollendo prævalent. *Et dixi ad angelum qui loquebatur in me : quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar* (*Vers.* 10 *et* 11). Sennaar quippe fœtor eorum dicitur. Sicut bonus odor ex virtute est, ita e contrario fetor ex vitio. *Radix* enim *omnium malorum cupiditas* (*I Tim.* VI, 10). Et quia quodlibet malum per avaritiam gignitur, dignum est ut domus avaritiæ in fœtore construatur. Sciendum quoque est quod Sennaar latissima vallis est, in qua turris a superbientibus ædificari cœperat, quæ linguarum facta diversitate destructa est; quæ scilicet turris Babylon dicta est, pro ipsa scilicet confusione mentium, et linguarum; nec immerito ibi amphora avaritiæ ponitur, ubi Babylon, id est confusio ædificatur; quia dum per avaritiam et impietatem certum est omnia mala exsurgere, recte hæc ipsa avaritia et impietas in confusione perhibentur habitare.

CAP. VI. — *Devorabunt et subjicient lapidibus fundæ* (*Zach.* IV, 15).

(Moral. lib. XXXIV, cap. 9.) De bonis doctoribus per Zachariam Dominus dicit : *Devorabunt et subjicient lapidibus fundæ* (*Zach.* IV, 15). Quid per fundam, nisi sancta Ecclesia designatur? Funda enim dum in gyrum mittitur [*Text. add.* sic], de illa lapides exeunt quibus adversariorum pectora feriantur. Ita sancta Ecclesia, dum volubilitate temporum, per tribulationum circuitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt, quibus quasi lapideis ictibus iniquorum corda tundantur. Sancti itaque doctores qui ad virtutem alios instruunt, hostes devorant, dum eos intra corpus suum per vim conversationis immutant; quos lapidibus fundæ subjiciunt, quia dum fortes quosque in sancta Ecclesia viros instituunt, per eos adversariorum superbientium pectora dura confringunt. Unde et Golias immanissimus saxo fundæ moritur, quia singulari sanctæ Ecclesiæ lapide diabolica celsitudo superatur.

CAP. VII. — *Et erit qui offenderit ex eis in die illa* (*Zach.* XII, 8).

(Lib. II, hom. 8, in Ezech., num. 18, 19, 20.) Fratres charissimi, ad vitam præteritam mentis oculos reducamus; et quia nos peccasse meminimus, defleamus. Magnus enim Creatoris nostri ad recipiendos fletus humilium misericordiæ sinus. Ubi enim innumerabilium hominum fletus suscepti sunt, ibi locum suum inventuræ sunt et lacrymæ nostræ. Pensemus quid per Zachariam dicitur : *Et erit qui offenderit ex*

eis in die illa, quasi David, et domus David quasi Dei (*Zach.* XII, 8). Reversus namque ad justitiam quisque habitatio efficitur Creatoris sui, ut sit sicut Angelus in conspectu ejus; quia misericordiæ viscera quæ in se expertus est, annuntiando et aliis propinat. Hinc etiam paulo post dicitur: *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ* (*Zach.* XIII, 1). Fons occultus est unigenitus Patris invisibilis Deus; fons vero patens est idem Deus incarnatus. Qui fons patens recte domus David dicitur, quia ex David genere Redemptor noster ad nos processit. Jerusalem vero visio pacis interpretatur. Hi autem Jerusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt. Peccator vero et menstruata est vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in prava cogitatione. Menstruatæ namque ista pollutio est, quia et aliena carne non tangitur, et sua carne inquinatur. Sic itaque sic est omnis anima, quæ et si malum opus non agit, polluta tamen cogitatione sordescit. Unde per prophetam alium sub Judææ specie de anima immundis desideriis occupata dicitur: *Omnes qui quærunt eam, non deficient* (*Jerem.* II, 24). Cum inferre perditionem cupiunt, et nulla bonæ cogitationis rectitudine repelluntur. Et in menstruis suis animam inveniunt, quando in pollutis cogitationibus positam facile ad perversam operationem trahunt. Dicatur ergo: *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem in ablutione peccatoris et menstruatæ;* quia apertus est jam nobis fons misericordiæ Redemptor noster, qui in domo David incarnari dignatus est, ut peccatorem lavet a perverso opere, et menstruatam mentem diluat ab immunda cogitatione. Patet ergo fons; curramus cum lacrymis, lavemur hoc fonte pietatis. In hoc fonte ipse quoque David lotus est, cum rediit ad lamenta pœnitentiæ, post maculam gravis culpæ. Ipsum quippe fontem invenire quærebat, cum diceret: *Redde mihi lætitiam Salutaris tui* (*Psal.* L, 14). Jesus enim Hebraice Salvator dicitur. Et quid est quod lætitiam Jesu reddi postulabat, nisi quod Jesum ante culpam contemplari consueverat, ejusque contemplationis gaudia in culpa perdiderat? Unde recte post pœnitentiam visionis ejus lætitiam sibi reddi quærebat. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene quæ prius famosa peccatrix, postmodum lavit maculas lacrymis (*Luc.* VII). In hoc fonte misericordiæ patente lavit Apostolus Petrus quod negaverat, quia flevit amare (*Matth.* XXVI). In hoc fonte misericordiæ in fine suo lotus est latro, qui seipsum in morte reprehendens a culpa sua ablutus est confessione veritatis (*Luc.* XXIII). De emundatione ergo nostra non desperemus, cum in hoc fonte pietatis tantos se jam lavasse cognoscimus. Quærere fontem misericordiæ debuimus, etiamsi esset clausus. Patet nunc, et negligimus, et torpentes, et frigidi remanemus. Mittamus oculos fidei in mundum universum, consideremus quanti peccatores diebus et noctibus per lamenta in hoc fonte misericordiæ laventur, quanti post tenebras ad lucem, quanti post maculas ad munditiam redeunt? Consideremus quantum peccavimus, quantum quotidie peccamus. Curramus ad aquam vitæ veniam quærentes, et cum lacrymis fiduciam habentes. Lavemus nos in hoc fonte pietatis, et misericordiæ Jesu Christo Domino nostro, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EXCERPTA

In quibus plurimi Psalmorum versus explicantur.

(Reg. pastoral. III part., cap. 32.) Multum a peccatis aliis differunt peccata quæ per judicium et deliberationem, sive per consilium perpetrantur, nec tam prava Dominus quam studia pravitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia; in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. Quo contra recte beati viri expressione per Psalmistam dicitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*Psal.* I, 1). Cathedra quippe judicis esse vel præsidentis solet. In cathedra quippe pestilentiæ sedere, est ex judicio prava committere. In cathedra pestilentiæ sedere, est ex ratione mala discernere, et tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in perversi consilii cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut implere malum etiam per consilia conetur; et sicut assistentibus turbis prælati sunt qui cathedræ honore fulciuntur, ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt. Hinc ergo colligant qui in culpa etiam se per consilium ligant, qua quandoque ultione feriendi sunt, qui nunc pravorum non socii, sed principes fiunt.

(Moral. lib. XIX, cap. 28; lib. I, hom. 2, in Ezech., num. 6.) Creator omnium Deus, qui in divinitate videri non potuit, assumpsit a nobis unde videretur a nobis; et per incarnationis suæ mysterium apparere dignatus est humano generi, quod ab ortu suo diffluit ad mortem, sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est super decursus aquarum* (*Psal.* I, 2). Juxta enim decursus aquarum plantatus est, quia juxta lapsus incarnatus est defluentium populorum. Decursus quippe aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum, et de semetipsa Veritas dicit: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* XXIII, 31)? Lignum ergo secus decursus aquarum est, qui fructum et protectionem sui nobis umbraculi proferens, apparuit Creator in carne, ut humanum genus per resurrectionem figeret, quod per defectum quotidie ibat ad mortem.

(Moral. lib. XXVI, c. 27, n. 50.) De reprobis in die judicii, alii judicantur et pereunt; alii non judicantur et pereunt. Judicantur et pereunt quibus Dominica inclamatione dicitur: *Esurivi et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 42), etc.; quibus præmittitur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum* (*Ibid.*, 41). Alii vero non judicantur et pereunt, de quibus Dominus dicit: *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18), et de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Rom.* II, 18); et de quibus Psalmista dicit: *Non resurgent impii in judicio* (*Psal.* I, 6). Eos impios vocat qui aut fidei pietate disjuncti sunt, aut in hoc quod fideliter credunt, pravis sibi moribus contradicunt. Resurgent quippe omnes infideles, sed ad tormentum non ad judicium; non enim eorum tunc causa discutitur, qui ad conspectum districti judicis jam condemnatione suæ infidelitatis accedunt; professionem autem fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Illi saltem verba judicis audiunt, qui ejus fidei verba saltem tenuerunt; isti in damnatione sua, æterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam nec verbo tenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub Lege positi peccaverunt; istis in perditione sua de Lege nihil dicitur, quia nihil habere Legis conati sunt. Princeps namque terrenam rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, et aliter hostem exterius rebellantem. In illo jura sua consulit, eumque sub verbis dignæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit; de malo vero ejus quid lex habeat non requirit, neque enim [*Text.* lege] necesse est puniri, qui lege nunquam potuit teneri.

Ita ergo in extremo judicio, et legalis illum invectio percutit, qui ab eo quod professione tenuit actione declinavit; et iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur.

(Moral. lib. VII, c. 16, n. 19.) Sciendum est quod aliquando nos adversarius, aliquando nos conterit Deus; ex contritione autem adversarii a virtute deficimus: per contritionem vero Domini fracti a vitiis, in virtute roboramur. Hanc contritionem et percussionem propheta conspexerat, cum dicebat: *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes* [Text., *conteres*] *eos* (*Psal.* II, 9). In virga ferrea nos Dominus regit, et conterit; quia dispensationis suæ recti fortitudine [*Text.*, forti rectitudine] cum nos interius relicit, exterius affligit. Nam quo virtutem carnis humiliat, et intentionem spiritus exaltat. Unde et hæc eadem contritio vasi figuli comparatur. Sicut et per Paulum dicitur: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV, 7). Qui simul contritionem et regimen exprimens, ait: *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem* (*Ibid.*, 16).

(Moral. lib. XX, c. 3, n. 8.) Sancti viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti; quippe quibus dicitur: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). Ut et de spe exsultatio, et de suspicione nascatur tremor. Quorum voce iterum Psalmista dicit: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LXXXV, 11). Qua in re notandum quod non ait: Lætetur ut securum sit, sed, lætetur ut timeat. Meminerunt namque quamvis eorum actio prosperetur, quia adhuc in hac vita sunt; de qua dicitur: *Tentatio est vita humana super terram* (*Job* VII, 1). Meminerunt et metuunt, et positi inter gaudium spei et tentationis metum, confidunt et timent, confortantur et titubant, certorantur et suspecti sunt.

(Moral. lib. V, c. 45, n. 82.) Sciendum quod alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur: hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio æterni Rectoris exarsit. De hac per Psalmistam dicitur: *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5). Quod nimirum non recte intelligunt qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus irascamur sicut nostris vitiis.

(Moral. lib. XXXV, c. 7, n. 10.) Coram Deo sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Hinc est quod Psalmista vigilanter exorat dicens: *Dirige in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* V, 9), quia nimirum plerumque in conspectu hominum recta via creditur, etiam quæ a veritatis itinere depravatur: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Ibid.*, 14). In Scriptura sacra scuti defensio sæpe pro divina protectione ponitur. Scuto quippe Dominus nos coronare perhibetur, quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat.

(Lib. II, hom. 4, in Ezech., num. 2; hom. 8, n. 5.) Per octavum numerum dies æterni judicii, et carnis resurrectio designatur. Unde Psalmista resurrectionis diem considerans, quia de extremi judicii erat districtione locuturus, præmisit titulum, dicens: *In finem psalmus David pro octava* (*Psal.* VI). Ut enim quam octavam diceret demonstraret, diem illam tremendi terroris in psalmi inchoatione secutus est, dicens: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Ibid.*, 1). Modo enim quisque per flagella corripitur, et correptionibus emendatur. In mansuetudine corripitur non in ira; indistricto autem illo examine omnis argutio et corruptio furor et ira est, quia venia post correptionem non est. Nunc tempus est misericordiæ, in illo autem judicio dies iræ. In quo videlicet die omne hoc tempus finitur quod septem diebus evolvitur, et quia post septem dies sequitur, jure octavus vocatur, in quo et caro nostra resurget ex pulvere, ut sive bona sive mala quæ egit recipiat a Veritate.

(Moral. lib. VIII, c. 18.) *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6)? Inferni nomine designatur desperatio peccatoris. Unde scriptum est: *Impius cum venerit in profundum peccatorum contemnet* (*Prov.* XVIII, 13).

(Moral. lib. XIX, c. 30, n. 53.) Ad vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Hinc Psalmista in typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos* (*Psal.* VI, 8). A fervore etenim mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos ipso aliquomodo vivendi usu veterascimus, et assumptæ novitatis specie fuscamur; a qua tamen vetustate quotidie si studia circumspectionis invigilent, orando, legendo, bene vivendo, renovamur, quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur; sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur.

(Moral. l. XIX, c. 30, n. 55.) Aliquando per arcum sacra Scriptura signatur: ipsa quippe arcus est Ecclesiæ, ipsa arcus est Domini. De qua ad corda hominum sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Unde recte per Psalmistam dicitur: *Arcum suum tetendit et paravit illum; et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit* (*Psal.* VII, 13). Arcum namque suum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo arcu scilicet vasa mortis præparat, quia secundum eloquii sui sententiam eos qui nunc corrigi negligunt reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus effecit, quia in eos quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit.

(Moral. l. XI, c. 28.) Hæretici ea astruunt quæ nequaquam Domino pro quo loquuntur placent: cumque Deum quasi defendere nituntur, offendunt. Unde per Psalmistam dicitur: *Ut destruas inimicum et defensorem* (*Psal.* VIII, 3). Omnis quippe hæreticus omnipotenti Deo inimicus et defensor est quia unde hunc quasi defendere nititur, inde veritati illius adversatur.

(Lib. II, hom. 1, in Ezech., n. 3.) In Scriptura sacra et ea accipi secundum historiam possunt plerumque quæ spiritaliter intelligenda sunt, ut et fides habeatur in veritate historiæ, et spiritualis intelligentia capiatur de mysteriis allegoriæ. Sicut illud est quod Psalmista ait: *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ* [*Text.* quas] *tu fundasti* (*Psal.* VIII, 4). Ecce enim in exteriori descriptione stat sermo rationis, quia et cœli opera Dei sunt, et luna et stellæ ab eo creatæ et fundatæ sunt. Sed si hoc Psalmista juxta sola exteriora opera, et non etiam secundum intellectum mysticum asserit: qui cœlos opera Dei esse professus est, dicturus lunam et stellas, cur non etiam solem, quem scimus quia ejus opus est, pariter enumeravit? Sed quia juxta intellectum mysticum loquebatur, ut lunam sanctam ecclesiam, et stellas omnes sanctos accipere deberemus, solem nominare noluit; quia videlicet ipsi æterno soli loquebatur, de quo scriptum est: *Vobis autem qui timetis Dominum orietur sol justitiæ* (*Malach.* IV, 2); quia non tantum solem et lunam et stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam et stellas sanctos omnes spiritualiter fecit.

(Lib. I, hom. 8, in Ezech., n. 23.) Incarnatus unigenitus patris per hoc quod homo factus est, infra angelos fuit, sicut Psalmista dicit: *Minorasti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII, 6). Resurgens autem et ascendens in cœlos, omnibus angelicis potestatibus præsidet. Sicut de eo rursum illic scriptum est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (*Vers.* 8).

(Moral. l. XI, c. 3; l. XIX, c. 16.) *Volucres cæli et pisces maris qui perambulant semitas maris* (*Psal.* IX, 8). Per pisces maris, curiosos hujus sæculi debemus

accipere, qui in magnis rerum inquisitionibus, quasi in abditis fluctibus latent. *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion* (*Ibid.*). Portæ mortis sunt actiones pravæ quæ ad interitum ducunt. Quia vero Sion speculatio dicitur, portas Sion actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, ut regis nostri gloriam contemplemur.

(Lib. II, hom. 35, in Evang., n. 9.) *Patientia pauperum non peribit in finem* (*Psal.* IX, 19). Quasi enim perisse patientia pauperum cernitur, cum nihil pro illa in hac vita humilibus recompensatur. Sed in finem non peribit quia tunc ejus gloria percipitur, cum simul omnia laboriosa terminantur. Nam pro labore patientiæ bona speranda sunt sequentis vitæ, ut tunc præmium nostri laboris incipiat, quando omnis jam labor cessat.

(Moral. l. XV, c. 11; l. XXXIII, c. 27, n. 48; l. XXXII, c. 15.) *Sub lingua ejus labor et dolor : sedet in insidiis cum divitibus in occultis* (*Psal.* IX, 19). Hoc de Antichristo dictum est. Qui enim non aperte mala quæ cogitat ostendit, laborem et dolorem eorum quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit. Propter enim perversa dogmata, sub lingua ejus labor et dolor est; propter miraculorum vero speciem, sedet in insidiis, propter autem sæcularis potestatis gloriam cum divitibus in occultis. Quia enim simul et miraculorum fraude, et terrena potestate utitur, et in occultis et cum divitibus sedere perhibetur. Qui videlicet Antichristus, quia non sola potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcitur, recte per eumdem David dicitur : *Insidiatur in occulto, quasi leo in cubili suo* (*Ibid.*, 30). Quia enim hic antiquus hostis in cunctis viribus suis effrenatur, sævire per utraque permittitur, ut contra electos in certamine, et fraude et virtute laxetur : virtute, per potentiam; fraude, per signa. Recte ergo et leo, et insidians dicitur. Insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem sæcularem. Ut enim eos qui aperte iniqui sunt pertrahat sæcularem potentiam ostentat; ut vero justos etiam fallat, signis sanctitatem simulat : illis enim suadet elationem magnitudinis : istos decipit ostensione sanctitatis.

(Moral. l. XXXIII, c. 1.) *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer* (*Psal.* X, 1)? Hæc ex voce Ecclesiæ Psalmista dicit. Per montem autem hæreticus quilibet exprimitur. Cum vero fideli animæ, unitate derelicta, in tumenti doctrina confidere hæretici prædicatoris dicitur, deserto Domino quasi in montem transmigrare suadetur.

(Moral. l. XXXI, c. 30.) *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* X, 2). Pharetræ nomine pravorum machinatio designatur. Iniqui ergo cum dolos quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas parant. Et in hac præsentis vitæ caligine velut in obscuro rectos corde feriunt, quia malitiosa eorum jacula, et sentiri per vulnus possunt, et tamen venientia deprehendi non possunt.

(Moral. l. XXVIII, c. 4; l. II, hom. 5, in Ezech., n. 6.) *Palpebræ ejus interrogant filios hominum* (*Psal.* X, 5). Palpebris apertis cernimus : clausis nihil videmus. Per palpebras autem Dei, ejus judicia accipimus, quæ juxta aliquid clauduntur hominibus, et juxta aliquid reserantur, ut homines qui se nesciunt, sibimetipsis innotescant. Quatenus dum quædam intelligendo comprehendunt, quædam vero cognoscere omnino non possunt, eorum corda se latenter inquirant, si illos divina judicia vel clausa non stimulant, vel aperta non inflant. Claudendo nos interrogant, si non despicimus quæ intelligere non valemus; aperiendo nos interrogant si intelligendo non extollimur.

(Moral. XV, c. 49.) *Pluet super peccatores laqueos; ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum* (*Psal.* X, 7). Pœna præsens quæ peccatores a pravis desideriis non immutat, nequaquam ab æternis supplicis liberat. Dicendo itaque laqueos, ignis, sulphur et spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit. Sed quia ab his doloribus peccator qui non corrigitur, ad æterna supplicia vocatur, eosdem dolores non jam totum calicem, sed partem calicis dixit; quia videlicet eorum pars hic quidem per dolores incipitur, sed in ultione perpetua consummatur.

(Moral. l. IV, c. 31.) *Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum* (*Psal.* XI, 7). Quid per argentum, nisi eloquia divina figurantur? Eloquium Domini argentum, igne examinatum dicitur, quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur.

(Moral. l. XXXIII, c. 10.) *Funes ceciderunt mihi in præclaris* (*Psal.* XV, 6). Per funes aliquando sacra Scriptura hæreditarias dimensionum sortes designare consuevit. Funes quippe in præclaris cadunt, dum per humilitatem vitæ sortes nos patriæ meliores [*Text.* melioris] excipiunt.

(Moral. lib. XXXV, cap. 3.) *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus* (*Psal.* XVI, 6). Bona desideria quoties effectum percipiunt, ad Deum multipliciora consurgunt. Non enim ait : quia clamavi, exaudisti me; sed, clamavi, quoniam exaudisti me. Qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditus clamabat.

(Lib. II, hom. 6, in Ezech., n. 21.) *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facit sperantes in te* (*Psalm.* XVI, 7). Tunc nobis misericordiæ Dei miræ fiunt, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur. Quia recolentes quod fuimus, intelligimus cui debemus quod sumus. Neque enim divinam misericordiam intelligit, qui miseriæ suæ memor non fuerit.

(Moral. l. XXXII, cap. 5.) *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Ibid.*, 9). Aliquando ab avibus similitudo Domini trahitur. Quia enim nos parvulos, dum protegit, nutrit; et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos avium alas tendit.

(Moral. lib. XXXII, cap. 11.) Certum est quod minus diligit ereptorem suum, qui minus intelligit periculum quod evasit. Unde bene ereptionem suam Domino tribuens Propheta dicebat : *Diligam te, Domine, virtus mea* (*Psalm.* XVII, 1). Quasi diceret : Eo te magis diligo, quo infirmitatem propriam sentiens, virtutem meam te esse cognosco. Hinc rursum ait : *Mirifica misericordias tuas* (*Psalm.* XVI, 7); quia tunc nimirum misericordiæ Domini miræ apud nosmetipsos qui eripimur fiunt, cum per easdem misericordias quam gravia fuerint pericula quæ evasimus, cognoscuntur.

(Moral. lib. IV, cap. 16; lib. V, cap. 7.) *Posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII, 12). Possunt per tenebras designari occulta judicia. In tenebris enim aut omnino nihil cernimus, aut incerto visu caligamus. Occulta ergo judicia, quasi quædam ante oculos nostros tenebræ sunt, quia scrutari nequaquam possunt. His se tenebris propheta circumdatum vidit, cum dispositionis intimæ penetrare interna non potuit, dicens : *Posuit tenebras latibulum suum.* Auctor enim noster, quia nobis in hoc exsilium dejectis lucem suæ visionis abstulit, sese nostris oculis quasi in tenebrarum latibulo abscondit.

(Moral. l. XVII, cap. 26, n. 36). *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psalm.* XVII, 12). In hoc loco aquam, scientiam; nubes, prædicatores vel Prophetas appellat. Tenebrosa ergo aqua in nubibus aeris, id est occulta scientia in Prophetis, qui ante adventum Domini, dum occultis sacramentis gravidi, mysteria immensa gestarent, intuentium oculis eorum intelligentia caligabat.

(Moral. lib. XXIX, cap. 20.) *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, et carbones ignis* (*Ibid.*, 13). Præ fulgore nubes transeunt, quia prædicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando et carbones

ignis vocati sunt, quia [*Text. add.* et] per correptionem feriunt, et per flammam charitatis accendunt; et sicut grando veniens percutit, liquida rigat, sic ipsi corda audientium, et terrentes feriunt, et blande rigantes infundunt.

(Moral. l. xxvi, cap. 24.) *Et in Deo meo transgrediar murum* (*Psalm.* xvii, 30.) Murus quippe est omne quod itineri nostro objicitur, ne ad eum qui diligitur transeatur. Sed murum transgredimur, cum amore supernæ patriæ quæque in hoc mundo fuerint objecta calcamus. Hinc rursum dicitur : *Qui fecit pedes meos tanquam cervorum* (*Ibid.* 34). Cervus cum montium juga conscendit, si aspera quæque se objiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, et absque ullo cursus sui obstaculo in superioribus elevatur. Ita etiam electorum mentes quæque sibi in hoc mundo obsistere et obviare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum despectis terrenarum rerum sentibus in superna se erigunt.

(Moral. l. xxxiv, cap. 14; lib. ii, hom. 38, in Evang., n. 3.) *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psalm.* xviii, 6). Propheta per solem manifestæ visionis ostensionem designat, et Dominum cunctorum oculis apparentem denuntiat. Ac si diceret : Humanitatis assumptæ sacramentum in lumine manifestæ visionis ostendit. *Et ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo* (*Ibid.*). Tanquam Sponsus quippe de thalamo suo processit, quia ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Dominus de incorrupto utero Virginis exivit.

(Moral. l. xi, c. 42, n. 57.) Inter scelera et delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit; delictum vero pondus peccati non transit : quia et cum offerri sacrificium per legem jubetur, nimirum præcipitur, sicut pro peccato, ita etiam pro delicto; et nunquam scelus nisi in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione. Unde per Psalmistam dicitur : *Delicta quis intelligit* (*Psalm.* xviii, 13). Quia videlicet peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur, peccata vero cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo invisibiliter perpetrantur. Inter iniquitatem vero et peccatum quamvis distare nihil perhibeat Joannes apostolus, qui ait : *Iniquitas peccatum est* (*I Joan.* iii, 4); ipso tamen usu loquendi plus iniquitas quam peccatum sonat : et omnis homo se libere peccatorem fatetur, iniquum vero dicere se nonnunquam erubescit.

(Lib. ii, hom. 8, in Ezech., num. 17.) Sunt quidam qui etiam sæculum relinquentes, totum quod habent Deo offerunt, sed tamen in bonis quæ agunt minime compunguntur : et bonum quod agunt holocaustum est, sed quia flere ac semetipsos dijudicare nesciunt, seque ex amore ad lacrymas non accendunt, perfectum eorum holocaustum non est. Hinc per Psalmistam dicitur : *Et holocaustum tuum pingue fiat* (*Psalm.* xix, 4). Holocaustum quippe siccum, est bonum opus quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocaustum vero pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. Unde rursum dicitur : *Holocausta medullata offeram tibi* (*Psalm.* lxv, 15). Quisquis enim bonum opus agit, sed ex omnipotentis Dei amore et desiderio flere nescit, holocaustum habet, sed medullam in holocausto non habet. Qui vero bona operatur, et visioni jam sui Creatoris inhiat, et ad æternæ contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore quo accenditur in fletibus mactat, holocausta Domino dedit medullata. Studendum ergo nobis est et mala funditus relinquere, et bona quæ sufficimus operari, et in ipsis bonis quæ agimus amore Dei [*Text.* æterni luminis] compungi.

(Moral. l. xv, cap. 29; l. vi, c. 30.) Sciendum quod omnes reprobi, quia anima simul et carne peccaverunt, in inferno retributionem cruciatus in anima pariter et carne recipiunt, quia et cogitando miseri et operando deliquerunt. Nam per Psalmistam dicitur : *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis* (*Psalm.* xx, 10). Quod enim ab igne devoratur, ab exteriori parte accenditur : clibanus vero interius inflammatur. In tempore ergo vultus Domini injusti omnes ut [*Text.* et] clibanus ponuntur, et ab igne devorantur : quia apparente judice cum a visione illius eorum multitudo repellitur, et intus per dolorem [*Text.* desiderium] ardet conscientia, et foris carnem cruciat gehenna.

(Moral. lib. xx, cap. 31; lib. xxvi, cap. 19; lib. xx, cap. 31; lib. xxvi, cap. 19.) Alto consilio Deus omnipotens cum sancti ejus adversariorum percussionibus [*Text.* persecutionibus] comprimuntur, cumque assiduis ut liberentur interpellationibus clamant, solet differre voces petentium, ut merita patientium crescant. Hinc enim Psalmista dicit : *Deus meus clamabo per diem nec exaudies, et nocte* (*Psalm.* xxi, 3). Atque ipsa utilitas de exaudiendi mora mox subditur : *Et non ad insipientiam mihi.* Ac si diceret : Nequaquam mihi ad insipientiam proficit quod die et nocte clamantem me continuo non exaudis, quia unde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sapientiam plus erudis. Ad multiplicandam quippe sanctorum sapientiam proficit, quod postulata tarde percipiunt, ut ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur, intellectus vero cum intenditur, ejus in Deum ardentior affectus aperitur : affectus autem ad promerenda cœlestia tanto fit capax, quanto fuerit exspectando longanimis. Hinc etiam dicitur : *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione* (*Psalm.* ix, 10). Tribulationem quippe dicturus, opportunitates præmisit; quia sæpe et tribulatione conterimur, et tamen opportunum nondum est ut ad desiderium ereptionis adjuvemur. Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod a superna cura negligatur.

(Moral l. iii, cap. 18; l. ii, hom. 8, in Ezech., n. 6; moral. l. xxxv, cap. 14, n. 26.) *Exaruit velut testa virtus mea* (*Psalm.* xxi, 16). Testa quippe est caro nostri Redemptoris ex nostræ substantiæ luto sumpta. Quia vero testa igne solidatur, virtus humanitatis ejus velut testa exaruit, quia ad virtutem incorruptionis ab igne passionis crevit; et assumptam carnem ad resurrectionis gloriam, passionis tribulatio ignis roboravit. *In conspectu ejus procident omnes qui descendunt in terram* (*Psalm.* xxi, 30). In terra mortui non spiritu, sed corpore descendunt. In conspectu ergo Domini procidunt qui in terram descendunt, quia resurgendo ad judicium veniunt, qui in pulvere putrescunt. *Impinguasti in oleo caput meum* (*Psalm.* xxii, 5); quia principale nostrum est mens, appellatione capitis mens vocatur. Ac si aperte diceretur : Arentem in suis cogitationibus mentem meam, charitatis unctione rigasti.

(Moral. l. vii, cap. 29.) *Qui non accepit in vano animam suam* (*Psalm.* xxiii, 4). In vano animam suam accipit qui, ejus vitam negligens, et curam carnis anteponit; qui sola præsentia cogitans, quæ sequantur in perpetuum non attendit. Sed animam suam in vanum justi non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur; quatenus et transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post vitam parat.

(Moral. l. xx, c. 14, n. 28.) Necessitates naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sæpe in eis minime discernitur quid circa illas per utilitatis studium, et quid agatur per voluptatis vitium. Crebro enim occasione seductionis inventa, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, et infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, et quasi sub patrocinio explendæ utilitatis occultat. Quas videlicet necessitates cupiebat evadere, qui dicebat : *De necessitatibus meis eripe me* (*Psalm.* xxiv, 17). Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere; et ne quid sponte illicitum admitteret, hoc ipsum satagebat evelli quod nolens ex radice tolera-

bat. Sancti enim viri in omne quod agunt solliciti sunt ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas quam A sibi debetur exigat, ne sub necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat.

Pars tertia,

EXPOSITIONEM NOVI TESTAMENTI COMPLECTENS.

LIBER PRIMUS.

De Testimoniis in Evangelium secundum Matthæum.

CAPUT PRIMUM [a]. — *Et post transmigrationem Babylonis* (*Matth.* I, 12).

(In expositione B. Job, lib. XXVIII, cap. 8, num. 19.) Jam per divinam gratiam omnibus liquet quem Scriptura sacra angularem lapidem vocat, illum profecto qui dum in se hinc Judaicum, illinc Gentilem populum suscipit, in una Ecclesiæ fabrica, quasi duos parietes jungit; et illum de quo scriptum est: *Qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Qui angularem se lapidem non solum in inferioribus, sed et in supernis exhibuit, quia et in terra plebi Israeliticæ nationes Gentium, et utramque simul angelis in cœlo sociavit; eo quippe nato clamaverunt angeli in terra: *Pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* XXI, 4). In ortu enim regis nequaquam pro magno offerrent hominibus pacis gaudia, si discordiam non haberent. De hoc lapide per Prophetam dicitur: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 12). Hujus lapidis typum Jechonias rex tenuit, quem Matthæus, dum quaterdenas generationes describeret, secundo numeravit. Quem enim in fine secundæ, ipsum rursum in initio tertiæ generationis inseruit. Ipse namque in Babyloniam cum Israelitica plebe migratus est, qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro utriusque parietis latere non immerito secundo numeratur, cujus migrationis flexu angularem lapidem signat. Ubi enim ordo a rectitudine flectitur, ut eat in diversum, tanquam angulum facit. Recte ergo numerari bis potuit, quia per utrumque parietem quasi in se duo latera ostendit. Unde et ejus bene imaginem tenuit, qui in Judæa ortus Gentilitatem colligens, quasi ab Jerosolymis Babyloniam venit, atque in semetipso fidei fabricam, prius discordiæ studio scissam, arte charitatis intexuit.

CAP. II. — *Quod in ea natum est* (*Matth.* I, 20).

(In exposit. Job, lib. XXIX, cap. 19, num. 36.) Homines, [b] inquit, tunc esse incipiunt, cum in matrum suarum ventre nascuntur, nam ipsa quoque conceptio nativitas dicitur, juxta hoc quod scriptum est: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

CAP. III. — *Jam securis ad radicem* (*Matth.* III, 10).

(Regul. pastoral. tert. part., admon. 22.) Tenaces nonnunquam dicere solent: concessis utimur, aliena non quærimus: etsi digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen perpetramus. Quod idcirco D sentiunt, quia videlicet aurem cordis a verbis cœlestibus claudunt. Neque enim dives in Evangelio qui induebatur purpura et bysso, qui epulabatur quotidie splendide, aliena rapuit, sed infructuose propriis usus fuisse perhibetur. Eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit. Hinc Joannes exclamat, dicens: *Jam securis ad radicem arboris posita est: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* III, 10). Qui ergo se innoxios, quia aliena non rapiunt æstimant, ictum securis vicinæ prævideant, et torporem improvidæ securitatis amittant, ne cum ferre fructum boni operis negligunt, a præsenti vita funditus, quasi viriditate radicitus excidantur.

CAP. IV. — *In quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, 17). B

(In Ezechiel. homil. 8.) Quid est autem quod Pater de Filio loquitur dicens: *In quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, 17)? Omnis enim qui pœnitendo corrigit aliqua quæ fecit, eo ipso quo pœnitet, se sibi displicuisse indicat, qui emendat quod fecit. Et quia omnipotens Pater, sicut intelligi ab hominibus poterat, humano modo locutus est de peccatoribus, dicens: *Pœnitet me fecisse hominem super terram* (*Genes.* VI, 7); quasi sibimetipsi in peccatoribus displicuit quos creavit. In solo autem sibi unigenito Deo et Domino nostro Jesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creasse eum non pœnituit, in quo peccatum omnimodo non invenit. Sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Juravit Dominus et non pœnituit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). In solo ergo sibi Redemptore nostro complacet Pater, quia in solo non invenit culpam in qua se reprehendat, quasi per pœnitentiam. C

CAP. V. — *Ductus est Jesus in desertum* (*Matth.* IV, 1).

In exposit. B. Job, lib. XXIV, n. 27.) Conversio securitatem parit mater autem negligentiæ solet esse securitas. Ne ergo negligentiam securitas generet, scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 5). Non enim ait ad requiem, sed ad tentationem, quia hostis noster adhuc in hac vita positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit; contra nos vero vehementius incitatur, cum ex corde nostro, quasi ex jure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum nonnisi post baptisma se tentare permisit; ut signum quoddam futuræ conversationis innueret, quod membra ejus postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent.

CAP. VI. — *Aperiens os suum* (*Matth.* V, 2).

(In exposit. B. Job, lib. IV, cap. 1, num. 1.) Scriptura sacra ex his quæ tenuiter præmittit, reverenter exspectanda indicat, quæ subjungit. Sicut enim clausa vascula quid intus habeant ignoramus, aperto vero ore vasculorum quid intrinsecus contineatur agnoscimus, ita sanctorum corda quæ clauso ore occulta sunt, aperto ore deteguntur; et cum cogitationes detegunt; os aperire referuntur, ut intenta mente, quasi apertis vasculis, quid intus contineant festinemus agnoscere, ac nosmetipsos eorum intimo odore recreare; unde et sublimia præcepta Domino in monte dicturo, præmittitur: *Aperiens os suum, dixit* (*Matth.* V, 2); quam-

[a] Omittitur hoc caput in Michaelino.

[b] In Michael, *in quid*, quod fortasse significat, *in aliquo, aliqua ex parte*. Nisi fortasse *d* pro *t* irrepserit. Sane sæpe in Mss. occurrit *t* pro *d* ut *Davit*, pro *David*; sed non vice versa *d* pro *t*.

vis illic et hoc accipi debeat, quia tunc os suum in præceptis aperuit in quibus dudum aperuerat ora prophetarum.

Cap. VII. — *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v, 3).

(In exposit. B. Job, lib. xxvi, num. 49.) Scriptura sacra plerumque pauperes humiles vocare consuevit. Unde in Evangelio cum adjectione spiritus nominantur, dum dicitur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3). Quia enim divitiæ visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt qui elati in suis conscientiis non sunt.

Cap. VIII. — *Neque accendunt lucernam* (*Matth.* v, 15).

(In exposit. B. Job, lib. xxx, n. 77.) Dominus dicit in Evangelio : *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum* (*Matth.* v, 15). In modio enim commodum temporale, in lucerna autem lux prædicationis accipitur. Lucernam ergo sub modio ponere est propter temporale commodum gratiam prædicationis abscondere, quod nemo utique electorum facit. Et bene illic additur : *Sed super candelabrum*. In candelabro enim status corporis designatur. Cui lucerna supponitur, dum eidem corpori cura prædicationis antefertur.

Cap. IX. — *Videant opera vestra bona* (*Matth.* v, 16).

(In exposit. B. Job, lib. viii, num. 83 et 84.) Veritas dicit : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). Sed aliud est profecto cum in ostensione operis gloria quæritur largitoris, aliud cum laus privata concupiscitur de dono largientis. Unde et rursus in Evangelio hæc eadem Veritas dicit : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Ibid.* vi, 1). Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examinatione pensandum est, per ejusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta servamus. Si vero per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi a multis ignorantur. Sed valde perfectorum est sic ostenso opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude privata nesciat exsultatione gaudere. Tunc solum namque innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur, quam infirmi quia profecto contemnendo non superant, restat necesse est ut bonum quod operantur abscondant. Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio propriam laudem quærunt, sæpe vero in ostensione operis auctoris gloriam patefacere cupiunt, sed excepti favoribus in laudis propriæ cupiditate rapiuntur. Cumque semetipsos dijudicare interius negligunt, sparsi exterius ignorant quod agunt; eorumque opus suæ elationi militat, atque hoc se impendere obsequio largitoris putant.

Cap. X. — *Item ac supra* (*Matth.* v, 16).

(Ex lib. Regulæ pastoralis, admonit. 36.) Quisquis enim laudis concupiscentiam calcare jam sufficit, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ agit occultat; et quasi jacto semine germinandi radices subtrahit qui opus quod imitandum est non ostendit. Hinc namque in Evangelio Veritas dicit : *Videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). Ubi illa quoque sententia promitur, quæ longe aliud præcepisse videtur, dicens : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* vi, 2). Quid ergo quod opus nostrum et ita faciendum est ne videatur, et tamen ut debeat videri præcipitur, nisi quod ea quæ agimus, et occultanda sunt ne humanam gloriam requiramus, et manifestanda ut laudem cœlestis Patris augeamus? Nam cum nos justitiam nostram Dominus coram hominibus facere prohibet, illico adjunxit : *Ne videamini ab eis*. Et cum rursus videnda ab hominibus bona opera præciperet, protinus subdidit : *Ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*. Qualiter igitur videnda essent, vel qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstravit : quatenus operantis mens opus suum, et propter se videri non quæreret, et tamen hoc propter cœlestis Patris gloriam non celaret. Unde fit plerumque ut bonum opus in occulto sit, cum fit publice, et rursus in publico, cum agitur occulte. Qui enim in publico bono opere non suam sed superni Patris gloriam quærit, quod fecit abscondit; quia illum solum testem habuit cui placere curavit, et qui in secreto bono suo opere deprehendi ac laudari concupiscit, et nullus fortasse vidit quod exhibuit, et tamen hoc coram hominibus fecit, quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde requisivit.

Cap. XI. — *Nolite putare quoniam veni solvere Legem* (*Matth.* v, 17).

(In exposit. Ezech. sec. part., hom. 4.) Minora quippe præcepta Israelitico populo per Legem data sunt. Unde et eidem populo Moyses in campo locutus est. Altiora Dominus sanctis apostolis dedit, unde et eosdem mandata vitæ in monte docuit. Dum vero Redemptor noster per Evangelium dicit : *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17). Adimplere enim venerat Legem, qui Legis justitiæ gratiam addidit. Ut quod illa jubebat in minimis ipse perfici adjuvaret in summis, et quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret à corde.

Cap. XII. — *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v, 22).

(In exposit. B. Job, lib. xxi, num. 9.) Sic autem Dominus uniuscujusque considerat vias, sicut dinumerat gressus; ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc etenim dicit : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v, 22). Racha quippe in Hebræo eloquio vox interjectionis est, quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata. Ad extremum quoque cum dicitur *fatue*, ira redarguitur, quæ cum excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse judicio, in voce iræ quod est *racha*, reum concilio, in verbo vocis, quod est *fatue* reum gehennæ. Per gradus etenim culpæ crevit ordo sententiæ, quia in judicio adhuc causa discutitur; in concilio autem jam causæ sententia definitur; in gehenna vero ignis ea quæ de concilio egreditur sententia expletur.

Cap. XIII. — *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides* (*Matth.* v, 27).

(In expositione Ezech. hom. 3, lib. ii.) Recte autem limen exterius Testamenti veteris Patres designat, quia per eorum prædicationem opera perversa punita sunt, per dicta vero novorum Patrum uniuscujusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus et in deliberatione cordis ostenditur. Illi quippe a flagitiis, a crudelitatibus, a rapinis auditorum animas prohibere curaverunt. Isti vero dum non solum perversa opera, sed etiam illicita cogitationum resecant, quid nobis aliud nisi limen intrinsecus facti sunt? Unde et ipsa Veritas loquitur, dicens : *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides : qui autem occiderit reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v, 27).

Cap. XIV. — *Si offers munus tuum ad altare* (*Matth.* v, 23).

(In expositione Ezech. 1, part. hom. 8.) Quia autem nil sine concordia placeat Deo ipsa per se Veritas demonstrat, dicens : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus deliquit*

adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum (*Matth.* v, 23). Ecce a discordantibus accipere non vult sacrificium, holocaustum suscipere recusat : hinc ergo perpendite malum quantum sit discordiæ, propter quod et illud abjicitur per quod culpa laxatur.

* Cap. XV. — *Idem ac supra.*

(Ex lib. Reg. pastor. tert. part., admon. 23.) Dissidentes tandiu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quandiu a proximorum charitate discordant. Scriptum namque est : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* v, 23). Ex qua scilicet præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quia intolerabilis culpa monstratur. Nam cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, pensemus quanta sint mala discordiæ, quæ nisi exstincta funditus fuerint, bonum subsequi non permittunt.

Cap. XVI. — *Non adulterabis : ego autem dico vobis* (*Matth.* v, 27).

(In exposit. B. Job, lib. xxi, cap. 2.) Redemptor noster veniens Legis præcepta transcendit, et ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis abolevit, dicens : *Scriptum est : Non adulterabis : ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 27). Per Moysen quippe luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiæ luxuria cogitata damnatur. Hinc est enim quod discipulis primus Ecclesiæ pastor dicit : *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam* (*I Petr.* i, 13) ; lumbos enim carnis succingere est luxuriam ab affectu refrenare, lumbos vero mentis succingere est hanc etiam a cogitatione restringere. Hinc est quod angelus qui Joannem alloquitur, zona aurea super mamillas cinctus esse perhibetur, quia enim Testamenti novi munditia et cordis luxuriam frenat, angelus qui in eo apparuit (*Apoc.* i, 13) in pectore cinctus venit, quem bene zona aurea stringit, quia quisquis supernæ patriæ civis est, non jam timore supplicii, sed amore charitatis immunditiam deserit.

Cap. XVII. — *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* v, 44).

(Homil. 35, in Evang., n. 3.) Veritas dicit : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vobis* (*Matth.* v, 44). Virtus namque est coram hominibus, adversarios tolerare ; sed virtus coram Deo diligere, quia hoc solum Deus sacrificium accipit quod ante ejus oculos in altari boni operis flammam charitatis incendit.

Cap. XVIII. — *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus* (*Matth.* vi, 1).

(In exposit. B. Job, lib. xix, n. 36.) Sanctorum quippe virorum est bona quæ fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Unde et per semetipsam Veritas dicit : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* vi, 1). Hinc est etiam quod duos cæcos juxta viam sedentes illuminans, præcepit dicens : *Videte, ne quis sciat* (*Matth.* ix, 30). De quibus illico scriptum est quia illi abeuntes diffamaverunt eum per totam terram illam. Sed quærendum nobis est quid sit hoc quod ipse omnipotens cui hoc est velle quod posse, et taceri virtutes suas voluit, et tamen ab his qui illuminati sunt quasi invitus indicatur, nisi quod servis suis se sequentibus exemplum dedit ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, et tamen ut alii ex eorum exemplo proficiant, prodantur inviti. Et facta quidem sua occultando seipsos custodiant ; sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur ; et eorum occultatio sit propria custodia, eorum publicatio sit utilitas aliena. Rursum quia scriptum est : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt ; sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* (*Matth.* v, 15), et reliqua ; aliquando sancti viri et coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare ; sed ad eum finem sua facta narrant, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum qui in cœlis est, debeat glorificari. Dum enim sancta prædicant, ipsa prædicatio eorum fortasse despicitur, quorum vita noscitur. Compelluntur ergo vitam suam dicere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare, et facta sua referunt, ut venerationi sint ; venerari appetunt, ut reverenter audiantur.

Cap. XIX. — *Idem ac supra.*

(In Regul. pastoral., admon. 22.) Cum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur ; justitiæ potius debitum solvimus, quam misericordiæ opera implemus. Unde et ipsa Veritas cum de misericordia caute exhibenda loqueretur, ait : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus* (*Matth.* vi, 1). Cui sententiæ etiam psalmista concinens, dicit : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum* (*Psalm.* cxi, 9). Cum enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit ; quia quod a communi Domino tribuitur, justum profecto est ut quicunque excipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait : *Qui justus est, tribuit et non cessabit* (*Prov.* xxi, 26).

Cap. XX. — *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* vi, 2).

(In exposit. B. Job, lib. iv, n. 18.) Hi qui pro humana laude in bona actione se exhibent, incassum adveniente judice retributionem bonorum operum sperant ; quia dum hæc in ostensionem faciunt, laudis jam præmium ab humano ore receperunt, Veritate attestante, quæ ait : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* vi, 2).

Cap. XXI. — *Idem ac supra.*

(Regul. pastoral., admonit. 36.) Vile namque bona sua dijudicant qui ad eorum mercedem sufficere humanos favores putant. Cum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venundatur. De quo videlicet percepto pretio Veritas dicit : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* vi, 1).

Cap. XXII. — *Intra in cubiculum tuum* (*Matth.* vi, 6).

(In exposit. B. Job, lib. xxii, n. 43.) In Evangelio Dominus dicit : *Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi* (*Matth.* vi, 6). Clauso quippe ostio petit in cubiculo, qui tacenti ore in conspectu supernæ jetatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, desideria cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* ix, 17).

Cap. XXIII. — *Fiat voluntas tua* (*Matth.* vi, 10).

(In exposit. B. Job, lib. xxvii, n. 65.) Possunt per cœlos hi qui in cœlestibus sunt conditi angelici spiritus designari. Unde et in oratione nostra dicere vociferantes, instruimur : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* vi, 10). Quo nimirum voluntas Dei sicut a superiore creatura agitur, ita in omnibus etiam ab humana infirmitate servetur.

Cap. XXIV. — *Panem nostrum quotidianum* (*Matth.* vi, 11).

(In exposit. B. Job, lib. xxiv, n. 13.) In Dominica

[a] In Michaelino caput hoc postponitur sequenti.

oratione dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* VI, 11). Ecce et nostrum dicimus, et tamen oramus ut detur. Noster quippe fit cum accipitur; qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere, et noster fit per acceptionem.

CAP. XXV. — *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12).

(In exposit. B. Job, lib. X, n. 30.) Vitam quippe animæ quælibet culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit; menti namque ut gladius figitur, et mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet a transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur, quia et vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicit : *Nisi remiseritis hominibus, nec Pater vester qui in cœlis est, remittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI, 15). Hinc admonet, dicens : *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus alterum* (*Matth.* XI, 25). Hinc rursum ait : *Date et dabitur vobis, dimittite et dimittetur vobis* (*Luc.* VI, 38). Hinc in constitutione postulationis conditionem posuit pietatis, dicens : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Ut profecto bonum quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conversi faciamus.

CAP. XXVI. — *Si oculus tuus fuerit simplex* (*Matth.* VI, 22).

(In exposit. B. Job, lib. X, n. 41.) Quod oculorum nomine vis intentionis exprimitur, per Evangelium Veritas attestatur, dicens : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI, 22). Quia videlicet si operationem nostram intentio munda prævenerit, quælibet aliter hominibus videatur, interni tamen judicis oculis mundum subsequentis actionis corpus ostenditur.

CAP. XXVII. — *Idem ac supra.*

(Hom. 7 in Ezech., n. 2.) Quidquid ergo agitur, in radice intentionis pensandum est quo merito apud judicium Creatoris habeatur. Unde et idem Creator dicit : *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI, 22). Oculum videlicet intentionem, corpus vero actionem nominans; quia si nostra intentio apud Deum simplex fuerit, in ejus judicio nostra actio tenebrosa non erit.

CAP. XXVIII. — *Quærite primum regnum Dei* (*Matth.* VI, 33).

(In exposit. B. Job, lib. XV, n. 53.) Cum Deus in oratione non quæritur, citius animus in oratione lassatur, quia cum illa quisque postulat quæ fortasse juxta occultum judicium Deus tribuere recusat, ipse quoque venit in fastidium qui non vult dare quod amatur. Sed se magis Dominus quam ea quæ condidit vult amari, æterna potius quam terrena postulari, sicut scriptum est : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33). Qui enim non ait, dabuntur, sed adjicientur; profecto indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in usu vero temporalitas esse debet; et illud datur, et hoc nimirum ex abundanti superadditur; et tamen sæpe homines, dum bona temporalia postulant, æterna vero præmia non requirunt, petunt quod adjicitur, et illud non desiderant ubi adjiciatur; nec lucrum suæ esse petitionis deputant, si hic sint temporaliter pauperes, et illic beatitudine divites in æternum vivant, sed solis, ut dictum est, visibilibus intenti, labore postulationis renuunt invisibilia mercari; qui si superna quærerent, jam cum fructu laborem exhiberent. Quia cum mens in precibus adjutoris sui speciem anhelat, divinis desideriis inflammata, supernis conjungitur, ab inferioribus separatur. Amore fervoris sui se aperit ut capiat, et capiens inflammat; et superiora amare, jam sursum ire est; dumque magno desiderio ad cœlestia inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere quærit degustat.

CAP. XXIX. — *Nolite solliciti esse in crastinum* (*Matth.* VI, 34).

(In exposit. B. Job, lib. IX, n. 105.) Plerumque se ad viam rectitudinis animus accingit, torporem decutit; tantoque in cœlestibus desiderio rapitur, ut pene nil ex eo inferius remansisse videatur; et tamen cum ad carnis curam reducitur, sine qua præsentis vitæ via nullo modo expletur, ita hunc inferius depressum tenet, ac si adhuc de summis nulla contigisset. Auditis verbis cœlestis oraculi in amorem patriæ cœlestis erigitur, sed resurgente præsentis vitæ studio sub terrenæ curæ aggere sepelitur. Atque in terra cordis nequaquam supernæ spei semen proficit, quia cogitationis infimæ spina densescit. Quam videlicet spinam per semetipsam Veritas manu sanctæ exhortationis eradicat, dicens : *Nolite solliciti esse in crastinum* (*Matth.* VI, 34). Contra hanc quoque per Paulum dicitur : *Carnis ne feceritis curam in concupiscentiis* (*Rom.* XIII, 14). Sed in his nimirum ducis ac militis verbis agnoscimus, quia tunc ab ea mortifero vulnere animus pungitur, cum in eo mensuræ æquitas non tenetur (*Num.* 106). Neque enim mortali adhuc in carne viventibus funditus cura carnis abscinditur, sed ut discrete animo serviat, temperatur. Nam quia sollicitos nos esse veritas in crastinum prohibet, habere utcunque curam in præsentibus non negat, quam tendi ad tempus quod sequitur, vetat. Et nimirum Paulus cum curam carnis fieri in concupiscentia non sinit, procul dubio in necessitate concedit; discretione ergo magni moderaminis carnis cura frenanda est ut serviat, et minime principetur. Nec quasi domina animum vincat, sed subacta mentis dominio, quasi ancilla famuletur. Ut jussa adsit, atque ad nutum cordis repulsa dissiliat : ut vix a tergo sanctæ cogitationis appareat, et nunquam contra faciem recta cogitantis obsistat.

CAP. XXX. — *Quid autem vides festucam* (*Matth.* VII, 3).

(Regul. pastoral. admonit. 10.) Quibusdam patientibus nec tamen diligentibus Veritas dicit : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non consideras* (*Matth.* VII, 3)? Perturbatio quippe impatientiæ festuca est, malitia vero in corde trabes in oculo. Illam namque aura tentationis agitat, hanc autem consummata nequitia pene immobiliter portat. Recte vero illic subjungitur : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (*Ibid.*, 5). Ac si dicatur menti iniquæ interius dolenti, et sanctam se exterius per patientiam demonstranti : Prius a te molem malitiæ excute : et tunc alios de impatientiæ levitate reprehende; ne dum non studes simulationem vincere, pejus tibi sit aliena prava tolerare.

CAP. XXXI. — *Quæ vultis ut faciant vobis homines bona* (*Matth.* VII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 54.) Species quippe hominis est alter homo. Recte enim species nostra dicitur proximus noster, quia in illo cernimus quod ipsi sumus. Corporali enim visitatione ad proximum gressuum accessu imus, spirituali vero, non gressu, sed affectu ducimur. Speciem ergo suam visitat quisquis ad eum quem sibi similem per naturam conspicit passibus amoris tendit, ut, in altero sua considerans, ex seipso colligat qualiter infirmanti alteri condescendat. Speciem suam visitat qui ut in se alterum reficiat, se in altero pensat. Hinc namque per Moysen Veritas cum gesta describeret, gerenda signabat, dicens : *Protulit terra herbam virentem et ferentem semen, juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam* (*Genes.* I, 12). Lignum quippe secundum suam speciem semen producit, cum

mens nostra ex se considerationem in altero colligit, et recti operis germen parit. Hinc quidam sapiens ait : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Tob.* IV, 16). Hinc in Evangelio Dominus dicit : *Quæ vultis ut faciant vobis homines bona, et vos eadem facite illis* (*Matth.* VII, 12). Ac si aperte diceret : Speciem vestram in altero visitate, atque ex vobismetipsis agnoscite quid vos oporteat aliis exhibere.

CAP. XXXII.—*Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne aliquando alteri facias* (*Tob.* VII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 8.) Dei dilectio per tria distinguitur, quia ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine diligi Conditor jubetur. Qua in re notandum est quod divinus sermo, cum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam formal ex quanto cum subjungit, ex toto. Ut videlicet qui perfecte Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta derivatur, cum et per quemdam justum dicitur: *Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne aliquando alteri facias* (*Tob.* IV, 16) : et per semetipsam Veritas dicit: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, ea et vos facite illis* (*Matth.* VII, 12). Quibus duobus scilicet utriusque Testamenti mandatis per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur; ut malum quod pati non vult quisque non faciens, cesset a nocendi opere; et rursum bonum quod sibi fieri appetit impendens, erga utilitatem se proximi exerceat ex benignitate.

CAP. XXXIII. — *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 17.) Platea quippe sermonis Græci ratione pro latitudine dicitur. Quid vero est humanæ menti angustius quam voluntates proprias frangere? De qua fractione Veritas dicit : *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13). Quid autem latius quam nullis propriis voluntatibus reluctari, et quaquaversum impulsus arbitrii duxerit, se sine retractione diffundere?

CAP. XXXIV. — *Idem ac supra.*

(In Ezech. hom. 5, num. 12 et 13.) De charitate quippe scriptum est : *Latum mandatum tuum nimis* (*Psalm.* CXVIII, 96). De hac iterum Psalmista ait : *Statuisti in loco spatioso pedes meos* (*Psal.* XXX, 9). Sed ecce dum loquor, animo occurrit quomodo lata est charitas, si per charitatem attingitur ad Deum, et per semetipsam Veritas dicit : *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13)? Quid autem latius? Rursum Psalmistam audio dicentem : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI, 4). Atque in Evangelio Dominus dicit : *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 30). Quomodo ergo lata charitas si angusta porta? quomodo jugum suave est, et onus leve, si in præceptis Dei viæ duræ sunt quæ custodiuntur? Sed hanc vobis quæstionem citius ipsa charitas solvit, quia via Dei et inchoantibus angusta est, et tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre cœperimus; ita ut pro amore ejus et persecutio placeat, et omnis pro eo afflictio in mentis dulcedinem veniat. Sicut sancti quoque apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella tolerabant. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit; ipsæ viæ duræ spiritualiter currentibus, molles et planæ fiunt. Dum enim scit animus se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, et hoc incipit quod affligitur amare.

CAP. XXXV.—*Ex fructibus eorum cognoscetis* (*Matth.* VII, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 66.) Tunc spiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis vel operibus non demonstratur. Nam cum scriptum sit : *Ex fructibus eorum cognoscetis* (*Matth.* VII, 20), per hoc quod foras agitur, quidquid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur : *Quomodo in aquis resplendent vultus perspicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus* (*Prov.* XXVII, 19).

CAP. XXXVI. *Multi dicent : Domine, Domine* (*Matth.* VII, 22).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 66.) Sæpe iniqui mira signorum opera faciunt, ab obsessis corporibus spiritus pellunt, et per prophetiæ donum ventura quæque sciendo præveniunt, sed tamen a largitore tot munerum cogitationis intentione divisi sunt, quia per ejus dona non ejus gloriam, sed proprios favores quærunt. Cumque per accepta bona in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, unde ejus apostoli humiles esse debuerunt. Sed eo eos postmodum districtior sententia percutit, quo nunc superna bonitas et ingratos largius infundit; fitque amplitudo muneris incrementum damnationis, quia irrigati fructum non ferunt, sed sub viriditatis colore vacui in altum crescunt. Quos bene per Evangelium Veritas exprimit, dicens : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne prophetavimus in nomine tuo, et in nomine tuo dæmonia ejecimus? et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me, operarii iniquitatum* (*Matth.* VII, 22).

CAP. XXXVII. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 17.) Nonnunquam hæretici signa quoque ac miracula faciunt, sed ut hic præmia afflictionis suæ abstinentiæque recipiant, videlicet laudes quas quærunt. Unde et Redemptoris voce dicitur : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII, 22). Qua nimirum sententia quid datur intelligi, nisi ut in hominibus charitatis humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari? Unde nunc sancta Ecclesia etiamsi qua fiant hæreticorum miracula despicit, quia hæc sanctitatis speciem non esse cognoscit. Probatio quippe sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere; de Deo autem vera, de proximo vero meliora quam de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non autem in ostensione miraculi, Veritas demonstrat, quæ ait : *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 35). Qui enim non ait : In hoc cognoscetur, quia mei discipuli estis si signa feceritis, sed ait : Si dilectionem habueritis ad invicem; aperte indicat, quia veros Dei famulos non miracula, sed sola Dei charitas probat. Testimonium ergo superni discipulatus est donum fraternæ dilectionis.

CAP. XXXVIII. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 13.) Nonnulli quippe mundum deserunt, et bonorum transeuntium vana derelinquunt, et ima humilitatis appetentes, humanæ conversationis morem bene vivendo transcendunt; atque in tanta studiorum arte proficiunt, ut signorum jam virtutes operentur; sed quia semetipsos circumspiciendo tegere negligunt, inanis gloriæ telo percussi, pejus de alto ruunt. Hinc est enim quod æternus qui occulta cordis examinat, ejusdem ruinæ casum prænuntians intentat, cum dicit : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem, nescio qui estis* (*Matth.* VII, 22, 23).

CAP. XXXIX.—*Nescio vos unde sitis* (*Matth.* VII, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 1.) Nescire

autem Dei reprobare est : sicut quibusdam in fine dicturus est : *Nescio vos unde sitis. Discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII, 22.)

CAP. XL. — *Erat enim docens sicut potestatem habens* (*Matth.* VII, 29).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 24.) De Domino scriptum est : *Erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ et Pharisæi* (*Matth.* VII, 29). Singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit; ex divinitatis quippe potentia habuit id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministravit.

CAP. XLI. — *Vulpes foveas habent* (*Matth.* VIII, 20).

(In exposit. B. Job, XIX, num. 2.) Per volucres quippe nonnunquam potestates aereæ designantur bonorum studiis adversæ. Unde Veritatis ore dicitur : *Quoniam semen quod secus viam cecidit, venerunt volucres et comederunt illud* (*Matth.* XIII, 4); quia nimirum maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ a memoria evellunt. Hinc rursum cuidam superba sapienti dicitur : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII, 20). Vulpes valde fraudulenta sunt animalia quæ in fossis vel specubus absconduntur. Cumque apparuerint, nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt; volucres vero, ut novimus, alto volatu se in aere sublevant. Nomine ergo vulpium dolosa atque fraudulenta, nomine autem volucrum hæc eadem superba dæmonia signantur. Ac si dicat : Fraudulenta et elata dæmonia in corde vestro, id est in cogitatione superbiæ inveniunt habitationem suam, filius autem hominis ubi caput suum reclinet non habet; id est, humilitas mea requiem in superba mente vestra non invenit.

CAP. XLII. — *Dimitte mortuos sepelire mortuos* (*Matth.* VIII, 22).

(In exposit. B. Job, lib. IV num. 52.) Redemptor noster puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulcro autem Lazarum suscitat. Adhuc quippe in domo mortuus jacet, qui latet in peccato; jam quasi extra portam advehitur, cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam usu consuetudinis gravatur. Sed hos ad vitam miseratus revocat, quia plerumque divina gratia non solum in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, et mole pravæ consuetudinis pressos, respectus sui lumine illustrat. Quartum vero mortuum Redemptor noster nuntiante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat, quia valde difficile est ut is quem post usum malæ consuetudinis etiam adulantium linguæ excipiunt, a mentis suæ morte revocetur. De quo ibidem dicitur : *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Luc.* XIX 60). Mortui enim mortuos suos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt. Quid enim est aliud peccare quam occumbere? Sed qui peccantem laudibus prosequuntur, exstinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. Erat autem et Lazarus mortuus, sed tamen non a mortuis sepultus. Fideles quippe illum mulieres obruerant, quæ et ejus mortem vivificatori nuntiabant. Unde et protinus ad lucem redit, quia cum in peccato animus moritur, citius ad vitam reducitur, si super hunc sollicite cogitationes vivunt.

CAP. XLIII. — *Quid nobis et tibi, Fili Dei* (*Matth.* VIII, 29).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 43.) Antiquus hostis Redemptorem humani generis debellatorem suum in mundum venisse cognovit, unde et per obsessum hominem in Evangelio dicit : *Quid nobis et tibi, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos* (*Matth.* VIII, 29). Qui tamen prius cum hunc passibilem cerneret, cum posse mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus divinitate suspicatus est, ei fastu superbiæ suæ in dubium venit. Nihil quippe nisi superbum sapiens, dum esse humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde et ad tentationum se argumenta convertit, dicens : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV, 3). Quia igitur passibilem vidit, non Deum natum, sed de gratia custoditum credidit.

CAP. XLIV. — *Si ejicis nos, mitte nos* (*Matth.* VIII, 31).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 16.) Cum sanctum virum Satan tentare appetit, et tamen Deo, ut manum suam extendere debeat, dicit; valde notandum est quia feriendi vires nec ipse sibi tribuit, qui contra auctorem omnium singulariter superbit. Scit namque quia quodlibet agere ex semetipso non sufficit, quia nec per semetipsum in eo quod spiritus est existit. Hinc est quod in Evangelio expellenda de homine legio dicebat : *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum* (*Matth.* VIII, 31). Qui enim per semetipsum in porcos ire non poterat, quid mirum si sine auctoris manu sancti viri domum contingere non valebat?

CAP. XLV. — *Vade in domum tuam* (*Matth.* IX, 6).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 34.) Solet etiam domus inhabitatio cordis intelligi. Unde sanato cuidam dicitur : *Vade in domum tuam* (*Matth* IX, 6). Quia nimirum dignum est ut peccator post veniam ad mentem suam redeat, ne iterum quod juste feriatur admittat.

CAP. XLVI. — *Surge, tolle lectum tuum* (*Matth.* IX, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 46.) Quid est enim quod in Evangelio sanato cuidam Dominus dicit : *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula in domum tuam* (*Marc.* IX, 11; *Joan.* V, 8); nisi quod per grabatum voluptas corporis designatur? Et jubetur utique ut hic sanus portet ubi infirmus jacuerat, quia nimirum omnis qui adhuc vitiis delectatur, infirmus jacet in voluptatibus carnis; sed sanus hoc portat ubi infirmus jacuerat, quia divino adjutorio erectus, a vitiis ejusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in cujus prius desideriis requiescebat.

CAP. XLVII. — *Vinum novum in utres novos* (*Matth.* IX, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 20.) In musto vero spiritus sancti fervor accipitur. De quo in Evangelio Dominus dicit : *Vinum novum in utres novos mittunt* (*Matth.* IX, 17). Ex quo dum repente replerentur apostoli, dum linguis omnibus loquerentur, a Judæis nescientibus, sed tamen vera attestantibus, dictum est : *Hi musto pleni sunt* (*Act.* II, 4).

CAP. XLVIII. — *Et cum ejecta esset turba* (*Matth.* IX, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 68.) Eorum corda qui terrenam vitam diligunt, desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, ut ad quietis intimæ desiderium non leventur. Unde cum mira ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, et post in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Evangelii historia innuit, in qua, dum ad resuscitandam filiam principis invitatus Dominus duceretur, protinus additur : *Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus, et surrexit puella* (*Matth.* IX, 25). Foras ergo turba ejicitur ut puella suscitetur, quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus jacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit.

CAP. XLIX. — *Estote prudentes sicut serpentes* (*Matth.* x, 16).

(Homil. 30 in Evangel., num. 5.) Neque etenim placet Deo, aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate. Hinc ipsa Veritas dicit : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* x, 16). Qua in re notandum est quod discipulos suos nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere, quatenus et columbæ simplicitatem astutia serpentis accenderet, et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait : *Nolite pueri effici sensibus* (*I Cor.* XIV, 20). Ecce astutiam serpentis audivimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur : *Sed malitia parvuli estote.* Inde de beato Job : *Erat vir simplex et rectus* (*Job.* I, 1). Quæ est autem rectitudo sine simplicitate, aut quæ est simplicitas sine rectitudine?

CAP. L. — *Idem ac supra.*

(Regul. pastor. admonit. 12.) Electos suos per semetipsam Veritas admonet, dicens : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* XVI, 16). Quia videlicet in electorum cordibus debet et simplicitatem columbæ astutia serpentis acuere, et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperare; quatenus nec seducti per prudentiam calleant, nec ab intellectus studio ex simplicitate torpescant.

CAP. LI. — *Quod dico vobis in tenebris* (*Matth.* x, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 26.) Cum enim quæque mystica de occultis prophetarum verbis a credentibus agnoscuntur, quid aliud quam profunda de tenebris revelantur? Unde ipsa quoque Veritas discipulis in parabolis loquens, ait : *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine* (*Matth.* x, 27). Cum enim mysticos allegoriarum nodos per explanationem solvimus, in lumine dicimus quod in tenebris audivimus.

CAP. LII. — *Idem ac supra.*

(Homil. 6 in Ezechiel.) Veritas discipulis dicit: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine* (*Matth.* x, 41), id est aperte exponite quæ in allegoriarum obscuritatibus audistis.

CAP. LIII. — *Qui recipit prophetam* (*Matth.* x, 41).

(Homil. 20 in Evang. num. 12.) Ut autem quanta esset virtus in continentia, et susceptione indigentium Redemptor noster ostenderet, dixit : *Qui recipit prophetam in nomine meo, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* x, 41). In quibus verbis notandum est quia non ait, mercedem de propheta, vel mercedem de justo, sed mercedem prophetæ et mercedem justi accipiet. Aliud est enim merces de propheta : atque aliud merces de justo, aliud merces justi. Quid est enim dicere : *Mercedem prophetæ accipiet*, nisi quia is qui prophetam sua largitate sustentat : quamvis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Deum prophetæ præmium habebit. Iste enim fortasse justus est ; et quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro justitia fiduciam majorem habet. Hunc dum ille sustentat qui in hoc mundo aliquid possidet, et fortasse adhuc pro justitia loquendi libere non præsumit, justitiæ illius libertatem sibi participem facit, ut eum eo pariter justitiæ præmia recipiat, quem sustentando adjuvit ; quatenus eamdem justitiam libere loqui potuisset. Ille spiritu prophetiæ plenus est, sed tamen corporeo eget alimento ; et si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur alimentum prophetæ propter hoc quod propheta est, tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cum propheta ergo mercedem prophetæ recipiet, qui etsi spiritu prophetiæ plenus non fuit, hoc tamen ante Dei oculos exhibuit, quod adjuvit.

CAP. LIV. — *Quid existis videre* (*Matth.* XI, 7)?

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 7.) Per calamum ceu certe arundinem mentis mobilitas designatur, sicut Judæorum turbis in Joannis laudem a Domino dicitur : *Quid existis videre in desertum? arundinem vento agitatam* (*Matth.* XI, 7)? Ut videlicet subintelligatur *non*. Joannes quippe arundo vento agitata non erat ; quia ejus mentem sancto Spiritu solidam per diversas partes nullus linguarum flatus inclinabat.

CAP. LV. — *Idem ac supra.*

(Lib. I, homil. 9 in Ezechielem, num. 16.) Joannem Baptistam Veritas esse arundinem vento agitatam negat, dicens : *Quid existis videre in deserto? arundinem vento agitatam* (*Matth.* XI, 7)? Quod quia negando dixerit, non affirmando, subjuncta verba testantur. Ait enim : *Sed quid existis videre in deserto? hominem vestitum mollibus? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt* (*Ibid.*). Arundo autem vento agitata, modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur : omnis autem infirmus animus qui vel derogatione dejicitur, vel laudibus exaltatur, arundo vento agitata est ; quod Joannes non erat, qui inflexibilem mentis virtutem inter laudes hominum et derogationes tenebat.

CAP. LVI. — *A diebus Joannis Baptistæ* (*Matth.* XI, 12).

(Homil. 20 in Evang., num. 14.) *A diebus Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI, 12). Quæ supernæ verba sententiæ nobis sunt magnopere perscrutanda. Nam quærendum est quomodo vim perpeti regnum cœlorum possit? Quis enim cœlo violentiam irrogat? Et rursum quærendum est si pati vim regnum cœlorum potest, cur eamdem vim a diebus Joannis Baptistæ, et non etiam ante pertulerit. Sed cum lex dicat : *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur ;* cunctis legentibus liquet, quia peccatores quosque pœna suæ severitatis perculit, non autem per pœnitentiam ad vitam reduxit. Cum vero Joannes Baptista, Redemptoris gratiam præcurrens, pœnitentiam prædicat, ut peccator qui ex culpa est mortuus, per conversionem vivat, profecto a diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur. Quid est autem regnum cœlorum, nisi locus justorum? Solis enim justis cœlestis patriæ præmium debetur, ut humiles, casti, mites, atque misericordes ad gaudia superna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore polutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpas ad pœnitentiam redit, vitam æternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud, quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quam regno cœlorum fieri violentiam docuit? Recogitemus ergo, fratres charissimi, mala quæ fecimus, et nosmetipsos assiduis lamentis atteramus. Hæreditatem justorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam per pœnitentiam perpeti. Nam regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur.

CAP. LVII. — *Si in Tyro* (*Matth*, XI, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 7.) Civitati reprobæ in Evangelio Dominus dicit : *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI, 21). In cilicio quippe asperitas et punctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utcunque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, in favilla cineris perpendamus quid per judicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia ; consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens justa pœna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quod fecit, videat in cinere quousque peccando pervenit.

CAP. LVIII. — *Venite ad me, omnes qui laboratis* (*Matth.* XI, 28).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 66.) In hac itaque luce impii a tumultu cessant, dum perversorum mentes, veritate cognita, laboriosa mundi desideria fugiunt, et tranquillitati intimi amoris acquiescunt.

Annon ad cessationem vocat lux ipsa quæ ait : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis ; et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 28 *et seq.*). Quid enim grave mentis nostræ cervicibus imponit, qui vitari omne desiderium quod perturbat, præcipit? Quid grave subjectis jubet, qui declinari laboriosa hujus mundi itinera admonet?

CAP. LIX. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 50.) Grave servitutis jugum Dominus vidit sæcularium cervicibus impressum, cum diceret : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 28). Asperum quippe jugum, et duræ, sicut diximus, servitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant post ex pavore amissionis premunt.

CAP. LX. — *Calamum quassatum non conteret* (*Matth.* XII, 20).

(In exposit. B. Job, l. XXXIII, num. 7.) Per calamum vel arundinem nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut de justis per Sapientiam dicitur : *Fulgebunt justi, et sicut scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* III, 7). Arundinetum namque vitam sæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris, quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate veritatis inanescunt. Unde et Judæorum regnum calamo comparatur, cum per prophetam apparente in veritate carnis Domino dicitur : *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet* (*Isa.* XLII, 3). Quid enim calami nomine, nisi Judaici populi temporale regnum denuntiat, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, et regnum ejus alienigena possidebat, apte hoc idcirco regnum quassatum calamum vocat. Quid vero per linum, nisi ejus sacerdotium exprimitur, quod lineis nimirum vestibus utebatur? Quod quia in adventu Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso jam igne fidei, non ardens sed fumigans fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, et linum fumigans non exstinxit, quia Judææ regnum quod pene destructum jam fuerat, ejusque sacerdotium quod ignem fidei non tenebat, non potestate judicii perculit, sed cum patientiæ longanimitate toleravit.

CAP. LXI. — *Omne verbum otiosum* (*Matth.* XII, 16).

(In exposit. B. Job, lib. VII, num. 58.) Veritas admonet dicens : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Otiosum quippe verbum est, quod ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensandum valde est quæ pœna illud multiloquium sequitur, in quo etiam per superbiæ verba peccatur?

CAP. LXII. — *Idem ac supra.*

(Homil. 6 in Evangel., num. ult.) Mecum vos admoneo ut ab otioso sermone parcamus, inutiliter loqui declinemus ; in quantum refrenare linguam prævalemus, in ventum verba non defluant, cum Rex dicat : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Otiosum quippe verbum est quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione judicii necessitatis caret.

CAP. LXIII. — *Cum spiritus septem reddit* (*Matth.* XII, 45).

(In exposit. B. Job, lib. VII, num. 20.) Plerumque vitiorum contritionem in nobis Dominus agere inchoat. Sed cum mens ex ipso exordio profectus extollitur, cumque se jam quasi de virtutibus erigit, sævienti contra se adversario aditum pandit : qui cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonæ inchoationis invenerit, confringit ; tantoque se vehementius in ejus confractione exhibet, quanto et gravius, quia vel ad modicum fuerat projectus, dolet. Unde et teste Evangelio, et voce Veritatis (*Matth.* XII), ad neglectam domum conscientiæ spiritus qui solus exiit, cum spiritibus septem redit.

CAP. LXIV. — *Orto sole aruerunt* (*Matth.* XIII, 6).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 7.) De jactis seminibus Dominus dicit : *Orto sole aruerunt* (*Matth.* XIII, 6). Quia videlicet facta persecutione in reproborum cordibus prædicationis verba siccantur.

CAP. LXV. — *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII, 9).

(Ibid., lib. II, hom. 2, num. 2.) Sciendum quia oculi atque aures corporis adsunt etiam carnalibus, eisque sunt in usu rerum quæ corporaliter vident : oculi vero atque aures cordis solummodo spiritalium sunt, qui invisibilia per intellectum vident, et laudem Dei sine sono audiunt. Has omnipotens Dominus aures quærebat, cum diceret : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII, 9). Quis namque in illo populo esse tunc poterat, qui aures corporis non haberet? Sed dum dicitur : *Qui habet aures audiendi, audiat*, aperte monstratur quod illas aures quæreret, quas omnes habere non poterant.

CAP. LXVI. — *Fallacia divitiarum suffocat verbum* (*Matth.* XIII, 22).

(Ibid., lib. II, hom. 6, num. 2.) Sunt itaque in sanctæ Ecclesiæ ædificio constructa gazophylacia, quia abundat divitiis scientiæ lingua doctorum. Has veras esse divitias ipsa per se Veritas denuntiat, cum de transitoriis divitiis dicit : *Fallacia divitiarum suffocat verbum* (*Matth.* XIII, 23). Sapientia enim atque scientia doctrinæ spiritualis, veræ sunt divitiæ, in quarum comparatione, quæ transire possunt, falsæ nominantur. De his divitiis per Salomonem dicitur : *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* (*Prov.* XXI, 20). Excepto autem eo, quod ad æternam patriam divitiæ spiritales ducunt, est eis a terrenis divitiis magna distantia ; quia spiritales divitiæ erogatæ proficiunt, terrenæ autem divitiæ aut eroganter, et deficiunt : aut retinentur, et utiles non sunt.

CAP. LXVII. — *Colligite zizania* (*Matth.* XIII, 30).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num 98.) Ipsa quoque supplicia quæ ex lance justitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis et retributio sequitur ultionis? Hinc quippe scriptum est : *Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio* (*Sap.* VI, 7). Hinc in Babylonis damnatione dicitur : *Quantum exaltavit se, et in deliciis fuit, date illi tormentum et luctum* (*Apoc.* XVIII, 7). Si igitur juxta modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum quod in suppliciis ordo servatur. Et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet : *Colligite zizania et ligate ea in fasciculis, ad comburendum* (*Matth.* XIII, 30). Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburenda zizania in fasciculis ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare est eos qui æterno igni tradendi sunt pares paribus sociare ; ut quos similiter culpa inquinat, par etiam pœna constringat ; et qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari

tormento crucientur; quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublevarat : quosque non dissimiliter dilatabat ambitio, non dissimilis angustet afflictio : et par cruciet flamma supplicii quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo Patris mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV) pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis : quæ scilicet gehenna quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus, quia juxta qualitatem corporis, sentitur etiam pondus caloris; sic damnatos, et una est gehenna quæ afficit, et tamen non una omnes qualitate comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.

CAP. LXVIII. — *Simile est regnum cœlorum sagenæ* (*Matth.* XIII, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 34.) *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, et ex omni genere piscium congreganti* (*Matth.* XIII, 17). Regnum cœlorum, scilicet Ecclesia vocatur, cujus dum mores Dominus ad superna sublevat, jam hæc ipsa in Domino per cœlestem conversationem regnat. Quæ recte sagenæ in mari missæ comparatur, ex omni genere piscium congreganti, quia missa in hoc Gentilitatis sæculo nullum respuit, sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus et fatuos cum sapientibus cepit.

CAP. LXIX. — *Date illis vos manducare* (*Matth.* XIV, 17).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 27.) De esurientibus plebibus dicitur : *Date illis vos manducare*. Et rursum : *Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant* (*Matth.* XIV, 17). Id est, in prædicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne a veritatis pabulo jejuni remanentes, in hujus vitæ labore deficiant.

CAP. LXX. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 22.) Omnipotens Deus per prædicatores suos prius nos de prava actione corripiens concutit, et postmodum per spem consolans nutrit. Si enim divina dispensatio per has nubes judicium modo non ageret, nequaquam eisdem nubibus dixisset : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 22). Et rursum si per has jejuna corda non pasceret, nequaquam de esurientibus populis Dominus diceret : *Date illis vos manducare* (*Matth.* XIV, 16). Quod sic tunc eorum manibus factum credimus, ut hoc eorum verbis quotidie fieri sine cessatione videamus : quid enim agit Petrus, cum per Epistolas loquitur, nisi ut verbi pabulo corda nostra male jejuna satientur? Quid Paulus, quid Joannes per Epistolas loquentes operantur, nisi ut mentes nostræ cœlestia alimenta percipiant, et inediæ suæ fastidium quo moriebantur vincant?

CAP. LXXI. — *Si cæcus cæco ducatum* (*Matth.* XV, 14).

(Regul. pastoral. I part., cap. 1.) Nimirum pastorum imperitia meritis congruit subjectorum, quia quamvis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant, districto tamen judicio agitur ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam Veritas dicit : *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV, 14).

CAP. LXXII. — *Non enim sapis quæ Dei sunt* (*Matth.* XVI, 23.)

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 5.) Ipse quippe sibi homo loquitur, cum per hoc quod sentit nequaquam divinitatis spiritu a carnalis prudentiæ intellectu separatur : cum caro sensum exerit, et mentem quasi ad intelligentiam provocans foras mittit. Unde et adhuc Petro terrena sapienti Veritas dicit : *Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum* (*Matth.* XVI, 23). Cui tamen recta confitenti dicitur : *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Ibid.*, 17).

CAP. LXXIII. — *Si quis vult post me venire* (*Matth.* XVI, 24).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 13.) Voce Veritatis dicitur : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi* (*Luc.* IX, 23). Semetipsum enim abnegat, qui, calcato typo superbiæ, ante Dei oculos esse se a se alienum demonstrat.

CAP. LXXIV. — *Idem ac supra.*

(Hom. 10 in Ezech., num. 7.) *Qui vult post me venire, abneget semetipsum* (*Matth.* XVI, 24). Semetipsum abnegat, qui mutatus ad meliora, incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat.

CAP. LXXV. — *Vestimenta ejus facta sunt candida* (*Matth.* XVII, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 8.) Ipse vero gloriosus est qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigens non est. Ipse speciosis induitur vestibus, quia sanctorum Angelorum choros quos condidit, in usum sui decoris assumpsit; et velut quamdam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet, non habentem maculam, aut rugam (*Ephes.* V). Unde ei per Prophetam dicitur : *Confessionem et decorem induisti amictus lumine sicut vestimento* (*Psal.* CIII, 2). Hic quippe confessionem, illic decorem : quia quos hic per pœnitentiam confitentes fecerit, illic fulgentes per decorem justitiæ ostendit. Luce ergo sicut vestimento amicitur, quia sanctis omnibus quibus dictum est : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14), in illa æterna gloria vestietur. Unde per Evangelium dicitur, quia transfigurato in monte Domino vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix (*Matth.* XVII). In qua transfiguratione, quid aliud quam resurrectionis ultimæ gloria nuntiatur? In monte enim vestimenta ejus sicut nix facta sunt, quia in supernæ claritatis culmine sancti omnes ei luce justitiæ fulgentes adhærebunt.

CAP. LXXVI. — *Faciamus hic tria tabernacula* (*Matth.* XVII, 4).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 92.) Justi nec oblata bona hic pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt, sed et cum bonis præsentibus utuntur, ventura mala metuunt; et dum de malis præsentibus gemunt, bonorum sequentium amore consolantur. Sicque temporali refoventur subsidio, sicut viator in stabulo utitur lecto, pausat et recedere festinat : quiescit corpore, sed ad aliud tendit mente. Nonnunquam vero et adversa perpeti appetunt, in transitoriis prosperari refugiunt; ne delectatione itineris a patriæ perventione tardentur; ne gressum cordis in via peregrinationis figant, et quandoque ad conspectum cœlestis patriæ sine remuneratione perveniant. Gaudent despici, nec dolent se necessitatibus affligi. Qui igitur contra præsentia se adversa non muniunt, quasi contra æstus et pluvias habere tabernaculum nolunt. Unde et Petrus jure reprehenditur (*Matth.* XVII), quia necdum mentis perfectione roboratus veritatis claritate cognita, in terra figere tabernaculum conatur. Justi itaque hic se construere negligunt, ubi peregrinos se et hospites noverunt. Quia enim in propriis gaudere desiderant, esse in alieno felices recusant. Injusti autem quanto longius ab æternæ patriæ hæreditate divisi sunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt.

CAP. LXXVII. — *Elias quidem venturus est* (*Matth.* XVII, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 66.) Etsi ad cœlum raptus Elias esse perhibetur, mortem tamen dis-

tulit, non evasit. De ipso quippe ore Veritatis dicitur : *Elias quidem venturus est, et restituet omnia* (*Matth.* XVII, 11) ; veniet enim restituturus omnia, quia ad hoc nimirum huic mundo restituitur, ut et prædicationis munera impleat, et carnis debitum solvat.

CAP. LXXVIII. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num 24.) In Evangelio Veritas dicit : *Elias venit, et ille restituet omnia* (*Matth.* XVII, 11). Nunc enim amisit Israelitas Ecclesia, quos convertere prædicando non valuit ; sed tunc Elia prædicante, dum quot invenerit colligit, velut plenius recipit quod amisit.

CAP. LXXIX. — *Reges terræ a quibus accipiunt* (*Matth.* XVII, 24).

(Hom. 7 lib. I in Ezechiel., num. 4.) In nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit ; dicens : *Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum ? a filiis suis an ab alienis* (*Matth.* XVII, 24, 25)? Cui cum diceretur, *ab alienis*, illico respondit : *Ergo liberi sunt filii*. Sed postquam se liberum esse monstravit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret, subdidit : *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum : et eum piscem qui prius ascenderit tolle, et aperto ore ejus invenies staterem ; illum sumens da eis pro me et te* (*Ibid.*, 26). Qui rursum, cum diceret, quia *omne quod in os intrat, non coinquinat hominem, et tunc accedentes dixerunt : Scis quia Pharisæi audito verbo scandalizati sunt ; at ille respondens ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos : cæci sunt et duces cæcorum* (*Matth.* XV, 11). Ecce magistra veritas ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. Et rursum cum generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas reliuquatur.

CAP. LXXX. — *Qui scandalizaverit unum* (*Matth.* XVIII, 6).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 37.) *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6). Quid per mare nisi sæculum, quid per molam asinariam, nisi actio terrena signatur ? Quæ dum colla mentis per stulta desideria constringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt itaque nonnulli, qui dum terrenas actiones deserunt, et ad contemplationis studia, humilitate postposita, ultra intelligentiæ vires surgunt, non solum se in errorem dejiciunt, sed infirmos quosque a gremio unitatis dividunt. Qui unum de minimis scandalizat, melius illi fuerat, ligata collo mola asinaria, in mare projici, quia perversæ menti expeditius esse potuisset, ut occupata in mundo terrena negotia ageret, quam per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret.

CAP. LXXXI. — *Idem ac supra.*

(Regul. pastoral. I part., cap. 2.) Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, quæ ait : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6). Per molam quippe asinariam sæcularis vitæ circuitus ac labor exprimitur et per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo destruit cæteros vel exemplo, melius profecto fuerat ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa cæteris imitabilem demonstrarent. Quia nimirum si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

CAP. LXXXII. — *Qui ei debebat decem millia* (*Matth.* XVIII, 24).

Dialogor. lib. IV, cap. 60.) Sciendum est quod ille recte sui videlicet delicti veniam postulat, qui prius hoc quod in ipso delinquitur relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur, dicente Veritate : *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris, quia habet aliquid adversum te frater tuus, relinque ibi munus tuum ante altare ; et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V, 23, 24). Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum quamvis longe positum longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare ; ut scilicet Conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvat qui munus pro culpa sumit. Veritatis autem voce attestante didicimus : quia servus qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit ; sed quia conservo suo centum sibi denarios debenti debitum non dimisit, et hoc est jussus exigi quod ei fuerat jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursum a nobis exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

CAP. LXXXIII. — *Non omnes capiunt verbum hoc* (*Matth.* XIX, 11).

(Regul. pastoral. tert. part., admonit. 29.) Per semetipsam de virginitatis integritate Veritas dicit : *Non omnes capiunt hoc verbum* (*Matth.* XIX, 11). Quod ideo innotuit summum, quia denegavit omnium ; et dum prædicit quia difficile capitur, audientibus innotuit cœptum cum qua cautela teneatur.

CAP. LXXXIV. — *Facilius est camelum.* (*Matth.* XIX, 24).

(In exposit B. Job, lib. XXXV, num. 38.) Quia enim ad suscipienda onera sponte se camelus humiliat, non immerito Redemptoris gratiam signat, qui in eo quod infirmitatis nostræ onera suscipere dignatus est, a potestatis suæ celsitudine sponte descendit. Unde et per Evangelistam dicit : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et : *Nemo tollit eam a me* (*Joan*, X, 18). Et unde iterum dicit : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* (*Matth.* XIX, 24). Quid enim nomine divitis, nisi quemlibet elatum, quid cameli appellatione, nisi propriam considerationem signat ? Camelus enim per foramen acus transiit, cum idem Redemptor noster usque ad susceptionem mortis per angustias passionis intravit. Quæ passio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus foramen acus, quam dives regnum cœlorum ingreditur ; quia nisi ipse prius infirmitatis nostræ onera suscipiens, per passionem suam formam nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem illius superba nostra rigiditas inclinaret.

CAP. LXXXV. — *In regeneratione cum sederit filius.* (*Matth.* XIX, 28).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 46.) Ortus vero

auroræ est illa nova nativitas resurrectionis qua sancta Ecclesia etiam carne suscitata oritur ad contemplandum lumen æternitatis. Si enim ipsa carnis nostræ resurrectio, quasi quædam nativitas non esset, de ea Veritas non dixisset : *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ.* (*Matth.* XIX, 28). Esse ergo hanc ortum vidit, quam regenerationem vocavit.

CAP. LXXXVI. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. X, num, 52.) Tunc enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto eos nunc manus persequentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet quod cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Unde electis suis Veritas dicit : *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Quid enim ? Plusquam duodecim judices illa interni confessus curia non habebit ? Sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur, quia quisquis stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit. Ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. Hinc est enim quod de sanctæ Ecclesiæ Sponso per Salomonem dicitur : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI, 23). Hinc Isaias ait : *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui* (*Isa.* III, 14). Hinc eosdem Seniores Veritas non jam servos, sed amicos denuntiat, dicens : *Non jam dico vos servos, sed amicos meos.* (*Joan.* XV, 15). Quos nimirum Psalmista intuens, ait : *Mihi autem honorati sunt amici tui, Deus* (*Psal.* CXXXVIII, 17). Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam qua calce calcarent protinus addidit : *Nimis confortatus est principatus eorum.* Ac ne paucos esse crederemus, quos proficere usque ad summa tantæ perfectionis agnoscimus, illico adjunxit : *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* (*Ibid.*, 18). Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot tunc in judicio lampades coruscant.

CAP. LXXXVII. — *Centuplum accipiet* (*Matth.* XIX, 29).

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 18.) Pro bono nostro opere et hic nobis mentis requies, et illic gaudia æterna præparantur, Veritate attestante, quæ ait : *Si quis reliquerit domos aut agros*, etc. *centuplum in hoc sæculo recipiet, et in futuro vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29.) Centenarius quippe numerus decemplicato denario fit perfectus. Hic itaque centuplum recipit, qui etsi nil habuerit, ipsa tamen perfectione mentis jam in hoc sæculo habere nil quærit.

CAP. LXXXVIII. — *Idem ac supra.*

(Lib. II in Ezech. hom. 6, num. 16.) Denarius autem numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit. Unde recte per centenarium magna perfectio designatur, sicut de electis dicitur : *Omnis qui relinquit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29.) Neque etenim sanctus quisque ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit; quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit. Nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est : sed per centenarium numerum perfectio designatur, post quam etiam vita æterna promittitur. Quia quisquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, et hic perfectionem mentis recipit, ut jam ea non appetat quæ contemnit, et in sequenti sæculo ad æternæ vitæ gloriam pervenit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens terrenis non indiget, etiamsi hæc non habet. Ille enim pauper est qui eget eo quod non habet. Nam et qui non habens, habere non appetit, dives est; paupertas quippe in inopia mentis est, non in qualitate possessionis. Nam cui cum paupertate bene convenit, non est pauper.

CAP. LXXXIX. — *Potestis bibere calicem* (*Matth.* XX, 22).

(In exposit. B. Job, lib. 17, num. 5.) Ad has vias tumentia discipulorum corda revocabat, cum locum jam gloriæ quærerent, sed ejusdem gloriæ iter ignorarent, dicens : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* (*Matth.* XX, 22.) Confessionis quippe illius celsitudinem a dextris sinistrisque quæsierant, sed quanta ad hanc esset itineris angustia non videbant. Unde et eorum mox oculis imitandus calix passionis objicitur : ut videlicet si ad sublimitatis gaudia tenderent, prius viam humilitatis invenirent.

CAP. XC. — *Idem ac supra.*

(Homil. 27, in Evang., num. 4.) Dum filii Zebedæi interveniente matre quærerent, ut unus a dextris Dei, et alius a sinistris sedere debuissent, audierunt : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* (*Matth.* XX, 22.) Jam locum celsitudinis quærebant, ad viam illos Veritas revocat, per quam ad celsitudinem venirent; ac si dicatur : Jam vos locus delectat celsitudinis, sed prius via exerceat laboris; per calicem enim pertingitur ad majestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, prius bibite quod dolet : sic per amarum poculum confectionis pervenitur ad gaudium salutis.

CAP. XCI. — *Calicem quidem meum bibetis* (*Matth.* XX, 23.)

(Homil. 35 ibid., num. 7.) Duo quippe sunt martyrii genera : unum in mente, aliud in mente simul et actione. Esse itaque martyres possumus, etiamsi nullo ferro percutientium trucidemur. Mors quippe a persequente, martyrium in aperto opere est : ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Nam quia duo sunt martyrii genera, unum in occulto opere, aliud in publico, testatur Veritas quæ Zebedæi filios requirit, dicens : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 22.) Cui cum protinus respondissent : *Possumus*, illico Dominus respondit, dicens : *Calicem quidem meum bibetis.* Quid enim per calicem, nisi dolorem passionis accipimus ? De quo alias dicit : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39.) Et Zebedæi filii, id est Jacobus et Joannes, non uterque per martyrium occubuit; et tamen quod uterque calicem biberet, audivit. Joannes namque nequaquam per martyrium vitam finivit, sed tamen martyr exstitit, quia passionem quam non suscepit in corpore, servavit in mente.

CAP. XCII. — *Duo cæci sedentes secus viam* (*Matth.* XX, 30).

(In exposit. B. Job, lib. 19, num. 5.) In Evangelio scriptum est, quia egrediens Dominus a Jericho transibat : duo autem cæci sedentes juxta viam clamaverunt, dicentes : *Domine, miserere nostri, fili David* *Matth.* XX, 30.) Ad quorum vocem sicut illic scriptum est : Stetit Jesus et lumen reddidit. Quid est autem transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod per humanitatem suam nobis misertus est, qui per divinitatis suæ potentiam a nobis mentis nostræ tenebras exclusit? Quod enim propter nos natus et passus est, quod resurrexit, ascendit in cœlum ; quasi transit Jesus : quia hæc nimirum actio temporalis est. Sed stans nos tetigit, et illuminavit; quia non sicut illa dispensatio temporalis, ita verbi æternitas transit, quæ in se manens, innovat omnia; stare enim Dei est, incommutabili cogitatione mutabilia cuncta disponere. Qui ergo voces petentium transiens audivit, stans lumen reddidit; quia etsi propter nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, unde habere mutabilitatis transitum nescit.

CAP. XCIII. — *Vestimenta sua straverunt* (*Matth.* XXI, 8).

(In Ezechiel. lib. II, hom. 5, num. 2.) Redemptor noster *cum asellum sedens Jerusalem tenderet*, sicut Evangelista testatur: *Multi vestimenta sua straverunt in via; et qui præibant, et qui sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI, 8.) Salvator etenim noster asellum sedens, Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis animam regens, videlicet jumentum suum, ad pacis intimæ visionem ducit. Jumentum etiam sedet, cum sanctæ Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Multi autem vestimenta sua sternunt in via, quia corpora sua per abstinentiam domant, ut ei iter ad mentem præparent, vel exempla bona sequentibus præbeant. Alii autem frondes vel ramos cædunt de arboribus, et sternunt in via; quia in doctrina veritatis, verba atque sententias patrum ex eorum eloquio excerpunt: ut hæc in via Dei ad auditoris animum venientes, humili prædicatione summittant. Quod indigni quoque et nos modo facimus. Nam cum patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cædimus; et has in via omnipotentis Domini sternimus. Sed qui præibant, et qui sequebantur clamabant: *Hosanna*. Præcessit quippe Judaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes electi, sive qui in Judæa esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia existunt, in Mediatorem Dei et hominum crediderunt et credunt, qui præeunt et qui sequuntur, Hosanna clamant: Hosanna autem Latina lingua, salva nos dicitur: ab ipso enim salutem et priores quæsierunt, et præsentes quærunt, et benedictum qui venit in nomine Domini confitentur. Quoniam una fides, una spes est præcedentium atque sequentium populorum. Nam sicut illorum peccata passione ac resurrectione ejus sanata sunt, ita nos præterita passione illius, ac permanentes in sæcula resurrectione salvamur. Quem enim priores nostri ex Judaico populo crediderunt atque amaverunt venturum, hunc nos et venisse credimus et amamus, ejusque desiderio accendimur, ut eum facie ad faciem contemplemur.

CAP. XCIV. — *Dominus.... æs..... nummulariorum* (*Matth.* XXI, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 36.) Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, et cathedras vendentium columbas evertit: (*Matth.* XXI), nimirum significans quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum. Quamvis etiam subditorum vitia quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt, ejus procul dubio judicio reserventur.

CAP. XCV. — *Ligate ei manus et pedes* (*Matth.* XXII, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 22.) Tunc enim coactus in tenebras exteriores mittitur, qui nunc interioribus excæcatur voluntarie.

CAP. XCVI. — *Ligatis pedibus ejus ac manibus.* (*Matth.* XXII, 13).

(Hom. 9 lib. I in Ezech., num. 34.) Sub unius damnati specie multitudo omnis exprimitur reproborum, cum voce Veritatis dicitur: *Ligatis pedibus ac manibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13.) Tunc enim reprobi in exteriores tenebras cadunt, quia nunc in interiores sua se sponte dejecerunt, ut veritatis lumen nec credendo, nec bene operando sequerentur. In quibus, ligatis pedibus ac manibus, mitti præcipiuntur, quia nunc dum tempus operandi atque currendi est, habere manus et pedes liberos in bona actione noluerunt.

CAP. XCVII. — *Omnia opera sua faciunt* (*Matth.* XXIII, 5).

(In exposit. B. Job, lib. 15, num. 4.) Sæpe hypocrita, dum sanctum se simulat, et iniquum exhibere A minime formidat, ab omnibus honoratur, eique sanctitatis gloria defertur ab his qui exteriora cernunt, sed interiora perspicere nequeunt. Unde fit ut gaudeat in prima sessione, hilarescat in primo recubitu, inflетur in prima salutatione, elevetur in reverenti voce obsequentium, et superba cogitatione tumeat in famulatu subditorum. Sicut voce quoque Veritatis de talibus dicitur: *Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias suas: amant enim primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi* (*Matth.* XXIII, 25 *et seq.*) Sed hoc eorum gaudium æternitati comparatum quid erit, quando irruente mortis articulo ita consumitur, ac si omnino non fuerit? Cujus nimirum gaudii lætitia pertransit, et pœna permanet; et cum res amittitur, causa durat.

CAP. XCVIII.—*Væ vobis, hypocritæ* (*Matth.* XXIII, 15).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 24.) Habuit vero et ante Redemptoris adventum Judæa boves, quia B ad prædicandum misit operarios, quibus voce Veritatis dicitur: *Væ vobis, hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum. Et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos* (*Matth.* XXIII, 13.)

CAP. XCIX.—*Decimatis mentham* (*Matth.* XXIII, 23).

(Regul. pastoral. tert. part., admonit. 34.) Pharisæi ore Veritatis increpantur, cum audiunt: *Decimatis mentham, et anetum, et cyminum; et relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem* (*Matth.* XXIII, 23.) Neque enim negligenter audiendum est quod cum decimare eos minima diceret, extrema quidem de oleribus maluit, sed tamen bene olentia memorare: ut profecto ostenderet, quia simulatores cum parva custodiunt, odorem de se extendere sanctæ opinionis quærunt. Et quamvis implere maxima prætermittant, ea tamen minima observant, quæ humano judicio longe lateque redolent.

C CAP. C. — *Liquantes culicem* (*Matth.* XXIII, 24).

(Regulæ pastoral. tert. part., admonit. 34). Quidam in culpis gravioribus alto reatu se obligant, et tamen plerumque in parvis quæ custodiunt deterius peccant; quia et in illis iniqua faciunt, et per ista se hominibus, quia iniqui sunt, tegunt. Unde fit ut cum majora mala perpetrent, coram Deo apertæ iniquitatis sit: et cum parva bona custodiunt coram hominibus, simulatæ sanctitatis. Hinc est enim quod Pharisæis dicitur: *Liquantes culicem, camelum autem glutientes* (*Matth.* XXIII, 24.) Ac si aperte diceretur: Minima mala discernitis, majora devoratis.

CAP. CI.—*Væ... similes estis sepulcris* (*Matth.* XXIII, 27).

(In exposit. B. Job, lib. 26, num. 59.) Simulatores quique actione nequitiæ intrinsecus tenebrescunt, et ostensione justitiæ superficietenus dealbantur. Quibus voce Dominica dicitur: *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Ita et vos foris* D *quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate* (*Matth.* XXIII, 27.) Foris ergo ostendendo servant quæ vivendo intus impugnant. Intus vero mala cogitantes exaggerant quæ foris aliud superducentes occultant. Apud districtum itaque judicem excusationem jam de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonio, quia bene vivere non ignorant.

CAP. CII. — *Abundavit iniquitas* (*Matth.* XXIV, 12).

(In exposit. B. Job, l. XVI, num. 81.) Idcirco iniquitas frigori comparatur, quia peccantis mentem torpore constringit. Unde scriptum est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit malitiam suam* (*Jerem.* VI, 7). Quo contra charitas est calor, quia videlicet mentem accendit quam replet, de quo calore scriptum est: *Abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV 12).

CAP. CIII. — *Nisi breviati fuissent dies* (*Matth.* XXIV, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 12.) Quamvis sævitia ad crudelitatem dilatat, superna tamen misericordia dierum brevitate coangustat. Hinc enim per semetipsam Veritas dicit : *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet* (*Matth.* XXIV, 21). Hinc rursus ait : *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro* (*Ibid.*, 22). Quia enim superbos nos et infirmos Dominus conspicit, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breviatos dicit. Profecto ut et superbiam terreat de adversitate corporis, et infirmitatem refoveat de brevitate.

CAP. CIV. — *Surgent Pseudochristi* (*Matth.* XXIV, 24).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 24.) Considerandum valde est, cum Behemoth iste caudam suam sicut cedrum sublevat, in quo tunc atrocior quam nunc se exerit, surgat. Quæ enim pœnarum genera novimus, quæ non jam vires Martyrum exercuisse gaudemus? Alios namque improviso ictu immersus jugulo gladius stravit, alios crucis patibulum affixit ; in quo mors et provocata repellitur, et repulsa provocatur. Alios hirsutis serra dentibus attrivit ; alios armata ferro insulcans ungula sparsit ; alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit ; alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit ; alios effossa terra viventes operuit ; alios ab alto demersos in mortem præcipitium fregit ; alios in se projectos aqua replendo absorbuit ; alios edax flamma usque ad cineres depasta consumpsit. Cum igitur Behemoth iste caudam suam in fine mundi nequius dilatat, quid est quod in his tormentis tunc atrocius crescat, nisi hoc quod in Evangelio per semetipsam Veritas dicit : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ ; et dabunt signa magna, et prodigia : ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24). Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cum perversa patiuntur. Tunc autem Behemoth hujus satellites etiam cum adversa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr et corpus tormentis subjicit, et tamen ante ejus oculos miracula tortor facit. Cujus mens tunc non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat?

CAP. CV. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 61.) Veritatis ore per Evangelium dicitur : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ ; et dabunt signa magna, et prodigia : ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24). Qua in re valde quærendum est, quomodo aut hi qui electi sunt, induci in errorem possunt ; aut cur, *si fieri potest*, quasi ex dubietate subditur : cum quid faciendum sit, Dominus omnia prospiciens præstolatur. Sed quia electorum cor et trepida cogitatione concutitur, et tamen eorum constantia non movetur, una hac sententia Dominus utrumque complexus est, dicens : *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quasi enim jam errare est in cogitatione [b] turbari ; sed protinus, *si fieri potest*, subjungitur ; quia procul dubio fieri non potest, ut in errorem plene electi capiantur.

CAP. CVI. — *Dabunt signa magna* (*Matth.* XXIV, 24).

(Homil. 9 lib. I in Ezechiel., num, 8.) Sciendum nobis est, quia dubitatio locutionis Dei, non ex ignorantia, sed ex aliqua significatione descendit. Nam quis nesciat quod qui fecit et videt omnia, omnia sciat. Et per semetipsam in Evangelio Veritas de Antichristi prædicatoribus dicit : *Dabunt signa magna, et prodigia : ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24). Cur hoc sub dubitatione dicitur, cum quid futurum sit, a Domino præsciatur? Unum vero ex duobus est, quia si electi sunt, fieri non potest : si autem fieri potest, electi non sunt. Et tamen dicitur : *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ista ergo dominici sermonis dubitatio, ex electorum cordibus designatio tentationis fuit ; quia qui electi sunt ad persistendum, per signa prædicatorum Antichristi tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur, *si fieri potest*, hoc exprimitur, quod electi in corde tentabuntur : nutant enim, sed non cadunt. Dicitur ergo, *si fieri potest*, quia trepidabunt. Et tamen dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio quippe sermonis a Domino in electis exprimit trepidationem mentis. Quos et electos nominat, quia cernit quod in fide et bono opere persistunt.

CAP. CVII. — *Sicut fulgur exit ab Oriente* (*Matth.* XXIV, 27).

(In expositione Ezechiel. lib. I, hom. 2, num. 17.) *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad occidentem, ita erit adventus filii hominis* (*Matth.* XXIV, 27). Ubi nullus tunc a judicio in sua mente latere permittitur, quia ipso judicis fulgure penetretur.

CAP. CVIII. — *Quis putas est fidelis* (*Matth.* XXIV, 45).

(Regul. pastoral. tert. part., cap, 39.) Alta etenim quæque debent multis audientibus contegi, et vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit : *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram* (*Matth.* XXIV, 45)? Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait : *Non potui vobis loqui sicut spiritualibus, sed quasi carnalibus ; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III, 2). Hinc Moyses a secreto Dei exiens, coruscantem coram populo faciem velat ; quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat.

CAP. CIX. — (*Sed quinque fatuæ* (*Matth.* XXV, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 17.) Fatuæ virgines in vasculis suis oleum non sumpsisse referuntur, quia arrogantes omnes, cum se ab aliquibus fortasse vitiis continent, bonum gloriæ intra conscientias habere non possunt. In vase autem proprio sumpserat Paulus oleum, cum dicebat : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Inane ergo vasculum ferre, est intus corde vacuo foras humani oris judicium quærere.

CAP. CX. — *Date nobis de oleo vestro* (*Matth.* XXI, 8).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 76.) Fatuæ virgines quæ oleum in vasis non sumpserant, quia in alienis scilicet vocibus gloriam, et non in suis conscientiis habebant, turbatæ per Sponsi præsentiam dicunt : *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur* (*Matth.* XXXI, 8). Oleum quippe a proximis petere, est gloriam boni operis a testimonio alieni oris implorare. Mens etenim vacua cum cunctis suis laboribus nihil se intus tenuisse invenerit, testimonium foris quærit. Ac si aperte fatuæ virgines dicant : Cum nos repelli sine retributione conspicitis, dicite in vestro opere, quid vidistis. Sed frustra tunc hypocrita in hac domo laudis innititur, quia nihil ei in judicio attestatio humana suffragatur. Quia eamdem laudem quam post in testimonio exigit, prius in munere recepit.

CAP. CXI. — *Vigilate itaque quia nescitis diem* (*Matth.* XXV, 13).

(In exposit. B. Job, lib. VII, num. 45.) Sæpe etenim dum præsentis vitæ brevitas, quasi diu perseveratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, et delectatus præsentibus, desperationis suæ caligine reverberatur. Cumque longum putat quod ad vivendi sibi spatium restat, repente vitam deserens, æterna invenit, quæ vitare jam nequeat. Hinc est enim quod per quemdam Sapientem dicitur : *Væ his qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II, 16). Sustinentiam

[a] Al. *titubare.*

videlicet perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem invisibilium derelinquunt. Cumque mens in præsentibus figitur, vita terminatur. Et repente ad supplicia improvisa perveniunt, quæ decepti suis præsumptionibus, aut nunquam se contingere, aut tarde crediderunt. Hinc Veritas dicit : *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam* (*Matth.* xxv, 13). Hinc rursum scriptum est : *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet* (*I Thess.* v, 2). Quia enim ad rapiendam animam propinquans, minime conspicitur, furi in nocte comparatur. Tanto igitur debet, quasi superveniens metui, quanto a nobis non valet ventura præsciri. Unde et sancti viri, quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt; et tanto se solidius mansuris præparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista velocí cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait : *Pusillum adhuc, et non erit peccator* (*Psal.* xxxvi, 10). Hinc iterum dicit : *Homo sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri* (*Psal.* ciii, 15). Hinc Isaias ait : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos feni* (*Isa.* xl, 6). Hinc mentes præsumentium Jacobus corripit, dicens : *Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum apparens* (*Jacob.* iv, 15).

Cap. CXII. — *Quandiu fecistis uni de his* (*Matth.* xxv, 40).

(In exposit. B. Job, lib. xvi, num. 2.) In omni quippe quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Deum juvamus. Unde et per Psalmistam dicitur : *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges* (*Psal.* xv, 2). Ipse enim vere nobis Dominus, quia et utique Deus est, qui bono non indiget servientis, sed bonitatem confert; quia recipit ut oblata bonitas non ipsi, sed prius accipientibus, et prius reddentibus prosit. Nam si in judicium Dominus veniens dicit : *Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40), mira hoc pietate loquitur ex suorum compassione membrorum; et ipse nos per hoc quod caput nostrum est adjuvat, qui per nostra bona opera in suis membris adjuvatur.

Cap. CXIII. — *Esurivi enim, et non dedistis* (*Matth.* xxv, 42).

(In exposit. B. Job, lib. xv, num. 23.) Venturus namque in judicio Dominus dicturus est reprobis : *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare; sitivi et non dedistis mihi bibere; hospes eram et non collegistis me; nudus et non operuistis me*, etc. (*Matth.* xxv, 42). Ex qua culpa subjungitur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus.* Si igitur tanta pœna mulctatur, qui non dedisse convincitur, qua pœna feriendus est qui redarguitur abstulisse?

Cap. CXIV. — *Pater mi, si possibile est* (*Matth.* xxvi, 39).

(In exposit. B. Job, lib. xii, num. 16.) Passioni quippe Dominus propinquans, infirmantium in se vocem sumpsit, dicens : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* xxvi, 39). Eorumque timorem ut abstraheret, rursus per obedientiam vim fortitudinis ostendens, ait : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Ibid.*). Ut cum hoc imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus, ut non fiat : quatenus per fortitudinem parati simus, ut voluntas Conditoris nostri etiam contra nostram voluntatem fiat.

Cap. CXV. — *Nil tibi et justo illi* (*Matth.* xxvii, 19).

(In exposit. B. Job, lib. xxxiii, num. 31.) Quasi avi quippe diabolo Dominus illusit (*Job.* xl, 24), dum ei in Passione unigeniti filii sui ostendit escam, sed laqueum abscondit. Vidit enim quod ore perciperet, sed non vidit quod gutture teneret. Nam quamvis eum Filium Dei fuerat ipse confessus (*Matth.* viii), velut purum tamen illum hominem mori credidit, ad cujus mortem Judæorum persequentium animos concitavit. Sed in ipso traditionis ejus tempore tarde jam cognovisse intelligitur quod illa ejus morte puniretur. Unde et Pilati conjugem somnus terruit, ut vir illius a justi persecutione cessaret (*Matth.* xxvii). Sed res interna dispensatione disposita nulla valuit machinatione refragari. Expediebat quippe ut peccatorum mortem juste morientium solveret mors justi injuste morientis.

Cap. CXVI.—*Hunc angariaverunt* (*Matth.* xxvii, 32).

(Homil. 32 in Evangel., num. 3.) Evicino namque abstinentiam carnis nonnunquam vana gloria obsidet; quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur : et tanto se celerius foras fundit, quanto ad humanos oculos per ostensum pallorem exit. Et plerumque fit, ut quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis favoribus agatur. Quod bene Simon ille significat, qui inventus in itinere, crucem dominicam in angariam portat. Aliena quippe onera in angariam portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designantur, nisi abstinentes et arrogantes, qui per abstinentiam quidem carnem afflciunt, sed fructum abstinentiæ interius non requirunt? Crucem ergo Domini in angariam Simon portat, quia cum ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem justi sine fructi peccator operatur. Unde et idem Simon crucem portat, sed non moritur : quia abstinentes, et arrogantes, per abstinentiam quidem corpus afflciunt, sed per desiderium gloriæ mundo vivunt.

LIBER SECUNDUS

De Testimoniis in Evangelium secundum Marcum.

Caput Primum. — *Locustas et mel silvestre edebat* (*Marc.* i, 6).

(In exposit. B. Job, lib. xxxi, num. 45.) *Locustas et mel silvestre edebat* (*Marc.* i, 6). Joannes quippe eum quem prophetæ auctoritate pronuntiat, etiam specie ciborum clamat. In semetipso enim designavit Dominum, quem prævenit. Qui nimirum in redemtionem nostram veniens, quia infructuosæ gentilitatis dulcedinem sumpsit, mel silvestre edidit. Quia vero Judæorum plebem in suum corpus ex parte convertit, in cibum locustas accepit. Ipsos namque locustæ significant, subitos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant cum præcepta Domini se implere promitterent; sed citius ad terram cadebant, cum per prava opera hæc se audisse denegarent. Videamus in eis quasi quemdam locustarum saltum : *Omnia verba quæ locutus est Dominus, et faciemus et audiemus* (*Exod.* xxiv, 3). Videamus autem quomodo citius ad terram ruunt : *Utinam mortui essemus in Ægypto, et non in hac vasta solitudine! Utinam pereamus et non inducat nos Dominus in terram istam* (*Num.* xiv, 3). Locustæ ergo erant, quia habebant saltum per vocem, et casum per actionem.

Cap. II.—*Et dabat fructum ascendentem* (*Marc.* iv, 8).

(In expositione Ezech. lib. ii, hom. 5, n. 12.) Idcirco senarium numerum dicimus esse perfectum, quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Quoniam vero peccatori homini legem dedit, quæ in decem præceptis scripta est, et sex decies ducta in sexagenarium surgit, recte per sexaginta cubitos, bonorum operum perfectio designatur. Quod aperte

etiam Dominus in Evangelio designat, qui cum parabolam seminantis exponeret, dixit : *Aliud cecidit in terram bonam; et dabat fructum ascendentem, et crescentem : et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum* (*Marc.* IV, 8). Fructus etenim terræ bonæ triginta affert, cum mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate conceperit. Sexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfecta protulerit. Centum vero, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra est vita præsens, dextra vero est vita ventura: et recte per centenarium numerum æternæ vitæ contemplatio designatur, quia cum post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum computando pervenimus, idem centenarius numerus in dextram transit. Fides atque operatio adhuc in sinistra est, quia hic adhuc positi, et credimus quod non videmus, et operamur ut videamus : cum vero jam se animus in contemplatione æternæ vitæ suspenderit, quasi ad dextram manum computus pervenit.

CAP. III. — *Sic est regnum Dei quemadmodum* (*Marc.* IV, 26).

(In Ezech. l. II, hom. 3, n. 3 et seq.). Si quidam gradus in cordis ascensione non essent, Psalmista non diceret : *Ambulabunt de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXIII, 8). (Num. 4). Nec mirum si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa unaquæque virtus, quasi quibusdam gradibus augetur ; et sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud provectus, aliud perfectio. Si enim et ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, sancti Apostoli minime dixissent : *Auge nobis fidem* (*Luc.* XVII, 5). Et quidam venit ad Dominum, qui curari voluit filium suum ; sed requisitus an crederet, respondit : *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX, 24). Pensate quod dicitur : si credebat, cur incredulitatem dicebat ? Si vero incredulitatem se habere noverat, quomodo credebat ? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore, is qui necdum perfecte crediderat, simul et credebat et incredulus erat. (Num. 5). Hos nimirum gradus Dominus sub messis nomine describit, dicens : *Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo semen in terram, et dormiat, et exurgat nocte ac die; et semen germinet et crescat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis* (*Marc.* IV, 26 seq.). Semen homo jactat in terra, cum cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen jactaverit, dormit, quia in spe boni operis quiescit. Nocte vero exsurgit ac die, quia inter adversa et prospera proficit. Et semen germinat et crescit, dum ille nescit ; quia et cum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad provectum ducitur, et ultro terra fructificat, quia præveniente se gratia mens hominis spontanea ad fructum boni operis surgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere : ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta ad provectum boni operis pertrahit. Plenum vero frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit. At cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, et messem suam desecat : quia cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad cœlestia horrea perducat. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terra mittimus. Cum vero operari recta incipimus, herba sumus. Cum vero ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus. Cumque in ejusdem operationis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. (Num. 6). Herba etenim Petrus fuerat, qui passionis tempore per amorem Domini sequens, hunc confiteri ante ancillæ vocem timebat (*Luc.* XXII). Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat omnium Redemptorem, sed valde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris. Jam spica surrexerat, quando eum quem moriturum confiteri timuerat, nuntiante angelo in Galilæa viventem videbat. Sed tunc plenum granum in spica pervenerat, quando veniente desuper spiritu et suam mentem illius amore roborante, ita solidatus est, ut vires persequentium cæsus despiceret, et redemptorem suum libere inter flagella prædicaret.

CAP. IV. — *Vade in domum tuum ad tuos* (*Marc.* V, 19).

(In exposit. beati Job, l. XVI, n. 76.) Domorum nomine conscientiæ designantur, in quibus habitamus, cum tractando quid agimus. Unde cuidam sanato dicitur : *Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit* (*Marc.* V, 19). Id est, peccati jam vitio securus ad conscientiam revertere, et in vocem prædicationis excitare.

CAP. V. — *Tolle grabatum tuam* (*Marc.* II, 11).

(In exposit. Ezech. l. I, hom. 12, n. 11.) Curidam sanato Veritas per semetipsam dicit : *Tolle grabatum, et vade in domum tuam* (*Marc.* II, 9). Per grabatum quippe in quo carnis est requies, ipsa caro signatur ; per domum vero, conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cum vero sanati fuerimus mente, ut jam pulsantibus carnis vitiis resistamus, necesse est ut et tentationum contumelias de nostra carne toleremus. Ægroto itaque ad salutem reducto præcipitur : *Tolle grabatum tuum*, id est, porta lectum in quo portatus es ; quia necesse est ut sanatus quisque portet contumelias carnis in qua prius jacebat ægrotus. Quid est ergo dicere : *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam ;* nisi porta tentationes carnis in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ fecisti.

CAP. VI. — *Et discubuerunt in partes per centenos* (*Marc.* VI, 40).

(In exposit. B. Job, lib. XVI, hom. 10, num. 68.) In Evangelio Dominus convivantium famulorum (*Marc.* VI) etiam per locorum distinctionem concordiam designavit, cum satiaturus de quinque panibus populum, quinquagenos per turbas, vel centenos discumbere præcepit : ut videlicet turba fidelium escam suam, et locis dijuncta, et moribus conjuncta perciperet. Jubilæi quippe requies quinquagenarii numeri mysterio continetur. Quinquagenarius bis ducitur, ut ad centenarium perducatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere, ut post anima plenius quiescat in cogitatione, alii quinquageni, alii autem centeni describuntur : quoniam sunt nonnulli qui jam a pravis actibus habent requiem operis, et sunt nonnulli qui a perversis cogitationibus habent jam requiem mentis.

CAP. VII. — *Adducunt ei surdum et mutum* (*Marc.* VII, 32).

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. 10, num. 20.) Vigilanter intuendum est quod voce Domini ad prophetam dicitur : ut prius sermones ejus audiat, et postmodum loquatur : audimus enim verba Dei si facimus ; et tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus Evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat, dicens : *Adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur ut imponat illi manum* (*Marc.* VII, 32). Cujus ordinem curationis insinuat, subdens : *Misit digitos suos in auriculas, expuensque tetigit linguam ejus; et suspiciens in cœlum ingemuit ;* et ait *illi* : *Ephpheta ; quod est adaperire ; et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus et loquebatur recte*

Quid est enim quod Creator omnium Deus, cum surdum et mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, ex expuens, linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemptoris, nisi dona Spiritus sancti? Unde cum alio in loco ejecisset dæmonium, dicit : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* (*Luc.* XI, 20). Qua de re per Evangelistam alium dixisse describitur : *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei* (*Matth.* XII, 28). Ex quo utique loco colligitur quia digitus Dei spiritus vocatur : digitos ergo in auriculas mittere, est per dona sancti Spiritus mentem surdi ad obediendum aperire. Quid est vero quod expuens, linguam ejus tetigit? Saliva nobis est ex ore Redemptoris, accepta sapientia in eloquio divino; saliva quippe ex capite defluit in ore : ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur. Qui suspiciens in cœlum, ingemuit : non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat; sed nos ad eum gemere qui cœlo præsidet docuit : ut et aures nostræ per dona sancti Spiritus aperiri, et lingua per salivam oris, id est per scientiam divinæ locutionis solvi debeat ad verba prædicationis. Cui mox *Ephpheta*, id est adaperire dicitur, et statim apertæ sunt aures ejus et solutum est vinculum linguæ ejus. Qua in re notandum est, quia propter clausas aures dictum est, *adaperire*. Sed cui aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti procul dubio etiam linguæ ejus vinculum solvitur : ut bona quæ ipse fecerit, etiam facienda aliis loquatur; ubi et bene additur, *et loquebatur recte*. Ille enim recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.

CAP. VIII. — *Misereor super turbam* (*Marc.* VIII, 2).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 9, num. 22.) Dum fessi atque jejuni ad Dominum populi convenissent, discipulis Dominus dixit : *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinet me, nec habent quod manducent. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt* (*Marc.* VIII, 2, 3). Turba triduo Dominum sustinet, quando multitudo fidelium peccata quæ perpetravit per pœnitentiam declinans, ad Deum se in opere, in locutione, atque in cogitatione convertit. Quos dimittere jejunos in domum suam Dominus non vult, ne deficiant in via : quia videlicet conversi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ sanctæ pabulo dimittantur : ne ergo lassentur in ejus peregrinationis itinere, pascendi sunt sacra admonitione. Valde autem pensanda est pia sententia quæ processit ex ore Veritatis, qua dicitur : *Quidam enim ex eis de longe venerunt*. Est enim qui nihil peccati carnalis expertus, ad omnipotentis Dei servitium festinavit. Iste de longinquo non venit, quia per incorruptionem et innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem conjugium expertus ad ministerium spiritale conversus est. Neque enim iste venit de longinquo, quia usus conjunctione concessa, per illicita non erravit. Alii vero post carnis flagitia, alii post falsa testimonia, alii post facta furta, alii post illatas violentias, alii post perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt; atque ad omnipotentis Dei servitium convertuntur. Hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt. Quanto etenim quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Domino longius recessit. Nam et prodigus filius qui patrem deseruit, abiit in regionem longinquam, in qua porcos pavit, quia vitia nutrivit. Dentur ergo alimenta eis etiam qui de longinquo veniunt, quia conversis peccatoribus doctrinæ sanctæ cibi præbendi sunt, ut in Deum vires reparent, quas in flagitiis amiserunt : quia sæpe a doctoribus tanto necesse est ut largioribus cibis doctrinæ satientur, quanto fessi majoribus vitiis venerunt.

A CAP. IX. — *Credo, Domine, adjuva incredulitatem* (*Marc.* IX, 23).

(In exposit. beati Job, lib. XXII, num. 49.) Fides quæ ad bona alia perfecte capessenda nos imbuit, plerumque in exordiis suis et nutat et solida est. Et jam certissime habetur, et tamen de ejus fiducia adhuc sub dubitatione trepidatur : pars namque ejus prius accipitur, ut in nobis postmodum perfecte compleatur. Si enim certo gradu in mente credentis non proficeret, requisitus in Evangelio Pater sanandi pueri non dixisset : *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX, 23). Adhuc ergo ascendebat ad fidem, quam jam perceperat, qui uno eodemque tempore clamabat, et jam se credere, et adhuc ex incredulitate dubitare. Hinc est etiam quod Redemptori nostro a discipulis dicitur : *Auge nobis fidem* (*Luc.* V, 17) : ut quæ jam accepta per initium fuerat, quasi per augmenta graduum ad perfectionem veniret.

B CAP. X. — *Et clamans, et multum discerpens* (*Marc.* IX, 25).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 50.) Qui enim ab hujus mundi appetitu moriuntur, terrenis profecto mentibus omnimodo extincti æstimantur. Quod bene nostri miraculum Redemptoris signat, cum ab immundo spiritu hominem liberat. De quo nimirum scriptum est : *Clamans et multum discerpens eum, exiit ab eo; et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum et surrexit* (*Marc.* IX, 25). Velut mortuus quippe ostenditur, qui a maligni spiritus potestate liberatur; quia quisquis jam terrena desideria subjicit, vitam in se carnalis conversationis extinguit; et mundo mortuus apparet, quia possessore pravo, qui per immunda desideria se agitabat, caret : quem multi mortui dicunt, quia qui spiritaliter vivere nesciunt, eum qui carnalia bona non sequitur extinctum funditus arbitrantur.

CAP. XI. — *Idem ac supra.*

C (In exposit. Ezech. lib. I, hom. 12, num. 24.) Mox ut animus amare cœlestia cœperit, mox ut ad visionem pacis intimæ tota se intentione collegerit, antiquus ille adversarius qui de cœlo lapsus est, invidet, et insidiari amplius incipit, acriores quam consueverat tentationes admovet; ita ut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam tentaverat, quando possidebat. Unde scriptum est : *Fili, accedens ad servitutem Dei sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccl.* II, 1). Unde et dæmoniacus qui a Domino sanatur, ab exeunte dæmone decerpitur, sicut scriptum est : *Et clamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo* (*Marc.* IX, 25). Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis quem possessum non discerpserat, deserendo discerpsit, nisi quod plerumque, dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat, quando hoc quietus
D possidebat?

CAP. XII. — *Habete in vobis sal* (*Marc.* IX, 43).

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. 8, num. 8.) Sunt nonnulli qui dum plus sapere quam necesse est, student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes, stultosque contemnunt. Unde per se Veritas admonet, dicens : *Habete in vobis sal; et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 43). Ut quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est quatenus a pace concordiæ nunquam recedat.

CAP. XIII. — *Idem ac supra.*

(Reg. pastoral. tert. part., admonit. 23.) Sæpe vero dum quosdam major scientia erigit, a cæterorum societate disjungit; et quasi quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiscunt. Hi itaque audiant quod per semetipsam Veritas dicat : *Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 43). Sal quippe sine pace non virtutis est donum, sed damna-

tionis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo concordiam deserens deterius delinquit. Et idcirco inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudenter, si voluisset, potuit vitare peccatum. Quibus recte quoque per Jacobum dicitur : *Quod si zelum animarum habetis, et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus Veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica : quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica* (*Jac.* III, 14 *sqq.*). Pudica videlicet, quia caste intelligit; pacifica autem, quia per elationem, se minime a proximorum societate disjungit.

LIBER TERTIUS.

De Testimoniis in Evangelium secundum Lucam.

CAPUT PRIMUM. — *Erant autem ambo justi ante Deum* (*Luc.* I, 6).

(In expositione B. Job, lib. XXXV, num. 10). Caute nimis in laude justorum conjugum dictum est: *Erant ambo justi ante Deum* (*Luc.* I, 6). Non enim secura laus est, justos ante homines apparere. Sæpe enim humana sententia velut in Deo magnum quempiam approbat, sed hunc omnipotens Deus, qui quasi ex se approbatur; ignorat. Hinc est enim quod Psalmista vigilanter exorat, dicens : *Dirige in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* V, 9). Nimirum quia plerumque in conspectu hominum recta via creditur, etiam quæ veritatis itinere depravatur.

CAP. II. — *Et ipse præcedet ante illum* (*Luc.* I, 17).

(Homil. 7, in Evang., num. 1): Ad Zachariam namque de Joanne angelus dicit : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* I, 17). Qui idcirco venturus in spiritu et virtute Eliæ dicitur, quia sicut Elias secundum Domini adventum præveniet, ita Joannes prævenit primum : sicut ille præcursor venturus est judicis, ita iste præcursor factus est Redemptoris. Joannes igitur in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat.

CAP. III. — *Missus est angelus Gabriel a Deo* (*Luc.* I, 26).

(Homil. 34, in Evang., num. 9.) Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur : illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aerias potestates humilis apparere dignatus est, de quo per Psalmistam dicitur : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Et rursum : *Dominus virtutum iste est Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 7). Per Dei enim fortitudinem nuntiandus est, qui virtutum Dominus et potens in prælio contra potestates aerias ad bella veniebat.

CAP. IV. — *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 32, 33). Justorum mentes a prurigine et ardore vitiorum ad cogitationum temperiem tranquillitatemque perveniunt, dum jam terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cœlestibus exstinguunt (Num. 33.) Propter hoc quoque mentis refrigerium cœlitus datum Mariæ dicitur : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 33). Quamvis hac in re per obumbrationis vocabulum, incarnandi Dei utraque potuit natura signari. Umbra enim a lumine formatur et corpore. Dominus autem per divinitatem lumen est; qui mediante anima, in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus erat utero corporandum, ei quæ incorporeum concepit ad corpus dicitur : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis.

CAP. V. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 51). Dominica incarnatio, servata veritate historiæ, obumbrationis appellatione signatur, sicut angelicus sermo testatur, qui ad Mariam dicit : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Quia enim umbra non aliter exprimitur, nisi per lumen et corpus, virtus ei Altissimi obumbravit, quia in ejus utero lux incorporea corpus sumpsit, ex qua videlicet obumbratione in se refrigerium mentis accepit.

CAP. VI. — *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (*Luc.* I, 79).

(In expos. B. Job, lib. IV, num. 30.) Sicut mors hoc quod interficit, agit ut non sit in vita; ita oblivio hoc quod interficit, agit ut non sit in memoria. Unde recte, quia Joannes Hebræorum populo eum quem obliti fuerant Deum prædicare veniebat, per Zachariam dicitur : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (*Luc.* I, 79). In umbra enim mortis sedere, est a divini amoris notitia in oblivione lassescere.

CAP. VII. *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* (*Luc.* I, 19).

(Homil. 33 in Evang., num. 4.) Per Zachariam dicitur : *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* (*Ibid.*). Tunc enim gressus nostros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergimus, in quo ab actoris nostri gratia non discordemus.

CAP. VIII. — *Et reclinavit eum in præsepio* (*Luc.* II, 7).

(In exposit. B. Job, lib. VII, num. 7.) Quia enim per prophetam dicitur : *Omnis caro fenum* (*Isa.* XL, 6), universitatis Conditor ex nostra substantia carnem sumens, fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fenum remaneret. Unde et natus in præsepe ponitur, ut videlicet signaretur, quia sancta animalia quæ jejuna diu apud Legem inventa sunt, incarnationis ejus feno satiantur. Præsepe enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit, dicens : *Qui comedit carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 57).

CAP. IX. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num, 3). Natus Dominus a pastoribus in præsepi reperitur, quia ejus incarnatio quæ nos reficit, prophetarum scriptura cognoscitur.

CAP. X. — *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 28, 29.) Quid enim difficilius quam hominem in terra editum, terrena et fragilia membra gestantem, cœlorum alta conscendere, supernorum spirituum arcana penetrare? Sed eorumdem spirituum ad nos Conditor venit, seque hominem etiam sub ipsis exhibuit, sicut de illo Patri per prophetam dicitur : *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII, 6). Et quia inter nos et eosdem spiritus discordantis vitæ scandalum reperit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate, summa creans, ima suscipiens, ima cum summis junxit. Hinc est enim quod eodem rege nato, angelorum chori in ejus annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt, et devicta pravæ vitæ discordia, hos quos dudum despexerant cives agnoscunt, consono

ore prædicantes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Ac si aperte dicant : Quos a nobis malitia disjunxerat, jam nunc in terra nata bonitas jungat. Hinc est quod ante incarnationem ejus in Testamento Veteri adorasse homo angelum legitur, nec tamen adorare prohibetur, sed post Mediatoris adventum, cum se Joannes adorando angelo prostravisset, audivit : *Vide ne feceris ; conservus tuus sum, et fratrum tuorum* (*Apoc.* XIX, 10 et 22). Quid est enim hoc quod prius æquanimiter se concedebant adorari, post ab homine angeli recusant ; nisi quod prius hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec ab eisdem carnalibus corruptionibus redemptum, quo abjectiorem noverant, justius contemnebant. Postmodum vero humanam naturam eo jam substratam habere non poterant, quo hanc in auctore suo etiam super semetipsos ductam videbant. Neque enim debet in membris jam subjecta despici, quæ in ipso membrorum capite meruit prælata venerari.

CAP. XI. — *Idem ac supra.*

(In exposit. Ezechiel. lib. II, hom. 7, n. 5.) Omnis enim torpor teporis angustia est, omnis vero benignitas charitatis magna latitudo. Nam et si res desint, quæ fortasse indigenti proximo præbeantur, ampla est substantia voluntatis bonæ, quæ sufficit ad regni retributionem, sicut scriptum est : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14).

CAP. XII. — *Facta est autem cum angelo multitudo militiæ cœlestis* (*Luc.* II, 13).

(In exposit. B. Job, lib, XVII, num. 18.) Angelicos vero spiritus recte Dei milites dicimus, quia decertare eos contra potestates aereas non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt, quia quod agendum contra immundos spiritus appetunt, ex adjutorio cuncta regentis possunt. De hac namque militia nascente rege nostro scriptum est, *Subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis* (*Luc.* II, 13).

CAP. XIII. — *Invenerunt Jesum in templo sedentem* (*Luc.* II, 46).

(In Ezechiel, lib. I, homil. 2, num. 5.) Juxta rationis usum, doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. Unde et ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans, voluit inveniri ; ut enim non audierent in infirma ætate prædicare, ille anno duodecimo ætatis suæ interrogare homines est dignatus in terra, qui per divinitatem suam semper angelos docet in cœlo. Quia enim ipse est Deus sapientia ; de ipso etiam angeli videndo bibunt hoc quod beatitudine æterna satiantur.

CAP. XIV. — *Et ipse Jesus erat incipiens* (*Luc.* III, 23.)

(Regul. pastoral. part. III, admonit. 26.) Redemptor noster cum in cœlis sit Conditor, et ostensionis suæ potentia semper doctor angelorum, ante tricennale tempus in terra magister fieri noluit hominum, ut videlicet præcipitatis jugum saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam nonnisi perfecta ætate prædicaret. Scriptum quippe est : *Cum factus esset annorum duodecim, remansit puer Jesus in Jerusalem* (*Luc.* II, 42). De quo a parentibus requisito paulo post subditur : *Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem* (*Ibid.*). Vigilanti itaque consideratione pensandum est, quod cum Jesus annorum duodecim dicitur, in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur, ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit.

CAP. XV. — *Ascendens autem in unam navim* (*Luc.* V, 3.)

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 37.) *Ascendit Jesus in naviculam Petri ; et rogavit ut a terra reducerel pusillum : et ita sedens prædicabat turbis* (*Luc.* V, 3). Per navem Petri quid aliud quam commissa Petro Ecclesia designatur, de qua ut Dominus turbis confluentibus prædicet, cum a terra paululum reduci jubet ? Quam nec in altum duci, et tamen a terra præcepit removeri : profecto significans prædicatores suos rudibus debere populis, nec alta nimis de cœlestibus, nec tamen terrena prædicare.

CAP. XVI. — *Et erat pernoctans in oratione* (*Luc.* VI, 12).

(Regul. pastoral. sec. part., cap. 5.) Ipsa Veritas per susceptionem nobis nostræ humanitatis ostensa, in monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet. Imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens, ut et si jam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur, quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad viam proximorum se misericorditer attrahit. Et quo benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.

CAP. XVII. — *Non cessavit osculari pedes meos* (*Luc.* VII, 45).

(In expositione Cantic., cap. 1, num. 5.) Compunctio quæ per charitatem fit, quæ ex desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est ; toties enim anima osculatur Deum, quoties in amore ejus compungitur. Sunt enim multi qui jam quidem Deum metuunt, jam bonam operationem recipiunt ; sed necdum osculantur, quia amore ejus minime compunguntur ; quod bene in convivio Pharisæi signatum est, qui cum Dominum recepisset, cum osculanti mulieri pedes ejus in corde suo derogaret, audivit : *Intravi in domum tuam, osculum mihi non dedisti ; hæc autem ex quo ingressa est, non cessavit osculari pedes meos* (*Luc.* VII, 44). Omnis qui jam eleemosynas facit, qui jam bonis operibus studet, quasi Christum in convivium recipit, Christum pascit ; quia eum in membris suis sustentare non desinit. Sed si nondum per amorem compungitur, adhuc ejus vestigia non osculatur. Præponitur ergo pastori mulier quæ osculatur, quia præponitur cuique exteriora sua danti, is qui interno mentis ardore, in desiderio Domini compungitur. Bene autem dictum est : *Non cessavit osculari pedes meos.* Non enim sufficit in amorem Dei semel compungi et quiescere, sed et compunctio esse debet et crebrescere. Unde mulier ex eo laudatur, quia osculari non destitit, id est compungi minime cessavit. Unde et per Prophetam dicitur : *Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris* (*Psal.* CXVII, 27). Dies solemnis est Domino compunctio cordis nostri ; sed tunc in confrequentatione dies solemnis constituitur, cum in lacrymas pro amore assidue mens movetur. Cui velut si diceremus : quandiu ista acturi sumus, quandiu tribulatione affligimur, illico terminum quousque fieri debeat subjunxit, dicens : *Usque ad cornu altaris.* Cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris ; quia tandiu necesse est ut quisque se affligat, quousque ad superni sacrificii altitudinem, id est ad gaudia pertingat ; ubi cum venerimus, jam nulla necessitas est ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus.

CAP. XVIII. — *Redi in domum tuam et narra* (*Luc.* VIII, 39).

(In exposit. B. Job, lib. XVI, num. 33.) Electus quisque nisi Dominum agnovisset, utique non amaret, sed aliud est cognoscere per fidem, atque aliud per speciem. Aliud est invenire per credulitatem, aliud per contemplationem ; ex qua re agitur ut electi omnes eum quem fide cognoverunt, videre quoque per speciem anhelent ; cujus amore flagrantes, æstuant ; quia ejus dulcedinis suavitatem in ipsa suæ fidei certitudine degustant. Quod bene ille in Gerasenorum regione sanatus a dæmonibus designat, qui vult abire cum Jesu, sed ei a magistro salutis dicitur : *Redi in domum tuam, et narra quanta fecit Deus tibi* (*Luc.* VIII, 39). Amanti enim adhuc dilatio imponitur, ut

ex dilati amoris desiderio, meritum retributionis augeatur. Fit ergo nobis omnipotens Deus dulcis in miraculis, et tamen in sua celsitudine manet occultus; ut et quiddam monstrando de se, occulta nos inspiratione in suo amore succendat; et tamen abscondendo majestatis suæ gloriam, amoris sui vim per æstum desiderii augeat.

CAP. XIX. — *Turbæ te comprimunt et affligunt* (*Luc.* VIII, 45).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 43.) Nonnulli in sancta Ecclesia fidem quam se tenere asserunt, premunt potius quam venerantur; dum sua magis illius nomine, quam ejus adipisci lucra concupiscunt. Electi autem dum servare fidei meritum rectis operibus curant, ad auctoris notitiam, etiam inter reproborum tumultus appropinquant. Quod in Evangelio muliere sanguinis fluxu laborante signatum est; de qua cum Dominus diceret: *Quis me tetigit?* Petrus ratiocinando respondit: *Turbæ te comprimunt et affligunt; et dicis: Quis me tetigit?* illico adjunxit: *Tetigit me aliquis: nam et ego sensi virtutem de me exisse* (*Luc.* VIII, 45). Multi ergo Dominum comprimunt, et una tangit; quia carnales quique in Ecclesia eum premunt a quo longe sunt. Sed audire causas veræ rationis meruit, cum ei Dominus dixit: *Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exisse.* Ecce turbæ premebant Dominum; sed tamen sola tetigit quæ ad illum humiliter venit; quia nimirum multi etiam in sancta Ecclesia reprobi, veritatem cognoscendo premunt, quam bene vivendo tangere negligunt; premunt et longe sunt, quia divinam notitiam professionibus sequuntur, moribus fugiunt; premunt, inquam, sed longe sunt, quia eidem fidei quam loquendo adstruunt, agendo contradicunt.

CAP. XX. — *Tetigit me aliquis* (*Luc.* VIII, 46).

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 36, 37.) Premente turba, una Redemptorem nostrum mulier tetigit. Unde et eidem Redemptor noster protinus dicit: *Quis me tetigit;* cui cum discipuli respondérent: *Turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis: Quis me tetigit?* illico adjunxit: *Tetigit me aliquis: nam et ego sensi virtutem de me exisse* (*Luc.* VIII, 43). Multi ergo Dominum comprimunt, et una tangit; quia carnales quique in Ecclesia eum premunt a quo longe sunt. Et soli tangunt qui ei veraciter humiles adjunguntur. Turba igitur premit, quia multitudo carnalium quo intus admittitur, gravius toleratur. Premit et non tangit, quia et importuna est per præsentiam, et absens per vitam; nonnunquam enim pravis nos sermonibus, nonnunquam vero solis perversis moribus insequuntur. Suadent namque aliquando quæ tenent; aliquando vero etsi non suadeant, præbere tamen iniquitatis exempla non cessant. Qui igitur ad mala nos verbis vel exemplis illiciunt, profecto persecutores nostri sunt, a quibus tentationum certamina sumimus, quæ saltem in corde vincamus.

CAP. XXI. — *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, annuntia regnum Dei* (*Luc.* IX, 60).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 42.) Sciendum est quia aliquando in actionibus nostris minora prætermittenda sunt pro utilitate majorum; nam quis ignoret esse boni operis meritum, mortuum sepelire? et tamen cuidam qui ad sepeliendum patrem se dimitti poposcerat, dictum est: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: Tu autem vade, et annuntia regnum Dei* (*Luc.* IX, 60). Postponendum namque est obsequium hujus ministerii, officio prædicationis; quia illo carne mortuos in terra conderet, isto autem anima mortuos ad vitam resuscitaret.

CAP. XXII. — *Nemo mittens manum suam in aratrum* (*Luc.* IX, 62).

(In exposit. Ezech. hom. III, n. 16.) Veritas dicit: *Nemo mittens manum suam in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). Manum quippe in aratrum mittere, est quasi per quemdam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram cordis sui aperire; sed retro post aspicit, qui post exordia boni operis ad mala revertitur quæ reliquit.

CAP. XXIII. — *Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X, 20).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 7, num. 17.) A privato gaudio Veritas ad commune discipulos revocat, cum eos de prædicatione redeuntes, et de subjectione dæmonum lætantes admonet, dicens: *Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X, 20). Non enim omnes electi dæmonia ejiciunt, sed tamen electorum omnium nomina cœlo tenentur adscripta. Admonentur ergo discipuli privatam lætitiam deponere, communi autem et perpetua felicitate gaudere. Quisquis itaque in eo gaudet quod alter non habet, ex ipsa sua abundantia deterior factus, gaudium privatum habet.

CAP. XXIV. — *Infundens oleum et vinum* (*Luc.* X, 34).

(Regul. pastoral. part. II, cap. 6.) Inesse pectoribus debet, et juste consulens misericordia, et pie sæviens disciplina. Hinc namque est quod docente Veritate (*Luc.* X, 33) per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum vulneribus adhibetur; ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse est quippe ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddam ex utroque temperamentum; ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.

CAP. XXV. — *Martha autem satagebat circa frequens ministerium* (*Luc.* X, 40).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 61.) Quia enim contemplativa vita minor quidem tempore, sed merito major est quam activa, sacris Evangelii verbis ostenditur (*Luc.* X), in quo duæ mulieres diversa egisse referuntur. Maria quippe Redemptoris nostri verba audiens, ad pedes illius residebat. Martha autem corporalibus ministeriis insistebat. Cumque contra Mariæ otium Martha quereretur, audivit: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima: Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Ibid.* 44, 42). Quid enim per Mariam quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi activa signatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ vero etiam laudatur; quia magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora. Unde nec auferri unquam Mariæ pars dicitur, quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativa autem gaudia melius ex fine convalescunt.

CAP. XXVI. — *Idem ac supra.*

(In exposit. Ezech. part. II, hom. 2, num. 9.) Bene has utrasque vitas duæ illæ mulieres signaverunt, Martha videlicet et Maria; quarum una satagebat circa frequens ministerium, alia vero sedebat ad pedes Jesu, et audiebat verba de ore ejus. Cumque erga sororem Martha quereretur quod se adjuvare negligeret, respondit Dominus, dicens: *Martha, occuparis et satagis circa multa: porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X, 40 *sqq*). Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur. Neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam; ut etiam pars Marthæ indicaretur bona. Quare autem pars Mariæ sit optima, subinfertur, cum dicitur, *quæ non auferetur ab ea.* Activa etenim vita cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat, ubi nemo esurit? quis potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit? quis mortuum sepeliat, ubi nemo mori-

tur ? Cum præsenti ergo sæculo vita aufertur activa ; contemplativa autem hic incipitur, ut in cœlesti patria proficiat; quia amoris ignis qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit; contemplativa vero vita minime aufertur, quia subtracta præsentis sæculi luce perficitur.

CAP. XXVII. — *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit* (*Luc.* XII, 16).

(In exposit B. Job, lib. XV, num. 26.) Perversa mens prius anhelat per avaritiam concupita congregare; et cum quasi quodam ventre avaritiæ multa congesserit, satiata arctatur ; quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa eam sua satietas angustat. Divitis enim cujusdam uberes fructus ager attulerat ; sed quia ubi eos tantos reponeret, non habebat, dixit : *Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? et dixit hoc faciam : Destruam horrea mea, et majora ædificabo* (*Luc.* XII, 17). Qui ergo ex abundantia coangustatus dicebat, *quid faciam*, quasi multo cibo pressus æstuabat. Pensemus quot votis appetiit ut uberes fructus ager illius afferret. Ecce autem vota completa sunt, quia fructus uberes ager attulit; sed quia ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus dives quid faciat ignorat. O angustia ex satietate nata! de ubertate agri angustatur animus avari, dicens namque : *quid faciam*, profecto indicat, quia votorum suorum affectibus pressus sub quodam rerum fasce laborabat.

CAP. XXVIII. — *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te* [*Luc.* XII, 20].

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 3.) Quamlibet sero de hac vita tollantur iniqui, subito et repente tolluntur. Quia enim finem suum cogitando prævidere nesciunt, subitum est quod ante cogitare non potuerunt. Subito dives ille stultus est, qui horrea quæ præparabat deseruit, et inferni locum quem non prævidebat invenit. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, sed ad aliud emisit per sententiam. Aliud dum viveret contemplatus est, aliud dum moreretur expertus. Reliquit enim diu tentata temporalia, et inopinata invenit æterna. Unde ei propter hanc ignorantiam cæcitatis suæ bene per divinam sententiam dicitur : *Hac nocte animam tuam repetunt a te* (*Luc.* X, 40). In nocte quippe ablata est, quæ in obscuritate est cordis amissa, in nocte ablata est quæ considerationis lucem habere noluit, ut quod poterat pati prævideret. Unde bene discipulis futura cogitantibus Paulus apostolus dicit : *Vos autem fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa quasi fur comprehendat : omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei : non sumus noctis atque tenebrarum* [*I Thess.* V, 4]. Dies enim exitus tanquam fur in nocte comprehendit, quando stultorum animas futura non prævidentes ejicit.

CAP. XXIX. — *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* XII, 35).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 12). Lumbos vero accingere, est vel in opere luxuriam, vel in cogitatione refrenare. Delectatio namque carnis in lumbis est. Unde et sanctis prædicatoribus dicitur : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* XII, 35). Per lumbos enim luxuria, per lucernas autem bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo lumbos accingere, et lucernas tenere. Ac si aperte audiant: Prius in vobismetipsis luxuriam restringite, et tunc de vobis, aliis bonorum operum exempla monstrate.

CAP. XXX. — *Qui autem non cognovit et fecit digna plagis* (*Luc.* XII, 48).

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 51). Sunt namque nonnulli, qui ex eo quod Veritas dicitur : *Servus qui non cognovit voluntatem Domini, et facit digna plagis, vapulabit paucis; et servus sciens voluntatem Domini sui, et non faciens juxta eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47, 48), nolunt scire quid faciant; et quasi minus se vapulaturos existimant, si nesciant quod operari debuerunt : sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit namque qui apprehendere vult, et non valet; qui autem ut nesciat aurem a voce veritatis avertit, iste non nesciens sed contemptor addicitur.

CAP. XXXI. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 29). Sæpe nonnulli quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt; quia enim scriptum est : *Servus nesciens voluntatem Domini sui, et non faciens digna, plagis vapulabit paucis. Et servus sciens voluntatem Domini sui, et faciens juxta eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47); impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt; atque ideo non discernunt, quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse : nescire enim ignorantia est, scire noluisse superbia. Et tanto magis excusationem non possunt habere, quia nesciant, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur quod cognoscant.

CAP. XXXII. — *Et servus qui cognovit voluntatem Domini sui* (*Luc.* XII, 48).

(Regul. pastoral. tert. part., admonit. 32). De occulta jam retributione judicii est quod quorumdam mens, malum quod perpetrat, illuminatur ut videat; sed non conatur ut vincat : ut quo melius videt, eo deterius pereat ; quia et intelligentiæ lumen percipit, et actionis pravæ tenebras non relinquit. Nam cum acceptam in adjutorium scientiam negligunt, hanc contra se in testimonium vertunt ; et de lumine intelligentiæ augent supplicia, quod profecto acceperant, ut possent delere peccata. Quorum nimirum nequitia cum malum agit quod dijudicat, venturum jam judicium hic degustat; ut cum æternis suppliciis servatur obnoxia, suo hic interim examine non sit absoluta : tantoque illic graviora tormenta percipiat, quanto hic malum non deserit, etiam quod ipsa condemnat. Hinc enim Veritas dicit : *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non facit juxta voluntatem ejus, vapulabit multis* (*Ibid.*).

CAP. XXXIII. — *Omni autem cui multum datum est, multum quæritur ab eo* (*Luc.* XII, 48).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 8 et 9). Non est secura lætitia in divinis paginis, vel fortia vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo debeat, agnoscit; quanto enim per intellectum latius extenditur, tanto ad explenda opera enixius ligatur. Unde in Evangelio Veritas dicit : *Cui multum datum est, multum quæritur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo* (*Luc.* XII, 48). Deputemus intelligentiam datam quasi pecuniam mutuam : quia quo plus nobis creditur ex benignitate, eo debitores amplius tenemur in opere.

CAP. XXXIV. — *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49).

(In expositione Ezech. lib. I, hom. 5, num. 8). Ignis enim nomine Spiritus sanctus figurari solet, de quo in Evangelio Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram ; et quid volo nisi ut accendatur* (*Luc.* XII, 49)? Cum enim carnalis mens Spiritum sanctum accipit, spiritali amore succensa malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando, accusante se conscientia, cor peccatoris uritur atque in dolore pœnitentiæ crematur. Hinc rursus scriptum est : *Deus tuus ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24). Quia enim mentem quam reprehendit, eam a peccatorum rubigine mundam reddit, Creator noster et ignis dicitur et consumens.

CAP. XXXV. — *Idem ac supra.*

(In Evangelio homil. 30, num. 5). *Ignem veni mittere in terram ; et quid volo nisi ut ardeat* (*Luc.* XII, 49)? Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infimas in se cogitationes congerunt, a

malignis spiritibus conculcantur. Sed ignem in terram Dominus misit, cum afflatu sancti Spiritus cor carnalium incendit. Et terra ardet, cum cor carnale in suis pravis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis sæculi, et incenditur ad amorem Dei.

CAP. XXXVI. — *Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem* (*Luc.* XII, 58).

(In Evangel. hom. 39, num. 5.) *Cum vadis cum adversario tuo ad Principem in via, da operam liberari ab ipso : ne forte tradat te judici, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem* (*Luc.* XII, 58). Adversarius quippe noster in via est sermo Domini contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita ; a quo ipse liberatur qui præceptis ejus humiliter subditur. Alioquin adversarius judici, et judex tradet exactori ; quia ex sermone Domini contempto reus ejus peccator tenebitur in examine judicis. Quem judex exactori tradet, quia hunc maligno spiritui ad ultionem trahere permittit, ut compulsam animam ipse ad pœnam de corpore exigat, quæ ei ad culpam sponte consensit. Exactor mittit in carcerem, quia per spiritum malignum in inferno detruditur, quousque dies judicii veniat, ex quo jam in inferni ignibus simul et ipse crucietur.

CAP. XXXVII. — *Simile est regnum Dei grano sinapis* (*Luc*, XIII, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 3.) In Evangelio Dominus cum similitudinem regni cœlestis ex grano sinapis denuntiaret, ait : *Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud ? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum ; et crevit et factum est in arborem magnam, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus* (*Luc.* XIII, 18, 19.) Ipse quippe est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit. Granum namque fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret : granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis. Granum, quia *vidimus eum, et non erat aspectus* (*Isa.* LIII, 2) ; arbor autem quia, *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3). Hujus arboris rami, sancti prædicatores sunt ; et videamus quam late tendantur. Quid enim de eis dicitur ? *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). In istis ramis volucres requiescunt, quia sanctæ animæ quæ quibusdam virtutum pennis a terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis atque consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant.

CAP. XXXVIII. — *Contendite intrare per angustam portam* (*Luc.* XIII, 24).

(In exposit. B. Job., lib. XI, num. 68.) Mens etenim mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur quam est ; et nisi in statu suo a recta quotidie disciplina teneatur, semper in deteriora delabitur. Quæ enim semper stantem deseruit, statum quem habere potuit amisit. Unde nunc cum ad meliora nititur, quasi contra ictum fluminis conatur : cum vero ab intentione ascendendi resolvitur, sine labore reducitur ad ima. Quia enim in ascensu laborem, in descensu otium, intraturos per angustam portam Dominus admonet, dicens : *Contendite intrare per angustam portam* (*Luc.* XIII, 24). Dicturus quippe angustæ portæ introitum, præmisit, *contendite* : quia nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur per quam anima semper ad ima vocatur.

CAP. XXXIX. — *Manducavimus coram te, et bibimus* (*Luc.* XIII, 26).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 29.) Scriptura sacra aliquando cibus nobis est, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, et mandendo glutitur : potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut invenitur. Cibum vidit Propheta Scripturam sacram qui exponendo frangeretur, cum diceret : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV, 4). A Id est, infirmi quique Scripturæ sacræ valentiores sententias petierunt exponendo comminui ; sed qui exponere debeat, non valet inveniri. Potum vidit Scripturam sacram propheta, cum diceret : *Omnes sitientes, venite ad aquas* (*Isa.* LV, 1). Si potus aperta mandata non essent, per semetipsam Veritas non clamaret : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII, 37). Quasi cibum ac potum vidit propheta Judææ defuisse, cum diceret : *Nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit* (*Isa.* V, 13). Paucorum quippe est occulta agnoscere, multorum vero historiæ aperta sentire. Et idcirco Judææ nobiles non siti, sed fame interiisse asserit : quia hi qui præesse videbantur, dum totos se exteriori intelligentiæ dederant, quod de intimis discutiendo manderent, non habebant. Quia vero sublimioribus ab interno intellectu cadentibus, parvulorum intelligentia et in exterioribus exsiccatur, recte illic adjungitur : *Multitudo ejus siti exaruit.* Ac si aperte diceret : Dum vulgus vitæ suæ studium deserit, jam nec fluenta historiæ exquirit. B Et occulta mandata sacri eloquii et aperta se intellexisse testantur, qui reprobanti se judici conquerentes dicunt : *Manducavimus et bibimus coram te* (*Luc.* XIII, 26). Quod aperte exponendo subjungunt, *et in plateis nostris docuisti.*

CAP. XL. — *Nescio vos unde estis* (*Luc.* XIII, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 2.) Considerat Dominus quos puniat ; sed eosdem ipsos ante non videt, quos nescit. Nam quibusdam in fine dicturus est : *Nescio vos unde estis ; discedite a me, omnes operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII, 27). Miro igitur modo pravorum vitam et intuetur et obliviscitur : quia quos per districtionem sententiæ judicat, quantum est ad memoriam misericordiæ ignorat.

CAP. XLI. — *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum* (*Luc.* XIV, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 14.) Impio quippe sitire, est hujus mundi bona concupiscere. C Unde Redemptor noster ante Pharisæi domum hydropicum curat, et cum contra avaritiam disputaret, scriptum est : *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum* (*Luc.* XIV, 12). Quid est ergo quod ante Pharisæi domum hydropicus curatur (*Luc.* XVI), nisi quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis ? Hydropicus quippe quo amplius bibit, amplius sitit ; et omnis avarus ex potu sitim multiplicat, quia cum ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, huic sitis ex potu crescit.

CAP. XLII. — *Qui autem non renuntiat omnibus quæ possidet* (*Luc.* XIV, 33).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 3, num. 20.) *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Quidam enim relinquunt omnia, multi autem etiam possidendo renuntiant ; quia sic ad usum possessa retinent, ut eis D ex desiderio non succumbant.

CAP. XLIII. — *In se autem reversus* (*Luc.* XV, 17).

(Homil. 36 in Evangel., num. 7.) Plerumque ipsa despectio hominis, revocat eum ad semetipsum. Is enim qui patrem relinquit, et partem substantiæ quam perceperat, prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit : *Quanti mercenarii patris mei abundant panibus* (*Luc.* XV, 17). Longe quippe a se discesserat, quando peccabat. Et si non esurisset, in semetipsum minime rediisset ; quia postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit.

CAP. XLIV. — *Cito proferte stolam primam* (*Luc.* XV, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XII, num. 9.) Nullus homo sine peccato est, nisi ille qui in hunc mundum venit non ex peccato. Et quia omnes in culpa ligamur,

amissione ipsa justitiæ morimur. Concessa prius in paradiso veste innocentiæ nudamur, interitu etiam carnis subsequente consumimur. Homo itaque peccator moritur in culpa, nudatur a justitia, consumitur in pœna. Hanc nuditatem peccatoris filii tegere dignatus est pater, qui eo redeunte dixit : *Cito proferte stolam primam* (*Luc.* xv, 22). Prima quippe stola est vestis innocentiæ, quam homo bene conditus accepit, male a serpente persuasus perdidit. Contra hanc rursum nuditatem dicitur : *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Vestimenta quippe custodimus, cum præcepta innocentiæ servamus in mente ; ut cum nos judicii culpa nudat, ad amissam redeuntes innocentiam pœnitentia operiat.

CAP. XLV. — *Et date annulum in manum ejus* (*Luc.* xv, 22).

(In exposit. B. Job, lib. xxix, num. 12.) Filius minor qui consumpta substantia ad patrem rediit (*Luc.* xv), in munere annulum accepit. Gentilis enim populus qui immortalitate perdita ad Deum pœnitendo revertitur, per fidei signaculum munitur. Unde et ab Sponso suo Ecclesiæ dicitur : *Pone me ut signaculum super cor tuum* (*Cant.* viii, 6). Idcirco namque signaculum rebus ponitur, ne qua diripientium præsumptione temerentur. Sponsus ergo in cor signaculum ponitur, quando fidei ejus mysterium in custodia nostræ cogitationis imprimitur, ut ille infidelis servus, nimirum noster adversarius, cum signata fide corda considerat, tentando ea irrumpere non præsumat.

CAP. XLVI. — *Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum* (*Luc.* xvi, 15).

(Hom. 28 in Evang., num. 2.) Quid vero apud Deum vilius, quid esse despectius potest, quam servare honorem apud homines, et interni testis oculos non timere? Unde ipse Dominus dicit : *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus ; Dominus autem novit corda vestra. Quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum* (*Luc.* xvi, 15). Notate, fratres, notate quod dicitur ; si enim quod ab hominibus altum est, abominabile est apud Deum, cogitatio cordis nostri tanto apud Deum in imo est, quanto hominibus in alto ; et humilitas cordis nostri tanto apud Deum in alto est, quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus ; nulla nos inflet operatio, non rerum abundantia, non gloria extollat. Si quidem ex bonis affluentibus intus intumescimus, Deo despecti sumus : quo contra Psalmista de humilibus dicit : *Custodiens parvulos Dominus* (*Psal.* cxiv, 6). Qui quia parvulos humiles appellat, postquam sententiam protulit, consilium subjungit. Nam quasi quæreremus quid ipse ad hæc fecerit, adjunxit : *Humiliatus sum et liberavit me* (*Ibid.*).

CAP. XLVII. — *Rogo ergo te, Pater, ut mittas in domum patris mei* (*Luc.* xvi, 27).

(In exposit. B. Job, lib. viii, num. 29.) Ad videnda bona exstincti oculus non redit, quia ad exhibenda recta opera, exuta carne, anima non recurrit. Hinc est quod dives quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posset agnoverat, nequaquam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat, dicens : *Rogo te, pater Abraham, ut mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum* (*Luc.* xvi, 27). Solet namque mœstum animum spes vel falsa refovere, sed ut pœnam suam reprobi gravius sentiant, et spem de venia amittunt. Unde flammis ultricibus traditus non sibi, ut diximus, sed opitulari fratribus concupivit, qui nunquam se ignium carere tormentis adjuncto desperationis supplicio agnovit. Hinc Salomon ait : *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare ; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos quo tu properas* (*Eccle.* ix, 10).

CAP. XLVIII. — *Habeo enim quinque fratres* (*Luc.* xvi, 28).

(In exposit. B. Job, lib. ix, num. 101.) Sequaces quosque suos secum in tormento reprobi, flamma illustrante, visuri sunt quorum amore deliquerant ; quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque eas interitus in augmento suæ damnationis affligat. Quod profecto Evangelio teste colligimus, in quo Veritate nuntiante, dives ille quem contigit ad æterni incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse. Qui Abraham petiit ut ad eorum eruditionem mitteret, ne illic eos quandoque venientes par pœna cruciaret (*Luc.* xvi). Qui igitur ad doloris sui cumulum, propinquorum absentium meminit, constat procul dubio, quia eos ad augmentum supplicii paulo post potuit etiam præsentes videre. Quid autem mirum si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui ad doloris sui cumulum eum quem despexerat in sinu Abrahæ Lazarum vidit? Is ergo cui ut pœna cresceret, et vir electus apparuit, cur non credendum sit, quod videre in supplicio, hos etiam quos contra Deum dilexerat, possit? Qua ex re colligitur quod eos quos inordinate nunc reprobi diligunt, miro judicii ordine, secum tunc in tormentis videbunt : ut pœnam propriæ punitionis exaggeret illa auctori præposita carnalis cognatio pari ante oculos ultione damnata. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat, credendum est quia lumen ad tormentum servat.

CAP. XLIX. — *Occurrerunt ei decem viri lepros* (*Luc.* xvii, 12).

(In exposit. B. Job, lib. v, num. 28.) Habent quippe hoc hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent : sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, et ex malis bona inficiunt, et ex bonis mala ut recipiantur abscondunt ; sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit ; dumque hoc quod dulce est primo attactu delibatur, etiam illud quod est mortiferum indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscent recta perversis ; ut ostendendo bona, auditores ad se attrahant, et exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant. Aliquando tamen prædicatione sanctæ Ecclesiæ atque exhortatione correcti, ab hac sensus sui diversitate salvantur. Quos bene in Evangelio (*Luc.* xvii), illa decem leprosorum mundatio designat. In lepra quippe et pars cutis in fulgorem ducitur, et pars in colore sano retinetur. Leprosi itaque hæreticos exprimunt, quia, dum rectis prava permiscent, colorem sanum maculis aspergunt. Unde et bene ut salventur clamant : *Jesu præceptor* (*Ibid.*). Quia enim in ejus verbis se errasse significant, hunc salvandi humiliter præceptorem vocant. Cumque ad cognitionem præceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt.

CAP. L. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. xviii, num. 26.) Hæretici, ut facile valeant perversa suadere, dictis suis quædam recta permiscent, ut animas audientium ex rectis sensibus trahant, et perversis feriant. Qui in præceptis Dei, quia sana insanaque locutione variantur, bene in Evangelio (*Luc.* xvii) decem leprosorum sunt specie designati : quorum colori sano dum vitiosus candor aspergitur, immoderato hoc candore fœdantur. Unde admonemur : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* xviii, 3). Qui etiam quia necdum Deum diligunt, de quo male sentiunt : nec proximum, a quo dividuntur, Decalogi præceptis adversi sunt, atque ideo ad deprecandum Dominum decem veniunt. Pro eo autem quod sanis insana miscuerunt, coloris diversitate variantur. Sed quia in ejus præceptis offenderunt, id illum unde offenderant, vocant, dicentes : *Jesu præceptor* (*Luc.* xvii, 37). Unde et mox curari meruerunt.

CAP. LI. — *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Luc.* XVII, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 105.) De egredientibus animabus Veritas spondet, dicens : *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Luc.* XVII, 13). Ac si aperte dicat : Qui cœlesti sedi incarnatus Redemptor nunc præsideo, electorum quoque animas cum carne solvero, ad cœlestia sublevo.

CAP. LII. — *Qui Deum non timebat et hominem non reverebatur* (*Luc.* XVIII, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 31.) Sunt quidam qui postquam Deum in mente contempserint, multo magis humana judicia spernunt; atque omne malum quod appetunt, audaciter peragere non erubescunt : quos ad perpetrandum malum occulta iniquitas invitat, et nulla aperta verecundia retardat. Sicut et de quodam iniquo judice dicitur : *Deum non timebat, et hominem non reverebatur* (*Luc.* XVIII, 2). Hinc est etiam quod de quibusdam impudenti fronte peccantibus dictum est : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt* (*Isa.* III, 9).

CAP. LIII. — *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem super terram?* (*Luc* XVIII, 8.)

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 32.) Mediatoris scientia cuncta sciens, sed in locutione sua ignorantiam nostram suscipiens, atque dum suscepit, docens, nonnunquam quasi ex nostra dubitatione loquitur; sicut dicit : *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8)?

CAP. LIV. — *Jejuno bis in Sabbato* (*Luc.* XVIII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XII, num. 36.) Sæpe contingit ut justi et injusti habeant verba similia, sed tamen semper cor longe dissimile est. Ex quibus dictis Deus ab injustis offenditur, in eisdem quoque a justis placatur. Nam Pharisæus ingressus templum dicebat : *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo* (*Luc.* XVIII, 12). Sed justificatus magis Publicanus quam ille exiit. Ezechias quoque Rex cum molestia corporis afflictus ad extremitatem pervenisset vitæ, in oratione compunctus dixit : *Obsecro, Domine; memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto* (*Isa.* XXXVIII, 3). Nec tamen Dominus hanc confessionem perfectionis ejus despexit aut renuit, quem mox in suis precibus exaudivit. Ecce Pharisæus se justificatum in opere, Ezechias justum se asseruit etiam in cogitatione : atque unde ille offendit, inde iste Dominum placavit. Cur itaque hoc, nisi quia omnipotens Deus singulorum verba a cogitationibus pensat, et in ejus auribus superba non sunt quæ humili corde proferuntur?

CAP. LV. — *Quam difficile est qui pecunias habent* (*Luc.* XVIII, 24).

(In exposit. B. Job, lib. IV, cap. 3.) Rarum valde est ut qui avaritiam possident, ad requiem tendant; dum per semetipsam Veritas dicat : *Difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum* (*Luc.* XVIII, 24). Nam qui hic multiplicandis divitiis inhiant, certum est quia alterius vitæ gaudia spernant. Quod tamen ut Redemptor noster valde rarum, et ex solo divino miraculo evenire posse monstraret : *Apud homines*, inquit, *hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

CAP. LVI. — *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum* (*Luc.* XIX, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 78.) Si igitur sapientes esse atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est : *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (*I Cor.* I, 27). Hinc rursum dicitur : *Si quis vult inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18). A Hinc evangelicæ historiæ verba testantur (*Luc.* XIX), quod Zachæus, cum videre præ turba nil posset, sycomori arborem ascendit, ut transeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur : pusillus itaque Zachæus sycomorum subiit, et Dominum vidit, quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillanimitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit; quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum secularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si provide eam quæ divinitus præcipitur, stultitiam tenemus. Quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo et adjunctis aliis patientiam præbere? Quasi enim sycomorum nos ascendere præcipit, cum dicit : *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas* (*Luc.* VI, 30). Et rursum : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram* (*Matth.* V, 39). Per B sycomorum igitur transiens Dominus cernitur, quia per hanc sapientem stultitiam, etsi necdum ut est solide, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia, quasi in transitu videtur. Quam videre nequeunt qui sibi sapientes esse videntur, quia ad conspiciendum Dominum in elata cogitationum suarum turba depressi, adhuc sycomori arborem non invenerunt.

CAP. LVII. — *Ecce mna tua quam habui repositam in sudario* (*Luc.* XIX, 20).

(Regul. pastoral. I part., cap. 9.) Caveat fidelis quisque ne acceptam pecuniam in sudario ligans (*Matth.* XXV), de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere.

CAP. LVIII. — *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 33.) Ille vero C perfectus est qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, deserit, ipse sibi testis est quia perfecte necdum profecit. Hinc in Evangelio Veritas dicit : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19). Quid est enim animam possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam possidet, quia inde contra adversa omnia fortis efficitur, unde sibi et seipsum vincendo dominatur; et quo se laudabiliter frangit, infractum se fortiter exerit, quia cum in suis se voluptatibus superat, sese ad contrarium invictum parat.

CAP. LIX. — *Ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 39.) Pravorum mens hujus mundi servitiis dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, D et usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a jugo mundanæ servitutis cessare non libeat, etiam si licet; quod videlicet jugum Dominus a discipulorum cervice solvebat, cum diceret : *Attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34). Atque illico adjunxit : *Et in curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa.* Et rursum : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 28). Quid est enim Domino mitem se in magisterio atque humilem dicere, nisi relictis exercendæ elationis difficultatibus, plana quædam bene vivendi itinera demonstrare?

CAP. LX. — *Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum* (*Luc* XXII, 43).

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. 8, num. 25.) Humani generis Redemptor humanitatem quam descen-

endo sub angelis assumpsit, ascendendo super angelos exaltavit. Sic vero factum eum sub angelis dicimus, sicut factum sub lege prædicante Apostolo audivimus. Assumptam ergo humanitatem sub angelis accipimus, pro ea minoratione in qua dignatus est apparere. Nam mox ut Verbum caro factum est, mox Deus homo potestate super angelos fuit. De ipso quippe ante passionem scriptum est : *Ecce angeli accesserunt* (*Matth.* IV, 11), *et ministrabant ei.* Sed tamen ut humanitatis ejus infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum est : *Apparuit illi angelus de cœlo confortans* (*Luc.* XXII, 43). In documento ergo utriusque naturæ, huic et angeli ministrare, hunc et angelus confortare describitur. Unus quippe in utraque natura; quoniam qui Deus ante sæcula exstitit, homo factus est in fine sæculorum; cui tamen ante passionem suam et angeli ministrant, et hunc angelus confortat. Post passionem vero atque resurrectionem ejus, huic angeli ministrare possunt, sed jam hunc confortare non possunt.

CAP. LXI. — *Et factus in agonia prolixius orabat* (*Luc.* XXII, 44).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 32.) Sæpe electi tunc vehementer metuunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto judici propinquare se cernunt, et fit tanto timor acrior, quanto et retributio æterna vicinior. Ante oculos autem cordis nihil inane tunc transvolat de phantasmate cogitationis; quia subductis e medio omnibus, se et illum tantummodo considerant cui appropinquant : crescit pavor vicina retributione justitiæ, et urgente solutione carnis, quanto magis districtum judicium jamjamque quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Et si ea quæ sciunt, nunquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt. Quia videlicet semetipsos dijudicare et comprehendere omnino non possunt; atque urgente exitu, subtiliori terrentur metu. Unde Redemptor noster solutioni carnis appropinquans, et membrorum suorum speciem servans, factus in agonia cœpit prolixius orare. Quid enim pro se ille cum in agonia esset peteret, qui in terris positus (*Luc.* XXII, 44) cœlestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno judicio propinquamus. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit quod in æternum mutare non possit. (Num. 33.) Consideramus quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus. Consideramus etiam quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate judicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium patrum valeat vel superare, vel assequi? et tamen David dicit : *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2). Paulus cum diceret : *Nihil mihi conscius sum*, caute subjunxit : *Sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV, 4). Jacobus dicit : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Joannes dicit : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? (Num. 34.) Sed justorum animæ a levibus quibusque contagiis ipso sæpe mortis pavore purgantur, et æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero contemplatione quadam retributionis internæ, etiam priusquam carne exspolientur, hilarescunt; et dum vetustatis debitum solvunt, novi jam muneris lætitia perfruuntur.

CAP. LXII. — *Et conversus Dominus, respexit Petrum* (*Luc.* XXII, 61).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 30.) Visus quippe hominis est misericordia Redemptoris quæ insensibilitatis nostræ duritiam cum respicit, emollit. Unde teste quoque Evangelio dicitur : *Respexit Jesus Petrum, et recordatus est Petrus verbi quod dixerat Jesus. Et egressus foras flevit amare* (*Luc.* XXII, 61). Exutam vero carne animam nequaquam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat.

CAP. LXIII. — *Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum* (*Luc.* XXIII, 8).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 53.) Hujus lampadis flammas Herodes explorare voluit, cum ejus miracula videre concupivit, sicut scriptum est : *Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audisset multa de illo; et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri* (*Luc.* XXIII, 8). Sed lampas hæc ante ejus oculos nullo radio lucis emicuit, quia ei qui se non pie, sed curiose quæsierat, nil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe Redemptor tacuit, exspectatus miracula exhibere contempsit, seseque apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foras reliquit; magis eligens aperte a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari. Unde et protinus lampas ista contempta est, sicut illic subditur : *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo et illusit indutum veste alba* (*Ibid.*). (Num. 54.) Sed contempta lampas quæ in terra irrisiones tolerat, de cœlo judicium coruscat.

CAP. LXIV. — *Et ipse nihil illi respondebat* (*Luc.* XXIII, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 38.) Sancti etenim viri in commotionis tentatione semetipsos ostendere omnino refugiunt, et cum audientibus prodesse nequeunt, etiam despici tacentes volunt, ne de sapientiæ suæ ostentatione glorientur. Cumque aliquid prudenter dicunt, non quærunt suam gloriam, sed auditorum vitam. Cum vero conspiciunt quia auditorum vitam loquendo lucrari non possunt, tacendo abscondunt scientiam suam. Ad imitandum quippe vitam Domini, quasi ad quoddam nobis propositum signum currimus; ipse enim quia Herodem vidit non provectum quærere, sed signa vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit. Et quia constanter tacuit, ab eo irrisus exivit. Scriptum namque est : *Herodes autem viso Jesu gavisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum; eo quod audiret multa de illo : et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Unde et subditur : *Interrogabat autem illum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat* (*Luc.* XXIII, 8). Tacens vero Dominus quam sit despectus ostenditur, cum illic protinus subinfertur : *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo et illusit* (*Ibid.*). Quod videlicet factum oportet nos audientes discere, ut quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio verbum loquimur, et illorum culpa quæ erat esse non desinat, et nostra quæ non erat fiat. (Num. 39.) Dicat fortasse aliquis : Unde novimus quo corde quis audiat? Sed multa sunt quæ audientis animum produnt, maxime si auditores nostri et semper laudant quod audiunt, et nunquam quod laudant sequuntur.

CAP. LXV. — *Quia si in viridi ligno hæc fiunt* (*Luc.* XXIII, 31).

(In exposit. B. Job, lib. XII, num. 7.) Per lignum incarnata Dei sapientia figuratur, sicut de ea scriptum est : *Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eam* (*Prov.* III, 8). Et sicut ipsa ait : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* XXIII, 31). Se enim lignum viride et nos lignum aridum dixit, quia ipse in se vim divinitatis habet, nos vero qui puri homines sumus, lignum aridum appellamur.

CAP. LXVI. — *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis* (*Luc.* XXIV, 32).

(Homil. 30 in Evang., num. 5.) Linguas igneas

doctores habent, quia dum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant. Nam otiosus sermo docentis est, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso ore Veritatis conceperant qui dicebant : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)? Ex audito quippe sermone, inardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, a concupiscentiis terrenis aliena. Amor verus qui hanc repleverit, in fletibus cruciat, sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur. Audire ei libet præcepta cœlestia, et quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur; et quæ torpebat prius per desideria, ardet postmodum per verba.

CAP. LXVII. — *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet* (*Luc.* XXIV, 39).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 72.) Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendit manus et latus, palpanda ossa carnemque præbuit, dicens : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Qui cum eidem Euticio in Constantinopolitana urbe positus, hoc Evangelistæ veritatis testimonium protulissem, ait : Idcirco hoc Dominus fecit, ut dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoveret. Cui, inquam : mira est res valde quam adstruis, ut inde nobis dubietas surgat, unde discipulorum corda a dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest quam ut hoc nobis de ejus vera carne dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem ab omni sunt dubietate reparati? Si enim hoc habuisse non adstruitur quod ostendit; unde fides discipulis ejus confirmata est, inde nostra destruitur. Qui adjungebat etiam dicens : Corpus palpabile habuit quod ostendit, sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino quod palpari potuit in sublimitate est aliqua redactum. Ad hoc ipse respondit, dicens, scriptum est : *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Si quid ergo in ejus corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam post resurrectionem Dominus rediit in mortem, quod quis dicere vel stultus præsumat, nisi qui veram carnis ejus resurrectionem negat? Tunc mihi objecit, dicens : cum scriptum sit : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (*I Cor.* XV, 50), qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui, inquam : in sacro eloquio aliter caro dicitur, juxta naturam, atque aliter juxta culpam vel corruptionem. Caro quippe juxta naturam, sicut scriptum est : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Genes.* II, 23). Et : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Caro vero juxta culpam, sicut scriptum est : *Non permanebit in hominibus istis spiritus meus, eo quod sint caro* (*Genes.* VI, 3). Et, sicut Psalmista ait : *Memoratus est quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII, 39). Unde et discipulis Paulus dicebat : *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9). Neque enim in carne non erant quibus Epistolas transmittebat; sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit : *Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, carnem secundum culpam vult intelligi, non carnem secundum naturam. Unde et mox quia carnem secundum culpam diceret ostendit, subdens : *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionis desideria non erit, quia devicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit.

CAP. LXVIII. — *Vos autem sedete in civitate quousque induamini* (*Luc.* XXIV, 49)

(Regul. pastor. III part., admonit. 26.) Ipsa Veritas quæ repente quos vellet roborare, potuisset, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam plene discipulos de virtute prædicationis instruxit, illico adjunxit : *Vos autem sedete in civitate quousque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 39). In civitate quippe consedemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur. Ut cum virtute divina perfecte induimur, tum quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus.

LIBER QUARTUS.

De Testimoniis in Evangelium secundum Joannem.

CAPUT PRIMUM. — *Quasi unigeniti a Patre* (*Joan.* I, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 12.) In sacro eloquio *sicut* et *quasi*, aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate. Unde et illud : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre* (*Joan.* I, 14).

CAP. II. — *Super quem videris Spiritum* (*Joan.* I, 33).

(In expos. B. Job, lib. II, num. 90.) In Evangelio scriptum est : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33). In cunctis namque fidelibus Spiritus venit, sed in solo Mediatore semper singulariter permanet Spiritus : quia ejus humanitatem nunquam deseruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui solus et omnia et semper potest; nam fideles qui hunc accipiunt, cum signorum dona habere semper ut volunt non possunt, hunc se accepisse quasi in transitus ostensione lætantur. Sed cum rursum de eodem Spiritu veritatis ore discipulis dicitur : *Apud vos manebit et in vobis erit* (*Joan.* XIV, 18); quid est quod divina voce, Mediatoris signum hæc eadem sancti Spiritus mansio declaratur, cum dicitur : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum?* Si igitur juxta magistri vocem et in discipulis manet, quomodo singulare jam signum erit quod in Mediatore permanet? Quod citius cognoscimus, si dona ejusdem Spiritus discernamus. (Num. 91.) Alia namque sunt dona illius sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur, alia quibus vitæ sanctitas pro aliorum utilitate declaratur. Mansuetudo namque, humilitas, patientia, fides, spes, charitas, dona ejus sunt; sed ea sine quibus ad vitam homines pervenire nequaquam possunt : prophetiæ autem virtus, curatio, genera linguarum, interpretatio sermonum, dona ejus sunt; sed quæ virtutis ejus præsentiam pro correptione intuentium ostendunt. In his igitur donis sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus sanctus sive in prædicatoribus suis, sive in electis omnibus semper manet. In illis autem quibus per ostensionem illius, non nostra vita servatur, sed aliorum quæritur, nequaquam semper in prædicatoribus permanet, quia semper quidem eorum cordi ad bene vivendum præsidet, nec tamen per eos virtutum signa ostendit, sed aliquando se eis a signorum ostensionibus subtrahit, ut eo humilius virtutes habeantur, quo habitæ teneri non possunt. (Num. 92.) Mediator autem Dei et hominum homo Christus Jesus in cunctis eum et semper et continue habet præsentem : quia ex illo idem Spiritus per substantiam profertur. Recte ergo et cum in sanctis prædicatoribus maneat, in Mediatore singulariter manere perhibetur : quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit, caput

autem corporis, usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur, tangat; ita membra superni capitis in quibusdam virtutibus emicant, ipsum vero caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo Spiritus manet in illo, a quo per naturam nunquam recedit. Dona vero ejus quibus ad vitam tenditur, sine periculo amitti non possunt. Dona autem quibus vitæ sanctitas demonstratur, plerumque, ut dictum est, sine dispendio subtrahuntur. Illa ergo pro nostra eruditione tenenda sunt, hæc pro alienis profectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant; in istis vero ad tempus aliquando sublatis consoletur humilitas, quia ad elationem mentem fortasse sublevabant.

CAP. III. — *Cum esses sub ficu, vidi te* (*Joan.* I, 48).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 59.) In Scriptura sacra videre Dei, aliquando eligere ponitur. Sicut in Evangelio scriptum est: *Cum esses sub ficu, vidi te* (*Joan.* I, 18), id est, positum te sub umbra Legis elegi.

CAP. IV. — *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* III, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 41.) Vox Dei auditur, cum gratiæ aspiratio mente concipitur, cum insensibilitas occultæ surditatis rumpitur, et cor ad studium summi amoris excitatum virtutis intimæ clamore penetratur; sed istam vocem supervenientis Spiritus, quæ se in aure cordis insinuat, nec ipsa mens quæ per hanc illustrata fuerit investigat. Pensare enim non valet invisibilis virtus, quibus sibi meatibus influat, quibus ad se modis veniat, quibus recedat. Unde bene per Joannem dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, et quo vadat* (*Joan.* III, 8). Vocem enim Spiritus audire, est vi compunctionis intimæ in amorem invisibilis Conditoris assurgere. Sed nemo scit unde veniat, quia ignoratur per ora prædicantium quibus se ad nos occasionibus fundat: et nemo scit quo vadat, quia cum unam prædicationem multi audiunt, intelligi procul dubio non potest, quem deserens abjiciat, et cujus ingrediens in corde requiescat. Una quippe res foris agitur, sed non per hanc uno modo intuentium corda penetrantur: quia qui invisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina incomprehensibiliter plantat.

CAP. V. — *Et nemo ascendit ad cœlum* (*Joan.* III, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 29 *et* 30.) Paulus dicit: *Scimus enim quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* V, 1). Sed si nos quoque qui ex terra sumus cœlum conscendimus, ubi est quod rursum Veritas dicit: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13)? Cui nimirum sententiæ statim obviat quod eadem Veritas dicit: *Pater, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum* (*Joan.* XVII, 4). Quæ sibi in verbis suis non discrepat, sed ad quærenda hæc quasi discordantia studium nostræ mentis inflammat. Omnes enim nos qui in ejus fide renati sumus, ejus procul dubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum caput Dominus factus est, repulsa reproborum multitudine solus est etiam nobiscum. Nemo igitur ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis qui est in cœlo; quia dum nos jam cum illo unum facti sumus, unde solus venit in se, illuc solus redit etiam in nobis. Et is qui in cœlo semper est, ad cœlum quotidie ascendit, quia qui in divinitate super omnia permanet, humanitatis suæ compage sese quotidie ad cœlos trahit.

CAP. VI. — *Qui autem non credit jam judicatus est* (*Joan.* III, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, num. 50.) Duæ quippe sunt partes, electorum scilicet atque reproborum, bini ordines singulis partibus continentur. Alii namque judicantur et pereunt, alii non judicantur et pereunt: alii judicantur et regnant, alii non judicantur et regnant. Judicantur et pereunt, quibus dominica inclamatione dicitur: *Esurivi et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non operuistis me; æger et in carcere, et non visitastis me* (*Matth.* XXV, 42). Quibus præmittitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Ibid.*, 41). Alii vero in extremo judicio non judicantur, et pereunt: de quibus per Prophetam Dominus ait: *Non resurgent impii in judicio* (*Psal.* I, 6). Et de quibus Dominus dicit: *Qui autem non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18). Et de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege et peribunt* (*Rom.* II, 12). Resurgunt vero etiam omnes infideles, sed ad tormenta, non ad judicium; non enim eorum tunc causa discutitur, qui a conspectu districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis discedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt; quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris, ejus quem despexerunt invectione redargui non merentur; illi saltem verba judicis audient, qui ejus fidei saltem verba tenuerunt. Isti in damnatione sua æterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam, nec verbo tenus servare malluerunt; illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccaverunt. Istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. In illo sua jura consulit, eumque sub verbis dignæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque militiæ tormenta retribuit: de malo vero ejus quid lex habeat, non requirit; neque lege necesse est perimi, qui lege nunquam potuit teneri. Ita ergo in extremo judicio et legalis illum invectio percutit, qui ab eo quod professionem tenuit, actionem declinavit; et iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. (Num. 51.) Ex electorum vero parte alii judicantur et regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt. Qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerint, ab oculis judicis, eleemosynarum superductione cooperiunt. Quibus judex veniens in dexteram consistentibus dicit: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram et collegistis me; nudus, et operuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me* (*Ibid.*, 35). Quibus præmittit, dicens: *Venite, benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Vers.* 34). Alii autem non judicantur et regnant, qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt. Qui nequaquam hoc solum quod cunctis quæ divina lex præcipit implere contenti sunt, sed præstantiore desiderio plus exhibere appetunt quam præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus dominica voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia vestra, et secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Et de quibus propheta ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui* (*Isa.*, III, 14). Et de quibus Salomon cum de sanctæ Ecclesiæ Sponso loqueretur, intulit, dicens: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI, 25). Illi itaque in extremo judicio non judicantur et regnant, quia cum auctore suo etiam judices veniunt. Relinquentes quippe omnia plus prompta devotione executi sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, et non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens audivit: *Vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo.*

Et veni, sequere me (*Matth.* XIX, 21). Si enim sub hoc A præcepto cunctos jussio generalis adstringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur, aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, quia et præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur et pereunt, qui suadente perfidia lege teneri contemnunt : ita non judicantur et regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset ut Evangelium prædicans de Evangelio viveret, et Evangelium audientibus contulit, et tamen Evangelii sumptibus sustentari recusavit. Cur ergo iste judicetur ut regnet, qui minus quod servaret accepit, sed majus quod viveret invenit?

CAP. VII. — *Ille erat lucerna ardens* (*Joan.* V, 35.) B

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. 11, num. 7.) Neque hoc speculatori sufficit ut altum vivat, nisi et loquendo assidue ad alta auditores suos pertrahat, eorumque mentes ad amorem cœlestis patriæ loquendo succendat; sed tunc hæc caute agit, cum lingua ejus ex vita arserit. Nam lucerna quæ ex semetipsa non ardet, eam rem cui supponitur, non accendit. Hinc enim de Joanne Veritas dicit : *Ille enim erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V, 35); ardens videlicet per cœleste desiderium, lucens per verbum.

CAP. VIII. — *Quia descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 37).

(In exposit. B. Job. lib. XXXV, num. 28.) In Evangelio Veritas dicit : *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras : quia de cœlo descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 37). Quid enim : si suam faceret, eos qui ad se veniunt repulisset? Quis autem nesciat quod voluntas C filii a Patris voluntate non discrepet? Sed quoniam primus homo, quia suam facere voluntatem voluit, a paradisi gaudio exivit, secundus ad redemptionem hominis veniens, dum voluntatem se Patris et non suam facere ostendit, permanere non intus docuit. Cum igitur non suam, sed Patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt foras non ejicit, quia dum exemplo suo nos obedientiæ subjicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait : *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio judico* (*Joan.* V, 30); nobis quippe obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. Ipse autem si sicut audivit judicat, tunc quoque obedit cum judex venit; ne igitur nobis usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster indicat, qui hanc, etiam cum judex venerit, servat. Quid ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subjicit, quando hanc Mediator Dei et hominum, et cum obedientes remunerat, non relinquit?

CAP. IX. *Flumina de ventre ejus* (*Joan.* VII, 38).

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. 10, num. 6.) In sacro eloquio nonnumquam venter pro mente poni consuevit. Unde et per Jeremiam dicitur : *Ventrem meum, ventrem meum doleo* (*Jerem.* IV, 19); quod quia de spiritali et non corporeo ventre dixerat, adjunxit : *Sensus cordis mei conturbati sunt.* Neque enim ad salutem populi pertinebat, si Propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret : sed ventrem doluit qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum Prophetæ proferimus, cum testimonium Dei apertius habeamus? Et necesse est ut cum per semetipsam Veritas loquitur, Propheta taceat, quia lucerna claritatem non habet in sole : *Omnis enim qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38) : quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt.

CAP. X. — *Et ex nobis unus diabolus est* (*Joan.* VI, 71).

(In exposit. B. Job, lib. XIII, num. 38.) Jam quippe unum corpus sunt diabolus, et omnes iniqui; ut plerumque nomine capitis censeatur corpus, et nomine corporis appelletur caput. Nam capitis nomine corpus censetur, cum de perverso homine dicitur : *Ex vobis unus diabolus est* (*Joan.* VI, 71). Et rursum nomine corporis appellatur caput, cum de ipso apostata angelo dicitur : *Inimicus homo hoc fecit.* (*Matth.* XIII, 28).

CAP. XI. — *Jesus ergo cum novisset quia venturi erant* (*Joan.* VII, 15).

Regul. pastor. I part., cap. 3.) Ipse Dei hominumque Mediator regnum percipere vitavit in terris, qui supernorum quoque spirituum scientiam sensumque transcendens, ante sæcula regnat in cœlis. Scriptum quippe est : *Jesus cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus* (*Joan.* VI, 15). Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is qui hos nimirum regeret quos ipse creaverat? sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit; ad crucis vero patibulum sponte convenit : oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare. Quia et ista sæpe per tumorem cor inquinant, et illa per dolorem purgant. In istis se animus erigit, in illis autem, etiamsi aliquando se erexerat, sternit. In istis sese homo obliviscitur, in illis vero ad sui memoriam nolens etiam coactusque revocatur. In istis sæpe et anteacta bona depereunt : in illis autem longi quoque temporis admissa terguntur.

CAP. XII. — *Qui sine peccato est vestrum* (*Joan.* VIII, 7).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 34.) Qui enim semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet ignorat. Et si novit fortasse per auditum quod rectum judicare debeat, recte tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judicii regulam præbet. Hinc est enim quod insidiantibus quibusdam et puniendam adulteram deducentibus dicitur : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7). Ad aliena quippe punienda peccata ibant, et sua reliquerant : revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, et tunc aliena reprehendant.

CAP. XIII. — *Expuit in terram et fecit lutum* (*Joan.* IX, 6).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 49.) Salivæ nomine sapor intimæ contemplationis accipitur, quæ in os a capite defluit, quia de claritate Conditoris adhuc in hac vita positos vix gustu revelationis tangit. Unde et Redemptor veniens salivam luto miscuit, et cæci nati oculos reparavit (*Joan.* IX) : quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admixtionem suæ contemplationis irradiat, et ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat. Nam quia a paradisi gaudiis expulsum in hoc jam exsilio natura edidit, quasi a nativitate homo sine oculis processit.

CAP. XIV. *Et hiems erat* (*Joan.* X, 22).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 2.) Sacra eloquia in exordio narrationum qualitates exprimunt, terminosque causarum. Aliquando namque a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate aeris, aliquando a qualitate temporis signant quid de ventura actione sub-

ficiant. A positione quippe locorum divina Scriptura exprimit subsequentium merita finesque causarum; sicut de Israel dicit, quia verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit; subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, quia ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis, neglecte vivendo, laxavit. A positione corporis futura denuntiat, sicut in apostolorum Actibus (*Cap.* VII) Stephanus Jesum qui a dextris virtutis sedet, stantem se vidisse manifestat; stare quippe adjuvantis est. Et recte stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut Evangelista cum prædicante Domino nullum tunc ex Judæa creditu-rum cerneret, præmisit dicens : *Hiems autem erat* (*Joan.* x, 22) : scriptum namque est : *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Idcirco ergo hiemis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret. Hinc est quod negaturo Petro præmittitur, quia frigus erat, et stans ad prunas calefaciebat se (*Joan.* XVIII, 18). Jam namque intus a charitatis calore torpuerat, et ad amorem præsentis vitæ, quasi ad persecutorum prunas infirmitate æstuante recalebat. A qualitate quoque temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam Judas nocte exisse perhibetur : cum egrediente illo, ab evangelista dicitur : *Erat autem nox* (*Joan.* XIII, 30). Hinc enim et iniquo diviti dicitur : *Hac nocte repetunt animam tuam abs te* (*Luc.* XII, 20). Anima quippe quæ ad tenebras ducitur non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc et nocte accepisse describitur. Hinc est quod angeli ad Abraham meridie veniunt; puniturí autem Sodomam ad eam vespere venisse memorantur.

CAP. XV. — *Non rapiet eas quisquam de manu mea* (*Joan.* x, 28).

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 6). Manui itaque adversarii sanctus traditur, sed tamen in intimis manu adjutoris sui retinetur. De illis quippe ovibus fuit, de quibus in Evangelio Veritas dicit : *Non rapiet eas quisquam de manu mea* (*Joan.* x, 28) ; et tamen expetenti hosti dicitur : *Ecce in manu tua est* (*Job.* II, 6) ; idem ergo in manu Dei est, idem in manu diaboli. Nam dicens : *In manu tua est ;* cum protinus adjungit : *Verumtamen animam illius serva ;* patenter pius adjutor innotuit, quia tenuit quem concessit, et dando non dedit quem adversarii sui jaculis objiciens abscondit.

CAP. XVI. — *Fremuit spiritu, et turbavit seipsum* (*Joan.* XI, 33).

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 30). Neque enim sicut nos, qui puri homines sumus, irruente sæpe tentatione concutimur : ita Redemptoris anima tentationis est necessitate turbata. Hostis namque noster et si in excelsum montem eum permissus assumpsit, si se daturum regna mundi perhibuit, si quasi in panem vertendos lapides ostendit; mentem tamen Mediatoris Dei et hominum tentatione quassare non valuit. Sic enim dignatus est hæc exterius cuncta suscipere, ut tamen ejus mens interius divinitati suæ inhærens inconcussa permaneret. Qui et si quando turbatus spiritu infremuisse dicitur (*Joan.* XI, 33) ; ipse divinitus disponebat quantum ipse humanitus turbaretur. Immutabiliter omnibus præsidens, et semetipsum mutabilem in satisfactione infirmitatis ostendens. Quietus ergo in semetipso manens, disposuit quidquid pro ostendenda humanitate quam susceperat etiam turbulentus fecit.

CAP. XVII. — *Et invenit Jesus asellum* (*Joan.* XII, 14).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 23.) Jerusalem tendens Dominus asellum sedisse perhibetur (*Joan.* XII, 14). Quid est enim sedendo asinum Jerusalem venire, nisi gentilitatis simplicia corda possidendo, A ea ad visionem pacis regendo et præsidendo perducere ?

CAP. XVIII. — *Nisi granum frumenti cadens* (*Joan.* XII, 24).

(Homil. 8 in Evangel., num. 1.) Per prophetam dicitur : *Omnis caro fenum* (*Isa.* XL, 6). Factus homo, fenum nostrum vertit in frumentum qui de semetipso ait : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* (*Joan.* XII, 24). Unde et natus in præsepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret, ne ab æternæ intelligentiæ pabulo jejuna remanerent.

CAP. XIX. *Venit ergo vox de cœlo* (*Joan.* XVII, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 4.) Verbis namque per angelum loquitur Deus cum vel in imagine ostenditur ; sed supernæ verba locutionis audiuntur, sicut dicente Domino : *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1); B protinus respondetur : *Clarificavi, et iterum clarificabo.* Neque enim Deus qui sine tempore vi impulsionis intimæ clamat in tempore, per suam substantiam illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit; sed nimirum de cœlestibus loquens, verba sua quæ audiri ab hostibus voluit, rationabili creatura administrante formavit.

CAP. XIX. — *Sciens quia omnia dedit ei Pater* (*Joan.* XIII, 3).

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 29.) Cum ergo se pro nostra redemptione Dominus membrorum Satanæ manibus tradidit, quid aliud quam ejusdem Satanæ manum in se sævire permisit ? Ut unde ipse exterius occumberet, inde nos interius exteriusque liberaret. Si igitur Satanæ manus potestas accipitur, ejus manum juxta carnem pertulit, cujus potestatem corporis usque ad sputum, colaphos, flagella, cru- C cem, lanceamque toleravit. Unde et Pilato ejus videlicet corpori, ad passionem veniens dicit : *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper* (*Joan.* XIX, 11). Sed tamen hanc potestatem quam contra se ei extrinsecus dederat, suis servire lucris intrinsecus compellebat. Pilatus enim vel Satan qui ejusdem Pilati caput exstiterat, sub potestate illius super quem potestatem acceperat, tenebatur ; quia et superior ipse disposuerat hoc quod inferius accedens a persecutore tolerabat : ut cum ex mala mente infidelium surgeret, utilitati tamen electorum omnium ipsa quoque crudelitas deserviret. Pie igitur disponebat intus quod semetipsum pati nequiter permittebat foris. Hinc est enim quod de illo in cœna dicitur : *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia ex Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua* (*Joan.* XIII, 3). Ecce in manus persequentium iturus, sciebat quod in manum suam ipsos etiam persecutores acceperat. Qui enim omnia accepisse se noverat, constat quia D et ipsos a quibus tenebatur, tenebat. Ut ipse in se ad usum pietatis intorqueret, quidquid eorum contra se malitia permissa sæviret.

CAP. XXI. — *Et cœpit lavare pedes* (*Joan.* XIII, 3).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 31.) Recte sanctis apostolis post prædicationem Dominus pedes lavit (*Joan.* XIII), ut videlicet aperte monstraretur quia plerumque et in bono opere peccati pulvis contrahitur ; et inde inquinantur vestigia loquentium, unde audientium corda mundantur. Nam sæpe nonnulli dum exhortationis verba faciunt, quamlibet tenuiter sese intrinsecus, quia per eos purgationis gratia derivatur, extollunt. Cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere pulverem malæ cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post prædicationem pedes discipulorum lavare, nisi a prædicationis gloria cogitationum pulverem tergere, gressusque cordis ab interna elatione mundare?

CAP. XXII. — *Recumbens unus ex discipulis* (*Joan.* XIII, 23).

(Præfat. in lib. Moral., num. 3.) Moris enim scripturæ sacræ est ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod Moyses ait : *Erat Moyses mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra* (*Num.* XII, 3). Hinc Joannes dicit : *Discipulus ille quem diligebat Jesus* (*Joan.* XIX, 26). Hinc Lucas ait (*Cap.* XXIV) quod ambularent duo ex discipulis in via Cleophas et alius, quem profecto alium, dum tam studiose tacuit, ut quidam dicunt, se fuisse monstravit. Scriptores igitur sacri eloquii, quia impulsu sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium, quasi de aliis proferunt. Spiritus ergo sanctus per Moysen de Moyse locutus est, Spiritus sanctus per Joannem de Joanne locutus. Paulus quoque quia non ex seipso loqueretur insinuat, dicens : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (*II Cor.* XIII, 3) ?

CAP. XXIII.—*In hoc cognoscent omnes* (*Joan.* XIII, 35).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 5, num. 22.) Plerumque sanctos viros aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia ejicere, tactu ægritudines corporum fugare, Prophetiæ spiritu ventura prædicere, cuncta itaque hæc necdum palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum. Nam hæc aliquando dantur et reprobis. Unde per Evangelium Veritas dicit : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me, maledicti, qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 22). Unum vero signum electionis est soliditas charitatis ; sicut scriptum est : *In hoc scietur, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XV, 35). Hæc autem miracula cum electi faciunt, longe dissimiliter a reprobis faciunt ; quia de eis foris ostenditur, quales apud omnipotentem Deum intus habeantur. Ibi autem eis palma erit, ubi jam mortis contentio non erit. Nam prædicator egregius tunc aspexit palmam veram vincentibus dari, cum resurrectionem prævidit fieri, sicut dicit : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est ; absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus* (*I Cor.* XV, 55) ? Tunc ergo erit perfecta victoria, cum mors plene fuerit absorpta.

CAP. XXIV. *In domo Patris mei mansiones* (*Joan.* XIV, 2).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 70.) Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum : ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in Evangelio Veritas dicit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV, 2). Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors : quia tanta vis in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Unde et non æque laborantes in vinea, æque cuncti denarium sortiuntur. Etsi quidem apud Patrem mansiones multæ sunt, etiamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt : quia una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ.

CAP. XXV. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 46.) Veritas in Evangelio dicit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV, 2). Apud Patrem quippe mansiones multæ sunt : quia in illa beatitudinis vita non dispari, unusquisque juxta dispar meritum locum disparem percipit, sed ejusdem disparitatis damna non sentit : quia tantum sibi quantum perceperit sufficit.

CAP. XXVI. — *Et ad eum veniemus* (*Joan.* XIV, 23).

(Homil. 7 in Evang., num. 2.) Via Domini ad cor dirigitur, cum veritatis sermo humiliter auditur. Via Domini ad cor dirigitur, cum ad præceptum vita præparatur. Unde scriptum est : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Quisquis ergo in superbia mentem elevat, quisquis avaritiæ æstibus anhelat, quisquis se inquinationibus luxuriæ polluit, cordis ostium contra veritatem claudit, et ne ad se Dominus veniat, claustra animi series vitiorum damnat.

CAP. XXVII. — *Pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 53.) In Scriptura sacra aliter pax plena dicitur, atque aliter inchoata. Inchoatam quippe Veritas discipulis dederat, cum dicebat : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Et plenam Simeon desideraverat, cum exoraret, dicens : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (*Luc.* II, 29). Pax enim nostra ex desiderio Conditoris inchoatur ; ex manifesta autem visione perficitur. Plena quippe tunc erit, cum mens nostra, nec ignorantia cæcatur, nec carnis suæ impugnatione concutitur. Sed quia ejus exordia tangimus, cum vel mentem Deo, vel carnem menti subjugamus, tabernaculum justi habere pacem dicitur, quia videlicet ejus corpus quod mente inhabitatur, a perversis desideriorum motibus, sub justitiæ dispositione refrenatur.

CAP. XXVIII. — *Idem ac supra.*

(Regul. pastoral., III p., cap. 24, admon. 23.) Plerumque enim gravius intentionem mentium rerum tranquillitas tentat ; ut quo non sunt molesta quæ tenent, eo minus amabilia fiant quæ vocant : et quo delectant præsentia, eo non inquirantur æterna. Unde et per semetipsam Veritas loquens, cum terrenam pacem a superna distingueret, atque ad venturam discipulos ex præsenti provocaret, ait : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Relinquo scilicet transitoriam, do mansuram. Si ergo in ea cor, quæ relicta est, figitur, nunquam ad illam quæ danda est pervenitur. Pax igitur præsens ita tenenda est, ut et diligi debeat et contemni ; ne si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capiatur. Unde etiam monendi sunt pacati, ne dum nimis humanam pacem desiderant, pravos hominum mores nequaquam redarguant ; et consentiendo perversis, ab auctoris sui se pace disjungant : ne dum humana foris jurgia metuunt, interni fœderis discissione feriantur. Quid enim pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ ? Quid ergo esse dementius potest, quam vestigia in pulvere impressa diligere, sed ipsum a quo impressa sunt non amare ? Hinc David dum totum se ad fœdera pacis æternæ constringeret, testatur quod cum malis concordiam non teneret, dicens : *Nonne qui te oderant, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam ? Perfecto odio oderam illos : inimici facti sunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII, 21). Inimicos etenim Dei perfecto odio odisse, est et quod facti sunt diligere, et quod faciunt increpare : mores pravorum premere, vitæ prodesse. Pensandum est igitur, quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa cum pessimis pax tenetur, si propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit.

CAP. XXIX. — *Venit enim princeps hujus mundi* (*Joan.* XIV, 30).

(Homil. 39 in Evang., num. 8.) Unus autem in hominibus exstitit, qui ante passionem suam libera voce dixit : *Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim Princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV, 30). Quia enim hunc mortalem hominem vidit, suum in illo mundi princeps aliquando invenire posse credidit ; sed sine ullo peccato a mundi corruptione exivit, qui sine peccato in mundum venit. Constat enim quia omnes qui de carnis delectatione nati sunt, in eorum procul dubio vel

locutione, vel cogitatione, vel opere aliquid suum princeps hujus mundi habeat : sed idcirco illos, vel post rapere, vel prius tenere non potuit, quia illos ille a debitis suis eripuit, qui pro nobis sine debito mortis debitum solvit : ut nos ideo sub jure hostis nostri debita nostra non teneant; quia pro nobis Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus gratuito reddidit quod non debuit. Quia enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita animæ morte liberavit. Ait ergo : *Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam.* Unde curandum nobis est, et cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam sævus, quam terribilis sua in nos opera requirens, in die nostri exitus princeps hujus mundi veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, et in illo aliquid quæsivit in quo invenire nil potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti adversario, et multa sua in nobis invenienti dicemus, nisi solum quod nobis est certum refugium, solida spes: quia unum cum illo facti sumus, in quo princeps hujus mundi et suum aliquid requisivit, et invenire minime potuit? quoniam solus est inter mortuos liber, et a peccati jam servitio veraci libertate solvimur, quia ei qui vere liber est, unimur.

CAP. XXX. — *Hoc est præceptum meum* (*Joan.* XV, 12).

In exposit. B. Job, lib. X, num. 7.) Quid hoc loco Dei lex accipi, nisi charitas debet, per quam semper in mente legitur, præcepta vitæ qualiter in actione teneantur? De hac etenim lege Veritatis voce dicitur : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem* (*Joan.* XV, 12). De hac Paulus ait : *Plenitudo legis dilectio* (*Rom.* XIII, 10). De hac iterum dicit : *Invicem onera vestra portate; et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Lex enim Christi quid congruentius intelligi, quam charitas potest? quam tunc vere perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus.

CAP. XXXI. — *Vos amici mei estis* (*Joan.* XV, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 28.) Amicus veritatis est rectæ amator actionis. Unde et ipsa Veritas discipulis dicit : *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis* (*Joan.* XV, 14). Amicus quippe animi custos dicitur. Unde non immerito qui custodire voluntatem Dei in præceptis illius nititur, ejus amicus vocatur. Hinc est quod rursum eisdem Veritas dicit : *Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Ibid.*, 19).

CAP. XXXII. — *Si non venissem, et locutus fuissem* (*Joan.* XV, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 28.) Sciendum quippe est quod peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat : *Qui prius fui blasphemus et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (*I Tim.* I, 13). Petrus vero infirmitate peccavit, quando omne in eum robur fidei quod Domino perhibuit, una vox puellæ concussit, et Deum quem corde tenuit, voce denegavit (*Luc.* XXII). Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiæ eo facilius tergitur, quo non studio perpetratur, Paulus quæ ignoravit sciendo correxit, et Petrus motam, et quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Ex industria vero peccaverant hi de quibus Magister dicebat : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* XV, 22). Et paulo post : *Et viderunt, et oderunt, et me, et Patrem meum* (*Vers.* XXIV). Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem : sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim præcipitatione peccatum committitur : quod tamen consilio, et deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere, amare bonum, sed implere non posse : ex studio vero peccare, est bonum nec facere, nec amare. Sicut ergo nonnunquam gravius est peccatum diligere quam perpetrare, ita nequius est odisse justitiam quam non fecisse.

CAP. XXXIII. — *Si non abiero* (*Joan.* XVI, 7).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 41.) Suis dilectoribus Veritas dicit : *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet* (*Joan.* XVI, 7). Ac si aperte diceret : Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem per consolatorem Spiritum non perduco.

CAP. XXXIV. — *Idem ac supra.*

(Dialog. lib. II, cap. 38.) Ipsa quoque Veritas ut fidem discipulis augeret, dixit : *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* (*Ibid.*). Cum enim constet quia Paraclitus spiritus ex Patre semper procedat et Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat qui a Filio numquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hic semper oculis videre sitiebant, recte eis dicitur : *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet.* Ac si aperte diceretur : si corpus non subtrahe, qui sit amor spiritus non ostendo, et nisi me desieritis corporaliter cernere, nunquam me discitis spiritualiter amare.

CAP. XXXV. — *Palam de Patre annuntiabo* (*Joan.* XVI, 25).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 17.) Tunc cœlorum rationem Dominus narrat, cum semetipsum nobis quomodo electis spiritibus præsit insinuat. Tunc cœlorum rationem narrat, cum detersa mentis nostræ caligine clara se visione manifestat. Unde et in Evangelio dicit : *Venit hora cum jam non in parabolis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI, 25). Palam quippe de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, et quomodo ipse gignenti non impar oriatur, et quomodo utriusque spiritus utrique coæternus procedat, ostendit. Aperte namque tunc videbimus quomodo hoc quod oriendo est, ei de quo oritur subsequens non est. Quomodo is qui per processionem producitur, a proferentibus non præitur. Aperte tunc videbimus quomodo et unum divisibiliter tria, et indivisibiliter tria unum. Lingua ergo tunc narrantis Dei est visa claritas sublevantis.

CAP. XXXVI. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 49.) In illa suscepti contemplatione gaudiorum, jam nullatenus indigent verba audire docentium : quia angustias vitæ præsentis evadentes, ultra a doctoribus prædicationem vitæ accipere non requirunt. Tunc quippe impletur quod scriptum est : *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus* (*Jerem.* XXXI, 34). Tunc impletur quod in Evangelio Veritas dicit : *Palam de Patre annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI, 25). Filius enim de Patre palam annuntiat, quia sicut et superius diximus, per hoc quod verbum est, ex natura nos divinitatis illustrat. Verba ergo tunc docentium quasi quosdam humanæ linguæ rivulos non quærunt, quando de ipso jam veritatis fonte debriantur.

CAP. XXXVII. — *Hæc locutus sum vobis ut in me* (*Joan.* XVI, 33).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, num. 26.) *Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI, 33). Ac si aperte diceret : Fiducia vos de me interius consolando reficiat : quia erit de mundo exterius quod sæviendo graviter premat.

CAP. XXXVIII. — *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 42.) Voce autem Redemptoris dicitur : *Regnum meum non est de hoc*

mundo (*Joan.* XVIII, 36). Omnes ergo qui spe cœlestium prædiți exercitio vitæ præsentis atterimur, in alieno laboramus. Nam sæpe et reprobis servire cogimur, et alieno quidem labore fatigamur. Sed tamen præmia nostra percipimus, et per hoc pervenimus ad propria, quod pure ministramus aliena. Quo contra quibusdam Veritas dicit: *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis* (*Luc.* XVI, 12)?

CAP. XXXIX. — *Simon Joannis diligis me* (*Joan.* XXI, 16)?

(Regul. pastoral. I part., cap. 5.) Petro Dominus ait: *Simon Joannis, amas me* (*Joan.* XXI, 16)? Qui cum se amare protinus respondisset, audivit: *Si diligis me, pasce oves meas.* Si ergo dilectionis testimonium cura pastionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur non amare.

CAP. XL. — *Et alius te cinget* (*Joan.* XXI, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 69 et 70.) Si prædicator fortis gloriam passionis appetit, si discrimen mortis subire pro Domino lætus quærit, quid est quod ipsi prædicatori qui ex robusto virtutem traxit in nomine, Petro Veritas dicit: *Cum senueris extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis* (*Joan.* XXI, 18)? Quomodo de passione gaudet, qui cinctus ab alio, ire quo ducitur non volet? Sed si pensamus qualiter animus, appropinquante passione et mortis metu quatitur, et tamen de venturo regni præmio lætatur: et intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculum volens nolit, quia et in morte considerat quod tolerans paveat, et in fructu mortis aspicit quod appetens quærat. Videamus Paulum quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amat; ait enim: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse* (*Philip.* I, 23). Et: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Et tamen dicit: *Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita* (*II Cor.* V, 4). Ecce et mori desiderat, et tamen carne exspoliari formidat. Cur hoc? quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat. Et quamvis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris. Sicut enim vir fortis, cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat et festinat; tremit et sævit; quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus cum passioni propinquare se conspicit, et naturæ suæ infirmitate concutitur, et spei suæ soliditate roboratur, et de vicina morte trepidat, et tamen quod moriendo verius vivat, exultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire, et idcirco et confidendo quasi ambigit, et quasi ambigendo confidit. Et gaudens metuit, et metuens gaudet: quia scit quod ad bravium quietus non perveniat, nisi hoc quod interjacet cum labore transcendat. Sic nos cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus. Certi autem de subsequenti salute gaudemus; quia enim pervenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tædet.

LIBER QUINTUS.

De Testimoniis in librum Actuum Apostolorum.

CAPUT PRIMUM. — *Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent* (*Act.* I, 4.)

(Homil. 29, in Evangel., num. 1.) Ad insinuandam quoque veritatem Dominicæ Resurrectionis notandum nobis est quid Lucas referat dicens: *Convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent* (*Act.* I, 4). Et post pauca: *Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum* (*Act.* I, 9, 10). Notate verba, signate mysteria: convescens elevatus est, comedit et ascendit, ut videlicet per effectum comestionis, veritas patesceret carnis.

CAP. II. — *Ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis* (*Act.* I, 10.)

(Homil. 29 in Evangel., num. 9.) Quærendum nobis est quidnam sit quod nato Domino apparuerunt angeli, et tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse: ascendente autem Domino missi angeli in albis leguntur vestibus apparuisse? Sic etenim scriptum est: *Videntibus illis elevatus est; et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis* (*Ibid.*). In albis autem vestibus gaudium et solemnitas mentis attenditur. Quid est quod nato Domino non in albis vestibus, ascendente autem Domino in albis vestibus apparent, nisi quod magna tunc solemnitas angelis facta est, cum cœlum Deus homo penetravit: quia nascente Domino videbatur divinitas humiliata, ascendente vero Domino est humanitas exaltata? Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt quam humiliationi. In assumptione ergo ejus angeli in albis vestibus videri debuerunt, quia qui in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis.

CAP. III. — *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti* (*Act.* I, 15.)

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 17.) Propter septenarium numerum temporalia, octonarium æterna signantem, super centum viginti fideles in cœnaculo residentes Spiritus sanctus effusus est. Per septem quippe et octo, quindecim computantur. Et si ab uno usque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, usque ad centesimum et vicesimum numerum pervenimus: quia scilicet effusione sancti Spiritus didicerunt, ut et temporalia tolerando transirent, et æterna inhianter appeterent.

CAP. IV. — *Et hic quidem possedit agrum de mercede* (*Act.* I, 18.)

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 58.) More autem sacri eloquii per Petrum quoque de Juda dicitur: *Hic possedit agrum de mercede iniquitatis* (*Act.* I, 18). Neque enim empto pretio sanguinis, agrum figuli possidere Judas potuit, qui relatis triginta argenteis traditionis crimen criminosiori in se protinus morte mulctavit: sed possedit, dictum est, possideri fecit.

CAP. V. — *Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt* (*Act.* I, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 27.) Omne enim peccatum undenarium est, quia dum perverse agitur, præcepti Decalogum transit; et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est quod in tabernaculo vela cilicina undecim fiunt. Hinc per undecimum psalmum dicitur: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus* (*Psal.* XI, 1.) Hinc Petrus in undenario numero remanere apostolos metuens, Matthiam duodecimum sorte missa requisivit (*Act.* II, 2.) Nisi enim signari culpam per undenarium cerneret, impleri apostolorum numerum duodenario tam festine non curaret.

CAP. VI. — *Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis* (*Act.* II, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 2.) Quod enim de adventu sancti Spiritus scriptum est: *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis; et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ quasi ignis: seditque supra singulos eorum* (*Act.* I.) Per

ignem quidem Deus apparuit; sed per semetipsum locutionem interius fecit: et neque ignis Deus, neque ille sonitus fuit, sed per hoc quod exterius exhibuit, expressit hoc quod interius gessit. Quia enim discipulos et zelo succensos et verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas ostendit. In significationem igitur admota sunt elementa, ut ignem et sonitum sentirent corpora: igne vero invisibili et voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, sed intus qui scientiam dedit.

CAP. VII. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. v, num. 65.) Quid enim per vocem auræ lenis, nisi cognitio sancti Spiritus designatur, qui de Patre procedens, et ideo quod est Filii accipiens, nostræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur? Qui tamen super apostolos venieus per exteriorem sonum, tanquam per vehementem spiritum demonstratur, cum dicitur: *Factusque est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus validi* (*Act.* II, 2). Spiritus cum se notitiæ humanæ infirmitatis insinuat, et sonitu vehementis spiritus, et voce auræ lenis exprimitur; quia videlicet veniens, et vehemens est et lenis. Lenis quia notitiam suam quatenus cognosci utcumque valeat, nostris sensibus temperat: vehemens, quia quantumlibet hanc temperat, adventu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando perturbat. Illustratione enim sua nos leniter tangit, sed inopiam nostram inaniter concutit.

CAP. VIII. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 34.) Potest autem per os Dei Unigenitus Filius designari, qui sicut brachium ejus dicitur, quia per eum cuncta Pater operatur: ita etiam os dicitur de quo propheta ait: *Os enim Domini locutum est* (*Isa.* LVIII, 14.) Per quem nobis omnia loquitur: ac si oris nomine patenter diceretur verbum. Sicut nos quoque pro verbis, linguam dicere solemus: ut cum Græcam vel Latinam linguam dicimus, Latina vel Græca verba monstramus. Os ergo Domini non immerito ipsum verbum accipimus. Unde et ei Sponsa in Canticis canticorum dicit: *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1). Ac si dicat: Tangat me dulcedine et præsentia unigeniti filii Redemptoris mei. Per sonum vero oris potest ejusdem Domini Spiritus sanctus designari. Unde et alias in ejusdem Spiritus significatione scriptum est: *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis* (*Act.* II, 2.) Sonus igitur de ore Domini procedit, cum consubstantialis ejus spiritus ad nos per filium veniens surditatem nostræ insensibilitatis rumpit: sicut de eodem sono incircumscripto et incorporeo os Domini loquitur, dicens: *De meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 15).

CAP. IX. — *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis* (*Act.* II, 3).

Homil. 30 in Evang., num. 4, 5 et seq.) Spiritus sanctus super discipulos in igneis linguis apparuit, omniumque linguarum scientiam dedit. Quid scilicet hoc miraculo designatur, nisi quod sancta Ecclesia eodem Spiritu repleta, omnium gentium erat voce locutura? Qui vero contra Deum turrem ædificare conati sunt, communionem unius linguæ perdiderunt: in his autem qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes unitæ sunt. Hic ergo humilitas virtutem meruit, illis superbia confusionem. Sed quærendum nobis est cur Spiritus sanctus Patri et Filio coæternus in igne apparuit, cur in igne simul et linguis, cur aliquando in columba, aliquando vero in igne monstratur, cur super unigenitum Filium apparuit in columbæ specie, et super discipulos in igne: ita ut neque super Dominum veniret in igne, neque super discipulos monstraretur in columba. Per quatuor itaque hæc quæ proposuimus solvendo redeamus. Patri namque et Filio coæternus Spiritus in igne monstratur, quia incorporeus et ineffabilis, atque invisibilis ignis est Deus, attestante Paulo: *Deus noster ignis consumens est* (*Hebr.* XII, 29). Deus quippe ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc igne Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat* (*Luc.* XII, 49). Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infimas in se cogitationes egerunt, a malignis spiritibus conculcantur; sed ignem in terram Dominus mittit, cum afflatu sancti Spiritus cor carnalium incendit: et terra ardet, cum cor carnale in suis prius voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis sæculi, et incenditur ad amorem Dei. Bene ergo in igne apparuit Spiritus, quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, et hoc in desiderio suæ æternitatis accendit. In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus coæternus est Filio, et habet cognationem maximam lingua cum Verbo. Verbum quippe Patris est Filius, et quia Spiritus una est et Verbi substantia, idem Spiritus monstrari debuit in lingua. Vel certe, quia per linguam procedit Verbum, in linguis apparuit Spiritus, quia quisquis sancto Spiritu tangitur, Dei Verbum, id est unigenitum Filium confitetur. Et negare Verbum Dei non valet, qui jam sancti Spiritus linguam habet. Vel certe in igneis linguis apparuit Spiritus, quia omnes quos repleverit, ardentes pariter et loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant: nam otiosus sermo docentis est, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso Veritatis ore conceperant, qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32). Ex audito quippe sermone inardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, a concupiscentiis terrenis aliena. Amor verus qui hanc repleverit, in fletibus cruciat; sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur. Audire ei libet præcepta cœlestia; et quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur; et quæ torpebat prius per desideria, ardet postmodum per verba. Unde bene et per Moysen dicitur: *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII, 2). Sinistra quippe reprobi, qui ad sinistram ponendi sunt; dextera autem Dei appellantur electi. In dextera autem Dei ignea lex est, quia electi mandata cœlestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. Sermo ad aurem ducitur, et mens eorum sibimet irata ex internæ dilectionis flamma concrematur. In columba vero sanctus Spiritus et in igne monstratus est, quia omnes quos repleverit, simplices et ardentes facit: simplices puritate, ardentes æmulatione. Neque etenim placet Deo aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate. Hinc ipsa Veritas dicit: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16). Qua in re notandum est quod discipulos suos nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere: quatenus et columbæ simplicitatem, astutia serpentis accenderet, et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait: *Nolite pueri effici sensibus* (*I. Cor.* XIV, 20). Ecce astutiam serpentis audivimus; nunc de simplicitate columbæ moneamus: *Sed malitia parvuli estote* (*Ibid.*). Inde de beato Job dicitur: *Erat vir simplex et rectus* (*Job* I, 1). Quæ est autem rectitudo sine simplicitate, aut quæ est simplicitas sine rectitudine? Quia ergo et rectitudinem docet iste spiritus et simplicitatem, et in igne monstrari debuit et in columba, quatenus omne cor quod ejus gratia tangitur, et mansuetudinis lenitate tranquillum, et zelo justitiæ accensum fiat. (Num. 6.) Ad extremum vero quærendum est, cur in ipso Redemptore nostro Mediatore Dei et hominum per columbam apparuit, in discipulis vero per ignem. Certe unigenitus Filius judex est generis humani; sed quis ejus justitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro

nominibus factus, mitem se hominibus præbuit. Noluit peccatores ferire, sed colligere; prius voluit mansuete colligere, ut haberet quos postmodum in judicio salvaret. In columba ergo apparere super eum debuit Spiritus, qui non veniebat ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contra super discipulos in igne debuit Spiritus sanctus demonstrari, ut hi qui erant simpliciter homines atque ideo peccatores, eos contra semetipsos spiritalis fervor accenderet, et peccata quæ Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent: neque ipsi quippe esse poterant sine peccato, qui adhærebant cœlesti magisterio, Joanne attestante, qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). In igne ergo in hominibus, in columba vero apparuit in Domino: quia peccata nostra quæ pie Dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus caute conspicere, et ardore semper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbam Spiritus in Redemptore monstratus est, per ignem vero in hominibus: quia quanto nobis nostri judicis facta est severitas temperata, tanto erga se debet fieri nostra iufirmitas accensa.

CAP. X. — *Jesum Nazarenum virum approbatum* (*Act.* II, 23).

(Regul. pastoral. tert. part., admonit. 35.) Ad Jeremiam missum ad prædicationem dicitur: *Ecce constitui te hodie super Gentes et super regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes* (*Jerem.* I, 10). Quia nisi prius perversa destrueret, ædificare utiliter recta non posset: nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris evelleret, nimirum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret. Hinc est quod Petrus prius evertit ut postmodum construeret, cum nequaquam Judæos monebat quid jam facèrent, sed de his quæ fecerant increpabat, dicens: *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis quæ fecit per illum Deus in medio vestri sicut vos scitis. Hunc definito consilio et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis; quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni* (*Act.* II, 23 sqq.). Ut videlicet crudelitatis suæ cognitione destructi, ædificationem sanctæ prædicationis quanto anxie quærerent, tanto utiliter audirent. Unde illico responderunt: *Quid ergo faciemus, viri fratres?* Quibus mox dicitur: *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum.* Quæ ædificationis verba profecto contemnerent, nisi prius salubriter ruinam suæ destructionis invenissent.

CAP. XI. — *Solutis doloribus inferni* (*Act.* II, 24).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 24.) Vigilanti vero est cura pensandum quod in novissima abyssi deambulasse se perhibet (*Job* XXXVIII, 16): deambulare quippe non constricti, sed liberi est. Quem enim vincula astringunt, ejus nihilominus gressus impediunt. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit, in inferno deambulavit: liber quippe ad ligatos venit. Unde scriptum est: *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 5). In novissimis ergo abyssi Domino deambulare, est in lacum damnationis nil suæ retentionis invenire, attestante Petro, qui ait: *Solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (*Act.* II, 24).

CAP. XII. — *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II, 38).

(Regulæ pastoral. tert. part., admonit. 31.) Petrus cum quosdam territos malorum suorum consideratione conspiceret, admonuit dicens: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II, 38). Dicturus enim baptisma, præmisit pœnitentiæ lamenta: ut prius se aqua suæ afflictionis infunderent, et postmodum sacramenta baptismatis lavarent. Qua igitur mente qui transactas culpas flere negligunt, A vivunt securi de venia, quando ipse summus Pastor Ecclesiæ huic etiam sacramento addendam pœnitentiam credidit quod peccata principaliter exstinguit?

CAP. XIII. — *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 27.) Ecce aliquis, vel damna rerum, vel afflictionem corporis metuens, minas terrenæ potentiæ pertimescit, et contra vim resistentium veritatem defendere non præsumit. Hunc Petrus quia in timore angustum respicit, ostensa exemplorum suorum linea ad virtutis latitudinem tendit. Ipse quippe flagellatus a Principibus populi, cum idcirco se relaxari conspiceret, ut a prædicatione cessaret; cum prohiberetur loqui in posterum, nequaquam saltem in præsens cessit. Nam respondit protinus, dicens: *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus* (*Act.* IV, 29); et rursum: *Non enim possumus quæ vidimus et audivimus, non loqui.* At ille dudum debilis et præsentia damna formidans, B dum exempla tantæ fortitudinis contemplatur in auctoritate verbi, jam Petri lineam sequitur; jam nil adversitatis metuit; jam resistentes Deo potestates sæculi, etiam cum corporis laceratione contemnit. Sed tamen quanto vires persequentium patiendo fortiter destruit, quanto inter adversa nullis terroribus cedit, tanto plerumque et in his etiam quæ inter fideles positus senserit, se cæteris præponit; sua magis consilia eligit, et sibi potius quam aliis credit. Hic nimirum dum injustis objectionibus [*Al.* obeditionibus] non cedens, in virtute se exerit; etiam recta aliorum consilia non recipiens, pedem extra limitem tendit. Hunc Petrus intra mensuræ lineam revocat, qui postquam libertate vocis auctoritatem principum pressit, per humilitatem cordis de non circumcidendis gentibus Pauli consilium audivit. Sic enim semetipsum contra adversarios ex auctoritate curabat erigere, ut tamen sibimetipsi non crederet in his quæ non recte sentiret; ut et libertate fortitudinis C tumentes potestates excederet, et humilitate mansuetudinis obedientiam in recto consilio etiam minoribus fratribus exhiberet: et modo per semetipsum aliis, modo et sibimetipsi cum aliis obviaret. In factis igitur Petri quædam ante oculos nostros auctoritatis et humilitatis linea tenditur, ne mens nostra, aut per timorem ad mensuram non perveniat, aut per tumorem limitem excedat.

CAP. XIV. — *Quem Deus suscitavit a mortuis* (*Act.* III, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XII, num. 14.) Quia enim Deus Trinitas est, exstinctam carnem unigeniti Filii sancta Trinitas, id est Pater, et idem Filius, et Spiritus sanctus resuscitavit.

CAP. XV. — *Pecunia tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII, 20).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 2.) Cum ergo sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine D erumpunt. Intus enim subtile judicium Dei aspiciunt, et mala foras exsurgentia quo maledicto debeant feriri cognoscunt; et eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII, 20). Quia enim non ait, est, sed sit, non indicativo, sed optativo modo se dixisse signavit. Hinc Elias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo et consumat vos* (*IV Reg.* I, 10). Quorum utrorumque sententiæ quanta ratione veritatis convaluit, terminus causæ monstravit. Nam et Simon æterna perditione interiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur qua mente maledictionis sententia promitur, cum enim et maledicentis innocentia permanet, et tamen eum qui maledicitur usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque partis fine colligi-

tur, quia ab uno et intimo judice in reum sententia sumpta jaculatur.

CAP. XVI. — *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX, 4.)

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 25.) Si enim caput nostrum tormenta nostra non tangerent, nequaquam afflictis membris persecutori suo etiam de cœlo clamaret : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 5)? Si cruciatus nostri ejus pœnæ non essent, conversus afflictusque Paulus minime diceret : *Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (*Ephes.* II, 6). Et tamen per resurrectionem jam sui capitis exaltatus, dicens : *Qui nos conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus*. Nempe hunc in terra persecutionum tormenta constrinxerant : sed pœnarum suarum ponderibus pressus, ecce jam per gloriam capitis in cœlo residebat.

CAP. XVII. — *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ* (*Act.* IX, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 51, etc.) Fertur quia draconis corpus squamis tegitur, ne citius jaculatione penetretur : ita corpus omne diaboli, id est multitudo reproborum, cum de iniquitate sua corripitur, quibus valet tergiversationibus se excusare conatur : et quasi quasdam defensionis squamas objicit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Quisquis enim dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit quam deflere, quasi squamis tegitur, dum a sanctis prædicatoribus gladio verbi jaculatur : squamas habet, et idcirco ad ejus præcordia transeundi viam verbi sagitta non habet; duritia enim carnali repellitur, ne spiritalis ejus gladius infigatur. Carnali sapientia contra Deum Saulus obduruerat, quando cor ejus nulla prædicationis evangelicæ sagitta penetrabat. Sed postquam forti cœlitus increpatione jaculatus et superno respectu cæcatus est, (lumen quippe ut acciperet, amisit) ad Ananiam veniens illuminatur; in qua illuminatione quia defensionum suarum duritia caruit, bene de eo scriptum est : *Ceciderunt quasi squamæ ab oculis ejus* (*Act.* IX, 18). Carnalis videlicet integumenti illum duritia presserat; et idcirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbæ repugnationes ejus victæ sunt, defensionum squamæ ceciderunt : quæ quidem sub Ananiæ manibus ab oculis ceciderunt corporis, sed ante jam sub dominica increpatione ceciderunt ab oculis cordis. Cum enim altæ invectionis jaculo confossus jaceret, humili jam et penetrato corde requirebat, dicens : *Domine, quid me vis facere* (*Act.* IX, 6)? Repulsis videlicet squamis jam ad cordis viscera veritatis sagitta pervenerat, quando deposita elatione superbiæ, eum quem impugnaverat, Dominum confitens, et quid ageret nesciens requirebat. Intueri libet ubi est sævus ille persecutor? ubi lupus rapax? Ecce in ovem jam versus est qui percunctatur pastoris semitam quam sequatur. Et notandum quod, cum diceret : *Quis es, Domine* (*Ibid.*, 5)? Non ei a Domino respondetur : Ego sum Unigenitus Patris, ego Principium, ego Verbum ante sæcula. Quia enim Saulus incarnatum Dominum credere contemnebat, et ejus humanitatis infirma despexerat, de cœlo hoc quod contempserat, audivit : *Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris* (*Vers.* 8). Ac si diceret : Hoc a me audi de superioribus, quod in me de inferioribus despicis. Auctorem cœli venisse desperas in terram. Ex terra ergo hominem cognosce de cœlo : ut tanto in me amplius sacramenta infirmitatis metuas, quanto et per hæc perducta in cœlestibus ad excellentiam potestatis probas. Prosternens igitur te nequaquam tibi hoc adstruas quod ante sæcula Deus sum, sed illud a me audis, quod de me credere dedignaris. Postquam enim dixit, *Jesus*, adhuc in expressione terrenæ inhabitationis subdidit, *Nazarenus*. Velut si apertius diceretur : Humilitatis meæ infirma suscipe, et tuæ superbiæ squamas amitte.

CAP. XVIII. — *Per murum dimiserunt eum* (*Act.* IX, 25).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 56, 57, 58.) Quia ergo vir sanctus pravis ac male agentibus sese etiam cum non quæritur opponit, recte de equo Dei dicitur : *In occursum pergit armatis* (*Job.* XXXIX, 21). Intueri libet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes quantus Paulum zeli fervor accenderat, quando eum ad irrumpendas Ephes theatri turbas zeli flamma rapiebat; scriptum quippe est : *Repleti sunt ira, et exclamaverunt, dicentes : Magna Diana Ephesiorum, et impleta est civitas confusione; et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio et Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli.* Atque mox subditur : *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli, quidam autem et de Asiæ Principibus qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum* *Act.* XIX, 28). In quibus profecto verbis agnoscimus, quo impetu contra cuneos adversantes irrueret, nisi eum per amicos et discipulos charitatis frena tenuissent. Sed si obviare hostibus, si ultro pugnam petere, si nosmetipsos semper relinquere in cursu nostri fervoris debemus; quid est quod idem prædicator egregius de semetipso fatetur, dicens : *Damasci præpositus Gentis Aretæ Regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet; et per fenestram in sporta dimissus sum per murum : et effugi manus ejus* (*II Cor.* XI, 32). Quid est quod equus iste modo sponte armatorum cuneos impetit, et modo se ab armatis hostibus, quasi trepidus abscondit; nisi hoc quod necesse est ut in ejus artificiosa virtute discamus adversariorum pugnam, et constanter aliquando appetere, et prudenter aliquando declinare? Necesse est quippe ut per omne quod agimus, in mentis trutina positum, hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimemus; et cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxie declinat; dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum vero subsequenti qualitate fructuum, laboris mensura aut æquatur, aut vincitur, labor non sine gravi culpa declinatur. Unde prædicator sanctus cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit adversitati confligere, quia et semetipsum quem profuturum multis noverat, vidit posse deficere, et aut nullis se illic, aut paucis prodesse. Secessum ergo a certamine petiit, et pugnaturum felicius ad alia se bella servavit; non enim loco virtus, sed locus virtuti defuit : et idcirco fortissimus miles ab angustia obsidionis, certaminis campum quæsivit. Ubi autem subjuganda Regi proprio multa adversariorum colla conspexit, subire bellum, vel cum morte non timuit, sicut ipse cum Jerosolymam pergeret, eumque discipuli, passione illius per prophetiam præscita prohiberent, sibimetipsi attestatur, dicens : *Ego enim non solum alligari, sed et mori paratus sum pro nomine Domini Jesu, neque enim facio animam meam pretiosiorem quam me* (*Act.* XXI, 13; *et* XX, 24). Qui igitur hic hostiles cuneos etiam præscita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione fuisse edocuit, non de timore quod fugit.

CAP. XIX. — *Surge et sterne tibi* (*Act.* IX, 34).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 46.) Per lectum vel stratum repausatio in bonis operibus designatur. Unde in apostolorum Actibus Petrus apostolus dicit : *Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus, surge et sterne tibi* (*Act.* IX, 34). Quid est dicere, *Surge*, nisi mala quæ perpetrasti derelinque? Et quid est dicere, *sterne tibi*, nisi mercedis causas in quibus requiescere debeas operare, ut et deserat surgendo quod fecit, et inveniat sternendo quod fecerit. Quod utrumque Propheta breviter comprehendit, dicens : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27). Declinare quippe a malo, est ab eo quo jacuit surgere. Bonum vero facere, est mercedis opera in quibus requiescere debeat, præparare. Qui

enim declinat mala, sed bona adhuc non facit, surrexit quidem ab eo quod jacuit, sed ubi requiescere debeat, necdum stravit.

CAP. XX. — *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt* (*Act.* x, 4).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 7, num. 9.) Prius ad fidem venimus, et postmodum per spiritalium donorum gradus cœlestis vitæ aditum intramus. Non enim virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim Centurio cujus eleemosynæ ante baptismum, Angelo teste, laudatæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam ei per Angelum dicitur : *Orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei* (*Act.* x, 4). Si enim Deo vero et ante baptismum non crediderat, quem orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium esse Deum, sed quia ejus omnipotens Filius incarnatus esset ignorabat, neque enim poterat bona agere, nisi credidisset; scriptum namque est : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 5). Fidem ergo habuit cujus orationes et eleemosynæ placere potuerant : bona autem actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, et incarnationis ejus mysterium crederet : quatenus ad sacramenta baptismatis perveniret. Per fidem ergo venit ad operationem, sed per opera est solidatus in fidem.

CAP. XXI. — *Surge, Petre, occide et manduca* (*Act.* x, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XIII, num. 15.) Maxilla quippe Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, sicut sub Judææ specie per Jeremiam dicitur : *Plorans, ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus* (*Thren.* I, 2); quia in adversitate Ecclesiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt: Per ipsos quippe sancta Ecclesia iniquos a vitiis conterit, et quasi glutiens in sua membra convertit. Unde ipsi quoque primo prædicatori, velut maxillæ Ecclesiæ, dicitur: *Occide et manduca* (*Act.* x, 13). Hinc est etiam quod Samson (*Judic.* XV) maxillam asini tenuit, et hostes premit : quia Redemptor noster simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitiis suis carnales interfecit, et maxilla in terram projecta postmodum aquas fudit; quia data morti prædicatorum corpora, magna populis monstravere miracula.

CAP. XXII. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 56.) *Macta et manduca* (*Act.* x, 13). Quod mactatur, a vita occiditur; id vero quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca dicitur, id est a peccato eos in quo vivunt, interfice, et a seipsis in tua illos membra converte.

CAP. XXIII. — *Surge; et ego ipse homo sum* (*Act.* x, 26).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 24.) Primus pastor Ecclesiæ, cum adorante se Cornelio super se sibi honorem videret oblatum, ad æqualitatem conditionis suæ citius recurrit, dicens : *Surge; et ego ipse homo sum* (*Act.* x, 26). Quis enim nesciat quod Conditori suo homo debeat, et non homini prosterni? quia ergo humiliari sibi plusquam debuit, proximum vidit, ne ultra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominem recognovit; quatenus illati sibi honoris elationem frangeret ex considerata æqualitate conditionis. Hinc a Joanne angelus adoratus, creaturam se esse cognoscit, dicens : *Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum* (*Apoc.* XIX, 10). Hinc propheta cum ad videnda sublimia rapitur, filius hominis vocatur; ut ductus ad cœlestia, hominem se esse meminerit. Ac si eum divina vox verbis apertioribus admoneat, dicens : Memento quid sis, ne de his ad quæ raperis extollaris, sed altitudinem revelationis temperet memoria conditionis.

CAP. XXIV. — *Et assumens circumcidit eum* (*Act.* XVI, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 28 et 29.) Si pro nostris bonis minimis, quibus actis proficimus, nec tamen intermissis interimus, majora laborum mala proximis imminent; necessario nos virtutum augmenta seponimus, ne inferioribus proximis fidei detrimenta generemus; ne tanto jam quod agimus virtus non sit, quanto per occasionem sui in alienis cordibus fundamenta virtutum destruit. Quam discretionis lineam bene ante intuentium oculos Paulus tendit, qui et Gentiles ad libertatem fidei venientes circumcidi prohibuit; et tamen Lystris, atque Iconium transiens, ipse Timotheum qui Gentili patre editus fuerat, circumcidit (*Act.* XV *et* XVI). Videns enim quod nisi se mandata litteræ servare ostenderet, Judæorum rabiem etiam in his qui sibi tunc comites aderant, excitaret, assertionis suæ vim proposuit, et sine damno fidei se suosque a persecutionis immanitate custodivit : fecit quod fieri fidei amore prohibuit, sed ad fidei retorsit ministerium, quod quasi non fideliter fecit. Plerumque enim virtus, cum indiscrete tenetur, amittitur, cumque discrete intermittitur, plus tenetur. Nec mirum si in incorporeis intelligimus, quod agi et in corporeis rebus videmus. Ex studio namque arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur; qui si otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipso usu tensionis perdit; sic aliquando in exercitatione virtus, cum per discretionem prætermittitur, reservatur : ut tanto post vitia valenter feriat, quanto a persecutione interius prudenter cessat.

CAP. XXV. — *Vir Macedo erat* (*Act.* XVI, 9).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 1, num. 12.) Funiculum et mensuræ calamum in manu sua Redemptor noster tenuit, cum Paulum apostolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus est; ita ut idem Macedo vir diceret : *Transiens, adjuva nos* (*Act.* XVI, 9). Et tamen volentes apostolos ad prædicandum ire in Asiam non permisit Spiritus Jesu. Quid est quod sancti apostoli, et ibi vocantur ire, ubi fortasse pergere non cogitabant, et illuc ubi pergere desiderabant, ire prohibentur, nisi quia occulti judicii funiculus et mensuræ calamus tenetur in manu : ut et alii verba vitæ audiant, et alii nullatenus audire mereantur. Funiculus ergo mensuræ est qui alio tractus est, aliunde retractus.

CAP. XXVI. — *Quid vult seminiverbius hic dicere* (*Act.* XVII, 18).

(Regul. pastoral. II part., cap. 4.) In mente quippe audientium semen secuturæ cogitationis est auditæ qualitas locutionis; quia dum per aurem sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Unde ab hujus mundi sapientibus prædicator egregius seminiverbius est vocatus (*Act.* XVII).

CAP. XXVII. — *Genus ergo cum simus Dei* (*Act.* XVII, 29).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 41.) *Genus igitur cum simus Dei, non debemus æstimare auro et argento, aut lapidi sculpturæ artis, et cogitationi hominis divinum esse simile* (*Act.* XVII, 29). Genus videlicet Dei dicimur, non ex ejus natura editi, sed per spiritum illius et voluntatem conditi, et adoptive recreati. Tanto igitur ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur.

CAP. XXVIII. — *Contestor vos hodierna die* (*Act.* XX, 26).

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. 11, num. 9 et 10.) O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius qui dicebat : *Mundus sum a*

sanguine omnium; *non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* (*Act.* xx, 26). Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset; quibus omne consilium annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui Sacerdotes vocamur : qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, et tacentes videmus. Cum vero dicitur : *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III, 18) : si hoc in loco sanguinis nomine mors corporis designatur, valde nobis de nostro silentio augetur metus; quia si in subjectis suis is qui prælatus ad speculandum est, etiam de morte corporis quandoque morituri, tam graviter reus tenetur, quo reatu de morte animæ subjectorum constringitur, quæ potuisset semper vivere si verba correptionis audisset? Sed melius possunt sanguinis nomine peccata signari. Unde quidam cum peccata carnis deflereret, dixit : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus, salutis meæ* (*Psal.* L, 16). Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi, culpæ præpositi, si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat ut etiam moriente subdito se liberum reddat. Surgat, invigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est : *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ* (*Prov.* VI, 3).

CAP. XXIX. — *Idem ac supra.*

(Regul pastor. III part., admon. 26.) Paulus ex eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quod feriendo eorum vitiis non pepercit, dicens : *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium : non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* (*Act.* xx, 26).

CAP. XXX. — *Viri fratres, ego Pharisæus sum* (*Act.* XXIII, 6).

(Regul. pastor. III part., admon. 24.) Qui ergo iniquos pace sociat, iniquitati vires administrat, quia bonos deterius deprimunt quos et unanimiter persequuntur. Unde et prædicator egregius gravi Pharisæorum Sadducæorumque persecutione deprehensus, inter semetipsos dividere studuit quos contra se unitos graviter vidit, cum clamavit, dicens : *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor* (*Act.* XXIII, 6). Dumque Sadducæi spem resurrectionemque mortuorum esse denegarent, quam Pharisæi juxta sacri eloquii præcepta crederent, facta in persecutorum unanimitate dissensio est, et divisa turba illæsus Paulus exiit, quæ hunc unita prius immaniter pressit.

LIBER SEXTUS.

De Testimoniis in Epistolas Catholicas.

CAPUT PRIMUM. — *Apud quem non est transmutatio* (*Jacob* I, 17).

(In expositione B. Job, lib. II, num. 38.) Per Jacobum dicitur : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob*, I, 17). Ipsa enim mutabilitas umbra est, quæ divinam obumbraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret; sed quia Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit.

CAP. II. — *Item de eodem.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 9.) Gravis perfidiæ error admittitur, si fortasse quis timet quod in illa divinitatis substantia furore tranquillitas varietur. Creator namque omnium eo summæ immortalitatis est, quo creaturæ more mutabilis non est. Hinc de illo per Jacobum dicitur : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I, 17).

CAP. III. — *Item idem de eodem.*

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 9.) Omnis namque mutatio velut quædam mortis imitatio est : id enim quod mutat, quasi ab eo quod erat interficit, ut desinat esse quod fuit, et incipiat esse quod non fuit. Lumen igitur verum, Creator videlicet noster, quia nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit, nullis naturæ suæ defectibus obumbratur; sed ejus esse sine mutabilitate fulgere est, tenebræ vel umbra mortis dicitur ei non esse. Unde alias scriptum est : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* ; et unde rursum Paulus apostolus dicit : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem.* Sed cum cuncti noverimus quod et humana anima, et angelici spiritus sint immortales instituti, cur ab apostolo solus Deus immortalitatem habere perhibetur; nisi quia solus vere non moritur, qui solus nunquam mutatur?

CAP. IV. — *Si quis putat se religiosum esse* (*Jacob* I, 26).

(In exposit. B. Job, lib. VII, num. 58.) Quia autem multiloquio quisquis serviens rectitudinem justitiæ tenere non possit, testatur propheta, qui ait : *Vir linguosus non dirigetur super terram* (*Psalm.* CXXXIX, 12); hinc Salomon iterum dicit : *In multiloquio peccatum non deerit* (*Prov.* I, 17); hinc Isaias ait : *Cultus justitiæ silentium* (*Isa.* XXXVII, 17). Videlicet indicans, quia mentis justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Jacobus dicit : *Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (*Jac.* I, 26). Hinc rursum ait : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (*Ibid. v.* 29). Hinc iterum adjungit : *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero* (*Jac.* III, 8).

CAP. V. — *Ira enim viri justitiam Dei non operatur* (*Jacob*, I, 20).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 78.) *Ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I, 2). Quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat.

CAP. VI. — *Si quis autem totam legem servaverit* (*Jacob.* II, 10).

(In exposit. B. Job, lib. 19, num. 32, 33.) Vestimento utique cum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo justitia sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, et nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus : quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit, nec jam bona sunt opera, quæ subortis aliis pravis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonem dicitur ; *Qui in uno offenderit, multa bona perdet* (*Eccle.* IX, 18). Hinc Jacobus dicit : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10). Quam videlicet sententiam suam ipse diligenter exposuit, cum subjunxit : *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit, Non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis* (*Ibid. v.* 11). Cordis ergo oculis circumquaque porrectis, undique nobis adhibenda custodia est. Unde recte quoque per Salomonem dicitur : *Omni custodia serva cor tuum : quia ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23). Dicturus enim *custodia*, præmisit *omni*, ut videlicet unusquisque hinc inde se diligenter inspiciat; et quandiu in hac vita est, contra spiritales

inimicos in acie se positum sciat : ne mercedem quam per has actiones colligit, per alias amittat : ne hinc hostis fores obstruat, et aliunde aditum pandat. Si qua etenim civitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, insomni muniatur custodia, unum vero in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio hostis ingreditur qui undique exclusus esse videbatur.

IN EPISTOLAM S. PETRI PRIMAM.

CAPUT PRIMUM. — *In quem desiderant angeli* (*I Petr.* I, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 91.) Quia de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur : *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12) ; sunt nonnulli qui nequaquam videre, vel angelos suspicantur. Et tamen dictum per Veritatis sententiam scimus : *Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* (*Matth.* XVIII, 10). Nunquid ergo aliud Veritas, aliud prædicator insonat Veritatis? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi nequaquam discordet agnoscitur : Deum quippe angeli et vident, et videre desiderant ; et intueri sitiunt, et intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderii minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, et anxietas pœnam : beati vero angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt, quia nunquam simul pœna et beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia et Psalmista ait : *Satiabor, dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI, 13) ; considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant, dicat Veritas : *Quoniam semper vident :* dicat prædicator egregius : *quia semper videre desiderant* ; ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur. Ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur ; et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque et nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus : erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas, sed longe abest a siti necessitas, longe a satietate fastidium ; quia et sitientes satiabimur, et satiati sitiemus.

CAP. II. — *Et vos tanquam lapides vivi* (*I Petr.* II, 5).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 1, num. 5.) Per Psalmistam dicitur : *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas* (*Psal.* CXXI, 3). Quia enim illa interna pacis visio ex sanctorum civium congregatione construitur, Jerusalem cœlestis ut civitas ædificatur ; quæ tamen in hac peregrinationis terra, dum flagellis percutitur, tribulationibus tunditur, ejus lapides quotidie quadrantur. Et ipsa est civitas, scilicet sancta Ecclesia quæ regnatura in cœlo, adhuc laborat in terra, cujus civibus Petrus dicit : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini* (*I Petr.* II, 5). Et Paulus ait : *Dei agricultura, Dei ædificatio est* (*I Cor.* III, 9). Quæ videlicet civitas habet hic in sanctorum moribus magnum jam ædificium suum ; in ædificio quippe lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur ; et qui portat alterum, portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium charitatis surgat. Hinc enim Paulus admonet, dicens : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Cujus legis virtutem denuntians, ait : *Plenitudo legis charitas* (*Rom.* XIII, 10). Si ego enim vos portare negligo in moribus vestris, et vos me tolerare contemnitis in moribus meis, charitatis inter vos ædificium unde surgit, quos vicaria dilectio per patientiam non conjungit? In ædificio autem, ut prædiximus, lapis qui portat, portatur, quia sicut ego jam eorum mores tolero, qui adhuc in conversatione boni operis rudes sunt : ita ego quoque ab illis toleratus sum, qui me in timore Domini præcesserunt et portaverunt, ut portatus portare discerem. Sed ipsi quoque a majoribus portati sunt. Lapides vero qui in summitate atque extremitate fabricæ ponuntur, ipsi quidem portantur ab aliis, sed alios ne quaquam portant : quia et hi qui in fine Ecclesiæ, id est in extremitate mundi nascituri sunt, tolerantur quidem a majoribus, ut eorum mores ad bona merita componantur ; sed cum eos non sequuntur qui per illos proficiant, nullos super se fidelis fabricæ jam lapides portant. Nunc itaque alii portantur a nobis, nos vero portati sumus ab aliis : omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, quia mores simul omnium solus Redemptor noster tolerat, de quo Paulus ait : *Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Portat fundamentum lapides, et a lapidibus non portatur : quia Redemptor noster omnia nostra tolerat, sed in ipso non fuit quod tolerari debuisset.

CAP. III. — *Non in veste pretiosa* (*I Petr.* III, 3).

(Hom. 6, in Evangel., num. 3.) Nemo ergo existimet in luxu atque in studio vestium peccatum deesse, quia si hoc culpa non esset, nullo modo Joannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus apostolus per Epistolam feminas a pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens ; *Non in veste pretiosa* (*I Petr.* III, 3). Pensate ergo quæ culpa sit hoc etiam viros appetere, a quo curavit Pastor Ecclesiæ et feminas prohibere (*I Tim.* II, 9).

CAP. IV. — *Parati semper ad satisfactionem* (*I Petr.* III, 15.)

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 24.) Vera doctrina tanto vehementius elationis vitium per cogitationem fugit, quanto ardentius verborum suorum jaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Cavet enim ne eum magis elatis moribus prædicet, quem in corde audientium sacris sermonibus insectatur. Humilitatem namque, quæ magistra est omnium materque virtutum, et loquendo dicere, et vivendo conatur ostendere, ut eam apud discipulos veritatis plus moribus quam sermonibus eloquatur. Unde Paulus Thessalonicensibus loquens, quasi culminis proprii Apostolus oblitus, ait : *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Tessal.* II, 7). Unde Petrus apostolus, cum diceret : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe* (*I Petr.* III, 15). In ipsa doctrinæ scientia qualitatem docendi asseruit esse servandam, subdens : *Sed cum modestia et timore conscientiam habentes bonam.*

CAP. V. — *Unusquisque sicut accepit gratiam* (*I Petr.* IV, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 22.) Sic itaque Creator noster ac dispositor cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum per impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem alterius alterum subdat, et meliorem quisque dono alio eum qui sibi subjicitur attendat ; ac licet se præire ex aliis sentiat, eidem tamen quem superat se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur, ut dum singula quæque sunt omnium, interposita quadam charitatis necessitudine, fiant omnia singulorum ; et unusquisque sic quod non accepit in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit humiliter impendat. Hinc enim per Petrum dicitur : *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* (*I Pet.* IV, 10). Tunc namque

bene multiformis gratia Dei dispensatur, quando acceptum donum, et ejus qui hoc non habet creditur, quando propter eum cui impenditur datum putatur.

CAP. VI. — *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (*I Petr.* IV, 11).

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. VII, num. 21.) Quia enim bona nostra non a nobis sunt, sed ab eo hæc accepimus a quo factum est ut essemus, tanto ea nobis non debemus retinere privata, quanto ea nobis conspicimus ab auctore nostro ad communem utilitatem data. Unde recte Petrus apostolus in exhortatione hujus rei subdit, dicens: *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* (*I Petr.* IV, 10), atque adhuc adjecit: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei, si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus* (*Ibid. v.* 11). Ac si aperte dicat: Humiliter impendite bonum proximis, quia scitis vobis non a vobis esse quod habetis.

CAP. VII. — *Quoniam tempus est ut incipiat* (*I Petr.* IV, 17).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 90.) Ex ipsa A nunc bonorum vita et labore cognoscimus, si emendari, dum tempus est, nolumus, quanta post animadversione feriamur. Electos quippe Dei cernimus et pia agere, et crudelia multa tolerare. Hinc ergo colligitur districtus judex quanta feriat districtione quos reprobat, si hic cruciat quos amat, Petro attestante qui ait: *Tempus est ut judicium incipiat de domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio* (*I Petr.* IV, 17)?

CAP. VIII. — *Et si justus quidem vix* (*I Petr.* IV, 18).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 22.) Bene autem subditur: *Et venit super me indignatio* (*Job*, III, 25). Magna quippe arte doctrinæ dicturus verba, prætulit recte facta; ut hinc unusquisque consideret quæ peccantes postmodum supplicia maneant, si etiam justos tam valida hic flagella castigant. Hinc est enim quod Petrus ait: *Tempus est ut incipiat judicium de domo Dei, et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt* (*I Petr.* IV, 17)?

IN EPISTOLAM S. PETRI SECUNDAM.

CAPUT PRIMUM. — *Ministrate in fide vestra virtutem* (*II Petr.* I, 5).

(Regul. Pastoral. tert. part., admonit. 20.) Nisi mentes abstinentium plerumque impatientia a sinu tranquillitatis excuteret, nequaquam, cum diceret: *Ministrate autem in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam* (*II Petr.* I, 15), protinus vigilanter adjungeret, dicens: *In abstinentia autem patientiam*. Deesse quippe abstinentibus patientiam prævidit, quæ eis ut adesset admonuit.

CAP. II. — *Voce delapsa ad Deum* (*II Petr.* I, 17).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 6, num. 11.) Fuerunt quidam qui secundam Petri Epistolam, in qua Epistolæ Pauli laudatæ sunt, ejus dicerent non fuisse. Sed si ejusdem Epistolæ verba pensare voluissent, longe aliter sentire potuerant; in ea quippe scriptum est: *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; atque subjungitur: *Et hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum ipso in monte sancto* (*I Petr.* I, 17). Legant itaque Evangelium, et protinus agnoscant, quia cum vox ista de cœlo venit, Petrus apostolus in monte cum Domino stetit. Ipse ergo hanc Epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit.

CAP. III. — *Et habemus firmiorem propheticum* (*II Petr.* I, 19).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 3, num. 17.) Ut sancti apostoli perfectæ incarnationis dominicæ mysterium crederent, illorum prædicatio obtinuit, qui hoc, priusquam fieret, et videre et prædicare potuerunt. Unde recte quoque primus apostolorum, magna scilicet columna veri tabernaculi, loquitur, dicens: *Habemus firmiorem propheticum sermonem cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco* (*II Petr.* I, 19). In quibus verbis indicat quamvis ad alta surrexit ex culmine, ibi religata persistat in fide. Quæ tamen lucerna prophetici sermonis jam quidem intelligentibus lucet; sed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet. Unde etiam per Psalmistam de iisdem dictis prophetarum dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII, 12); quia videlicet occulta est scientia in prophetis.

CAP. IV. — *Et quasi lucernæ lucenti* (*II Petr.* I, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 18.) Lucernæ enim signatur nomine sacræ lumen Scripturæ, de qua ipsa Ecclesia pastor dicit: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (*II Petr.* I, 19). Et Psalmista ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine* (*Psal.* CXVIII, 105). Quia autem principale nostrum mens est, appellatione capitis mens vocatur. Unde per Psalmistam dicitur: *Impinguasti in oleo caput meum* (*Psal.* XXII, 5). Ac si aperte dicat: Charitatis pinguedine replesti mentem. Nunc ergo lucerna super caput Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras nostræ mentis irradiant, ut in hoc caliginoso vitæ præsentis loco, dum verborum Dei lucem percipimus, quæ sint agenda videamus. Nunc ad lumen in tenebris ambulat, quoniam sancta universalis Ecclesia, etsi alienæ occulta cogitationis C non penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, ponit tamen gressus boni operis, directa lumine supernæ locutionis.

CAP. V. — *Sicut et charissimus frater noster* (*II Petr.* III, 15).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 6, num. 9.) Apostolorum primus cum multa discipulos admoneret, atque a quibusdam detrahi de Pauli scriptis agnosceret, dicit: *Sicut charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem* (*II Petr.* III, 15). Ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripserat admirandum. Ecce Paulus in Epistolis suis scribit Petrum reprehensibilem. Certe enim nisi legisset Petrus Epistolas Pauli, non laudasset; si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis diceretur, invenit. Amicus ergo veritatis laudavit etiam quod reprehensus est, atque et hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat sensit. Pensate, rogo, fratres charissimi, in quo mentis vertice stetit, qui illas Epistolas laudavit in quibus se scriptum vituperabilem invenit, quæ illa tanta esse mansuetudo potuit, quæ quies animi, quæ soliditas atque impertubatio cogitationis?

IN EPISTOLAM S. JOANNIS PRIMAM.

CAPUT PRIMUM. — *Sed si quis peccaverit, advocatum habemus* (*I Joan.* II, 1).

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. 7, num. 24.) Neesse est ut nos qui parvuli adhuc sumus, perfectorum semper et virtutes et lacrymas ante mentis nostræ oculos ponamus. Imitemur quæ in illis aspici-

mus, ut dum cœperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quæ fecimus velare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia, habemus Sacerdotem in cœlis, qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Joannem dicitur : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joann.* II, 1). Ecce exsultat animus cum advocati nostri potentiam audimus, sed exsultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis advocatus est, dicitur justus : non enim causas injustitiæ habemus. Justus vero advocatus injustas causas nullo modo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit. Quid ergo agimus, charissimi fratres mei ? Sed ecce occurrit animo quod agamus : mala quæ fecimus et deseramus et accusemus ; scriptum est : *Justus in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17). Quilibet etenim peccator conversus in fletibus, jam justus esse inchoat cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit ? justus igitur advocatus noster justos nos defendet in judicio, quia nosmetipsos et cognoscimus et accusamus injustos ; non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus.

CAP. II. — *Qui dicit, Quia diligo Deum et mandata* (*I Joan.* II, 4).

(Homil. 30 in Evang., num. 1.) Probatio dilectionis exhibitio est operis ; hinc in Epistola sua idem Joannes dicit : *Qui dicit, Quia diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II, 4). Vere enim Deum diligimus, si ad mandata ejus nostris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit.

CAP. III. — *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt* (*I Joan.* II, 15).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 7, num. 17.) Joannes admonet, dicens : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*Ibid.* 15). Qui mox rationem subdidit, quare : *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Nemo enim potest duobus dominis servire, quia non valet simul transitoria et æterna diligere. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu, non in affectu possidemus. Qui eamdem rationem protinus subdit, dicens : *Quia omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II, 16). Ideo enim habere aliquid homines, et ultra quam necesse est concupiscunt, ut habendo superbiant, et quia hoc alius non habet sese in cogitationibus extollant.

CAP. IV. — *Si quis diligit mundum, non est charitas* (*I Joan.* II, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 16.) Qui enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima nunquam potest ; nam aut infimis delectatur, aut summis ; et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima ; quantoque acriori cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul et æqualiter amari non possunt ; unde Joannes apostolus sciens inter spinas amorum sæcularium supernæ charitatis messem germinare non posse, priusquam æterni amoris semina proferat, de audientium cordibus sancta verbi manu amorum sæcularium spinas eradicat, dicens : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*I Joan.* II, 16). Mox quippe subjungit : *Quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Ac si aperte dicat : Utrique se amores in una corde non capiunt, nec in eo seges supernæ charitatis pullulat in quo illam spinæ infimæ delectationis necant. Atque ipsas ex hac infima delectatione nascentes enumerat punctiones, dicens : *Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est, et mundus transit et concupiscentia ejus* (*Ibid.*).

CAP. V. — *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus* (*I Joan.* II, 27).

(In exposit B. Joh., lib. V, num. 50.) Potest enim per verbum absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligi, de qua Joannes dicit : *Unctio ejus docet vos de omnibus* (*I Joan.* II, 27). Quæ nimirum aspiratio humanam mentem contingendo sublevat, et temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desideriis inflammat ; ut nihil ei jam nisi quæ superna sunt libeat, et cuncta quæ inferius de humana perstrepunt corruptione, contemnat. Absconditum ergo verbum audire, est locutionem sancti Spiritus corde concipere ; quæ profecto sciri non potest, nisi a quo haberi potest. Unde et Veritatis voce de hac abscondita locutione dicitur : *Ego rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere* (*Joan.* XIV, 16). Sicut enim idem paracletus post Mediatoris ascensum, alius humani generis consolator, in semetipso invisibilis est ; ita omnem quem repleverit, ad desideranda invisibilia accendit. Et quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda invisibilia non assurgit. Sæculares enim mentes, quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant.

CAP. VI. — *Idem ac supra.*

(Homil. 30 in Evang., num. 9.) Per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet. De hac unctione Spiritus rursum per Joannem dicitur : *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus* (*I Joan.* II, 27). Per vocem ergo non instruitur, quando mens per Spiritum non ungitur. Sed cur ista de doctrina hominum loquimur, quando et ipse Conditor non ad eruditionem hominum loquitur, si eidem homini per unctionem Spiritus non loquatur ? Certe Cain priusquam fratricidium opere perpetraret, audivit : *Peccasti, quiesce* (*Genes.* IV, 7, *juxta LXX.*) ; sed quia culpis suis exigentibus voce est admonitus, non unctione, audire Dei verba potuit, sed servare contempsit.

CAP. VII. — *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan.* III, 2).

(In exposit. Ezech. lib. I, hom. 2, num. 20.) Post hanc vero similitudinem quæ nunc in moribus tenetur, quandoque ad similitudinem gloriæ pervenitur. Hinc etenim Joannes dicit : *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan.* III, 2). Qui mox unde hoc fieri valet, adjungit, dicens : *Quoniam videbimus eum sicuti est.* Esse etenim Dei, est æternum hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur, desinit esse quod fuit, et incipit esse quod non fuit ; Dei vero esse, est dissimiliter nunquam esse. Unde ad Moysen dicitur : *Ego sum qui sum.* Et : *Dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Jacobus quoque ait : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I, 17). Ita per Joannem dicitur : *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quia per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturæ, a mutabilitate nostra liberati, figimur in æternitate. Immutabimur quippe in ipso quem videbimus, quia morte carebimus videndo vitam, mutabilitatem nostram transcendemus videndo immutabilem, corruptione nulla tenebimur videndo incorruptionem.

CAP. VIII. — *Idem ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 79.) Ad hoc enim sancti omnes ad illa gaudia æterna perveniunt, ut esse Deo similes possint ; sicut scriptum est : *Cum*

apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). Et tamen scriptum est : *Domine, quis similis tibi?* Et iterum : *Aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Unde ergo similes, et unde non similes, nisi quia huic sapientiæ et similes erunt ad imaginem, et tamen non erunt similes ad æqualitatem? Aspiciendo quippe æternitatem Dei, fit eis ut æterni sint; et dum visionis ejus donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident. Et similes ergo sunt, quia beati fiunt; et tamen Creatori similes non sunt, quia creatura sunt. Et habent itaque quamdam Dei similitudinem, quia non habent finem; et tamen incircumscripti æqualitatem non habent, quia habent circumscriptionem.

Cap. IX. — *Qui habuerit substantiam mundi* (*I Joan.* III, 17).

(Homil. 27 in Evang., num. 3.) Ecce nos usque ad mortem nemo persequitur. Unde ergo probare possumus an diligimus inimicos? Sed est quod in pace sanctæ Ecclesiæ fieri debeat unde clarescat, si persecutionis tempore mori pro dilectione valeamus. Ecce idem Joannes dicit : *Qui autem habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo* (*I Joan.* III, 17)? Hinc etiam Joannes Baptista ait : *Qui habet duas tunicas, det unam non habenti* (*Luc.* III, 11). Qui ergo tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam, quando in persecutione daturus est animam suam? Virtus ergo charitatis ut invicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate, quatenus omnipotenti Deo primum discat sua impendere, postmodum se.

Cap. X. — *Non diligamus verbo neque lingua* (*I Joan.* III, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 29.) Alii egenos fratres non student rebus fulcire, cum possint, sed blandis tantum sermonibus fovere; quos vehementer Jacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens : *Si autem frater et soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, et calefacimini, et saturamini : non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corporum, quid proderit* (*Jac.* II, 15)? Quos Joannes quoque apostolus admonet, dicens : *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* (*Joan.* III, 12). Dilectio itaque nostra semper exhibenda est, et veneratione sermonis, et ministerio largitatis.

Cap. XI. — *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus* (*I Joan.* III, 18).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 27.) Per Joannem dicitur : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus ab eo, accipiemus* (*I Joan.* III, 18). Hinc Salomon ait : *Qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII, 9). Cor quippe nos in petitione non reprehendit, cum resistere se præceptis ejus quem postulat, meminit; et oratio fit exsecrabilis, cum a censura avertitur legis; quia dignum profecto est ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus. (Num. 22.) Qua in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat quod erravit; quatenus erroris macula cum fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Sed curandum nimis est ne ad hoc rursus proruat, quod se mundasse fletibus exsultat; ne dum deplorata iterum culpa committitur in conspectu justi judicis, ipsa etiam lamenta levigentur. Solerter quippe debemus meminisse quod dicitur : *Ne iteres verbum in oratione tua* (*Eccl.* VII, 15). Quo videlicet dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Ac si aperte dicat : cum male gesta defleveris, nequaquam rursus facias quod in precibus iterum plangas.

Cap. XII. — *Item de eodem.*

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 9.) Graviter namque unusquisque confunditur, quando mandata Dei, vel legendo, vel audiendo respicit, quæ vivendo contempsit. Hinc enim Joannis voce dicitur : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus ab eo, accipiemus* (*I Joan.* III, 21). Ac si diceret : Si id quod præcipit facimus, et id quod petimus obtinemus. Valde namque apud Deum utraque hæc necessarie congruunt, ut et oratione operatio, et operatione fulciatur oratio; hinc etenim Jeremias ait : *Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlis* (*Thren.* III, 40). Vias etenim nostras scrutari, est cogitationum interna discutere. Cor vero cum manibus levat qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, et manus non levat. Quisquis vero operatur et non orat, manus levat et cor non levat. Juxta ergo Joannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit.

Cap. XIII. — *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 88.) Sapientia quippe, quæ Deus est, si oculis omnium viventium occulta esset, hanc proculdubio sanctorum nemo vidisset. Sed ecce huic sententiæ Joannem audio concordantem, qui ait : *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 12). Rursumque cum Testamenti Veteris Patres intueor, multos horum, teste ipsa sacræ lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Deum Jacob, et ait : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII, 30). Vidit Moyses Deum, de quo scriptum est : *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum* (*Exod.* XXXIII, 11). Vidit Job Dominum, qui dicit : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te* (*Job.* XLII, 5). Vidit Isaias Dominum, qui ait : *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa.* VI, 1). Vidit Michæas Dominum, qui dicit : *Vidi Dominum sedentem super soliam suum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris* (*III Reg.* XXII, 19). Quid est ergo quod tot Testamenti Veteris Patres Deum se vidisse testati sunt, et tamen de hac sapientia quæ Deus est, dicitur : *Abscondita est ab oculis omnium viventium* (*Job* XXVIII, 21). Et Joannes ait : *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I, 18); nisi hoc quod patenter datur intelligi, quandiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest; ut anima gratia spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiæ non pertingat? Hinc est enim quod Jacob qui Deum se vidisse testatur, hunc nonnisi in angelo vidit. Hinc est quod Moyses qui cum Deo facie ad faciem loquitur, sicut loqui solet homo cum amico suo, ei inter ipsa verba suæ locutionis dixit : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste ut videam te* (*Exod.* XXXIII, 13). Certe enim si Deus non erat cum quo loquebatur, ostende mihi Deum diceret, et non ostende temetipsum. Si autem Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat videre quem videbat? Sed ex hac petitione ejus colligitur, quia eum sitiebat per incircumscriptæ nostræ naturæ suæ claritatem cernere, quem jam cœperat per quasdam imagines videre; ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset; quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et viderunt ergo Patres Testamenti Veteris Dominum, et tamen juxta Joannis vocem : *Deum nemo vidit unquam;* et juxta beati Job sententiam sapientia quæ est Deus, abscondita est ab oculis omnium viventium,

quia in hac mortali carne consistentibus, et videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, et videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis. (Num. 89.) Sin vero a quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viventibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoque a beati Job sententia non abhorret, qui ait : *Abscondita est ab oculis omnium viventium;* quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, vidit, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest amplecti Deum simul et sæculum; qui enim Deum videt, eo ipso moritur quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. Unde ad eumdem quoque Moysen dicitur : *Non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* xxxiii, 21). Ac si aperte diceretur : Nullus unquam spiritaliter vidit, et mundo carnaliter vivit. (Num. 90.) Sciendum vero est quod nonnulli fuerunt qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri; quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici et incommutabili essentiæ, aliud est claritas, aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est : quia enim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet in se, ipse pollicetur, dicens : *Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* xiv, 21). Ac si patenter dicat : Qui in vestra me cernitis, restat ut in mea me natura videatis. Hinc rursus ait : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Hinc Paulus dicit : *Nunc videmus per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* xiii, 12). (Num. 91.) Videbimus igitur Deum, ipsumque erit præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras accessa ejus luce gaudeamus. (Num. 92.) Nec tamen ita videbimus sicut videt ipse semetipsum; longe quippe dispariliter videt Creator se, quam videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus. (Num. 93.) Sic profecto non ita conspicimus Deum, sicut ipse conspicit se, sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum requiescit in se. Nam visio nostra, vel requies erit utcunque similis visioni, vel requiei illius, sed æqualis non erit; ne enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis penna nos sublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum; raptique intentione cordis, et dulcedine contemplationis, aliquo modo a nobis imus in ipsum. Et jam hoc ipsum ire nostrum, minus est requiescere, et tamen sic ire, perfecte requiescere est; et perfecta ergo requies est, quia Deus cernitur, et tamen adæquanda non est requiei illius, qui non a se in alium transit ut quiescat. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis, quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Namque ut beati atque æterni simus in æternum, imitamur æternum, et magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis; nec exsortes sumus ejus quem imitari possimus, quia et videntes participamus, et participantes imitamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæterna Dei sapientia, quam modo per ora prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte bibimus.

Cap. XIV. — *Deus charitas est* (*I Joan.* iv, 16).

(Hom. 30 in Evang., num. 1.) Ipse namque Spiritus sanctus amor est. Unde et Joannes dicit : *Deus charitas est* (*I Joan.* iv, 8). Qui ergo mente integra Deum desiderat, profecto habet quem amat. Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligeret non haberet.

Cap. XV. — *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* iv, 18).

(In exposit. B. Job, lib. xi, num. 55.) Lex namque sub percussione ultionis populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret, protinus morte puniretur; nec plebs Israelitica ex amore Domino, sed ex timore serviebat. Nunquam vero impleri justitia per timorem potest, quia juxta Joannis vocem : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* iv, 18). Et Paulus adoptivos filios consolatur, dicens : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater* (*Rom.* viii, 15).

Cap. XVI. — *Omnis iniquitas peccatum est* (*I Joan.* v, 17).

(In exposit. B. Job, lib. xi, num. 57.) Quamvis inter iniquitatem atque peccatum nihil distare perhibeat Joannes apostolus, qui ait, *Iniquitas peccatum est* (*I Joan.* iii, 4), ipso tamen usu loquendi plus iniquitas quam peccatum sonat, et omnis se homo libere peccatorem fatetur, iniquum vero dicere nonnunquam erubescit. Inter scelera vero et delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit, delictum vero pondus peccati non transit, quia cum offerri sacrificium per legem jubetur, nimirum præcipitur sicut pro peccato, ita etiam pro delicto, et nonnunquam scelus in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione. Unde et per Psalmistam dicitur : *Delicta quis intelligit* (*Psal.* xviii, 33) ? Quia videlicet peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur; peccata vero cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo invisibiliter perpetrantur.

Cap. XVII. — *Qui non diligit fratrem suum quem videt* (*I Joan.* iv, 20).

(In exposit. B. Job, lib. vii, num. 28.) Quia autem duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor et proximi, per amorem Dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi Dei amor nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profecto diligere proximum nescit; et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejus dilectionis gremio prius proximi charitate lactamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus : *Diliges proximum tuum*, præmisit dicens : *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* vi), ut scilicet in terra pectoris nostri prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum quia amor Dei et proximi amore calescit, testatur Joannes qui increpat dicens : *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere* (*I Joan.* iv, 20) ? Quæ tamen divina lectio per timorem nascitur, si in affectum crescendo permutatur.

Cap. XVIII. — *Et est peccatum ad mortem* (*I Joan.* v, 16).

(In exposit. B. Job, lib. xvi, num. 82.) Peccatum quippe usque ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem ac pœnitentiam non emendatur, de quo videlicet peccato per Joannem dicitur : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget* (*I Joan.* v, 16). Peccatum namque ad mortem est peccatum usque ad mortem, quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur.

IN EPISTOLAM S. JOANNIS TERTIAM.

Caput Primum. — *Nos ergo debemus suscipere hujusmodi* (*III Joan.* 8).

(Homil. 20 in Evangel., num. 12.) De quibusdam peregrinantibus fratribus Gaio per Joannem dicitur :

Pro nomine enim Christi profecti sunt, nihil accipientes a gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis (*III Joan. v.* 8). Qui enim spiritalia dona habentibus temporalia subsidia tribuit, in ipsis donis spiritualibus cooperator existit. Nam cum pauci sunt qui spiritualia dona percipiunt, et multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se sanctis pauperum insernut, quod eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis solatiantur.

CAP. II.—*Is qui amat primatum gerere* (*III Joan.* 8).

(In exposit. Ezech. lib. 1, hom. 9, num. 17.) Magna inquisitione res indiget, cum recti operis viam teneamus, utrum semper despicere derogantium verba debeamus, an certe aliquando compescere; de qua re sciendum quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatos debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat; aliquando autem etiam compescere; ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda inficientium corrumpant. Hinc est quod Joannes obtrectatoris sui linguam redarguit, dicens: *Is qui amat primatum gerere in eis, Diotrepes, non recipit nos; propter hoc, si venero, commoneam ejus opera, quæ facit, verbis maliguis garriens in nos* (*III Joan. v.* 9). Hinc Paulus iterum detrahentibus Corinthiis loquitur, dicens: *Epistolæ*, inquiunt, *graves sunt et fortes, præsentia autem corporis infirma, sermo contemptibilis: hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per Epistolas absentes, tales et præsentes in opere* (*II Cor.* x, 10).

IN EPISTOLAM S. JUDÆ.

CAPUT UNICUM. — *Jesus populum de terra Ægypti salvans* (*Jud.* 5).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 35.) Hoc semper electi providunt ut ante ad justitiam redeant, quam sese ira judicis inexstinguibiliter accendat; ne ultimo flagello deprehensi, simul eis finiatur vita cum culpa. Flagellum quippe tunc diluit culpam, cum mutaverit vitam. Nam cujus mores non mutat, non expiat actiones. Omnis ergo divina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis. Propter eos enim qui ex flagello proficiunt, dictum est: *Qui fugis dolorem in præcepto* (*Psal.* LXXXVII, 20); quia dum flagellatur iniquus, et corrigitur, audire præceptum noluit, audit dolorem. Dolor ergo in præcepto fingitur ei qui a malis operibus, quasi præcepti vice dolore cohibetur. De his vero quos damnant flagella, et non liberant, dicitur: *Percussisti eos nec doluerunt, attrivisti eos et renuerunt accipere disciplinam* (*Jerem.* V, 3). His flagella ab hac vita inchoant, et in æterna percussione perdurant. Unde per Moysen Dominus dicit: *Ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum* (*Deut.* XXXII, 22). Quantum ad præsentem etenim percussionem spectat, recte dicitur: *Ignis exarsit ab ira mea.* Quantum vero ad æternam damnationem, aperte mox subditur: *Et ardebit usque ad inferos deorsum.* Licet a quibusdam dici soleat illud quod scriptum est: *Non judicat Deus bis in idipsum* (*Nahum* I, 9): qui tamen hoc quod per prophetam de iniquis dicitur, non attendunt: *Et duplici contritione contere eos* (*Jerem.* XVII, 18). Et id quod alias scriptum est: *Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit* (*Judæ* V). Quibus tamen si consensum præbemus quamlibet culpam bis forsi non posse, hoc ex peccato percussis, atque in peccato suo morientibus debet æstimari, quia eorum percussio hic cœpta, illic perficitur, ut in correptis unum flagellum sit quod temporaliter incipitur, sed in æternis suppliciis consummatur; quatenus eis qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum percussio sequentium sit initium tormentorum.

LIBER SEPTIMUS.

De Testimoniis in Apocalypsim S. Joannis Apostoli.

CAPUT PRIMUM. — *Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia* (*Apoc.* I, 4).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 13.) Arcturi nomine, qui in cœli axe constitutus septem stellarum radiis lucet, Ecclesia universalis exprimitur; quæ in Joannis Apocalypsi (I, 12, 20) per septem Ecclesias septenique candelabra figuratur, quæ bona in se septiformis gratiæ Spiritus continet, claritate summæ virtutis irradians, quasi ab axe veritatis lucet.

CAP. II. — *Item de eodem.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num 18.) Septenario numero sanctæ Ecclesiæ universitas designatur. Unde Joannes in Apocalypsi (I, 4) septem Ecclesiis scribit, sed per eas quid aliud quam universalem intelligi Ecclesiam voluit? quia nimirum universalis Ecclesia ut plena septiformis gratiæ Spiritu signaretur, Elisæus super puerum mortuum septies inspirasse describitur (*IV Reg.* IV). Super exstinctum quippe populum Dominus veniens, quasi septies inspirat: quia ei dona Spiritus sancti septiformis gratiæ universaliter tribuit.

CAP. III. — *Angeli sunt septem Ecclesiarum* (*Apoc.* I, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 14.) Quia sæpe Scriptura sacra prædicatores Ecclesiæ pro eo quod gloriam regni cœlestis annuntiant, angelorum solet nomine designare, possumus angelos etiam sanctos prædicatores accipere. Hinc est enim quod Joannes in Apocalypsi (I, 4) septem Ecclesiis scribens, angelis Ecclesiarum loquitur, id est prædicatoribus populorum. Hinc per prophetam ait: *Et angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII, 7). Hinc rursum Malachias propheta loquitur, dicens: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7); hinc Paulus ait: *Magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* III, 6). Qui igitur dispensationis mysterium postquam apparuisse angelis dixit, *Prædicatum est gentibus* subdidit, profecto angelorum nomine prædicatores sanctos, id est veritatis nuntios, designavit.

CAP. IV. — *Habes illic tenentes doctrinam* (*Apoc.* II, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 15.) Cain tempus Antichristi non novit, et tamen membrum Antichristi per meritum fuit (*Genes.* IV). Judas sævitiam persuasionis illius ignoravit, et tamen juri crudelitatis ejus avaritia suadente succubuit (*Act.* VIII). Simon divisus longe ab Antichristi temporibus exstitit, et tamen ejus sese superbiæ miraculorum potentiam perverse appetendo conjunxit. Sic iniquum corpus suo capiti, sic membris membra junguntur, cum et cognitione se nesciunt, et tamen sibi actione copulamur. Neque enim Pergamus Balaam libros aut verba cognoverat, et tamen ejus nequitiam sequens voce supernæ increpationis audiebat: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel; edere et fornicari*

(*Apoc.* II, 14). Thyatiræ quoque Ecclesiam a Jesabel notitia et tempora et loca dividebant; sed quia eam par vitæ reatus astrinxerat, inesse ei Jesabel dicitur, atque operibus perversis insistere, angelo attestante, qui ait: *Habeo adversus te aliqua, quia permittis mulierem Jesabel, quæ se dicit prophetem, docere, et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis* (*Ibid.*, 20). Ecce quia reperiri potuerunt qui Jesabel vitam reproba actione secuti sunt, Jesabel illic inventa memoratur. Quia videlicet pravum corpus conjuncti mores unum faciunt: etiamsi hoc loca vel tempora scindunt. Unde fit ut in perversis suis imitatoribus, et iniquus quisque maneat qui jam præteriit, et in suis operatoribus ipse iniquorum actor jam appareat qui necdum venit.

CAP. V. — *Quod nemo scit nisi qui accipit* (*Apoc.* II, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 4.) Videre quippe perfecte coæternam Deo sapientiam, hoc est quod habere. Unde ad Joannem de munere vincentis dicitur: *Dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit* (*Apoc.* II, 17). In hac etenim vita scire quid vel videre possumus, etiam quod non accepimus: habere vero nomen novum in calculo inscriptum, est in æterno præmio notitiam Dei humanis mentibus inusitatam, quam scire non potest nisi qui hanc etiam acceperit, habere.

CAP. VI. — *Esto vigilans, et confirma* (*Apoc.* III, 2).

(Regul. Pastoral. tert. part., admonit. 35.) Per Salomonem dicitur: *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis* (*Prov.* XVIII, 9). Quia videlicet qui cœpta bona districte non exsequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ ab angelo dicitur: *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant; non enim invenio opera tua plena coram Deo* (*Apoc.* III, 2). Quia igitur plena coram Deo ejus opera inventa non fuerant, moritura reliqua etiam quæ erant gesta prædicabat. Si enim quod mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur hoc etiam exstinguitur quod quasi adhuc vivum tenetur.

CAP. VII. — *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei* (*Apoc.* III, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 42.) *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei* (*Apoc.* III, 12). Nam quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur, ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, et utilitati sit et decori.

CAP. VIII. — *Utinam frigidus esses aut calidus* (*Apoc.* III, 15).

(Regul. Pastoral. tert. part., admonit. 35.) *Utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III, 15). Calidus quippe est qui bona studia arripit et consummat: frigidus vero est qui consummanda nec inchoat. Et sicut a frigore per teporem transitur ad calorem, ita a calore per teporem reditur ad frigus. Quisquis ergo amisso infidelitatis frigore vivit, sed nequaquam tepore superato excrescit ut ferveat, proculdubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit ut frigescat. Sed sicut ante teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione; qui enim adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit: qui vero post conversionem tepuit, et spem quæ esse potuit de frigore subtraxit. Aut calidus ergo quisque esse, aut frigidus quæritur, ne tepidus evomatur: ut videlicet, aut necdum conversus adhuc de se conversionis spem præbeat, aut jam conversus in virtutibus inardescat, ne evomatur tepidus; quia a calore quem proposuit, torpore ad noxium frigus redit.

CAP. IX. — *Quia dicis quia dives sum* (*Apoc.* III, 17)

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 6.) Voce angeli prædicatori Laodiciæ dicitur: *Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper et nudus et cæcus* (*Ibid.*, 17). Quasi divitem se asserit qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper, cæcus et nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet; cæcus, quia nec paupertatem quam patitur videt; nudus, quia primam stolam perdidit, sed pejus, quia se nec perdidisse cognoscit.

CAP. X. — *Suadeo tibi emere aurum* (*Apoc.* III, 18).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 61.) Quid vero aurum nisi sapientiam appellat, de qua per Salomonem dicitur: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* (*Prov.* XXI, 20)? Aurum nempe sapientiam vidit, quam thesaurum vocavit; quæ et recte auri appellatione signatur, quia sicut aurum temporalia, ita sapientia bona æterna meretur. Si aurum sapientia non esset, nequaquam Laodiciæ Ecclesiæ ab angelo diceretur: *Suadeo tibi a me emere aurum ignitum* (*Apoc.* III, 18). Aurum quippe emimus, cum accepturi sapientiam prius obedientiam præbemus, ad quem videlicet nos contractum bene quidam sapiens excitat, dicens: *Concupiscens sapientiam serva mandata: et Dominus præbebit illam tibi* (*Eccli.* I, 33).

CAP. XI. — *Et collyrio inunge oculos tuos* (*Apoc.* III, 18).

(Regul. Pastor. I part., cap. 11.) Per angelum dicitur: *Collyrio inunge oculos tuos ut videas* (*Apoc.* III, 18). Collyrio quippe oculos ut videamus, inunginus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine operationis adjuvamus.

CAP. XII. — *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum* (*Apoc.* III, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, num. 53.) Bene autem sancti viri Scripturæ sacræ testimonio reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frenant, modo æstus avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris exstinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. Quia igitur ab hac potestate regiminis potestatem transeunt retributionis, dicatur recte: *Reges in solio collocat in perpetuum* (*Job* XXXVI, 7). Semetipsos enim regendo ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis internæ [*Al.* æternæ] solio in perpetuo collocantur, et eo illic accipiunt alios digne judicare, quo hic nesciunt sibimetipsis nequiter parcere. Hinc enim alias dicitur: *Donec justitia convertatur in judicium* (*Psal.* XCIII, 15). Paulus de se suisque consortibus dicit: *Ut nos efficeremur justitia in ipso* (*III Cor.* V, 21). Justitia ergo in judicium vertitur, quia hi qui nunc juste atque irreprehensibiliter vivunt, tunc judicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodiciæ Ecclesiæ Dominus dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (*Apoc.* III, 21). Vincens Dominus in throno cum Patre sedisse se asserit, quia post passionis certamina, post resurrectionis palmam clarius se omnibus quod potestati Patris esset æqualis indicavit, eique se non disparem, calcato aculeo mortis, innotuit. Unde et Mariæ necdum se credenti Patri similem dicit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem* (*Joan.* XX, 17). Nobis enim in throno Filii sedere, est ex ejusdem Filii potestate judicare. Quia enim judicii principatum ex ejus virtute percipimus, velut in ejus throno residemus. Nec abhorret a vero quod alias super duodecim thronos sessuros testatur esse discipulos (*Matth.* XIX): hic vero in throno suo perhibet esse sessuros; per thronos quippe duodecim universale judicium, per thronum vero Filii, singulare culmen judiciariæ potestatis ostenditur; hoc ergo duodecim thronis quod uno throno Filii designatur, quia videlicet universale judicium ex Mediatoris nostri interventione percipitur.

CAP. XIII. — *Et mittent coronas suas ante thronum* (*Apoc.* IV, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 20.) Sancti autem viri sciunt post primi parentis lapsum de corruptibili stirpe se editos, et non virtute propria, sed præveniente superna gratia ad meliora se vota, vel opera commutatos; et quidquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum: quidquid vero in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum; eique de accepto munere debitores fiunt, qui et puniendo dedit eis bonum velle quod noluerunt, et subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Unde bene per Joannem dicitur: *Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini* (*Apoc.* IV, 10). Coronas namque suas ante thronum mittere, est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori; ut ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminis.

CAP. XIV. — *Vidi subter altare animas interfectorum* (*Apoc.* VI, 9.)

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 11.) In Joannis Apocalypsi dicitur: *Vidi subter altare animas interfectorum propter Verbum Dei, et propter testimonium Jesu quod habebant; et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine, sanctus et verus non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Ubi illico adjungitur: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum* (*Apoc.* VI, 9, sqq). Quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii, et resurrectionem exstinctorum corporum desiderare. Magnus quippe earum clamor magnum est desiderium, tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat; et tanto majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: *Desideria cordis eorum audiet auris tua* (*Psal.* IX, 17). Sed cum aliter moneri soleat mens quæ petit, aliter quæ petitur, et sanctorum animæ ita in interni secreti sinu Deo inhæreant, ut inhærendo requiescant, quomodo dicuntur petere quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo dicuntur petere quas et voluntatem Dei certum est, et ea quæ futura sunt non ignorare? Sed in ipso positæ, aliquid ab ipso petere dicuntur, non quod quidquam desiderent quod ab ejus voluntate quem cernunt discordat, sed quo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso ergo accipiunt ut ab ipso petant quod eum facere velle noverant. De ipso bibunt quod ab ipso sitiunt, et modo nobis adhuc incomprehensibili in hoc quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur. Discordarent ergo a voluntate Conditoris, si quæ eum vident velle non peterent, eique minus inhærerent, si voluntatem ejus desiderio pigriori pulsarent. Quibus responsum Divinitatis dicitur: *Requiescite tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum et fratrum vestrorum.* Desiderantibus animabus, *requiescite adhuc modicum* dicere, est inter ardorem desiderii ex ipsa præscientia solatium consolationis aspirare: ut animarum vox sit, hoc quod amantes desiderant, et respondentis Dei sermo sit hoc quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo ejus, est ut collectionem fratrum exspectare debeant, eorum mentibus libenter exspectandi moras infundere; ut cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur.

CAP. XV. — *Et datæ sunt illis singulæ stolæ* (*Apoc.* VI, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 25.) Sanctæ Ecclesiæ in fine suo duplum recipere, est in singulis nobis, et de beatitudine animæ, et de carnis incorruptione gaudere. Hinc est enim quod per prophetam de electis dicitur: *In terra suu duplicia possidebunt* (*Isa.* LXI, 7). Hinc est quod Joannes apostolus de sanctis finem mundi quærentibus dicit: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; et dictum est eis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleretur numerus conservorum et fratrum eorum* (*Apoc.* VI, 11). Ante resurrectionem sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur; in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt.

CAP. XVI. — *Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus* (*Apoc.* VI, 12).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 8.) Aliquando in sacro eloquio solis nomine prædicatorum claritas designatur. Sic per Joannem dicitur: *Factus est sol ut saccus cicilinus* (*Apoc.* VI, 12). In extremo quippe tempore sol quasi cilicinus saccus ostenditur, quia fulgens vita prædicantium ante reproborum oculos aspera et despecta monstratur.

CAP. XVII. — *Amicti stolis albis et palmæ* (*Apoc.* VII, 9.)

(Homil. 5, lib. II, in Ezechiel., num. 22.) Quid per palmas nisi præmia victoriæ designantur: ipsæ quippe dari vincentibus solent. Unde de his quoque qui in certamine martyrii antiquum hostem vicerant, etiam victores in patria gaudebant, scriptum est: *Palmæ in manibus eorum, et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno* (*Apoc.* VII, 7, 9, 10); palmas quippe in manibus habere est victorias in operatione tenuisse, cujus operationis palma ibi retribuitur, ubi jam sine certamine gaudetur.

CAP. XVIII. — *Factum est silentium in cœlo* (*Apoc.* VIII, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 52.) Bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ad infima curas cordis, per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. (Num. 53.) De hoc secreto cordis alias dictum est: *Factum est silentium in cœlo quasi media hora* (*Apoc.* VIII, 1). Cœlum quippe Ecclesia electorum vocatur; quæ ad sublimia, dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit: quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum media hora dicitur. Nolenti quippe animo cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intentum rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt. Unde scriptum est: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Bene ergo factum hoc silentium, non integra, sed media hora describitur, quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.

CAP. XIX. — *Item de eodem.*

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 2, num. 14.) *Factum est silentium quasi hora media* (*Ibid*). Cœlum quippe est anima justi, sicut per prophetam Dominus dicit: *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* LXI, 1); Et, *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1). Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cœlo, quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed quia hæc quies mentis esse in hac vita perfecta non potest, nequaquam hora integra factum in cœlo silentium dicitur, sed

quasi media, ut neque ipsa media plane sentiatur, cum præmittitur *quasi :* quia mox ut se animus sublevare cœperit, et quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, et confusus cæcatur.

CAP. XX. — *Potestas enim equorum in ore eorum* (*Apoc.* IX, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 48.) Quale itaque illud persecutionis tempus apparebit, quando ad pervertendam fidelium pietatem alii verbis sæviunt, alii gladiis ; quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicitur, hoc ab aliis gladiis ferientibus imperatur ? Quæ utrorumque actio, id est potentium atque loquentium, in Joannis Apocalypsi brevi est sententia comprehensa, qua dicitur : *Potestas equorum in ore, et in caudis eorum erat* (*Apoc.* IX, 19). In ore namque doctorum scientia, in caudis vero sæcularium potentia figuratur. Per caudam quippe quæ retro est, hujus sæculi postponenda temporalitas designatur, de qua Paulus apostolus dicit : *Unum autem quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ ante sunt extensus* (*Philip.* III, 13). Retro est enim omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet. Istis vero equis, id est prædicatoribus ubique carnali impulsu currentibus, in ore et in cauda potestas est, quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ se retro sunt exsultant. Et quia ipsi apparere despicabiles queunt, ab iniquis auditoribus suis per eos sibi reverentiam exigunt quorum patrociniis fulciuntur.

CAP. XXI. — *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua* (*Apoc.* X, 4).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 15.) Urgente etenim fine mundi superna scientia proficit, et largius cum tempore excrescit ; hinc namque per Danielem dicitur : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII, 4). Hinc Joanni in priori parte revelationis angelus dicit : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua* (*Apoc.* X, 4). Cui tamen ejusdem revelationis termino præcipit, dicens : *Ne signaveris verba prophetiæ hujus libri* (*Apoc.* XXII, 10). Pars quippe revelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur, quia quidquid in sanctæ Ecclesiæ initiis latuit finis quotidie ostendit.

CAP. XXII. — *Atrium autem quod foris templum ejice* (*Apoc.* XI, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 16.) In Apocalypsi scriptum est : *Atrium quod foris templum, ejice foras, ne metiaris eum* (*Apoc.* XI, 2). Quid enim atrium aliud quam latitudinem significat vitæ præsentis ? Et recte foris templum sunt, qui per atrium designantur ; atque ideo metiendi non sunt, quia angusta porta est quæ ducit ad vitam, et latitudo vitæ pravorum non admittitur ad mensuras et regulas electorum.

CAP. XXIII. — *Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra* (*Apoc.* XI, 4).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 3.) Duo illi eximii prædicatores dilata morte subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur ; de quibus per Joannem dicitur : *Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra in conspectu Domini terræ astantes* (*Apoc.* II, 4). Quorum unum in Evangelio per semetipsam Veritas pollicetur, dicens : *Elias venturus est, et restituet omnia* (*Matth.* XVII, 11).

CAP. XXIV. — *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus* (*Apoc.* XII, 2).

(In exposit B. Job, lib. XXXIV, num. 25.) Cum figurate sol ponitur, aliquando Dominus, aliquando persecutio, aliquando de re qualibet manifestæ visionis ostensio, aliquando autem intelligentia sapientium designatur. Per solem quippe Dominus figuratur, sicut libro Sapientiæ perhibetur quod omnes impii in extremi die judicii cognita sua damnatione dicturi sunt : *Erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non luxit nobis, et sol non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6). Ac si aperte dicant ; Interni in nobis luminis radius non refulsit. Unde et Joannes ait : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus* (*Apoc.* XII, 2). In sole enim illustratio veritatis, in luna autem quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur ; sancta autem Ecclesia quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur ; quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.

CAP. XXV. — *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum* (*Apoc.* XII, 4).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 17.) Stellarum nomine aliquando sanctorum justitia quæ in hujus vitæ tenebris lucet, aliquando vero hypocritarum fictio demonstratur ; quia bona quæ faciunt, ad percipiendas laudes hominibus ostendunt. Si enim recte viventes stellæ non essent, nequaquam Paulus discipulis diceret : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II, 15). Rursum si inter eos qui recta agere videntur, quidam de actione sua retributionem favoris humani non quærerent, nequaquam stellas Joannes ruere a cœlestibus videret, dicens : *Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stellarum* (*Apoc.* XII, 4). Draconis enim cauda stellarum pars trahitur, quia extrema persuasione Antichristi quidam qui videntur lucere, rapientur. Stellas namque in terram trahere, est eos qui videntur studio vitæ cœlestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere.

CAP. XXVI. — *Item de eodem.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 25.) De hac cauda Behemot istius sub draconis specie per Joannem dicitur : *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli ; et misit eas in terram* (*Ibid.*). Cœlum namque est Ecclesia, quæ in hac nocte vitæ præsentis, dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget, sed draconis cauda in terram stellas dejicit : quia illa Satanæ extremitas per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas de cœlo in terram cadere, est relicta nonnullos spe cœlestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare.

CAP. XXVII. — *Michael et angeli ejus prœliabantur* (*Apoc.* XII, 7).

(Homil. 34 in Evang., num. 9.) Michael namque, quis sicut Deus. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu et nomine detur intelligi, quia nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde et ille antiquus hostis qui esse Deo per superbiam similis concupivit, dicens : *In cœlum ascendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis ; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13). Dum in fine mundi in sua virtute relinquitur extremo supplicio perimendus, cum Michaele archangelo prœliaturus esse perhibetur ; sicut per Joannem dicitur : *Factum est prœlium cum Michaele archangelo* (*Apoc.* XII, 7) ; ut qui se ad Dei similitudinem superbus extulerat, per Michaelem peremptus discat quia ad Dei similitudinem per superbiam nullus exsurgat.

CAP. XXVIII. — *Quia projectus est accusator* (*Apoc.* XII, 10).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 15.) Astutus quippe adversarius cum semen vestrum inter prospera bene egisse considerat, reprobare apud judicem per adversa festinat. Unde recte in Apocalypsi voce angelica dicitur : *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte* (*Apoc.* XII, 10). Scriptura autem sacra sæpe diem pro prosperis, noctem autem pro adversis ponere consuevit. In die ergo et nocte accusare non desinit, quia modo nos in prosperis, modo in adversis accusabiles ostendere contendit. In

alie accusat, cum prosperis male nos uti instruat. In aucte accusat, cum in adversis non habere patientiam demonstrat.

CAP. XXIX. — *Et vidi aliam bestiam ascendentem* (*Apoc.* XIII, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 59.) *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra habentem cornua duo, similia agni : et loquebatur ut draco* (*Apoc.* XIII, 11). Priorem quippe bestiam, id est Antichristum superiore jam descriptione narraverat : post quem etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur, quia post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere, est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua agni similia, quia per hypocrisim sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit singularem, sibi inesse et sapientiam mentitur et vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infunditur, recte illic subditur : *Et loquebatur ut draco.* Ista ergo bestia, id est prædicantium multitudo, si aperte ut draco loqueretur, agno similis non appareret, sed assumit agni speciem ut draconis exerceat operationem.

CAP. XXX. — *Væ terræ et mari quia descendit* (*Apoc.* XII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 1.) Mundi tempus dum venientibus annis augetur, crebrescentibus malis afficitur; et unde ætatis augmentum percipit, inde salutis dispendium sentit. Tribulationes namque cum temporibus crescunt, et eo detrimenta vitæ debilior tolerat, quo quasi ad vitam provectior durat; totis enim contra illum antiquus hostis viribus solvitur, qui quamvis jam nunc interiit, pro eo quod supernæ conditionis beatitudinem amisit; tunc tamen plenius exstinguitur, quando et a tentandi licentia abstractus, exterius incendiis religatur. Unde et extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur : quia tanto fit ferventior ad sævitiam, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. Considerat quippe quod juxta sit ut licentiam nequissimæ libertatis amittat, et quantum brevitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur; sicut de illo voce angelica ad Joannem dicitur : *Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* (*Apoc.* XII, 12). Tunc ergo in magnæ iræ furorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suæ foveam cum paucis ruat. Tunc quidquid nequiter valuerit, callidius exquirit. Tunc cervicem superbiæ altius erigit, et per damnatum illum quem gestat hominem, omne quod temporaliter prævalet, nequiter ostendit.

CAP. XXXI. — *Ut etiam ignem faceret de cœlo descendere* (*Apoc.* XIII, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 62.) Velut enim olla fervens est unaquæque tunc anima, cogitationum suarum impetus quasi spumas undarum ardentium sustinens, quas et ignis zeli commovet, et ipsa temporalis oppressio in ore ollæ intrinsecus clausas tenet. Unde Joannes quoque, cum hujus bestiæ signa narraret, adjunxit : *Ita ut ignem faceret de cœlo descendere* (*Apoc.* XIII, 13). Ignem quippe descendere, est de cœlestibus electorum animas sancti zeli flammas emanare.

CAP. XXXII. — *Hi sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4).

(Regul. Pastoral. III, part., admonit. 29.) Per Joannem dicitur : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt : qui sequuntur Agnum quocunque abierit* (*Apoc.* XIV, 4). Et quod, *Canticum cantant quod nemo possit dicere, nisi illa centum quadraginta et quatuor millia.* Singulariter quippe canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere : quod tamen cæteri electi canticum audire possunt, licet dicere nequeant : quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant.

CAP. XXXIII. — *Habentem in manu sua falcem* (*Apoc.* XIV, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 21.) *Vidi, et ecce nubes candida; et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam* (*Apoc.* XIV, 14). Potestas enim divini judicii, quia undique stringit, circulus dicitur. Et quia intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectitur, intus cadet. Et quia potestas supernæ judicii nullatenus evitatur (intra ipsam quippe summus, quolibet fugere conemur), recte cum venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur : quia cum potenter ad omnia obviat, incidendo circumdat. Esse se intra judicis falcem vidit Propheta, cum diceret : *Si ascendero in cœlum tu illic es; si descendero ad infernum, ades : si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in postremo maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* (*Psal.* CXXXVIII, 8, 9, 10). Intra quamdam esse falcem se vidit, cum ex nullo sibi loco petere fugæ auditum posse cognovit, dicens : *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus* (*Psal.* LXXIV, 7), subaudis patet via fugiendi. Atque mox ipsam supernæ potentiæ omnimodam comprehensionem subdens, ait : *Quoniam Deus judex est.* Ac si diceret : Fugiendi via undique deest, quia ille judicat qui ubique es.

CAP. XXXIV. — *Et præcinctum circa pectora zona* (*Apoc.* XXI, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 26.) Auri nomine splendor supernæ civitatis accipitur, sicut hanc Joannes se vidisse testatur, dicens : *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo* (*Apoc.* XXI, 18). Aurum namque ex quo illa constat, simile vitro dicitur, ut et per aurum clara, et per vitrum perspicua designetur. Auri rursus nomine charitas intimatur, sicut angelum quem sibi loqui idem Joannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit (*Apoc.* XV, 6) : quia nimirum supernorum civium pectora, dum pœnali jam nequaquam timori subjecta sunt, atque a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola se charitate constringunt. Zonam quippe auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vincula restringere.

CAP. XXXV. — *Et quartus effudit phialam suam* (*Apoc.* XVI, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 25.) Solis nomine sapientia intellectus exprimitur, sicut in Apocalypsi scriptum est : *Quartus angelus effudit phialam suam in solem; et datum est illi æstu afficere homines, et igni* (*Apoc.* XVI, 8). Phialam videlicet in solem effundere, est percussionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut afficeret homines æstu et igni; quia dum sapientes viri cruciatibus victi male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quique, temporalibus desideriis inardescunt; ruinæ namque fortium augmentum præstant perditionibus infirmorum. Quia sole acumen sapientium designatur, per comparationem quoque a Salomone dicitur : *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutabitur* (*Eccl.* XXVII, 12). Hoc ergo loco quid per solis radium nisi acumina sapientium demonstrantur, qui in sancta Ecclesia per acumina sapientiæ quasi radios videbantur lucis aspergere, et per auctoritatem rectitudinis resplendere?

CAP. XXXVI. — *Beatus qui vigilat et custodit* (*Apoc.* XVI, 15).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 81.) Si enim apud Deum nostra nos opera quasi vestimenta non tege-

rent, nequaquam voce angelica diceretur : *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus* (*Apoc.* XVI, 15). Turpitudo enim nostra tunc cernitur, cum vita reprehensibilis ante justorum oculos, in judicio nequaquam subsequentis boni operis tegmine velatur.

CAP. XXXVII. — *Item de eodem.*

(In exposit. B. Job, lib. XVI, num. 63.) Sicut vestimenta corpus, sic bona opera protegunt animam. Unde cuidam dicitur : *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet* (*Apoc.* XVI, 15).

CAP. XXXVIII. — *Aquas quas vidisti, ubi meretrix* (*Apoc.* XVII, 15).

(Hom. 8 in Ezechiel., num. 1.) Solent in sacro eloquio per aquas populi designari. Unde per Joannem dicitur : *Aquæ vero sunt populi.* Idcirco autem aquis populus designatur, quia et in vita sonum habet ex tumultu carnis, et quotidie defluit ex decursu mortalitatis.

CAP. XXXIX. — *Beati qui ad cœnam nuptiarum vocati sunt* (*Apoc.* XIX, 9).

(Homil. 6 in Evang., num. 24.) De hoc ergo extremo convivio alias per Joannem dicitur : *Beati qui ad cœnam nuptiarum vocati sunt* (*Apoc.* XIX, 9). Idcirco enim non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei convivium cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, non ad Agni prandium, sed ad cœnam vocantur.

CAP. XL. — *Vide ne feceris, conservus tuus sum* (*Apoc.* XIX, 10).

(Homil. 8 in Evang., num. 2.) Loth vel Josue angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur. Joannes in Apocalypsi adorare angelum voluit, sed tamen idem hunc angelus adorare ne se debeat, compescit, dicens : *Vide ne feceris, conservus tuus sum et fratrum tuorum* (*Apoc.* XIX, 10). Quid est quod ante Redemptoris adventum angeli ab hominibus adorantur et tacent; postmodum vero adorari refugiunt, nisi quod naturam nostram prius quam despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, substratam sibi videre pertimescunt? Nec jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se, videlicet in cœli Rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.

CAP. XLI. — *Et exercitus qui sunt in cœlo* (*Apoc.* XIX, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 27.) Equus quippe est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet novit et ab illicitis continentiæ freno restringere, et rursum charitatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare. Unde et Joannes apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus, ait : *Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis* (*Apoc.* XIX, 14). Multitudinem sanctorum quæ in hoc martyrii bello sudaverat, recte exercitum vocat. Qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora et luce justitiæ et castimoniæ candore claruerunt.

CAP. XLII. — *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum, Rex regum* (*Apoc.* XIX, 16).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 1, num. 9.) Per Joannem dicitur : *Habebat in vestimento et in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 16). Quid enim ejus vestimentum est atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro qua vestimur; hoc autem vestimentum illius longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum dixit : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua quasi calcantium in torculari* (*Isa.* LXIII, 2)? Cui ipse respondit : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Ibid. v.* 8). Solus enim torcular in quo calcatus est calcavit, qui sua potentia eam quam pertulit passionem vicit. Nam qui usque ad mortem crucis passus est, de morte cum gloria surrexit. Bene autem dicitur : *Et de gentibus non est vir mecum*, quia hi pro quibus pati venerat, passionis ejus esse participes debebant; qui pro eo quod illo tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita in illa passione quærebatur. Per femur vero propagatio carnis est. Quia ergo per propaginem generis humani, sicut generationum ordines Matthæo vel Luca narrantibus describuntur, in hunc mundum venit ex Virgine, et per incarnationis suæ mysterium quia Rex esset et Dominus, cunctis ubique gentibus indicavit, in vestimento et in femore scriptum habuit : *Rex regum et Dominus dominantium.* Unde enim in mundo innotuit, ibi de se lectionis sententiam infixit.

CAP. XLIII. — *Et ligavit per annos mille* (*Apoc.* XX, 2).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 16.) Hunc Leviathan electi angelorum spiritus nunc in puteo abyssi clausum premunt. Unde scriptum est : *Vidi angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum* (*Apoc.* XX, 1, 2). Quem tamen in mundi fine ad apertiora certamina revocant, et totum contra nos in suis viribus relaxant. Unde illic rursum scriptum est : *Cum completi fuerint mille anni, solvetur Satanas* (*Ibid. v.* 7). Ille enim apostata angelus, qui ita conditus fuerat ut angelorum cæteris legionibus emineret, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium angelorum ditioni substratus sit; quatenus vel nunc ad utilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, ut ad probationem nostram eis relaxantibus totis se suis contra nos viribus solutus exerceat.

CAP. XLIV. — *Item de eodem.*

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 67.) *Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua : et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas; et ligavit eum per annos mille, et misit in abyssum, et clausit, et signavit super illum ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni* (*Apoc.* XX, 1). Millenario enim numero non quantitatem temporis sed universitatem qua regnat Ecclesia designat. Antiquus autem serpens ligatus catena in abyssum mittitur; quia religatus a bonorum cordibus apud reproborum mentes reclusus, eis atrocius dominatur. Qui paulo post quoque de puteo abyssi educi describitur, quia de iniquorum cordibus, nunc occulte sævientibus, tunc accepta contra Ecclesiam potestate in vim apertæ persecutionis erumpit.

CAP. XLV. — *Item de eodem.*

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 22.) Sicut enim cedrus arbusta cætera in altum crescendo deserit, ita tunc Antichristus mundi gloriam temporaliter obtinens, mensuras hominum, et honoris culmine, et signorum potestate transcendit. Spiritus quippe in illo est qui in sublimibus conditus potentiam naturæ suæ non perdidit, vel dejectus. Cujus idcirco virtus nunc minime ostenditur, quia dispensatione divinæ fortitudinis ligatur. Unde per Joannem dicitur : *Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu ejus, et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus et Satanas; et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum* (*Ibid.*). Ligatus quippe in abyssum perhibetur, quia retrusus in pravorum cordibus, potentia divinæ dispensationis astringitur, ne in quantum prævalet, effrenetur; ut quamvis per eos occulte sæviat, ad violentas tamen rapinas superbiæ non erumpat. Sed illic quomodo in mundi fine sit solvendus intimatur, cum dicitur : *Et postquam fuerint consummati mille anni, solvetur Satan de carcere suo, et exibit et seducet gentes* (*Ibid. v.* 7).

Millenario namque numero, pro perfectione sua, universum hoc quantumlibet sit sanctæ Ecclesiæ tempus exprimitur. Quo peracto antiquus hostis suis viribus traditus, pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos virtute laxatur.

CAP. XLVI. — *Beatus et sanctus qui habet partem* (*Apoc.* XX, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 19.) *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima* (*Apoc.* XX, 6). Quia ille post in carne feliciter resurgit qui in hac vita positus a mentis suæ morte surrexit.

CAP. XLVII. — *Et libri aperti sunt, et alius* (*Apoc.* XX, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 15 et 16.) Qui plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere qualis non est ; ut ex bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte quæ sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspicit fœditatem suam, quam in seipso et potest perpeti, et sentire non potest. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris judicare; ut in illa videat quid de tenebris æstimat per quas videre præpeditur. Peccator namque incognita vita jutorum si semetipsum conspicit, peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia fulgorem lucis nesciens, cum semetipsum conspicit, quid aliud quam tenebras attendit? Justorum ergo debemus vitam conspicere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species quasi quædam forma nobis imitanda proponitur. Viva lectio est vita bonorum. Unde et non immerito iidem justi in sacro eloquio libri nominantur, sicut scriptum est : *Libri sunt aperti, et alius liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris* (*Apoc.* XX, 12). Liber namque vitæ est ipsa visio advenientis judicis, in quo quasi scriptum est omne mandatum, quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quidquid non fecit, intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia justorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata cœlestia opere impressa cernuntur, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, quia in ostensa vita justorum, quasi in expansione librorum legunt bonum quod ipsi agere noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt comparatione denuntiantur. Ne ergo unusquisque tunc videns eos, quod non fecit defleat, nunc in eis quod imitetur attendat.

CAP. XLVIII. — *Et vidi cœlum novum et terram* (*Apoc.* XXI, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 11.) Terra et cœlum, vel qualiter transeat, vel qualiter maneat distinguamus. Utraque namque hæc per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur : *Præterit enim figura hujus mundi* (*I Cor.* VII, 31). Hinc per semetipsam Veritas dicit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV, 35). Hinc ad Joannem angelica voce perhibetur : *Erit cœlum novum et terra nova* (*Apoc.* XXI, 1) ; quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur. Cœlum igitur et terra, et transit, et erit, quia et ab ea quam nunc habet specie per ignem tergitur, et tamen in sua semper natura servatur. Unde per Psalmistam dicitur : *Mutabis ea et mutabuntur* (*Psal.* CI, 27). Quam quidem ultimam commutationem suam ipsis nobis nunc vicissitudinibus nuntiant, quibus nostris usibus indesinenter alternant. Nam terra a sua specie hiemali ariditate deficit, vernali humore viridescit. Cœlum quotidie caligine noctis obducitur, et diurna claritate renovatur. Hinc ergo, hinc fidelis quisque colligat, et interire hæc, et tamen per innovationem relici, quæ constat nunc assidue velut ex defectu reparari.

CAP. XLIX. — *Habens portas duodecim, et in portis* (*Apoc.* XXI, 12).

(In exposit. Ezech. lib. II, hom. 2, num. 3.) Potest etiam portæ nomine unusquisque prædicator intelligi, quia quisquis nobis januam regni cœlestis ore suo aperit, porta est. Unde et duodecim portæ, vel in Joannis Apocalypsi, vel in extremo hujus prophetiæ visione describuntur.

CAP. L. — *Mensura hominis quæ est angeli* (*Apoc.* XXI, 17).

(Ibid., lib. II, hom. 2, num. 15.) Humilitas hominum quandoque ad æqualitatem perducitur angelorum. Unde scriptum est : *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XXII, 30). Et unde per Joannem dicitur : *Mensura hominis quæ est angeli* (*Apoc.* XXI, 17). Quia usque ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur, in qua solidatos se angeli lætantur.

CAP. LI. — *Ipsa vero civitas aurum mundum* (*Apoc.* XXI, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 77.) Auri namque metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri vero naturæ est ut, extrinsecus visum, pura intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur, absconditur : in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius, talis exterius demonstratur, atque ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illorum beatorum civium societatem quorum corda sibi invicem, et claritate fulgent, et puritate translucent, quam Joannes in Apocalypsi conspexerat, cum dicebat : *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civitas auro mundo* [a] *simili vitro mundo* (*Apoc.* XXI, 18)? Quia enim sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur : et quoniam ipsa illorum claritas vicissim in alternis cordibus patet, et dum uniuscujusque vultus attenditur, simul et conscientia penetratur : hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur, Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.

CAP. LII. — *Stella splendida et matutina* (*Apoc.* XXII, 16).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 75.) *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret* (*Galat.* IV, 4). Qui natus ex Virgine velut lucifer inter tenebras nostræ actionis apparuit, qui fugata obscuritate peccati æternum nobis mane nuntiavit, luciferum se innotuit, quia diluculo ex morte surrexit, et fulgore sui luminis mortalitatis nostræ tetram caliginem pressit. Qui bene per Joannem dicitur, *Stella splendida et matutina* (*Apoc.* XXII, 16). Vivus quippe post mortem apparens matutina nobis stella factus est ; quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicavit.

CAP. LIII. — *Et qui audit, dicat : Veni* (*Apoc.* XXII, 17).

(In exposit. Ezech., lib. II, hom. 2, num. 4.) Quisquis spiritalia videndo proficit, oportet ut hæc loquendo etiam aliis propinet. Videt quippe ut annuntiet, qui in eo quod in se profecerit, etiam prædicando de profectu proximi curam gerit. Unde et alibi scriptum est : *Qui audit dicat : veni* (*Apoc.* XXII, 17). Cum enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est ut proximo per prædicationis

[a] De hac lectione, vide notam *b*, ad locum Moralium indicatum, colum. 593.

officium erumpat in vocem, et idcirco alium vocet, quia ipse jam vocatus est.

CAP. LIV. — *Item de eodem.*

(Homil. 6 in Evangel., num. 6.) In quantum vos profecisse pensatis, etiam alios trahite; in via Dei habere socios desiderate. Si quis vestrum, fratres, ad forum vel fortasse ad balneum pergit, quem otiosum esse considerat, ut secum veniat, invitat. Ipsa terrena actio vos vestra conveniat; et si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis. Hinc scriptum est : *Qui audit, dicat : veni* (*Ibid.*). Ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat.

CAP. LV. — *Item de eodem.*

(Regulæ Pastoral. part. III, admonit. 26.) Voce angelica Joannes admonet, cum dicit : *Qui audit, dicat : veni* (*Ibid.*); ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat.

LIBER OCTAVUS

De Testimoniis in S. Pauli Epistolas.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS

CAPUT PRIMUM. — *An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* (*Rom.* II, 4.)

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 8.) Quisquis delinquit et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat : sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius astringit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora vertit ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam. Hinc namque per Paulum dicitur : *An ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 4, 5).

CAP. II. — *Induravit Dominus cor Pharaonis* (*Rom.* IX, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 60.) Semetipsum Dominus indurare perhibet, non quo pravorum mentes ipse ad culpam format, sed quo a culpa non liberat, sicut scriptum est : *Ego obdurabo cor Pharaonis* (*Rom.* IX, 18). Quod quia misericorditer emollire noluit, profecto districte se obdurare nuntiavit.

CAP. III. — *Gentes autem super misericordia honorare* (*Rom.* XV, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 58.) Locus autem misericordiæ Dei est ipsa gentilitas, cujus culpas districtus judex si juste animadverteret, ad reconciliationem gratiæ nunquam veniret. Quæ cum nulla apud Deum merita habuit, reconciliationis tamen gratiam ex sola misericordia accepit. Unde bene per Paulum dicitur : *Gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XV, 9). Unde rursum scriptum est : *Et quæ non consecuta misericordiam, nunc autem misericordiam consecuta* (*I Petr.* II, 10).

CAP. IV. — *Non enim audeo aliquid loqui* (*Rom.* XV, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num 25.) Bene itaque David inter acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis presserat, cum dicebat : *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX, 1). Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus ultra quam poterat, quæreret : super se namque in mirabilibus attollitur, qui et in his ad quæ non sufficit, videri idoneus conatur. Bene intra has mensuras etiam in ipsa Paulus prædicationis suæ se latitudine coarctabat, cum diceret : *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus* (*Rom.* XV, 18).

IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS PRIMAM.

CAPUT PRIMUM. — *Non enim judicavi scire me aliquid* (*I Cor.* II, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 104.) *Pulli ejus lambunt sanguinem* (*Job* XXXIX, 30). Ac si aperte diceret : Ipsa quidem divinitatis contemplatione pascitur; sed quia auditores ejus divinitatis percipere arcana nequaquam possunt, cognito crucifixi Domini cruore satiantur. Sanguinem namque lambere, est passionis dominicæ infirma venerari : hinc est quod idem Paulus qui, sicut paulo ante jam diximus, ad tertii cœli secreta volaverat, discipulis dicebat : *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). Ac si aperte hæc aquila diceret : Ego quidem escam meam, divinitatis ejus potentiam, de longe prospicio, sed vobis parvulis adhuc incarnationis ejus tantummodo lambendum sanguinem trado. Nam qui per prædicationem suam, tacita divinitatis celsitudine, infirmos auditores de solo cruore crucis edocuit, quid aliud quam sanguinem pullis præbuit?

CAP. II. — *Quæ et loquimur non indoctis humanæ* (*I Cor.* II, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 74.) Doctrina sapientiæ et prædicatione pulchra est et pura veritate conspicua, nec aliud se per fallaciam prætendit exterius, et aliud reservat interius; neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. In mandatis igitur suis Dei sapientia non confertur tinctis Indiæ coloribus, quia dum fucata eloquentiæ ornamenta non habet, quasi vestis sine tinctura placet. Quam fucationem tincturæ bene Paulus despexerat, cum dicebat : *Quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus* (*I Cor.* II, 13). Malebat quippe hanc sapientiam sola puritate veritatis ostendere, non autem eloquii tinctione fucare.

CAP. III. — *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat* (*I Cor.* III, 7).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 64.) Nequaquam sibi doctores tribuant quod per exhortationem suam ad summa proficere auditores vident : quia nisi Spiritus sanctus eorum corda repleat, ad aures corporum vox docentium incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc imprimere interius non possunt : *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III, 7).

CAP. IV. — *Sapientia hujus mundi stultitia est* (*I Cor.* III, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 67.) Iniqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritalia ostendit. Nam quia teste Paulo *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III, 19), tanto quisque amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri.

CAP. V. — *Neque fornicarii neque adulteri regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 18.) Quamvis nonnunquam a reatu adulterii nequaquam discrepet culpa fornicationis, cum Veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V, 28). (Quia enim Græco verbo mœchus adulter dicitur, cum non aliena conjux, sed mulier videri prohibetur, aperte Veritas ostendit quia ex solo visu cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur.) Tamen plerumque ex loco vel ordine concupiscentis discernitur: quia sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia sicut illum adulterii inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus idem luxuriæ distinguitur reatus: in quibus fornicationis culpa quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, quæ inter cætera asserit, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 9). Qui enim adjuncto reatu sententiam subdidit, quam valde a se dissideat ostendit.

CAP. VI. — *Qui se existimat aliquid scire* (*I Cor.* VIII, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 62.) Perfecta sententia est scire omnia, et tamen juxta quemdam modum scientem se esse nescire: quia etsi jam Dei præcepta novimus, etsi jam virtutem verborum illius sollicita consideratione ponderamus, etsi jam quæ intellexisse nos credimus agimus, adhuc aperte eadem quali districtione examinis sint discutienda nescimus, necdum Dei faciem cernimus, necdum occulta ejus consilia videmus. Quanta ergo est nostra scientia, quæ quousque mortalitatis pondere premitur, ipso suæ incertitudinis nubilo cæcatur? De qua bene per Paulum dicitur: *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire* (*I Cor.* VIII, 2). In hoc itaque mundo dum vivimus, tunc perfecte quæ scienda sunt, scimus, cum proficientes ad intelligentiam nihil nos perfecte scire cognoscimus.

CAP. VII. — *Item ac supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 11.) Ait Apostolus: *Si quis existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire* (*Ibid.*). Quia enim prima stultitia angeli elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis humilitas suæ æstimationis: quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit quod semetipsum nescit.

CAP. VIII. — *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 9.) Videamus qualiter Paulo et arridetur jam per supernam gratiam, et ipse adhuc quasi non credit per suspicionis metum. Jam e cœlo illi Dominus loquens, ejusque interius oculos aperiens, exterius claudens, potentiam suæ majestatis ostenderat: jam de eo Ananiæ dixerat, *Vas electionis est mihi* (*Act.* IX, 15): jam in tertium cœlum super se raptus fuerat: jam in paradisum ductus, arcana verba quæ dicere non posset, audierat; et tamen adhuc timidus dicit: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX, 27). Ecce arridenti sibi divinæ gratiæ, et jam per spem credit, et necdum tamen credit per securitatem.

CAP. IX. — *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (*I Cor.* X, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 21.) Formidemus igitur in his quæ accepimus, nec eos qui illa necdum assecuti sunt desperemus. Quid enim sumus hodie novimus, quid autem post paulum possumus esse, nescimus. Hi vero quos fortasse despicimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur. Quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. Hunc autem supernorum judiciorum metum Paulus apostolus discipulorum cordibus incutiens ait: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (*I Cor.* X, 12).

CAP. X. — *Qui non patietur vos tentari supra quam potestis* (*I Cor.* X, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 46.) Alta quippe atque incomprehensibilis sancti Spiritus gratia, cum luce sua mentes nostras irradiat, etiam tentationes adversarii dispensando modificat ut simul multæ non veniant; ut ipsæ tantummodo quæ ferri possunt illustratam jam Deo animam tangant; ut cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant, Paulo attestante, qui ait: *Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* X, 13).

CAP. XI. — *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ* (*I Cor.* XII, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 21.) *Quis posuit mensuras ejus si nosti, vel quis tetendit super eum lineam* (*Job* XXXVIII, 5)? Quis enim nisi Conditor noster hujus terræ mensuras ponit, qui interni judicii secreto moderamine, alii sermonem sapientiæ; alii sermonem scientiæ; alii plenam fidem; alii gratiam sanitatum; alii operationem virtutum; alii prophetiam; alii discretionem spirituum; alii genera linguarum; alii interpretationem sermonum tribuit (*I Cor.* XII)? Quatenus in uno eodem spiritu iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrinæ fulciatur: quia sentire, atque invenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulgeat, nec tamen in verbo sapientiæ convalescat; quia et sufficit explere quantum didicit, et tamen ad sentiendum a semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem et elementis imperat, nec tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis opere morbos subtrahit, nec tamen arenti terræ verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat, et tamen prophetiæ gratiam non habens, quæ sibi ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, et tamen in nulla signorum operatione se exerit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit, sed tamen diversi generis linguas nescit. Ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua quam novit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit; et tamen reliquis bonis quæ non habet patienter caret.

CAP. XII. — *Si tradidero corpus meum ut ardeam* (*I Cor.* XIII, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 41.) Conflationis ignis qui extra catholicam toleratur Ecclesiam, quam nullius omnino virtutis sit, Paulus apostolus insinuat, dicens: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII, 3). Alii quippe prava de Deo sentiunt; alii recta de auctore tenent, sed unitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, isti vero schismatis perpetratione divisi sunt. Unde et ipsa parte Decalogi utrarumque partium culpæ reprimuntur, cum divina voce dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Deut.* VI, 4, 5). Atque mox subditur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Qui enim de Deo perversa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit: qui vero de Deo recta sentiens a sanctæ Ecclesiæ unitate divisus est, constat quia proximum non amat quem habere socium recusat. (Num. 42.) Quisquis ergo ab hac unitate matris Ecclesiæ sive per hæresim de Deo perversa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo, dividitur, charitatis hujus gratia privatur, de qua hoc quod præmisimus Paulus dicit: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem aute*

non habeam, nihil mihi prodest. Ac si aperta voce diceret : Extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus, tormento me cruciat, mundatione non purgat. Hunc omnes sanctæ pacis amatores summo studio locum quærunt, hunc quærentes inveniunt, hunc invenientes tenent : scientes, peccatorum remissio vel ubi, vel quando, vel qualibus detur. Ubi quippe nisi in catholicæ matris sinu ? Quando, nisi ante venturi exitus diem ? Quia, *Ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI, 2). Et : *Quærite Dominum dum inveniri potest ; invocate eum dum prope est* (*Isa.* LV, 6). Qualibus, nisi conversis, qui ad parvulorum imitationem magistra humilitate formantur ; quibus dicitur : *Sinite parvulos venire ad me ; talium est enim regnum cœlorum.* Et, *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 14).

CAP. XIII. — *Qui non sum dignus vocari apostolus* (*I Cor.* XV, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 20.) Paulus namque cum cæterorum sanctorum sollicitudinem in prædicatione robustius laborando transcenderet, ut ab elatione se premeret, et vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suæ antiquæ non immemor, apostolorum omnium innocentiam contemplatus, ait : *Ego minimus sum apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* XV, 9).

IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS SECUNDAM

CAPUT PRIMUM. — *Christi bonus odor sumus* (*II Cor.* II, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 32.) Unguentorum odoribus opinio solet signari virtutum. Unde sponsa in Canticis Sponsum desiderans, dicit : *In odore unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* I, 3). Et Paulus apostolus virtutum laude flagrare nesciens, dicit : *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II, 15).

CAP. II. — *Habemus thesaurum istum in vasis* (*II Cor.* IV, 7).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 8.) In se Paulus scientiæ divitias contemplatus, et contemplationem suam consideratione humanæ fragilitatis humilians, ait : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV, 7).

CAP. III. — *Ipse Satanas transfigurat se velut angelum* (*II Cor.* XI, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 58.) Aliud quippe ejus intrinsecus latet, atque aliud extrinsecus ostendit : *Transfigurat enim se velut angelum lucis* (*II Cor.* XI, 14). Et callida deceptionis arte plerumque proponit laudabilia, ut ad illicita pertrahat.

CAP. IV. — *Quid ergo mirum si ministri ejus* (*II Cor.* XI, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 44.) Membra ejus æpe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt, et prava quidem exhibent, sed sancta specie mentiuntur. Iniqui enim si aperte mali essent, a bonis recipi omnino non possent, sed sumunt aliquid de visione bonorum ; ut dum boni viri in eis recipiunt speciem quam amant, permixtum sumant etiam virus quod vitant. Unde quosdam Paulus apostolus intuens sub prædicationis velamine ventris studio servientes, ait : *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* XI, 14). Quid ergo mirum si ministri ejus transfigurantur velut ministri justitiæ ?

CAP. V. — *Si quis devorat, si quis accipit* (*II Cor.* XI, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 24.) Accipere namque et aliquando dicimus auferre. Unde et aves illæ quæ rapiendis sunt avibus avidæ, accipitres vocantur. Unde et Paulus apostolus dicit : *Sustinetis enim si quis devorat, si quis accipit* (*II Cor.* XI, 20). Ac si diceret : Si quis rapit.

CAP. VI. — *In quo quis audet, in insipientia dico* (*II Cor.* XI, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 37.) Prædicatores boni et honorem propter elationem fugiunt, et honorari tamen propter imitationem volunt. Sic nimirum Paulus apostolus discipulis loquens, et honorem fugit, et tamen quantum esset honorandus ostendit. Nam cum Thessalonicensibus diceret : *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ ; Deus testis est* (*Thess.* II, 5) ; secutus adjunxit : *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possimus honori esse ut Christi apostoli ; sed facti sumus parvuli in medio vestrum* (*Vers.* 6, 7). Rursus Corinthiis, honorem fugiens, dicit : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum Christum* (*II Cor.* IV, 5). Quos tamen videns falsorum apostolorum persuasionibus a vera fidei tramite deviare, eis se summopere, quantum esset venerandus ostendit, dicens : *In quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego. Hebræi sunt, et ego. Israelitæ sunt, et ego. Semen Abrahæ sunt, et ego. Ministri Christi sunt, et ego : ut minus sapiens dico, plus ego* (*II Cor.* XI, 21). Quibus etiam subjungit, quod ei quoque tertii cœli secreta patuerint, quod raptus etiam paradisi arcana penetravit. Ecce honorem fugiens, servum se discipulorum prædicat. Ecce honorem pro utilitate audientium quærens, falsis apostolis vitæ suæ merita superposuit. Egit quippe doctor egregius ut dum ipse qualis esset agnoscitur, et vita et lingua male prædicantium ejus comparatione [*Al.* prædicatione] vilesceret. Illos videlicet commendaret, si se absconderet ; cumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Miro igitur modo et humilitatis gratiam, et utilitatis quærit incrementa : ut et servum se discipulis prædicet, et adversariis potiorem demonstret. Ostendit discipulis quid humilitatis acceperit, ostendit adversariis quid sublimitatis.

CAP. VII. — *Quis infirmatur, et ego non infirmor* (*II Cor.* XI, 29) ?

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 18.) Per viscera charitatis quidquid in damno parvulorum sustinet, se perpeti animus perfectorum dolet. Infirmorum etenim damna ad corda fortium per compassionem transeunt. Unde per Paulum dicitur : *Quis infirmatur et ego non infirmor, quis scandalizatur et ego non uror* (*II Cor.* XI, 29) ? Tanto enim quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos.

CAP. VIII. — *Parce autem ne quis me existimet supra id quod videt in me* (*II Cor.* XII, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 13.) Omnes veraciter sancti non solum gloriam supra modum suum omnino non appetunt, sed etiam hoc ipsum videri refugiunt quod esse meruerunt. Unde ille prædicator egregius veritatis, contra pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, dum tot se pericula tolerasse coacervata persecutione describeret, et posthæc usque ad tertium cœlum, rursumque in paradisum raptum se esse memoraret ; ubi tanta cognoscere potuisset, quanta loqui omnino non posset : erat de se adhuc fortasse admirabiliora locuturus, sed ab humana laude alta consideratione se temperans, subdit : *Parco autem ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me* (*II Cor.* XII, 6). Habebat ergo adhuc dicendum de se aliquid qui parcit dicere, sed egit utrumque doctor

egregius, ut et loquendo quæ egerat discipulos instrueret, et tacendo se intra humilitatis limitem custodiret. Nimis namque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret; et fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet; sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque, ut loquendo erudiret vitam audientium, tacendo custodiret suam.

CAP. IX. — *Datus est mihi stimulus carnis (II Cor. XII, 7).*

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 11.) Paulum video fluminum, et latronum, et civitatis, et solitudinis, maris ac terræ pericula sustinentem, frenantem jejuniis ac vigiliis corpus, sustinentem frigoris et nuditatis ærumnam, ad Ecclesiarum custodiam vigilanter se ac pastoraliter exercentem, ad tertium cœlum raptum, rursumque eum in paradisum raptum, et audisse arcana verba quæ non licet homini loqui; et tamen Satanæ angelo ad tentandum conceditur. Orat ut eximi debeat, et non exauditur. Cujus cum ipsa initia conversionis aspicio, perpendo quod ei superna pietas cœlos aperit, seseque illi Jesus de sublimibus ostendit. Qui lumen corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit. Ad Ananiam mittitur, vas electionis vocatur; et tamen de civitate eadem quam post visionem Jesu ingressus fuerat, fugiens recedit, sicut ipse testatur, dicens: *Damasci præpositus Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, et per fenestram in sporta demissus sum per murum; et sic effugi manus ejus* (*II Cor.* XI, 32). Cui licenter dicam: O Paule, in cœlo jam Jesum conspicis, et in terra adhuc hominem fugis. In paradisum duceris, secreta Dei verba cognoscis, et adhuc a Satanæ angelo tentaris. Unde sic fortis ut ad cœlestia rapiaris; unde sic infirmus ut in terra hominem fugias, et adhuc a Satanæ angelo adversa toleres; nisi quia ipse qui te sublevat, rursum te subtilissima mensura moderatur: ut et in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, et rursum in timore tuo reminisci nos facias infirmitatis nostræ? Quæ tamen infirmitas ne in desperationem nos pertrahat cum pulsat, dum spe in infirmitate tua Dominum rogares, quia auditus non es, nobis quoque locutus es quid audisti: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII, 9). (Num. 12.) Aperta ergo Dei voce ostenditur, quia custos virtutis est infirmitas. Tunc quippe bene interius custodimur, cum per dispensationem tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris. Nam eis quoque quos viros novimus fuisse virtutum, tentationes atque certamina non defuere vitiorum. Hinc est enim quod ad consolationem nostram idem prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur, dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Ad ima quippe trahit caro, ne extollatur spiritus; et ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis, caro aggravat ne extollamur ex summis. Si non sublevante spiritu nos caro A tentaret, perfectione proculdubio tentationis suæ in ima dejiceret. Rursum vero si non tentante carne ad summa nos spiritus sublevaret, in superbiæ casu, ipsa nos pejus sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine ut dum unusquisque sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum nec elationis incurrat: quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit; nec rursum intentio interior in superbiam elevat, quia tentatio exterior humiliat dum gravat: sicque magno ordine cognoscimus in interiori provectu quid accepimus, in exteriori defectu quid sumus: et miro modo agitur ut nec virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperet; quia dum spiritus trahit, et caro retrahit, subtilissimo judicii interni moderamine infra summa, et supra infima in quodam medio anima libratur.

CAP. X. — *Item ac supra.*

B (In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 26.) Maxilla tamen Behemoth istius perforata, intelligi et aliter potest, ut in ore tenere dicatur, non quos jam perfecte peccato implicat, sed quos adhuc peccati persuasionibus tentat: quatenus ei quemlibet mandere sit, de peccati eum delectatione tentare. Mandendum quidem, sed non deglutiendum acceperat Paulum, quando illum post tot revelationum sublimia stimulus carnis agitabat (*II Cor.* XII). Tunc ergo cum contra illum licentiam tentationis accepit, in maxilla eum tenuit, sed perforata. Qui vero elatus perire poterat, tentatus est, ne periret: tentatio ergo illa non vorago vitiorum, sed custodia meritorum fuit: quia Leviathan iste fatigando eum in afflictionem contrivit, sed non in culpam capiendo devoravit.

CAP. XI. — *Factus sum insipiens (II Cor. XII, 11).*

C (In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 42.) Paulus disciplinam tenuit, cum Corinthiis diceret: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (*II Cor.* III, 3)? Sed humilitatem in disciplina non perdidit, quia deprecando præmonuit, dicens: *obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* (*II Cor.* I, 10). Rursum formam humilitatis tenuit, cum eisdem Corinthiis loquens, paulo latius fortasse quam voluerat semetipsum reprehendit, dicens: *Factus sum insipiens* (*II Cor.* XII, 11). Sed disciplinam in hac humilitate non perdidit, quia illico adjunxit: *Vos me coegistis.* Exemplum magnæ humilitatis exhibuit, cum discipulis dixit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Christum.* Sed in hac humilitate disciplinæ justitiam non amisit, qui eisdem delinquentibus dicit: *Quid vultis, in virga veniam ad vos* (*I Cor.* IV, 21)? Sciunt ergo prædicatores sancti utroque moderamine artem magisterii temperare: et cum delinquentium reatus inveniunt, sciunt modo severe corD ripere, modo humiliter deprecari.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

CAPUT PRIMUM. — *Deinde autem post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam* (*Gal.* I, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 30.) Sciendum summopere est quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est: aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat: neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda hujus vitæ prospera libidinii propriæ ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci, et contumeliæ jubentur, nisi et ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit: ad detrimentum quippe obedientia adducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus sæculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia, et in adversis ex suo aliquid habere, et rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere: quatenus et in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur, et in prosperis tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa quam divinitus percipit, gloria funditus ex mente separatur. (Num. 31.) Sed hoc quidem vir-

tutis pondus melius ostendimus, si cœlestis patriæ duorum heroum facta memoremus. Moyses namque cum in deserto oves pasceret, Domino per Angelum in igne loquente vocatus est, ut eripiendæ omni Israelitarum multitudini præesset (*Exod.* III); sed quia apud se mente humilis exstitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens : *Non sum eloquens ab heri, et nudiustertius. Ex quo cœpisti loqui ad servum tuum, tardioris et impeditioris linguæ factus sum* (*Exod.* IV, 10). Et se postposito mitti alium postulat, dicens : *Mitte quem missurus es* (*Vers.* 13). Ecce cum auctore linguæ loquitur, et ne tanti regiminis potestatem suscipiat, eliuguem se esse causatur. Paulus quoque divinitus fuerat admonitus, ut Jerosolymam ascendere debuisset, sicut ipse Galatis dicit : *Deinde post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam, assumpto Barnaba et Tito; ascendi autem secundum revelationem* (*Galat.* II, 1). Isque in itinere cum Prophetam Agabum reperisset (*Act.* XX), quanta se adversitas in Jerosolymis maneret audivit : scriptum quippe est quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens, dixit : *Virum cujus zona hæc est, sic alligabunt in Jerusalem* (*Ibid.* XI). A Paulo autem protinus respondetur : *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu; neque enim pretiosiorem facio animam meam quam me* (*Vers.* 13). Præceptione igitur revelationis Jerosolymam pergens adversa cognoscit, et tamen hæc libenter appetit : audit quæ timeat, sed ad hæc ardentius anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israeliticæ plebi præferatur : Paulus ad adversa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fervescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit jubente declinare; iste, Deo aspera et dura disponente, studuit ad graviora animum præparare. Præeunte ergo utrorumque ducum facto instruimur, ut si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione inclinemur.

CAP. II. — *Filioli mei quos iterum parturio* (*Gal.* IV, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 47.) Prædicatores enim sancti nunc in lacrymis seminant, ut segetem postmodum gaudiorum metant. Nunc quasi cervæ in dolore partus sunt, ut spiritali prole postmodum sint fecundi. Ut enim unum de multis loquar, video Paulum quasi quamdam cervam in partu suo magni doloris rugitus emittentem. Ait enim : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, vellem esse apud vos modo, et mutare vocem meam; quoniam confundor in vobis* (*Galat.* IV, 19). Ecce mutare vult vocem in partu suo, ut prædicationis sermo in rugitum vertatur doloris; mutare vult vocem, quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum hæc cerva pariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare cogebatur, dicens : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit!* et : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?* Vel certe : *Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire* (*Galat.* III, 1)? Qualis in hujus cervæ partu rugitus fuit, quæ diu conceptos filios cum tot difficultatibus peperit, et quandoque partos ad malitiæ uterum redisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ et postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare?

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

CAPUT UNICUM. — *Renovamini spiritu mentis* (*Ephes.* IV, 23).

(In expositione B. Job, lib. XXV, num. 14.) Electorum est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere; et omne quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare. Sicut enim non sentimus quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canos (hæc quippe omnia nobis nescientibus aguntur in nobis), ita mens nostra per momenta vivendi, ipso curarum usu a semetipsa permutatur; et non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros quotidie defectusque pensemus. Hoc ipsum enim in hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est. Et cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur; quia sui negligens, et propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. Unde et per prophetam sub Ephraim specie dicitur : *Comederunt alieni robur ejus, et nescivit : sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit* (*Osee* VII, 9). Cum vero semetipsam quærit, et subtiliter pœnitendo se discutit, ab hac ipsa vetustate sua lota lacrymis et mœrore incensa renovatur, et quæ jam pene inveterata frixerat, per subministrata interni amoris studia novum calet. Unde Paulus apostolus usu mortalis vitæ veterascentes discipulos admonet, dicens : *Renovamini spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV, 23). (Num. 15.) Sed ad hæc agenda, valde exempla patrum, et sacri eloquii præcepta nos adjuvant. Si enim sanctorum opera inspicimus, et divinis jussionibus aurem præbemus, alia nos contemplata, alia audita succendunt, et cor nostrum torpore non constringitur, dum imitatione provocatur.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM. — *Inter quos lucetis sicut luminaria magna* (*Philip.* II, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 22.) Per stellas singulorum bene viventium animæ designantur, qui inter pravorum hominum conversationes, dum magnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent. Unde per Paulum quoque discipulis dicitur : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II, 15).

CAP. II.—*Fratres, ego me non arbitror comprehendisse* (*Philip.* III, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 12 et 13.) Sancti viri de his quæ se minus egisse intelligunt, tristitiam requirunt; indignos se existimant, et pene soli bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Hinc est quod Paulus dum expleta in se bona postponeret, et sola adhuc reliqua quæ essent explenda cogitaret, dicit : *Ego me non arbitror apprehendisse* (*Philip.* III, 13). Hinc est quod ut posset se de bonis quæ agebat humiliare, studebat ad animum præterita mala reducere, dicens : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus* (*I Tim.* I, 13). Qui etsi aliquando dixit : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi* (*II Tim.* IV, 7), *fidem servavi*; intuendum summopere est, quia ea illo tempore intulit, quo jam ex tempore discessurum se esse cognovit. Ibi quippe præmisit, dicens : *Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat* (*Ibid.* 6). Tunc ergo ad memoriam perfectionem reduxit operis, cum jam prævidit ad largitatis spatium

minime subesse tempus operationis. Sicut enim dum vivimus, debemus bona nostra a memoria repellere ne extollant, ita appropinquante exitu, plerumque ea ad memoriam juste revocamus, ut videlicet fiduciam præbeant, et desperatum timorem premant. Qui etsi Corinthiis enumerando bona sua narravit, illos confirmare studuit, non se ostendere. Nam quia eadem bona non in se ostenderet, patefacta tribulatione propriæ tentationis edocuit, qua expressa subjunxit : *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis* (*II Cor.* XII, 10). Ut ergo discipulos instrueret, de se summa referebat; ut vero se in humilitate custodiret, considerationis oculum, non in virtutibus suis, sed in infirmitatibus fixerat.

Cap. III. — *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 95.) Videamus aquilam nidum sibi in arduis construentem. Ait : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Et rursum : *Qui conresuscitavit, et consedere nos fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II, 6). Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cum se consedere Christo in cœlestibus testaretur; sed ibi erat ubi jam ardentem mentem fixerat, non illic ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. Hoc namque esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt præsentis vitæ viam carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta provenisse; quatenus cuncta quæ præterfluunt, sub se esse videant; atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent.

Cap. IV. — *Non quæro datum, sed requiro fructum* (*Philip.* IV, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 22.) Sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur, et quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet; non quod ideo prædicent ut alantur, sed ideo alantur ut prædicent; id est ut prædicare subsistant; non ut in intentionem sumendi victus transeat actio prædicationis, sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. A bonis ergo prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. Et quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur : *Non quæro datum, sed requiro fructum* (*Philip.* IV, 17). Datum quippe, est res ipsa quæ impenditur; fructus vero dati est, si benigna mente futuræ mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde. Et quia discipulorum suorum apostolus mercede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatetur. Unde et subdidit protinus, dicens : *Habeo autem omnia, et abundo* (*Vers.* 18).

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Caput Unicum. — *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis* (*Coloss.* III, 9).

(In expositione B. Job, lib. XIX, num 53.) Cunctis vera scientibus liquet, quod ad vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Hinc etenim Paulus dicit : *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum* (*Coloss.* III, 9). Hinc rursus ait : *Vetus homo noster simul crucifixus est* (*Rom.* VI, 6). Hinc Psalmista ex typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit : *Inveteravi inter omnes inimicos meos* (*Psal.* VI, 8). A fervore etenim mentis, vel inter carnales inimicos ipso aliquomodo vivendi usu veterascimus, et assumptæ novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate si quotidie studia circumspectionis invigilant orando, legendo, bene vivendo, renovamur; quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur.

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES PRIMAM.

Caput Unicum. — *Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus* (*Thess.* II, 18).

(In expositione B. Job, lib. XXVII, num. 56.) Sæpe enim prædicatores sancti exhortari quosdam volunt, sed nequeunt; sæpe quosdam declinare appetunt, sed tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantissime compelluntur. Videamus nubem Dei, quomodo gubernantis manu, et ad ea quæ non appetit ducitur, atque ab impulsu suo iterum gubernantis manu retinetur. Certe Paulus cum vestimenta sua excutiens a Corinthiis discedere vellet, audivit : *Noli timere, sed loquere, et ne taceas, quoniam ego tecum sum, et nemo apponetur tibi ut noceat te, quoniam multus est mihi populus in hac civitate* (*Act.* XVIII, 9). Rursum cum ad Thessalonicenses voluisset ire retentus est, dicens : *Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, et semel et iterum; sed impedivit me Satanas* (*I Thess.* II, 18). Neque enim per semetipsum Satan præpedire vias tanti apostoli potuit, sed occultæ dispensationis nutibus, dum adversatur, nesciens deservivit. Ut nimirum Paulus dum ad alios vellet accedere, nec valeret, eis a quibus recedere non poterat, aptius prodesset.

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES SECUNDAM.

Caput Primum. — *Extollens se super omne quod dicitur Deus; Deus autem* (*Thess.* II, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 18.) Superba Antichristi celsitudo, quæ super reprobas mentes hominum fastu gloriæ sæcularis erigitur, ita ut homo peccator, et tamen æstimari homo despiciens, Deum se super homines mentiatur. Unde Paulus apostolus dicit : *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se, tanquam sit Deus* (*II Thess.* II, 4). Cujus ut tumorem plenius ostenderet, præmisit : *Qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Deus enim dici aliquando et homo potest juxta quod ad Moysen dicitur : *Ecce constitui te Deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1). Deus vero colli purus homo non potest. Quia vero se Antichristus, et super sanctos quosque homines, et super ipsius potentiam divinitatis extollit, per exactum sibi nomen gloriæ, et hoc quod Deus dicitur, et hoc quod Deus colitur, transire conatur. Notandum vero est in quantam superbiæ foveam cecidit, qui in mensura ruinæ qua lapsus est, non permansit. Diabolus quippe vel homo ab statu conditionis propriæ elata mente corruerunt, ut vel ille diceret : *Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13). Vel iste audiens crederet : *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*Genes.* III, 5). Idcirco ergo uterque cecidit, quia

esse Deo similis non per justitiam, sed per potentiam concupivit; sed homo per gratiam liberatus qui Dei similitudinem perverse appetendo ceciderat, in reatu criminis sui longe Deo imparem se esse cognoscens, clamat : *Domine, quis similis tibi* (*Psal.* LXXXVIII, 8)? Diabolus vero in lapsus sui crimine juste dimissus, in mensura ruinæ suæ minime permansit, sed quanto diu ab omnipotentis gratia defuit, tanto magis reatum criminis cumulavit. Nam qui ideo cecidit, quia perverso ordine Deo esse similis voluit, eo usque perductus est, ut in Antichristum veniens, videri Deo esse similis dedignetur, atque eum quem habere non potuit superbus æqualem, damnatus inferiorem putet. Nam cum de illo hoc quod jam præmisimus, dicitur : *Extollens se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*; aperte monstratur, quia appetendo dudum Dei similitudinem, quasi juxta Deum se erigere voluit, sed in superbiæ culpam crescendo, jam se supra omne quod dicitur Deus et colitur, extollit.

CAP. II. — *Ut revelaretur in suo tempore : nam mysterium* (*Thess.* II, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 15.) Joannes ait : *Nunc Antichristi multi facti sunt* (*I Joan.* II, 18); quia iniqui omnes jam membra ejus sunt : quæ scilicet perverse edita caput suum male vivendo prævenerunt. Hinc Paulus ait : *Ut reveletur in suo tempore, nam mysterium jam operatur iniquitatis* (*II Thess.* II, 6). Ac si diceret : Tunc Antichristus manifestus videbitur; nam in cordibus iniquorum secreta sua jam nunc occultus operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam, ecce alius fratri in corde suo tacitus invidet, et si occasionem reperiat, eum supplantare contendit; cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24)? Alius magni meriti esse se æstimans, per tumorem cordis cunctis se præferens, omnes semetipso inferiores credit : cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est : *Omne sublime videt : et ipse est rex super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI, 25)? Alius mundi hujus potentiam quærit, non quo aliis prosit, sed quo ipse subditus alteri non sit; cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est : *Qui dixit, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium : similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13)? Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, ut alteri subesse non possit. Quem diabolus imitari perverse voluit cum suum dominium quærens, ei subesse recusavit. Imitatur ergo diabolum quisquis idcirco potestatem suam appetit, quia ei qui sibi est superna ordinatione præpositus, subesse fastidit. (Num. 16.) Sunt præterea plurima quæ quosdam in ipsa pace Ecclesiæ constitutos infideles esse renuntient. Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, ut requisiti ab eo, pro favore ejus non dubitent in causa proximi verum negare. Et quis est veritas nisi ille qui dixit : *Ego sum Via, Veritas et Vita* (*Joan.* XIV, 6)? Neque enim Joannes Baptista de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus occubuit; sed quia Christus est Veritas, ad mortem usque idcirco pro Christo, quia videlicet pro veritate, pervenit. Ponamus ergo ante oculos quod aliquis percunctatus personam potentis accepit, et ne verbi saltem injuriam pateretur, veritatem negavit. Quid rogo iste faceret in dolore pœnarum, qui Christum erubuit inter flagella verborum? Ecce et posthæc ante oculos hominum adhuc Christianus est, et tamen si eum Dominus districte disposuit judicare, jam non est. (Num. 17.) Video autem alios, quibus per locum magisterii, exhortandi sunt officia arguendique commissa; qui vident aliquid illicitum admitti, et tamen, dum quorumdam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt. Quisquis iste est, quid aliud fecit, nisi vidit lupum venientem et fugit? Fugit quia tacuit, quia despecta æterna gratia temporalem gloriam plus amavit. Ecce ante potentis faciem intra sui se latebras silentii abscondit, et sicut persecutioni publicæ, sic occultum locum dedit timori. Bene de talibus dicitur : *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei* (*Joan.* XII, 43). Quisquis igitur talis est, si hæc districte judicantur, et persecutio publica defuit, et tamen tacendo Christum negavit. Non ergo desunt, vel in pace Ecclesiæ Antichristi tentamenta. Nemo itaque illa persecutionis extremæ tempora, quasi sola perhorreseat; apud iniquos namque quotidie res Antichristi agitur, quia in eorum cordibus mysterium suum, jam nunc occultus operatur.

CAP. III. — *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*Thess.* II, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 12.) *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (*Thessal.* II, 8), qui non angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per adventum judicis solo oris spiritu æterna morte ferietur.

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEUM PRIMAM.

CAPUT PRIMUM. — *Et lucem habitat inaccessibilem* (*Tim.* VI, 16).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 91.) Videbimus igitur Deum, ipsumque est præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras accessa ejus luce gaudeamus. (Num. 92.) Sed cum ejus lucem dicimus accessam, obsistit animo quod Paulus dicit : *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest* (*I Tim.* VI, 16). Ecce rursus audio quod Psalmista ait : *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Quomodo ergo accedendo illuminamur, si ipsam lucem qua illuminari possumus non videmus? Si vero accedendo ipsam qua illuminamur lucem videmus, quomodo inaccessibilis esse perhibetur? Qua in re pensandum est quod inaccessibilem dixit omni homini, sed humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine notare solet. Unde idem Apostolus quibusdam discordantibus dicit : *Cum enim sint inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (*I Cor.* III, 3)? Quibus paulo post subjecit : *Nonne et homines estis?* et unde alias testimonium protulit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9). Et cum hoc hominibus dixisset absconditum, mox subdidit : *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum*; ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui raptus super hominem divina jam saperet. Ita etiam hoc loco cum lucem Dei inaccessibilem perhiberet, ut ostenderet quibus, subdidit : *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.* More suo homines vocans omnes humana sapientes; quia qui divina sapiunt, videlicet supra homines sunt. Videbimus igitur Deum si per cœlestem conversationem supra homines esse merearmur; nec tamen ita videbimus sicut videt ipse semetipsum. Longe quippe dispariter videt Creator se, quam videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur quo creatura sumus. (Num. 98.) Sic profecto non ita conspicimus Deum, sicut ipse conspicit se; sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra vel requies, erit utcunque similis visioni vel requiei illius, sed æqualis non erit. Ne enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis penna nos sublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum; raptique intentione cor-

dis et dulcedine contemplationis, aliquomodo a nobis imus in ipsum; et jam hoc ipsum ire nostrum minus est requiescere; et tamen sic ire, perfecte requiescere est. Et perfecta ergo requies est, quia Deus discernitur, et tamen æquanda non est requiei illius qui non a se in alium transit ut quiescat. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis; quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Namque ut beati atque æterni simus in æternum, imitamur æternum. Et magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis, nec exortes sumus ejus quem imitari possumus; quia et videntes participamur, et participantes imitamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæternam Dei sapientiam quam modo per ora prædicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte biberimus.

A

Cap. II. — *Devitans profanas vocum novitates* (*I Tim.* VI, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 39.) Sæpe hæretici dum sua student perversa adstruere, ea proferunt quæ profecto in sacrorum librorum paginis non tenentur. Unde et discipulum suum prædicator egregius admonet, dicens: *O Timothee! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* (*I Tim.* VI, 20). Quia dum laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur. Sicque fit ut dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant.

IN EPISTOLAM AD TITUM.

Caput Unicum. — *Si quis sine crimine est* (*Tit.* I, 6).

(In expositione B. Job, lib. XXI, num. 19.) Hoc inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen; et in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. Unde et prædicator sanctus, cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit: Si quis sine peccato, sed: *Si quis sine crimine est* (*Tit.* I, 6). Quis vero esse sine peccato valeat, cum Joannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). In qua videlicet peccatorum et criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, nam crimina exstinguunt.

B

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Caput Primum. — *Et non docebit ultra unusquisque* (*Hebr.* III, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 17.) Quid enim cœlorum ratio accipitur, nisi vis superna secretorum, quid per cœli concentum, nisi concors prædicantium sermo designatur? Conditor igitur noster cum cœlorum rationem narrare cœperit, dormire cœli concentum facit; quia cum jam nobis per speciem ostenditur, nimirum prædicantium verba subtrahuntur. Hinc enim per Jeremiam Dominus dicit: *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus* (*Jerem.* XXXI, 34). Hinc Paulus ait: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur* (*I Cor.* XIII, 8).

C

Cap. II. — *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem* (*Hebr.* VI, 7).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 20.) Si peccatoris animus pulvis est: quia in superficie attollitur, et tentationis aura raptatur; unde scriptum est: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I, 5); nil obstat intelligi animam justi, de qua scriptum est: *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam, opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem* (*Hebr.* VI, 7).

Cap. III. — *Confitentes quod peregrini et hospites sint super terram* (*Hebr.* XI, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 48). Quis autem in hoc mundo perigrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam novit in cœlestibus, et tanto magis illic sperat invenire se propria, quanto hic cuncta quæ prætereunt esse a se deputat aliena? Peregrinus itaque est populus, omnium numerus electorum, qui hanc vitam quoddam sibi exsilium deputantes, ad supernam patriam tota cordis intentione suspirant; de quibus Paulus dicit: *Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram* (*Hebr.* XI, 13). Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Hanc peregrinationem idem quoque Apostolus tolerabat, cum diceret: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* V, 6). Hujus peregrinationis ærumnas satagebat evadere, cum dicebat: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse* (*Philip.* I, 23). Et rursum: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Vers.* 21). Hujus peregrinationis pondus grave sentiebat Psalmista, cum diceret: *Heu me, quod incolatus meus, prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea* (*Psal.* CXIX, 5). Ab hac eripi quantocius anhelabat, cum supernis desideriis flagrans diceret: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI, 3).

D

Cap. IV. — *Invisibilem enim tanquam videns sustinuit* (*Hebr.* XI, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 21.) Perversi quique dum interna non appetunt, in suis se cogitatibus foras fundunt: unde eis per Prophetam dicitur: *Redite prævaricatores ad cor* (*Isa.* XLVI, 8). Et rursum: *Væ qui cogitatis inutile* (*Mich.* II, 1). In actionibus quippe suis verentur homines quos corporaliter vident, et Deum sibi præsentem non æstimant esse quem non vident. Quo contra in laudem justi dicitur, dum Ægypti regem contemneret, et Dei mandatis obediret: *Quia invisibilem tanquam videns sustinuit* (*Hebr.* XI, 27). Perversum quippe terræ principem quasi non vidit, quem ab oculis cordis sui abjecit: regem vero invisibilem tanquam videns sustinuit, quia ab ejus timoris intuitu mentis oculum non deflexit.

[a] ALULFI

DE EXPOSITIONE NOVI TESTAMENTI.

Pars prima,

IN QUA EXPLANANTUR QUATUOR EVANGELIA.

PRÆFATIO.

De quatuor Evangelistis, per quatuor animalia designatis.

(Hom. 2, in Ezech., num. 18; hom. 3, in Ezech., num. 1; hom. 4, in Ezech., num. 1.) Per sancta quatuor animalia, quæ Ezechieli prophetæ (*Ezech.* 1) ostenduntur in visione, sancti quatuor evangelistæ, Matthæus videlicet, Marcus, Lucas et Joannes figurantur : et sub evangelistarum personis omnes simul perfecti significantur. Nec immerito per evangelistas quatuor perfectorum omnium numerus exprimitur : quia omnes, qui in Ecclesia modo perfecti sunt, perfectionis suæ rectitudinem per eorum Evangelium didicerunt. Sancta itaque quatuor animalia, per quæ quatuor Evangelistæ significantur, subtili narratione describuntur ab Ezechiele, cum dicitur : *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni.* Quid per faciem nisi notitia, et quid per pennas, nisi volatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisque agnoscitur, per pennam vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque pertinet ad fidem, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur; sicut ipse de suis ovibus dicit : *Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* x, 14). Qui rursus ait : *Ego scio quos elegerim* (*Joan.* xiii, 18). Per contemplationem vero, qua super nosmetipsos tollimur, quasi in aerem levamur. Quatuor ergo facies uni sunt : quia si requiras quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat; hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas et Joannes. Si quæras quid Joannes sentiat; hoc procul dubio quod Lucas, Marcus et Matthæus. Si quæras quid Marcus; hoc quod Matthæus, Joannes et Lucas. Si quæras quid Lucas; hoc quod Joannes, Matthæus et Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt, quia notitia fidei, qua cognoscuntur a Deo, ipsa est in uno, quæ est simul in quatuor. Quidquid enim in uno inveneris, hoc in omnibus simul quatuor recognosces. Et quatuor pennæ uni, quia Dei omnipotentis Filium Dominum nostrum Jesum Christum simul omnes concorditer prædicant, et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet, penna ad divinitatem : quia in eum, quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed dum hunc esse incircumscriptum et incorporeum ex divinitate annurtiant, per contemplationis pennam, quasi in aerem levantur. Quia itaque, et una est fides incarnationis ejus in omnibus, et par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte dicitur : *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni.* Deinde etiam hæc eadem sancta animalia subtilius describuntur, ut per hæc Evangelistarum significari personas ipsa nobis subtilitas descriptionis aperiat, nihilque sermo Dei A nostro intellectui dubietatis relinquat. Dicitur enim : *Similitudo vultus eorum, facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor : facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Quod enim quatuor hæc animalia pennata sanctos quatuor Evangelistas designent, ipsa uniuscujusque libri evangelici exordia testantur. Nam quia ab humana generatione cœpit, jure per hominem Matthæus; quia per clamorem in deserto, recte per leonem Marcus; quia a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas; quia vero a divinitate Verbi cœpit, digne per aquilam significatur Joannes. Qui dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1, 1); dum in ipsam divinitatis substantiam intendit, quasi more aquilæ in solem oculos fixit. Sed quia electi omnes membra sunt Redemptoris nostri, ipse autem Redemptor noster caput est electorum omnium : per hoc quod membra ejus figurata sunt, nil obstat, si in his omnibus etiam ipse signetur. Ipse enim unigenitus Dei Filius veraciter factus est homo : ipse in B sacrificio redemptionis nostræ dignatus est mori, ut vitulus : ipse per virtutem suæ fortitudinis surrexit, ut leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibetur : quia in ipsa morte, in qua ex humanitate Redemptor noster dormire potuit, ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit. Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens ad cœlos, in superioribus est elevatus, ut aquila. Totum ergo simul nobis est, quia et nascendo homo, et moriendo vitulus, et resurgendo leo, et ad cœlos ascendendo aquila factus est. Sed quia per hæc animalia Evangelistas quatuor, et sub eorum specie simul perfectos omnes jam superius significari diximus; restat ut quomodo unusquisque electorum istis animaliuni visionibus exprimatur, ostendamus.

Omnis etenim electus et in via Domini perfectus, et homo, et vitulus, et leo simul, et aquila est. Homo enim rationale est animal : Vitulus autem in sacrificio mactari solet. Leo vero fortis est bestia, sicut scriptum est : *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum* (*Prov.* xxx, 30). Aquila ad sublimia volat, et irreverberatis oculis solis radios intendit. Omnis itaque, qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniam semetipsum ab hujus sæculi voluptate mortificat, vitulus est. Quia vero ipsa sua spontanea mortificatione contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, leo est. Unde scriptum est : *Justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit* (*Prov.* xxviii, 1). Quia vero sublimiter contemplatur ea quæ cœlestia et æterna sunt, aquila est. Igitur quoniam justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis leo, per contemplationem vero efficitur aquila, recte per hæc sancta animalia signati

[a] Cur expositionem hanc Paterianæ attexamus collectioni, aperuimus in Præfatione. De Alulfo legenda quæ ibidem diximus.

unusquisque perfectus potest. Quod idcirco dicimus, ut ea quæ de quatuor animalibus dicta sunt pertinere etiam ad perfectorum singulos demonstremus.

Sed magna nobis de iisdem evangelistis et sanctis prædicatoribus quæstio oritur, cur homo et leo a dextris ipsorum quatuor, vitulus vero a sinistris ipsorum quatuor esse perhibeatur. Neque enim sine mira ratione est, cur duo illa a dextris, et unum hoc esse a sinistris dicatur. Et rursum quærendum est cur aquila non a dextris, vel sinistris, sed desuper ipsorum quatuor esse memoretur. Duas itaque nobis quæstiones objecimus, quas oportet ut aperiente Domino, dissolvamus. Homo igitur et leo a dextris, vitulus vero a sinistris esse perhibetur. A dextris etenim læta, a sinistris vero tristia habemus. Unde et sinistrum nobis esse dicimus hoc quod adversum esse deputamus. Et sicut præfati sumus, per hominem incarnatio, per vitulum passio, per leonem vero auctoris nostri resurrectio designatur. De incarnatione autem unigeniti Filii, qua redempti sumus, omnes electi lætati sunt: de morte vero illius, ipsi electorum primi sancti apostoli contristati, qui iterum de ejus resurrectione sunt gavisi. Quia ergo et nativitas ejus, et resurrectio lætitiam discipulis præbuit quos ejus passio contristavit, homo et leo a dextris, vitulus vero a sinistris fuisse describitur. Ipsi namque sancti evangelistæ de ejus humanitate gavisi sunt, de ejus resurrectione confirmati, qui de ejus passione fuerant contristati. Homo ergo et leo eis a dextris est, quia Redemptoris nostri eos incarnatio vivificavit, resurrectio confirmavit. Sed vitulus a sinistris, quia mors illius eos ad momentum temporis in infidelitatem prostravit. Jure autem locus aquilæ non juxta, sed desuper esse describitur, quia sive per hoc, quod ejus ascensionem signat, seu quia Verbum Patris, Deum apud Patrem esse denuntiat, super Evangelistas cæteros virtute contemplationis excrevit, cum quibus et simul de ejus deitate loquitur, hanc tamen omnibus subtilius contemplatur. Sed si aquila cum aliis tribus adjuncta, quatuor animalia esse memorantur, mirum quomodo desuper ipsorum quatuor esse describitur, nisi quia Joannes per hoc, quod in principio Verbum vidit, etiam super semetipsum transiit; nam nisi et se transiisset, Verbum in principio non vidisset. Qui ergo et semetipsum transgressus est, non jam solummodo super tria, sed adjuncto et se, super quatuor fuit. Præterea de eisdem sanctis animalibus quærendum est, cum singulis distincta imaginibus describantur, ut aliud homini, aliud leoni, aliud vitulo, aliud aquilæ simile dicatur, quid sit quod paulo superius de omnibus simul dicatur: *Similitudo hominis in eis?* Sed quis hic homo describitur, nisi ille, de quo scriptum est: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II, 6). Hæc itaque animalia, ut surgere valeant ad sanctitatis virtutem, ad hujus hominis tendunt similitudinem; sancta enim non essent si hujus hominis similitudinem non haberent, quia quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudinis spiritu, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore charitatis est, hoc ab ipso fonte misericordiæ, ab ipsa radice mansuetudinis Dei, ab ipsa virtute justitiæ, id est a Mediatore Dei et hominum Domino Deo traxerunt.

Hujus se hominis similitudinem habere prædicator egregius ostendit, dicens: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI, 1). Ad ejus nos similitudinem surgere admonet, cum dicit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo descendit* (*I Cor.* XV, 49). Sanctus etenim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis dicitur, in quantum vitam sui Redemptoris imitatur. Nam ejus mandatis et operibus discordare, quid est aliud quam a similitudine longe recedere? Ad hujus similitudinem hominis surgere festinabat Propheta, cum diceret: *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas* (*Psal.* CXVIII, 15). Qui enim tacitus in mente vias Domini considerat, et sese exercere in mandatis illius festinat, quid aliud in semetipso nisi imaginem novi hominis reformat? Quod quia in sanctorum cordibus incessanter agitur, recte de sanctis animalibus dicitur quod in eis est similitudo hominis, quia quod sancta, quod mira sunt, hoc in eis de specie similitudinis est, id est de virtute imitationis.

Præfatiuncula de beato Matthæo.

(In expos. beati Joh, lib. XVIII, num. 43, 44.) Omnipotens Deus, occulto consilio, quosdam ab ipsis ætatis suæ exordiis innocentes custodiens, usque ad virtutum culmen provehit, alios autem in exordiis suis deserens, scaturientibus vitiis, ire per abrupta permittit. Plerumque tamen etiam eos respicit, et ad sequendum se sancti amoris igne succendit, atque inolitas in eorum cordibus prurigines vitiorum, vertit in fervorem virtutum: et eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubescunt suæ memoriam iniquitatis. De talibus evangelista Matthæus fuerat, qui terrenis negotiis implicatus, telonii usibus serviebat: sed cum eum Dominus ad telonium sedentem videret, ut ad se revocaret, cor ejus durum et frigidum, divini amoris igne tactum succenditur, et a terrena, quam prius tenuit, actione separatur, et ad sequendam cœlestem vitam desideriorum æstu roboratur, ut, sicut prius durus fuerat in amorem sæculi, ita postmodum se fortem exhiberet in amorem Dei; et quod antea renuebat audire, jam credere inciperet et prædicare. Sanctæ quippe Ecclesiæ fortis propugnator exstitit, cujus videlicet lingua, quasi acutissimo gladio, Evangelii administratione Dominus infidelium corda transfixit. Qui igitur infirmus prius despectusque per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cœlestia prædicamenta. Non ergo in eo debet despici quid quid fuit, qui jam cœpit esse quod non fuit.

LIBER PRIMUS.

Expositio Evangelii secundum Matthæum.

CAPUT PRIMUM. — *Abraham genuit Isaac; Isaac genuit Jacob* (*Matth.* I, 2).

(Homil. 25, in Evang., n. 8, et exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 17.) Dominus noster Jesus Christus ad redemptionem humani generis veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Quis enim nesciat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca quippe provocat, ut aculeus pungat. Assumpsit itaque Dominus noster corpus, ut in eo diabolus quasi suam escam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo injuste appetiit, eos, quos quasi juste tenebat, amisit. In hamo ergo incarnationis ejus captus est, quia, dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis.

Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se devoratorem A duceret, ibi divinitas quæ perforaret; ibi aperta infirmitas quæ provocaret, ibi occulta virtus quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit unde devoravit; et in Redemptore nostro, dum per satellites suos escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Quasi hamus quippe fauces glutientis tenuit, dum in illo et esca carnis patuit, quam devorator appeteret; et divinitas passionis tempore latuit, quæ necaret. In hac quippe aquarum abysso, id est in hac immensitate generis humani, ad omnium mortem inhians, vitam pene omnium vorans, huc illucque aperto ore cetus iste ferebatur: sed ad mortem ceti istius, hamus in hac aquarum profunditate caliginosa, est mira dispositione suspensus. Hujus hami linea, illa est per Evangelium antiquorum patrum propago memorata. Nam, cum dicitur: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob*: cumque cæteri successores, interposito Joseph nomine, usque ad Mariam Virginem desponsatam describuntur, quasi quædam linea, in cujus B extremo incarnatus Dominus, id est hamus iste ligaretur, quem in his aquis humani generis dependentem aperto ore cetus iste appeteret; sed ore per satellitum suorum sævitiam morso, mordendi vires ulterius non haberet. Ad mortem igitur ceti humanis mortibus insidiantis, Dominus incarnatum unigenitum Filium suum misit, in quo dum mortalis caro conspicitur, et immortalitatis potentia non videtur, quasi hamus fauces raptoris tenuit, et sese mordentem momordit, et inde devorantem peremit, unde acumen potentiæ, quo transfigeret, occultavit.

Cap. II. — *Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel* (*Matth.* I, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 19.) [a] Psalmista de Domino dicit: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22). Lapis angularis Dominus Jesus dicitur, vel quia in se hinc Judaicum, illinc gentilem populum suscipiens in una Ecclesiæ fabrica, quasi duos parietes C jungit: vel quia in terra, plebi Israeliticæ nationes gentium copulans, utramque simul angelis in cœlo sociavit. Hujus lapidis typum Jechonias rex tenuit, quem Matthæus, dum quaterdenas generationes describeret, secundo numeravit. Quem enim fini secundæ, ipsum rursum initio tertiæ generationis inseruit: ipse namque in Babyloniam cum Israelitica plebe migratus est qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro utriusque parietis latere non immerito secundo numeratur: cujus migrationis flexus angularem lapidem designat. Ubi enim ordo a rectitudine flectitur, ut eat in diversum, tanquam angulum facit. Recte ergo numerari bis potuit, quia per utrumque parietem, quasi duo in se latera ostendit. Unde et ejus bene imaginem tenuit qui in Judæa ortus, gentilitatem colligens, quasi Jerosolymis Babyloniam venit; atque hanc in semetipso fidei fabricam, prius discordiæ studio scissam, arte charitatis intexuit.

Cap. III. — *Accepit Joseph Mariam conjugem suam; et* D *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum* (*Matth.* I, 25).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 89.) Non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum. Ita dictum debet intelligi: non quod hanc post nativitatem Dei cognoverit, sed quod nequaquam illam contigit, etiam cum sui Conditoris matrem esse nescivit. Nam quia eam nequaquam contingere valuit, postquam redemptionis nostræ ex ejus utero celebrari mysterium agnovit, de illo profecto tempore necesse erat ut Evangelista testimonium ferret, de quo propter Joseph ignorantiam dubitari potuisset. Sic namque et per Psalmistam dicitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1, 2). Non quod a dextris Domini nequaquam Dominus sedeat, postquam inimicos illius feriens, ejus potestati substernit, sed quod in æterna cunctis beatitudine præsidet etiam priusquam rebellium suorum corda conculcet. In qua nimirum sententia constat quia subjectis hostibus sine fine et posterius regnat.

Cap. IV. — *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ* (*Matth.* II, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 26.) Israelitæ prius Christum cognoverunt, quem in passione sua, post quasi incognitum contempserunt. Nam nasciturum Christum, nullus, qui plene legem didicit, ignoravit. Unde et Herodes rex, magorum occursione perterritus, sacerdotes et principes studuit solerter inquirere, ubi Christum nasciturum esse præscirent. Cui protinus responderunt: *In Bethlehem Judæ*. Prius ergo noverant quem passionis suæ tempore dum despicerent ignorabant.

Cap. V. — *Postquam Dominus Jesus in Jordane baptizatus est a Joanne, ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo* (*Matth.* IV). B

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 27.) Hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit; eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro, quasi ex jure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum nonnisi post baptisma se tentare permisit, ut signum nobis quoddam futuræ conversionis innueret, quod ejus membra, postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent.

Cap. VI. — *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV, 5).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 43.) Antiquus hostis Redemptorem humani generis debellatorem suum, in mundum venisse cognovit. Unde et per obsessum C hominem in Evangelio dicit: *Quid nobis et tibi, Fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos* (*Matth.* VIII, 29)? Qui tamen prius cum hunc passibilem cerneret, et posse mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus suspicatus est divinitate, ei in dubium venit suæ fastu superbiæ. Nil quippe nisi superbum sapiens, dum hunc esse humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde et ad tentationum argumenta se convertit, dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. Quia igitur passibilem vidit, non hunc esse Deum credens, dubitando tentavit, sed tentando conscientiam ejus penetrare, mentemque ejus tentatione turbare non potuit.

Cap. VII. — *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde* (*Matth.* IV, 8).

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 30.) Nequaquam sicut nos, qui puri homines sumus, irruente sæpe tentatione, concutimur, ita Redemptoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Hostis namque noster cum Deum incarnatum esse dubitaret, et hoc ex petitis miraculis tentando cognoscere vellet, etsi in excelsum montem eum permissus assumpsit, si daturum se ei regna mundi perhibuit, si quasi in panem vertendos lapides ostendit, mentem tamen Mediatoris Dei et hominum tentatione quassare non valuit. Sic enim dignatus est hæc exterius cuncta suscipere, ut tamen ejus mens, interius divinitati suæ inhærens, inconcussa permaneret. Qui esti quando turbatus spiritu infremuisse dicitur (*Joan.* XI), ipse tamen divinitus disponebat, quantum ipse humanitus turbaretur: immutabiliter omnibus præsidens, et semetipsum mutabilem in satisfactione infirmitatis ostendens. Quietus ergo in semetipso manens, disposuit quidquid pro ostendenda humanitate, quam susceperat, etiam turbulentus fecit.

[a] Hæc non habentur iisdem omnino verbis apud S. Greg. multa quoque alibi aut addit Alulfus, aut detrahit; quod semel hic notare sufficiat.

CAP. VIII. — *Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei* (*Matth.* IV, 11).

(Homil. 8, in Ezech., num. 24.) Postquam Unigenitus Patris minoratus paulominus ab angelis, incarnatus apparuit, mox Deus homo per humanitatem potestate sub angelis fuit, qui et priusquam per resurrectionis exaltaretur gloriam, divinitate super angelos fuit. De ipso quippe ante passionem scriptum est: *Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.* Sed tamen ut humanitatis ejus infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum est: *Apparuit illi angelus de cœlo confortans eum* (*Luc.* XXII, 34). In documento ergo utriusque naturæ, huic et angeli ministrare, hunc et angelus confortare describitur. Unus quippe in utraque natura est, quoniam qui Deus ante sæcula exstitit, homo factus est in fine sæculorum. Cui tamen ante passionem suam et angeli ministrant, et hunc angelus confortat, post passionem vero et resurrectionem ejus, huic angeli ministrare possunt, sed jam hunc confortare non possunt: quia humanitatem, quam descendendo sub angelis assumpsit, ascendendo super angelos exaltavit.

CAP. IX. — *Ambulans Jesus juxta mare Galileæ, vidit Petrum et Andream mittentes rete in mare, et ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 34.) Infirmos prædicatores mundo Dominus exhibuit, et per eos potentes quosque devicit. Attestante quippe Paulo: *Infirma mundi prius elegit Deus, ut post confunderet fortia* (*I Cor.* I, 27): Elegit quippe stulta mundi, ut confunderet sapientes: prius namque collegit indoctos, et postmodum philosophos; et non per oratores docuit piscatores, sed mira potentia per piscatores subegit oratores.

CAP. X. — *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, num. 49.) Scriptura sacra plerumque pauperes humiles vocare consuevit; unde in Evangelio cum adjectione spiritus nominantur. Quos enim divitiæ visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui in suis conscientiis elati non sunt.

CAP. XI. — *Beati qui lugent* (*Matth.* V, 5).

(Homil. 2, in Evang., num. 8.) Revocemus, fratres, ante oculos peccata quæ fecimus; consideremus quam terribilis judex adveniat hæc puniturus. Mentem formemus ad lamenta, vita nostra ad tempus amarescat in pœnitentia, ne amaritudinem æternam sentiat in vindicta. Per fletus quippe ad æterna gaudia ducimur, Veritate pollicente, quæ ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Ad fletum vero per gaudia venitur, hoc eadem Veritate attestante, quæ ait: *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* (*Luc.* VI, 25). Si ergo retributionis gaudium quærimus in perventione, pœnitentiæ amaritudinem in via teneamus.

CAP. XII. — *Vos estis sal terræ* (*Matth.* V, 13).

(Homil. 17, in Evang., num. 10, 13, 14.) Considerandum nobis est, fratres charissimi, quod quia una eademque exhortationis voce non sufficit simul cunctos admonere, studeat quisque singulos, in quantum valet, instruere, privatis locutionibus ædificare. Debemus namque pensare quod a Domino sanctis dicitur apostolis et per apostolos nobis: *Vos estis sal terræ.* Si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur qui pastores estis, pensate quia animalia Dei pascitis; de quibus profecto animalibus Deo per Psalmistam dicitur: *Animalia tua habitabunt in ea* (*Psal.* LXVII, 11). Et sæpe videmus quod petra salis brutis animalibus anteponitur, ut ex eadem salis petra lambere debeant, et meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis. Curare namque sacerdotem necesse est quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat, ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu, æternæ vitæ sapore condiatur. Sal etenim non sumus, si corda audientium non condimus. Quod condimentum ille proximo veraciter impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. Sed tunc aliis vere recta prædicamus, si dicta rebus et exemplis ostendimus. Nullum autem puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus. Et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis quod Jeremias, considerans mortem nostram et deplorans, dicit: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* IV, 1). Aurum quippe obscuratum est, quia sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia sanctitatis habitus per terrena, et abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarii intrinsecus habebantur, nec sumebantur in summi sacerdotis corpore, nisi cum sancta sanctorum ingrediens in secreto sui Conditoris apparebat. Nos ergo, fratres charissimi, nos sumus lapides sanctuarii, qui apparere semper debemus in secreto Dei, quos nunquam necesse est foris conspici, id est nunquam in extraneis actibus videri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum, quia hi qui per vitam et orationem intus semper esse debuerant, per vitam reprobam foris vacant. Ecce jam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu constituti, exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarii lapides foris jacent. Quia enim græca voce *platea* a latitudine vocatur, sanctuarii lapides in plateis jacent, cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur. Nec solum in plateis, sed et in capite platearum dispersi sunt, quia et per desiderium hujus mundi opera peragunt, et tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt. In capite ergo platearum dispersi sunt, quia et jacent per ministerium operis, et honorari volunt de imagine sanctitatis. Impletum est etiam in nobis, quod scriptum est: *Et erit sicut populus, sic sacerdos* (*Osee* IX, 9). Sacerdos enim non distat a populo, quando actionem vulgi nullo vitæ suæ transcendit merito, cui et exhortationis sale, et exemplo actionis bonæ, ad vitam æternam doctor et dux debet existere. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus, quæ ad hoc sunt conditæ, ut in ejus corpore trajiciantur, id est ut in æternæ augmentum Ecclesiæ tendant. Sed hujus cibi condimentum nos esse debuimus; sicut enim diximus, tunissis prædicatoribus dicitur: *Vos estis sal terræ.* Si igitur cibus Dei est populus, condimentum cibi sacerdotes esse debuerunt. Sed quia dum nos ab orationis et eruditionis sanctæ usu cessamus, sal infatuatum est; condire non valet cibum Dei, et idcirco ab auctore non sumitur, quia exigente fatuitate nostra, minime conditur. Pensemus ergo qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correcti, pœnitentiam egerunt: quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam? quis superbiam declinavit? Sic quippe debemus agere curam nostri, ut non negligamus curam proximi, ut quisquis ad nos jungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. Iste itaque qui jam sanctus, admoneatur ut crescat. Ille vero qui adhuc iniquus est, admoneatur ut se corrigat: quatenus quisquis se ad sacerdotem junxerit, sale sermonis illius conditus redeat.

Cap. XIII. — *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 83.) Occultanda sunt bona, quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Et tamen Veritas dicit: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Sed aliud est profecto cum in ostensione operis gloria quæritur largitoris, aliud cum laus privata concupiscitur de dono largientis; ubi et rursus in Evangelio hæc eadem Veritas dicit: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* VI, 1). Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examine pensandum est, per ejusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publicata nostra opera in conspectu illius occulta servamus. Si vero per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi a multis ignorentur. Sed valde perfectorum est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quærere, ut de illata laude, privata nesciant exsultatione gaudere. Tunc namque solum innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur: quam quia infirmi quique perfecte contemnendo non superant, restat necesse est ut bonum, quod operantur, abscondant.

Cap. XIV. — *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, sed adimplere* (*Matth.* v, 17).

(Hom. 16, in Ezech., num. 9.) Testamentum Vetus operum crimina compescuit, dari decimas præcepit; sed Testamentum Novum cogitationes pravas coercuit, derelinqui omnia, et pro Deo vitam corporis jussit cum præsenti sæculo despici. Minora quippe præcepta Israelitico populo per Legem data sunt (*Exod.* XIX); unde et eidem populo Moyses in campo locutus est. Altiora Dominus sanctis apostolis dedit; unde et eosdem de vitæ mandatis in monte docuit. Dum vero Redemptor noster per Evangelium dicit: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut prophetas, non veni solvere, sed adimplere:* adimplere venerat Legem, qui Legis justitiæ gratiam addidit, ut quod illa jubebat in minimis, ipse perfici adjuvaret in summis; et quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret a corde.

Cap. XV. — *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 13; hom. 12, in Evang. sub init.) De doctoribus male viventibus Dominus dicit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Mandatum solvit et docet, quando hoc quisque voce prædicat, quod vivendo non implet. Sed ad regnum æternæ beatitudinis pervenire non valet, qui non vult opere implere quod docet. Quomodo ergo in eo minimus vocatur, quia ad hoc nullo modo intrare permittitur? Regnum itaque cœlorum præsentem Ecclesiam appellat, de qua scriptum est: *Et colligent de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41). In superno enim regno scandala, quæ ex eo colligi debuerant, non habentur. Qui ergo mandatum solvit opere, et sic docet voce, in illo regno cœlorum erit minimus, in isto nec minimus; in sancta vero Ecclesia doctor qui mandatum solverit minimus vocatur, quia cujus vita despicitur restat ut et prædicatio contemnatur.

Cap. XVI. — *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 9.) Sic Dominus uniuscujusque actiones judicabit, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc etenim Dominus dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Racha quippe in Hebræo eloquio vox interjectionis est quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata. Ad extremum vero cum dicitur, *fatue*, ira redarguitur quæ cum excessu vocis expletur, etiam perfectione sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse judicio: in voce iræ, quod est *racha*, reum concilio: in verbo vocis, quod est *fatue*, reum gehennæ. Per gradus enim culpæ crevit ordo sententiæ, quia in judicio adhuc causa discutitur, in concilio autem jam causæ sententia definitur, in gehenna vero ignis ea quæ de concilio egreditur, sententia expletur. Quia ergo humanos actus subtili Dominus examinatione dijudicat; ira sine voce, judicio; ira in voce, consilio: ita vero in voce et sermone gehennæ ignibus mancipatur.

Cap. XVII. — *Item unde supra.*

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 17.) Sciendum est autem quoniam sæpe qui sunt in potestate ad subjectorum contumelias passim erumpunt, et hoc quod invigilantes regimini serviunt, per linguæ procacitatem perdunt, minori scilicet formidine judicis verba pensantes, quia qui sine causa fratri, *Fatue*, dixerit, gehennæ se ignibus addicit.

Cap. XVIII. — *Si offers munus tuum ad altare*, etc. (*Matth.* v, 23).

(Dialog. lib. IV, cap. 60, in pr.) Sciendum est quia ille recte veniam a Domino postulat, qui prius hoc quod in ipsum delinquitur relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo repellatur, dicente Veritate: *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quod habet aliquid adversum te frater tuus, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum.* Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis sit culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamvis longe positum longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare, ut scilicet Conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvat, qui munus pro culpa sumit. Veritatis enim voce attestante (*Matth.* XVIII) didicimus: quia servus, quia decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem de debito accepit a domino; sed conservo suo centum sibi denarios debenti, cum non dimisit debitum, et hoc est jussus exigi quod ei fuerat jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat quia si hoc quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, etiam rursus exigitur quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

Cap. XIX. — *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 18.) Aliquando a reatu adulterii nequaquam discrepat culpa fornicationis, cum Veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quia Græco verbo *mœchus* adulter dicitur, cum non aliena conjux, sed mulier videri prohibetur, aperte Veritas ostendit quia etiam solo visu cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ex loco vel ordine concupiscentis discernitur, quia scilicet sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus, idem luxuriæ distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, quæ inter cætera asserit, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt*

(*I Cor*, VI, 9). Quod enim disjunctæ reatu sententiæ subdidit, quam valde a se dissideat ostendit.

CAP. XX. — *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te* (*Matth.* V, 29).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 57.) Nonnulli hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant; et nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati laboris dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; et sæpe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis exstincti sunt. Hinc namque est quod nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt, et dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri erroris fiunt. Hinc per semetipsam Veritas dicit : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Bonum tibi est cum uno in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Duæ quippe vitæ, activa videlicet et contemplativa, cum servantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter enim oculus contemplativa vita est, sinister activa. Sed sunt nonnulli, ut diximus, qui discrete intueri summa et spiritualia nequaquam possunt, et tamen alta contemplationis assumunt, atque idcirco in perfidiæ foveam intellectus pravi errore dilabuntur. Hos itaque contemplativa vita, ultra vires assumpta, cogit a veritate cadere quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat activa sola custodire; quibus recte hoc quod præfati sumus Veritas dicit : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Ac si aperte diceret : Cum ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solam securius activam tene. Cum et in hoc quod pro magno eligis deficis, eo contentus esto quod pro minimo attendis; ut, si per contemplativam vitam a veritatis cognitione compelleris cadere, regnum cœlorum per solam activam valeas saltem luscus intrare.

CAP. XXI. — *Si quis vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* (*Matth.* V, 40).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 21.) Divina voce præcipitur : *Si quis tulerit tibi tunicam, et voluerit tecum in judicio contendere, dimitte illi et pallium.* Et rursum : *Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas.* Hypocritæ tamen prælati assumpto sancto conversationis habitu, filiorum custodiam deserunt, et temporalia quæque defendere etiam jurgiis quærunt. Exemplo suo discipulorum corda perdere non trepidant, et quasi per negligentiam amittere patrimonia terrena formidant; animarum damna æquanimiter toleranl, jacturam rerum temporalium repellere etiam cum spiritus commotione festinant. Nam quanto magis terrena diligunt, tanto privari eis vehementius pertimescunt. Quia enim mente in hoc mundo aliquid possidemus, non docemur nisi cum amittimus : sine dolore namque amittitur, quod sine amore possidetur. Quæ vero ardenter diligimus habita, graviter suspiramus ablata. Quis autem nesciat quia nostris usibus res terrenas Dominus condidit, suis vero animas hominum creavit? Plus ergo Deo se amare convincitur qui neglectis his quæ ejus sunt propria tuetur. Perdere namque hypocritæ ea quæ Dei sunt, id est animas hominum, non timent, et ea quæ sua sunt amittere, videlicet res cum mundo transeuntes, quasi districto judici posituri rationes timent; ac si placatum inveniant cui, desideratis rebus, id est rationalibus perditis, insensibilia et non quæsita conservant.

CAP. XXII. — *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* VI, 1).

(Reg. pastor. part. III, cap. 35.) Quisquis laudis concupiscentiam jam sufficit caleare, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ agit occultat; et quasi jactato semine radices subtrahit, qui opus quod imitandum est non ostendit. Hinc namque Veritas dicit : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Ubi illa quoque sententia promitur, quæ longe aliud præcepisse videtur, dicens : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Quid est ergo quod opus nostrum ita faciendum est ne videatur, et tamen ut debeat videri præcipitur, nisi quod ea quæ agimus et occultanda sunt ne ipsi laudemur, et tamen ostendenda sunt ut laudem cœlestis Patris augeamus? Nam cum justitiam nostram coram hominibus facere Dominus prohiberet, illico adjunxit : *Ut videamini ab eis.* Et cum rursus videnda ab hominibus bona opera nostra præciperet, protinus subdidit : *Ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Qualiter igitur essent videnda, et qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstravit; quatenus operantis mens opus suum, et propter se videri non quæreret, et tamen hoc propter cœlestis Patris gloriam non celaret. Unde fit plerumque ut bonum opus et in occulto sit, cum fit publice; et rursus in publico, cum agitur occulte. Qui enim in publico bono opere non suam, sed superni Patris gloriam quærit, quod fecit abscondit, quia illum solum testem habuit, cui placere curavit; et qui in secreto suo bono opere deprehendi ac laudari concupiscit, licet nullus fortasse viderit quod exhibuit, tamen hoc coram hominibus fecit, quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde requisivit.

CAP. XXIII. — *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua* (*Matth.* VI, 3).

(Reg. past. part. III, cap. 20 et 35.) De expenso munere ne transitoria laus ab aliquo quæratur, et a Domino præcipitur : *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Id est, dispensationi piæ nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis appetitionem ignoret favoris. Valde namque bonum suum dijudicat, qui ad ejus mercedem sufficere favores humanos putat. Cum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venundatur; de quo videli et pretio Veritas dicit : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

CAP. XXIV. — *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 69.) In cunctis operibus suis hypocrita quærit honoris reverentiam, laudis gloriam, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari. Sed cum transitoriis favoribus inhiat, perdit percipiendo quod laborat, Veritate attestante, quæ ait : *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Sed hæc merces teneri diu non potest, quia pro ostensis operibus honor tribuitur, sed vita ad terminum urgetur; laudes resonant, sed ad finem cum laudibus tempora festinant. Nequaquam quippe mentis ejus intentio in illa gloria figitur quæ sine fine possidetur.

CAP. XXV. — *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum* (*Matth.* VI, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 43.) Intus in desiderio cordis est secretus clamor orationis, qui ad humanas aures non pervenit, et tamen auditum replet Conditoris. Hinc est quod Anna ad templum pergens, ore quidem tacuit, et tamen tot sui desiderii voces emisit (*I Reg.* I). Hinc in Evangelio Dominus dicit : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum; et clauso ostio, ora Patrem tuum : et Pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi.* Clauso quippe ostio, petit in cubiculo, qui tacente ore in conspectum supernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur. Unde recte per Psalmistam quoque dicitur : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* IX, 17).

CAP. XXVI. — *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et oderis inimicum tuum. Ego autem Dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* v, 45).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 7.) In Novo Testamento nonnulla facta prohibentur, et magnæ culpæ esse deputantur, quæ sub Veteri Testamento quondam tenere veritatis imaginem videbantur, et minoris culpæ forsitan esse poterant atque putabantur; in quo Testamento per taurorum hircorumque victimas sacrificium non fuit ipsa veritas, sed umbra veritatis. Nam in Testamento Novo, præceptis altioribus, manifestata per carnem veritate proficimus, justumque est ut facta quædam, quæ in illo populo umbræ veritatis deservierant, deseramus. Si quis vero per Testamentum Vetus aliquam culpam, sicut est mendacium, vult tueri, quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat necesse est rerum alienarum raptum, dicat retributionem injuriæ, quæ infirmis illic concessa sunt, nocere sibi non posse. Quæ omnia cunctis liquet quanta animadversione Veritas insequitur, quæ nobis jam suæ significationis umbra postposita, in vera carne declaratur.

CAP. XXVII. — *Item unde supra.*

(Homil. 38, in Evang., n. 4; hom. 35, num. 4, 5, 7.) Patres quippe Testamenti Veteris ex permissione Legis acceperant, quatenus adversarios suos odii retributione perculerent, sicut in lege scriptum est : *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Levit.* XIX, 18). Accepta quippe tunc justis licentia fuerat, ut Dei suosque adversarios quanta possent virtute comprimerent, eosque jure gladii ferirent. Quod in Novo procul dubio Testamento compescitur, cum per semetipsam prædicat Veritas, dicens : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos;* et ad patienter toleranda quæ ab eis inferuntur mala discipulos suos alibi cohortatur, dicens : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19). Idcirco possessio animæ in virtute ponitur patientiæ, quia radix omnium custosque virtutum patientia est. Per patientiam vero possidemus animas nostras, quia dum nobisipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Patientia vero est aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat nullo dolore morderi. Nam qui sic mala proximi portat, ut tamen tacitus doleat, et tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit : scriptum quippe est : *Charitas patiens est, benigna est* (*I Cor.* XIII, 4). Patiens namque est, ut aliena mala toleret; benigna vero est, ut ipsos etiamquos portat amet. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit : *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt : orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Virtus itaque est coram hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram Deo diligere, quoniam Deus hoc solum sacrificium accipit quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Sciendum vero quod ideo plerumque patientes esse videmur quia retribuere mala non possumus. Sed qui malum idcirco non retribuit, quia nequaquam valet, procul dubio patiens non est, quoniam patientia non in ostensione inquiritur, sed in corde. Sciendum præterea est quod plerumque patientibus solet evenire, ut eo quidem tempore quo adversa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo pulsentur vel dolore, et sic patientiam exhibeant, ut custodire etiam cordis curent innocentiam. Sed cum post paululum hæc ipsa quæ pertulerint ad memoriam revocantur, igne vehementissimi doloris instigantur, argumenta ultionis exquirunt, et mansuetudinem quam tolerantes habuerunt in retractatione sua semetipsos dijudicantes perdunt. Callidus namque adversarius quietis jam tempore ad victoris animum redit, et vel damna rerum, vel injuriarum jacula ad memoriam reducit; cunctaque quæ sibi sunt illata vehementer exaggerans, intolerabilia fuisse ostendit. Quiescentis igitur animum tanto furore conturbat, ut plerumque vir patiens illa se æquanimiter tolerasse, etiam post victoriam, captivus erubescat, seque non reddidisse contumelias doleat, et deteriora rependere, si præbeatur occasio, quærat. Quibus ergo isti sunt similes, nisi his qui per fortitudinem in campo sunt victores, sed per negligentiam postmodum intra urbis claustra capiuntur? Quibus isti sunt similes, nisi his quos irruens gravis languor a vita non subtrahit, sed leviter veniens recidiva febris occidit? Ille ergo veraciter patientiam servat qui et ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, et hæc eadem retractans, pertulisse talia se exsultat, ne patientiæ bonum quod in perturbationibus custoditur, quietis tempore pereat.

CAP. XXVIII. — *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* III, 44).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 38; lib. IV Dial., cap. 44.) Libentius sacrificium orationis accipitur, cum in conspectu misericordis judicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro adversariis impendat. Hinc est quod magistra Veritas dicit : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Hinc rursum ait : *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.* Plus itaque pro se valere preces suas efficit, qui et has aliis impendit. Orant igitur sancti pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, et ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est nisi hoc, quod ait Apostolus : *Ut det illis Dominus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem* (*II Tim.* II, 25, 26)? Sed facto judicio, cum eos in inferno ardere viderint, tunc pro eis non orabunt, quia jam nullatenus ad opera justitiæ ab iniquitate commutari poterunt. Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est ut non oretur pro diabolo angelisque ejus æterno supplicio deputatis; vel quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, scilicet quia de eis utique quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum justi judicis conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes justi mortuis et damnatis injustis minime compatiuntur, quando ad hoc aliquid judicabile de sua carne sese perpeti etiam ipsi noverunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiæ intimius et arctius inhærebunt? Sic quippe mentes eorum per hoc quod justissimo judici inhærent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat quidquid ab illius internæ regulæ subtilitate discordat.

CAP. XXIX. — *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes* (*Matth.* VI, 61).

(Homil. 32, in Evang., n. 3.) Hypocritæ mira abstinentia plerumque se affligunt, jejuniis eorum ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur, sicque morti per abstinentiam appropiant, ut pene quotidie morientes vivant. Sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt. Abstinentiam namque carnis e vicino nonnunquam vana gloria obsidet et comitatur quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur, et tanto celerius se foris fundit, quanto ad humanos oculos per ostensum pallorem exiit. Et plerumque fit ut hoc quod agi causa Dei creditur pro solis humanis favoribus agatur. Quod bene Simon ille significat, qui inventus in itinere, crucem dominicam in angaria portat (*Matth.* XXVII); aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designantur, nisi abstinentes et arrogantes, qui per abstinentiam quidem

carnem afficiunt, sed abstinentiæ fructum interius non requirunt? Crucem ergo Domini in angaria Simon portat, qui cum ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem justi sine fructu peccator operatur. Unde et idem Simon crucem portat, sed non moritur, quoniam abstinentes et arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo vivunt : ab ore proximorum admirationis sermo quæritur, quia tanto labore nihil aliud nisi æstimatio humana cogitatur.

CAP. XXX. — *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium : intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII. 15).

(Homil. 17, in Evang., n. 4.) Multi cum regiminis curam suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent ; et quibus prodesse debuerant, nocent : et quia charitatis viscera non habent, domini videri appetunt, patres se esse minime recognoscunt, humilitatis locum in elationem dominationis immutant ; et si quando extrinsecus blandiuntur, intrinsecus sæviunt : de quibus Veritas dicit : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Qui vero locum regiminis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare : ut ex ipsa sua mansuetudine iram sævientium mitiget, et peccatorum vulnera in aliis ipse afflictionibus vulneratus sanet. Quem et si quando zelus rectitudinis exigit, ut erga subjectos sæviat, furor ipse de amore fit, non de crudelitate, quatenus et jura disciplinæ foris exhibeat, et intus paterna charitate diligat quos foris quasi insequendo castigat.

CAP. XXXI. — *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 13.) Cum unum eumdemque bonorum et malorum habitum cernimus, cum ipsam in electis et reprobis speciem professionis videmus, unde nostræ intelligentiæ suppetat ut electos a reprobis, veros a falsis comprehendendo discernat? Quod tamen citius agnoscimus si intemerata in memoria præceptoris nostri verba pensamus, qui ait : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Neque enim sunt pensanda quæ ostendunt in imagine, sed quæ servant in actione.

CAP. XXXII. — *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 12.) Antiquus hostis post Mediatoris et nostri Redemptoris adventum, multos qui baptismatis sacramento sunt signati, et sub Christianitatis nomine positi, quia recte vivere negligunt, post cognitionem Redemptoris suscipit, post lavacri undam polluit, post sacramenta cœlestia ad inferni profundum rapit. Fidem enim tenent, sed vitam fidei non tenent, quia aut aperte illicita faciunt, aut ex perverso corde quæ agunt prava sunt, etiamsi sancta videantur. Quia enim nonnulli confitendo fideles sunt, non vivendo hinc est quod voce Veritatis dicitur : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Luc.* LXIV 6). Hinc rursum ait : *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Hinc Paulus ait : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Hinc Joannes dicit : *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* 2, 4). Hinc est quod de ipsa prima sua Dominus plebe conqueritur, dicens : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Marc.* VII, 6). Hinc Psalmista ait : *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei* (*Psal.* LXXVII, 36). Antiquus itaque adversarius toto nunc adnisu in illorum mortem se erigit quos contra se regnaturos tabescit ; et quisque Christianus ejus servituti toties se subjicit, quoties ad iniquitatem decurrit et defluit. Si igitur ambulandi cautela negligitur, incassum credendo rectum iter tenetur, quoniam via quidem fidei ad cœlestem patriam proficit, sed offendentes et recte vivere negligentes minime perducit.

CAP. XXXIII. — *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 65.) Aliquando per cœlos hi qui in cœlestibus sunt conditi angelici spiritus possunt designari. Unde et in Oratione nostra dicere voce Veritatis instruimur : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Ut nimirum voluntas Dei sicut a superiore creatura agitur, ita in omnibus etiam ab humana infirmitate servetur.

CAP. XXXIV. — *Item unde supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 37.) Possunt etiam in hac oratione per cœlum justi et per terram peccatores accipi, ut videlicet voluntas nostri Conditoris, sicut in omnibus justis perficitur, ita et in omnibus quoque peccatoribus impleatur.

CAP. XXXV. — *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* VI, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 13.) Ecce panem nostrum dicimus, et tamen ut detur oramus. Noster quippe fit cum accipitur; qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei est ergo ex munere, et noster fit veraciter per acceptionem.

CAP. XXXVI. *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12).

(Homil. 27, in Evang., n. 9.) Inimicus noster in nos deliquit graviter, damna intulit, juvantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent. Advocatus enim noster precem nobis in causa nostra composuit, et ipse ejusdem causæ judex est, qui advocatus. Preci vero quam composuit conditionem inseruit, dicens : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quia ergo ipse judex venit qui advocatus exstitit, ipse precem exaudit qui fecit. Aut igitur non facientes dicimus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* : et nosmetipsos hoc dicendo amplius ligamus, aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, et advocatus noster precem quam composuit non recognoscit, atque apud se protinus dicit : Scio quid monui, non est ipsa oratio quam feci. Quid ergo nobis agendum est, nisi ut veræ charitatis affectum impendamus fratribus, nulla in corde malitia remaneat? Momentote quod monemur : *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI, 37). Ecce et debetur nobis, et debemus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur a nobis.

CAP. XXXVII. — *Ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XIII, 6.) Deus in tentationem inducere nos dicitur, cum nos ab adversario induci patitur. Unde Patrem postulamus in oratione dicentes : *Ne nos inducas in tentationem.* Neque enim in tentationem Dominus inducit, qui semper a tentatione subditos misericorditer protegit. Sed tamen in tentationem quasi ejus inducere est a tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit cum tentari ultra quam nos possumus non permittit.

CAP. XXXVIII. — *Si enim remiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet peccata vestra* (*Matth.* VI, 15).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 30.) Gravi mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ servatus in corde dolor accusat. Quid autem hac doloris macula reperiri deterius potest, quæ in

conspectu judicis charitatem non inquinat, sed necat? Vitam quippe animæ quælibet culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, et mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet a transfixo corde si prius non educitur, nihil in orationis precibus divinæ opis obtinetur, quia vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicit: *Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester qui in cœlis est, remittet vobis peccata vestra* (*Ibid.*). Hinc admonet, dicens: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra* (*Marc.* XI, 25). Hinc rursum ait: *Date, et dabitur vobis: dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI, 38). Hinc constitutioni postulationis conditionem posuit pietatis, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Ut profecto bonum quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conversi faciamus. Tunc ergo vere sine macula et confusione faciem ad Deum in oratione levamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea quæ in nos commissa sunt, ex proprio zelo retinemus.

CAP. XXXIX. — *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33).

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 53.) Cum Deus in oratione non quæritur, citius animus in oratione lassatur, quia cum illa quisque postulat quæ fortasse juxta occultum judicium Deus tribuere recusat, ipse quoque venit in fastidium qui non vult dare quod amatur; sed se magis Dominus quam ea quæ condidit vult amari, æterna potius quam terrena postulari, sicut scriptum est: *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* Qui enim non ait, dabuntur, sed adjicientur vobis, profecto indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in usu vero temporalitas esse debet, et illud datur, et hoc nimirum ex abundanti superadditur. Et tamen sæpe homines dum bona temporalia postulant, æterna vero præmia non requirunt, petunt quod adjicitur, et illud non desiderant ubi adjiciatur; nec lucrum suæ petitionis esse deputant, si hic sint temporaliter paupere, et illic si beatitudine divites in æternum vivant.

CAP. XL. — *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus* (*Matth.* VII, 22)?

(Homil. 17, in Ezech. num. ult.; in exposit. B. Job, lib. VIII, num. 66.) Plerumque sanctos viros aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia ejicere, ægritudines corporum fugare, prophetiæ spiritu ventura prædicere; sed hæc aliquando dantur et reprobis. Unum vero signum est electionis, soliditas charitatis, sicut scriptum est: *In hoc scietur, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinvicem* (*Joan.* XIII, 35). Hæc autem miracula cum electi faciunt, longe dissimiliter a reprobis fiunt. Quia quod electi ex charitate, hoc reprobi student per elationem agere; et per dona quæ a Domino perceperunt, non ejus gloriam, sed proprios favores quærunt, talesque se esse credunt quales se prædicari foris audiunt. Unde fit plerumque ut ad supernum quoque judicem cum fiducia veniant, quia tales se apud æternum judicem credunt, quales ab hominibus foris habebantur. Sed cum in terrore districti examinis omnis anteactæ fiducia sanctitatis ceciderit, et cum alieni oris testimonia sibi deesse cognoverint, ad sua se opera enumeranda convertent in judicio, dicentes: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Sed pro his operibus nequaquam præmium recipiunt retributionis, quia eis reprobatis in judicio protinus judex dicit: *Nunquam novi vos. Discedite a me qui operamini iniquitatem.* Inde ergo eos tunc eo districtior sententia percutit, quo nunc superna bonitas etiam ingratis sua dona largius infundit, fitque eis amplitudo muneris incrementum damnationis, quia per accepta bona in sua laude se nunc elevantes, inde contra dantem superbiunt unde ei jam amplius humiles esse debuerunt.

CAP. XLI. — *Nescio vos unde sitis: discedite a me, omnes operarii iniquitatis* (*Matth.* VII).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 59; lib. XXIII, num. 7.) Omnes arrogantes qui vel signis, vel scientia, vel prophetia, vel aliquibus magnis operibus pollent, atque per hæc dona placere hominibus appetunt, et in virtutibus quas accipiunt laudes ab omnibus quærunt, nunc intra sanctæ sinum Ecclesiæ Dominus tolerat et perfert, sed in futurum aperte ejicit, cum a secretis cœlestibus per extremum et publicum judicium repellet. Ipsi tamen reprobandi venienti judici dona sua ad ejusdem memoriam revocabunt, et quæ in ejus fecerint nomine replicabunt, cum dicent: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus* (*Matth.* VII)? Sed quomodo tales Dominus projiciens repellat ostendit, dicens eis quos reprobat: *Nescio vos unde sitis: discedite a me, omnes operarii iniquitatis* (*Matth.* VII). Scire Dei approbare est, nescire vero reprobare. Ac si aperte Dominus dicat: Ego arrogantes nescio, id est eorum vitam in sapientiæ meæ virtute non approbo, quia dum laudibus inflantur humanis, a vera inanescunt gloria æternæ retributionis.

CAP. XLII. — *Item unde supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 18.) Quia enim scire Dei aliquando dicitur cognoscere, aliquando approbare; et scit iniquum, quia cognoscendo judicat, neque enim iniquum quempiam judicaret, si nequaquam cognosceret; et tamen iniquum nescit, quoniam ejus facta non approbat. Et novit ergo quia deprehendit, et non novit quoniam hunc in suæ sapientiæ specie non recognoscit; sicut de veraci quolibet viro dicitur quia falsitatem nesciat, non quia cum ab aliis falsum dicitur hoc reprehendere ignorat, sed eamdem ipsam fallaciam et scit in examine, et nescit in amore, ut videlicet hanc ipse non agat quam actam ab aliis damnat.

CAP. XLIII. — *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur. Cui Jesus protinus respondit, dicens: Ego veniam, et curabo eum* (*Matth.* VIII, 6, 7).

(Homil. 28, in Evang., n. 2.) Solerter hic nobis est intuendum quod cum quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum, rogaret Dominum ut descenderet et sanaret eum, respondit ei, dicens: *Vade, filius tuus vivit.* Quid est ergo quod regulus rogat ut ad filium ejus veniat, et tamen ire corporaliter recusat; ad servum vero Centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc nisi quod superbia nostra retunditur? quia in hominibus non naturam qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur; cumque pensamus quæ circa eos sunt, interiora profecto minime providemus. Dum ea consideramus quæ in corporalibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt. Redemptor vero noster, ut ostenderet quia quæ alta sunt hominum sanctis despicienda sunt, et quæ despecta sunt hominum Deo despecta non sunt, ad reguli filium ire noluit, ad servum vero Centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergo nostra superbia quæ nescit pensare homines propter homines. Sola, ut diximus, quæ circumstant hominibus pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce non vult ire filius Dei ad filium reguli, et tamen ire paratus est ad salutem servi. Certe si nos

cujuspiam servus rogaret ut ad eum ire deberemus, protinus nobis superbia nostra in cogitatione tacita responderet, dicens : Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cœlo venit qui servo occurrere in terra non despicit et tamen humiliari in terra contemnimus qui de terra sumus.

CAP. XLIV. — *Cæci illuminati diffamaverunt Jesum* (*Matth.* IX, 31).

(Mixtim ex Moral. lib. XIX, n. 36, et Dial. lib. I, cap. 9.) Sanctorum virorum est bona quæ fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Hinc est quod Dominus Jesus duos juxta viam cæcos sedentes illuminans, præcepit dicens : *Videte ne quis sciat.* De quibus illico scriptum est : *Illi autem abeuntes, diffamaverunt eum per totam terram illam.* Sed quærendum nobis est quid sit hoc quod ipse Dominus, cui hoc est velle quod posse, et taceri virtutes suas voluit, et tamen ab his qui illuminati sunt quasi invitus indicatur. Nunquidnam unigenitus Filius Patris, et sancto coæternus Spiritui, hac in re velle habuit quod implere non potuit, ut miraculum quod taceri voluit, minime potuerit abscondi? sed Redemptor noster per mortale corpus omne quod egit, nobis hoc in exemplo actionis præbuit ut, pro nostrarum virium modulo, ejus vestigia sequentes inoffenso pede operis, præsentis vitæ carpamus viam. Miraculum namque faciens, et taceri jussit, et tamen taceri non potuit; ut videlicet electi ejus, exempla doctrinæ illius sequentes, in magnis quæ faciunt latere quidem in voluntate habeant, sed ut prosint aliis prodantur inviti; quatenus et magnæ humilitatis sit quod sua opera taceri appetunt, et magnæ utilitatis sit quod eorum opera taceri non possunt. Non ergo Dominus voluit fieri quidquam, et minime potuit; sed quid velle membra ejus debeant, quidve de eis etiam nolentibus fiat, doctrinæ magisterio exemplum dedit. Illius igitur exemplum sequentes, et facta quidem sua occultando, seipsos custodiant; sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur, et eorum occultatio sit custodia propria, eorumque publicatio sit utilitas aliena.

CAP. XLV. — *Estote prudentes sicut serpentes* (*Matth.* X, 16).

(Mixtim in exposit. B. Job, lib. I, n. 2, et hom. 30, super Evang., n. 5, ac Regul. pastor. part. III, c. 11.) Elaborare debent simplices ut simplicitatis bono prudentiam adjungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, ut circumspectionem prudentiæ non amittant. Hinc per semetipsam discipulos suos Veritas admonet, dicens : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Qua in re notandum est quod discipulos suos, nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere, sed utraque necessario conjunxit in admonitione, quia videlicet in electorum cordibus simplicitatem columbæ debet astutia serpentis acuere et accendere, et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperare; quatenus nec seducti per prudentiam calleant, nec ab intellectus studio cum simplicitate torpescant. Hinc Paulus ait : *Nolite pueri effici sensibus* (*I Cor.* XIV, 20). Ecce prudentiam serpentis audivimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur : *sed malitia parvuli estote* (*Ibid.*).

CAP. XLVI. — *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine* (*Matth.* X, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 26, et hom. 6, in Ezech., n. 4.) Cum aliqua mystica de occultis prophetarum verbis a credentibus agnoscuntur, quid aliud quam profunda de tenebris revelantur? Unde ipsa quoque Veritas discipulis in parabolis loquens, ait : *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine;* id est, aperte exponite quæ in allegoriarum obscuritatibus audistis. Cum enim mysticos allegoriarum nodos per explanationem solvimus, in lumine dicimus quod in tenebris audivimus.

CAP. XLVII. — *Veni separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam : et inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* XX, 36).

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 13.) Antiquus adversarius non solum per semetipsum, sed per eos etiam qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare. Cum enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium repit. Hinc per prophetam dicitur : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam* (*Jer.* IX, 4). Hinc rursum scriptum est : *A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende* (*Eccles.* XXXII, 26). Callidus namque adversarius cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur exquirit, et per eorum verba blandiens loquitur qui plus cæteris amantur; ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis ejus gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat.

CAP. XLVIII. — *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* X, 41).

(Homil. 20, in Evang., num. 12.) Quanta sit virtus in continentia et susceptione indigentium ostendit Redemptor noster, cum ait : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* In quibus verbis notandum est quia non ait : Mercedem de propheta, vel mercedem de justo, sed mercedem prophetæ, et mercedem justi accipiet. Aliud est enim merces de propheta, aliud merces prophetæ, et aliud merces de justo, aliud merces justi. Quid enim est dicere, mercedem prophetæ accipiet, nisi quia is qui prophetam sua largitate sustentat, quamvis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum prophetiæ præmia habebit? Iste enim prophetiæ spiritu plenus est, sed tamen corporeo indiget alimento; et si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur alimentum prophetæ propter hoc quod propheta est tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cum propheta ergo mercedem prophetæ accipiet qui etsi spiritu prophetiæ plenus non fuit, hoc tamen ante oculos Dei exhibuit, quod adjuvit. Ille fortasse justus est, et quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro justitia fiduciam majorem habet; hunc dum ille sustentat qui in hoc mundo aliquid possidet, et fortasse pro justitia adhuc loqui libere non præsumit, justitiæ illius libertatem sibi participem facit, ut cum eo pariter justitiæ præmia recipiat quem sustinendo adjuvit, quatenus eamdem justitiam libere loqui potuisset.

CAP. XLIX. — *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam* (*Matth.* XI, 7)?

(Mixtim ex lib. XXXIII, exposit. in Job, n. 7, et hom. 9, in Ezech., n. 16.) Hoc in laude beati Joannis Baptistæ turbis Judæorum a Domino dicitur, cum mentis mobilitas, quæ nonnunquam in sacro eloquio per arundinem designari solet, in eo esse denegatur : post interrogationem enim Domini subintelligitur, non. Quod quia negando dixerit, non affirmando, subjuncta verba testantur, cum ait : *Sed quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Arundo autem vento agitata modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur. Omnis autem infirmus animus qui vel derogatione dejicitur, vel laudibus exaltatur, arundo vento agitata est. Quod Joannes non erat, quia inflexibilem mentis verticem inter laudes hominum et derogationes tenebat, et ejus mentem sancto Spiritu solidam per diversas partes nullus linguarum flatus inclinabat.

CAP. L. — *Quid existis in desertum videre? prophetam utique dico vobis, et plusquam prophetam* (*Matth.* XI, 7).

(Homil. 3, in Evang., n. 3.) Joannes requisitus, respondit, dicens : *Non sum propheta* (*Joan.* I, 21)

Quia enim plusquam prophetam se noverat, esse prophetam se negabat. Qui idcirco plusquam propheta dicitur, quia prophetæ officium est ventura prænuntiare, non etiam ostendere. Joannes vero plusquam propheta est, quia quem verbo dixit digito ostendit.

CAP. LI. — *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur* (*Matth.* XI, 12).

(Homil. 20, in Evang., n. 14.) Turbas quæ veniebant ad suum baptismum Joannes admonebat, dicens. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et rursus : *Qui habet duas tunicas, det non habenti* (*Matth.* III, 8). Unde jam patenter datur intelligi quid est quod Veritas dicit : *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Luc.* III, 8). Quæ supernæ verba sententiæ nobis sunt magnopere perscrutanda. Nam quærendum est quomodo vim perpeti regnum cœlorum possit. Quis enim cœlo violentiam irrogat ? Et rursus quærendum est si pati vim regnum cœlorum potest, et violenti rapiunt illud, cur eamdem vim a diebus Joannis Baptistæ, et non etiam ante pertulerit ? In lege vero scriptum est : *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur.* Cunctis ergo legentibus liquet quia peccatores quosque pœna suæ severitatis perculit, non autem pœnitentia ad vitam reduxit. Cum vero Joannes Baptista Redemptoris gratiam præcurrens pœnitentiam prædicat, ut peccator, qui ex culpa mortuus est, per conversionem vivat, profecto a diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur. Quid est autem regnum cœlorum, nisi locus justorum ? Solis enim justis cœlestis patriæ præmia debentur, ut humiles, casti, mites et misericordes ad gaudia superna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpas ad pœnitentiam redit, et vitam æternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quam cœlorum regno fieri violentiam docuit ? Recogitemus ergo, fratres charissimi, mala quæ fecimus, et nosmetipsos assiduis lamentis atteramus ; hæreditatem justorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti ; nam regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur.

CAP. LII. — *Non quod intrat in os coinquinat hominem* (*Matth.* XV, 11).

(Lib. XI, Epist. 64, ad August., in Resp. 10.) Sicut in Veteri Testamento exteriora opera observantur, ita in Novo Testamento non tam quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur, sollicita intentione attenditur, ut subtili sententia puniatur. Nam cum multa lex velut immunda manducare prohibeat, in Evangelio tamen Dominus dicit : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ exeunt de corde, illa sunt quæ coinquinant hominem ;* et paulo post subjecit exponens : *Ex corde exeunt cogitationes malæ.* Ubi ubertim indicatum est, quoniam illud ab omnipotente Deo pollutum esse ostenditur in opere quod ex pollutæ cogitationis generatur radice. Unde Paulus quoque apostolus dicit : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil esse mundum* (*Tit.* I, 15) : et mox ejusdem causam coinquinationis annuntians subjungit : *Coinquinata sunt enim eorum mens et conscientia.* Non est ergo cibus immundus ei, cui mens immunda non fuerit.

CAP. LIII. — *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (*Matth.* XVI, 24).

(Mixtim ex lib. XXXIII, in Job, n. 13, et hom. X, in Ezech., num. 7.) Sunt nonnulli qui vias Veritatis appetentes, et æterna cupientes, valde se a mundo alienos reddunt, dum non solum aliena non appetunt, sed etiam sua derelinquunt ; et non solum in eo gloriam non quærunt, sed hanc, cum se obtulerit, etiam contemnunt : et tanto omnipotentis Dei amore replentur, ut, mutata mente, sibimet extranei esse videantur, implentes hoc quod Veritatis voce dicitur : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Semetipsum enim abnegat qui, calcato typho superbiæ, ante Dei oculos se alienum esse demonstrat. Seipsum abnegat qui mutatur ad meliora, qui incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat.

CAP. LIV. — *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 3 ; lib. IV Dial., cap. 33, in fin.) Cum de angelis per Paulum dicitur : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ?* Quomodo videre semper faciem Patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur ? Quod tamen citius solvimus, si quantæ subtilitatis sit angelica natura pensamus. Neque enim sic a divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis gaudiis priventur ; quia si Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes exigere, nec ignorantibus vera nuntiare possent, fontemque lucis quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent. In hoc est itaque nunc natura angelica a naturæ nostræ conditione distincta, quia nos et loco circumscribimur, et cæcitatis ignorantia coarctamur ; Angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo diffusi sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt ? Eorum itaque scientia comparatione nostræ valde dilatata est, sed tamen divinæ comparatione scientiæ angusta ; sicut et ipsi illorum spiritus comparatione nostrorum quidem corporum sunt spiritus, sed comparatione summi et incircumscripti spiritus corpus sunt. Et faciem ergo Patris semper vident, et tamen ad nos veniunt, quoniam ad nos spirituali præsentia foras exeunt, et tamen ibi se unde recesserant per internam contemplationem servant.

CAP. LV. — *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt,* etc. (*Matth.* XI, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 7.) *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cinere, et cilicio pœnitentiam egissent.* In cilicio quippe asperitas et punctio peccatorum, in cinere vero pulvis ostenditur mortuorum. Et ideireo utrumque hoc adhiberi solet ad pœnitentiam, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, et in favilla cineris perpendamus quid per judicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens pœna justa vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit, videat in cinere usquequo peccando pervenit. Potest quoque cilicio ipso per recordationem et pœnitentiam dolorum punctio designari, quia quasi quodam cilicio peccatorum pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis confricatur. In cinere quoque pœnitentiam agit, quia ex primo peccato quid per justum judicium factus sit solerter attendit.

CAP. LVI. — *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia,* etc. (*Matth.* XI, 25).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, n. 4 ; l. XXV, num. 32.) Dominus per infirmitatem carnis nostræ obtutibus apparens, dum alios reprobat, alios vocat, mira judicia exhibuit, quæ a nobis et cogitari possint, et comprehendi non possint. Ait namque : *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant : et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Unde cum de hujus rei causa loqueretur, ait : *Confiteor tibi, Pater,*

Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater. Atque mox tanquam rationem quamdam absconsionis et revelationis adjungens, ait : *Quia sic fuit placitum ante te.* Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus. Cum enim intulisset utrumque, non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit : hoc videlicet ostendens, quia injustum esse non potest quod justo placuit. Quod autem ait : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus;* sapientes et prudentes videlicet superbientes vocavit, quia nimirum superbientibus veritatis cognitio denegatur. Qui enim non subjunxit : Revelasti ea stultis, sed parvulis, tumorem se damnasse innotuit, non acumen.

CAP. LVII. — *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI, 28).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 9.) Ad se venire nos Dominus præcepit, nimirum non gressibus corporis, sed profectibus cordis; ipse namque ait : *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.* Et paulo post : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum* (*Joan.* IV, 21). In corde ergo gressus esse insinuat quando et ut veniamus vocat, et tamen motu corporis nequaquam nos ad alia transire denuntiat. In Scriptura sacra nonnunquam appellatione gressuum, vel motus mentium, vel profectus accipimus meritorum; quibus profecto gressibus ad semetipsam nos Veritas vocat, dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis.*

CAP. LVIII. — *Tollite jugum meum super vos* (*Matth.* XI, 16).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 66; lib. XXX, num. 50; lib. XX, num. 39.) Magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. Quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera, dum appetuntur; premunt adversa, dum formidantur : hoc videlicet jugum grave servitutis vidit Dominus sæcularium cervicibus impressum, cum diceret : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos.* Nihil grave mentis nostræ cervicibus imponit, qui vitari desiderium omne quod perturbat præcipit. Nihil grave subjectis jubet qui declinare laboriosa hujus mundi itinera admonet : *Jugum meum suave, et onus meum leve est.* Asperum quippe jugum, et duræ, sicut diximus, servitutis pondus est subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Deum enim contra votum cuncta fugiunt quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post, ex pavore amissionis, premunt. Hoc etiam jugum servitutis a discipulorum cervice solvebat Dominus, cum diceret : *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34) : illico subjungens : *et curis hujus vitæ.* Amant enim homines pro hujus mundi gloria etiam laborum tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter serviunt, et gravium jugo devotissime colla submittunt; cujus servitutis conditione et jugo carere est jam in mundo nihil concupiscere. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur; dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur.

CAP. LIX. — *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 53, 54, 56.) Contra superbiæ pestem audiamus cuncti, quod discipulos Veritas admonet, dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Ad hoc namque unigenitus Dei Filius formam humilitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit : ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum probra, passionum tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta igitur humilitatis est virtus, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione est magnus usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ præbuit superbia diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus : Redemptor vero noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Sed melius et elationis causam detegimus, et fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus quid mortis auctor, quid vitæ suadeat Conditor. Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet quam celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem hominum alta elatione transire, ac sese contra potentiam Conditoris erigere, sicut de eis per Psalmistam dicitur : *Transierunt in dispositionem cordis, cogitaverunt et locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelsum locuti sunt* (*Psal.* LXXII, 7). Iste autem ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam et mortem veniens, membra sua admonet, dicens : *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26). Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, et mortis auctor rex est superborum, aperte cognoscimus quod superbia evidentissimum est signum reproborum, at contra humilitas electorum. Cum ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate rectoris. Unde et per Evangelium dicitur : *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16). Qui ergo sub rege superbiæ militant, licet aliquando speciem humilitatis assumant, semetipsos tamen in omnibus celare nequaquam possunt, quoniam eorum superbia diu latere non sustinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione nudatur. Qui vero sub rege humilitatis militant, pavidi semper et ex omni latere circumspecti, adversum elationis jacula pugnant, et quasi contravenientes ictus solum magis in suo corpore oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur. Cum ergo Dominus omnibus quos vocat, dicit : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*, nihil est aliud se mitem in magisterio humilemque dicere, nisi relictis exercendæ difficultatibus elationis, plana quædam bene vivendi itinera demonstrare.

CAP. LX. — *Malus homo de malo thesauro profert mala* (*Matth.* XII, 34).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 23.) Plerumque doctor qui audet docere quæ negligit agere, cum desierit bona loqui quæ contempsit operari, docere subjectos incipit prava quæ agit; ut justo Dei omnipotentis judicio jam nec in bono linguam habeat qui bonam vitam habere recusat, quatenus cum mens terrenarum amori rerum intenditur, de terrenis rebus semper loquatur. Unde Veritas in Evangelio dicit : *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala* (*Luc.* VI, 45). Hinc etiam Joannes ait : *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur* (*Joan.* IV, 5).

CAP. LXI. — *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem* (*Matth.* XII, 36).

(Regul. pastor. part. III, c. 14.) Multiloquio vacantes, quia per multiplicia verba dilabuntur, plerumque diu otiosa cavere verba negligunt, ad noxia perveniunt, ut aliena prius loqui libeat, postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, mordeat, ad extremum vero usque ad apertas lingua contumelias erumpat. Hinc Salomon dicit : *In multiloquio peccatum non deerit* (*Prov.* X, 19). Hinc Jaco-

bus dicit : *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (*Ibid.*, 19). Hinc rursus ait : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Hinc iterum linguæ vim definiens, adjungit : *Inquietum malum, plena veneno mortifero* (*Ibid.*). Hinc per semetipsam Veritas admonet, dicens : *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint, reddent rationem de eo in die judicii.* Otiosum quippe verbum est quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensemus quæ pœna multiloquium maneat in quo etiam per innoxia verba peccatur.

CAP. LXII. — *Colligite zizania, et ligate ea in fasciculos ad comburendum* (*Matth.* XIII, 30).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 98 ; lib. IV Dial., cap. 35.) Sicut in domo Patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis. Quæ scilicet gehenna licet cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus; quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris ; sic damnatis una est gehenna quæ afficit, et tamen non una omnes qualitate comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Nisi enim tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens ad judicium se messoribus perhiberet esse dicturum : *Colligite zizania, et ligate in fasciculos ad comburendum.* Messores quippe angeli zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum eos qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus, in tormentis similibus sociant ; ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant ; et ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia ducantur, quia in locis pœnalibus eos angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.

CAP. LXIII. — *Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno suo omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41).

(Homil. 12, in Evang. n. 1, 3, 6.) Regnum Dei non semper in sacro eloquio venturum regnum dicitur, sed nonnunquam præsentis temporis Ecclesia vocatur. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri aut esse scandala poterunt, quæ colligantur, ubi profecto reprobi non admittuntur.

CAP. LXIV. — *Item unde supra.*

(Homil. 38, in Evang., n. 2.) Plerumque in sancto Evangelio regnum Dei, vel regnum cœlorum præsens Ecclesia nominatur ; congregatio quippe justorum regnum cœlorum dicitur, quia per prophetam Dominus dicit : *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* LXVI, 1). Et Salomon ait : *Anima justi sedes sapientiæ* (*Sap.* VII, 27). Paulus etiam dicit : *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* I, 28) : liquido debemus colligere, quod si Deus sapientia, anima vero justi sedes sapientiæ, dum cœlum dicitur sedes Dei, cœlum ergo est anima justi. Hinc per Psalmistam de sanctis prædicatoribus dicitur : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1). Regnum ergo cœlorum est Ecclesia justorum, quia dum eorum corda nil ambiunt in terra, per hoc quod suspirant ad superna, jam in eis Dominus quasi in cœlestibus regnat.

CAP. LXV. — *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti* (*Matth.* XIII, 47).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 34.) Regnum cœlorum vocatur Ecclesia, cujus dum mores Dominus ad superna sublevat, jam hæc ipsa in Domino per cœlestem conversationem regnat. Quæ recte

A etiam sagenæ in mare missæ comparatur ex omni genere piscium congreganti, quia missa in hoc gentilitatis sæculum, nullum respuit, sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, et fatuos cum sapientibus capit.

CAP. LXVI. — *Dominus ambulans supra mare. Navicula autem, in qua transfretabant, in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus* (*Matth.* XIV, 24).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 45.) Beatus Job de Domino dicit : *In fortitudine illius maria sunt congregata* (*Job.* XXVI, 12). Quid aliud maris nomine, quam præsens sæculum designatur ? In quo corda hominum terrena quærentium diversis cogitationum fluctibus intumescunt, qui elatione superbiæ incitati, dum alterna intentione se impetunt, quasi adversanti se unda collidunt. Sed jam in fortitudine Domini maria congregata sunt, quoniam incarnato Domino, discordantia sæcularium corda concorditer credunt.
B Jam Petrus in mari ambulat ; quia nimirum Christi prædicatoribus, illa quondam tumida humili auditu corda subtracta sunt ; ut recte etiam in Evangelio hujus mundi mansuetudinem figuraverit, quod procellosa maris aqua Domini pedibus presso tumore calcata est.

CAP. LXVII. — *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis*, etc. (*Matth.* XVI, 19).

(Dialog. lib. II, cap. 23, sub fin.) Petrus apostolus in hac adhuc carne erat, qui audiebat : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Cujus nunc vicem ligandi et solvendi obtinent qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent, et adhuc in hac carne corruptibili degentes solvere possunt animas in illo jam invisibili judicio constitutas. Sed ut tanta valeat homo de terra, cœli et terræ Conditor in terram venit e cœlo. Atque ut judicare caro etiam de spiritualibus possit, hoc ei
C largiri dignatus est, factus pro hominibus caro Deus ; quia inde surrexit ultra se infirmitas nostra, unde sub se infirmata est Dei firmitas.

CAP. LXVIII. — *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc* (*Matth.* XVI, 22).

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 38.) Sciendum est quia carnales in Ecclesia aliquando metu, aliquando vero audacia suadere bonis perversa contendunt. Cumque ipsi vel pusillanimitate vel elatione deficiunt, hæc justorum cordibus infundere, quasi ex dilectione moliuntur. Carnalem videlicet mentem Petrus ante Redemptoris mortem resurrectionemque retinebat ; carnali mente Sarviæ filius duci suo David adjunctus inhæserat ; sed tamen unus formidine, alter elatione peccabat. Ille quippe magistri mortem audiens, dixit : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc :* hic vero injurias ducis non ferens, ait : *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, qui maledixit Christo Domini* (*II Reg.* XIX, 21) ? Sed illi mox dici-
D tur : *Redi post me, Satana* ; et hic cum germano protinus audivit : *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ ; cur efficiamini hodie mihi in Satan?* Mala itaque suadentes, angeli apostatæ appellatione censentur, qui blandis verbis ad illicita quasi diligentes, trahunt. Valde vero deteriores sunt qui huic culpæ, non formidine, sed elatione succumbunt.

CAP. LXIX. — *Reges terræ a quibus accipiunt tributum* (*Matth.* XVII, 21)?

(Homil. VII, in Ezech., n. 4.) In nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit, dicens : *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum ; a filiis suis, an ab alienis?* Illico respondit : *Ergo liberi sunt filii.* Sed postquam liberum se esse monstravit, ne fortasse

scandalum cuiquam faceret, subdidit : *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare : et mitte hamum, et eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te* (*Matth.* XV, 11). Qui rursum cum diceret : *Quia omne quod in os intra non coinquinat hominem*, tunc accedentes discipuli dixerunt ei : *Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt?* At ille respondens, ait : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur : sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum.* Ecce magistra Veritas, ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit tributum dedit. Et rursum, quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est quia, quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquatur.

CAP. LXX. — *Non omnes capiunt verbum hoc* (*Matth.* XIX, 1).

(Regul. pastor. part. III, cap. 28.) Peccata carnis ignorantes, tanto sollicitius debent præcipitem metuere ruinam, quanto altius stant, et audire quid per semetipsam Veritas de hac integritate dicat : *Non omnes capiunt verbum hoc.* Quod eo innotuit summum quo denegavit omnium, et dum prædicit quia difficile capitur, audientibus innuit captum cum qua cautela teneatur.

CAP. LXXI. — *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regeneratione cum sederit*, etc. (*Matth.* XVI, 22).

(In exposit. B. Job, l. X, n. 52, et hom. 2, in Ezech., n. 18.) Omnes sancti qui mundum perfecte reliquerunt cum Domino venient ad judicium, et ejus corpori uniti, ejus majestati conjuncti, et simul facti cum eo judices videbuntur, qui modo perfecta opera juxta evangelica præcepta secuti sunt. Hinc est quod ipsis sanctis apostolis dicitur : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Neque enim plusquam duodecim judices illa interni consessus curia non habebit; sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur, quia quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit, ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc considerationе judicii sese spontanea paupertate castigat. Hinc est enim quod de sanctæ Ecclesiæ Sponso per Salomonem dicitur : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI, 23). Hinc Isaias ait : *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui* (*Isa.* III, 14). Hinc eosdem seniores Veritas non jam famulos, sed amicos denuntiat, dicens : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV, 15). In extremi ergo judicii die justus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat demonstratur; tunc enim cum Deo judices veniunt qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto nunc eos manus persequentium durius angustat. Tunc reprobortum oculis patescet quod cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Quot enim nunc pro veritatis amore sese libenter humiliant, tot tunc in judicio cum Christo judices quasi lampades coruscant. Omnes quidem qui nunc præcepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum quod cunctis divina lex præcepit implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt quam præceptis generalibus audire potuerunt, quibus dominica voce dicitur : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me; cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel;* hi in extremo judicio non judicantur, sed et regnant, quia cum auctore suo etiam judices veniunt. Relinquentes quippe omnia, plus prompta devotione exsecuti sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, et non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens dives audivit : *Vade, et vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, et sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis adstringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur, aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur qui præcepta generalia viventlo vicerunt. Sicut enim non judicantur, et pereunt, qui suadente perfidia legem tenere contemnunt, ita non judicantur, et regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quod Paulus, etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset ut Evangelium prædicans de Evangelio viveret, Evangelium quidem audientibus contulit, et tamen Evangelii sumptibus sustentari recusavit. Cur ergo iste judicetur ut regnet, qui minus quod servaret accepit, sed majus quod viveret invenit?

CAP. LXXII. — *Omnis qui relinquit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XVI, 20).

(Homil. 18, in Ezech., n. 16.) Nequaquam sanctus quisque ideo terrena deserit ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit, quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit; nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est. Sed quia denarius numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit, recte per centenarium perfectio magna designatur, per quam etiam vita æterna promittitur. Quisquis enim pro Dei nomine temporalia et terrena contemnit, hic perfectione mentis recipit ut jam ea non appetat quæ contemnit, et in sequenti sæculo ad æternæ vitæ gloriam perveniat. Centies itaque recipiet quod dedit qui, perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiamsi hæc non habeat. Ille enim pauper est qui eget eo quod non habet. Nam qui et non habens habere non appetit dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis; nam ille cui in paupertate bene convenit non est pauper.

CAP. LXXIII. — *Cum venissent operatores vineæ, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios* (*Matth.* XX, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 42.) Denarius numerus in Scriptura sacra perfectus est, quia lex in decem præceptis concluditur, omnisque culpa non amplius quam per decem verba cohibetur. Et enarrante Veritate, operatores vineæ denario remunerantur. In denario quippe tria junguntur ad septem. Homo autem, qui ex anima constat et corpore, in septem qualitatibus continetur. Nam tribus spiritualiter et quatuor corporaliter viget. In dilectione etenim Dei tribus spiritualiter excitatur, cum ei per legem dicatur : *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XXII, 37). Corporaliter vero quatuor qualitatibus continetur, quia videlicet ex materia calida et frigida, humida et sicca componitur. Homo ergo qui ex septem qualitatibus constat, denario remunerari dicitur, quia in illa perceptione supernæ patriæ septem nostra ad tria junguntur æterna, ut homo contemplationem Trinitatis accipiat, et de remune

ratione operis quasi quodam denario consummatus vivat. Vel certe, quod septem virtutes sunt, quibus in hac vita laboratur, dumque eis in remuneratione contemplatio Trinitatis redditur, vita laborantium denario remuneratur. Sed perfectus quisque etiam in hac vita denarium accipit, dum eisdem septem virtutibus, spem, fidem, charitatemque conjungit.

CAP. LXXIV. — *Nonne ex denario convenisti mecum?* (*Matth.* XX, 13.)

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 34, et lib. XXXV, n. 13.) Nemo temere debet superna consilia et divina judicia discutere, sed consilium summæ et occultæ virtutis satisfactio sit apertæ rationis, quia injustum esse non potest quod justo Domino placet. Unde et in vinea mercedem laborantibus reddens, cum quosdam operarios inæquales in opere æquaret in præmio, et plus in mercede quæreret qui labori amplius insudasset, ait: *Nonne ex denario convenisti mecum? Volo autem et huic novissimo dare, sicut et tibi: aut non licet mihi quod volo facere?* In cunctis igitur quæ exterius disponuntur, aperta causa est rationis, occultæ justitia voluntatis. Sciendum est autem quod sola est sancta Ecclesia in qua bonum opus peragitur, unde et mercedem denarii non acceperunt, nisi qui intra vineam laboraverunt.

CAP. LXXV. — *Duo cæci sedentes secus viam, ut audierunt quia Jesus egrediens ab Jerico transiret, clamabant: Miserere nostri, fili David* (*Matth.* XX, 29).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 5.) Dominus noster Jesus Christus Deo Patri suo coæternus, per humanitatem dicitur transitum habere, per divinitatem vero quasi stare. Inde enim non transit unde æternus est, inde vero transit unde propter nos apparuit temporalis; sic namque et in Evangelio scriptum est: *Quia egrediens ab Jerico Dominus transibat. Duo autem cæci sedentes juxta viam clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.* Ad quorum vocem sicut illic scriptum est: *Stetit Jesus, et lumen reddidit.* Quid est autem transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod per humanitatem suam nobis misertus est, qui per divinitatis potentiam a nobis mentis nostræ tenebras exclusit? Quod enim propter nos natus et passus est, quod resurrexit et ascendit in cœlum, quasi transit Jesus, quia nimirum hæc actio temporalis est. Sed stans eos tetigit et illuminavit, quia non sicut illa dispensatio temporalis, ita Verbi æternitas transit quæ in se manens innovat omnia; stare enim Dei est incommutabili cogitatione mutabilia cuncta disponere. Qui ergo voces petentium transiens audivit, stans lumen reddidit, quia et si propter nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, unde habere mutabilitatis transitum nescit.

CAP. LXXVI. — *Ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13).

Homil. 9, in Ezech., n. 34.) Quisquis adhuc præsenti sæculo mente inhæret, et adhuc terrenis voluptatibus delectatur, amare non potest æterna gaudia quæ justis promittuntur. Cognoscat igitur in volumine sancti Evangelii damnationem reproborum, quæ in eo scripta est, et ab animo per timorem expellat quod diligit, ut possit ex judicio cœlestem gloriam amare quam elegit vel audit. Ibi quippe sub unius damnati specie multitudo reproborum exprimitur, cum voce Veritatis dicitur: *Ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Tunc enim reprobi in exteriores tenebras cadunt, quia nunc in interioribus sua se sponte dejecerunt, ut veritatis lumen nec credendo nec bene operando sequerentur. In quas tenebras, ligatis manibus et pedibus, mitti præcipiuntur, quia nunc, dum tempus operandi et currendi est, habere manus et pedes liberos in bona actione noluerunt. Ibi etiam de reprobis scriptum est: *Vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur* (*Isa.* LXVI, 24).

CAP. LXXVII. — *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere* (*Matth.* XXIII, 3).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 10.) Stultus aliquando donum rectæ intelligentiæ accipit, Scripturæ sacræ sententiis docetur, bona loquitur; sed tamen nullo modo hoc quod dicit operatur: verba Dei profert, nec tamen diligit, laudando exaggerat, vivendo calcat. Is autem qui ad Deum per sancta desideria anhelat, discit quod audit, agit quod didicerit; sicut suos Veritas admonebat; cum per desideria sancta flagrantibus de Pharisæis præcepit, dicens: *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, nolite facere.*

CAP. LXXVIII. — *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus* (*Matth.* XXIII, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XV, num 4.) Sæpe hypocrita dum sanctum se simulat, et iniquum se exhibere minime formidat, ab hominibus honoratur, eique sanctitatis gloria defertur ab his qui exteriora cernunt, sed interiora perspicere nequeunt. Unde fit ut gaudeat in prima sessione, hilarescat in primo recubitu, inflatur in prima salutatione, elevetur in reverenti voce obsequentium, et superba cogitatione tumeat in famulatu subditorum, sicut voce quoque Veritatis de talibus dicitur: *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: amant enim primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* Sed hæc eorum gaudii lætitia pertransibit, et pœna permanebit.

CAP. LXXIX. — *Liquantes culicem, camelum glutientes* (*Matth.* XXIII, 24).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 21.) Cameli nomine Dominus hic designatur, a quo hoc Judæis adversantibus dicitur. Culex enim susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo Judæi culicem, quia seditiosum latronem dimitti petierunt; camelum vero glutierunt, quia eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat exstinguere clamando conati sunt.

CAP. LXXX. — *Væ vobis hypocritæ* (*Matth.* XXIII, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 13; Regul. pastor. cap. 35.) Studium hypocritarum esse solet, ut et quod sunt supprimant, et hoc quod non sunt esse se hominibus innotescant. Refugiunt videri quod sunt, et ante oculos superinducta quadam innocentiæ honestate se vestiunt. Unde recte per Evangelium voce nostri Redemptoris increpantur, cum eis dicitur: *Væ vobis hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis; quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Ita et vos foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis rapina et iniquitate.* Hypocritas ergo recte sepulcra dealbata, speciosa exterius, sed mortuorum ossibus plena interius Veritas vocat; quia vitiorum mala intus contegunt, humanis vero oculis quorumdam demonstratione operum de solo foris justitiæ colore blandiuntur. Culpas itaque suas occultando hominibus virtutesque pandendo, unde puniri debeant abscondentes detegunt, et unde remunerari poterant detegentes abscondunt. Nam dum occulta mala sua divinis judiciis, recta vero sua humanis oculis anteponunt: et sine teste est bonum quod publice faciunt, et non sine æterno teste est quod latenter delinquunt.

CAP. LXXXI. — *Item unde supra.*

(Homil. 9, in Ezech., n. 33.) Quod autem dicitur: *Væ vobis hypocritæ*, sciendum est quod in Scriptura sacra *Væ* sæpius de æterno luctu quam præsenti solet intelligi. Unde scriptum est: *Væ impio in malo: retributio enim manuum ejus fiet ei* (*Isa.* III, 11). Et beatus Job loquitur, dicens: *Si impius fuero, væ mihi est: si autem justus, non levabo caput, saturatus*

afflictione et miseria (*Job.* x, 15). Justorum enim afflictio temporalis est. Væ ergo quod dixit a temporali afflictione distinxit qui et justum afflictionem, et impium væ habere perhibuit. Et per semetipsam Veritas dicit : *Væ mundo a scandalis* (*Matth.* XVIII, 7). Et : *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis* (*Luc.* VI, 25). Et : *Væ prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus* (*Luc.* XXI, 23).

CAP. LXXXII. — *Orate ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato* (*Matth.* XXIV, 20).

(Homil. 12, in Evang., n. 7.) Sollicitè, fratres charissimi, cogitare debemus ne nobis in vacuum tempora pereant, et tunc quæramus ad bene agendum vivere cum jam compellimur de corpore exire; et meminisse debemus quid Veritas dicat : *Orate, ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato.* Per legis quippe mandatum ambulare longius in sabbato non licet. Hiems quoque ad ambulandum impedimento est, quia gressus ambulantium torpor frigoris adstringit. Ait ergo : *Orate ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato.* Ac si aperte dicat : Videte ne tunc quæratis peccata vestra fugere, quando jam non licet ambulare. Illud ergo tempus, quo fugere non licet, modo debet cogitari dum licet. Illa hora exitus nostri est semper intuenda : ista Redemptoris admonitio ante mentis oculos semper ponenda.

CAP. LXXXIII. — *Si dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire* (*Matth.* XXIV, 26).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 20, 23.) De hæretico dicit beatus Job : *Qui rodebant in solitudine* (*Job.* XXX, 3). Rodi solet quod comedi non potest. Hæretici itaque quia per supernam gratiam non adjuti, sed sua virtute moliuntur Scripturam sacram intelligere, exterius illam contrectant, sed ad ejus interiora secreta spiritualia non perveniunt; et quoniam ab universalis Ecclesiæ sunt disjuncti societate, non quolibet loco rodere memorantur, sed in solitudine. Ad quam nimirum solitudinem quia prædicatores falsi sequaces suos traherent, longe ante Veritas prænonuit, dicens : *Si dixerint : Ecce in deserto est, nolite exire.* Præterea hæretici clandestinis inter se conventiculis coeunt, ut errori suo reverentiam, quam non valent ex ratione, præbeant ex occultatione; et infirmis animabus pravitatis sermo tanto reverendus appareat quanto secretus. Unde per Salomonem mulier ex typo hæreseos suadet, dicens : *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior* (*Prov.* IX, 17). Et beatus Job dicit : *In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ* (*Job.* XXX, 6). Quid vero aliud cavernas terræ quam occultas hæreticorum prædicationes accipimus? Quæ occulta scilicet prædicamenta detestatur Veritas, dicens : *Si quis vobis dixerit : ecce hic Christus est, ecce illic : nolite credere.* Et rursum : *Si dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire : Ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, ita erit et adventus filii hominis.* Hoc itaque hic in penetralibus quod in Job dicitur in cavernis. In cavernis enim hæretici habitant, quoniam errorem suum plerumque secretis prædicationibus occultant, ut quo se doctoribus prudentioribusque non indicant, eo vehementius imperitos ad se trahant.

CAP. LXXXIV. — *Sicut fulgur exit ab oriente, et paret in occidentem, ita erit adventus filii hominis* (*Matth.* XXIV, 27).

(Homil. 2, in Ezech., n. 16.) Cum Dominus ad judicium venerit, districti judicii concussio omnia simul elementa perturbabit, et in illo die cunctorum qui tunc in carne mortali fuerint inventi in pavore nimio corda commovebuntur. Cum enim cœperit impleri quod scriptum est : *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur* (*Matth.* XXIV, 29), quæ mens erit hominis æterni judicis sententiam non formidantis? Ibi enim simul tunc cuncta peccata ante oculos redeunt, ibi omnia quæ cum delectatione acta sunt ad memoriam cum pavore revocantur, ibi caligo cogitationis miseræ ex pœna proximæ damnationis erit. Tunc quippe ex peccatorum memoria sensum mentis deprimit caligo cæcitatis, cum unigenitum Dei Filium in forma divinitatis conspicere non permittuntur reprobi. *Videbunt enim in quem transfixerunt* (*Joan.* X, 37). Et : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Zach.* XII, 10). Ignis etiam ille judicii, qui cœlum aereum et terram concremabit, peccatores proculdubio constringet in pœna suæ damnationis. Nam sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, ita erit adventus filii hominis, ubi nullus a judicio tunc in sua mente latere permittitur, quia ipse judicis fulgore penetratur. Ipse enim angelis et archangelis, omnibusque virtutibus præsidens Redemptor noster, in suo tunc terrore videbitur, eique ignis judicii in reproborum vindictam famulabitur. Hinc Psalmista ait : *Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 3). Hinc Petrus apostolus ait : *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero ignis ardore solventur* (*II Petr.* III, 10).

CAP. LXXXV. — *Quis putas est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* (*Matth.* XXIV, 45).

(Regul. pastor. part III, cap. 39.) Alta quæque debent a prædicatoribus multis audientibus contegi, et vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit : *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III, 1). Hinc ad beatum Job dicitur : *Quis dedit gallo intelligentiam* (*Job.* XXXVIII, 36)? Prædicator enim sanctus, dum caliginoso hoc clamat in tempore, quasi gallus cantat in nocte, cum dicit : *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII, 11). Et rursum : *Evigilate, justi, et nolite peccare* (*I Cor.* XV, 34). Gallus cum jam edere cantus parat, prius alas excutit, et semetipsum feriens, vigilantiorem reddit; quia nimirum necesse est, ut hi qui verba sanctæ prædicationis movent, prius studio bonæ actionis evigilent, prius se per sublimia facta excutiant, et tunc ad bene vivendum alios sollicitos reddant; prius cogitationum alis semetipsos feriant, quidquid in se inutile deprehenderint districta animadversione corrigant, et tunc demum aliorum vitam loquendo componant et antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt operibus clament. Gallus etiam profundioribus horis noctis altos edere cantus solet; cum vero matutinum jam tempus in proximo est, minutas et tenues voces format; quia nimirum qui recte prædicat obscuris adhuc cordibus aperta clamat, nil de occultis mysteriis indicat, ut tunc subtiliora quædam de cœlestibus audiant cum luci veritatis appropinquant.

CAP. LXXXVI. — *Fatuæ virgines non sumpserunt oleum secum* (*Matth.* XXV, 3).

(In exposit. B. Job, lib. 23, num. 17.) Prædicatores sancti, cum loquuntur, nequaquam mentis gaudium in ostensione ponunt disertæ locutionis, sed bonum scientiæ in cordis secreto meditantur, et ibi gaudent, ubi hoc percipiunt, non ubi inter tot tentationum laqueos innotescere compelluntur, quamvis cum bonum quod accipiunt innotescunt, media interveniente charitate, ex profectu audientium et non ex propria ostensione gratulantur. Arrogantes enim cum scientiam accipiunt, nihil se accepisse æstimant, si hanc eos occultam habere contingat; nusquam quippe suum gaudium nisi in ore hominum

ponunt. Unde et fatuæ virgines in suis vasis oleum non sumpsisse referuntur, quia arrogantes omnes, cum se ab aliquibus fortasse vitiis continent, bonum gloriæ intra conscientias habere non possunt. In vase autem proprio sumpserat Paulus oleum, qui dicebat : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12.) Inane ergo vasculum ferre est intus corde vacuo foras humani favoris judicium quærere, quia dum gloria exterius quæritur, intra vas oleum non habetur.

CAP. LXXXVII. — *Date nobis de oleo vestro* (*Matth.* XXV, 8).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 74.) Hypocrita nihil aliud in omni quod agit nisi opinionis suæ gloriam cogitat, nec curat quo post per meritum ducitur, sed quid interim dicatur. Sed laus cum ejus vita præterit, et humanus favor in judicio deficit. Unde et fatuæ virgines, quæ oleum in vasis non sumpserant, quia in alienis scilicet vocibus gloriam et in suis conscientiis non habebant, turbatæ per Sponsi præsentiam dicunt : *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur*. Oleum quippe a proximis petere est gloriam boni operis a testimonio alieni oris implorare. Mens etenim vacua, cum a cunctis suis laboribus nihil se intus tenuisse invenerit, testimonium foris quærit. Ac si aperte fatuæ virgines dicant : Cum nos repelli sine retributione conspicitis, dicite in nostro opere quod vidistis. Sed hypocritæ nihil in judicio attestatio humana suffragabitur, quia eamdem laudem quam post in testimonium exigit prius in munere recepit.

CAP. LXXXVIII. — *Novissime vero veniunt et reliquæ virgines dicentes : Domine, aperi nobis* (*Matth.* XXV, 11).

(Homil. 36, in Evang., n. 10; Regul. pastor. part. III, c. 20). Ad cœlestis regni gaudia nos, fratres charissimi, Dominus vocat per se, vocat per angelos, vocat per Patres, vocat per prophetas, vocat per apostolos, vocat per pastores, vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, vocat aliquando per adversa. Sæpe namque nonnulli, hic proficere volentes et prosperari, cum apprehendere temporalem gloriam conantur, omnipotente Deo misericorditer eos respiciente nequeunt, quia eos in carnalibus suis desideriis mundi hujus adversitates feriunt : aut enim ægritudine longa tabescunt, aut injuriis afflicti concidunt, aut gravibus percussi damnis affliguntur, et in mundi dolore vident quia nihil confidere de ejus voluptate debuerunt; seque ipsos in suis desideriis reprehendentes, ad Deum corda convertunt. Multi igitur hujus mundi adversitatibus fracti, ad Dei vocantis amorem revertuntur, et a præsentis vitæ desideriis corriguntur. Nemo ergo Deum vocantem contemnat, ne dum vocatus audire et obedire recusat, cum voluerit intrare non valeat. Audite quid Sapientia per Salomonem dicat : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam : mane consurgent, et non invenient me* (*Prov.* I, 28). Hinc est quod fatuæ virgines tarde venientes clamant : *Domine, Domine, aperi nobis*, sed jam tunc aditum quærentibus dicitur : *Amen, amen dico vobis, nescio vos*. Hanc valde timendam sententiam, fratres charissimi, intenta aure percipite, ut tanto eam minus sentiatis in examine, quanto nunc auditis formidolosius in prædicatione. Si autem cuncta mundi relinquere, quod paucis datum est, non potestis, sic tenete quæ sunt hujus mundi, ut tamen per ea in mundo non teneamini; ut terrena res possideatur, non possideat; ut sub vestræ mentis sit dominio quod habetis, ne si mens vestra terrenarum rerum amore vincatur, a rebus suis magis ipsa possideatur. De hominibus qui vel plura ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierunt possunt, audite quod scriptum est : *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* XVI, 26)? Ac si aperte Veritas dicat : Quid prodest homini si totum quod extra se est congreget, si hoc solum quod ipse est damnet? Sit ergo res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione, sint terrena quæ nostro corpori serviant quatenus cordi minime obsistant, ne nos ad cœlestem patriam quo nos vocat Dominus, præpediant. Nihil sit quod desiderium nostræ mentis retardet, nullius nos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, id est in cœlestibus delectetur; si malum metuitur, mala animo æterna proponantur; ut dum illic esse conspicit, et amplius quod diligat, et amplius quod pertimescat, hic omnino non hæreat.

CAP. LXXXIX. — *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matth.* XXV, 12).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 85, et lib. II, num. 6.) Superna dispensatio hypocritis largitur bonum operis, et sortem denegat hæreditatis, operandi munera cumulat, et tamen vota operantis ignorat, quia dum perceptum munus ad laudem propriam trahitur, in conspectu lucis intimæ umbra elationis obscuratur. Cum igitur a præsentis vitæ favoribus, interveniente morte, fuerit separatus, internus eum arbiter negat, seque eum nescire denuntiat, quia simulatoris vitam juste reprobando Veritas ignorat, nec recognoscit ejus bona quæ egit, quoniam hæc ex intentione recta non protulit. Unde et fatuis virginibus In judicium veniens dicet : *Amen, amen dico vobis, nescio vos*. In quibus dum corruptionem mentis considerat, carnis etiam incorruptionem damnat. Nescire autem Dei reprobare est. Unde et quibusdam quos reprobat in fine dicturus est : *Nescio vos unde sitis. Discedite a me, omnes operarii iniquitatis*. Sicut etiam nescire mentiri vix verax dicitur qui labi per mendacium dedignatur, non quo si mentiri velit nesciat, sed quo falsa loqui veritatis amore contemnat.

CAP. XC. — *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris* (*Matth.* XXV, 31, 32).

(Homil. 19, in Evang., n. 5.) Ad sanctam ecclesiam, fratres charissimi, quam multi convenimus, ecclesiæ parietes implemus, et tamen nemo nostrum potest scire qui sint qui in illo electorum Dei numerentur grege. Ecce vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat : plerique Deum sequuntur vocibus, sed fugiunt moribus. Hinc etenim ad Titum Paulus dicit : *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16.) Hinc Jacobus ait : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 20, 26.) Hic igitur multi fidelibus per confessionem admiscentur, sed propter vitam reprobam in sorte fidelium in die judicii numerari non merentur. Hoc ovile sanctæ Ecclesiæ hædos recipit cum agnis; sed attestante Evangelio, cum judex venerit, bonos separat a malis, sicut pastor segregat oves ab hædis. Neque etenim illic in ovium grege numerari possunt qui hic carnis suæ voluptatibus serviunt. Illic eos a sorte humilium judex separat qui se hic in superbiæ cornibus exaltant. Regnum cœlorum percipere nequeunt, qui hic et in cœlesti fide positi toto desiderio terrena quærunt.

CAP. XCI. — *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV, 34).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, n. 50, 51.) Duæ sunt partes, electorum scilicet atque reproborum, sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii namque judicantur et regnant, alii non judicantur et regnant, alii judicantur et pereunt, et alii non judicantur et pereunt. Ex parte quippe electorum judicantur et regnant qui vitæ maculas lacrymis tergunt, qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt ab

oculis judicis eleemosynarum superductione cooperiunt ; quibus judex veniens in dextera consistentibus dicit : *Esurivi, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me : nudus, et cooperuistis me : infirmus, et visitastis me : in carcere eram, et venistis ad me* (*Ibid.* v. 35). Quibus præmittit, dicens : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Alii autem non judicantur, et regnant, qui etiam præcepta Legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum quod cunctis divina Lex præcipit implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt quam præceptis generalibus audire potuerunt ; quibus dominica voce dicitur : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Et de quibus propheta ait : *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui* (*Isa.* III, 14). Et de quibus Salomon, cum de sanctæ Ecclesiæ Sponso loqueretur, intulit, dicens : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI, 23). Hi itaque in extremo judicio non judicantur et regnant, quia cum auctore suo etiam judices veniunt; relinquentes quippe omnia, plus prompta devotione executi sunt quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, et non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens dives audivit : *Vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, et sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis astringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur, aliud quod perfectioribus specialiter imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur qui et præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur et pereunt qui, suadente perfidia, legem tenere contemnunt, ita non judicantur et regnant qui, suadente pietate, etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quod Paulus, etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset ut, Evangelium prædicans, de Evangelio viveret, et Evangelium audientibus contulit, et tamen Evangelii sumptibus sustentari recusavit. Justum est igitur ut iste non judicetur et regnet qui minus quod servaret accepit, sed majus quod viveret invenit.

CAP. XCII. — *Hospes fui, et suscepistis me* (*Matth.* XXV, 35).

(Homil. 25, in Evang., n. 2.) Hospitalitatem, fratres clarissimi, diligite, opera charitatis amate. Hinc etenim per Paulum dicitur : *Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis* (*Heb.* XIII, 1). Hinc Petrus ait : *Hospitales invicem sine murmuratione* (*I Petr.* IV, 9). Hinc ipsa Veritas dicit : *Hospes fui, et suscepistis me.* Cum igitur ante judicium Dominus per membra sua suscipitur, in judicium veniens susceptores suos recognoscet, dicens : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Pensate ergo, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit, et ad hospitalitatis gratiam ne sitis pigri. Peregrini ad hospitium non solum invitandi, sed etiam trahendi. Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad æterna convivia valeatis. Præbete modo peregrino Christo hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos uesciat, sed ut proprios recipiat ad regnum.

CAP. XCIII. — *Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (*Matth.* XV, 45).

(Homil. 40, in Evang., n. 10 et 12.) Ante futurum judicium, fratres charissimi, solerter agite, culparum vestrarum intercessores quærite, advocatos vobis in die judicii pauperes procurate. Ecce importune se A pauperes offerunt, atque his indigent quæ vobis jam satiatis quotidie de mensa cadunt. Ecce nos rogant qui tunc pro nobis intercessores venient. Certe nos omnino rogare debuimus, et tamen rogamur. Videte si negare debemus quod petimur, quando patroni sunt qui petunt. Nolite ergo misericordiæ tempora perdere, nolite accepta remedia dissimulare, ante supplicium de supplicio cogitate. Cum quoslibet in hoc mundo abjectos aspicitis, etiam si qua reprehensibilia eorum esse videantur, nolite despicere, quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat ; quorum si qua sunt talia quæ jure debeant reprehendi, hæc si vultis ad usum vestræ mercedis inflectite, ut ex ipsis eorum vitiis cumulentur vobis incrementa pietatis, quatenus pariter panem detis et verbum, panem refectionis cum verbo correptionis, et duo a vobis alimenta percipiat qui unum quærebat, dum exterius cibo et interius satiatur eloquio. Pauper ergo cum reprehensibilis cernitur, moneri debet et despici non debet ; si vero reB prehensionis nil habet, venerari summopere sicut intercessor debet. Sed ecce multos cernitis qui cujus sint meriti nescitis. Omnes igitur honorate quos pauperes cernitis, et quos foris videtis despectos sæculi, intus arbitramini amicos Dei. Cum his participamini quod habetis, ut hoc quandoque quod habent dignentur vobiscum participari. Pensate quod ore magistri gentium dicitur : *In hoc tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum* (*II Cor.* VIII, 14). Pensate quid ipsa per se Veritas dicat : *Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ad tribuendum ergo pigri nequaquam esse debetis, quando hoc quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cœlo datis.

CAP. XCIV. — *Tunc dicet et his qui a sinistris ejus erunt : Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41).

(In exposit. B. Job. lib. XXVI, n. 51.) Duos ordines pars reproborum continet. Alii namque judicantur et pereunt, alii non judicantur et pereunt. C Judicantur et pereunt quibus dominica voce in damnatione dicitur : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi bibere : hospes eram, et non collegistis me : nudus, et non operuistis me : æger et in carcere, et non visitastis me*, quibus præmittitur : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Alii in extremo judicio non judicantur et pereunt ; de quibus Propheta ait : *Non resurgunt impii in judicio* (*Psal.* I, 5) ; et de quibus dicitur : *Qui autem non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18) ; et de quibus Paulus ait : *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Rom.* II, 12). Resurgent vero etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad judicium ; non enim eorum tunc causa discutitur qui ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Qui vero D nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt, quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris, ejus quem despexerant invectione redargui non merentur. Illi tantum verba judicis audiunt, quia ejus fidei tantum verba tenuerunt. Isti in damnatione sua judicis æterni nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam nec verbotenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub Lege positi peccaverunt, istis in perditione sua de Lege nihil dicitur, quia nihil Legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. In illo jura sua contulit, eumque sub verbis divinæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit, de malo vero ejus quid lex habeat non requirit : neque enim lege necesse est perimi qui lege nunquam potuit teneri. Ita ergo in extremo

judicio, et legalis illum invectio percutit qui ab eo quod professione tenuit actione declinavit, et iste sine judicii invectione perimitur qui lege fidei non tenetur.

CAP. XCV. — *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41.)

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, n. 37.) Extremi judicii die, æterno tunc judice terribiliter apparente, astantibus legionibus angelorum, assistente cuncto ministerio cœlestium potestatum, et electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, antiquus hostis diabolus in medium captivus deducetur, et cum suo corpore, id est cum reprobis omnibus, æternæ gehennæ incendiis mancipabitur, cum dicetur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bellua electorum oculis ostendetur, quæ hoc belli tempore nimis illos terrere potuerat, si videretur : sed occulto ac miro Dei consilio agitur ut et nunc per ejus gratiam a pugnantibus non visa vincatur, et tunc a lætis victoribus jam captiva videatur. Tunc autem justi divino adjutorio quantum debitores sunt plenius recognoscent, quando tam fortem bestiam viderint quam nunc infirmi vicerunt, et in hostis sui immanitate conspicient quantum debeant gratiæ defensoris sui. Redeunt enim de hoc prælio tunc milites nostri virtutum tropæa referentes, et receptis corporibus cum jam in illo judicio regni cœlestis introitum sortiuntur, prius immanissimas vires hujus antiqui serpentis aspiciunt, ne vile æstiment quod evaserunt. Et videntibus cunctis, præcipitabitur, quia visa mors ejus tunc gaudium exhibet cujus tolerata vita nunc justis quotidie in cruciatibus bellum movet.

CAP. XCVI. — *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* XXV, 35).

(Regul. pastor. part. III, c. 20.) Omnes qui aliena adhuc intendunt rapere, quid Dominus in judicio reprobis dicat sollicite debent audire; ait namque : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum*, etc. Quibus etiam præmittit, dicens : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Ecce nequaquam audiunt, quia rapinas vel quælibet alia violenta commiserunt, et tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur quia sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subjicit pœnæ non tradita. Perpendant quid illata mereatur injustitia, si tanta percussione digna est pietas non impensa.

CAP. XCVII. — *Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, n. 35, 36, 37.) Sunt plerique qui peccatis suis idcirco finem ponere negligunt, quia habere quandoque finem super se judicia futura suspicantur. Quibus breviter respondemus, si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque ergo finienda sunt etiam gaudia beatorum. Per semetipsam namque Veritas dicit : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Si igitur hoc verum non est quod minatus est, neque illud verum est quod promisit.

At inquiunt : Ideo æternam pœnam peccantibus minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret, quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius respondemus : Si falsa minatus est ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est ut ad justitiam provocaret. Et quis hanc eorum vesaniam toleret qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finire asserunt, assertione sua etiam electorum præmia remunerationesque confundunt? Quis hanc eorum vesaniam toleret qui conantur astruere verum non esse quod Veritas de æterno igne minata est? Et dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem.

At inquiunt : Sine fine puniri non debet culpa cum fine. Justus nimirum est omnipotens Deus, et quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citius respondemus quod recte dicerent si judex justus districtusque veniens non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim ideo tunc cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quam vivere, et ideo hic semper vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare cum vivunt. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet ut nunquam careant supplicio quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato; et nullus detur iniquo terminus ultionis, quia, quandiu valuit, habere noluit terminum criminis.

At inquiunt : Nullus justus crudelitatibus pascitur, et delinquens servus a justo domino idcirco cædi præcipitur, ut a nequitia corrigatur : ad aliquid ergo cæditur, cum non ejus dominus cruciatibus delectatur. Iniqui vero gehennæ ignibus traditi quo fine semper ardebunt? Et quia certum est quod pius et omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miseri si non expiantur? Quibus citius respondemus quod omnipotens Deus, qui pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio, et quidem sua iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid concremantur : scilicet, ut justi omnes et in Deo videant gaudia quæ percipiunt, et in istis respiciant supplicia quæ evaserunt, ut tanto in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt quæ ejus adjutorio vitare potuerunt.

CAP. XCVIII. — *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39).

(In exposit. B. Job, lib. XII, n. 16.) Solent justi viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt, quasi ex dubietate aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transferant. Sed rursum per fortem sententiam infirmantium dubietati omnimodo contradicunt, quatenus per hoc quod dubie proferre cernuntur infirmis aliquatenus condescendant, et per hoc quod certam sententiam proferunt, infirmorum mentes dubias ad soliditatem trahant. Quod nimirum dum faciunt, exemplum capitis nostri sequuntur; passioni quippe Dominus propinquans, infirmantium in se vocem sumpsit, dicens : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste;* eorumque timorem ut abstraheret suscepit. Et rursus per obedientiam vim fortitudinis ostendens, ait : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* ut cum imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus ut voluntas Conditoris nostri etiam contra voluntatem nostram fiat. Hoc igitur exemplo nonnunquam a fortibus infirmitatis illa verba suscipienda sunt, ut per eorum post prædicamenta fortia infirmorum corda gravius roborentur.

CAP. XCIX. — *Judas abiens, laqueo se suspendit* (*Matth.* XXVII, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XI, n. 12.) Sæpe nonnulli exire a pravis actibus cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod recte se agere æstimant in graviores culpas vertunt; fitque modo miserabili, ut quod exitum putant, hoc inclusionem inveniant. Sic videlicet reprobus Judas cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis supplicia pervenit, et pejus de peccato pœnituit quam peccavit.

CAP. C. — *Multa passa sum hodie per visum propter eum* (*Matth.* XXVII, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 31.) Antiquus hostis quamvis Dominum Jesum Christum esse Filium Dei fuerat ipse confessus, velut purum tamen illum hominem mori credidit, ad cujus mortem Judæorum persequentium animos concitavit. Sed in ipso traditionis tempore tarde jam cognovisse intelligitur quod ipse illa ejus morte puniretur. Unde et Pilati conjugem somniis terruit, ut vir illius a justi persecutione cessaret. Sed res interna dispensatione disposita nulla valuit machinatione refragari. Expediebat quippe ut peccatorum mortem juste morientium solveret mors justi injuste morientis.

CAP. CI. — *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt* (*Matth.* XXVII, 31).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, n. 66 et 67.) Incarnatus Dominus, qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi minor est factus Patre, quia minor est etiam seipso. Naturam autem nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullomodo teneri potuit; quem quamvis macula culpæ nostræ non attigit, passio tamen nostræ mortalitatis astrinxit. Quasi quædam enim vincula habuit ea quæ nos nequitiæ merito patimur, nostræ scilicet mortalitatis infirma, quibus usque ad mortem sponte ligari se voluit, et quæ per resurrectionem mirabiliter solvit. Esurire quippe, sitire, lassescere, teneri, flagellari, crucifigi, nostræ mortalitatis vinculum fuit. Sed cum expleta morte velum templi rumperetur, scinderentur petræ, monumenta panderentur, inferni claustra patescerent, quid aliud tot argumentis tantæ virtutis ostenditur, nisi quod illa infirmitatis nostræ vincula solvebantur? ut is qui ad suscipiendam servi formam venerat, in ipsa servi forma ab inferni vinculis absolutus, ad cœlum etiam cum membris liber rediret? De quibus ejus vinculis Petrus apostolus attestatur, dicens : *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (*Act.* II, 24). Vincula itaque ejus tunc soluta sunt, cum infirmitates passionis illius in resurrectionis sunt gloriam commutatæ.

CAP. CII. — *Et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt* (*Matth.* XXVII, 32).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 69, 70; homil. 21, in Evang., n. 6.) Habemus spem nostræ resurrectionis, considerata gloria capitis nostri. Sed ne quis, vel cogitatione tacita, forsitan dicat, quod idcirco ille resurrexit a morte quia unus idem Deus et homo mortem quam ex humanitate pertulit ex divinitate superavit, nos vero, qui puri homines sumus, a mortis surgere damnatione non possumus: recte in resurrectionis ejus tempore etiam multorum sanctorum corpora resurrexerunt, ut in se nobis exemplum ostenderet, et de aliorum qui nobis per puram humanitatem similes fuerunt nos resurrectione roboraret: quatenus cum se homo desperaret percipere quod in se ostenderat Deus homo, hoc in se fieri posse præsumeret quod in ipsis factum cognosceret quos puros fuisse homines non dubitaret.

Sunt vero nonnulli qui, considerantes quod spiritus a carne solvitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in pulverem redigitur, quod pulvis ita in elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperant; et dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursumque ad vitam viridescere posse diffidunt; qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Per quotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur dum, supervenientibus noctis tenebris, ea quæ aspiciebatur subtrahitur, et quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis, suppressa iterum nocte, reparatur. Per momenta quoque temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione post largitionem cessare; et ecce subito quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructus grandescere, et totam arborem redivivo decore vestiri. Indesinenter cernimus parva arborum semina terræ humoribus commendari, ex quibus non longe post conspicimus magna arbusta surgere, folia pomaque proferre. Consideremus ergo parvum cujuslibet arboris semen quod in terram jacitur ut arbor ex illo producatur, et comprehendamus, si possumus, ubi in illa tanta parvitate seminis tam immensa arbor latuit quæ ex illo processit: ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum. Nunquidnam in semine tale aliquid videbatur, cum in terram jaceretur? Et tamen occulto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante, et in mollitie seminis latuit asperitas corticis, et in teneritudine illius absconsa est fortitudo roboris, et in siccitate ejus ubertas fructificationis. Quid ergo mirum, si tenuissimum pulverem, vel a nostris oculis in elementis redactum, cum vult in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Quia ergo rationabiles sumus conditi, spem resurrectionis nostræ ex ipsa debemus rerum specie et contemplatione colligere. Sed quia in nobis sensus torpuit rationis, accessit in exemplum gratia Redemptoris. Venit namque Conditor noster, suscepit mortem, ostendit resurrectionem; ut qui resurrectionis spem ex ratione tenere nolumus, hanc ex ejus adjutorio et exemplo teneremus. Beatus quoque Job de resurrectione dixit: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.* Quisquis igitur resurrectionis virtutem in se fieri posse desperat, verba in gentilitate positi viri fidelis erubescat, et penset quanto pœnæ sit pondere feriendus, si adhuc non credit suam qui jam resurrectionem Domini cognovit factam, si et illic suam credidit Job qui adhuc Domini Jesu sperabat esse faciendam.

Ad instruendam igitur ignorantiam nostram, ad roborandam infirmitatem nostram, Dominus noster suæ resurrectionis exemplum nobis sufficere voluit. Solus quippe illo tempore mortuus est, et tamen solus minime surrexit; quia sicut superius scriptum est : *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.* Ablata sunt ergo omnia argumenta perfidiæ. Ne quis enim dicat, sperare de se non debet homo quod in carne sua exhibuit homo Deus, ecce cum Deo homine surrexisse cognovimus quos puros homines fuisse non dubitamus. Si igitur membra nostri Redemptoris sumus, præsumamus in nobis quod gestum constat in capite; si multum nos abjicimus, sperare debemus in nobis, nos membra ultima, quod de membris ejus superioribus audivimus.

CAP. CIII. — *Erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix* (*Matth.* XXVIII, 3).

(Homil. 21, in Evang., n. 3.) Matthæus evangelista angelum qui mulieribus ad sepulcrum venientibus apparuit describens, ait : *Erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix.* In fulgure enim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris. Quia vero omnipotens Deus, et terribilis est peccatoribus, et blandus justis, recte testis resurrectionis ejus angelus, et in fulgure vultus et in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie et terreret reprobos et mulceret pios. Recte etiam angelus niveis coopertus vestimentis apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nuntiavit. Candor etenim vestis splendorem nostræ denuntiat solemnitatis, nostræ dicamus an suæ? Sed ut fateamur verius, et suæ dicamus et nostræ : illa quippe Redemptoris nostri resurrectio, et nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit, et angelorum festivitas exstitit, quia nos revocando ad cœlestia, eorum numerum implevit. In sua ergo ac nostra festivitate angelus in niveis vestibus apparuit, quia dum nos per resurrec-

tionem dominicam ad superna reducimur, cœlestis patriæ damna reparantur.

Cap. CIV. — *Respondens autem angelus dixit mulieribus : Nolite timere vos : Scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, surrexit enim sicut dixit* (*Matth.* XXVIII, 5).

(In exposit. B. Job, l. XIV, n. 67, 68.) Libet considerare, fratres charissimi, pietatis viscera quam erga nos Dominus noster habuit, et resurrectionis gloriam quam angelus factam mulieribus annuntiavit. Conditor et Redemptor noster Dominus Jesus Christus postquam omnia creavit, ut nos de captivitate diaboli redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos a perpetua morte liberavit. Quia et si crucifixus est ex infirmitate (*II Cor.* XIII, 4), sed vivit ex virtute Dei : citius enim a morte voluit resurgere, ne si in illo resurrectio differretur, in nobis omnino desperaretur. Citius a morte voluit resurgere, ne nostra diu anima in infidelitatis remaneret morte ; mortem enim transitorie, id est ad triduum contigit, et in ea morte nequaquam, sicut nos, usque ad finem sæculi remansit. Corpus quidem Domini post mortem vivit, sed nostra adhuc corpora usque in finem mundi resurrectionis differuntur gloria. Nos per mortem carnis usque ad finem mundi remanemus in pulvere, ille vero die tertia a mortis viruit ariditate, et divinitatis suæ potentiam ipsa suæ carnis ostendit innovatione. Dominum ergo nostrum Jesum Christum, flagellatum, derisum, palmis cæsum, corona spinea coronatum, sputis illusum, crucifixum, mortuum esse noverimus, sed eumdem ipsum, qui inter impiorum manus occubuit, post mortem vivere certa fide credamus, libera voce profiteamur, et per resurrectionem ejus de nostræ carnis resurrectione confidamus. Resurrectionem enim, quam in se, qui est caput nostrum, ostendit, in nobis etiam, qui sumus ejus, quandoque facturum esse nobis promisit Dominus noster Jesus Christus, qui resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur ; quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS.

Expositio Evangelii secundum Marcum.

Caput Primum. — *Erat Joannes in deserto baptizans et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum : et egrediebatur ad illum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordane flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis cameli* (*Marc.* I, 4).

(Homil. 40, in Evang., n. 3.) Sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret quod dives qui torquebatur apud inferos bysso et purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris esse videatur. Nam quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæratur, res ipsa testatur : nemo enim vult ibi pretiosis vestibus indui ubi non possit ab aliis videri. Quam culpam possumus melius etiam ex diverso colligere, quia si abjectio vilis indumenti virtus non esset, evangelista vigilanter de Joanne Baptista non diceret : *Erat indutus pilis camelorum.*

Cap. II. — *Et locustas, et mel silvestre edebat* (*Marc.* I, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 45.) Locustarum nomine aliquando Judaicus populus, aliquando conversa gentilitas, aliquando adulantium lingua, aliquando vero per comparationem resurrectio dominica vel prædicatorum vita designatur. Quod autem Judæorum populum locustæ exprimant vita Joannis signat, de quo scriptum est : *Quia locustas et mel silvestre edebat.* Joannes quippe eum quem prophetiæ auctoritate pronuntiat etiam specie ciborum clamat. In semetipso enim designavit Dominum quem prævenit. Qui nimirum in redemptionem nostram veniens, quia infructuosæ gentilitatis dulcedinem sumpsit, mel silvestre edit. Quia vero Judæorum plebem in suo corpore ex parte convertit, in cibo locustas accepit. Ipsos namque locustæ significant, subitos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant, cum præcepta Domini se implere promitterent ; sed citius ad terram cadebant, cum per prava opera hæc se audisse denegarent. Videamus in eis quasi quemdam locusticum saltum : *Omnia verba quæ locutus est Dominus, et audiemus et faciemus* (*Exod.* XXIV, 3). Videamus autem quomodo citius ad terram ruant : *Utinam mortui essemus in Ægypto, et non in hac vasta solitudine. Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam* (*Num.* XIV, 3). Locustæ ergo erant, quia habebant saltum per vocem et casum per actionem.

Cap. III. — *Venit Jesus a Nazareth Galilææ : et baptizatus est in Jordane a Joanne. Et statim ascendens de aqua, vidit apertos cœlos, et Spiritum tanquam columbam descendentem et manentem in ipso* (*Marc.* I, 2).

(Homil. 2, in Ezech. n. 5 ; homil. 30, in Evang., n. 5 et 6.) Tricesimo ætatis suæ anno Dominus ad fluvium Jordanis venit ; ibique cœli sunt aperti, quia Spiritus in columba descendit. Idcirco autem Spiritus sanctus in columba monstrari voluit, quia omnes quos repleverit simplices puritate et mansuetudinis lenitate tranquillos facit. Ideo etiam in Redemptore nostro, Mediatore Dei et hominum, per columbam apparuit, quoniam unigenitus filius judex est generis humani. Sed quis ejus justitiam ferret, si, priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit, judex noster severitatem suam temperavit. Noluit peccatores ferire, sed colligere ; prius voluit mansuete corrigere, ut haberet quos postmodum in judicio salvaret. In columba ergo super eum apparere Spiritus debuit, qui non veniebat ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem parcendo toleraret. In cunctis fidelibus Spiritus sanctus venit, sed in solo Jesu singulariter permanet, quia Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, in cunctis eum et semper et continue præsentem habet, quoniam idem Spiritus ex illo per substantiam profertur. In illo igitur manet qui solus et omnia et semper potest, et ejus humanitatem nunquam deserit ex cujus divinitate procedit, a quo per naturam nunquam recedit.

Cap. IV. — *Et vox facta est de cœlis : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui* (*Marc.* I, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 8 ; homil. 8, in Ezech., n. 21.) Aliquando cœlestibus substantiis per angelos loquitur Deus, sicut baptizato Domino scriptum est : quia *vox de cœlo sonuit, dicens : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.* Quod per alium evangelistam sic dicitur : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quid est quod Pater de Filio loquitur, dicens : *In quo mihi complacui?* Omnis enim qui pœnitendo corrigit aliqua quæ fecit, eo ipso quo pœnitet se sibi displicuisse indicat qui emendat quod fecit. Et quia omnipotens Pater, sicut intelligi ab omnibus poterat, humano modo locutus est de peccatoribus, dicens : *Pœnitet me fecisse hominem super terram* (*Genes.* VI, 6), quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus, quos creavit. In solo autem sibi unigenito Domino nostro Jesu

Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creasse non pœnituit, in quo peccatum nullum omnimodo invenit, sicut de illo per Psalmistam dicitur : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). In solo ergo sibi Redemptore nostro complacuit Pater, quia in eo solo non invenit culpam in qua se reprehendat quasi per pœnitentiam.

CAP. V. — *Erat Jesus docens, sicut potestatem habens* (*Marc.* I, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 24, 25.) Bene a doctoribus docetur quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam quando conscientia præpedit linguam. Unde etiam de Domino scriptum est : *Erat enim docens, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ et Pharisæi.* Singulariter namque et principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit. Ex divinitatis quippe potentia habuit id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministravit. Nos enim, quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quod sumus, ut ex propria infirmitate pensemus quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur quia aut tales sumus quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etsi jam divina gratia operante non sumus; ut tanto temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his quos emendamus agnoscimus. Si autem tales nec sumus nec fuimus quales adhuc illi sunt quos emendare quos curamus, ne cor nostrum forte superbiat, et de ipsa innocentia pejus ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus. Quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus, quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum quod habemus accepimus, ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati posterius etiam ipsa possint bona quæ nos ante accepimus prævenire. Quis enim crederet quod per apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat, qui in morte ejus lapidantium vestimenta servabat? His ergo primum cogitationibus humiliare cor debet, et tunc demum increpare delinquentium iniquitates.

CAP. VI. — *Quid nobis, et tibi, Fili Dei? scimus qui sis, Sanctus Dei* (*Marc.* I, 24).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 14; l. III, n. 28.) Antiquus hostis filium Dei incarnatum noverat, sed nostræ redemptionis ordinem nesciebat. Sciebat enim quod pro redemptione nostra incarnatus Dei Filius fuerat, sed omnino quod idem Redemptor illum moriendo transfigeret, nesciebat. Illum etiam ante se positum vidit quem, cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens : *Quid nobis, et tibi, Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos?* Cognovit ergo prius quem pertimesceret, et tamen post non timuit, cum in illo quasi escam propriam mortem carnis esuriret. Dominus quippe noster ad humani generis redemptionem veniens, assumpsit corpus, ut antiquus hostis in eo quasi suam escam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo injuste appetiit, nos, quos quasi juste tenebat, amisit. Antequam autem malignus spiritus Redemptorem nostrum per mortem appeteret, cum eum miraculis coruscare conspiceret, clamabat, dicens : *Scimus qui sis, Sanctus Dei.* Qui hæc dicens, cognoscendo Dei Filium, pertimescit et formidat; sed tamen vim supernæ pietatis ignorans, nonnunquam, dum passibilem considerat, hominem purum putat.

CAP. VII. — *Et comminatus est Jesus immundo spiritui, dicens : Obmutesce, et exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna, exiit ab eo* (*Marc.* I, 25).

(Homil. 12, in Ezech., n. 24.) Cum aliquis terrena contemnere et cœlestia cœperit amare, antiquus adversarius acriores ei quam consueverat tentationes admovet, ita ut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam tentaverat quando possidebat. Unde et dæmoniacus qui a Domino sanatur ab exeunte dæmone discerpitur, sicut scriptum est : *Et clamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo.* Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis, quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit, nisi quod plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat quam prius excitaverat quando hoc quietus possidebat? Unde scriptum est : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore : et præpara animam ad tentationem* (*Eccles.* II, 1).

CAP. VIII. — *Surge, tolle grabatum tuum* (*Marc.* II, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 46; hom. 12, in Ezech., n. 11.) In Scriptura sacra lectus, sive grabatus, aliquando voluptas carnis, aliquando repausatio in bonis operibus, aliquando requies temporalis accipitur. Quid est enim quod in Evangelio sanato cuidam Dominus dicit : *Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam*, nisi quod per grabatum voluptas carnis designatur? Et jubetur utique ut hoc sanus portet ubi infirmus jacuerat, quia nimirum omnis qui adhuc vitiis delectatur, infirmus jacet in voluptatibus carnis. Sed sanatus hoc portat ubi jacuerat, quia, divino adjutorio ereptus, a vitiis ejusdem carnis contumelias postmodum tolerat in cujus prius desideriis requiescebat. Per grabatum itaque, in quo carnis est requies, ipsa caro designatur, per domum vero conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cum vero sanati fuerimus mente, ut jam pulsantibus vitiis carnis resistamus, necesse est ut tentationum contumelias de nostra carne toleremus. Ægro itaque ad salutem reducto præcipitur : *Tolle grabatum tuum*, id est porta lectum in quo portatus es, quia necesse est ut sanatus quisque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat ægrotus. Quid est ergo dicere : *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam*, nisi porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti, et revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ fecisti? Ac si diceret : Post exterius miraculum ad mentem tuam revertere, et qualem te intrinsecus Deo debeas exhibere perpende; et post peccatorum veniam, ne rursus quod juste feriatur admittas cave.

CAP. IX. — *Fecit Dominus Jesus ut essent duodecim cum illo* (*Marc.* III, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 15.) Septenarius numerus apud sapientes hujus sæculi quadam sua habetur ratione perfectus, quia ex primo pari et ex primo impari consummatur. Primus enim impar ternarius est primusque par quaternarius. Ex quibus duobus septenarius constat, qui eisdem partibus suis multiplicatus in duodenarium surgit. Nam sive tres per quatuor, seu quatuor per tres ducimus, ad duodenarium pervenimus. Sed nos quia superno munere Veritatis prædicamenta percepimus, hæc fixa scientiæ altitudine despiciendo calcamus; hoc proculdubio inconcussa fide retinentes, quia quos Spiritus gratiæ septiformis repleverit, perficit, eisque non solum Trinitatis notitiam, sed etiam virtutum quatuor, id est prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis et justitiæ operationem præbet. Qui in ipsis quoque quos ingreditur, suis quodammodo partibus augetur, dum et per Trinitatis notitiam quatuor virtutum actio accipitur, et per actionem virtutum quatuor usque ad manifestam Trinitatis speciem pervenitur. Et apud nos ergo septenarius perfectus est, sed longe dissimiliter, quia plene et non inaniter in duodenarium surgit, dum et per fidem opera, et rursum per opera perficit fidem. Sancti quoque apostoli gratiæ septiformis spiritu implendi, duodecim sunt electi, quia in quatuor mundi partibus Trinitatem, quæ Deus est, innotescere mittebantur. Duodecim ergo electi sunt;

ut etiam ex ipsius numeri ratione causa claresceret quod per quatuor infima tria summa prædicarent.

CAP. X. — *Et imposuit Dominus Simoni nomen Petrus, et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi vocavit Boanerges, quod est filii tonitrui; et Andream, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi, et Thadæum, et Simonem Chananæum, et Judam Iscariotem, qui tradidit illum* (*Marc.* III, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 49.) Aliquando in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum Patrum conveniente prophetia ad notitiam nostram quasi ex nubium concursione prolatus est. Qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erant terribiliter sonuit; unde et ipsi sancti apostoli de ejus gratia generati, Boanerges, id est filii tonitrui, sunt vocati. Aliquando autem tonitruus ipsa ejus prædicatio accipitur, per quam supernorum judiciorum terror auditur.

CAP. XI. — *Exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et volucres comederunt illud* (*Marc.* IV, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 2.) In Scriptura sacra volucres aliquando in malis, aliquando in bono dantur intelligi, quia per eas potestates designantur aereæ, nonnunquam bonorum studiis adversæ. Unde Veritatis ore dicitur quoniam granum quod secus viam cecidit, venerunt volucres et comederunt illud; quia nimirum maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ a memoria evellunt.

CAP. XII. — *Aliud cecidit super terram, et statim orto sole exaruit* (*Marc.* IV, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 25.) In Scriptura sacra, cum sol figurate ponitur, aliquando per eum persecutio designatur, sicut Veritas in Evangelio dicit quod nata sine radicibus semina, orto sole, aruerunt, quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia, superveniente persecutionis ardore, siccantur. Aliquando etiam per solem intelligentia, et acumen sapientium designatur, sicut per comparationem ad Salomonem dicitur: *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutatur* (*Eccles.* XXVII, 12).

CAP. XIII. — *Et aliud cecidit inter spinas, quæ suffocaverunt illud* (*Marc.* IV, 7).

(In exposit. B. Job, lib. VII, num. 39; homil. 15, in Evang., n. 1.) Sunt plerique qui jam aliena non appetunt, et ab hujus mundi jurgiis, inchoato quietis amore, dividuntur, erudiri in sacris eloquiis sitiunt, vacare supernis contemplationibus concupiscunt, nec tamen perfecta animi libertate curam rerum familiarium deserunt. Cui sæpe dum licite serviunt, etiam illicitis hujus mundi jurgiis implicantur. Cumque terrenas res studiose tenere desiderant, cordis requiem deserunt quam quærebant. Et cum substantia fugiens continua provisione protegitur, conceptus in animo divinæ scientiæ sermo dissipatur, quia, juxta Veritatis sententiam, obortum semen spinæ opprimunt, cum verbum Dei a memoria importunæ terrenorum sollicitudines tollunt. Veritas quippe dicit: *Sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Divitiæ fallaces sunt quæ diu nobiscum permanere non possunt. Fallaces sunt quæ nostræ mentis inopiam non expellunt. Solæ autem veræ divitiæ sunt quæ nos divites virtutibus faciunt.

CAP. XIV. — *Et aliud cecidit in terram bonam, et afferebat fructum tricesimum* (*Marc.* IV, 8).

(Homil. 17, in Ezech., n. 12.) Senarius numerus ideo perfectus esse dicitur, quia sexto die perfecit omnia opera sua Deus. Quod vero peccatori legem dedit, quæ in decem præceptis scripta est, et sex decies ducta in sexagenarium surgunt, recte per sexaginta bonorum operum perfectio designatur. Quod etiam aperte Dominus in Evangelio designat, qui cum parabolam seminantis exponeret, dixit: *Aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et excrescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.* Fructus enim terræ bonæ triginta affert, cum mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate, conceperit. Sexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfecta protulerit. Centum vero affert, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra est vita præsens, dextera vero est vita ventura. Et recte per centenarium numerum æternæ vitæ contemplatio designatur, quia cum post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum pervenimus, idem centenarius numerus in dexteram transit. Fides et operatio adhuc in sinistra est, quia hic adhuc positi, et credimus quod non videmus, et operamur ut videamus. Cum vero se animus in contemplationem æternæ vitæ suspenderit, quasi ad dexteram manum computus pervenit.

CAP. XV. — *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Marc.* IV, 9).

(Homil. 14, in Ezech., n. 2.) Sciendum quia oculi et aures corporis adsunt etiam carnalibus, eisque sunt in usu rerum quæ corporaliter videntur: oculi vero et aures cordis solummodo spiritualium sunt, qui invisibilia per intellectum vident, et laudem Dei sine sono audiunt. Has omnipotens Deus aures quærebat, cum diceret: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quis namque in illo populo tunc esse poterat qui aures corporis non haberet? sed dum dicitur: *Qui habet aures audiendi, audiat*, aperte monstratur quod illas aures quæreret quas omnes habere non poterant.

CAP. XVI. — *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram*, etc. (*Marc.* IV, 26).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 46; Homil. 15, in Ezech., n. 5, 6.) Electus quisque a rudimenti sui teneritudine prius inchoans, ad robusta postmodum et fortia convalescit; quod aperte Dominus in Evangelio sub messis nomine demonstrat, dicens: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo sementem in terram, et dormiat: et exsurgat nocte ac die, et semen germinet, et increscat, dum nescit ille.* Cujus nimirum seminis incrementa denuntians, adjungit: *Ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicas, deinde frumentum plenum in spica.* Cujus profectus quoque etiam finem subrogat, dicens: *Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam venit tempus messis.* Ecce Veritatis voce per qualitates frugum distincta sunt incrementa meritorum. Ait enim: *Primum herbam, deinde spicas, deinde plenum frumentum in spica.* Semen igitur homo jaciat in terram, cum cordi suo intentionem inserit bonam; et postquam semen jactaverit, dormit, quia in spe boni operis quiescit. Nocte vero exsurgit ac die, quia inter adversa et prospera proficit. Et semen germinat et crescit, dum ille nescit; quia dum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et ultro terra fructificat, quia, præveniente gratia, mens hominis spontanea ad profectum boni operis surgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe produeere est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum vero frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit. Sed cum ex se produxerit fructus, statim mittet falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus, producto fructu, falcem mittit, et messem suam desecat, quia cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad horrea cœlestia perducat. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in

terram mittimus; cum vero operari recta incipimus, herba sumus; cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus; cum in ejusdem operatione perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. Herba etenim Petrus fuerat qui passionis tempore per amorem Dominum sequens, hunc confiteri ante vocem ancillæ timebat. Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat omnium Redemptorem; sed valde adhuc flexibilis, pede conculcabatur timoris. Jam quidem per devotionem viridis, sed adhuc per infirmitatem tenera, cum ab ancillæ subito unius flatu sermonis inflexus est. Jam in spicam surrexerat, quoniam eum quem moriturum confiteri timuerat, nuntiante angelo, viventem in Galilæa videbat. Sed ad plenum granum in spica pervenerat, quando veniente desuper Spiritu, et suam mentem in illius amore roborante, ita solidatus est, ut vires persequentium cæsus despiceret, et Redemptorem suum inter flagella libere prædicaret, et persequentibus principibus resisteret, dicens : *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus* (*Act.* v, 29). Plenum frumentum inventus est, quando in tritura persecutionis tot verbera pertulit, et tamen nequaquam palearum more imminutus est, sed granum permansit. Nullus itaque qui ad bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur, quia frumentum Dei ab herba incipit ut granum fiat. Paulisper quippe in unaquaque anima, ut ita dicam, interiæ gratiæ humor exuberat, ut herba in frugem crescat. Nemo igitur quemlibet proximum, cum adhuc herbam videt, de frumento desperet; ab herbarum quippe foliis, quæ huc illucque molliter defluunt, surgentia frugum semina solidantur.

CAP. XVII. — *Simile est regnum Dei grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit : et factum est in arborem magnam, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus* (*Marc.* IV, 31).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 3.) Ipse quippe est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit. Granum namque fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret; granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis; granum, *quia vidimus eum, et non erat aspectus* (*Isa.* LIII, 2); arbor, *quia speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3). Hujus arboris rami sancti sunt prædicatores. Et videamus quam late tendantur. Quid enim de eis dicitur : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5) ? In istis ramis volucres requiescunt, quia sanctæ animæ, quæ quibusdam virtutum pennis a terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis et consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant.

CAP. XVIII. — *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum* (*Marc.* V, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 50.) Absque concessione omnipotentis Dei, nullam malignus spiritus contra hominem habet potestatem, quia, attestante Evangelio, describitur quod nec manere in obsesso homine potuit, nec rursus invadere bruta animalia non jussus præsumpsit. Ipsi enim Redemptori nostro a legione quæ hominem tenebat dictum est : *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Qui hanc et ab homine expulit, et in porcos ire eosque in abyssum mittere concessit. Ex qua re colligitur quantæ infirmitatis noster adversarius existat, cui si potestas summa licentiam non præbet, grassari nec in porcos valet. Quando ergo iste sua sponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimirum constat quod non jussus contingere nec porcos præsumat ? Illi ergo nos necesse est sponte subdi cui et adversa omnia subjiciuntur in vita, ut tanto nostris hostibus potentiores simus, quanto cum auctore omnium unum efficimur per humilitatem.

CAP. XIX. — *Revertere primum in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Dominus* (*Marc.* V, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XVI, n. 33, et l. VI, num. 60.) Aliud est Dominum cognoscere per fidem, atque aliud per speciem ; aliud est invenire per credulitatem, aliud per contemplationem. Ex qua re agitur ut omnes electi eum quem fide cognoverunt videre quoque per speciem anhelent, cujus amore fragrantes æstuant, quia dulcedinis ejus suavitatem jam in ipsa suæ fidei certitudine degustant. Sed qui contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis exerceant, quia primum est tempus actionis extremum contemplationis. Unde necesse est ut perfectus quisque prius virtutibus mentem exerceat, et postmodum hæc in quiete contemplationis abscondat. Hinc est enim quod in Gerasenorum regione is quem legio dæmonum Domino jubente dereliquit, ad Salvatoris sui pedes residet, verba doctrinæ percipit, et de regione sua simul discedere, et cum salutis auctore esse concupiscit ; sed tamen ei Veritas ipsa quæ salutem contulit, dicit : *Revertere primum in domum tuam, et narra quanta tibi fecerit Dominus* (*Ibid.*, 19). Amanti adhuc dilatio imponitur, ut ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeatur. Fit enim nobis omnipotens Deus dulcis in miraculis, et tamen in sua celsitudine manet occultus, ut quædam monstrando de se, occulta nos inspiratione in suo amore succendat, et tamen in abscondendo majestatis suæ gloriam, amoris sui vim per æstum desiderii augeat. Quid autem nomine domus, ad quam sanatus reverti præcipitur, nisi conscientia designatur, in qua habitamus contractando quid agamus ? Revertere igitur, ei dicitur, in domum tuam, et narra quanta fecerit Dominus; id est a peccati jam vitio securus ad conscientiam revertere, et in vocem prædicationis excitare. Cum enim quamlibet parum de divina cogitatione percipimus, redire ad humana jam nolumus, et proximorum necessitatibus onerari recusamus. Quietem contemplationis quærimus, nihilque aliud nisi hoc quod sine labore reficit, amamus; sed sanatos nos Veritas ad domum mittit, et narrare quæ nobiscum acta sunt præcipit; ut videlicet prius mens exsudet in opere, et postmodum refici debeat per contemplationem.

CAP. XX. — *Turbæ te comprimunt et affligunt* (*Marc.* V, 31).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 43; lib. III, num. 37.) Carnales intra sanctam Ecclesiam ea quæ confitendo tenent vivendo non exhibent, et fidem quam tenere se asserunt premunt potius quam venerantur, dum sua magis illius nomine quam ejus adipisci lucra concupiscunt. Electi autem dum servare fidei meritum rectis operibus curant, ad auctoris sui notitiam inter reproborum tumultus appropinquant. Quod bene in Evangelio in muliere sanguinis fluxu laborante signatum est, quæ premente turba sola Dominum tetigit. De qua cum Dominus diceret : *Quis me tetigit ?* Petrus ratiocinando respondit : *Turbæ te comprimunt, et affligunt, et dicis : Quis me tetigit ?* Sed audire causas veræ rationis meruit, cum ei Dominus dixit : *Tetigit me aliquis, nam et ego novi virtutem de me exisse.* Ecce turbæ premebant Dominum, et tamen sola tetigit quæ ad illum humiliter venit, quia multi nimirum etiam in sancta Ecclesia reprobi veritatem cognoscendo premunt quam bene vivendo tangere negligunt. Premunt et longe sunt, quia divinam notitiam professionibus sequuntur, moribus fugiunt. Premunt, inquam, sed longe sunt, qui eidem fidei quam loquendo astruunt, agendo contradicunt. Multi ergo Dominum comprimunt, et una tangit, quia carnales in Ecclesia eum comprimunt a quo longe sunt, et soli tangunt qui huic veraciter humiles adjunguntur. Turba igitur premit, quia multitudo carnalium, quo intus admittitur, eo gravius toleratur. Premit et non tangit, quia importuna est per præsentiam, et absens per vitam. Carnales itaque, quo verbis professæ fidei in Ecclesia sunt, eo bonos incorrectis suis moribus pejus premunt. Nonnunquam enim pravis nos sermonibus, nonnunquam vero solis perversis moribus insequuntur. Suadent namque aliquando quæ

tenent, aliquando vero etsi non suadeant, præbere tamen iniquitatis exempla non cessant. Qui igitur ad mala nos vel verbis, vel exemplis illiciunt, profecto persecutores nostri sunt, a quibus tentationum certamina sumimus quæ saltem in corde vincamus.

CAP. XXI. — *Resuscitavit Jesus filiam principis* (*Marc.* v).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 68.) Cum mira ope pietatis ad cor Veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, et post in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Evangelii historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam principis invitatus Dominus duceretur, protinus additur: *Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus, et surrexit puella.* Foras ergo turba ejicitur ut puella suscitetur, quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus jacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit.

CAP. XXII. — *Herodes decollavit Joannem Baptistam* (*Marc.* VI).

(Epist. 64, l. XI, in Resp. ad interrogat. et in exposit. B. Job, lib. XIII, n. 41, et l. III, n. 11. In Ezech. l. II, hom. 3, n. 21.) Cum cognata misceri prohibitum est, quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerit facta. Pro qua re etiam Joannes Baptista capite truncatus est, et sancto martyrio coronatus. Cui non est dictum ut Christum negaret, et tamen pro confessione occisus est, sed quia idem Dominus noster Jesus Christus dixerat: *Ego sum Veritas* (*Joan.* XIV, 6), quia pro veritate Joannes occisus est, videlicet et pro Christo sanguinem fudit. Quis autem non obstupescat quod prævalere perversi contra bonorum innocentiam permittuntur? cum Herodias apud temulentum regem saltatu filiæ obtinet ut caput amici Sponsi, prophetæ et plus quam prophetæ ante ora convivantium in disco deferatur. Non enim sine gravissima admiratione perpendo quod ille prophetiæ spiritu intra matris uterum impletus, atque ut ita dixerim, priusquam nasceretur renatus, ille amicus Sponsi, ille quo inter natos mulierum nemo major surrexit, ille sic propheta ut plus esset etiam quam propheta, ab iniquis in carcerem mittitur, et pro puellæ saltatu capite truncatur, et vir tantæ sanctitatis pro risu turpium moritur. Nunquidnam credimus quid fuisse quod in ejus vita illa sic despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo et silvestre mel edit? Quid Deo vel de qualitate sui tegminis deliquit qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conversatione sua offendere potuit qui de eremo non recessit? Quis illum loquacitatis reatus polluat qui disjunctus longe ab hominibus fuit? Quando illum vel silentii culpa attigit qui ad se venientes tam vehementer increpavit, dicens: *Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere ab ira ventura* (*Matth.* III, 7)? Quid est quod Dei voce Joannes laudatur, et tamen pro temulentæ verbis in saltationis præmium moritur? Quid est quod omnipotens Deus sic vehementer in hoc sæculo despicit quos sic sublimiter ante sæcula elegit, nisi hoc quod pietati fidelium patet, quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis, et foris usque ad despecta dejicit, quia intus usque ad incomprehensibilia perducit? Hinc ergo unusquisque colligat quid illic sint passuri quos reprobat, si hic cruciat quos amat; aut quomodo ferientur qui in judicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur qui ipso judice teste laudantur. Si igitur errantibus hujus mundi potentibus, fratres charissimi, libere loqui decernimus, Joannis auctoritas ad animum reducatur, qui, nequitiam Herodis reprehendens, pro verbi rectitudine occidi non timuit. Et quia Christus est veritas, ipse ideo pro Christo, quia pro veritate, animam posuit.

CAP. XXIII.—*Date illis vos manducare* (*Marc.* VI, 37).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 22.) Per prædicatores sanctos audientium subjectorum jejuna corda Dominus pascit, sicut de populis esurientibus discipulis conquerentibus respondit Dominus, dicens: *Date illis vos manducare.* Quod sic tunc eorum manibus factum esse credimus, ut hoc eorum verbis quotidie fieri sine cessatione videamus. Hoc enim agit Petrus, cum per Epistolas loquitur, ut verbi pabulo corda nostra male jejuna satientur; hoc Paulus, hoc Joannes per Epistolas loquentes operantur, ut mentes nostræ sacramenta cœlestia percipiant, et inediæ suæ fastidium quo moriebantur vincant.

CAP. XXIV.—*Et discubuerunt in partes, per centenos, et per quinquagenos* (*Marc.* VI, 40).

(In exposit. B. Job, lib. XVI, num. 68.) Diversæ Ecclesiæ in singulis mundi partibus positæ unam catholicam faciunt, in qua fideles omnes de Deo recta sentientes concorditer vivunt. Hinc namque in Evangelio Dominus per conviventium populorum, et per locorum distinctionem concordiam designavit, cum satiaturus de quinque panibus populos, quinquagenos per turmas, vel centenos discumbere præcepit; ut videlicet turba fidelium escam suam, et locis disjuncta et moribus conjuncta perciperet. Jubilæi quippe requies, quinquagenarii numeri mysterio continetur, et quinquagenarius bis ducitur, ut ad centenarium perducatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere ut post anima plenius quiescat in cogitatione, alii quinquageni, alii autem centeni discumbunt; quoniam sunt nonnulli qui jam a pravis actibus habent requiem operis, et sunt nonnulli qui perversis cogitationibus superatis habent jam requiem mentis.

CAP. XXV. — *Abiit in montem orare* (*Marc.* VI, 46).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 56.) Non est perfectus prædicator qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est quod ipsa Veritas per susceptionem nostræ humanitatis nobis ostensa, in montem per noctem orationi inhæret, miracula per diem in urbibus exercet, ut perfectis innuat prædicatoribus, quatenus nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant, sed quieti contemplantes sorbeant quod occupati erga proximos loquentes refundant. Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando ad utilitatem proximi redditur. Tunc autem ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit et quo bene descendit ad infima, eo valenter recurrit ad summa.

CAP. XXVI. — *Adducunt surdum et mutum, et deprecabantur eum ut imponeret ei manum* (*Marc.* VII, 32).

(Homil. 10, in Ezech., n. 20.) Audimus verba Dei si facimus, et tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat, dicens: *Adducunt autem surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponeret illi manum.* Cujus ordinem curationis insinuat, dicens: *Misit digitos suos in auriculas ejus, et exspuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in cœlum ingemuit, et ait illi: Effeta, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.* Quid est enim quod Creator omnium Deus, cum surdum et mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, et exspuens linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemptoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? Unde cum in loco alio ejecisset dæmonium, dixit: *Si in digito Dei ejicio dæmona, profecto pervenit in vos regnum Dei* (*Luc.* XI, 20). Qua de re per evangelistam aliud dixisse describitur: *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmones, profecto pervenit in vos regnum Dei* (*Matth.* XII, 28). Ex quo utroque loco colligitur quia digitus spiritus vocatur. Digitos igitur

in auriculas mittere est per dona sancti Spiritus mentem surdi ad obediendum aperire. Quid est vero quod exspuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis est ex ore Redemptoris accepta sapientia in eloquio divino, saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur. Qui suspiciens in cœlum ingemuit, non quod ipse necessarium gemitum haberet qui dabat quod postulabat, sed nos ad eum gemere qui cœlo præsidet docuit, ut aures nostræ per dona sancti Spiritus aperiri, et lingua per salivam oris, id est per scientiam divinæ locutionis, solvi debeat ad verba prædicationis. Cui mox *Effeta*, id est *adaperire*, dicitur; et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus. Qua in re notandum est quia propter clausas aures dictum est, *adaperire*; sed cui aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti proculdubio etiam linguæ ejus vinculum solvetur, ut bona quæ fecerit ipse etiam facienda aliis loquatur; ubi et bene additur : *Et loquebatur recte.* Ille enim recte loquitur qui prius obediendo fecerit quæ loquendo admonet esse facienda.

CAP. XXVII. — *Misereor super turbam* (*Marc.* VIII, 2).

(Homil. 21, in Ezech., n. 21, 22.) Oportet ut prædicatores in peccato positis prædicent, et cum jam cœperint peccata relinquere et ad innocentiam festinare, necesse est ut erga eos in ore doctoris incrementa prædicationis excrescant, et quibusdam doctrinæ suæ verbis tanto vehementius insistat, quanto eos gravius cecidisse considerat. Libet inter hæc ad medium Evangelii verba deducere, cujus sacra historia per hoc quod factum miraculum narrat mira quæ quotidie aguntur denuntiat. Nam cum fessi et jejuni ad Dominum populi convenissent, discipulis Dominus dicit : *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent : et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt.* Turba Dominum triduo sustinet, quando multitudo fidelium peccata quæ perpetravit per pœnitentiam declinans, ad Dominum se in opere, in locutione et cogitatione convertit. Quos dimittere jejunos in domum suam Dominus non vult, ne deficiant in via, quia videlicet conversi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ suæ pabulo dimittuntur. Ne ergo lassentur in hujus peregrinationis itinere, pascendi sunt a doctoribus sacra admonitione. Sicut alibi de esurientibus plebibus apostolis præcepit, dicens : *Date illis vos manducare.* Et rursum : *Nolo dimittere eos jejunos, ne deficiant in via.* Ac si diceret : In prædicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne a veritatis pabulo jejuni remanentes, in hujus vitæ labore succumbant. Valde autem pensanda est pia sententia quæ processit ex ore Veritatis, qua dicitur : *Quidam enim de longe venerunt.* Est aliquis qui nil fraudis et nil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis Dei servitium festinavit. Iste de longinquo non venit, quia per incorruptionem et innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem conjugium expertus, ad ministerium spirituale conversus est. Neque iste venit de longinquo, quia usus conjunctione concessa, per illicita non erravit. Alii vero post carnis flagitia, alii post falsa testimonia, alii post facta furta, alii post illatas violentias, alii post perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, et ad omnipotentis Dei servitium convertuntur : hi videlicet ad Deum de longinquo veniunt. Quanto etenim quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Domino longius recessit. Nam et prodigus filius qui patrem deseruit, abiit in regionem longinquam in qua porcos pavit, quia vitia nutrivit. Dentur igitur alimenta eis etiam qui de longinquo veniunt, quia conversis peccatoribus doctrinæ sanctæ cibi præbendi sunt, ut in Deum vires reparent, quas in flagitiis amiserunt; quia sæpe a doctoribus tanto necesse est ut largioribus cibis doctrinæ satientur, quanto fessi majoribus vitiis venerant.

CAP. XXVIII. — *Video homines tanquam arbores ambulantes* (*Marc.* VIII, 24).

Sunt quædam contemplativæ vitæ quæ per quasdam modo imagines videntur, ut postmodum sicut sunt in ipsa sua virtute et natura videantur. Nam Paulus ait : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12). Et cæcus cum impositione manuum Redemptoris jam lumen recipere cœpisset, requisitus est quid videret; et aspiciens ait : *Video homines velut arbores ambulantes.* Homo quippe natura rationalis est, arbor autem nec sensibilis est, nec vivit. Et quid iste illuminatus cæcus significat, nisi genus humanum? Cui cum Dominus contemplationis oculos aperit, prius quædam in ænigmate conspicit, ut postmodum illa vera et rationabilia cœlestium agmina, sicut sunt posita, aspiceret. Unde et illic subditur : *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, et cœpit videre, et restitutus est, ita ut videret clare omnia.* Prius itaque per speculum vidit et similitudinem, ut postmodum clare videret et perfecte.

CAP. XXIX. — *Assumpsit Jesus Petrum* (*Marc.* IX, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 29.) Noviter conversi prius suavitatem securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur; post cognitam vero dulcedinem tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto in Deo altius cognovere quod ament. Unde et Petrus prius in montem ducitur, prius claritatem transfigurationis dominicæ contemplatur, et tunc demum tentari ancilla interrogante permittitur (*Matth.* XXVI), ut per tentationem factus sibi ex infirmitate conscius, ad illud flendo et amando recurreret quod vidisset; et cum eum timoris unda peccati in pelagus raperet, esset prioris dulcedinis anchora quæ retineret.

CAP. XXX. — *Et vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix* (*Marc.* IX, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 8.) Dominus sanctis omnibus quibus dictum est, *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14), in illa æterna gloria vestietur. Unde et per Evangelium dicitur quia transfigurato in monte Domino, vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix. In qua transfiguratione quid aliud quam resurrectionis ultimæ gloriæ nuntiantur? In monte enim vestimenta ejus sicut nix facta sunt, quoniam in supernæ claritatis culmine omnes sancti luce fulgentes justitiæ ei adhærebunt.

CAP. XXXI. — *Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Non enim sciebat quid diceret* (*Marc.* IX, 4).

(In expos. B. Job, lib. VIII, num. 91, 92.) Tabernaculum construitur ut ab æstu corpus et frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine, nisi ædificatio terrenæ felicitatis exprimitur? Per quam super se reprobi casura multiplicant, ut se a præsentis vitæ necessitatibus quasi ab æstu et imbribus defendant. Honoribus enim excrescere ambiunt, ne despecti videantur; terrena aggregando exaggerant, ne inopiæ frigore tabescant. Ubi ergo mentis habitationem construunt, ibi procul dubio tabernacula figunt. At contra justi gaudent in hac terra despici, nec dolent se necessitatibus affligi; et quia contra præsentia se adversa non muniunt, quasi contra æstus et pluvias habere tabernaculum nolunt. Hinc est quod attestante Paulo (*Hebr.* XI) Abraham in casulis habitat quia habentem fundamenta civitatem quam supernus artifex construxit, exspectat. Unde et Petrus jure reprehenditur quia nondum mentis perfectione roboratus, veritatis claritate cognita, figere tabernaculum in terra conatur.
munitum sibi dives ille tabernaculum const
qui dicebat : *Anima, habes multa bona r*
annos multos, requiesce, comede et bibe, e

(*Luc.* XII, 19, 20). Sed quia tabernaculum ejus in veritatis fundamento non subsistit, illico audivit : *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam abs te; quæ præparasti, cujus erunt* (*Vers.* XX). Vitæ enim fugientis amatores, dum studiose se in præsentibus construere conantur, ad æternam repente pœnam rapiuntur.

CAP. XXXII. — *Elias venturus est, et restituet omnia* (*Marc.* IX, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 66 ; homil. 12, in Ezech. ; in exposit. B. Job, lib. XI, num. 24.) Quamvis ad cœlum raptus Elias esse perhibetur, mortem tamen distulit, non evasit. *Quis est enim homo qui vivit, et non videbit mortem?* Veniet itaque restituturus omnia, quoniam ad hoc nimirum huic mundo restituetur, ut et munera prædicationis impleat, et carnis debitum solvat. Sancta Ecclesia quamvis nunc Judæos amiserit, in fine tamen hujus sæculi dupliciter recipit quando gentibus ad plenum susceptis, ad ejus fidem currere omnis quæ tunc inventa fuerit etiam Judæa consentit. Hinc namque scriptum est : *Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 25). Hinc in Evangelio Veritas dicit : *Elias venit, et ipse restituet omnia.* Nunc enim amisit Israelitas Ecclesia quos convertere prædicando non valet, sed tunc, Elia prædicante, quotquot invenerit colliget, quod amisit plenius recipiet. Ex plebe quippe Judaica quotquot inventi fuerint convertentur, et ad Eliæ prædicationem multi ex his qui tunc ex Judæis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redibunt, et Dominum Jesum jam nequaquam quasi purum hominem contemnentes, ejus divinitati se inhærere congaudebunt. Judæi namque ante incarnationem Domini, eum esse venturum crediderunt, et annuntiaverunt, sed postquam in carne apparuit, hunc esse negaverunt; et quem venturum dixerant, præsentem contempserunt, et nequaquam ea credendo seculi sunt quæ patres suos prædixisse meminerunt. Elias autem veniens sicut per Malachiam dicitur, *Reducet corda filiorum ad patres eorum* (*Malach.* IV, 6) : quoniam hoc de Domino incipient filii intelligere, Elia prædicante, quod patres eorum prædicavere.

CAP. XXXIII. — *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX, 23).

(Mixtim ex lib. XXII, num. 49; in exposit. B. Job, et hom. 15, in Ezech., n. 4.) Fides nostra ad perfectionem suam quibusdam gradibus ducitur, quia pars ejus prius accipitur ut in nobis postmodum perfecte compleatur. Hinc est quod Redemptori nostro a discipulis dicitur : *Auge nobis fidem* (*Luc.* XVII, 5), ut quæ jam accepta per initium fuerat quasi per augmenta graduum ad perfectionem veniret. Si enim in credentis mente non proficeret, quidam veniens ad Dominum qui curari volebat suum filium, et interrogatus an crederet, minime dixisset : *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Pensate, rogo, quod dicitur. Si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore is qui necdum perfecte crediderat, simul et credebat et incredulus erat. Adhuc ergo ascendebat ad fidem quam jam perceperat qui jam se credere et adhuc ex incredulitate dubitare clamabat.

CAP. XXXIV. — *Comminatus est Jesus spiritui immundo* (*Marc.* IX, 24).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, n. 33, 34.) Cum antiquus hostis aliquem tentare incipit, prius quasi consulens, blanda et illicita animo suggerit, post ad delectationem pertrahit, ad extremum per consensionem possidens, violenta peccandi consuetudine, pœnæ insolubiliter constringit. Hinc est quod nonnulli peccata longo tempore perpetrata in semetipsis ipsi reprehendunt, et hæc ex judicio fugiunt; sed vitare opere nec decertantes possunt. Sciendum est etiam quod plerumque eis quos ceperit, tunc graviores culpas ingerit, cum præsentis vitæ termino illos propinquare cognoscit; et quos per initia prava ceperit, ad finem deteriores reddit, ut ejus tentamenta quo citius cessatura sint, eo valentius compleantur. Quia enim suis pœnis eorum satagit æquare supplicium, in eis ardentius ante mortem nititur omnia exaggerare peccata. Plerumque jam cor male subditum possidet, sed tamen divina illum gratia repellit, et misericordiæ manus ejicit quem ad se captiva voluntas introduxit. Cumque a corde expellitur, acriores infligere stimulos iniquitatum conatur, ut eos tentationum fluctus mens ab illo impugnata sentiat quos etiam possessa nesciebat. Quod bene in Evangelio exprimitur, cum exire de homine spiritus immundus Domino jubente narratur. Nam cum dæmoniacus puer fuisset oblatus, scriptum est : *Comminatus est Jesus spiritui immundo, dicens : Surde et mute spiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum. Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo.* Ecce non eum discerpserat cum tenebat, exiens discerpsit, quia nimirum tunc pejus cogitationes mentis dilaniat cum jam egressui divina virtute compulsus appropinquat, et quem mutus possederat cum clamoribus deserebat, quia plerumque cum possidet, minora tentamenta irrogat; cum vero de corde pellitur, acriori infestatione perturbat. Hostis itaque cor hominis possidens, semper in malitia ex posterioribus crescit; cor deserens, vehementioribus cogitationum stimulis percutit. Tanto igitur quisque debet initia tentationis fugere, quanto finem ejus intelligit citius solvi non posse. Superabile namque est omne quod hostis initio suggerit, sed inde sequitur quod vinci vix possit.

CAP. XXXV. — *Et factus est sicut mortuus* (*Marc.* IX, 25).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 50.) Carnales homines illos quasi mortuos deputant quos nequaquam secum vivere carnaliter pensant, qui scilicet ea non habent quæ ipsi habent vel solummodo amant. Qui enim ab hujus mundi appetitu moritur, a terrenis profecto mentibus omnimodo exstinctus æstimatur. Quod bene nostri miraculum Redemptoris signat, cum ab immundo spiritu hominem liberat, de quo scriptum est : *Clamans et multum discerpens, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus : ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit.* Velut mortuus quippe ostenditur qui a maligni spiritus potestate liberatur, quia quisquis jam terrena desideria subegit, vitam in se carnalis conversationis exstinguit, et mundo mortuus apparet, quia possessore pravo qui per immunda desideria se agitabat caret. Quem multi mortuum dicunt, quia qui spiritualiter vivere nesciunt, eum qui carnalia bona non sequitur exstinctum funditus arbitrantur.

CAP. XXXVI. — *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis* (*Marc.* IX, 41).

(Reg. pastor. part. I, cap. 2.) Nemo amplius in Ecclesia nocet quam qui perversa agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si Veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, quæ ait : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Per molam quippe asinariam sæcularis vitæ circuitus et labor exprimitur, et per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit vel exemplo, melius profecto fuerat ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa cæteris imitabilem demonstrarent; quia nimirum si

solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

CAP. XXXVII. — *Item unde supra.*

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 57.) Quid per molam asinariam nisi actio terrena signatur? Quæ dum colla mentis per stulta desideria constringit, hanc in laboris circuitum mittit. Quid vero per mare nisi præsens sæculum figuratur? Sunt itaque nonnulli qui dum terrenas actiones deserunt, et ad contemplationis studium, humilitate postposita, ultra vires intelligentiæ surgunt, non solum se in errorem dejiciunt, sed infirmos quosque a gremio unitatis dividunt. Qui igitur unum de minimis scandalizat, melius illi fuerat alligata collo mola asinaria in mare projici, quia nimirum perversæ menti expedibilius esse potuisset, ut, occupata mundo, terrena negotia agere et, quam per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret. Sunt enim nonnulli inquieti spiritus qui, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt; et dum Veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt.

CAP. XXXVIII. — *Habete sal in vobis: et pacem habete inter vos* (*Marc.* XXIX, 49).

(Mixtim ex homil. 8, in Ezech., n. 8, et Regul. past. part. II, cap. 4.) Sunt nonnulli qui dum plus sapere quam est necesse student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt. Unde per semetipsam Veritas admonet, dicens: *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos.* Per sal quippe designantur verba sapientiæ. Sal quippe sine pace non virtutis est donum, sed damnationis augmentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit, et idcirco inexcusabiliter multo majus supplicium merebitur, quia si voluisset, prudenter potuisset vitare peccatum. Quisquis igitur habere sal sapientiæ studet atque laborat, curet necesse est quatenus a pace concordiæ nunquam recedat. Præterea cum rector ad loquendum se præparat, sub quanto cautelæ studio eloquatur attendat, ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur, et cum forte sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat. Hinc Paulus ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Qui igitur sapienter loqui nititur, magnopere metuat ne ejus eloquio audientium unitas confundatur, implens quod dicitur: *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos.*

CAP. XXXIX. — *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo* (*Marc.* X, 17)?

(Homil. 37, in Evang., n. 6.) Dominus per alium evangelistam dicit: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius computat sumptus, qui necessarii sunt* (*Luc.* XIV, 26)? Ecce juxta Veritatis vocem qui turrim ædificat, prius ædificii sumptus parat. Si igitur, fratres, humilitatis turrim construere cupimus, prius nos ad adversa hujus sæculi præparare debemus. Hoc enim inter terrenum et cœleste ædificium distat, quod terrenum ædificium expensas colligendo construitur, cœleste vero ædificium expensas dispergendo. Ad illud sumptus facimus, si non habita colligamus, ad istud sumptus facimus, si habita relinquamus. Istos sumptus ille dives habere non potuit, qui possessiones multas possidens, magistrum requisivit, dicens: *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?* Qui cum præceptum audisset omnia relinquendi, tristis abscessit, et inde angustatus est in mente, unde foris latior fuit in possessione. Quia enim in hac vita amabat sumptus celsitudinis, tendendo ad æternam patriam, habere noluit sumptus humilitatis.

CAP. XL. — *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* X, 18).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 46.) Omnia quæ creata sunt bona sunt, attestante Moyse, qui ait: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Genes.* I, 31). Sed hoc solum bonum principaliter bonum est per quod hæc omnia quæ bona sunt non principaliter existunt; de quo bono Veritas dicit: *Nemo bonus, nisi unus Deus.*

CAP. XLI. — *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt* (*Marc.* X, 23).

(In exposit. B. Job, lib. IV, præfat. cap. 3; Regul. pastor. III part., cap. 20.) Rarum valde est ut qui aurum possident ad requiem tendant, dum per semetipsam Veritas dicit: *Difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum.* Nam qui hic multiplicandis divitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? Quod tamen ut Redemptor noster valde rarum et ex solo divino miraculo evenire posse monstraret: *Hoc*, inquit, *apud homines impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Divites igitur avari, cum vel plura ambiunt vel obtinere cuncta quæ ambierint possunt, audiant quod scriptum est: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* XVI, 20)? Ac si aperte Veritas dicat: Qnid prodest homini si totum quod extra est congregat, si hoc solum quod ipse est damnat.

CAP. XLII. — *Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cœlorum* (*Marc.* X, 25).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 38.) Cameli nomine Dominus in sacro eloquio exprimitur. Quia enim ad onera suscipienda sponte se camelus humiliat, non immerito Redemptoris nostri gratiam designat, qui in eo quod infirmitatis nostræ onera suscipere dignatus est, a potestatis suæ celsitudine sponte descendit. Unde per Evangelium dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam: et nemo tollit eam a me, sed ego pono eam* (*Joan.* X, 18). Et unde iterum dicit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Quid enim nomine divitis nisi quemlibet elatum, quid appellatione cameli nisi propriam condescensionem signat? Camelus enim per foramen acus transit, cum idem Redemptor noster usque ad susceptionem mortis per angustias passionis intravit, quæ passio velut acus exstitit, quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus per foramen acus quam dives cœlorum regnum ingreditur, quia nisi ipse prius infirmitatis nostræ onera suscipiens per passionem suam formam nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem illius superba rigiditas inclinaret.

CAP. XLIII. — *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum* (*Marc.* X, 38)?

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 9; homil. 27, in Evang., num. 4; homil. 35, in Evang., num. 7.) Filii Zebedæi Jacobus et Joannes, interveniente matre, locum celsitudinis et gloriæ a Domino quærebant, sed ejusdem gloriæ iter ignorabant. Confessionis quippe illius celsitudinem a dextris sinistrisque quærebant, sed quanta ad hanc esset itineris angustia minime videbant. Ad viam ergo per quam ad celsitudinem venirent a Domino tumentia illorum corda revocantur, et eorum mox oculis imitandus calix passionis objicitur; ut videlicet si ad sublimitatis gaudia tenderent, prius viam humilitatis invenirent. Dixit ergo eis Jesus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ac si dicatur eis: Jam vos locus delectat celsitudinis, sed prius vos via exerceat laboris, per calicem enim pertingitur ad majestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, prius bibite quod dolet; sic per amarum poculum confessionis, pervenitur ad gaudium salutis. Et quoniam duo sunt martyrii genera, unum in occulto opere, aliud in publico, testatur ipse Dominus, qui cum requisisset, dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* et illi dixissent: *Possumus*; illico subsecutus est, dicens: *Calicem quidem meum bibetis.* Quid enim

per calicem nisi dolorem passionis accipimus? De quo alio loco : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39). Zebedæi autem filii, id est Jacobus et Joannes, non uterque per martyrium occubuit, et tamen quod uterque calicem biberet audivit. Joannes namque per martyrium nequaquam vitam finivit, sed tamen martyr exstitit, quia passionem, quam non suscepit in corpore, servavit in mente. Mori quippe a persequente martyrium est in aperto opere, ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Et nos igitur, etiamsi nullo ferro percutientium trucidemur, martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodiamus.

CAP. XLIV.—*Stans Jesus cæcum illuminavit* (*Marc.* X).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 63.) Omnis creatura quia ex nihilo facta est, et per semetipsam ad nihilum tendit, non stare habet, sed defluere. Rationalis vero creatura, eo ipso quo ad imaginem auctoris est condita, ne ad nihilum transeat, figitur; irrationalis autem nequaquam figitur, sed donec visionis suæ ministerio speciem universitatis impleat, transeundo tardatur. Nam etsi cœlum ac terra post in æternum permanent, ex semetipsis tamen nunc ad nihilum properant, sed pro eorum usu quibus serviunt in melius mutata perseverant. Stare ergo solius Creatoris est, per quem cuncta non transeuntem transeunt, et in quo aliqua ne transeant retinentur. Unde et Redemptor noster, quia divinitatis ejus status capi ab humana mente non potuit, hinc se nobis ad nos in carne veniens creatus, natus, mortuus, sepultus, resurgens et ad cœlestia rediens quasi transeundo monstravit. Quod bene per Evangelium illuminato cæco innotuit, cui transiens auditum præbuit, sed stans oculos reparavit. Per humilitatis quippe dispensationem transire habet, per divinitatis vero potentiam, qua ubique præsens est, stare. Voces igitur cæcitatis nostræ Dominus audire transiens dicitur, quia humanæ miseriæ factus homo miseretur. Stans autem lucem reparat, quia infirmitatis nostræ tenebras ex virtute divinitatis illustrat.

CAP. XLV. — *Jesus sedens super asinum, venit Jerusalem* (*Marc.* XI).

(Mixtim in exposit. B. Job, lib. XXX, num. 40, et homil. 7, in Ezech., num. 2.) In amore auctoris et Redemptoris nostri fideles animæ ex Judaico populo, et ex gentilitate convenerunt. Unde et idem Redemptor noster cum asellum sedens, Jerusalem tenderet, sicut evangelista testatur : *Multi vestimenta sua straverunt in via : alii autem frondes cædebant de arboribus, et sternebant in via. Et qui præibant, et qui sequebantur, clamabant, dicentes : Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini* (*Marc.* XI, 7). Asinorum vel asinarum nomine aliquando mansuetudo simplicium designatur, et Jerusalem visio pacis dicitur. Quid ergo signat quod Dominus sedendo asinum Jerusalem ducit, nisi quod simplices mentes dum præsidendo possidet, eas usque ad visionem pacis sua sacra sessione perducit? Salvator itaque noster asellum sedens Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis anima, regens videlicet jumentum suum, ad pacis intimæ visionem perducit. Jumentum sedet etiam cum sanctæ Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Multi autem vestimenta sua in via sternunt, quia corpora sua per abstinentiam edomant, ut ei iter ad mentem parent, vel exempla bona sequentibus præbeant. Alii vero frondes, vel ramos de arboribus cædunt, et sternunt in via, quia in doctrina veritatis, verba sententiasque Patrum ex eorum eloquiis excerpunt, et hæc in via Dei ad auditoris animum venientes humili prædicatione submittunt. Quod indigni quoque et nos modo facimus. Nam cum Patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cædimus, et has in via omnipotentis Domini sternimus. Sed qui præibant, et qui sequebantur, clamabant : *Osanna*. Præcessit quippe Judaicus populus, secutus est gentilis, quia omnes electi, sive qui ex Judæa esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia existunt, in Mediatore Dei et hominum crediderunt et credunt. Qui præeunt, et qui sequuntur, *Osanna* clamant. Osanna autem Latina lingua *salva nos* dicitur. Ab ipso enim salutem priores quæsierunt, sequentes quærunt, et benedictum qui venit in nomine Domini confitentur, quoniam una spes, una fides præcedentium et sequentium populorum. Nam sicut illis peccata passione et resurrectione ejus sanata sunt, ita nos præterita passione illius, permanente in sæcula resurrectione salvamur. Quem enim priores nostri ex Judaico populo crediderunt et amaverunt venturum, hunc nos et venisse credimus et amamus, ejusque desiderio accendimur ut eum facie ad faciem contemplemur.

CAP. XLVI. — *Cathedras vendentium columbas Dominus evertit* (*Marc.* XI, 15).

(Homil. 17, in Evang., num. 13; in exposit. B. Job, l. XXV, num. 36.) Vobis sacerdotibus lugens loquor : quia nonnullos vestrum cum præmiis ordinationes facere agnovimus, spiritualem gratiam vendere, et de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam vestram non redit quod vox dominica præcipiens dicit : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 8)? Cur non ante mentis oculos revocatis quod templum Redemptor ingressus cathedras vendentium columbas evertit, et nummulariorum effudit æs? Qui namque sunt in templo Dei hodie qui columbas vendunt nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam impositionem Spiritus sanctus cœlitus datur? Columba igitur venditur quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est quod sacri canones simoniacam hæresim damnant, et eos sacerdotio privari præcipiunt qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi qui spiritualem gratiam venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos sacerdotio privantur. Et quidem multa sunt alia præpositorum mala quæ humanos modo oculos latent, et plerumque se pastores sanctos hominibus exhibent, atque in occultis suis videri turpes ante interni arbitri oculos non erubescunt. Ecce modo negari hominibus potest quod latenter agitur; ille certe judex venturus est, cui tacendo quisque se non potest celare quem negando non potest fallere. Veniet, veniet profecto dies ille, nec longe est, in quo pastorum Pastor appareat, et uniuscujusque facta in publicum deducat. Et qui modo subditorum culpas per præpositos ulciscitur, tunc præpositorum mala per semetipsum sæviens damnabit. Unde et ingressus templum per semetipsum, quasi flagellum de funiculis fecit, et de domo Dei pravos negotiatores ejiciens, cathedras vendentium columbas evertit; quia subditorum quidem culpas per pastores percutit, sed pastorum vitia per semetipsum ferit. Quamvis etiam subditorum vitia, quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari vel nequeunt, ejus proculdubio judicio reservantur. Igitur dum salva fide res agitur, virtutis est meritum si a discipulis quidquid prioris est damnabile modo toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emendari. Sed curandum summopere est ne in superbiam transeat justitiæ inordinata defensio, ne dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur, ne eum sibi præesse quisque despiciat quem fortasse contingit ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Nam vires nostras veraciter examinare negligimus; et quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos qui nobis prælati sunt districte judicamus. Communia

hæc mala sunt quæ sæpe a subditis in prælatos, sæpe a prælatis in subditos committuntur, quia et omnes subditos hi qui præsunt minus quam ipsi sunt sapientes arbitrantur : et rursum qui subjecti sunt rectorum suorum actiones judicant, et si ipsos regimen tenere contingeret, se posse agere melius putant. Unde plerumque fit ut et rectores minus prudenter ea quæ sunt agenda videant, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat, et nonnunquam is qui subjectus est hoc, cum prælatus fuerit, faciat quod dudum fieri subjectus arguebat ; et pro eo quod illa qui judicaverat perpetrat, saltem quia judicavit erubescat. Igitur sicut prælatis curandum est ne eorum corda æstimatione singularis sapientiæ locus superior extollat, ita subjectis providendum est ne sibi rectorum facta displiceant. Et quoniam rectores habent judicem summum, magna cautela subditorum est non temere vitam judicare regentium. Neque enim, sicut supra dixi, frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, et cathedras vendentium columbas evertit, significans quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum.

CAP. XLVII. — *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi* (*Marc.* XIII, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 22, 23, 24.) Antiquus hostis in fine sæculi, vas proprium illum perditum hominem, Antichristum scilicet, ingredietur, et suis viribus traditus pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos virtute laxabitur ; quem quamvis sævitia ad crudelitatem dilatat, superna tamen misericordia dierum brevitate angustat. Hinc enim per semetipsam Veritas dicit : *Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ad initio mundi usque modo, neque fiet.* Hinc rursus ait : *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Quia enim et superbos nos et infirmos Dominus conspicit, dies quos singulariter malos intulit misericorditer breviatos dicit, profecto ut et superbiam terreat de temporis adversitate, et infirmitatem refoveat de brevitate. Sed considerandum valde est in quo tunc atrocior quam nunc se erexerit antiquus hostis surgat. Quæ enim pœnarum genera non novimus, quæ non jam vires martyrum exercuisse gaudemus? Alios namque improviso ictu immersus jugulo gladius stravit ; alios crucis patibulum affligit, in quo mors et provocata repellitur, et repulsa provocatur ; alios hirsutis serra dentibus attrivit ; alios armata ferro insultans ungula carpsit ; alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit ; alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit ; alios effossa terra viventes operuit ; alios in altum demersos in mortem præcipitium fregit ; alios in se projectos aqua replendo absorbuit ; alios edax flamma usque ad cineres depasta consumpsit. Cum igitur antiquus hostis in fine mundi per Antichristum nequius insurrexit, quid est quod in his tormentis tunc atrocius crescat, nisi hoc quod in Evangelio per semetipsam Veritas dicit : *Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24)? Nunc enim fideles nostri mira faciunt cum perversa patiuntur, tunc autem hujus hostis satellites, etiam cum perversa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando plus martyr et corpus tormentis subjicit, et tamen ante ejus oculos miracula tortor facit? Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat signis coruscat? Nimirum etiam hostis ille antiquus et altus tunc erit veneratione prodigii, et durus crudelitate tormenti, quoniam non sola tunc potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcietur.

CAP. XLVIII. — *Et dabunt signa magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Marc.* XIII, 22).

(Mixtim in expos. B. Job, lib. XIV, n. 27, et lib. XXXIII, n. 61, ac homil. 9, in Ezech., n. 8.) Cum electi conspexerint signa et miracula quæ facient ministri et prædicatores Antichristi, quoddam dubietatis nubilum in corde patientur, et ex eorum prodigiis mendacibus caligo trepidationis ad momentum in eorum cordibus generabitur. Unde Veritatis ore per Evangelium dicitur : *Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* ; quod videlicet Dei electi casuri non sunt, sed magnis terroribus trepidaturi, quoniam tanta tunc circa justos iniquitate effrenabuntur, ut etiam electorum corda non parvo terrore feriantur. Qua in re valde quærendum est quomodo aut hi qui sunt electi possunt in errorem induci, aut cur *si fieri potest* quasi ex dubietate subditur, cum quid faciendum sit Dominus omnia præsciens præstolatur. Unum enim ex duobus est, quia si electi sunt fieri non potest ; si autem fieri potest, electi non sunt. Sed quia electorum corda et trepida cogitatione concutientur, et tamen eorum constantia non movebitur, una hac sententia Dominus utrumque complexus est, dicens : *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quasi enim jam errare est in cogitatione titubare, sed protinus *si fieri potest* subjungitur, quia procul dubio fieri non potest ut in errore electi plene capiantur. Ista ergo dominici sermonis dubitatio ex electorum cordibus designatio tentationis fuit, quia qui electi sunt ad persistendum per signa prædicatorum Antichristi tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur *si fieri potest* hoc exprimitur quod electi in corde tentabuntur. Nutant enim, sed non cadunt. Dicitur ergo *si fieri potest* quia trepidabunt, et tamen dicuntur electi quia non cadunt. Dubitatio ergo sermonis a Domino in electis exprimit trepidationem mentis, quos electos nominat, quia cernit quod in fide et bono opere persistunt.

CAP. XLIX. — *Adolescens sequebatur eum, amictus sindone*, etc. (*Marc.* XIV, 51).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, n. 54 et 57.) Cum Judæorum plebs miracula nostri Redemptoris cerneret, hunc ex signis honorabat, dicens : *Hic est Christus.* Cum vero humanitatis ejus infirma conspiceret, eum Creatorem credere dedignabatur, dicens : *Non, sed seducit turbas* (*Joan.* VII, 12). Sed quid mirum eum perpeti ista a plebibus, cum ipsi quoque qui legis doctores esse videbantur, qui eum verbis propheticis incarnandum esse perlibebant, et incarnatum viderunt, ab eo tamen, suadente perfidia, divisi, et a fide veritatis aversi sunt. Scribæ itaque et legis doctores, qui erudire populos ad vitam consueverant, dum incarnatum Deum conspicerent, consiliis suis multos ab ejus fide diviserunt, quamvis prius ad credendum incarnationis ejus mysterium per prophetarum verba multos docuisse viderentur. Quos etiam non solum ad non credendum, sed usque ad persequendum quoque Dominum turba populorum est secuta, et usque ad passionem illius sævitiæ facibus accensa. In qua videlicet passione discipulorum corda turbata sunt, et cum ad crucis aram ventum esset, eosque gravis ex persecutione Judæorum timor invasisset, singuli fugerunt ; mulieres vero quæ ad præparanda subsidia corporis exterioribus Domino mysteriis servierant, adhæserunt. Stetit quidem aliquandiu Petrus, sed tamen post territus, negavit. Stetit etiam Joannes, cui ipso crucis tempore dictum est : *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 27) ; sed perseverare minime potuit, quia de ipso quoque scriptum est : *Adolescens quidam sequebatur illum, amictus sindone super nudo ; et tenuerunt eum : at ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis.* Qui etsi post, ut verba sui Redemptoris audiret, ad aram crucis rediit, prius tamen territus fugit. Mulieres autem non solum non timuisse neque fugisse, sed etiam usque ad sepulcrum memorantur stetisse.

CAP. L. — *Invenerunt hominem Cyrenæum* (*Marc.* XV, 21).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 72.) Plerumque se hypocritæ mira abstinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, et quasi carnis vitam funditus in carne viventes exstinguunt, sicque per abstinentiam morti appropiant, ut pene quotidie morientes vivant; sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt, attestante Veritate, quæ ait : *Exterminant facies suas ut appareant hominibus jejunantes* (*Matth.* VI, 16). Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, et pectus interrumpentibus suspiriis urgetur. Sed inter hæc ab ore proximorum admirationis sermo quæritur, nihilque tanto labore aliud nisi æstimatio humana cogitatur. Quos nimirum bene Simon ille significat, qui dominicæ passionis tempore in angaria crucem Domini portabat, de quo scriptum est : *Invenerunt hominem Cyrenæum venientem obviam sibi, nomine Simonem : hunc angariaverunt, ut tolleret crucem Jesu.* Quod enim per angariam agimus, non B hoc ex studio amoris operamur. Crucem ergo Domini Jesu in angaria portare est afflictionem abstinentiæ pro alia quam necesse est intentione tolerare. An non Jesu crucem in angaria portat qui quasi ad præceptum Domini carnem domat, sed tamen spiritualem patriam non amat? Unde et Simon idem crucem portat, sed nequaquam moritur, quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo pejus vivit; quia et sæpe per sanctitatis imaginem locum regiminis indignus assequitur, qui nisi aliquid in se virtutis ostenderet, nullum percipere honorem mereretur; sed transit quod delectabiliter obtinet, et pœnaliter quod sequitur manet. Sanctitatis fiducia nunc in ore hominum ponitur, sed cum internus judex secreta cordis examinat, exterius vitæ testes quærit.

CAP. LI. — *Et perducunt eum in Golgotha locum : erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum* (*Marc.* XV, 22).

(Homil. 14, in Ezech., n. 6.) Omnia quæ Dominus incarnatus verbis docuit prius factis ostendit, sicut scriptum est : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1). Quia enim vocare nos ad cœlestem patriam venit, nimirum bona transitoria despicere, et mala temporalia non timere docuit. Unde et opprobria despexit, injurias pertulit, mortem non timuit, crucis patibulum non refugit; et cum hunc voluissent rapere et regem constituere statim fugit. Quid nobis his exemplis aliud innuit, nisi ut debeamus hujus mundi et adversa non metuere, et prospera vitare? Quia plus plerumque ejus bona occupant animum quam mala perturbent. Ante passionem vero suam contumelias audivit, nec tamen contumelias reddidit; traditorem suum diu tacitus pertulit, eique salutanti dare osculum non recusavit : suscepit mortem crucis, ne mori timeremus; ostendit die tertia resurrectionem, ut nos resurgere posse crederemus. Post passionem quoque suam, de his qui se crucifixerant ad fidei gratiam vocavit, bonum pro iniquitate reddidit, et nos exemplo suo de omnibus instruxit.

CAP. LII. — *Item unde supra.*

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 11.) Ad excedentem igitur omnia Redemptoris nostri vitam mentis oculos tendamus, ut in vita et in ejus præceptis agnoscamus quid in nostra vita minus habeamus, et ad vitæ ejus exempla nostram vitam dirigamus. Illinc namque scriptum est : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus : qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : qui cum malediceretur, non maledicebat : cum paterelur, non comminabatur* (*I Petr.* II, 21). Hinc per Paulum dicitur : *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum : qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (*Hebr.* XII, 1). Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, ut A humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.

CAP. LIII. — *Surrexit, non est hic* (*Marc.* XVI, 6).

(Homil. 21, in Evang., n. 6, 7.) Duæ erant vitæ, quarum unam novimus, alteram nesciebamus. Una quippe mortalis est, alia immortalis : una corruptionis, alia incorruptionis; una mortis, alia resurrectionis. Sed venit Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus; suscepit unam, et ostendit alteram : unam pertulit moriendo, et ostendit alteram resurgendo. Si igitur nobis mortalem vitam scientibus resurrectionem promitteret carnis, et tamen hanc visibiliter non exhiberet, quis ejus promissionibus crederet? Factus itaque homo apparuit in carne, mori dignatus est ex voluntate, sed resurrexit ex potestate, et ostendit exemplo quod nobis promisit in præmio. Ecce vero redit ad memoriam quod crucifixo Dei Filio Judæi insultantes, dicebant : *Si rex Israel est, descendat de cruce, et credimus ei.* Qui si tunc de cruce descendisset, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis suæ patientiæ non demonstrasset. Sed exspectavit paululum, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam, distulit admirationem. Et qui de cruce descendere noluit, de sepulcro surrexit. Plus igitur fuit de sepulcro surgere, quam de cruce descendere; plus fuit mortem resurgendo destruere, quam vitam descendendo servare. Sed cum Judæi hunc ad insultationes suas de cruce descendere minime cernerent, cum morientem viderent, eum se vicisse crediderunt, nomen illius se quasi exstinxisse gavisi sunt.

CAP. LIV. — *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI, 15).

(Mixtim ex homil. 29, in Evang., n. 1 et 2, et lib. VI exposit. B. Job, n. 20 et 21.) De Domini morte nomen ejus per universum mundum crevit, quia post C resurrectionem suam ad prædicandum Evangelium suum per omnem terram discipulos suos misit, dicens : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Omnis creaturæ nomine homo signatur, quia in ipso vera species et magna communio universæ creaturæ ostenditur. Omne namque quod est, aut est et non vivit, aut est et vivit, sed nequaquam sentit; aut est et vivit, et sentit, sed non intelligit nec discernit; aut est et vivit, sentit, intelligit et discernit. Sunt namque lapides, nec tamen vivunt; sunt arbusta, vivunt quidem nec tamen sentiunt : herbarum namque et arborum vita viriditas vocatur, sicut per Paulum de seminibus dicitur : *Insipiens tu : quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur* (*I Cor.* XV, 36); sicut bruta animalia vivunt et sentiunt, nec tamen intelligunt aut discernunt. Homo itaque quia habet commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, discernere cum angelis, recte nomine omnis creatura exprimitur, in quo juxta aliquid omnis creatura te- D netur. Unde cum Veritas discipulis Evangelium omni creaturæ prædicare præcipit, omnem creaturam solum hominem intelligi voluit, cui commune aliquid cum omnibus creavit. Sic itaque post resurrectionem, postquam discipulos suos ad prædicandum Evangelium misit, illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis; et postquam in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, de morte Domini nomen ejus per mundum crevit, ex qua hunc infidelis turba exstinxisse se credidit. Et quæ gaudebat occisum, dolet mortuum, quia hunc ad suam gloriam cognoscit pervenisse per pœnam. Si igitur, fratres charissimi, nostri Redemptoris membra sumus, præsumamus in nobis resurrectionem futuram quam in capite nostro constat esse factam. Resurrectionis ejus gloriam tota mente diligamus, et pro ejus amore moriamur. In resurrectione auctoris nostri ministros ejus angelos concives nostros agnovi-

mus. Ad horum ergo civium illam frequentem solemnitatem festinemus; his, cum necdum visione possumus, desiderio et mente jungamur : adjuvet omnipotens Deus ad vitam desiderium nostrum, qui pro nobis A in mortem dedit unicum Filium suum eumdem Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER TERTIUS.

Expositio Evangelii secundum Lucam.

CAPUT PRIMUM. — *Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, et uxor illi de filiabus Aaron, et nomen ejus Elizabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela* (*Luc.* I, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 10.) Coram Domino sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Caute ergo nimis in laudem justorum conjugum, Zachariæ et Elizabeth, ab evangelista dictum est : *Erant justi ambo ante Deum.* Non enim secura laus est justos ante homines apparere; sæpe enim humana sententia velut in Deo magnum quempiam approbat, sed hunc omnipotens Deus, qui quasi ex se approbatur, ignorat. Hinc est enim quod Psalmista vigilanter exorat, dicens : *Dirige in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* V, 9), nimirum quia plerumque in conspectu hominum recta via creditur etiam quæ a veritatis itinere depravatur.

CAP. II. — *Angelus Gabriel de Joannis promissione ad Zachariam dicit : Elizabeth uxor tua pariet tibi filium : et vocabis nomen ejus Joannem : ipse præcedet ante Dominum in spiritu, et virtute Eliæ* (*Luc.* I).

(Homil. 7, in Evang., n. 1.) Joannes idcirco in spiritu et virtute Eliæ venturus dicitur, quia sicut Elias secundum Domini adventum prævenit, ita Joannes prævenit primum. Inde est quod alio loco Dominus a discipulis inquisitus de adventu Eliæ, respondit : *Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt. Et si vultis scire, Joannes ipse est Elias* (*Matth.* XVII, 12). Requisitus autem Joannes a sacerdotibus et Levitis si esset Elias, dixit : *Non sum Elias.* Quid est hoc quia quod Veritas affirmat hoc propheta Veritatis negat? Sed si subtiliter veritas ipsa requiritur, hoc quod inter se contrarium sonat, quomodo non sit contrarium, invenitur. Joannes quippe in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat; sicut enim ille præcursor venturus est judicis, ita iste præcursor factus est Redemptoris. Quod ergo Dominus fatetur de spiritu, hoc Joannes denegat de persona, quia et justum sic erat ut discipulis Dominus spiritualem de Joanne sententiam diceret, et Joannes eisdem turbis carnalibus non de suo spiritu, sed de corpore responderet. Contrarium ergo veritati videtur esse quod Joannes sonuit, sed tamen a veritatis tramite non recessit.

CAP. III. — *Missus est angelus Gabriel* (*Luc.* I, 26).

(Homil. 34, in Evang., n. 9.) Cœlestis patriæ spiritus tunc solum angeli vocantur, cum per eos aliqua nuntiantur. Græca autem lingua angeli nuntii, archangeli summi nuntii vocantur. Hi enim qui minima nuntiant, angeli, qui vero summa annuntiant, vocantur archangeli. Hinc est quod ad Mariam Virginem non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur. Ad hoc quippe mysterium summum angelum dignum venire fuerat, qui summum omnium nuntiabat. Gabriel autem fortitudo Dei dicitur : ad Mariam ergo Gabriel mittitur qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe veniebat nuntiare qui ad debellandas aereas potestates humilis dignatus est apparere, de quo per Psalmistam dicitur : *Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens : Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII, 9). Et rursum, *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus, et potens in prælio, ad debellandas aereas potestates veniebat.

CAP. IV. — *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 33.) Obumbratio in sacro eloquio aliquando incarnatio Domini ponitur, vel mentis refrigerium a fervore carnalium cogitationum, quod servata veritate historiæ sermo testatur angelicus, qui ad Mariam dicit : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Per obumbrationis vocabulum incarnandi Dei utraque natura signatur : umbra enim a lumine et corpore formatur. Dominus autem per divinitatem lumen est, qui mediante anima in Virginis utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus utero erat corporandum, ei quæ incorporeum concepit ad corpus dicitur : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est, corpus in te B humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis; ex qua videlicet obumbratione omne in te refrigerium accipies mentis.

CAP. V. — *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 84, 85.) Nullus sanctorum, quibuslibet virtutibus plenus existat, æquari potest ei de quo beatæ Mariæ ab angelo dictum est : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Nos quippe, etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Ille autem veraciter solus sanctus natus est qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Huic se quidam hæresiarches æquare voluit, cum dixit : *Non invideo Christo facto Deo, quoniam si volo, et ipse possum fieri.* C Qui Dominum nostrum Jesum Christum non per mysterium conceptionis, sed per profectum gratiæ Deum putavit, perversa allegatione astruens eum purum hominem natum, sed ut Deus esset per meritum profecisse, atque ob hoc æstimans et se et quoslibet alios ei posse coæquari, qui filii Dei per gratiam fiunt, non intelligens nec attendens quia nemo potest ei coæquari. Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse. Nec æquari potest gloria Unigeniti habita per naturam, aliis accepta per gratiam. Mediator quippe Dei et hominum, homo Christus Jesus, non sicut iste hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in deitate est; non purus homo conceptus et editus, post, per meritum, ut Deus esset accepit, sed nuntiante angelo et adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, et manente incommutabili essentia, quæ ei est D cum Patre et cum Spiritu sancto coæterna, assumpsit intra virginea viscera unde et impassibilis pati et immortalis mori, et æternus ante sæcula, temporalis posset esse in fine sæculorum; ut per ineffabile sacramentum conceptu sancto et partu inviolabili secundum veritatem utriusque naturæ, eadem virgo et ancilla Domini esset et mater. Sic quippe ei ab Elizabeth dicitur : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* (*Luc.* I, 43)? Et ipsa Virgo concipiens,

dixit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Vers.* 38). Et quamvis ipse est aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine ; sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre, ipse qui fecit, ipse qui factus est, ipse speciosus forma præ filiis hominum per divinitatem, et ipse de quo dictum est : *Vidimus eum, et non erat aspectus* (*Isa.* LIII, 2) ; et non est species ei neque decor, per humanitatem ipse ante sæcula de Patre sine matre, ipse in fine sæculorum de matre sine patre, ipse conditoris templum, ipse conditor templi, ipse auctor operis, ipse opus auctoris. Manens itaque unus ex utraque et in utraque natura, nec naturarum est copulatione confusus, nec naturarum distinctione est geminatus.

CAP. VI. — *Beata quæ credidisti* (*Luc.* I, 45).

(Homil. 6, in Ezech., n. 8.) Aliquando ex præterito, et præsenti, atque ex futuro pariter animus tangitur prophetantis, sicut Elizabeth Mariam ad se venire conspiciens, quia Verbum incarnatum gestaret in utero agnovit, eamque jam Domini sui matrem vocavit, dicens : *Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me* (*Luc.* I, 43). De cujus conceptione per angelum quoque ad Joseph dicitur : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I, 20). Quæ videlicet Elizabeth dicit : *Beata quæ credidisti ; quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.* Dicens enim : *Beata, quæ credidisti*, aperte indicat quia verba angeli quæ dicta fuerant ad Mariam per Spiritum agnovit ; atque subjungens : *Perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino*, quæ etiam in futuro sequerentur prævidit. Simul ergo de præterito, et præsenti, atque ex futuro per prophetiæ spiritum tacta est : quæ et eam promissionibus angeli credidisse cognovit, et matrem nominans, quia Redemptorem humani generis in utero portaret intellexit ; et cum omnia perficienda prædicaret, quid etiam de futuro sequeretur, aspexit.

CAP. VII. — *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* (*Luc.* I, 76).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 6.) Via Domini non inconvenienter accipitur hoc quod ad cor nostrum venit, seque nobis intrinsecus infundit. Hinc ergo Joanni per Spiritum dicitur : *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus.* Quisquis enim prædicando a sordibus vitiorum corda audientium mundat, venienti Domino viam præparat.

CAP. VIII. — *Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent* (*Luc.* I, 79).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 4.) In Scriptura sacra umbra mortis aliquando oblivio mentis accipitur, quia sicut mors hoc quod interficit agit ut non sit in vita, ita et oblivio hoc quod intercipit agit ut non sit in memoria. Unde recte quia Joannes Hebræorum populo eum cujus obliti fuerant Dominum prædicare veniebat, per Zachariam dicitur : *Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.* In umbra enim mortis sedere est a divini amoris notitia in oblivione latescere.

CAP. IX. — *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* (*Luc.* I, 79).

(Homil. 36, in Evang., n. 4.) Viam pacis graditur quisquis a veritatis itinere in viam scandali non flectitur. Unde per Zachariam dicitur : *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Tunc enim gressus nostros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergimus, in quo ab auctoris nostri gratia non discordamus.

CAP. X. — *Et peperit Maria filium suum primogenitum, et reclinavit eum in præsepio* (*Luc.* II, 7).

(Mixtim ex lib. VII exposit. B. Job, n. 7.) Ante Redemptoris nostri adventum ex electis gentilibus et ex Hebraico populo sancti quique longo tempore redemptionem suam exspectando gemuerunt, et desideraverunt. Gentiles, quoniam eos necdum Redemptoris sui gratia reficiebat ; Judæi, quia, legem tenentes, legis auctorem non videbant. Beati enim Job attestante vita cognoscimus, ut exspectasse Redemptoris nostri adventum multos etiam gentiles credamus : et nascente Domino, Simeone in Spiritu in templum veniente, didicimus quanto desiderio ex plebe Israelitica sancti viri incarnationis ejus mysterium videre cupierunt. Unde et per eumdem Redemptorem discipulis dicitur : *Multi justi et prophetæ desideraverunt videre quæ videtis, et non viderunt* (*Luc.* X, 24) : sed hoc utrorumque desiderium per Redemptoris incarnationem impletum est et satiatum. Quia enim per prophetam dicitur : *Omnis caro fenum* (*Isa.* XL, 6) ; universitatis Conditor ex nostra substantia carnem sumens, fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fenum remaneret. Unde et natus Dominus in præsepe ponitur, ut videlicet signaretur quia sancta animalia, quæ jejuna diu apud legem sunt inventa, incarnationis ejus feno satiarentur. Præsepe enim natus implevit qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit, dicens : *Qui comedit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 57). Ipsa igitur generis humani, quæ venit in fine mundi, redemptio, ab iis qui a mundi præcesserunt initio tarda credebatur, et ab eis multum desiderabatur, quia longo temporis spatio a cœlestium remuneratione disjungebantur.

CAP. XI. — *Et pastores erant in regione eadem : et ecce angelus Domini stetit juxta illos, dicens eis : Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David* (*Luc.* II, 8).

(Homil. 10, in Evang., n. 1.) Quærendum est quidnam sit quod Redemptore nato pastoribus in Judæa angelus apparuit, et ad adorandum hunc ab Oriente Magos non angelus, sed stella perduxit. Quia videlicet Judæis tanquam ratione utentibus rationale animal, id est angelus prædicare debuit : gentiles vero, quia uti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem sed per signa perducuntur ; quoniam illis prophetiæ tanquam fidelibus, non infidelibus, et istis signa tanquam infidelibus, non fidelibus data sunt.

CAP. XII. — *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 34, et lib. XXVII, n. 29, ac homil. 8, in Evang., n. 2.) Deus Pater omnipotens unicum Filium, quem sine tempore genuit, salvandis hominibus cum tempore ostendit ; qui profecto Filius humanam naturam suscipiens, ad ima de sublimibus venit. Cujus incarnationis mysterium etiam electi angeli mirati sunt, qui eodem mysterio redempti non sunt ; et cum redemptis in fine mundi hominibus largitatem gratiæ supernæ glorificaverunt. Ipsi quippe ut nos ad laudem Conditoris accenderent, orto per carnem Domino, clamaverunt : *Gloria in excelsis Deo.* Redemptoris ergo potentiam laudant et glorificant, quia redemptioni nostræ voces suæ exsultationis accommodant ; quia dum nos conspiciunt recipi, suum gaudent numerum impleri. Antequam igitur Redemptor noster per carnem nasceretur, discordiam cum angelis habuimus, a quorum claritate et munditia per primæ culpæ meritum et per quotidiana delicta longe distabamus. Quia enim peccando extranei eramus a Deo, extraneos nos a suo consortio deputabant angeli cives Dei. Sed eorumdem spirituum ad nos Conditor venit, seque hominem etiam sub ipsis exhibuit, sicut de illo Patri per Prophetam dicitur : *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII, 6). Et quia inter nos et eosdem spiritus discordantis vitæ scandalum reperit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate summa creans, ima susci-

piens, ima cum summis junxit. Hinc est igitur quod eodem rege nato, angelorum chori in ejus annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt, et devicta pravæ vitæ discordia, nos quos dudum despexerant cives agnoscunt, consono ore prædicantes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ac si aperte dicant : Quos a nobis malitia disjunxerat jam nunc in terra nata bonitas jungat. Is ergo qui propter nos minor angelis exstitit, æquales nos angelis virtute suæ minorationis fecit. Et quia cognovimus regem nostrum, recognoverunt nos angeli cives suos. Quia enim rex cœli terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa jam angelica celsitudo non despicit, ad pacem nostram angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, et quos prius infirmos abjectosque despexerant jam socios venerantur. Hinc est enim quod Loth et Josue angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur ; Joannes vero in Apocalypsi adorare angelum voluit, sed tamen hunc idem angelus ne se debeat adorare compescit, dicens : *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum et fratrum tuorum* (*Apoc.* XXII, 9). Quid est quod ante Redemptoris adventum angeli ab hominibus adorantur et tacent, postmodum vero adorari refugiunt ; nisi quod naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt ? Non enim jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in cœli rege venerantur, nec habere dedignantur hominem socium qui super se adorant hominem Deum.

CAP. XIII. — *Pastores venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio* (*Luc.* II, 16).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 3.) Præsepe Scriptura sacra non inconvenienter accipitur, in qua verbi pabulo animalia sancta satiantur, de quibus per Prophetam dicitur : *Animalia tua habitabunt in ea* (*Psal.* LXVII, 11). Natus igitur Dominus a pastoribus in præsepe reperitur, quoniam ejus incarnatio in ea qua nos reficiunt prophetarum Scriptura cognoscitur.

CAP. XIV. — *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II, 35).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 17.) In Scriptura sacra aliquando per gladium sancta prædicatio, aliquando temporalis designatur tribulatio. Gladius sancta prædicatio ponitur, sicut Paulus ait : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17). Gladius tribulatio temporalis accipitur, sicut beatæ Mariæ de secuturis tribulationibus dicitur : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

CAP. XV. — *Invenerunt puerum Jesum parentes ejus in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos* (*Luc.* II, 42).

(Regul. pastor. part. III, c. 25.) Redemptor noster, cum in cœlis sit Conditor, et ostensione suæ potentiæ semper angelorum doctor, ante tricenale tempus in terra magister fieri noluit hominum, ut videlicet præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam qui labi non posset perfectæ vitæ gratiam nonnisi perfecta ætate prædicaret. Scriptum quippe est : *Cum factus esset annorum duodecim, remansit puer Jesus in Jerusalem :* de quo a parentibus requisito paulo post subditur : *Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem illos.* Vigilanti itaque consideratione pensandum est quod cum Jesus annorum duodecim dicitur, in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit. Hinc vero per Paulum discipulo dicitur : *Præcipe hæc, et doce : et nemo adolescentiam tuam contemnat* (*I Tim.* IV, 12). Sciendum nobis est quoniam in sacro eloquio aliquando adolescentia juventus vocatur, quod citius ostenditur si Salomonis ad medium verba proferantur, qui ait : *Lætare juvenis in adolescentia tua* (*Eccl.* XI, 9). Si enim unum utraque esse non discerneret quem monebat in adolescentia, juvenem non vocaret.

CAP. XVI. — *Item unde supra.*

(Homil. 2, in Ezech., n. 3.) Juxta rationis igitur usum sermo doctrinæ non suppetit, nisi in perfecta ætate, nec præsumat aliquis prædicare in infirma ætate, quia ille anno duodecimo ætatis suæ interrogare dignatus est homines in terra, qui per divinitatem suam angelos semper docet in cœlo. Quia enim ipse est Dei sapientia, de ipso angeli videndo vivunt hoc quod beatitudine æterna satiantur.

CAP. XVII. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Luc.* III, 8).

(Mixtim ex lib. XVIII exposit. in B. Job, n. 52. et lib. XX, n. 60, ac homil. in Ezech. 11, n. 19.) In Scriptura sacra aliquando lapides in malo, aliquando vero in bono solent accipi. Nam cum lapides pro insensibilitate ponuntur, dura per lapides corda signantur. Unde quod præmisimus per Joannem dicitur : *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Qui videlicet nomine lapidum corda designat gentilium, dura tunc et insensibilia per infidelitatem ; et per prophetam Dominus pollicetur, dicens : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis carneum.* Per lapides itaque pro ipsa duritia gentiles populi designantur. Ipsi quippe lapides coluerant, et de eis per Prophetam dicitur : *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII, 8). Unde Joannes Judæos aspiciens se de æstimatione generationis extollere, et gentiles prævidens ad Abrahæ prolem cognitione fidei transire, ait : *Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* : lapides utique duros perfidia gentiles vocans ; et rursum per lapides solent designari fortium mentes, unde per Petrum sanctis dicitur : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales* (*I Petr.* II).

CAP. XVIII. — *Jam securis ad radicem arborum posita est* (*Luc.* III, 9).

(Regul. pastor. part. III, c. 21.) Noverint tenaces quod hanc primum Deo injuriam faciunt, quia danti sibi omnia nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc etenim Psalmista ait : *Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ* (*Psal.* XLVIII, 8). Pretium namque redemptionis dare est opus bonum prævenienti nos gratiæ reddere. Hinc Joannes exclamat, dicens : *Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Qui ergo se innoxios quia aliena non rapiunt æstimant, ictum securis vicinæ prævideant, et torporem improvidæ securitatis amittant, ne cum ferre fructum boni operis negligunt, a præsenti vita funditus quasi ex viriditate radicis exsiccentur. Sollicite etiam tenaces attendant, quod ficulnea quæ fructum non habuerit, contra hanc districtius agricola queritur, quod etiam terram occupavit. Terram quippe ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat inutiliter servat. Terram sine fructu ficulnea occupat, quando locum quem exercere alius per solem boni operis valuit stultus per desidiæ umbram premit. Hi autem tenaces nonnunquam dicere solent, cum concessis utimur, aliena non quærimus, etsi digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen perversa perpetramus. Quod idcirco sentiunt, quia videlicet aurem cordis a verbis cœlestibus claudunt. Neque enim dives in Evangelio (*Luc.* XVI), qui induebatur purpura et bysso, qui epulabatur quotidie splendide, aliena rapuisse, sed infructuose propriis usus fuisse perhibetur. Eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscipit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit.

CAP. XIX. — *Qui habet duas tunicas, det non habenti* (*Luc.* III, 8).

(Homil. 17, in Evang., n. 3.) In pace sanctæ Ecclesiæ possumus probare si amicos diligamus, si persecutionis tempore mori pro dilectione valeamus. Certe Joannes evangelista dicit: *Qui habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo* (*I Joan.* III, 17). Hinc etiam Joannes Baptista ait: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Qui ergo tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam, quando in persecutionis tempore daturus est animam suam? Virtus ergo charitatis, ut invicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate, quatenus omnipotenti Deo primum discat sua impendere, postmodum se.

CAP. XX. — *Venit fortior me post me* (*Luc.* III, 16).

(Homil. 20, in Evang., n. 4). Joannem Baptistam quia mira sanctitate præditum populus viderat, hunc esse Christum putabat, sicut per Evangelium dicitur: *Æstimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus, quem et requirebant, dicentes: Nunquid Christus es tu* (*Luc.* III, 15)? Sed nisi idem Joannes apud se humilis existeret, repletus spiritu gratiæ non fuisset, qui ut hoc quod erat ostenderet ait: *Venit fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus.* Ecce cum pro mira operatione virtutum talis esset, ut Christus esse crederetur, non solum Christum se non esse respondit, sed etiam corrigiam calceamenti ejus solvere, id est incarnationis ejus mysterium perscrutari, se non dignum esse perhibuit.

CAP. XXI. — *Cujus ventilabrum in manu sua est, et permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili* (*Luc.* III, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, n. 12, 15, et lib. XXVII, n. 54.) Aristæ in spica prodeunt conjunctæ, sed crescendo paulisper a se hirsutæ disjunguntur et rigidæ. Sic nimirum ad hujus mundi gloriam pravi divites surgunt: naturæ enim sibi communione conjuncti sunt, sed contra se vicissim crescendo dividuntur. Alius quippe alium despicit, et alter in alterum invidiæ facibus ignescit. Qui ergo ex tumore mentis a charitatis unitate se separant, quasi aristarum more contra se rigidi stant. Quid igitur pravos hujus mundi divites dixerim, nisi aristas quasdam humani generis? Qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam unanimiter affligunt, adversum se quidem divisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt. Nunc igitur aristæ ad alta prosiliunt, grana latent, quoniam et reproborum potentia eminet, et electorum gloria non apparet: illi se honorum fastibus ostendunt, isti in humilitate se deprimunt; sed tritigræ tempus adveniet, quod et aristarum rigiditatem frangat, et solida grana non conterat. Tunc quippe superbia iniquorum comminuitur, tunc electorum vita, quanta fulgeat integritate, declaratur; quia cum injusti deficiunt, ex hac ipsa aristarum contritione agitur ut grana appareant quæ latebant. Cumque aristæ franguntur, granorum candor ostenditur, quia iniquis in æterna supplicia cadentibus, sanctorum justitia, quanta veritate candeat, demonstratur. Unde recte per Joannem de Domino dicitur: *Cujus ventilabrum in manu sua est et permundabit aream suam, et triticum recondet in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Electi quippe in sancta Ecclesia sunt frumenta Dei cœlestibus recondenda horreis. Quæ nunc in area trituræ paleas tolerant, quoniam in hac Ecclesiæ sanctæ purgatione mores contrarios reproborum portant, quousque hanc internus agricola ventilabro judicii dirimat, et in habitacula superna suos electos quasi munda jam grana suscipiens, æternis paleas ignibus tradat.

CAP. XXII. — *Ascendit Jesus in naviculam Petri, et rogavit ut a terra reduceret pusillum* (*Luc.* V, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, n. 36, 37.) Apostoli A curaverunt summopere rudibus populis plana et capabilia, non summa atque ardua prædicare. Nam si scientiam sanctam, ut hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate ejus auditores suos opprimerent potius quam rigarent. Unde suos auditores distillatione verborum nutriens Paulus apostolus loquebatur, dicens: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III, 1, 2). Quis enim ferre potuisset, si raptus usque ad tertium cœlum, raptus in paradisum, etiam arcana verba audiens quæ loqui homini non liceret, tam immensos supernæ patriæ sinus aperiret? Aut cujus virtutem auditoris non opprimeret, si ea quæ intrinsecus haurire poterat, in quantum carnis lingua sufficeret, extrinsecus inundans aquæ hujus immensitas emanasset? Ut igitur auditores rudes non inundatione scientiæ, sed moderata prædicationis distillatione foveantur, prædicationem doctorum Deus temperat, ut auditorum infirmitas doctorum rore nutrita convalescat. Quod bene in Evangelio mystica descriptione narratur, dum dicitur: *Ascendit Jesus in naviculam Petri, et rogavit ut a terra reduceret pusillum: et ita sedens prædicabat turbis.* Per navem Petri quid aliud quam commissa Petro Ecclesia designatur? De qua ut Dominus turbis confluentibus prædicet, eam a terra paululum reduci jubet. Quam nec in altum duci, et tamen a terra præcipit removeri: profecto significans prædicatores suos rudibus debere populis nec alta nimis de cœlestibus nec tamen terrena prædicare.

CAP. XXIII. — *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine* (*Luc.* V, 8).

(Homil. 9, in Evang., n. 3.) Sunt plerique in Ecclesia qui melioris vitæ vias aggredi metuunt, et tamen jacere in sui corporis ignavia non pertimescunt. Cumque se peccatores considerant, sanctitatis vias arripere trepidant, et remanere in suis iniquitatibus non formidant. Quorum bene Petrus adhuc in infirmitate positus speciem tenet, cum viso miraculo piscium, dixit: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum.* Imo, si te peccatorem consideras, oportet ut a te Dominum non repellas. Sed qui idcirco melioris habitus vias, et vitæ rectioris arcem apprehendere nolunt quia se infirmos esse conspiciunt, quasi peccatores se fatentur, et Dominum repellunt, eumque in quo sanctificari debuerant fugiunt, et velut in perturbatione consilium non habent dum moriuntur et vitam timent.

CAP. XXIV. — *Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (*Luc.* VI, 31).

(Homil. 38, in Evang., n. 11.) Charitas in duobus præceptis, in dilectione Dei scilicet, et proximi continetur; et ipsa dilectio proximi in duobus præceptis subdividitur, cum quidam sapiens dicat: *Omne quod odis tibi fieri, vide ne ipse facias alteri* (*Tob.* IV, 16). Et per semetipsam Veritas prædicat, dicens: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis.* Si enim et quod impendi nobis recte volumus, hoc aliis impartimur; et quod nobis fieri nolumus, hoc aliis ipsi facere devitamus, charitatis jura illæsa servamus. Sed nemo cum quempiam diligit, habere se charitatem protinus putet, nisi prius ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat. Charitas autem vera est, cum et in Deo diligitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos quos diligit, qui jam et eos diligere a quibus non diligitur scit. Probari etenim charitas per solam odii adversitatem solet; unde et per semetipsum Dominus dicit: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* V, 44). Ille ergo securus amat qui propter Deum et illum amat a quo se intelligit non amari. Duo igitur præcepta charitatis, dilectionem Dei videlicet et proximi, necesse est ut custo-

diat quisquis habere in nuptiis, id est in sancta Ecclesia, vestem nuptialem curat. Hinc est enim quod apud Ezechielem prophetam portæ civitatis in monte constitutæ vestibulum duobus cubitis mensuratur, quia nimirum accessus nobis cœlestis civitatis non panditur, si in hac Ecclesia quæ pro eo quod adhuc foris est vestibulum dicitur Dei et proximi dilectio non tenetur.

CAP. XXV. — *Dimittite, et dimittetur vobis : date, et dabitur vobis* (*Luc.* VI, 37).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 27.) Quia, teste Paulo (*I Cor.* XIII), charitas patiens et benigna describitur, per patientiam aliena mala debemus æquanimiter tolerare, et per benignitatem bona nostra misericorditer impendere, sicut Redemptor humani generis nos admonet, et dicit : *Dimittite, et dimittetur vobis : date, et dabitur vobis.* Dare namque nostrum ad res pertinet quas exterius habemus, dimittere autem ad relaxandum dolorem quem interius ex aliena culpa contrahimus. Sed sciendum est quia qui omnino dimittit et non dat, etsi non plene operatus est, meliorem tamen partem misericordiæ tenuit. Qui vero dat et minime dimittit, omnino misericordiam nullam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur quod obligato corde in malitia profertur. Mundari etenim debet prius animus qui eleemosynam præbet, quoniam omne quod Deo datur ex dantis mente pensatur.

CAP. XXVI. — *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui*, etc. (*Luc.* VI, 41)?

(Regul. pastor. part. III, cap. 9.) Dominus in Evangelio dicit : *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos : orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Luc.* VI, 27). Virtus est coram hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram Deo, diligere, quia hoc solum sacrificium Deus accipit quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Hinc est quod rursum quibusdam patientibus, nec tamen diligentibus, dicitur : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Perturbatio quippe impatientiæ festuca est, malitia vero in corde, trabes in oculo. Illam enim aura tentationis agitat, hanc consummata nequitia pene immobiliter portat. Recte igitur illic subjungitur : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Ac si dicatur menti iniquæ interius dolenti, et sanctam se exterius per patientiam demonstranti : Prius a te molem malitiæ excute, et tunc alios de impatientiæ levitate reprehende, ne dum non studes simulationem vincere, pejus sit tibi aliena prava tolerare.

CAP. XXVII. — *Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis* (*Luc.* XV, 10).

(Regul. pastor. part. III, cap. 28.) Sæpe nonnulli ad Dominum post carnis peccata redeuntes, tanto se ardentius in bonis operibus exhibent, quanto damnabiliores se de malis vident; et sæpe nonnulli in carnis integritate perdurantes, cum minus se respiciunt habere quod defleant, plene sibi sufficere vitæ suæ innocentiam putant, et ad fervorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant. Et fit Deo plerumque gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia. Unde et voce judicis dicitur : *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Et : *Gaudium erit in cœlo super uno pœnitente, quam super nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentia* (*Luc.* VII, 47). Quod citius et ex ipso usu colligimus, si nostræ mentis judicia pensemus. Plus namque terram diligimus, quæ post spinas exarata fructus uberes producit, quam quæ nullas spinas habuerit, sed tamen exculta sterilem segetem gignit.

CAP. XXVIII. — *Convocatis Dominus duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent : et misit illos prædicare regnum Dei, et infirmos curare* (*Luc.* IX, 1).

(Homil. 4, in Evang., n. 3.) Concessa sunt et adjuncta sanctis prædicatoribus a Domino miracula, ut fidem verbis daret virtus ostensa, et nova facerent qui nova prædicarent. Florente enim mundo, crescente genere humano, diu in hac vita carne subsistente, rerum opulentia exuberante, quis cum audiret aliam esse vitam, crederet? quis invisibilia visibilibus præferret? Sed ad salutem redeuntibus infirmis, ad vitam resurgentibus mortuis, carnis munditiam recipientibus leprosis, ereptis a jure spirituum immundorum dæmoniacis, tot visibilibus miraculis exactis, quis non crederet quod de invisibilibus audiret? Ad hoc quippe visibilia miracula coruscant ut corda audientium ad fidem invisibilium pertrahant; ut per hoc quod mirum foris agitur, hoc quod intus est longe mirabilius esse sentiatur. Unde nunc quoque cum fidelium numerositas intra sanctam excrevit Ecclesiam, multi sunt qui vitam virtutum tenent, sed signa virtutum non habent, quia miraculum frustra foris ostenditur si deest quod intus operetur. Nam juxta magistri gentium vocem : *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus* (*I Cor.* XIV, 22). Unde idem prædicator egregius Melitem veniens, et plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteria febribusque vexatum orando sanavit (*Act.* XXVIII), et sanctæ prædicationis adjutorem Timotheum ex infirmitate stomachi lassescentem non verbo curat, sed medicinali arte mederi parat, dicens : *Modico vino utere propter stomachum, et frequentes tuas infirmitates* (*I Tim.* V, 23). Qui ergo infirmum infidelem una prece salvat, cur ægrotum socium prece non liberat? Quia nimirum ille foris per miraculum sanandus erat qui vivus interius non erat, ut per hoc quod exterior potestas ostenderet, hunc ad vitam interior virtus animaret; ægrotanti autem fideli socio signa foris non fuerant exhibenda qui salubriter intus vivebat.

CAP. XXIX. — *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos* (*Luc.* IX, 58).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 2.) Cuidam diviti superba sapienti dicitur a Domino : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Vulpes valde fraudulenta sunt animalia quæ in fossis vel specubus se abscondunt. Cumque apparuerint, nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt; volucres vero, ut novimus, alto volatu se in aera sublevant. Nomine vero vulpium dolosa et fraudulenta, nomine vero volucrum hæc eadem superba designantur dæmonia; ac si dicat : Fraudulenta et elata dæmonia in corde vestro, id est in cogitatione superbiæ inveniunt habitationem suam : Filius autem hominis ubi caput suum reclinet non habet, id est humilitas mea requiem in superba mente vestra non invenit. Quasi in quodam volatu volucris illa prima se extulit quæ per elatam cogitationem dixit : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum : ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13). Ecce quam alta superbe volando petiit, quem etiam volatum et primis hominibus persuasit. Ipsi quippe volando quasi super se ire conati sunt, quando eis dictum est ut gustarent et essent sicut dii. Cumque similitudinem divinitatis appetierunt, immortalitatis munera perdiderunt. Qui in terram moriendo non iissent, si super terram humiliter stare voluissent.

CAP. XXX. — *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos* (*Luc.* IX, 60).

(In exposit. B. Job, lib. IV, sparsim, a n. 49 ad num. 53.) Quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur, postmodum vero etiam ante oculos hominum sine confusione

reatus aperitur, dehinc et in consuetudinem ducitur, ad extremum quoque, vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Cum autem culpa in usum venerit, ei jam animus, etiamsi appetat, debilius resistit, quia quot vicibus pravæ frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. Unde fit ut cum enervis animus solvi non valet, ad quædam se solatia falsæ consolationis inclinet, quatenus venturum judicem tantæ sibi misericordiæ spondeat, ut eos etiam quos arguendos invenerit penitus non occidat ; cui rei hoc deterius accidit quod ei multorum similium lingua consentit, cum etiam male gesta laudibus exaggerant, sicut per Psalmistam dicitur : *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ : et cum iniqua egerit iniquus, benedicitur* (*Psal.* IX, 24). Unde fit ut incessanter crescat culpa favoribus nutrita. Curari vero vulnus negligitur quod dignum præmio laudis videtur. Unde et per Salomonem dicitur : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* (*Prov.* I, 10). Peccatores etenim lactant, cum vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata favoribus extollunt. Sciendum quoque est quod illi tres modi peccantium juxta sui descensus ordinem facilius corriguntur ; quartus vero iste difficilius emendatur. Unde et Redemptor noster puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulcro vero Lazarum suscitavit. Adhuc quippe mortuus in domo jacet qui in peccato latet. Jam quasi extra portam educitur cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur qui in perpetratione nequitiæ etiam usu consuetudinis pressus gravatur. Sed hos ad vitam miseratus revocat, quia plerumque divina gratia non solum in occultis sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos et mole pravæ consuetudinis pressos lumine sui respectus illustrat. Quartum vero mortuum, nuntiante discipulo, Redemptor noster agnoscit, nec tamen suscitat, quia valde difficile est ut is quem post usum malæ consuetudinis etiam adulantium linguæ excipiunt a mentis suæ morte revocetur, de quo bene dicitur : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* Mortui enim sepeliunt mortuos, cum peccatores peccatorum favoribus premunt. Quid enim est aliud peccare quam occumbere, et sepelire quam abscondere? sed qui peccantem laudibus prosequuntur, exstinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. Erat autem et Lazarus mortuus, sed tamen non a mortuis sepultus. Fideles quippe illum mulieres obruerant quæ et ejus mortem vivificatori nuntiabant. Unde et protinus ad lucem rediit, quia cum in peccato animus moritur, citius ad vitam reducitur, si super hunc sollicitæ cogitationes vivunt. Aliquando, sicut superius dictum est, nequaquam falsa spes divinæ misericordiæ mentem peccatoris intercipit, sed hanc pro peccatis quæ fecit factorem suum inordinate formidantem deterior desperatio confligit, et omnem spem veniæ ne redeat ad correctionem funditus interimit.

CAP. XXXI. — *Tu autem vade, et annuntia regnum Dei* (*Luc.* IX, 60).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 42.) Sciendum est, quia aliquando in actionibus nostris minora bona prætermittenda sunt pro utilitate majorum. Nam quis ignoret boni operis esse mortuum sepelire? Et tamen cuidam qui ad sepeliendum patrem dimitti se poposcerat a Domino dictum est : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuntia regnum Dei.* Postponendum namque erat obsequium hujus ministerii officio prædicationis, quia illo carne mortuos in terram conderet, isto autem anima mortuos ad vitam resuscitaret.

CAP. XXXII. — *Nemo mittens manum ad aratrum*, etc. (*Luc.* IX, 62).

(Homil. 3, in Ezech., n. 16 et 17, 14, 3 et 4.) Electi Dei sic a terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, ut ad ea quæ reliquerunt ulterius nulla tenus reflectantur. Quo contra de reprobis dicitur : *Quia corde reversi sunt in Ægyptum.* Et per semetipsam Veritas dicit : *Nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro, aptus est regno Dei.* Manum quippe in aratrum mittere est quasi per quemdam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire ; sed retro post aratrum aspicit qui post exordia boni operis ad mala revertitur quæ reliquit. Quod electis Dei minime contigit, quia ad ea quæ reliquerunt nullo jam appetitu respiciunt, et in æternis quæ appetunt suæ mentis contemplatione semper intendunt. Unde et magnus ille prædicator dicebat, qui usque ad cœli tertii secreta penetraverat : *Unum vero quæ quidem retro sunt oblitus, in ea quæ sunt ante, extendens me, sequor ad palmam supernæ vocationis* (*Philip.* III, 13, 14). Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia et illa pergentes invenimus, et ista recedentes quasi post dorsum relinquimus. Paulus igitur, in anteriora extentus, eorum quæ retro sunt oblitus fuerat, quia temporalia despiciens, sola quæ sunt æterna requirebat.

CAP. XXXIII. — *Et misit illos binos ante faciem suam* (*Luc.* X, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 41.) Cum prædicatores ad annuntiandum Dominus mitteret, binos misisse testatur Evangelium, cum dicit : *Designavit Dominus Jesus septuaginta duos discipulos : et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.* Ideo autem bini missi esse describuntur, ut quia vel duo sunt præcepta charitatis, vel quia societas haberi minus quam inter duos non potest, sancti prædicatores ex ipsa qualitate suæ missionis cognoscerent quantum concordiam societatis amarent.

CAP. XXXIV. — *Videbam Satanam velut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 13.) Quatuor sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur : cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant, aut sibi desuper datum credunt, et pro suis hoc se meritis accepisse putant, aut certe cum se jactant habere quod non habent, aut despectis cæteris, videri singulariter appetunt habere quod habent. A semetipso enim bonum se habere jactabat, cui per Apostolum dicitur : *Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (*I Cor.* IV, 7)? Rursum ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem apostolus admonet, dicens : *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur* (*Ephes.* II, 8). Qui etiam de semetipso ait : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum* (*I Tim.* I, 13). Quibus verbis aperte declarat quod gratia non pro meritis tribuatur, dum ex seipso docuit, et quid de malitia meruit, et quid de benevolentia accepit. Rursum nonnulli jactant se habere quod non habent, sicut angelo Ecclesiæ Laodiceæ dicitur : *Quia dicis quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus* (*Apoc.* III, 17). Rursum nonnulli, despectis cæteris, videri appetunt singulariter bonum habere quod habent. Unde et Pharisæus idcirco de templo absque justificatione descendit, quia bonorum operum merita sibi quasi singulariter tribuens, oranti Publicano se prætulit. Sancti quoque apostoli ab hoc elationis vitio revocantur, qui de prædicatione redeuntes, cum elati dicerent : *Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt* (*Luc.* X, 17) : ne de hac miraculorum singularitate gauderent illico eis respondit Dominus, dicens : *Videbam Satanam velut fulgur de cœlo cadentem* (*Isa.* XIV, 13). Ipse quippe singulariter elatus dixerat : *Super astra cœli exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo.* Et mire Dominus ut in discipulorum cordi-

bus elationem premeret, mox judicium ruinæ retulit quod ipse magister elationis accepit : ut in auctore superbiæ discerent quid de elationis initio formidarent.

CAP. XXXV. — *Gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x, 20).

(Lib. II, in Ezech., hom. 7, n. 17; in exposit. B. Job, lib. XXIII, n. 13.) A privato gaudio Veritas ad commune discipulos revocat, cum eos de prædicatione redeuntes, et de subjectione dæmonum lætantes, admonet, dicens : *Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete et exsultate quia nomina vestra sunt scripta in cœlo.* Non enim omnes electi dæmonia ejiciunt, sed tamen electorum omnium nomina cœlo tenentur ascripta. Admonentur ergo discipuli privatam lætitiam deponere, de communi autem et perpetua felicitate gaudere. In hac itaque arrogantiæ quarta specie crebro humanus animus labitur, ut id quod habet habere se singulariter glorietur. In qua tamen diabolicæ similitudini vicinius appropinquat, quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior cæteris quærit, illum videlicet imitatur qui despecto bono societatis angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, et Altissimi similitudinem superbe appetens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis erumpere.

CAP. XXXVI. — *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens vinum et oleum* (*Luc.* x, 34).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 14.) Disciplina vel misericordia multum in pastoribus destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, et juste consulens misericordia, et pie corrigens disciplina. Hinc est quod semivivi illius vulneribus, qui a Samaritano in stabulum ductus est, et vinum adhibetur et oleum : ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur ; qualenus unusquisque qui sanandis vulneribus præest in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, ut per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multa asperitate subditi exulcerentur, neque nimia benignitate solvantur.

CAP. XXXVII. — *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam : et huic erat soror nomine Maria* (*Luc.* x, 38).

(Mixtim ex lib. VI, in expos. B. Job, num. 57 et 61, et hom. 3, in Ezech., n. 9, ac præsertim lib. II in Ezech., hom. 2, n. 8.) Duæ sunt sanctorum vitæ, activa scilicet et contemplativa. Activa vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissa nobis qualiter subsistere valeant providere. Contemplativa vero vita est charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, ut nil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam sui Creatoris faciem animus inardescat ; ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, civibus admisceri cœlestibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere ; sed activa prior est tempore quam contemplativa, quia ex opere bono tenditur ad contemplationem. Contemplativa autem major est merito quam activa, quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat. Quod enim contemplativa minor quidem tempore, sed merito major sit quam activa, sacris Evangelii verbis ostenditur, in quo duæ mulieres, Martha scilicet et Maria, diversa egisse referuntur. *Martha quippe circa frequens ministerium satagebat : Maria vero sedens ad pedes Domini, ejus verba audiebat.* Quid enim per Martham exterioribus obsequiis occupatam nisi activa vita signatur ? et quid per Mariam, quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa exprimitur ? Una quippe earum erat intenta operi, altera contemplationi ; una serviebat activæ vitæ per exterius ministerium, altera contemplativæ per suspensionem cordis in verbum. Et quamvis activa sit bona, melior tamen est contemplativa, quia ista cum mortali vita deficit, illa vero in immortali vita plenius excrescit. Unde cum contra Mariæ suæ sororis otium Martha quereretur, quod se negligeret adjuvare, audivit a Domino respondente : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima : porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ecce pars et cura Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ pars etiam laudatur ; neque bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam : ut etiam pars Marthæ judicaretur bona, quia magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora. Quare pars Mariæ sit optima subinfertur cum dicitur : *quæ non auferetur ab ea.* Activæ enim vitæ opera cum corpore transeunt : Contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt. Quis enim in æterna patria panem porrigat esurienti ubi nemo esurit ? Quis potum tribuat sitienti ubi nemo sitit ? Quis mortuum sepeliat ubi nemo moritur ? Activa igitur vita cum corpore deficit, et cum præsenti sæculo aufertur, contemplativa vero nec deficit nec aufertur. Hic enim incipit, sed subtracta præsentis sæculi luce, in cœlesti patria perficitur. Amoris quippe ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit. Sciendum est enim quod activa vita perfecte teneri potest, et illam opere perficimus, sed in hac vita positi contemplationis intimæ sola initia degustamus : de ea etiam cum contendimus, vix parum aliquid attingere valemus. Quantolibet enim amore animus ardeat, quantalibet virtute cogitationis in Deum tendat, non jam quod amat perfecte videt, sed adhuc inchoat videre quod amet ; quia sicut fortissimus prædicator dicit : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem : et nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII, 12).

CAP. XXXVIII. — *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem, et non invenit*, etc. (*Luc.* XI, 24).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 8.) Mentes sæcularium temporali gloriæ deditæ, dum ad appetitum exterioris gloriæ defluunt, dum excedere cæteros honorum altitudine ambiunt, locum antiquo hosti ubi apud se requiescere debeat tribuunt. Unde et in Evangelio Veritas dicit quod spiritus exiens in locis aridis et inaquosis requiem non invenit ; quia domum quam reliquerat vacuam scopisque mundatam repererit, hanc multiplicior intravit. Quia enim fluxa fit terra quæ infunditur, loca arentia et inaquosa sunt corda justorum, quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. Loca autem humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humore carnalis concupiscentiæ quia replet fluidas facit ; loca quoque humentia sunt opera voluptuosa. Pes quippe in arida terra non labitur, fixus vero in lubrica vix tenetur. In locis igitur humentibus iter vitæ præsentis faciunt qui in hac ad justitiam recti stare non possunt. In his itaque locis humentibus, id est in reproborum hominum operatione lubrica, requiem invenit hostis antiquus.

CAP. XXXIX. — *Tunc assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi* (*Luc.* XI, 24).

(In exposit. B. Job, lib. VII, num. 20.) Plerumque vitiorum contritionem in nobis agere per flagella Dominus inchoat, sed cum mens ex ipso profectus exordio extollitur, eumque se quasi jam de virtutibus

erigit, sævienti contra se adversario aditum pandit, qui, cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonæ inchoationis invenerit, confringit; tantoque se vehementius in ejus destructione exhibet, quanto et gravius, quia vel ad modicum fuerat projectus, dolet. Unde et teste Evangelio, voce Veritatis, ad neglectam domum conscientiæ spiritus immundus, qui solus exiit, cum spiritibus septem redit.

CAP. XL. — *Nemo lucernam ponit sub modio, sed super candelabrum* (*Luc.* XI, 33).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 77.) Omnes electi Dei gratiam prædicationis habent pro magno, corporum autem utilitatem pro minimo. Hinc Dominus ait in Evangelio : *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum.* In modio namque commodum temporale, in lucerna vero lux prædicationis accipitur. Lucernam ergo ponere sub modio est propter temporale commodum gratiam prædicationis abscondere, quod nemo utique electorum facit. Et bene illic subditur : *Sed super candelabrum.* In candelabro enim status corporis designatur, cui lucerna superponitur dum eidem corpori cura prædicationis antefertur.

CAP. XLI. — *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit*, etc. (*Luc.* XI, 34).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 30.) Curandum sollicite est, cum a nobis quidlibet agitur, ne fiat pravum quod in opere sequitur, si non ex recta cogitationis intentione generatur. Unde bene in Evangelio dicit Dominus : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si oculus autem tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quid enim per oculum exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio, quæ, priusquam in actione se exerceat, hoc jam quod appetit contemplatur? Et quid appellatione corporis designatur nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam quasi oculum intuentem sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis. *Et si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit;* quia si recte intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiam si minus bonum esse videatur: et cum intentione bona quid agitur, ejus intentionis actio apud Deum minime fuscatur. *Et si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit;* quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen interni judicis obscuratur. Unde et recte subjungitur : *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt* (*Matth.* VI, 23)? Quia si hoc quod bene nos agere credimus ex mala intentione fuscamus, quanta ipsa mala sunt quæ mala esse etiam cum agimus non ignoramus? Et si ibi nil cernimus ubi quasi discretionis lumen tenemus, qua cæcitate in illa offendimus quæ sine discretione perpetramus? Vigilanti itaque cura per cuncta opera intentio nostra nobis est pensanda.

CAP. XLII. — *Decimatis mentham, et anethum, et cyminum : et relinquitis quæ graviora sunt legis* (*Luc.* XI, 42).

(Regul. pastor. part. III, c. 33.) Illi qui se a parvis peccatis custodiunt, et aliquando in gravibus delinquuntur, debent considerare quod cum majora mala perpetrant coram Deo, apertæ iniquitatis sint, et cum parva bona custodiunt coram hominibus, simulatæ sanctitatis sint. In illis iniqua faciunt, et per ista se hominibus quia sunt iniqui tegunt. Hinc est quod Pharisæis dicitur : *Liquantes culicem, camelum autem glutientes* (*Matth.* XXIII, 24). Ac si aperte diceretur: Minima mala discernitis, majora devoratis. Hinc est quod rursum ore Veritatis increpantur, cum audiunt : *Decimatis mentham, anethum, et cyminum; et relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem.* Neque enim negligenter audiendum est quod cum decimari minima diceret, extrema quidem de oleribus maluit, sed tamen bene olentia memorari; ut profecto ostenderet quia simulatores cum parva custodiunt, odorem de se extendere sanctæ opinionis quærunt, et quamvis implere maxima prætermittunt, ea tamen minima observant quæ humano judicio longe lateque redoleant.

CAP. XLIII. — *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* etc. (*Luc.* XII, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 26.) Omnis avarus prius anhelat per avaritiam concupita congregare, et postquam quasi in quodam ventre avaritiæ multa congesserit, satiatus arctatur; quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat. Divitis enim cujusdam uberes fructus ager attulerat, sed quia ubi eos tantos reponeret non habebat, dixit : *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Et dixit : *Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora ædificabo.* Qui igitur ex abundantia coangustatus dicebat : *Quid faciam?* quasi multo cibo pressus æstuabat. Pensemus quot votis appetiit ut uberes fructus ager illius afferret. Ecce autem vota completa sunt, quia fructus uberes ager attulit; sed quoniam ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus dives quid faciat ignorat. O angustia ex satietate nata! de ubertate agri angustatur animus avari. Dicens namque : *quid faciam?* profecto indicat quia votorum suorum affectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat. Mentem igitur avari divitis, quæ prius ex abundantia requiem quæsierat, post ad custodiam sollicitudo gravius fatigat.

CAP. XLIV. — *Anima, habes bona multa* (*Luc.* XII, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 19; lib. XXVIII, num. 4.) Sæpe videmus quosdam divites qui et opes et gloriam habere sine culpa potuissent, si hæc habere cum humilitate voluissent; sed extolluntur rebus, inflantur honoribus, dedignantur cæteros, omnemque vitæ suæ fiduciam in ipsa abundantia rerum ponunt. Unde et quidam dives dicebat : *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* Ecce hic in rebus dubiis spem fixerat, et in rebus labentibus spei suæ fiduciam posuerat et solidaverat. De Creatore autem desperasse fuerat spem in creatura posuisse. Stante enim Deo in perpetuum, omnia transeunt. Quid ergo nisi ab stante fugere est transeuntibus rebus inhærere? Quisquis igitur defluere devitat, superest ut quod defluit fugiat, ne per hoc quod amat in hoc cogatur venire quod vitat. Qui enim rebus labentibus inhæret, illo videlicet trahitur quo tendit quod tenet. Prius itaque curandum est ne quisque temporalia diligat, ac deinde ne in eisdem temporalibus, quæ non ad delectationem sibi sed ad usum retinet, fiduciam ponat, quoniam conjunctus decurrentibus statum suum mox animus perdit; nam vitæ præsentis fluctus trahit quem levat.

CAP. XLV. — *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te* (*Luc.* XII, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 3.) Quamlibet sero de hac vita tollantur iniqui, subito et repente tolluntur, quia finem suum cogitando prævidere nesciunt. Subitum enim est quod ante cogitari non potuit. Subito dives ille stultus raptus est, qui horrea quæ præparabat deseruit, et inferni locum quem non prævidebat, invenit. Eadem enim nocte sublatus est qui in rerum sibi abundantia multa tempora fuerat præstolatus, ut scilicet qui in longum sibi subsidia colligendo prospiceret subsequentem diem vel unum minime videret. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, sed ad aliud emisit per sententiam; aliud dum viveret contemplatus est, aliud dum moreretur expertus; reliquit enim diu tractata temporalia, et inopinata invenit æterna. Unde ei propter hanc ignorantiam cæcitatis suæ bene per divinam

sententiam increpando dicitur : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* In nocte quippe ablata est quæ in obscuritate cordis est amissa. In nocte ablata est quæ considerationis lucem habere noluit, ut quod poterat pati prævideret. Unde bene discipulis futura cogitantibus Paulus apostolus dicit : *Vos autem, fratres, non estis in tenebris ; ut vos dies illa tanquam fur comprehendat* (*I Thess.* v, 4) Dies enim exitus tanquam fur in nocte comprehendit, quando stultorum animas futura non prævidentes ejicit.

CAP. XLVI. — *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 12.) Sanctis prædicatoribus a Domino dicitur : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lumbos præcingere est in opere luxuriam refrenare, delectatio namque carnis est in lumbis. Per lumbos itaque luxuria, per lucernas autem bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo sancti prædicatores lumbos accingere, et lucernas tenere. Ac si aperte audiant : Prius in vobismetipsis luxuriam restringite, et tunc de vobis aliis bonorum operum exempla monstrate.

CAP. XLVII. — *Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit Dominus meus*, etc. (*Luc.* XII, 45).

(Reg. pastor. part. II, cap. 6.) Debent studere sine intermissione qui præsunt, ut eorum potentia quanto magna exterius cernitur, tanto apud eos interius deprimatur, ne eorum animus ad elationem potestatis suæ delectatione rapiatur. Hinc Petrus ait : *Non dominantes in cleris, sed forma facti gregis* (*I Petr.* v, 3). Hinc per semetipsam Veritas ad altiora nos virtutum merita provocans, dicit : *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus; sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX, 26). Hinc est quod servum ex suscepto regimine elatum quæ post supplicia maneant indicat, dicens : Quod si dixerit malus ille servus in corde suo : *Moram facit Dominus meus venire, et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis : veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* Inter hypocritas enim jure deputatur qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis.

CAP. XLVIII. — *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum eam, vapulabit*, etc. (*Luc.* XII, 47).

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 51.) Sunt nonnulli qui ex eo quod Veritas dicit : *Servus qui non cognovit voluntatem domini sui, et fecit digna plagis, vapulabit paucis : et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens juxta eam, vapulabit multis*, nolunt scire quod faciant, et quasi minus se vapulaturos existimant, si quod operari debuerunt nesciant. Sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit namque qui apprehendere vult, et non valet. Qui autem ut nesciat aurem a voce Veritatis avertit, iste non nesciens sed contemptor dicitur.

CAP. XLIX.—*Cui multum datum est, multum quæretur ab eo* (*Luc.* XII, 48).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 1.) Quoniam ab internis atque invisibilibus oculos clausimus, et visibilibus pascimur, plerumque hominem non ex eo quod ipse est, sed ex his quæ circa ipsum sunt veneramur. Cumque non intuemur quid ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarum non ex personis sed ex rebus adjacentibus ducimur. Sicque fit ut is quoque apud nos intus in despectionem veniat qui foris honoratur, quia dum pro his quæ circa illum sunt honorabilis habetur, rebus suis in examine nostro postponitur. Sed omnipotens Deus vitam hominum ex sola qualitate interrogat meritorum, et sæpe inde plus punit unde hic majora ad ministerium contulit, Veritate attestante, quæ ait : *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.*

CAP. L.—*Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49).

(Homil. 2, in Ezech., n. 12.) Ignis nomine, cum per significationem dicitur, aliquando Spiritus sanctus, aliquando vero mentis malitia designatur. Per ignem Spiritus sanctus solet figurari, de quo in Evangelio Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Ignis quippe in terram mittitur, cum per ardorem sancti Spiritus afflata terrena mens a carnalibus suis desideriis concrematur. Cum enim carnalis mens sanctum Spiritum accipit, amore spirituali succensa, malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando accusante se conscientia, cor peccatoris uritur, et in dolore pœnitentiæ crematur. De malo autem igne dicitur : *Et nunc ignis adversarios consumit* (*Hebr.* X, 27), quia cor pessimum ex sua malitia tabescit.

CAP. LI. — *Cum vadis cum adversario tuo ad principem in via, da operam*, etc. (*Luc.* XII, 58).

(Homil. 39, in Evang., n. 5 ; in exposit. B. Job, lib. IV, num. 69.) Quoniam pravi quilibet et perversi homines in hac vita Dei præcepta contemnunt, illis in extremo vitæ inimicis tradentur, cum quibus in æterno judicio damnationis perpetuæ societate colligabuntur, sicut scriptum est : *Cum vadis cum adversario tuo ad principem in via, da operam liberari ab illo, ne forte tradat te ad judicem : et judex tradat te exactori : et exactor mittat te in carcerem.* Adversarius quippe noster in via est sermo Dei contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita, a quo ipse liberatur qui præceptis ejus humiliter subditur ; alioquin adversarius judici, et judex tradet te exactori, quoniam, ex sermone Domini contempto reus peccator tenebitur in examine judicis. Quem judex exactori tradet, quoniam hunc maligno spiritui ad ultionem tradi permittet, ut compulsam animam ipse de corpore exigat ad pœnam quæ ei sponte consensit ad culpam. Exactor quippe intelligitur importunus ille persuasor qui humano generi semel nummum deceptionis contulit, et adhuc quotidie mortis expetere debitum non desistit, qui in paradiso pecuniam homini peccanti commodavit, sed iniquitate crescente hanc quotidie cum usuris exigit. Exactor diabolus est, qui male suadendo spem contulit immortalitatis, decipiendo, tributum exigit mortis, qui suadendo intulit culpam, sæviendo exigit pœnam. Exactor ergo peccatorem mittet in carcerem, quia per malignum spiritum in inferno detruditur quousque dies judicii veniat, ex quo jam in ignibus inferni simul et ipse crucietur.

CAP. LII. — *Contendite intrare per angustam portam* (*Luc.* XIII, 24).

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 68.) Mens humana cum ad meliora nititur, quasi contra fluminis ictum conatur. Cum vero ab intentione ascendendi resolvitur, sine labore ad ima ducitur. Quia enim in ascensu labor est, in descensu otium, intraturos per angustam portam Dominus admonet, dicens : *Contendite intrare per angustam portam.* Quæ est autem angusta porta, nisi in hoc mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentia nil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi despicere, et pro Deo opprobria amare, gloriam mundi fugere, despectum sequi, adulantes despicere, despicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, et erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere? Dicturus itaque Dominus hujus angustæ portæ introitum, præmisit : *Contendite*, quia nisi mentis contentio fuerit, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur. Mens enim mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur quam est, et

nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora delabitur; quia etiam semper stantem deseruit, statum quem habere poterat amisit.

CAP. LIII. — *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem*, etc. (*Luc.* XIV, 28).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 40 et 41.) Sæpe videmus quosdam præsentis vitæ desideria non habere, mundum et opere et professione spernere, sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum, prætoria irrumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, et mundi in se studia jamdudum destructa reparare. Hos a præsenti sæculo inchoata jam vitæ perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat. Qui vero districto studio sponsionis æternæ sequuntur præmium, sicut semetipsos pro divino amore despiciunt, sic cuncta quibus se sentiunt præpediri postponunt, et cum pro Deo necesse est ut quibus valent cunctis inserviant, pro Deo privata obsequia etiam propinquis negant. Hinc est enim quod quidam cum diceret: *Permitte mihi prius ire, et sepelire patrem meum* (*Matth.* VIII, 21), Veritatis ore protinus audivit: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, annuntia regnum Dei.* Qua in re notandum est quia electus discipulus dum a parentis sepultura compescitur, hoc devotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum etiam exteris debet. Hinc rursum Veritas dicit: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quo in loco videlicet, dum propinquorum odio animæ quoque nostræ odium subinfertur, patenter ostenditur quia sic propinquos sicut nosmetipsos odio habere præcipimur, ut hos ad æterna rapientes, eorumque carnalem gratiam, cum præpedit, postponentes, discamus temperata eos discretionis arte, et convenienter diligere et salubriter odio habere, quatenus sic sciat per amorem odium surgere, ut valeamus eos verius per odium amare.

CAP. LIV. — *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33).

(Homil. 32, in Evang., n. 1; in exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 22.) Quia Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta edidit mundo. Vitæ enim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi aliquid in hoc mundo possidere, se contra pericula immensi laboris accingere, temporalia quæque laboriosa observatione etiam cum jurgiis defendere? Quid noverat nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset? Sed cœlestis et novus homo cum se sequentibus nova mandata proponeret, dixit: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ac si aperte dicat: Qui per veterem vitam aliena concupiscitis, per novæ conversationis studium et vestra largimini. Perfectus igitur christianus quomodo debet res terrenas jurgando defendere, quas nunc præcipitur non possidere? Itaque cum res proprias amittimus, si perfecte Deum sequimur, in hujus vitæ itinere a magno onere levigati sumus. Cum vero curam rerum ejusdem nobis itineris necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt, quidam vero servata charitate prohibendi, non tamen sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua semetipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista namque etiam non rapta morientes amittimus, cum illis vero et nunc conditionis ordine, etsi corrigi studeant, post perceptionem muneris unum sumus. Quis autem nesciat quia minus ea quibus utimur, et plus debemus amare quod sumus? Si igitur et pro sua utilitate raptoribus loquimur, non jam solum nobis quæ temporalia, sed ipsis etiam quæ sunt æterna vindicamus. Qua in re illud est solerter intuendum, ne per necessitatis metum cupiditas subrepat rerum, et zelo succensa prohibitio, impetu immoderatiore distensa, usque ad odiosæ turpitudinem contentionis erumpat. Dumque pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, liquido apparet quia plus res quam proximus amatur. Si enim charitatis viscera etiam circa raptorem proximum non habemus, nosmetipsos pejus ipso raptore persequimur, graviusque nos quam alter poterat devastamus, quia dilectionis bonum sponte deserentes, a nobisipsis intus est quod amittimus qui ab illo sola exteriora perdebamus.

CAP. LV. — *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus* (*Luc.* XV, 17)!

(Dialog. lib. II, cap. 3.) Quoties per cogitationis motum extra nos animium ducimur, et nos sumus, et nobiscum non sumus, quia nosmetipsos minime videntes, per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus qui in longinquam regionem abiit, portionem quam acceperat consumpsit, uni in ea civium adhæsit, porcos pavit, quos cum manducare siliquas videret, et has esuriret? Tamen cum postmodum cœpit cogitare bona quæ perdidit, scriptum de illo est: *In se reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus!* Si igitur secum fuit, unde ad se rediit? De Petro quoque apostolo scriptum est, dum de carcere ab angelo ductus fuisset, qui a ad se reversus dixit: *Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum* (*Act.* XII, 11). Duobus ergo modis extra nos ducimur, quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos levamur. Ille itaque qui porcos pavit, vagatione mentis et immunditia sub semetipsum cecidit, iste vero quem angelus solvit, ejusque mentem in ecstasim rapuit, extra se quidem sed super semetipsum fuit. Uterque igitur rediit, quando et ille ab errore operis ad cor se collegit, et iste a contemplationis culmine ad hoc rediit quod in intellectu communi prius fuit.

CAP. LVI. — *Cito proferte stolam primam, et induite illum* (*Luc.* XV, 22).

(Homil. 36, in Evang., n. 7; lib. XII in Job, num. 9.) Illos elegit Deus quos despicit mundus, quia plerumque ipsa despectio revocat hominem ad semetipsum. Is enim qui patrem reliquit, et partem substantiæ quam perceperat prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo; surgam et ibo ad patrem meum.* Longe quippe a se discesserat quando peccabat, et si non esurisset, in semetipsum minime redisset, quia postquam terrenis indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit. Et quia concessa prius in paradiso veste justitiæ nudatus fuerat et innocentiæ, nuditatem peccatoris filii dignatus est pater operire, qui eo redeunte dixit: *Cito proferte stolam primam, et induite illum.* Prima quippe stola est innocentiæ vestis, quam homo bene conditus accepit, male autem a serpente persuasus perdidit.

CAP. LVII. — *Et date annulum in manu ejus* (*Luc.* XV, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 12.) Solet Scriptura sacra pro fide annulum appellare, vel signaculum. Nam filius junior, qui consumpta substantia ad patrem rediit, in munere annulum accepit. Gentilis enim populus, qui, immortalitate perdita, ad Deum pœnitendo revertitur, per fidei signaculum munitur.

CAP. LVIII. — *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (*Luc.* XVI, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 29, 30.) Omni-

bus qui dant eleemosynas pauperibus duæ virtutes, humilitas scilicet atque pietas ita sibimet connexæ debent inesse, ut vicario semper fulciantur opere, quatenus nec humilitas cum veneratur proximum largitatis gratiam deserat, nec pietas cum largitur erga indigentiam intumescat. Itaque proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem; ut cum indigentem rebus necessariis naturæ tuæ consortem vides, nec per pietatem desinas regere, nec per superbiam negligas venerari quem regis. Nam sunt nonnulli qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, postea dona largituri prius in eis contumeliosa verba jaculantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt, ita ut plerumque videantur quia illatæ jam injuriæ satisfactionem solvunt cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quod postulata tribuant, quia ipso dationis suæ munere vix eumdem excessum sermonis tegunt Beneficium ergo debet exhiberi per pietatem, et bonum verbum tribui per humilitatem. At contra alii egenos fratres non student rebus fulcire, cum possint, sed blandis tantum sermonibus fovere. Sed dilectio nostra semper exhibenda est cum veneratione sermonis et ministerio largitatis. Præterea sunt nonnulli qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis quos per assiduitatem notitiæ didicerint miserentur; apud quos nimirum plus familiaritas quam natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines sed quia noti sunt, largiuntur. Apud piam igitur mentem plus debet natura valere quam notitia, quanquam et unusquisque qui indiget eo ipso quo homo est etiam incognitus non est. Multum autem ad edomandam dantis superbiam valet, si, cum terrena tribuit, verba sollicite magistri cœlestis penset, qui ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus quia patronis munera potius offerimus quam egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum* (*II Cor.* VIII, 14); ut videlicet sollicite perpendamus quia et eos quos nunc inopes cernimus abundantes quandoque videbimus, et qui abundantes aspicimur, si largiri negligimus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram exco'it, quæ quod acceperit uberius reddit. Restat ergo ut nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet dives ex eo quod pauperi tribuit, agit in perpetuum ut pauper non sit. Quisquis autem super eum cui aliquid donavit fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit quam extrinsecus largiendo mercedem. Fit ipse bonis interioribus nudus cum nudum despicit vestiens, eo quod agit, ut seipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliorem putat. Minus quippe inops est qui non habet vestem quam qui humilitatem. Unde necesse est ut cum naturæ nostræ consortes exteriora non habere conspicimus, quam multa nobis desint interiora bona pensemus, quatenus sese super inopes cogitatio nostra non elevet, cum solerter videt quia nos tanto verius quanto et interius indigentes sumus.

CAP. LIX. — *Cum intrasset Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, ecce quidam hydropicus erat ante illum. Quem apprehendens, sanavit ac dimisit* (*Luc.* XIV, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 14.) Redemptor noster ante Pharisæi domum hydropicum curat, ut contra avaritiam disputaret. Scriptum est: *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum* (*Luc.* XVI, 14). Quid est ergo quod ante Pharisæi domum hydropicus curatur, nisi quod per alterius ægritudinem corporis in altero exprimitur ægritudo cordis? Hydropicus quippe quo amplius bibit, amplius sitit, sic et omnis avarus ex potu sitim multiplicat, quia cum ea quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit huic sitis ex potu crescit.

CAP. LX. — *Quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum* (*Luc.* XVI, 15).

(Homil. 28, in Evang., n. 2, 3.) Quia in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores veneramur et divitias, si quilibet pauper ut ad eum ire deberemus nos rogaret, protinus superbia nostra nobis in tacita cogitatione responderet: Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cœlo venit qui servo in terra occurrere non despicit, et tamen humiliari in terra contemnimus qui de terra sumus! Quid autem apud Deum vilius, quid esse potest despectius, quam apud homines honorem servare, et interni testis oculos non timere? Unde in sacro Evangelio ad Pharisæos ait: *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus. Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum.* Notate, fratres, notate quod dicitur. Si enim quod hominibus altum est abominabile est apud Deum, cogitatio cordis nostri tanto apud Deum in imo est, quanto hominibus in alto; humilitas cordis nostri tanto apud Deum in alto est, quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus, nulla nos nostra inflet operatio, non rerum abundantia, non extollat gloria. Si quibuslibet ex bonis affluentibus intus intumescimus, Deo despecti sumus. Hæc ergo, fratres, cogitate, hæc intentione tota pensate, polite in proximis vestris hujus mundi bona venerari, hoc propter Deum honorate in hominibus, quibus tamen non estis commissi, quod ad imaginem Dei sunt facti. Quod tunc in proximis vere servatis, si apud vosmetipsos prius in corde non intumescitis. Nam qui se adhuc pro rebus transitoriis extollit, nescit in proximo quod inaneat venerari. Nolite ergo in vobismetipsis pensare quod habetis, sed quid estis, et in æternitatis amore cor figite, ut dum adipisci terrena culmina contemnitis, perveniatis ad gloriam quam per fidem tenetis.

CAP. LXI. — *Deum non timebat, et hominem non reverebatur* (*Luc.* XVIII, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 31.) Sunt quidam qui potsquam Deum in mente contempserint, multo magis humana judicia spernunt, et omne malum quod appetunt audacter peragere non erubescunt. Quos ad perpetrandum malum iniquitas occulta invitat, et nulla aperta verecundia retardat. Sicut de quodam iniquo judice dicitur: *Deum non timebat, et hominem non reverebatur;* quoniam a perpetrandis malis nec Dei timore, nec hominum pudore refrenabatur.

CAP. LXII. — *Rogavit Dominum Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et discumbente in domo Pharisæi, ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti* (*Luc.* VII, 36, 37).

(Homil. 33, in Evang., n. 1.) Hanc quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes vero Mariam nominat, illam esse Mariam credimus de qua Marcus septem dæmonia ejecta fuisse commemorat; et quid per septem dæmonia, nisi universa designantur vitia? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit quæ vitiis universis plena fuit. Sed ecce quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lavando ad fontem misericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris.

CAP. LXIII. — *Et stans retro secus pedes Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus* (*Luc.* VII).

(Homil. 8, in Ezech., n. 2.) Omnipotens Deus

ipse implet mentes sanctorum desiderio cœlesti, et ipse impletas exaudit : ipse enim creat in sanctorum cordibus amorem, et ipse ex amantibus cordibus suscipit precem. Negationem suam Petrus flevit amare, sed tamen illud præmittitur ; quia *Jesus respexit Petrum* (*Luc.* xxii, 61). Venit Maria Magdalene post multas maculas culpæ ad pedes nostri Redemptoris cum lacrymis. Sed quis illam intus infundit nisi qui benigne foris suscepit? Quis iliam ad lacrymas per compunctionis spiritum urgebat, nisi qui hanc exterius coram simul recumbentibus ad veniam recipiebat? Redemptor igitur noster peccatricis mulieris mentem extrahebat, cum de culpa compungeret, suscipiebat ut a culpa liberaret. Quidquid enim in sanctorum virtutibus agitur ejus est gratiæ qui merita largitur.

Cap. LXIV. — *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* vii, 47).

(Homil. 25, in Evang., n. 9 et 8, ordine inverso.) Ubique vobis, fratres charissimi, superna medicina occurrit, quoniam dedit homini præceptum ne peccet, et tamen peccanti dedit remedia per pœnitentiam ne desperet. Hinc est quod Maria Magdalene, quæ fuerat in civitate peccatrix, ad vitam post culpas pœnitentiam agens rediit, et eam de faucibus antiqui serpentis manus Redemptoris eripuit. Unde bene ad beatum Job voce dominica dicitur : *Nunquid capies Leviathan hamo : aut armilla perforabis maxillam ejus* (*Job* xl, 19)? Per Leviathan quippe, quod additamentum eorum dicitur, antiquus ille serpens devorator humani generis designatur, qui dum se divinitatem homini addere spopondit immortalitatem sustulit, qui prævaricationis culpam quoque, quam primo homini propinavit, dum se sequentibus pessima persuasione multiplicat, pœnas eis sine cessatione coacervat. Armilla ubi ponitur ambiendo constringit. Quid igitur per armillam nisi circumplectens nos divina misericordia designatur? Quæ Leviathan istius maxillam perforat, dum nobis post perpetrata quæ prohibuit adhuc pœnitentiæ remedium ostendit. Armilla Dominus maxillam Leviathan perforat, quoniam ineffabili misericordiæ suæ potentia sic malitiæ antiqui hostis obviat, ut eos aliquando etiam quos jam cepit amittat. Et quasi ab ore illius cadunt qui post perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illius semel raptus maxillam ejus evaderet, si perforata non esset? Annon in ore Petrum tenuit cum negavit (*Matth.* xxvi)? Annon in ore David tenuit, cum in tantam se luxuriæ voraginem mersit (*I Reg.* ii)? Sed dum ad vitam uterque per pœnitentiam rediit, Leviathan iste eos aliquo modo quasi per maxillæ suæ foramen amisit. Quis autem hominum Leviathan istius os evadat, ut illicita nulla committat? Sed hinc cognoscimus quantum Redemptori generis humani debitores sumus, qui non solum nos in ore Leviathan ire prohibuit, sed ab ore ejus redire concessit. Qui spem peccatori non abstulit, quia maxillam ejus ut evadendi viam tribueret, perforavit, ut saltem post morsum fugiat qui incautus ne morderetur prius cavere noluit. Cavendum enim summopere est ne quis delectatione peccati Leviathan istius ore rapiatur, et tamen si raptus fuerit, non desperet, quia si peccatum perfecte lugeat, adhuc foramen in maxilla ejus invenit per quod evadat. Adest testis divinæ misericordiæ Maria Magdalena, quam in ore Leviathan iste tenuit, quoniam universorum vitiorum dominio succubuit. Sed per foramen maxillæ ab ejus ore subtracta, quia post perpetrationem tantarum nequitiarum pœnitendo est reversa. Veritatem enim amando, lavit lacrymis maculas criminis. Et vox Veritatis impletur qua dicitur : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quæ enim prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat ; et eam Conditor noster velut in signo nobis ad exemplum pœnitentiæ posuit quam per pœnitentiam vivere post lapsum fecit.

Cap. LXV. — *Fides tua te salvam fecit, vade in pace* (*Luc.* vii, 50).

(Homil. 25, in Evang., n. 10 ; homil. 33, in Evang., n. ult.) Quotidie peccatores ad vitam revertuntur, et post perpetratas culpas ad innocentiam per pœnitentiæ remedium convertuntur. Adest testis divinæ misericordiæ Maria Magdalena, de qua Pharisæus, dum pietatis fontem vellet obstruere, dicebat : *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est* (*Ibid.*, 39). Sed lavit lacrymis maculas cordis et corporis, et Redemptoris sui vestigia tetigit quæ itinera sua prava dereliquit. Sedebat ad pedes Jesu verbumque de ore illius audiebat ; viventi adhæserat, cum sepultus esset mortuum quærebat, viventem reperit quem mortuum quæsivit tantumque apud eum gratiæ locum invenit, ut hunc ipsis quoque apostolis, ejus videlicet nuntiis, ipsa nuntiaret. Quid itaque, fratres, quid in hac re debemus aspicere, nisi immensam Conditoris nostri misericordiam? Qui nobis velut in signo eam ad exemplum pœnitentiæ posuit quam per pœnitentiam vivere post lapsum fecit. Si aliquis libidinis igne succensus carnis munditiam perdidit, aspiciat Mariam quæ in se carnis amorem igne divini amoris excoxit. Ad vos igitur, fratres charissimi, mentis oculos reducite, et pœnitentem peccatricem mulierem vobis in exemplum imitationis anteferte. Redemptoris nostri vestigia, quia peccando contempsistis, amate ; quæque vos in adolescentia, quæque in juventute deliquisse meministis, deflete ; morum operumque maculas lacrymis tergite ; nam revertentes nos Dominus clementer amplectitur, quoniam vita peccatorum etiam indigna non potest esse quæ fletibus lavatur.

Cap. LXVI. — *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso : et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat ; sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus* (*Luc.* xvi, 19 *seq.*).

(In exposit. B. Job, lib. xxv, num. 31, 32.) Per epulantem splendide divitem Judaicus populus designatur, copiam scilicet legis non ad necessitatem salutis, sed ad pompam elationis assumens, et in præceptorum verbis non semetipsum ordinate reliciens, sed jactanter ostendens. Per vulneratum vero Lazarum, qui interpretatur adjutus, forma populi gentilis exprimitur, quem divinum adjutorium tanto magis erigit, quanto minus de virium suarum facultate confidit. Qui pauper et ulceribus plenus esse describitur, quia gentilitas corde humilis peccatorum suorum confessiones aperuit. Nam sicut in vulnere trahitur ab intimis virus in cute, ita in confessione peccati, dum secreta panduntur in publicum, quasi mali humores a visceribus intimis foras prorumpunt. Et bene per divitem splendide viventem superbia Judæorum, per ulcerosum vero Lazarum, qui adjutus interpretatur, humilitas designatur, quia dum Judæi, in gloria vitæ præsentis superbientes, humilitatis dominicæ celsitudinem et abjecta facta quæ in se ille ostendit intelligere despexerunt, gentiles peccata sua confitentes ad Deum credendo gratia ipsius adjuti pervenerunt, et illis cadentibus, in locum eorum pauperes, id est spiritu humiles, subrogati sunt. Lumen enim intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. Nam secretum quoddam est pietatis ; et tanto minus ad illud animus pervenit, quanto magis intumescit, quoniam eo ipso foras repellitur, quanto insanius inflatur. Immensa vero profundaque Dei judicia debemus perhorrescere, nec ea ratione discutere, sed venerari nos convenit admiratione. Nemo gentilitatem discutiat assumptam, et Judæam perditam. Nemo discutiat cur, Judaico stante populo, dudum in infidelitate gentilitas jacuit, et cur ad fidem gentilitate surgente Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit. Nemo discutiat cur alius

trahatur ex dono, et alius repellatur ex merito. Consilium summæ et occultæ virtutis satisfactio sit apertæ rationis; et in cunctis quæ disponuntur exterius, aperta causa sit rationis occultæ justitia voluntatis.

CAP. LXVII. — *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno* (*Luc.* XVI, 22).

(Regul. pastor. part. III, c. 21.) Nequaquam dives iste aliena rapuisse, sed infructuose perhibetur propriis usus fuisse, eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit. In his autem dictis evangelicis colligere possumus quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis enim voce, dives mortuus dicitur in inferno sepultus. Cujus anima quod in igne teneatur insinuat vox divitis qui Abraham deprecabatur dicens : *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (*Vers.* 24). Dum ergo peccatorem divitem damnatum Veritas in ignem perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Si autem quæritur quomodo res incorporea teneri et affligi possit a re corporea, certe audiamus quid reprobis Veritas in fine est dictura : *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Si ergo diabolus ejusque angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, non mirum si animæ, antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta. Teneri etiam per ignem potest anima, ut in tormento ignis sit videndo et sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur quod videt, et quia concremari se aspicit crematur. Sicque fit ut corporea res incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor et dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam in flamma corporea crucietur.

CAP. LXVIII. — *Elevans autem oculos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus* (*Luc.* XVI, 23).

(In exposit. B. Job, lib. X, n. 49; homil. 40, in Evang. n. 3, 7; in exposit. B. Job, lib. IV, n. 56.) Dives iste idcirco punitus, et inferni damnatione percussus; non quia vi quempiam oppresserit, vel quia aliena diripiens abstulerit, sed quia propria non dederit, et acceptis rebus, semetipsum male derelinquens, se extollenter elevaverit. Sunt enim nonnulli quos census per tumorem non elevat, sed per opera misericordiæ exaltat; et sunt nonnulli qui se terrenis opibus abundare conspiciunt, veras Dei divitias non requirunt, atque patriam æternam non amant, quoniam hoc sibi sufficere quod rebus fulciuntur temporalibus putant. Non est ergo census in crimine, sed affectus, cuncta enim sunt bona quæ condidit Deus. Sed qui bonis male utitur, profecto agit ut quasi per edacitatis ingluviem eo quo vivere debuit pane moriatur. Pauper ad requiem Lazarus venerat, superbum vero divitem tormenta cruciabant; sed tamen dives Abraham fuerat qui Lazarum in sinu tenebat, qui tamen auctori suo colloquens, dicit : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII, 27). Quid itaque iste divitias suas æstimare noverat qui semetipsum pulverem cineremque pensabat? Aut quomodo res hunc extollerent possessæ qui de se quoque earum videlicet possessore tam abjecta sentiret? Superbi itaque divites et elati venturi Judicis respectum non habent, dum superbis apud se cogitationibus tument. Hoc ergo fuit quod hunc superbum divitem inferno tradidit, quia in sua felicitate timidus non fuit; quia percepta dona ad usum arrogantiæ inflexit, quia viscera pietatis ignoravit; quia peccata sua redimere, etiam cum sibi abundaret pretium, noluit. Sero autem dives iste oculos elevans aperuit, quando Lazarum requiescentem vidit, quem jacentem ante januam videre contempsit. Intellexit ibi quod hic facere noluit, in damnatione sua compulsus est cognoscere quid fuit, quod perdidit, quando proximum indigentem non agnovit. Propter hoc autem quod de hoc divite in tormentis posito dicitur, quod viderit Abraham et Lazarum in sinu ejus, credendum est quod ante retributionem extremi judicii injusti quosdam in requie justos conspiciunt, ut eos videntes in gaudio non solum de suo supplicio sed etiam de illorum crucientur bono. Justi vero in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt, tantoque majores Redemptori suo gratias referant, quanto vident in aliis quod ipsi perpeti si essent derelicti potuerunt. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud justorum animum fuscat aspecta pœna reproborum, quia ubi compassio miseriæ jam non erit, minui procul dubio beatorum lætitia non valebit. Justorum enim animæ quamvis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, etiamsi misereri vellent, jam tunc omnino non possunt, quia justitiæ auctoris sui conjunctæ tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur, et erecti jam per justitiam judicii, eis nullomodo misereantur. Ipsi quippe judici concordant cui inhærent, et eis quos eripere non possunt nec ex misericordia condescendunt, quia tantum illos tunc a se videbunt esse extraneos, quanto ab eo quem diligunt auctore suo conspiciunt esse repulsos. Quid autem mirum si dum justi injustorum tormenta conspiciunt, hoc eis eveniat in obsequio gaudiorum, quando et in pictura niger color substernitur, ut albus vel rubeus clarior videatur. Sed, sicut dictum est, tanto bonis sua gaudia excrescunt, quanto eorum oculis damnatorum mala subterjacent. Quamvis eis sua gaudia plene sufficiant ad perfruendum, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt, quia cum Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quod videre non possunt. Præterea de ipsis animabus sciendum est quoniam sicut ii qui adhuc viventes sunt mortuorum animas quo loco habeantur ignorant, ita mortui vitam in carne viventium post eos qualiter disponatur nesciunt, quia et vita spiritus longe est a vita carnis; et sicut corporea et incorporea diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis dicendum non est, quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident nullo modo credendum est quia sit foris aliquid quod ignorent. Et sciendum quod electi et perfecti postquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, a cœlestis patriæ perceptione differuntur. Mox quippe ut a carnis colligatione exeunt, in cœlesti sede requiescunt, attestante Paulo, qui ait : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* V, 1). Prius autem quam Redemptor noster morte sua humani generis pœnam solveret, eos etiam qui cœlestis patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt, non ut pœna quasi peccatores plecteret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes, quia necdum intercessio Mediatoris advenerat, ab ingressu regni reatus primæ culpæ prohiberet. Unde juxta ejusdem Redemptoris nostri testimonium, dives qui apud inferos torquetur in sinu Abrahæ Lazarum requiescere contemplatur. Qui profecto si adhuc in imis non essent, hos ille in tormentis positus non videret. Unde et idem Redemptor noster pro nostræ culpæ debito occumbens, inferna penetrat, ut suos qui ei inhæserant ad cœlos reducat. Sed quo nunc homo redemptus ascendit, illuc profecto si peccare noluisset etiam sine redemptione pertingeret.

CAP. LXIX. — *Pater Abraham, miserere mei* (*Luc.* XVI, 24).

In exposit. B. Job, lib. I, n. 11; Regul. pastor. part. III, cap. 19; in exposit. B. Job, lib. XVIII, n. 30.) Pene semper epulas sequitur loquacitas, cumque

venter reficitur lingua disfrenatur. Nisi enim gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, dives ille qui epulatus quotidie splendide dicitur, in lingua gravius non arderet, nec aquam peteret, dicens: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Quibus profecto verbis ostenditur quia epulando quotidie crebrius in lingua peccaverat, qui totus ardens refrigerari se præcipue in lingua requirebat. Prius quippe epulatus quotidie splendide dicitur; et post aquam petere in lingua memoratur : quia enim, ut diximus, inter epulas valde defluere loquacitas solet, ex pœna indicat culpam, cum eum quem epulatum splendide Veritas dixerat, in lingua plus ardere perhibebat. Hi qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte dispensant, ut plerumque cum una tangitur, longe alia ex multis interjacentibus posita chorda quatiatur. Cumque ista sonitum reddit, illa quæ in eodem cantu temperata est aliis impercussis tremit. Sic ergo Scriptura sacra plerumque de virtutibus, sic de vitiis agit, ut dum loquendo aliud insinuat, tacendo aliud innotescat. Nihil enim contra divitem de loquacitate memoratur, sed dum pœna in lingua dicitur, quæ in convivio inter alias gravior fuerit, culpa monstratur. Videamus autem nunc inopiam divitis ardentis cujus tanta fuit abundantia epulantis. Ait enim : *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flamma.* Quibus verbis nobis non hoc innotescitur quia illic in tanto ardore una tunc ad sufficientiam refrigerii aquæ stilla requiratur, sed quod is qui de abundantia peccaverat illic æstuanti nimis cremetur inopia. Videmus enim in verbis divitis, ex subtilissimo Dei judicio, quam magna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopia, illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hic agente tenacia usque ad neganda minima pervenit. Quid tribui subtilius, quid districtius potest? Guttam aquæ petiit qui micas panis negavit.

A

B

C

Cap. LXX. — *Memento, fili, quia bona recepisti in vita tua, et Lazarus similiter mala* (*Luc.* XVI, 25).

(In exposit. B. Job, lib. v, num. 1.) Cum valde occulta sint divina judicia, cur in hac vita nonnunquam bonis male sit, et malis bene ; tunc occultiora sunt, cum et bonis hic bene est, et malis male. Nam cum bonis hic male est et malis bene, hoc fortasse deprehenditur quia et boni si qua deliquerunt hic recipiunt, ut ab æterna plenius damnatione liberentur; et mali bona quæ pro hac vita faciunt hic inveniunt, ut ad sola in posterum tormenta pertrahantur. Unde et ardenti in inferno diviti dicitur: *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* At cum bonis hic bene est, et malis male, incertum valde est utrum boni idcirco bona accipiant ut provocati ad aliquid melius crescant, an justo latentique judicio hic suorum operum remunerationem percipiant, ut a præmiis vitæ sequentis inanescant, et utrum malos idcirco adversa feriant, ut ab æternis suppliciis corrigendo defendant. An hic eorum pœna incipiat, ut quandoque complenda eos ad ultima gehennæ tormenta perducat. Sancti igitur viri, cum sibi suppetere prospera hujus mundi conspiciunt, pavida suspicione turbantur; timent enim ne hic laborum suorum fructus recipiant, timent ne quod divina justitia latens in eis vulnus aspiciat, et exterioribus eos muneribus cumulans ab intimis repellat.

D

Cap. LXXI. — *Rogo te, pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei* (*Luc.* XVI, 27).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, n. 29, et lib. IX, num. 101.) Postquam tempus vitæ præsentis abscindetur, nequaquam reprobi et peccatores ad operationem promerendæ veniæ ulterius revertentur, nec ad adhibenda recta opera revocabuntur. Hinc est quod dives quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posset agnoverat; nam nequaquam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat, dicens : *Rogo te, pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Solet namque mœstum animum spes vel falsa fovere; sed ut pœnam suam reprobi gravius sentiant, etiam de venia spem amittunt. Unde flammis ultricibus traditus, non sibi, ut diximus, sed opitulari fratribus concupivit, quia se nunquam igneo carere tormento, adjuncto desperationis supplicio, agnovit. Sic quoque debemus indubitanter credere quod iniqui postquam æternis damnati suppliciis fuerint, de parentibus et cognatis et proximis suis, quos reliquerunt, cogitabunt, cum per semetipsam Veritas dicat quia dives qui in inferno sepultus fuerat de quinque fratribus quos reliquerat etiam in supplicio positus curam gerebat. Præterea sciendum est quod ignis in inferno, et ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quosque suos secum in tormento reprobi, flamma illustrante, visuri sunt, quorum amore deliquerunt, quatenus eorum qui vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverunt, ipsorum quoque interitus eos in augmento suæ damnationis affligat. Quod profecto hoc eodem Evangelio teste collegimus, in quo, Veritate nuntiante, dives ille quem contigit ad æterni incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse. Qui Abraham petiit ut ad eorum eruditionem Lazarum mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit, constat procul dubio quia eos ad augmentum supplicii paulo post potuit etiam præsentes videre. Quid autem mirum si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui ad doloris sui cumulum eum quem despexerat in sinu Abrahæ Lazarum vidit? Si ergo ei ut pœna cresceret et vir electus apparuit, cur non credendum sit quod in supplicio videre eos etiam quos contra Deum dilexerat possit? Qua ex re colligitur quod eos quos inordinate nunc reprobi diligunt, miro judicii ordine secum tunc in tormentis videbunt, ut pœnam propriæ punitionis exaggeret illa auctori præposita carnalis cognatio pari ante oculos ultione damnata.

Cap. LXXII. — *Item unde supra.*

(Dial. lib. IV, cap. 33.) Quod boni bonos in regno, et mali malos in supplicio cognoscant, in verbis dominicis luce clarius est demonstratum. In quibus cum dictum esset quod mortuus Lazarus portatus est ab angelis in sinu Abrahæ, et mortuus dives sepultus est in inferno, subjunctum est : *Qui elevans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus, et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam : quia crucior in hac flamma.* Cui Abraham dixit : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Dives autem de seipso jam spem salutis non habens, ad promerendam suorum salutem convertitur, dicens : *Rogo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei : habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Quibus verbis aperte declaratur quia et boni bonos, et mali cognoscant malos. Si igitur Abraham Lazarum minime recognovisset, nequaquam ad divitem in tormentis positum de transacta ejus contritione loqueretur, dicens quod mala receperit in vita sua. Et si mali malos non recognoscerent, nequaquam dives in tormentis positus fratrum suorum etiam absentiam meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere qui etiam pro absentium memoria curavit exorare? Qua in re illud quoque ostenditur quod et boni malos, et mali cognoscunt bonos. Nam et dives ab Abraham cognoscitur, cui dictum est : *Recepisti bona in vita tua :* et electus

Lazarus a reprobo est divite cognitus, quem mitti precatur ex nomine, dicens : *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam.* In qua videlicet cognitione utriusque partis cumulus retributionis excrescit, et ut boni amplius gaudeant qui secum eos lætari conspiciunt quos amaverunt ; et mali, dum cum eis torquentur quos in hoc mundo despecto Deo dilexerunt, eos non solum sua, sed etiam eorum pœna consumat. Fit autem quiddam mirabilius in electis, quia non solum eos agnoscunt quos in hoc mundo noverant, sed velut visos atque cognitos recognoscunt bonos quos nunquam viderunt. Qui enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, non est quod ibi nesciant ubi scientem omnia sciunt.

CAP. LXXIII. — *Si habueritis fidem tanquam granum sinapis* (*Luc.* XVII, 6).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 9.) Sicut unguenta redolere latius nesciunt nisi commota, et sicut fragrantiam suam nonnisi cum incenduntur expandunt, ita sancti viri omne quod virtutibus redolent in tribulationibus innotescunt. Unde et recte in Evangelio dicitur : *Si habueritis fidem tanquam granum sinapis.* Granum quippe sinapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoscitur, nam non contritum, lene est, si vero conteritur, inardescit, et quid in se acerrimum lateat ostendit. Sic unusquisque vir sanctus cum non pulsatur, despicabilis et lenis aspicitur ; si qua vero illum tritura persecutionis opprimat, mox omne quod calidum sapit ostentat, et in fervorem virtutis vertitur quidquid in illo ante despicabile infirmumque videbatur, quodque in se per tranquillitatis tempora libens operuerit, exagitatus tribulationibus coactus innotescit.

CAP. LXXIV. — *Occurrerunt ei decem leprosi*, etc. (*Luc.* XVII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 26.) Hæretici hoc habent proprium ut bonis mala permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim prava semper dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent. Itaque permiscent recta perversis, ut ostendendo bona auditores ad se attrahant, et exhibendo mala latenti eos peste corrumpant, ex rectis sensibus trahant, et ex perversis feriant. Hi in præceptis Dei sana insanaque locutione variantur. Unde in Evangelio decem leprosorum sunt specie designati. Quorum colori sano dum vitiosus candor aspergitur, immoderato hoc candore fœdantur. Unde admonemur : *Non plus sapere, quam oportet sapere ; sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Quoniam igitur in lepra et pars cutis in fulgorem ducitur, et pars in colore sano retinetur, recte leprosi hæreticos exprimunt, quia dum rectis prava permiscent, et sanis insana, colorem sanum maculis aspergunt. Qui etiam, quia nec Deum diligunt, de quo male sentiunt, nec proximum, a quo dividuntur. Decalogi præceptis adversi sunt, et ideo ad deprecandum Dominum Christum veniunt. Et quoniam in ejus præceptis offenderant, ad illum unde offenderant vocant, ut salventur clamant, dicentes : *Jesu præceptor, miserere nostri ;* quia enim in verbis illius se errasse significant, hunc salvandi humiliter præceptorem vocant. Cumque ad cognitionem præceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt et curari meruerunt.

CAP. LXXV. — *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Luc.* XVII, 37).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 105 ; lib. IV Dial., cap. 25.) Ante restitutionem corporum quorumdam animæ justorum a cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur, quia de perfecta justitia aliquid minus habuerunt. Perfectorum vero justorum animæ mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestis regni sedibus recipiuntur. Quod et ipsa per se Veritas attestatur, dicens : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.* Ac si aperte dicat : Qui cœlesti sedi incarnatus vester Redemptor præsideo, electorum quoque animas cum carne solvero, ad cœlestia sublevabo. Ubi igitur ipse Redemptor noster est corpore, illuc proculdubio colliguntur justorum animæ ; et Paulus dissolvi desiderat, et cum Christo esse (*Philip.* I, 23). Qui ergo Christum esse in cœlo non dubitat, nec animam Pauli in cœlo esse negat.

CAP. LXXVI.—*Jejuno bis in sabbato* (*Luc.* XVIII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 33, et homil. 7, in Ezech., n. 6 ; lib. XIX Mor. n. 34.) Si qua civitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia, unum vero foramen in ea tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio hostis ingreditur qui undique exclusus esse videbatur. Pharisæus qui in templum oraturus ascendit, civitatem mentis suæ quanta munitione vallaverit, audiamus : *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo ;* qui præmisit : *Deus, gratias ago tibi.* Recte quippe Deo gratias agebat, a quo acceperat bona quæ fecerat. Magna certe munimina adhibuit, sed videamus ubi insidianti hosti foramen immunitum reliquit. *Quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Ecce civitatem sui cordis insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunium et eleemosynas clausit. Incassum cætera sunt munita, cum locus unus de quo hosti pateret aditus non est munitus. Gratias recte egit, sed se perverse super publicanum extulit. Civitatem sui cordis extollendo prodidit, quam abstinendo et largiendo servavit ; victa est per abstinentiam gula, ventrisque ingluvies destructa, superata est largitate tenacia et avaritia depressa. Quibus hoc laboribus actum credimus ? Sed o quot labores uno vitio percussi ceciderunt ! quanta bona unius culpæ gladio perempta sunt ! Unde magnopere oportet bona semper agere, et ab ipsis nos bonis operibus in cogitatione caute custodire ; ne si mentem elevant bona non sint, quæ non auctori militant, sed elationi. De qua re non inordinate agimus, si ex libris licet non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferamus. Eleazar namque in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso quem exstinxit occubuit (*1 Mach.* VI). Quos ergo iste significat quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subigunt superbiendo succumbunt ? Quasi enim sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat elevatur. Sancti igitur in omni opere suo sollicite invigilent ne aut prava agant, aut postquam recta quæ præcepta sunt egerint, bonis actibus expletis in suis cogitationibus intumescant, et tanto gravius offendant, quanto in his quæ juste videntur agere foris occultius peccant. Perit enim omne quod agitur, si non humilitate sollicite custodiatur.

CAP. LXXVII.—*Egressus Jesus perambulabat Jericho, et ecce Zachæus quærebat videre eum, quis esset* (*Luc.* XIX, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 79.) Si veraciter esse sapientes et ipsam Dei sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem stultitatem. Hinc quippe scriptum est : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18). Hinc evangelicæ historiæ verba testantur quia Zachæus cum videre præ turba nil posset, sycomorum arborem ascendit, ut transeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur. Pusillus itaque Zachæus sycomorum subiit, et Dominum vidit ; quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit, quia infirmitatem humanæ mentis ne lucem veritatis intendat,

curarum sæcularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si provide eam quæ divinitus præcipitur stultitiam mente teneamus. Quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriam reddere, imo adjunctis aliis patientiam præbere? Qusai enim sycomorum nos ascendere Dominus præcepit, cum dicit: *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas* (*Luc.* VI, 30). Et rursum: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram* (*Matth.* V, 39). Per sycomorum transiens Dominus cernitur, quia per hanc sapientem stultitiam, etsi necdum ut est solide, jam tamen per contemplationis lumen quasi in transitu Dei sapientia videtur. Quam videre nequeunt qui sibi sapientes videntur, quia ad conspiciendum Dominum in elata cogitationum suarum turba deprehensi, adhuc sycomori arborem non invenerunt.

CAP. LXXVIII. — *Dixit Zachæus ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc.* XIX, 8).

(Homil. 5, in Evang., n. 2, et homil. 25, n. 10.) Æstimationem pretii non habet, sed tamen regnum Dei tantum valet quantum habes; valuit Petro et Andreæ, dimissis retibus et navi; valuit viduæ duobus minutis, valuit alteri calice aquæ frigidæ, valuit etiam Zachæo dimidio substantiæ, quia dimidium aliud ad hoc quod injuste abstulit restituendum in quadruplum reservavit. Exteriora enim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt; cor namque et non substantiam pensat, nec perpendit quantum in ejus sacrificio sed ex quanto proferatur. Regnum itaque Dei, ut diximus, tantum valet quantum habes. Pensate igitur, fratres, quid vilius cum emitur, quid carius cum possidetur? Præterea si quis avaritiæ æstibus anhelans aliena diripuit, aspiciat hunc Zachæum, qui si quid alicui abstulit quadruplum reddidit.

CAP. LXXIX. — *Negotiamini dum venio* (*Luc.* XIX, 13).

(Homil. 17, in Evang., n. 16, 17, 18.) Debent sollicite sacerdotes pensare quod lucrum Deo faciunt, qui accepto talento ab eo ad negotium missi sunt. Etenim ipse Dominus dicit: *Negotiamini dum venio.* Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui manipulos animarum de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo judex veniet, et rationem cum servis quibus talenta credidit ponet. Ecce in majestate terribili, inter angelorum et archangelorum choros videbitur, in illo tanto examine electorum omnium et reproborum multitudo deducetur, et unusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi omnes dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subitum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, quid nos miseri dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium, vacui ed mus, qui pastoris nomen habuimus, et oves quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere non habemus? Hic pastores vocati sumus, et ibi gregem non ducimus. Et per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, et per impositionem manuum nostrarum a Domino Spiritum sanctum accipiunt atque ipsi ad regnum cœlorum pertingunt, et ecce nos deorsum per negligentiam nostram tendimus. Ingrediuntur electi, sacerdotum manibus expiati, cœlestem patriam, et sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad cœleste regnum mittit, et ipsa postea descendit ad cloacas? Timeamus hæc, fratres; conveniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum quotidie relaxatione cogitemus, ne nostra vita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens Deus alios quotidie solvit. Consideremus sine cessatione negotium nostrum; pensemus prudes quod suscepimus; faciamus quotidie nobiscum rationes quas cum judice nostro habebimus, et de negotio quod accepimus omnipotenti Domino fructum nos reddere præparemus.

CAP. LXXX. — *Ecce mna tua quam habui repositam in sudario* (*Luc.* XIX, 20).

(Regul. pastor. part. I, cap. 9.) Ille qui virtutibus pollet coactus ad regimen debet venire, virtutibus vacuus nec coactus præsumat accedere. Ille si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. At contra, iste cum regimen appetit, attendat ne per exemplum pravi operis Pharisæorum more ad ingressum regni tendentibus obstaculum fiat, quia juxta summi magistri vocem, nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt.

CAP. LXXXI. — *Tollite ab eo talentum, et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores* (*Luc.* XIX, 24).

(Homil. 6, in Evang.) Unusquisque vestrum inquantum sufficit, inquantum inspirationis superne gratiam accepit, a pravitate proximorum animos revocare, et ad bene operandum exhortari, æternum quoque regnum vel supplicium erranti debet denuntiare. Et nemo dicat: Admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum. Quantum potes, exhibe, ne talentum male servatum quod acceperas in tormentis pendere exigaris. Neque enim plus quam unum talentum acceperat qui hoc abscondere magis studuit quam erogare. Et scimus quod in Dei tabernaculo non solum phialæ, sed, præcipiente Domino, etiam cyathi facti sunt. Per phialas quippe exuberans doctrina, per cyathos vero parva et angusta designatur scientia. Alius doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat, per hoc ergo quod dicit profecto phialam porrigit. Alius quod sentit explere non valet, sed quia hoc utcunque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei tabernaculo, id est in sancta Ecclesia positi, si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minime potestis, in quantum pro divina largitate sufficitis, boni verbi cyathos date proximis vestris. Inquantum vos profecisse pensatis, etiam alios trahite, in via Dei habere socios desiderate. Si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis. Hinc enim scriptum est: *Qui audit, dicat: veni* (*Apoc.* XXII, 17). Ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, etiam foris proximis vocem reddat exhortationis. Et fortasse panem ut indigenti porrigat eleemosynam non habet, sed majus est quod tribuere valet qui linguam habet. Plus est enim verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis pane terreno satiare. Nolite ergo, fratres, proximis vestris eleemosynam verbi subtrahere.

CAP. LXXXII. — *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (*Luc.* XXI, 19).

(Regul. pastor. part. 3, cap. 9; in exposit. B. Job, lib. V, n. 33.) Sic enim conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, et anima possideat corpus. Jus vero animæ a corporis possessione repellitur, si non prius anima a ratione possidetur. Custodem igitur conditionis nostræ patientiam Dominus esse monstravit, quia in ipsa nos possidere nosmetipsos docuit. Quanta ergo sit impatientiæ culpa cognoscimus, per quam et hoc ipsum amittimus possidere quod sumus. Quia vero perfectio de patientia nascitur, statim subinfertur: Ille enim vere perfectus est qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Qui patientiam servare contemnit, socialem vitam citius per

impatientiam deserit; neque enim servari unquam concordia nisi per solam patientiam valet. Crebro namque in humana actione nascitur unde mentes hominum vicissim a sua unitate et dilectione separentur. Et nisi ad adversa toleranda in animo se præparent, cum adversitatis aliquid acciderit quod animus ferre non valet, fraternam concordiam relinquunt. Sed qui alienam imperfectionem ferre non valens deserit, ipse sibi testis est quod perfecte necdum proficit. Hinc est quod in Evangelio, ut supra commemoravimus, Veritas dicit : *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Quid est enim animas possidere nisi perfecte in omnibus vivere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam possidet, quia inde contra adversa omnia fortis efficitur unde sibi et seipsum vincendo dominatur. Et quod laudabiliter frangit, infractum se fortiter exerit, quia cum in suis se voluptatibus superat, sese ad contraria invictum parat.

CAP. LXXXIII. — *Accepto pane, gratias egit* (*Luc.* XXII, 19).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 61.) Dominus noster Jesus Christus in se credentes edocet, ut in flagellis positi benedicere Domino sciant et gratias agere. Cum enim, teste Evangelio, propinquare passioni dicitur, accepto pane, gratias egisse perhibetur. Gratias itaque agit qui flagella alienæ iniquitatis suscipit, et qui nil dignum percussione exhibuit, humiliter in percussione benedicit; ut hinc videlicet ostendat quid unusquisque in flagello culpæ propriæ facere debeat, si ipsæ æquanimiter flagella culpæ portat alienæ, ut hinc ostendat quid in corruptione faciat subditus, si in flagello positus Patri gratias agit æqualis.

CAP. LXXXIV. — *Jesus factus in agonia, prolixius orabat* (*Luc.* XXII, 44).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 32.) Electi Dei semper districta Dei judicia super se metuunt, tunc tamen hæc vehementer pertimescunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto judici propinquare se cernunt, et fit tanto timor acrior, quanto et retributio æterna vicinior. Crescit pavor vicina retributione justitiæ, et urgente solutione carnis, quanto magis districtum judicium jamjamque cernitur, tanto vehementius formidatur. Et si ea quæ sciunt nunquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt; quia videlicet semetipsos dijudicare et comprehendere omnino non possunt, et urgente exitu, subtiliori terrentur metu. Unde Redemptor noster solutioni carnis appropinquans et membrorum suorum speciem servans, factus in agonia, cœpit prolixius orare. Quid enim pro se ille cum agonia peteret, qui in terris positus cœlestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris et formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno judicio propinquamus. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit quod in æternum mutare non possit.

CAP. LXXXV. — *Amice, ad quid venisti* (*Matth.* XXVI, 50)?

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 46.) Illos qui nobis adversantur amicos nominare debemus, sicut a Domino ipsi quoque traditori dicitur: *Amice, ad quid venisti?* Et dives qui inferni igne exuritur, Abraham filius vocatur, quia etsi per nos mali corrigit negligunt, dignum tamen est ut a nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate nominentur.

CAP. LXXXVI. — *Cum autem vidisset ancilla quædam ostiaria sedentem Petrum ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius? Negavit ille, et dixit : non sum* (*Luc.* XII, 56).

(Homil. 30, in Evang., n. 7 et 8.) Quales doctores sanctæ Ecclesiæ ante adventum sancti Spiritus fuerint scimus, et post adventum illius cujus fortitudinis sint facti conspicimus. Certe ipse pastor Ecclesiæ et primus Apostolorum, ad cujus sacratissimum corpus sedemus, quantæ debilitatis quantæque formidinis fuerit ancilla ostiaria requisita dicat. Una enim mulieris voce perculsus, dum mori timuit, vitam negavit. Qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili cujusquam potestate, sed unius mancipii sola est prostratus interrogatione. Et quidem mancipium : ne sexus firmior terribilis demonstraretur, ancilla est inquirente tentatus. Rursusque ut talis sexus infirmitas etiam officii sui dejectione vileseeret, non ab ancilla tantummodo, sed ab ostiaria ancilla requisitus est. Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita, ut aperte proderetur quantum eum timoris infirmitas possideret qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Et pensandum quia comprehensum Petrus negavit in terra quem suspensum latro confessus est in cruce. Sed vir iste tantæ formidinis qualis post adventum sancti Spiritus existat audiamus. Fit conventus magistratus et seniorum, cæsis denuntiatur apostolis ne in nomine Jesu loqui debeant. Petrus auctoritate magna respondit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Et rursum : *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus et audivimus, non loqui. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui quandoque in verbis timebat; et qui prius ancillæ vocem requisitus timuit, post adventum sancti Spiritus, vires principum cæsus premit. Considerandum vero nobis est cur omnipotens Deus eum quem cunctæ præferre disposuerat Ecclesiæ, ancillæ vocem pertimescere et seipsum permisit negare? Quod nimirum actum esse pietatis magnæ cognoscimus dispensatione, ut is qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque eum sibi ostendit, et tunc cæteris præposuit, ut ex infirmitate sua cognosceret quam misericorditer aliena infirma toleraret.

CAP. LXXXVII. — *Et conversus Dominus, respexit Petrum* (*Luc.* XXII, 61).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 30; lib. XXXII in Job, num. 10; in exposit. B. Job, lib. XXV, num. 28, 29.) Duobus modis a Domino peccator unusquisque respicitur, cum aut a peccato convertitur, aut pro peccato punitur. De respectu conversionis dicitur, *quia respexit Dominus Petrum, et recordatus est Petrus verbi quod dixerat Jesus, et egressus foras flevit amare*. Misericordia quippe Redemptoris insensibilitatis nostræ duritiam cum respicit, ad pœnitentiam emollit. Nequaquam enim post mortem liberat quem ante mortem ad veniam gratia non reformat. Hinc Psalmista ait : *Quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* XVII, 1). Quia nimirum quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post præsens sæculum justitia addicit. De respectu rursus ultionis dicitur : *Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII, 17). Sciendum est autem quod omne peccatum tribus modis admittitur; nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum : quia ignorans feci in incredulitate* (*I Tim.* I, 13). Petrus vero infirmitate peccavit, quando omne in eo robur fidei quod Domino perhibuit una vox puellæ concussit, et Deum quem corde tenuit voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantia eo facilius tergitur, quo non studio perpetratur, Paulus qui ignoravit sciendo correxit, et Petrus motam et quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Si ergo fortasse

aliquis labitur in fide, Petrum aspiciat qui amare flevit quod per infirmitatem timoris negaverat. Ex industria vero peccaverant ii de quibus ipse per se Magister dicebat : *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* xv, 22). Et paulo post : *Et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum.* Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem ; sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen consilio et deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere, amare bonum, sed implere non posse ; ex studio non peccare, est bonum nec facere nec amare. Sicut ergo nonnunquam gravius est peccatum diligere quam perpetrare, ita nequius est odisse justitiam quam non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur ; et quæ ipsi facere negligunt etiam in aliis detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex solo studio perpetratur, quia videlicet si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appeterent, facta ab aliis non odissent ; sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, vivendo despiciunt, animadvertendo persequuntur. Sunt item quidam in Ecclesia qui bona quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt. Quia enim scriptum est : *Servus nesciens voluntatem domini sui, et faciens digna plagis, vapulabit paucis. Et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens juxta eam, plagis vapulabit multis* (*Luc.* xii, 47) ; impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt, et ideo non discernunt, quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim est ignorantia, scire noluisse superbia. Et tanto magis excusationem non possunt habere quia nesciant, quanto magis eis etiam nolentibus humilitatis dominicæ facta et bene vivendi exempla opponuntur ab eo monstrata quæ cognoscant.

Cap. LXXXVIII. — *Interrogabat Jesum Herodes multis sermonibus : at ipse nihil ei respondebat* (*Luc.* xxiii, 9).

(In exposit. B. Job, lib. xi, num. 53, et lib. xxii, num. 38.) Sancti viri cum audientibus prodesse nequeunt, etiam despici tacentes volunt, ne de suæ sapientiæ glorientur ostentatione. Cumque prudenter aliquid dicunt, non suam gloriam, sed auditorum vitam quærunt. Cum vero conspiciunt quia vitam auditorum loquendo lucrari non possunt, tacendo scientiam suam abscondunt. Ad imitandum quippe vitam Domini quasi ad quoddam nobis propositum signum currimus, qui pro redemptione nostra moriens in cruce, tenebrosis nostris mentibus lucem per lignum sicut lampas fudit. Hac nos lampade Joannes illuminari conspexerat, cum dicebat : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* i, 9). Hujus lampadis flammas Herodes explorare voluit, cum ejus miracula videre concupivit, sicut scriptum est : *Herodes, viso Jesu, gavisus est : erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audisset multa de illo, et sperabat signum aliquod ab eo videre fieri ;* ubi et subditur : *Interrogabat autem eum multis sermonibus : at ipse nihil ei respondebat.* Lampas quippe ante ejus oculos nullo radio lucis emicuit, quia ei qui se non pie sed curiose quæsierat, nil de se mirabile ostendit. Inquisitus itaque Dominus tacuit, exspectatus miracula exhibere contempsit, quia Herodem non profectum quærere, sed scientiam vel signa mirari velle perspexit. Sese igitur in occultis retinens, apud se eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foris reliquit, magis eligens aperte a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari. Quia enim constanter tacuit, ab Herode derisus et despectus exivit, sicut scriptum est : *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba.* Quod videlicet factum oportet nos audientes discere, ut quoties auditores nostri nostra nolunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, et illorum culpa quæ erat esse non desinat, et nostra quæ non erat fiat.

Cap. LXXXIX. — *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* xxiii, 31) ?

(In exposit. B. Job, lib. xii, num. 5.) In Scriptura sacra, ligni nomine, aliquando crux, aliquando vir justus, aut injustus, aliquando vero incarnata Dei sapientia figuratur. Crux enim per lignum signatur, cum dicitur : *Mittamus lignum in panem ejus* (*Jerem.* xi, 19). Lignum quippe mittere in panem est dominico corpori crucem adhibere. Rursum ligni nomine vir justus, aut injustus exprimitur, sicut per prophetam Dominus dicit : *Ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile* (*Ezech.* xvii, 24) ; quia juxta ejusdem Veritatis vocem : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* xiv, 11). Rursum per lignum incarnata Dei Sapientia figuratur, sicut de ea scriptum est : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam* (*Prov.* iii, 18). Et sicut ipsa ait : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* xxiii, 31) ? Se enim lignum viride, et nos aridum lignum dixit, quoniam ipse vim divinitatis in se habuit, nos vero, qui puri homines sumus, lignum aridum sumus.

Cap. XC. — *Postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariæ, ubi crucifixerunt Dominum Jesum et latrones, unum a dextris et alterum a sinistris* (*Luc.* xxiii, 33).

(Homil. 25, in Evang., n. 7 et 8.) Ecce, fratres charissimi, ad pœnam crucis Conditor noster sine culpa pro peccatoribus advenit ; et pro humano genere, qui morti nihil debebat per crucis supplicium occubuit ; et inde antiquum hostem in æternum perculit unde sævire contra se manus persequentium temporaliter permisit ; quod aperte Dominus beato Job indicat, dicens : *Nunquid capies Leviathan hamo* (*Job* xl, 19) ? In hamo esca ostenditur, aculeus occultatur. Leviathan igitur, id est antiquum serpentem diabolum, Pater omnipotens hamo cepit, quoniam ad mortem illius unigenitum Filium incarnatum misit, in quo et caro passibilis videri posset, et divinitas impassibilis videri non posset. Cumque in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Prius autem eum in miraculis Deum cognoverat, sed de cognitione sua ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit. Quasi hamus ergo fauces glutientis tenuit, dum in illo carnis esca patuit quem devorator appeteret, et divinitas tempore passionis latuit quæ necaret. In hamo ejus incarnationis captus est, quia dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas quæ devoratorem ad se duceret, ibi divinitas quæ perforaret, ibi aperta infirmitas quæ provocaret, ibi occulta virtus quæ raptoris faucem transligeret. In hamo igitur captus est, quoniam inde interiit unde momordit. Quos ergo jure tenebat mortales perdidit, quoniam eum in quo jus non habuit morte crucis appetere immortalem præsumpsit. Ecce antiquus hostis ea quæ de humano genere ceperat spolia amisit, et supplantationis suæ victoriam, cum Redemptor noster in cruce moreretur, perdidit.

Cap. XCI. — *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii, 34).

(Homil. 27, in Evang., n. 2.) Una et summa est probatio charitatis, si et ipse diligitur qui adversatur. Hinc est quod ipsa Veritas et crucis patibulum sustinet, et tamen ipsis suis persecutoribus affectum dilectionis impendit, dum in cruce Patrem exorat pro eis. Quid ergo mirum si inimicos diligant discipuli dum vivunt, quando et tunc inimicos dilexit Magister

cum occiditur? Sciendum est autem quod absque iniquitate manus suæ Dominus ab inimicis cum occideretur pertulit, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*Isa.* LIII), et tamen crucis dolorem pro nostra redemptione toleravit. Qui solus præ omnibus ad Deum preces mundas habuit, qui in ipso dolore passionis pro persecutoribus exoravit, dicens : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quid enim dici, et quid in prece mundius potest cogitari, quam cum et illis misericordia intercessionis impenditur a quibus dolor toleratur? Unde factum est ut Redemptoris nostri sanguinem quem persecutores sevientes fuderant postmodum credentes lamberent, eumque Dei Filium esse prædicarent.

CAP. XCII. — *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42).

(Lib. XVIII in Job, num. 63, 64, 65.) Ad indignam mentem veniens Deus dignam sibi exhibet veniendo, et facit in ea meritum quod remuneret; qui hoc solum invenerat quod puniret. Libet inter hæc mentis B oculos ad illum latronem reducere qui de fauce ascendit crucem, de cruce paradisum. Intueamur qualis ad patibulum venit, et a patibulo qualis abscessit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruentus, sed interna gratia est in cruce mutatus. Et ille qui mortem fratri intulit, morientis Domini vitam prædicavit, dicens : *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum.* In cruce clavi manus ejus pedesque ligaverant, nihilque in eo a pœnis liberum nisi cor et lingua remanserant; inspirante Deo, totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut juxta hoc quod scriptum est, corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem (*Rom.* XII). In corde vero fidelium tres summopere manere virtutes testatur apostolus dicens : *Nunc autem manent fides, spes, charitas* (*1 Cor.* XIII, 13); quas cunctas subita repletus gratia, et accepit latro, et servavit in cruce. Fidem namque habuit qui regnaturum Dominum credidit, quem secum pariter morientem vidit. Spem habuit qui regni ejus aditum postulavit, dicens : *Memento mei cum veneris in regnum tuum.* Charitatem quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui fratrem et colatronem pro simili scelere morientem de iniquitate sua arguit, et ei vitam quam non cognoverat prædicavit, dicens : *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit* (*Luc.* XXIII, 40). Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando negabant apostoli eum quem miracula viderant divina virtute facientem. Sed hi qui salvari hominem propriis viribus astruunt, eamdem confessionem hominis ab ipsius esse virtute suspicantur. Quod si ita esset, in Dei laude Psalmista non diceret : *Confessio et magnificentia opus ejus* (*Psal.* CX, 3). Ab eo itaque accipimus recta confiteri a quo nobis et magna datur operari.

CAP. XCIII. — *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43).

(Homil. 20, in Evang., num. 15, et homil. 25, n. 10.) Præstat, fratres charissimi, magnam veniæ fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, unde latro. Nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate ergo, cogitate, quam sint incomprehensibilia in omnipotente Deo misericordiæ viscera; latro iste cruentis manibus abstractus a fauce itineris, suspensus est in patibulo crucis. Ibi confessus, ibi sanatus est, ibi audire meruit : *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid est hoc? quis tantam bonitatem Dei dicere, quis æstimare sufficiat? De ipsa pœna criminis pervenit ad præmia virtutis. Si quis igitur contra proximum suum in malitia crudelitatis exarsit, aspiciat hunc latronem qui in ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo pervenit. Ab spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat, quoniam omnipotens Deus, si ad A Deum toto corde consurgimus, spem veniæ reddet, et nobis per lamenta pœnitentiæ viam misericordiæ et pietatis aperiet.

CAP. XCIV.—*Una sabbati quibusdam mulieribus valde diluculo ad monumentum venientibus; ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti, qui dixerunt eis : Quid quæritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit* (*Luc.* XXIV, 1 *seq.*).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 69.) Dei Filius idcirco inter nos homo factus est, ut non solum nos sanguine fuso redimeret, sed etiam ostenso exemplo commutaret. In conversione igitur nostra, et veniendo alia invenit, et vivendo alia docuit. Studebant enim omnes superba Adam stirpe progeniti prospera vitæ præsentis appetere, adversa devitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos incarnatus Dominus adversa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. Nam cum Judæi illum regem sibi constituere B voluissent, fieri rex refugit; cum vero eum interficere molirentur, sponte ad crucis patibulum venit. Fugit ergo quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt, sed cum fugit quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt, fecit quod omnes mirarentur, ut et mortuus ipse resurgeret, et morte sua alios de morte resuscitaret. Duæ quippe vitæ sunt hominis in corpore consistentis, una ante mortem, alia post resurrectionem, quarum unam omnes agendo noverant, aliam nesciebant, et humanum genus sola huic quam noverat intendebat. Venit per carnem Dominus, et dum suscepit unam, alteram demonstravit, quia dum hanc nobis cognitam suscepit, illam quæ nobis est incognita ostendit. Moriendo quippe vitam exercuit quam tenemus, resurgendo aperuit quam quæramus; exemplo suo nos docens quod hæc vita quam ante mortem ducimus non propter se sit amanda, sed propter alteram toleranda. Redemptor ergo noster suscepit mortem ne mori timeremus, ostendit resurrectionem ut nos surgere C posse confidamus. Unde et eamdem mortem non plusquam triduanam esse voluit, ne si in illo resurrectio differretur, in nobis omnimodo desperaretur. Mortem igitur transitorie, id est ad triduum, contigit, atque in eam mortem quam contigit nequaquam sicut nos usque ad finem sæculi remansit. Dum ergo die tertio resurrexit, quid in ejus corpore, id est in Ecclesia sequatur ostendit. Exemplo quippe monstravit quod promisit in præmio; ut sicut ipsum resurrexisse fideles agnoscerent, ita in se ipsi in fine mundi resurrectionis præmia sperarent.

CAP. XCV. — *Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum, nomine Emmaus* (*Luc.* XXIV, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 58; lib. I, in Job, num. 3.) Sancti apostoli in hoc Ecclesiæ corpore quasi dentes idcirco sunt positi, ut vitam carnalium correptione mordeant, eamque a suæ pertinaciæ duritia confringant. Unde et primo apostolorum quasi denti in ejus corpore posito dicitur : *Macta et manduca* (*Act.* X, 13). Sed dominicæ passionis D tempore isti dentes præ timore mortis amiserunt morsum correptionis, amiserunt fiduciam roboris, amiserunt efficaciam omnimodæ operationis; ita ut duo ex illis ambulantes post ejus mortem et resurrectionem in via loquerentur ac dicerent : *Nos sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV, 2). Confabulabantur adhuc de Domino, sed jam in illo minime credebant; virtutem bonæ operationis amiserant, et sola de illo confabulationis verba retinebant. Perdiderunt morsum correptionis, et habebant motum locutionis : confabulari noverant, sed prædicare jam eum aut mordere infidelium vitia formidabant. Sciendum est autem moris esse sacræ Scripturæ ut ipsi qui scribunt sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc Joannes dicit : *Discipulus ille quem diligebat Jesus* (*Joan.* XIX, 26). Hinc Lucas ait quod ambularent duo ex discipulis in via, Cleophas et alius; quem profecto alium dum tam studiose ta-

cuit, ut quidam dicunt, seipsum monstravit.

CAP. XCVI. — *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via* (*Luc.* XXIV, 32)?

(Homil. 7, in Evang., n. 5.) Omnes quos Spiritus sanctus repleverit, ardentes pariter et loquentes facit. Ideo sancti doctores, cum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant. Nam et otiosus est sermo doctoris si præbere non valeat incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso Veritatis ore conceperant qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* Exaudito quippe sermone animus inardescit, torporis frigus recedit. Fit in superno desiderio mens anxia, a concupiscentiis terrenis aliena; amor verus qui hanc repleverit fletibus cruciat, et quæ torpebat prius per desideria postmodum ardet per verba, et quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur.

CAP. XCVII. — *Stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis* (*Luc.* XXIV, 36).

(In exposit. B. Job, lib. XII, num. 8; Regul. pastor. part. III, cap. 25.) Dominus et Redemptor noster quamvis occidi per passionem potuit, per resurrectionis tamen gloriam rursus ad vitæ viriditatem venit: et per virtutem Dei exstincta caro illius ad vitam rediit; juxta quod scriptum est: *Quem Deus suscitavit a mortuis* (*Act.* IV, 10). Quia enim Deus Trinitas est, exstinctam carnem unigeniti filii sancta Trinitas, id est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, resuscitavit. Resurrectionis vero suæ solemnitate celebrata, quibusdam provectionum accessibus innotuit incorruptio corporis quod resumpsit. Luca quippe attestante didicimus quod quibusdam in monumento se quærentibus prius angelos misit, et rursum de se in via loquentibus ipse quidem, sed non cognoscendus, apparuit, qui post exhortationis moras se cognoscendum in fractione panis monstravit; ad extremum vero repente ingrediens, non solum se cognoscibilem, sed etiam palpabilem præbuit. Præterea eadem ipsa Veritas quæ repente quos vellet roborare potuisset, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, ipso die quo cœlos ascendit, postquam plene discipulos de virtute prædicationis instruxit, illico adjunxit: *Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). In civitate quippe consedemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur; ut cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus. Quia igitur infirma gestabant adhuc corda discipuli in cognitione tanti mysterii, fuerant ista dispensatione nutriendi, ut paulisper aliquid quærentes invenirent, invenientes crescerent, et crescentes cognita robustius tenerent. Illa igitur apostolorum debilitas, quæ in morte Domini expavit et negavit, et negando aruit, per resurrectionis ejus gloriam rursum ad fidem irruit; et prædicatione ejus ab apostolis per Gentes diffusa (quia Judæorum perfidia despecta fuit) quoniam occidi carne potuit, ex resurrectione illius multiplicati longe lateque fideles creverunt.

CAP. XCVIII. — *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum* (*Luc.* XXIV, 44).

(Homil. 24, in Evang. n. 2.) Hoc Dominus post resurrectionem suam suis dicit discipulis, et cum ipsis positus fatetur se non esse cum ipsis. Neque enim cum ipsis non erat, quibus præsens corporaliter apparebat, sed tamen jam se cum ipsis esse denegabat, a quorum mortali corpore carnis immortalitate distabat.

CAP. XCIX. — *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet* (*Luc.* XXIV, 39).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 68. 74, 75.) Redemptor noster resurrectionem quam in se ostendit nobis promisit, et eam in nobis quandoque est facturus, quia sui capitis gloriam membra sequuntur. Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen ejusdem resurrectionis exquiro. Credo namque quia resurrecturus sim, sed volo ut audiam qualis. Sciendum quippe mihi est utrum in quodam alio subtili fortasse, vel aereo, an in eo quo morior corpore resurgam. Sed si in aereo corpore surrexero, jam ego non ero qui resurgo. Nam quomodo est vera resurrectio, si vera esse non poterit caro? Aperta ergo ratio suggerit quia si vera caro non fuerit, procul dubio resurrectio vera non erit. Hæc enim recte resurrectio dici non potest ubi non resurgit quod cecidit. Credendum est igitur quia nequaquam sicut Eutycius Constantinopolitanæ urbis episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Unde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendit manus et latus, palpanda ossa carnemque præbuit, dicens: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Qui cum eidem Eutycio, in Constantinopolitana urbe positus, hoc evangelicæ veritatis testimonium protulissem, ait: Idcirco hoc Dominus fecit ut dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoveret. Cui inquam: Mira est res valde quam astruis, ut inde nobis dubietas surgat unde discipulorum corda a dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest quam ut hoc nobis de ejus carne vera dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem ab omni sunt dubietate separati? Si enim hoc non habuisse astruitur quod ostendit, unde fides discipulis ejus confirmata est inde nostra destruitur. Qui adjungebat etiam dicens: Corpus palpabile habuit quod ostendit, sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino quod palpari potuit in subtilitatem est aliquam redactum. Ad hæc ipse respondi dicens: Scriptum est: *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Si quid igitur in ejus corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam post resurrectionem Dominus nediit in mortem. Quod quis dicere vel stultus præsumat nisi qui veram carnis resurrectionem denegat? Tunc mihi objecit dicens, cum scriptum sit: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (*I Cor.* XV, 50); qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui inquam: In sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam, et aliter juxta culpam vel corruptionem. Caro quippe juxta naturam, sicut scriptum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Genes.* II, 23). Et *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). De carne vero juxta culpam scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod caro sunt* (*Genes.* VI, 3). Et sicut Psalmista ait: *Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII, 39). Unde et discipulis Paulus dicebat: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* Neque enim in carne non erant quibus epistolas transmittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit: *Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (*I Cor.* XV, 50): carnem vult secundum culpam intelligi, non secundum naturam. Unde et mox quia carnem secundum culpam diceret ostendit subdens: *Neque corruptio incorruptelam possedit.* In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionis desideria non erit, quia, devicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit. Quibus dictis, idem Eutycius consentire se protinus respondit, sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat. Qui etiam in libello quem de resurrectione scripserat, Pauli quoque apostoli testimonium indide-

rat dicentis : *Quod tu seminas , non vivificatur, nisi prius moriatur : et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum* (*I Cor.* xv , 36). Hoc nimirum ostendere festinans, quia caro vel impalpabilis, vel ipsa non erit, dum sanctus apostolus, de resurrectionis agens gloria non corpus quod futurum est seminari dixerit ; sed ad hoc citius respondetur : Paulus Apostolus dicens : *non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum*, hoc insinuat quod videmus, quia granum cum culmo et foliis nascitur quod sine culmo et foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat; iste autem dum verum corpus resurgere denegat, nequaquam dicit adesse quod deerat, sed deesse quod erat. Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti, gravissima a nobis cœpimus simultatione resilire, cum piæ memoriæ Tiberius Constantinus imperator secreto me et illum suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnovit, et utriusque partis allegationem pensans, eumdem librum quem de resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens , deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo ut egressi sumus, me ægritudo valida, eumdem vero Eutycium ægritudo et mors protinus est secuta. Quo mortuo, quia pene nullus erat qui ejus dicta sequeretur, dissimulavi cœpta persequi , ne in favillas viderer verba jaculari. Dum tamen adhuc viveret, et ego validissimis febribus ægrotarem, quicunque noti mei ad eum salutationis causa pergebant , ut ex eorum relatione cognovi, ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat dicens : *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus* ; quod, sicut ipsi fatebantur, omnino prius negare consueverat. Sed nos ista postponentes, et Redemptoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram, et eamdem, et diversam : eamdem per naturam, diversam per gloriam, eamdem per veritatem, diversam per potentiam. Erit itaque spiritualis quia et incorruptibilis, erit palpabilis quia non amittet essentiam naturæ veracis. Sunt autem plerique qui post resurrectionem extremum esse judicium verbotenus sciunt, sed agendo perverse testantur quia nesciunt. Qui enim hoc non formidat ut debet, necdum cognovit cum quanto turbine terroris adveniet. Si enim pensare tremendi pondus examinis nosset, iræ diem utique timendo præcaveret, et animadversionis districtæ sententiam priusquam appareat placaret. Vitari namque terror judicis nonnisi ante judicium potest, modo non cernitur, sed precibus placatur. Cum vero in illo tremendo examine sederit, et videri potest, et placari jam non potest, quia facta pravorum, quæ diu sustinuit tacitus simul omnia reddet iratus. Unde necesse est nunc timere judicem, cum necdum judicium exercet, cum diu mala sustinet, cum adhuc mala tolerat quæ videt, ne cum semel manum in retributionem ultionis excusserit, tanto districtius in judicio feriat, quanto ante judicium diutius exspectat Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER QUARTUS.

Expositio Evangelii secundum Joannem.

Caput Primum. — *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* i, 1).

(In exposit. B. Job, lib. xxiii, num. 35, 36; lib. xxxii, num. 7.) Deus Pater omnipotens Unigenitum consubstantialem sibi Filium genuit, sicut beato Job Heliu subtiliter loquens, dicit : *Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit* (*Job.* xxxiii, 14). Hoc intelligi subtilius potest , quod Pater unigenitum consubstantialem sibi Filium genuit. Loqui enim Dei est Verbum genuisse. Semel autem loqui est Verbum aliud præter Unigenitum non habere. Unde et apte subditur : *Et secundo idipsum non repetit :* quia videlicet hoc ipsum Verbum , id est Filium, nonnisi unicum genuit. Hinc Joannes unum tantum Verbum expressit. Quod autem non ait : *In principio fuit Verbum*, sed *erat*, non videlicet præteritum absolute ponens, liquet omnibus, quia Deo tempus nec præteritum congruit nec futurum. Tanto igitur in eo quodlibet tempus ponitur libere, quanto nullum licet vere. Neque enim quodlibet poterat dici libere, si saltem unum diceretur proprie. Inde itaque dici in Deo tempus audacter quodlibet licet, unde in eo dici proprie nullum licet. Verbum namque Pater sine tempore genuit. Et quis digne fari queat illam ineffabilem nativitatem , quod de æterno natus est coæternus, quod existens ante sæcula genuit æqualem, quod gignente natus posterior non est? Quæ videlicet nos mirari possumus, sed intueri minime valemus; illius vero nativitatis vim jam mirari posse aliquatenus videre est, sed quomodo videmus quod nequaquam comprehendimus? Est autem quod de carnis usu trahere ad sensum spiritus debemus. Nam si quis in tenebris clausis oculis jaceat, et ante eum subitum lucernæ lumen erumpat, clausi ejus oculi ipso adventu luminis feriuntur ut patescant. Cur ergo turbati sunt si nihil clausi viderunt, nec tamen perfectum aliquid fuit quod videre clausi potuerunt? Nam si perfecte totum vidissent, cur aperti quærerent quod viderent? Sic itaque, sic sumus, cum de incomprehensibili nativitate intueri aliquid conamur. Eo ipso enim quod admirationis fulgore percutitur animus, et quasi videt quod videri non valet, velut in tenebris positus, vim lucis oculis clausis videt; divinæ quippe naturæ secreta admiratio non facile occupatis per terrena desideria mentibus innotescit. Sed aptissime dixit : *Erat*, aliquid perfecti et præsentis involvens, quia unigenitus Filius , idem Verbum Patris, et perfectione natus dicitur, et pro æternitate semper nasci perhibetur. In eo enim quod perfectum Verbum genuit, et locutus est Pater, in eo quod semper gignit utique loquitur, quamvis hoc quod perfectum diximus proprie non dicamus ; neque enim quod factum non est proprie dicitur esse perfectum, sed ejus plenitudinem per quamdam angustiam nostræ locutionis exprimimus. Solerter autem intuendum est quod quædam similitudines de insensatis rebus aliquando dicantur in Deo propter effectum operis, aliquando autem ad indicandam ejus substantiam majestatis. Nam cum in Deo oculus, scapulæ, pes nominantur , effectus quidam operationis ostenditur. Cum vero manus, brachium, dextera, vox, vel verbum in Deo dicitur, per hæc vocabula consubstantialis ei Filius demonstratur. Ipse quippe manus est et dextera , de cujus ascensione per Moysen Pater loquitur, dicens : *Tollam in cœlum manum meam, et jurabo per dexteram meam* (*Deut.* xxxii, 40). Ipse brachium de quo propheta ait : *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isa.* liii, 1) ? Ipse vox et verbum, quia eum Pater gignendo dixit, et de quo Joannes scripsit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Per quod Verbum fecisse Patrem omnia David asserit, dicens : *Dixit, et facta sunt* (*Psal.* xxxii, 9).

Cap. II. — *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* i, 29).

(Homil. i, in Ezech., n. 5.) Aliquando prophetiæ

spiritus ex præsenti animum tangit, et ex futuro non tangit, sicut Joannes venientem videns Dominum ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sed cum jam moriturus esset, missis discipulis, requirebat, dicens : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Matth.* XI, 3)? In quibus verbis ostenditur quia in terris quidem venisse Redemptorem noverat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet dubitabat. Ex præsenti ergo prophetiæ spiritu tactus fuerat, qui humanitatem Mediatoris videns et divinitatem ejus intelligens, confitebatur Agnum qui peccata mundi tolleret; sed tactus ex futuro non fuerat, quia adventum illius in inferno nesciebat.

CAP. III.— *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem* (*Joan.* I, 33).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 50, 91, 92.) Dona sancti Spiritus prophetiæ scilicet, genera linguarum, et virtutes curationum non semper eodem modo sunt in mente eorum quibus dantur, quoniam ne se mens in præsumptione elevet, utiliter aliquando subtrahuntur. Unde bene in Evangelio scriptum est : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat.* In cunctis fidelibus Spiritus venit, sed in solo Mediatore singulariter permanet, quia ejus humanitatem nunquam deseruit ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet qui solus et omnia et semper potest. Nam fideles qui hunc accipiunt, cum signorum dona habere semper ut volunt non possunt, hunc se accepisse quasi in transitus ostensione testantur. Sed cum rursum de eodem Spiritu Veritatis ore discipulis dicitur : *Apud vos manebit, et in vobis erit,* quid est quod divina voce Mediatoris signum hoc eadem sancti Spiritus mansio declaratur, cum dicitur : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum?* Si igitur juxta Magistri vocem et in discipulis manet, quomodo singulare jam signum erit quod in Mediatore permanet? Quod tamen citius cognoscimus, si dona ejusdem Spiritus discernamus. Alia namque sunt dona illius, sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur, alia quibus vitæ sanctitas pro aliorum utilitate declaratur. Mansuetudo namque, humilitas, patientia, fides, spes, charitas, dona ejus sunt, sed ea sine quibus ad vitam homines pervenire nequaquam possunt. Prophetiæ autem, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio sermonum, dona ejus sunt, sed quæ virtutis ejus præsentiam pro correctione intuentium ostendunt. In his igitur donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus sanctus sive in prædicatoribus suis, seu in electis omnibus semper manet; in illis autem quibus per ostensionem illius non nostra vita servatur, sed aliorum quæritur, nequaquam in prædicatoribus semper permanet, quia semper quidem eorum cordi ad bene vivendum præsidet, nec tamen per eos virtutum signa semper ostendit, sed aliquando se eis a signorum ostensionibus subtrahit, ut eo humilius virtutes ejus habeantur, quo habitæ teneri non possunt. Mediator autem Dei et hominum, homo Christus Jesus, in cunctis eum et semper et continue habet præsentem, quia et ex illo idem Spiritus per substantiam profertur. Recte ergo et cum in sanctis prædicatoribus manet, in Mediatore singulariter manere perhibetur, quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit, caput autem corporis usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur, tangat, ita membra superni capitis in quibusdam virtutibus emicant, ipsum vero caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo Spiritus in illo manet a quo per naturam nunquam recedit. Dona vero ejus, quibus ad vitam tenditur, sine periculo amitti non possunt; dona autem quibus vitæ sanctitas demonstratur plerumque, ut dictum est, sine dispendio subtrahuntur. Illa ergo pro nostra eruditione tenenda sunt, hæc pro alienis profectibus exquirenda. In illis nos terreat formido ne pereant, in istis autem ad tempus aliquando sublatis consoletur humilitas, quia ad elationem mentem fortasse sublevant. Cum igitur concessa nobis virtutum signa subtrahuntur, tunc vere ostendimus quoniam accepta recte tenuimus, cum profecto æquanimiter ad momentum sublata toleramus.

CAP. IV. — *Vidit Jesus Nathanaelem venientem ad se, et dicit de eo : Ecce verus Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 32.) Unigenitus Dei Filius ad redemptionem nostram veniens, et suos contra mundi superbiam prædicatores mittens, relictis sapientibus insipientes, relictis fortibus debiles, relictis divitibus pauperes elegit, et prædicatores infirmos abjectosque, qui potentes quosque et fideles populos colligerent, habere studuit. Hinc est quod Nathanaelem laudat, nec tamen in sorte prædicantium numerat, quia ad prædicandum eum tales venire debuerant qui de laude propria nil habebant, ut tanto solidius veritatis cognosceretur esse quod agerent, quanto et aperte cerneretur quia ad hoc agendum per se idonei non fuissent. Ut ergo mira potentia per prædicatorum linguas clarescerent, prius mirabilius actum est ut eorumdem prædicantium meritum nullum esset. Quod autem Nathanaeli dicenti, *unde me nosti?* respondit Jesus : *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te* (*Ibid. v.* 48) : sciendum quod videre ibi ponitur pro eligere. *Sub ficu vidi te,* id est positum te sub umbra Legis elegi.

CAP. V. — *Implete hydrias aqua* (*Joan.* II, 7).

(Hom. 6, lib. I, in Ezech., n. 7.) Præcepta sacræ Scripturæ quæ perfectioribus spiritualiter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt; et ipsa quæ parvuli juxta litteram intelligunt docti per spiritualem intelligentiam altius percipiunt. Quem non parvulorum ipsa evangelica historia in miraculi operatione reficiat, quod hydrias vacuas Dominus aqua impleri præcepit, eamdemque aquam protinus in vinum vertit? Sed cum hæc ingenio vigilantiores audiunt, et sacram historiam credendo venerantur, et quid interius innuat requirunt. Qui enim mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias vino statim replere valuit. Sed impleri hydrias jubet aqua, quia per sacram lectionis historiam corda nostra prius sunt replenda. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipsa historia per allegoriæ mysterium in spiritualem nobis intelligentiam commutatur. Sacra igitur Scriptura parvulis humili sermone concordat, et tamen magis spiritali infundens eos altius levat.

CAP. VI.— *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* (*Joan.* III, 5).

(In exposit. B. Job, lib. IV, in præfat. prævia; lib. IX, n. 32.) Nonnulli prius a præsenti luce subtrahuntur quam ad promerenda bona, malave merita vitæ activæ perveniant. Quos quia a culpa originis sacramenta salutis non liberant, et hic ex propria nil egerunt, et ad tormenta æterna perveniunt. Quisquis enim regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur; quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant mysterium circumcisionis. Nam quia unusquisque cum primi parentis culpa concipitur, Propheta testatur, dicens : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum* (*Psal.* L, 7). Et quia is quem salutis unda non diluit, originalis culpæ supplicia non amittit, aperte per semetipsam Veritas perhibet, dicens : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non habebit vitam æternam.* Perpetua igitur tormenta percipiunt etiam qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. *Non est enim mundus in conspectu Dei, nec unius*

diei infans super terram; et qui nullum proprium adjungit, ex solo originali peccato damnatur. Sub divina quippe districtione justum est ut propago mortalis, velut fructuosa arbor, etiam in ramis servet amaritudinem quam traxit ex radice.

CAP. VII.—*Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* III, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 41.) Cum peccatorum incuria negligentiaque torpentem respectus divinæ gratiæ subito pavore percusserit, excitat ipsam vocem supervenientis Spiritus quæ se in aurem cordis insinuat, nec ipsa mens quæ per hanc illustrata fuerit investigat. Pensare enim non valet invisibilis virtus quibus sibi meatibus influat, quibus ad se modis veniat, quibus recedat; unde bene per Joannem dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed non scis unde veniat, et quo vadat.* Vox Domini auditur, cum gratiæ ejus aspiratio mente concipitur, cum insensibilitas occultæ surditatis rumpitur, et cor ad studium summi amoris excitatum virtutis intimæ clamore penetratur. Vocem enim Spiritus audire est vim compunctionis intimæ in amorem invisibilis Conditoris assurgere; sed nemo scit unde veniat, quia ignoratur per ora prædicantium quibus se ad nos occasionibus fundat. Et nemo scit quo vadat, quia cum unam prædicationem multi audiunt, intelligi proculdubio non potest quem deserens abficiat, et cujus ingrediens corde requiescat. Una quippe res foris agitur, sed non per hanc uno modo intuentium corda penetrantur, quia qui invisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina incomprehensibiliter plantat. Hinc est quod resuscitato Lazaro, multi crediderunt, sed tamen Judæorum plurimi ad persecutionis zelum ex hac ipsa resuscitatione commoti sunt (*Joan.* XI). Unum igitur idemque miraculum quod aliis lumen fidei præbuit, alios per invidiæ tenebras a lumine mentis excæcavit. Hinc est quod uterque latro et eamdem et suæ morti similem mortem Redemptoris vidit, sed unus superbiendo alter contumeliis lacessere non timuit quem timendo alter honoravit; et in una re una utriusque cogitatio non fuit, quia hanc internus arbiter invisibiliter modificando distinxit. Modi igitur occultæ aspirationis nostra cogitatione nequeunt comprehendi, et aspiratio divinæ gratiæ quibus modis se infundat nequaquam ipsius acie mentis comprehenditur, cujus ad melius intentio commutatur.

CAP. VIII.—*Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit* (*Joan.* III, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, n. 29, 30.) Dominus noster Jesus Christus, qui propter nos minor angelis exstitit, æquales nos angelis virtute suæ minorationis fecit. Unde et moriendo docuit mortem non metui, resurgendo de vita confidi, ascendendo de cœlestis patriæ hæreditate gloriari, ut quo caput præisse conspiciunt, illuc se subsequi et membra gratulentur. Unde bene ab eodem nostro capite dicitur: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV, 28); unde Paulus dicit: *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis* (*II Cor.* V, 1). Sed si nos quoque, qui editi sumus in terra, cœlum conscendimus, ubi est quod rursum Veritas dicit: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis qui est in cœlo*. Cui nimirum sententiæ statim obviat quod hæc eadem Veritas dicit: *Pater, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum* (*Joan.* XVII, 24). Quod sibi in verbis suis non discrepet, sed ad inquirenda hæc quasi discordantia studium nostræ mentis inflammat. Omnes enim nos quia in ejus fide nati sumus ejus procul dubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum caput Dominus factus est, repulsa reproborum multitudine, solus est etiam nobiscum. Nemo ergo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, A quia dum nos unum cum illo jam facti sumus, unde solus venit in se, illuc solus redit etiam in nobis. Et is qui in cœlo semper est, ad cœlum quotidie ascendit, quia qui divinitate super omnia permanet, humanitatis suæ compage se quotidie ad cœlos trahit. Non ergo se desperet humana fragilitas, Unigeniti sanguinem consideret, et in pretio suo conspiciat quam magna est quæ tanti valet. Perpendat sollicite quo caput præcessit, et quo ad vivendum præceptis astringitur, ad sperandum exemplo roboretur. Confidat cœlos, speret supernam patriam, angelorum se sociam sciat, et in suo capite se prælatam etiam angelis gaudeat.

CAP. IX.—*Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 41.) Sicut adhuc timenti populo lex est transmissa per servum, sic diligentibus filiis Evangelii gratia est collata per Dominum. Ipse quippe ad redemptionem nostram B veniens, Novum nobis Testamentum condidit, sed de ejusdem nos Testamenti mandato discutiens, quandoque etiam judex venit. Erit ergo tunc auctor judicii qui nunc est Conditor Evangelii, ut tunc districtus exigat quod modo mansuetus jubet et imperat. Sic namque quotidie conspicimus quod magistri pueris elementa litterarum blandientes imponunt, sed hæc ab eis sævientes exigunt, et quæ dant cum mansuetudine exquirunt cum verbere. Blanda namque nunc consonant eloquia divini mandata, sed erunt aspera in actione sentienda. Mansueta modo est admonitio vocantis, sed tunc districta ventura est justitia Judicis, eo quod certum est quia nil vel minimi mandati in discussione prætereat, quo videlicet constat quia ipse dedit Evangelium qui judicat. Hinc est quod ipsa per se Veritas dicit: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.*

CAP. X.—*Qui habet sponsam, sponsus est* (*Joan.* III, 29).

C (Homil. 20, in Evang., n. 4, 5.) Beati Joannis Baptistæ esse sponsam populi sanctam Ecclesiam credebant, qui hunc quia Christus esset existimabant. Sed ipse ait: *Qui habet sponsam, Sponsus est: amicus autem Sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi; hoc autem gaudium meum impletum est.* Ac si diceret: Ego Sponsus non sum, sed amicus Sponsi sum. Nec propter vocem suam, sed in Sponsi voce gaudere se perhibebat, quia non ideo lætabatur in corde, quoniam humiliter a populis audiebatur loquens, sed quia ipse Veritatis vocem audiebat intus ut loqueretur foris. Quod bene gaudium impletum dicit, quia quisquis de sua voce gaudet, plenum gaudium non habet, a quo et subditur: *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* III, 31). Qua in re quærendum est in quo Christus crevit, in quo minutus est Joannes, nisi quod populus Joannis abstinentiam videns, remotum hunc ab hominibus esse conspiciens, eum esse Christum putabat: Christum vero cum publicanis comedentem, D inter peccatores ambulantem intuens, eum non Christum, sed prophetam esse credebat. Sed dum per accessum temporis et Christus, qui propheta esse putabatur, Christus agnitus est, et Joannes, qui Christus esse credebatur propheta esse innotuit, impletum est quod de Christo suus præcursor prædixit: *Illum oportet crescere, me autem minui.* In æstimatione quippe populi, et Christus crevit quia agnitus est quod erat, et Joannes decrevit quia cessavit dici quod non erat.

CAP. XI. — *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan.* V, 30).

(Regul. pastor. part. III, cap. 18.) Pertinaces plus de se quam sint sentiunt, et idcirco alienis consiliis non acquiescunt. Nisi enim meliores se cæteris æstimarent, nequaquam cunctorum consilia suæ deliberationi postponerent. Pertinacia quippe generatur ex superbia; pertinaces igitur elationem suæ cogni-

tionis agnoscant, et semetipsos vincere studeant, ne dum aliorum rectis suasionibus foras superari despiciunt, intus a superbia captivi teneantur. Solerter etiam aspiciant quia filius hominis, cui una semper cum Patre voluntas est, ut exemplum nobis frangendi nostram voluntatem præberet, dicit : *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris.* Qui ut hujus adhuc virtutis gratiam commendaret, servaturum se hoc in extremo judicio præmisit, dicens : *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio, judico.* Qua itaque conscientia dedignatur homo alienæ voluntati acquiescere, quando Dei atque hominis filius cum virtutis suæ gloriam venit ostendere, testatur se non a semetipso judicare?

CAP. XII. — *Jesus cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum*, etc. (*Joan.* VI, 15).

(Regul. pastor. part. I, cap. 3.) Ne temerare sacra regimina quisquis impar est audeat, et per concupiscentiam culminis ducatum suscipiat perditionis, Jacobus pie prohibet, dicens : *Nolite plures magistri fieri, fratres mei* (*Jac.* III, 1). Hinc ipse Dei hominumque Mediator regnum percipere vitavit in terris qui, supernorum spirituum quoque scientiam sensumque transcendens, ante sæcula regnat in cœlis. Scriptum quippe est : *Jesus cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit in montem ipse solus.* Quis enim hominibus principari tam sine culpa potuisset, quam is qui nimirum hos regeret quos ipse creaverat? Sed quoniam idcirco in carne apparuit ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit. Ad crucis vero patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare, quia et ista sæpe per tumorem cor inquinant, et illa per dolorem purgant : in istis se animus erigit, in illis autem, etiam quando se erexerit, sternit; in istis sese homo obliviscitur, in illis vero ad sui memoriam nolens etiam coactusque revocatur.

CAP. XIII. — *Quæritis me, quia manducastis de panibus* (*Joan.* VI, 26).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 49.) In Scriptura sacra panis aliquando ipse Dominus accipitur, sicut ipse in Evangelio dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51.) Aliquando per panem gratia doni spiritualis accipitur, sicut de sancta Ecclesia per David Dominus dicit : *Pauperes ejus saturabo panibus* (*Psal.* CXXXI, 15); quia in illo positæ mentes humilium spiritualium implentur refectione donorum. Aliquando per panem subsidium vitæ præsentis accipitur, sicut ipse in Evangelio Dominus turbis se sequentibus dicit : *Quæritis me, non quia vidistis signa : sed quia manducastis de panibus, et saturati estis.* De septem enim panibus fuerant satiati. Et per eorum personam Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquantes, non in eisdem ordinibus merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt, nec cogitant quid vivendo imitari debeant, sed quæ compendia percipiendo satientur. Satiatos quippe de panibus Dominum sequi est de sancta Ecclesia temporalia alimenta sumpsisse. Et non pro signis Dominum, sed pro panibus quærere est ad religionis officium non pro virtutibus augendis, sed pro requirendis subsidiis inhiare.

CAP. XIV. — *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras* (*Joan.* VI, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 12.) Obedientia sola virtus est quæ virtutes cæteras menti inserit insertasque custodit. Unde et primus homo præceptum quod servaret accepit, cui si se vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perveniret. Hinc in Evangelio Veritas dicit : *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras : quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quid enim, si suam faceret, eos qui ad se veniunt repulisset? Quis autem nesciat quod voluntas Filii a Patris voluntate non discrepet? Sed quoniam primus homo, quia suam voluntatem facere voluit, a paradisi gaudio exivit secundus ad redemptionem hominum veniens, dum voluntatem se Patris et non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam, sed Patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt foras non ejicit quia, dum exemplo suo nos obedientiæ subjicit viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait : *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio, judico* (*Joan.* V, 30). Nobis quippe obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. Ipse autem si sicut audit, judicat, tunc quoque obedit cum judex venit. Ne igitur nobis usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster indicat quia hanc etiam cum judex venerit servat. Non ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subjicit, quando hanc Mediator Dei et hominum et cum obedientes remunerat non relinquit.

CAP. XV. — *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 58; lib. XI, num. 14; homil. 10, in Ezech., n. 6; in exposit. B. Job, lib. XII, num. 8.) Beatus Job dicit de Domino quod in petris rivos excidit, id est in duris gentilium cordibus fluvios prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate gentilium : *Posuit desertum in stagnum aquæ, et terram sine aqua in exitus aquarum* (*Psal.* CLX, 36); atque in Evangelio promittit Dominus, dicens : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, quod promissum tunc audivimus. Ecce enim in sanctis prædicatoribus et non ex Judæa progenitis per cunctam Ecclesiam in toto orbe diffusam, fluenta mandatorum cœlestium ubertim manant ore gentilium, quia cum in petris rivos aperuit, ex duris quoque cordibus fluvius sanctæ prædicationis emanavit. Per aquam enim aliquando scientia prædicationis accipitur, juxta quod scriptum est : *Aqua profunda, verba ex ore viri : et torrens redundans, fons sapientiæ.* In verbis quoque sacri eloquii nonnunquam venter pro mente poni consuevit. Quia igitur de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Per aquam quoque nonnunquam sancti Spiritus irrigatio, vel gratia, vel infusio solet designari, sicut scriptum est : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum* (*Joan.* IV, 13). Item Dominus dicit : *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus*; ubi evangelista secutus adjunxit : *Hoc autem dixit de Spiritu quem acceperi erant credentes in eum.*

CAP. XVI. — *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 33, 34; lib. I, num. 16.) Contra nosmetipsos corrigendos erigi debemus, ut, mala propria recognoscentes, districta nosmetipsos ultione pœnitentiæ feriamus, et nullis erga cogitationum illecebras blandimentis inclinantes, nequaquam nobis in peccatis parcamus. Qui si districte nostra prius in nobis mala insequimur, justum quoque est ut etiam contra aliena mala utiliter erigamur, ut ea quæ in nobis punimus, etiam in aliis redarguendo superemus. Sed hanc corrigendi erectionem mali nesciunt, quia sese relinquunt et bonos impetunt sibique se intra conscientiam suam mollitie adulationis blandæ inclinantes, contra bonorum vitam districtione asperitatis eriguntur; semetipsos redarguendos relinquentes, alios districtis sententiis increpant. Qui vero semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet ignorat. Et si novit for-

tasse per auditum quod rectum judicare debeat, recte tamen aliena merita judicare non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judicii regulam præbet. Hinc est enim quod quibusdam insidiantibus et puniendam adulteram deducentibus dicitur : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat;* ad aliena quippe punienda peccata ibant, et sua reliquerant; revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant et tunc aliena reprehendant. Ordo quippe corrigendi iste est ut primum contra nos, et postmodum contra malos corrigendos erigamur, nam qui contra bonos erigitur, per superbiam inflatur. Considerandum est autem quod incarnatus Dominus simplicitatem cum rectitudine tenuit, quia nec in mansuetudine districtionem justitiæ, nec rursum in districtione justitiæ virtutem mansuetudinis amisit. Unde cum quidam, ut prædictum est, adultera deducta hunc voluissent tentare, ut in culpam aut immansuetudinis aut injustitiæ laberetur, ad utraque respondit, dicens : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Dat simplicitatem mansuetudinis, *qui sine peccato est* : dat zelum justitiæ, *primus in illam lapidem mittat.* Plerumque autem nos cum justitiæ rectitudinem exsequimur, mansuetudinem relinquimus; et cum mansuetudinem servare cupimus, justitiæ rectitudinem declinamus.

CAP. XVII. — *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur* (*Joan.* IX, 2)?

(In exposit. B. Job, præfat., num. 12.) Percussionum diversa sunt genera. Alia namque est percussio qua peccator percutitur, ut sine retractatione puniatur; alia qua peccator percutitur ut corrigatur; alia qua nonnunquam quisque percutitur, non ut præterita corrigat, sed ne ventura committat; alia qua plerumque percutitur, per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur. Sed dum inopinata salus percussionnem sequitur, salvantis virtus cognita ardentius amatur; cumque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cumulatur. Aliquando enim peccator percutitur, ut absque retractatione puniatur, sicut perituræ Judæ dicitur : *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli* (*Jerem.* XXX, 14). Et rursum : *Quid clamas ad me super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus* (*Ibid.* XV). Aliquando peccator percutitur ut corrigatur, sicut cuidam in Evangelio dicitur : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne tibi deterius aliquid contingat* (*Joan.* V, 14). Verba enim salvantis indicant quia peccata præcedentia habiti vim doloris exigebant. Aliquando quisque non pro præterita culpa diluenda, sed pro futura vitanda percutitur; quod aperte Paulus de semetipso testatur, dicens : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet* (*1 Cor.* XII, 7). Qui enim non ait, *quia extulit*, sed, *ne extollat*, aperte indicat quod ex illa percussione ne eveniat compescitur, non autem quæ evenerit culpa purgatur. Nonnunquam vero quisque nec pro præterita, nec pro futura iniquitate percutitur, sed ut sola divinæ virtutis potentia ex amputata percussione monstretur. Unde cum Domino de cæco nato diceretur : *Hic peccavit, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Respondit, dicens : *Neque hic peccavit, neque parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei.* In qua manifestatione quid agitur, nisi ut ex flagello meritorum virtus augeatur? Cum enim nulla præterita iniquitas tergitur, magna de patientia fortitudo generatur.

CAP. XVIII. — *Lutum fecit ex sputo Dominus, et linivit super oculos meos* (*Joan.* IX, 6).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 49; Homil. 10, in Ezech., n. 6.) Saliva in nos ex capite delabitur, ab ore vero ad ventrem ducitur cum glutitur. Quid itaque est caput nostrum nisi divinitas, per quam existendi principium sumimus ut creatura simus? Paulo attestante, qui ait : *Caput viri, Christus; caput autem Christi, Deus* (*1 Cor.* XI, 3). Quid autem venter noster est nisi mens quæ dum cibum suum supernum, videlicet intellectum, suspicit, refecta proculdubio omnium membra actionum regit? Nisi enim sacra eloquia aliquando mentem nomine ventris exprimerent, Salomon utique non dixisset : *Lucerna Domini spiraculum hominis; quæ investigat omnia secreta ventris* (*Prov.* XX, 27). Quia nimirum dum nos gratia superni respectus illuminat, cuncta etiam mentis nostræ nobis absconsa manifestat. Hinc etiam per Jeremiam dicitur : *Ventrem meum, ventrem meum doleo* (*Jerem.* IV, 19). Quod quia de spirituali et non corporeo ventre dixerat, subjungit : *Et sensus cordis mei conturbati sunt.* Neque enim ad salutem populi pertinebat, si propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret. Sed ventrem doluit, quia mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum prophetæ proferimus, cum testimonium Domini apertius habeamus? Et necesse est ut cum per semetipsam Veritas loquitur, propheta taceat, quia lucerna claritatem non habet in sole, ait enim : *Qui credit in me*, sicut dicit Scriptura : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Quid autem salivæ nomine nisi sapor intimæ contemplationis accipitur, quæ ad os a capite defluit, quia de claritate Conditoris adhuc in hac vita nos positos vix gustus revelationis tangit? Unde et Redemptor veniens salivam luto miscuit, et cæci nati oculos reparavit; quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admixtionem suæ contemplationis irradiat, et ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat. Nam quem a paradisi gaudiis expulsum in hoc jam exsilio natura edidit, quasi a nativitate homo sine oculis processit.

CAP. XIX. — *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* III, 34).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 71.) Quisquis se pravo desiderio subjicit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla supponit. Sed huic dominio contradicimus, cum iniquitati quæ nos ceperat reluctamur; cum consuetudini violenter resistimus, et desideria perversa calcantes, contra hanc jus nobis libertatis ingenitæ vindicamus; cum culpam pœnitendo percutimus, et maculas sordium fletibus lavamus. Plerumque autem jam mens quidem quod se perverse meminit egisse, deplorans, jam prava acta non solum deserit, sed amarissimis etiam lamentis punit, et tamen adhuc se perfecte in securitatem non erigit. Nam quam prava commiserit meminit, sed an commissa digne defleverit nescit, ac ne culpæ immanitas modum pœnitentiæ transeat metuit. Et plerumque culpam veritas jam relaxat, sed afflicta mens inter spem et formidinem adhuc de venia, dum valde sibi est sollicita, formidat, quia justus judex veniens quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Servus ergo jam fugit in hac vita Dominum, sed liber non est, quia peccatum suum homo jam corrigendo et pœnitendo deserit, sed tamen adhuc districtum judicem de ejus retributione pertimescit. In alia ergo vita servus a Domino liber erit, ubi jam de peccati venia dubietas non erit, ubi jam securam mentem culpæ suæ memoria non addicit, ubi non sub reatu animus trepidat, sed de ejus indulgentia liber exsultat.

CAP. XX. — *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 72.) Æterna Dei sapientia ad redimendum genus humanum, non sanctos angelos, non justos homines misit, sed in manifestatione visionis per semetipsam venit. Nullus quippe angelorum, nullus justorum hominum missus est, ut humanum genus a culpa redimeretur, quia per Creatorem necesse erat ut creatura Dei liberaretur, sicut ipsa Veritas dicit : *Si vos Filius liberave-*

rit, vere liberi eritis. Quoniam igitur æterna Dei sapientia, cum Patre manens per sæcula, in fine sæculorum erat incarnanda, ad hoc homines justi et sancti sunt missi, ut in cordibus hominum viam huic sapientiæ prædicando præpararent, qui nisi se servos hujus sapientiæ cognoscerent, sancti nullatenus esse potuissent. Quia enim certum erat quod per accessum temporum deficientis sæculi languores excrescerent, actum est ut æterna Dei sapientia per semetipsam in fine sæculorum veniret ad grandem hunc et nimiæ infirmitatis ægrotum, id est per totum mundum jacens languidum genus humanum; ut transmissis prius prædicatoribus quasi quibusdam visitatoribus, tanto postmodum major fieret potentia medici, quanto magis morbus crevisset ægroti.

CAP. XXI. — *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44).

(In exposit. B. Job, lib. XIII, num. 38, inverso ordine.) Antiquus hostis omnium princeps perversorum alios socios habet atque alios filios. Qui namque sunt ejus socii nisi illi apostatæ angeli qui cum eo de patriæ cœlestis sede ceciderunt? Vel quos alios habet filios nisi perversos homines qui de ejus prava persuasione in malitiæ generantur operatione? Unde etiam voce Veritatis infidelibus dicitur : *Vos ex patre diabolo estis.* Ita vero unum corpus sunt diabolus et omnes iniqui, ut plerumque nomine capitis censeatur corpus, et nomine corporis caput appelletur. Nam capitis nomine censetur corpus, cum de perverso homine dicitur : *Ex vobis unus diabolus est* (*Joan.* VI, 71). Et rursum nomine corporis caput appellatur, cum de ipso apostata angelo dicitur : *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII, 28).

CAP. XXII. — *Qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro : qui autem intrat per ostium, pastor est ovium* (*Joan.* X, 1).

(Homil. XIII, in Ezech., n. 8, et maxime homil. XIII, n. 1.) Si pastor bonus intrat per ostium, et ipse ostium, et ipse pastor, ipse proculdubio intrat per semetipsum. Quærendum est itaque nobis qualiter et ipse intret et per semetipsum. Dominus etenim ac Redemptor noster cum sancta Ecclesia quam redemit secundum carnem una substantia est, Paulo attestante, qui ait : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesias.* (*Coloss.* I, 24). Hujus capitis corpus Ecclesia est, et hujus corporis caput Christus. De quo suo capite exsultat corpus, id est sancta Ecclesia cum Psalmista dicente : *Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos* (*Psal.* XXVI, 6). Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, jam nunc caput suum super inimicos suos exaltatum gaudet in cœlis. Cum igitur electi quique ad vitam perveniunt; quia membra ejus per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se. Ipse enim in membris suis est qui intrat ipse caput, ad quod intrantia membra perveniunt.

CAP. XXIII — *Si quis per me introierit, salvabitur* (*Joan.* X, 9).

(Homil. 1, lib. II, in Ezech., n. 16, et Homil. 14, lib. I, in Evang., n. 5.) Semper oculos cordis ad exitum nostrum ponere, et meditari debemus sine cessatione, quando a præsenti vita exeamus, et ad æterna gaudia pertingamus. Propter hoc quippe Patris Unigenitus est incarnatus, ut nos ad Ecclesiæ sanctæ fidem introducat, et ad speciem suæ visionis educat. Unde loquitur, dicens : *Si quis per me introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Ingredietur videlicet ad fidem, egredietur vero a fide ad speciem, a credulitate ad contemplationem; pascua autem inveniet in æterna refectione et satietate. Quisquis enim Dominum Jesum corde simplici sequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt pascua nisi paradisi semper virentis æterna gaudia? Pascua namque electorum sunt vultus præsens Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur. Propter A hunc egressum nostrum, quem quotidie meditari mente debemus, de Redemptore nostro Paulus quoque loquitur, dicens : *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes : non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII, 12).

CAP. XXIV. — *Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Joan.* X, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, n. 2, 3, 4 et 5, aliquando inverso ordine.) Omne genus humanum inimica illa persuasio in culpæ contagio ab ipsa radice polluerat, nullusque erat qui apud Deum pro peccatoribus intercedens a peccato liber appareret, quoniam ex eadem massa editos æque cunctos par reatus involverat. Proinde venit ad nos Unigenitus Patris : assumpsit ex nobis naturam, non perpetrans culpam. Sine peccato quippe debuit esse qui pro peccatoribus intervenire potuisset, quia nimirum alienæ B pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. Mediator itaque Dei et hominum, homo Christus Jesus intercedens pro peccatoribus, semetipsum justum hominem qui pro aliis indulgentiam mereretur ostendit. Veniens itaque ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inveniens languoribus pressos, quiddam nobis simile et quiddam contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus. Concordavit nobis veritate naturæ, sed discrepavit a nobis veritate justitiæ. Vitiosus enim homo corrigi non poterat, nisi per Deum; videri autem debuit qui corrigebat, ut præbendo imitationis formam, anteactæ malitiæ mutaret vitam. Sed videri ab homine non poterat; Deus homo factus est, ut videri potuisset. Justus igitur et invisibilis Deus apparuit, similis nobis homo visibilis, ut dum videretur ex simili, curaret ex justo; et dum veritate generis concordat conditioni, virtute artis obviaret ægritudini. In carne ergo veniens Dominus non culC pam nostram ex vitio, non pœnam ex necessitate suscepit, nulla enim peccati labe pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit, et ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cum voluit, sponte suscepit. Nequaquam enim ita ut nos fuit natus, nec ita mortuus, nec ita resuscitatus. Non enim coopérante coitu, sed Spiritu sancto superveniente, conceptus est; natus autem materna viscera, et fecunda exhibuit, et incorrupta servavit. Rursum nos omnes cum nolumus morimur, quia ad solvendæ pœnæ debitum culpæ nostræ conditione coarctamur. Ille autem quia nulli admixtum est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ. Sed quia culpam nostram dominando subdidit, pœnam nostram miserando suscepit, sicut ipse ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Qui etiam præmisit : *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso.* Rursum non ut nos suscitatus est, quia nostra resurrectio in finem sæculi est dilata, illius vero die tertio celebrata. Et nos quidem per D illum resurgimus : nam ipse per se; neque enim qui Deus erat sicut nos ut ab alio resuscitari potuisset indigebat. In eo ergo ejus resurrectio distat a nostra quod non per nosmetipsos resurgimus, sicut ille; pro eo enim quod simpliciter homines sumus, adjutorio superiori ut resurgere valeamus indigemus. Ille autem ejusdem resurrectionis vim cum Patre et sancto Spiritu Deus exhibuit, quam tamen solus in humanitate percepit. Dominus igitur natus, vere mortuus, vere resuscitatus, in omnibus distat a nobis magnitudine potentiæ, sed sola concordat nobis veritate naturæ; et cum in cunctis operibus suis immensa nos virtute transcendat, in uno tamen a nobis, id est in formæ veritate, non discrepat. Quia ergo, ut prædictum est, nullus erat cujus meritis nobis Dominus propitiari debuisset, Unigenitus Patris formam infirmitatis nostræ suscipiens, solus justus apparuit, pro peccatoribus intercedens : qui dum pœnam nostram moriendo toleravit, corruptionem nostram resur-

gendo mutavit. Ex ea etiam carne quam sumpsit hanc ostendit liberam quam redemit. Quæ redempta caro videlicet nos sumus, qui cognitione nostri reatus astringimur, sed Mediatoris tanti æquitate liberamur, sicut ipse ait : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36).

CAP. XXV. — *Facta sunt encænia in Jerosolymis : et hiems erat* (*Joan.* X, 22).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 2.) Servata historiæ veritate, divina eloquia aliquando a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate aeris, aliquando a qualitate temporis causas designant quas aperto sermone non indicant. A positione quippe locorum, sicut Scriptura de Israele dicit, quia verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit (*Exod.* XIX, XXIV, XXXIV.) Subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, quia ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis neglecte vivendo laxavit. (*Num.* 36). Carnali itaque Israelitico populo, descendente de monte Moyse, Lex in campestribus data est : sed sanctis apostolis Dominus in monte sedens summa et spiritualia præcepta locutus est (*Matth.* V), ut ex locis videlicet monstraretur quia et illis tanquam carnalibus mandata minima dabantur in valle terrarum, et isti, tanquam spirituales et sancti, in monte cœlestia mandata audirent; quatenus aperte monstraretur quod ascendentes corde ad cœlestia, infirma relinquerent, et in mentis culmine starent. A positione corporis divina Scriptura futura denuntiat, sicut in Actibus apostolorum Stephanus Jesum, qui a dextris virtutis sedet, stantem se vidisse manifestat (*Act.* VII). Stare quippe adjuvantis est. Et recte stare cernitur qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut evangelista cum prædicante Domino nullos tunc ex Judæis credituros diceret, præmisit, dicens : *Hiems autem erat.* Scriptum namque est : *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Idcirco ergo curavit hiemis tempus exprimere, ut inesse cordibus auditorum malitiæ frigus indicaret; inter illa enim mysteria quæ Veritas loquebatur, quid causæ fuit ut nomen hiemis adderetur, nisi ut per qualitatem temporis et aeris ostenderet frigus cordis? Quia et cum verba Veritatis acciperent frigida Judæorum corda remanebant. Hinc est etiam quod de negaturo Petro præmittitur : *Quia frigus erat, et stans ad prunas, calefaciebat se* (*Joan.* XVIII, 18). Jam namque intus a charitatis calore torpuerat, et ad amorem præsentis vitæ quasi ad persecutorum prunas infirmitate æstuante recalebat. A qualitate quoque temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam ad traditionis perfidiam nocte Judas exisse perhibetur, cum ingrediente illo ab evangelista dicitur : *Erat autem nox* (*Joan.* XIII, 30). Hinc enim et iniquo diviti dicitur : *Hac nocte repetunt animam tuam a te* (*Luc.* XII, 20.) Anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti sed in nocte memoratur (*III Reg.* III). Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc et nocte describitur accepisse. Hinc est quod angeli ad Abraham meridie veniunt : punituri vero Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur.

CAP. XXVI. — *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI, 43).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 31; hom. 26, in Evang., num. 6.) Dum peccator quisque de vitio suo reprehensus sub defensionum et excusationum verbis fugit, dum non vult cognosci quod fecit, non se Domino, sed sibi Dominum abscondit. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipse videatur. Quo contra cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis, quia sibimetipsi jam parcere renuit qui malum non erubescit confiteri quod fecit, et qui defendendo accusari potuit, accusando se celerrime defendit. Unde et mortuo Lazaro qui mole magna premebatur nequaquam dicitur *Revivisce*, sed *veni foras*. Ex qua videlicet resurrectione quæ gesta in illius est corpore signatur qualiter nos resuscitemur in corde, cum videlicet mortuo dicitur : *Veni foras;* ut nimirum homo in peccato suo mortuus, et per molem malæ consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a seipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim *Veni foras* dicitur, ut ab excusatione et occultatione peccati ad accusationem suam ore proprio exire provocetur. Unde David propheta ab illa tanti mole facinoris reviviscens ad vocem Domini quasi foras exiit, dum per Nathan correctus quod fecerat accusavit. Post confessionem igitur ab his qui ligandi et solvendi auctoritatem susceperunt causæ pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum quippe quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum arbitrium æterni sequitur judicis. Quod bene prædicta quatriduani mortui resuscitatio illa significat, qui videlicet demonstrat quia prius mortuum Dominus vocavit et vivificavit, dicens : *Lazare, veni foras;* et postmodum is qui vivens egressus fuerat a discipulis solutus est, sicut scriptum est : *Cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis : Solvite eum, et sinite abire* (*Joan.* XI, 45). Ecce illum discipuli jam viventem solvunt quem magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fetorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est quod illos debemus per pastoralem auctoritatem solvere quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati. Unde et huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur : *Revivisce*, sed *veni foras*. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsus latet, in suis penetralibus occultatur; sed mortuus venit foras cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur : *Veni foras*. Ac si aperte cuilibet mortuo diceretur : Cum reatum tuum intra conscientiam tuam abscondis, foras per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator; venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit.

CAP. XXVII. — *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII, 28).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, n. 3, 4, 5, 7, 8). Cum per angelicam creaturam voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando imaginibus cordis oculis extensis, aliquando cœlestibus substantiis demonstrat. Verbis namque per angelum loquitur, cum nihil in imagine ostenditur, sed supernæ verba locutionis audiuntur, dicente Domino : *Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te :* protinus respondetur : *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Neque enim Deus, qui sine tempore vi impulsionis intimæ clamat, in tempore per suam substantiam illam vocem edidit quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit, sed nimirum de cœlestibus loquens, verba sua quæ audiri ab hominibus voluit rationali creatura administrante formavit. Aliquando imaginibus, cordis oculis extensis, per angelos loquitur Deus, sicut Jacob subnixam cœlo scalam dormiens vidit, sicut Petrus linteum reptilibus et quadrupedibus plenum in extasi raptus aspexit, qui nisi corporeis hæc oculis cerneret, in extasi non fuisset; sicut Paulo in visione noctis vir Macedo apparuit qui transire eum in Macedoniam rogavit. Aliquando cœlestibus substantiis loquitur Deus, sicut baptizato Domino scriptum est, quia de nube vox

sonuit, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17).

CAP. XXVIII. — *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus* (*Joan.* XII, 41).

(Lib. I, in Ezech., hom. 8, num. 30, 31.) Quantalibet intentione se mens humana tendat, etiamsi phantasias quasque imaginum corporalium a cogitatione compescat, si jam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoveat, adhuc tamen in carne mortali posita videre gloriam Dei non valet sicut est; sed quidquid de illa est quod in mente resplendet similitudo et non ipsa est. Unde Ezechiel propheta dixit : *Hic erat aspectus splendoris per gyrum, et hæc visio similitudinis gloriæ Domini* (*Ezech.* I, 28, et II, 1). Inde etiam ille prædicator qui raptus ad tertium cœlum fuerat, dicebat : *Videmus nunc per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII, 12). Qua in re non despicienda nobis oritur quæstio quomodo Joannes evangelista, cum erga miracula Redemptoris nostri Judæorum perfidiam etiam ex verbis propheticis describsisset, adjungit, dicens : *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo.* Et si Ezechiel vidit, quid est quod iste similitudinem gloriæ, et ille gloriam ejus vidisse describitur? Sed cum Joannes evangelista prius miracula Redemptoris nostri narravit, et infidelitatem Judæorum postmodum subdidit, hanc ejusdem Redemptoris nostri gloriam quæ in mundo apparuit, Isaiam vidisse manifestat. Omne enim quod in terra mirum divinitus agitur gloria omnipotentis Dei est, et ejus gloria in omnibus factis videtur. Isaias igitur ejus gloriam in terra vidit, Ezechiel vero ejus gloriam in cœlo sicut est videre non potuit, quia aliter est ejus gloria in rebus factis, et aliter in semetipso. Hæc ergo gloria quæ in rebus est videri potest, illa vero quæ in ipso est videri modo nisi per similitudinem non potest.

CAP. XXIX. — *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26).

(Homil., in Evang., n. 8.) Dominum Jesum Christum Redemptorem nostrum ut eum sequamur hic admonentem, in quem, fratres charissimi, credimus, operibus bonis sequi studeamus; aspiciamus qua graditur, et ejus vestigia imitando teneamus. Jesum etenim sequitur qui imitatur. Hinc namque dixit : *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22). Sequere enim dicitur imitare. Consideremus ergo qua graditur ut sequi mereamur. Ecce cum sit Dominus et Creator angelorum, susceptturus naturam nostram quam condidit, in uterum virginis venit : nasci tamen in hoc mundo per divites noluit, pauperes parentes elegit. Unde cum agnus qui pro illo offerretur defuit, columbarum pullos et par turturum ad sacrificium mater invenit. Prosperari in hoc mundo noluit, irrisiones et opprobria toleravit, sputa, flagella, alapas, spineam coronam crucemque sustinuit; et quia rerum corporalium delectatione a gaudio interno cecidimus, cum qua amaritudine illuc redeamus ostendit. Quid itaque pro se debet homo pati, si tanta Deus pro hominibus pertulit? Qui igitur in Christum jam credidit, sed adhuc avaritiæ lucra sectatur, in superbia honoris extollitur, invidiæ facibus inardescit, libidinis immunditia se polluit, prosperari ad ea quæ sunt in mundo concupiscit, Jesum in quem credidit sequi contemnit. Diverso quippe itinere ambulat et pergit, si gaudia delectationesque appetit cui dux suus viam amaritudinis ostendit.

CAP. XXX. — *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII, 32).

(Homil. 22, in Evang., n. 6.) Per resurrectionem nostri Redemptoris, omnes electi qui quamvis in sinu tranquillitatis tamen claustris tenebantur inferni, ad amœna paradisi sunt reducti. Quod ante passionem promisit in resurrectione sua Dominus adimplevit; omnia enim traxit qui de suis electis apud inferos nullum reliquit, omnia abstulit utique electa. Neque enim infideles quosque, et pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparavit, sed illos ex inferni claustris rapuit quos suos in fide et actibus recognovit.

CAP. XXXI. — *Dominus lavit pedes discipulorum* (*Joan.* XIII, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 22.) Vix aliqua prædicatio sine aliquo transitu admisso. Unde recte sanctis apostolis post prædicationem Dominus pedes lavit, ut videlicet aperte monstraret quia plerumque et in bono opere peccati pulvis contrahitur, et inde inquinantur vestigia loquentium unde audientium corda mundantur. Nam sæpe nonnulli, dum exhortationis verba faciunt, aut ad quantulamcumque gloriam, si audientibus venerantur, et quamlibet tenuiter se intrinsecus, quia per eos purgationis gratia derivatur, extollunt. Cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere pulverem malæ cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post prædicationem pedes discipulorum lavare, nisi post prædicationis gloriam cogitationum pulverem tergere gressusque cordis ab interna elatione mundare? Pedes igitur apostolorum loti sunt, ut a quamlibet parvo contagio in ipsa prædicatione contracto, quasi a quodam itinere collecto pulvere mundarentur.

CAP. XXXII. — *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 35).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 17; lib. XXII, in Job, num. 23.) Omnipotentis Dei nos esse discipulos sola custodia charitatis probat; virtutem quippe manuum sine charitate testatur prædicator egregius nihil valere, qui ait : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil prodest* (*I Cor.* XIII, 3). De hæreticis quoque signa ac miracula facientibus, sed hic præmia afflictionis suæ et abstinentiæ laudes, videlicet quas amant, recipientibus, Redemptoris voce dicitur : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 22). Qua nimirum sententia quid datur intelligi, nisi ut in hominibus charitas et humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari? Probatio quippe sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere, de Deo autem vera, de proximo vero meliora quam de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non autem in ostensione miraculi, Veritas demonstrat, quæ ait : *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Qui enim non ait, in hoc cognoscetur quia discipuli mei estis si signa feceritis, sed ait : *Si dilectionem habueritis ad invicem*, aperte indicat quia veros Dei famulos non miracula sed sola charitas probat. Testimonium ergo supernæ discipulatus est donum supernæ dilectionis. Quæ nimirum dilectio si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solet, scilicet si et amicos in Deo, et inimicos diligimus propter Deum. Sed sciendum est quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur. Nam sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere æstimat, si ejus vitæ contrarius non existat; sed dilectionis vim occultæ veraciter, aut profectus inimici, aut casus interrogat. Hac etenim de re ad plenum semetipsam mens hominis nescit, nisi eum quem sibi adversarium credit in defectu vel profectu ejus mutasse se modum sui status invenerit. Si enim de prosperitate addicitur et de calamitate se odientis lætatur, constat quia non amat quem non vult esse meliorem se, eumque etiam stantem voto persequitur quem recidisse gratulatur. Sed inter hæc sciendum est quia evenire plerumque solet ut non amissa charitate, et inimici nos ruina

lætificet, et rursum ejus gloria sine invidiæ culpa contristet, cum et ruente eo quosdam erigi bene credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. Qua in re mentem nostram, nec ejus jam defectus erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra cogitatio non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur attendit. Sed ad hæc servanda valde est necessarium subtilissimæ discretionis examen, ne cum nostra odia exsequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ. Si autem de inimici morte gaudendum omnino non esset, Psalmista non diceret: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam impiorum* (*Psal.* LVII, 11). Sed aliud est impium, aliud vero inimicum perpeti. Nam sunt plerique inimici qui non sunt impii, et sunt nonnulli impii qui nobis specialiter non videntur inimici. Humana autem mens omnem quem inimicum tolerat etiam impium et iniquum putat, quia ejus culpas apud cogitationem livor accusator exaggerat. Quibuslibet vero flagitiis prematur, minus iniquus creditur si adversarius minime sentitur. Qua in re discernendum est, aliud esse quod nobis, aliud vero quod sibi et cæteris noster inimicus nocet. Nam si aliis bonus est, sine nostra forsitan culpa non potest esse nobis malus, nec omnino jam de ejus ruina gaudendum est cujus nos solos certum est adversa tolerasse. Cum vero noster ac multorum hostis punitur, de ereptione proximorum potius quam de inimici interitu necesse est ut animus lætetur. Oportet namque ut pereunte adversario, subtiliter pensare debeamus, et quid debemus ruinæ peccatoris, et quid justitiæ ferientis. Nam cum perversum quemque omnipotens percutit, et condolendum est miseriæ pereuntis, et congaudendum justitiæ judicis, ut nobis et in luctu sit pœna morientis proximi, et rursus in gaudium veniat exhibita æquitas judicantis Dei; quatenus nec pereunti homini existamus adversarii, nec judicanti Deo inveniamur ingrati.

CAP. XXXIII. — *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joann.* XIV, 2).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 76; lib. II, in Ezech., hom. 4, num. 6.) Quoniam electis Dei in hac vita discretio operum, in alia quoque vita erit proculdubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione præcellat. Et licet dignitas eadem omnibus non sit; una tamen erit omnibus vita beatitudinis, unde in Evangelio ipsa Veritas dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Si enim dispar retributio in illa beatitudine æterna non esset, una potius mansio quam multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus distincti bonorum ordines, et propter meritorum consortium communiter lætentur. Illi quippe qui diversis horis in vineam ducti venerunt, licet non æque laborassent, eumdem tamen æque cuncti denarium perceperunt. Qua itaque ratione conveniunt mansiones multæ cum uno denario, nisi quia diversæ quidem beatorum civium dignitates erunt, sed tamen una requies æternæ retributionis? Nam si dispar erit retributionis qualitas quam opera diversa consequentur, una tamen est beatitudo quam illic percipient qui in multis mansionibus distinguuntur; et si dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum, quia etsi alter minus, et alius amplius exsultat, omnes tamen unum gaudium de Conditoris sui visione lætificat, et una cunctis est beatitudo, lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ. In domo igitur Patris sui mansiones multas esse Veritas dicit, quia in illa beatitudinis vita non dispari unusquisque juxta dispar meritum locum disparem percipit, sed ejusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi quantum perceperit sufficit. In eisdem namque multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit hoc se accepisse in alio exsultet; quas bene Paulus mansiones juxta merita distributas insinuat, cum ait: *Alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate* (*I Cor.* XV, 41).

CAP. XXXIV. — *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis* (*Joan.* XIV, 16).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 50.) Aspiratio sancti Spiritus humanam mentem tangendo sublevat, et temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desideriis inflammat, ut nihil ei jam nisi quæ superna sunt libeat, et cuncta quæ inferius de humana perstrepunt corruptione contemnat. Unde et Veritatis voce dicitur: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere.* Sicut enim isdem Paraclitus, id est post Mediatoris ascensum alius humani generis consolator, in semetipso invisibilis est, ita omnem quem repleverit, ad desideranda invisibilia accendit; et quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda invisibilia non assurgit. Sæculares enim mentes quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant. Valde quippe pauci in humano genere inveniuntur, qui a desideriorum carnalium sorde purgati, ad perceptionem sancti Spiritus ipsa hac purgatione dilatentur.

CAP. XXXV. — *Qui diligit me, diligetur a Patre meo* (*Joann.* XIV, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 90.) Fuere nonnulli qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri, quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici et incommutabili essentiæ aliud est claritas, aliud natura, sed ipsa natura sua claritas ipsa claritas natura est. Quod enim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet ipse pollicetur dicens: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Ac si patenter dicat: Qui in vestra me cernitis, restat ut in mea natura me videatis. Hinc rursus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8).

CAP. XXXVI. — *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23).

(Homil. 7, in Evangel., n. 2.) Viam Domino ad cor nostrum venienti facimus, cum ad præceptum vitam præparamus. Mansionem in corde nostro venienti Domino præparamus, cum Veritatis sermonem humiliter audimus, et cum dilectione servamus. Quisquis autem in superbia mentem elevat, quisquis avaritiæ æstibus anhelat, quisquis se inquinationibus luxuriæ polluit, cordis ostium contra Veritatem claudit, et ne Dominus ad se veniat, et mansionem faciat, animi claustra seris vitiorum damnat.

CAP. XXXVII. — *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joann.* XIV, 27).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 35.) In Scriptura sacra aliter pax plena dicitur, et aliter inchoata. Inchoatam quippe Veritas discipulis dederat, cum dicebat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et plenam Simeon desideraverat, cum exoraret, dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (*Luc.* II, 29). Pax enim nostra ex desiderio Conditoris inchoatur. Ex manifesta autem visione perficitur. Plena quippe tunc erit, cum mens nostra nec ignorantia cæcatur, nec suæ carnis impugnatione percutitur.

CAP. XXXVIII. — *Item unde supra.*

(Regul. pastor. part. III, cap. 22.) Sollicite pacati debent curare ne dum plus quam necesse est pacem quam possident amant, ad perpetuam pervenire non appetant. Plerumque enim gravius intentionem mentium rerum tranquillitas tentat, ut quo non sunt

molesta quæ obtinent, eo minus amabilia fiant quæ vacant, et quo delectant præsentia, eo non inquirant æterna. Unde et per semetipsam Veritas loquens, cum terrenam pacem a superna distingueret, et ad venturam discipulos ex præsenti provocaret, ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: relinquo scilicet transitoriam, do mansuram. Si ergo cor in eam quæ relicta est figitur, nunquam ad illam quæ danda est pervenitur. Pax igitur præsens ita tenenda est, ut et diligi debeat et contemni, ne si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capiatur.

CAP. XXXIX. — *Venit enim princeps hujus mundi* (*Joan.* XIV, 30).

(Homil. 39, in Evang., n. 8, 9, 10.) Maligni spiritus non solum ingredientibus perversorum animabus opera sua requirunt, ut eas ad tormenta trahant, verum ad electos quoque veniunt, et suum in illis aliquid requirunt, si prævaleant. Unus autem in hominibus exstitit, qui ante passionem suam libera voce dixit: *Jam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam.* Quia enim hunc mortalem hominem vidit, suum in illo mundi princeps aliquid invenire se posse credidit. Sed sine ullo peccato a mundi corruptione exiit, qui sine peccato in mundum venit, hoc de se contra mundi principem nullus dicere potuit. Nam cum propheta dicat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L, 7): nemo sine culpa in mundo potuit esse qui in mundum venit cum culpa. Constat enim quia omnes qui de carnis delectatione concepti sunt, in eorum procul dubio vel actione, vel locutione, vel cogitatione, aliquid suum princeps mundi hujus habuit. Sed idcirco illos vel post capere, vel prius tenere non potuit, quoniam eos ille a debitis suis eripuit, qui pro nobis sine debito mortis debitum solvit, ut nos ideo sub jure hostis nostri debita nostra non teneant, quia pro nobis Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus gratuito reddidit quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita animæ morte liberavit. Ait ergo: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Unde curandum nobis est, et cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam rapidus, quam terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus princeps hujus mundi veniat; si etiam ad Deum carne morientem venit, et in illo aliquid quæsivit, in quo nihil invenire potuit, quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti adversario, et multa sua in nobis invenienti dicemus, nisi solum quod nobis est certum refugium et solida spes: quia cum illo unum facti sumus, in quo princeps hujus mundi et suum aliquid requisivit, et invenire minime potuit, quoniam solus est inter mortuos liber, et a peccati jam servitio veraci libertate solvimur, quoniam ei qui vera libertas est unimur? Constat enim nec negare possumus, sed veraciter fatemur, quia princeps hujus mundi habet in nobis multa, sed tamen in mortis nostræ tempore jam nos rapere non valet, quia ejus membra sumus effecti, in quo non habet quidquam. Sed quid prodest quod eidem Redemptori nostro per fidem jungimur, si ab eo moribus disjungamur? Ipse enim dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 1). Recta enim opera rectæ fidei sunt jungenda, mala quæ fecimus per quotidiana lamenta sunt diluenda, et ea quæ possumus bona fratribus impendenda. Neque enim aliter Redemptoris nostri membra efficimur, nisi inhærendo Deo et compatiendo proximo. Multum enim valet compassio fraterna, et nos omnipotenti Deo conjungunt misericordiæ viscera. Inde enim ei qui est super omnia propinquamus unde nos per compassionem proximi etiam sub nosmetipsos deponimus. In rebus corporalibus nemo alta tangit nisi qui tenditur. In rebus quoque spiritualibus certum est quia quanto plus per compassionem attrahimur, tanto altis verius appropinquamus.

CAP. XL. — *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5).

(Lib. I, in Ezech., hom. 9, num. 1.) Ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere, si ipse non adjuvat qui jubet, non valemus. Sic Paulus cum discipulos admoneret, dicens: *Cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (*Philip.* II, 12), illico quis in eis hæc ipsa bona operaretur adjunxit, dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis, et velle, et perficere pro bona voluntate.* Hinc est quod ipsa Veritas discipulis dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Sed in his considerandum est quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? Si autem ita nostra sunt, ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est quia mala nostra solummodo nostra sunt, bona vero nostra et omnipotentis Dei sunt et nostra, quia ipse aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus adimplere quæ volumus. Præveniente autem gratia, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est fit meritum nostrum. Quod bene Paulus brevi sententia explicat, dicens: *Plus illis omnibus laboravi* (*I Cor.* XV, 10). Qui ne videretur suæ virtuti tribuisse quod fecerat adjunxit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Ac si diceret: In bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In eo enim quod solo Domini dono præventus sum, non ego; in eo autem quod donum voluntate subsecutus, et ego. Hæc breviter contra Pelagium dicta sunt et Cœlestium.

CAP. XLI. — *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis* (*Joan.* XV, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 28.) Amicus Veritatis est rectæ amator actionis. Unde et ipsa Veritas discipulis dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Amicus quippe animi custos dicitur. Unde et non immerito qui custodire voluntatem Dei in præceptis illius nititur ejus amicus vocatur. Hinc est quod rursum eisdem discipulis Veritas dicit: *Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Ibid.*, 15).

CAP. XLII. — *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre* (*Joan.* XV, 26).

(Homil. XXVI, in Evang., n. 2.) Paracletum sanctum Filius a se discipulis promittit mittendum, qui se quoque a Patre missum eisdem alibi asserit, dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Isa.* XX, 21). In quibus verbis, quamvis missio intelligatur ejus incarnatio (Pater quippe Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit), tamen etiam juxta naturam divinitatis potest intelligi. Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur; sic quoque sanctum Spiritum, qui, cum sit Patri coæqualis et Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se Filius mittere perhibet: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.* Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus procul dubio Spiritus nullomodo mitti diceretur, qui nequaquam est incarnatus, sed ejus missio ipsa est processio, qua de Patre procedit et Filio. Sicut itaque Filius non incongrue mitti dicitur quia generatur, ita et Spiritus sanctus dicitur mitti quia procedit.

CAP. XLIII. — *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos* (*Joan.* XVI, 7).

(Dialog. lib. II, cap. 38, et in exposit. B. Job, lib. VIII, num. 41.) Dominus noster ut fidem discipulis augeret, dixit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Cum enim constet quia Paracletus spiritus ex Patre procedat semper et a Filio cur se Filius re

cessurum dicit, ut ille veniat qui a Filio nunquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, recte eis dicitur : *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet.* Ac si aperte diceret : Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem per consolatorem Spiritum non perduco. Si corpus non subtraho, qui sit amor spiritu- non ostendo ; et nisi me desieritis corporaliter cers nere, nunquam discetis spiritualiter amare.

CAP. XLIV. — *Amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI, 20).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 23.) Omnes qui Redemptoris nostri desideriis accensi prospera fugiunt, adversa patiuntur, cruciatus persequentium tolerant, seque ipsos per lamenta castigant, tanto sublimiorem in futuro lætitiam recipiunt, quanto nunc cunctis mundi gaudiis devote moriuntur. Hinc est quod eadem Veritas dicit : *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis : iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Ibid.*, 22). Omnes enim qui nunc pro Dei amore despiciuntur, et pro eo temporaliter affliguntur, vera lætitia æternaliter in cœlesti gloria consolabuntur.

CAP. XLV. — *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo* (*Joan.* XVI, 23).

(Homil. 27, in Evang., n. 6, 7.) Si omne quod petimus in nomine Filii dat nobis Pater, quid est quod Paulus ter Dominum rogavit, et exaudiri non meruit, sed dictum est illi : *Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII, 9)? Nunquid ille tam egregius prædicator in Filii nomine non petiit? Quare autem non accepit quod petiit? Quomodo ergo verum est quia quidquid petierimus in nomine Filii, dat nobis Pater, si auferri a se angelum Satanæ petiit Apostolus in nomine Filii, et tamen quod petiit non accepit? Sed quia nomen Filii Jesus est, Jesus autem Salvator, vel etiam Salutaris dicitur, ille ergo in nomine Salvatoris petit qui illud petit quod ad veram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit petitur, non in nomine Jesu petitur Pater. Unde et eisdem apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Ac si aperte diceretur : Non petistis in nomine Salvatoris, qui salutem æternam quærere nescitis. Hinc est quod et Paulus non exauditur, quia non ei proderat ad salutem si a tentatione liberaretur. Cum ergo, fratres charissimi, convenitis ad ecclesiam, pensate, quæso, petitiones vestras; videte si in nomine Jesu petitis, id est si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Et quidem cum hæc desunt, ab omnipotente Deo petenda sunt; sed meminisse continuo debemus quod ex mandato ejusdem nostri Redemptoris accepimus : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33). Et hæc itaque ab Jesu petere non est errare, si tamen non nimie petantur.

CAP. XLVI. — *Palam de Patre annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI, 25).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 17.) Infirmitati nostræ Dominus non aperta specie majestatis suæ, sed prædicatorum suorum loquitur voce, et corda adhuc carnalia carnis lingua pulsat, ut tanto facilius insueta percipiant, quanto ea per sonitum consuetæ vocis audiunt. At postquam per mortem in pulverem caro resolvetur, et per resurrectionem pulvis animabitur, tunc de Deo audire verba non quæremus, quia unum ipsum quod implet omnia jam per speciem Dei Verbum videbimus, et ultra a doctoribus vitæ prædicationem accipere non requiremus ; tunc quippe implebitur quod per Jeremiam Dominus dicit : *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir patrem suum, dicens : Cognosce Dominum ; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus* (*Jerem.* XXXI, 34). Cum ergo nobis post resurrectionem Dominus ostendetur per speciem, tunc semetipsum quomodo omnibus creaturis præsit nobis insinuabit ; ac tunc detersa nostræ mentis caligine, clara se visione manifestabit, et tunc implebitur quod in Evangelio dicit ipsa Veritas : *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Filius enim de Patre palam annuntiat quia per hoc quod Verbum est ex natura nos divinitatis illustrat. Palam itaque de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, et quomodo ipse Genitori non impar oriatur, et quomodo utrorumque Spiritus utrique coæternus procedat ostendit. Aperte namque tunc videbimus quomodo is qui oriundus est ei de quo oritur subsequens non est, quomodo is qui per processionem producitur a proferentibus non præitur. Aperte tunc videbimus quomodo et unum divisibiliter tria sint, et indivisibiliter tria unum.

CAP. XLVII. — *Jesus sciens quæ ventura erant super eum, processit, et dixit : Quem quæritis* (*Joan.* XVIII, 4)?

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 17.) Quam incomprehensibilis sit et inconsiderabilis illa magnitudo qua in secunda Dominus ostensione venturus est, bene utrumque perpendimus, si primi adventus pondera sollicita consideratione pensamus. Certe ut nos a morte redimeret, mori Dominus venit, et defectum carnis nostræ in suo corpore pœnasque toleravit, qui priusquam ad crucis patibulum perveniret, teneri, conspui, illudi, alapis cædi se pertulit. Ecce ad quanta venire propter nos probra consensit et tamen priusquam se teneri permitteret, persecutores suos requisivit, dicens : *Quem quæritis?* Cui illico responderunt : *Jesum Nazarenum.* Quibus cum repente diceret : *Ego sum*, vocem solummodo mitissimæ responsionis edidit, et armatos persecutores suos protinus in terram stravit. Quid ergo facturus est cum judicaturus venerit qui in una voce hostes suos perculit, etiam cum judicandus venit? quod est illud judicium quod immortalis exerit qui in una voce ferri moriturus non potuit? Quis ejus iram tolerat cujus et ipsa non potuit mansuetudo tolerari? Nemo quippe celsitudinis ejus terrorem ferre poterit, cum adventus secundi potentia per ignem judicium exercens, in suæ potestatis majestate canduerit.

CAP. XLVIII. — *Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium ad Pilatum* (*Joan.* XVIII, 28).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 49, 50, 51, 52.) Contra antiquum hostem prophetæ vocibus de sancta Ecclesia in antiquo statu restauranda promittitur : *Et mala bestia non ascendet per eam* (*Isa.* XXXV, 9). Antiquus quippe hostis nomine bestiæ accipitur, qui deceptionem primi hominis sævus impetiit, et integritatem vitæ illius male suadendo laniavit. Hæc bestia omnium reproborum corda possidet, ea per occultam malitiam quasi proprium antrum tenet, et ad omne quod nocere bonis appetiit, in eorum se obscuris mentibus abscondit. An Judæorum persequentium corda antrum hujus bestiæ non fuerunt, in quorum diu consiliis latuit, sed repente vocibus erupit clamantium : *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6)? Et quia ad lacerationem mentis pertingere tentando non potuit, in Redemptore nostro ad mortem anhelavit. Hæc nimirum bestia et electorum corda tenuit, sed hanc ab illis moriens Agnus excussit. Unde et in Evangelio dicit : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII, 31). Intrare quippe in mentes bonorum potest, sed in eis morari non potest, quia cor justi hujus bestiæ antrum non est. Huic nimirum bestiæ impulsu subitæ formidinis victus, januam cordis negando Petrus aperuit, sed citius cognoscendo restitit, flendo clausit. Judæorum autem persequentium corda non solum intrando hæc bestia tenuit, sed etiam tenendo et immorando possedit, quia et prius

in eis cogitationes usque ad iniqua desideria, et post iniqua desideria usque ad nequissima opera perduxit. Quantum namque in eorum mentibus demorata sit discimus, cum illorum consilia attestatione narrationis Evangelicæ audimus. In illa namque describitur, cum Redemptorem nostrum vivificare mortuos cernerent, in ejus morte crudelitatis anxietate insanirent : quot explere contra illum prava desideria ardenter vellent, sed populum timerent; quot occasiones occidendi quærerent, et invenire non possent; quot ad votum suæ nequitiæ manibus alienigenarum usi sunt : quoniam eum legaliter interimere ipsi non poterant, feriendum gentibus tradiderunt, ut ex sola potestate præses Romanus ageret quod ipsi ex sola malitia anhelarent ut agi debuisset. Invidiæ quippe malitia pleni fuerant, qui visis miraculis invidentes, dicebant : *Ecce mundus totus post eum vadit* (*Joan.* XII, 19). Conspiciebant signa, cernebant per ministros ejus miracula, totum jam mundum fidei prævidebant secuturum prædicamenta : a Judæis igitur invidentibus surrexit malitia persequens, et a gentilibus potestas premens. Neque enim miracula fieri legis præcepta vetuerant, et tamen Judæi pro eisdem miraculis interimere generis humani Redemptorem quærebant. Unde hoc quod cœperant explere non valentes, ad Pilati prætorium concurrerant, ut ipse hunc perimeret quem injuste perimere lex nulla cohiberet. Quod autem ex invidia Judæa petiit, hoc gentilis judex ex auctoritate Romana perpetravit.

CAP. XLIX. — *Ingressus prætorium Pilatus, dicit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei*, etc. (*Joan.* XVIII, 33).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, n. 40 et 41.) In hac vita qui nulla prospera appetit, nulla adversa procul dubio pertimescit: et nequaquam terret illum exterius numerus hominum, quem non devastat interius turba vitiorum. Unde Redemptor noster ad multitudinem nimiam non expavit, qui persecutores suos cum gladiis et fustibus venientes una tantum responsione perculit, dicens: *Ego sum* (*Joan.* LVIII, 6). Ipsum etiam contemptus et despectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis suppliciis liberans in facie palmas æquanimiter accepit. Ipse tacuit, et qui esset non ostendit, qui sub ipsa jam hora passionis cum humanitatis infirma pateretur, divinitatis potentiam exercere noluit. Mediator quippe Dei et hominum qui esset apparuisset, si cum teneretur ut homo majestatis suæ potentiam voluisset ostendere, et per divinitatis magnitudinem susceptæ carnis infirma transire; ut enim apertius homo mori posset, Deus mansit occultus: *Quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Requisitus corpus passioni obtulit, quod pro electis assumpserat, et resistentibus noluit demonstrare quod erat. Infirmitatem persecutoribus suis prodidit, potentiam vero suæ majestatis et divinitatis occultavit.

CAP. L. — *Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper* (*Joan.* XIX, 11).

(In exposit. B. Job, lib. III, n. 28, 29.) Satanæ membra sunt omnes qui ei perverse vivendo junguntur. Membrum quippe ejus Pilatus exstitit, qui usque ad mortis extrema venientem in redemptionem nostram Dominum non cognovit. Corpus ejus sacerdotum principes exstiterunt, qui Redemptorem mundi a mundo repellere usque ad crucem persequendo conati sunt. Membra illius exstiterunt qui juxta prophetiæ vocem dicunt: *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium* (*Jerem.* XI, 19). Lignum quippe in panem ejus mittere est configendo ejus corpori stipitem crucis adhibere, et vitam illius de terra viventium eradicare se posse æstimant, quem dum mortalem conspiciunt, finiri morte suspicantur. Cum ergo se pro nostra redemptione Dominus membrorum Satanæ manibus tradidit, quid aliud quam ejusdem Satanæ manum in se sævire permisit, ut unde ipse exterius occumberet, A inde nos exterius interiusque liberaret? Potestatem itaque corporis Satanæ usque ad sputa, colaphos, flagella, crucem lanceamque toleravit. Unde et Pilato ejus videlicet corpori, ad passionem veniens, dicit: *Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper* (*Joan.* XIX, 11). Sed tamen hanc potestatem quam contra se ei extrinsecus dederat suis servire lucris intrinsecus compellebat. Pilatus enim vel Satan, qui ejusdem Pilati caput exstiterat, sub potestate illius super quem potestatem acceperat tenebatur, et superior ipse disposuerat hoc quod inferius accedens a persecutore tolerabat; ut cum ex mala mente infidelium surgeret, utilitati tamen electorum omnium ipsa quoque crudelitas deserviret. Pie igitur disponebat intus quod semetipsum pati nequiter pertimebat foris. Hinc est enim quod de illo in cœna dicitur: *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua* (*Joan.* XIII, 3). Ecce in manus persequentium iturus, B sciebat quod in manu sua ipsos etiam persecutores acceperat. Qui enim omnia accepisse se noverat, constat quia ipsos a quibus tenebatur tenebat, ut in se ipse ad usum pietatis intorqueret quidquid eorum circa se malitia permissa sæviret.

CAP. LI. — *Susceperunt autem Jesum a Pilato sibi traditum, et educentes in eum qui dicitur Calvariæ locum, ubi eum crucifixerunt* (*Joan.* XIX, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 30; lib. IX, num. 44.) Antiquus ille Judæorum populus, qui fidelis esse Deo videbatur, reprobatus corde, repulsus est; ut sua perfidia deceptus, contra ipsum post insurgeret quem ante prædicavit. Summi quippe sacerdotes et seniores populi, suo consilio ei conabantur obsistere quem prius prædicabant venturum esse. Cumque nomen ejus persequendo molirentur exstinguere, decepti sua malitia per invium frustra conabantur incedere, quia eorum crudelitati via non poterat patere contra auctorem omnium. Terrebantur quidem, C cum auctoris omnium tot miracula cernerent, virtutes viderent, sed credere renuentes, adhuc signa requirebant cum dicerent: *Quod ergo tu facis signum, videamus; ut et credamus tibi quid operaris* (*Joan.* VI, 30). Aliquando etiam ostendebantur credere, cum dicerent: *Nisi hic esset a Deo non poterat facere quidquam* (*Joan.* IX, 33). Aliquando vero hunc a Deo esse denegabant, cum despicientes dicerent: *Nonne hic est fabri filius: nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas: et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt* (*Matth.* XIII, 55). Videbant quippe suscitare eum mortuos, et tamen esse mortalem. Quis non crederet Deum quem conspiciebant suscitare mortuum? Sed rursum cum hunc mortalem conspicerent, despiciebant credere hunc esse Deum immortalem. Per hoc ergo quod omnipotens Deus talem se eorum oculis exhibuit qui posset et divina ostendere et humana pati, errare eos quasi ebrios fecit. Omnis quippe qui errat nunc huc nunc illuc ducitur, ut eorum superbia, quæ in- D carnationis ejus mysterium despicere maluit quam sequi, et se extolleret contra ejus humanitatem et divinitatis ejus potentiam miraretur intus lucentem. Tandem igitur ministri manusque diaboli facti sunt, quia in Redemptoris nostri morte grassati sunt. Antiquus quippe hostis Redemptoris mentem corrumpere per se tentando non valuit, sed ejus carnem per suos satellites ad triduum permissus exstinxit, et dispensationi supernæ pietatis nesciens ex hac ipsa permissione servivit. Tribus etenim Redemptorem nostrum tentationibus pulsans, cor Dei temerare non valuit; sed cum Judæ mentem ad carnis ejus mortem excitavit, eumque ei cohortem atque a pontificibus et Pharisæis ministros tradidit, nimirum ipse diabolus ad carnem ejus manus extendit. Satellites enim ejus et ministri, Sacerdotes et principes, Pilatus atque milites illusores fuerunt, quorum vultum et corda operuit et excæcavit, et ne suum auc-

orem cognoscerent malitiæ nubilo velavit. Vultus quippe ministrorum ejus opertus exstitit, quia mens persequentium eum quem carne tenere potuit Deum nec per miracula agnovit. Unde per Paulum dicitur: *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum* (*II Cor.* III, 15). Qui rursus ait: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8).

CAP. LII. — *Et inclinato capite Jesus emisit spiritum* (*Joan.* XIX, 30).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 31.) Sicut vera mors est qua anima separatur a Deo, ita umbra mortis est qua caro separatur ab anima. Mediator autem Dei et hominum solam pro nobis mortem carnis suscepit, et veram mortem delinquentium per umbram suæ mortis delevit. Ad nos quippe venit qui in morte spiritus carnisque tenebamur; unam ad nos suam mortem detulit, et duas nostras quas reperit solvit. Si enim ipse utramque susciperet, nos a nulla liberaret, sed unam misericorditer accepit, et utramque juste damnavit. Simplam suam duplæ nostræ contulit, et duplam nostram moriens subegit. Unde et non immerito uno die in sepulcro et duabus noctibus jacuit, quia videlicet lucem suæ simplæ mortis tenebris duplæ nostræ mortis adjunxit. Qui ergo solam pro nobis mortem carnis accepit, umbram mortis pertulit, et a Dei oculis culpam quam fecimus abscondit. Ut igitur nos a morte carnis et spiritus debitores eriperet, mortem carnis Dominus non debens solvit.

CAP. LIII. — *Oportebat Christum resurgere a mortuis* (*Joan.* XX, 9).

(Lib. II, in Ezech., hom. 4, num. 2.) Universum hoc tempus septem diebus evolvitur, æterna vero dies octava est, quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur. Per octonarium quippe numerum resurrectio et gaudium futuræ beatitudinis significatur. Hujus octonarii numeri causa est quod post sabbatum voluit Dominus a morte resurgere. Dies quippe Dominicus, qui tertius est a morte dominica, a conditione dierum numeratur octavus, quia septimum sequitur. Unde et ipsa vera Redemptoris nostri passio, et vera resurrectio, figuravit aliquid de suo corpore in diebus passionis suæ. Sexta enim feria passus est, sabbato quievit in sepulcro, Dominico autem die resurrexit a morte. Præsens enim vita nobis adhuc sexta est feria, quia in doloribus ducitur, et in angustiis cruciatur; sed sabbato quasi in sepulcro quiescimus, quia requiem animæ post corpus invenimus. Dominico vero die, videlicet a passione tertio, a conditione, ut diximus, octavo, jam corpore a morte resurgemus, et in gloria animæ etiam cum carne gaudebimus. Quod ergo mire Salvator noster in se fecit hoc veraciter in nobis signavit, ut nos et dolor in sexta, et requies in septima, et gloria excipiat in octava.

CAP. LIV. — *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum* (*Joan.* XX, 2).

(In exposit. B. Job, lib. III, num. 22.) Aliquando Scriptura sacra totum pro parte consuevit ponere, sicut hic ad monumentum Maria conqueritur, dicens: *Tulerunt Dominum meum*. Solum quippe dominicum corpus in monumento jacuerat, et illud solum Maria quæsitura venerat. Dum ergo quasi totum simul Dominum sepultum deplorabat, et non corpus Domini, sed Dominum sublatum quærebat, videlicet ex toto partem significabat.

CAP. LV. — *Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio eorum* (*Joan.* XX, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 26.) Post Domini passionem apostoli pro mentis toneritudine et formidinis infirmitate, clausis foribus residebant. Cum enim nequaquam contra membra diaboli in voce liberæ prædicationis exsurgerent, et necdum post passionem Domini, sancti Spiritus infusione solidati, Redemptorem suum auctoritate firma prædicarent, adhuc contra adversarios suos quasi in antris insidiabantur. Clausis quippe foribus, quasi in quibusdam abditis specubus suis catuli rapturi mundum cubabant, ut animarum prædam postmodum præsumentes diriperent, de quibus tunc certum est quod mundi impetum etiam sibimetipsis latendo formidarent. Illis foribus clausis, isti catuli mortem nostræ mortis insidiati quæsierunt, ut culpam interficerent, omnemque in nobis peccati vitam necarent. Horum primo illi esurienti catulo, sed jam valenti, ostensa per linteum gentilitate, quasi monstrata præda dicitur: *Macta et manduca* (*Act.* X, 13): his catulis velut adhuc infirmis, ut in antris cubare debeant jubetur, cum eis voce dominica dicitur: *Sedete hic in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). Apostoli enim recte catuli sanctæ Ecclesiæ vocari possunt, qui in Ecclesia editi adversantem mundum ore et prædicatione sua rapuerunt.

CAP. LVI.—*Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 23).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 34; homil. 26, in Evang., n. 4.) Quos sancti Spiritus replet gratia, prius eos de terrena actione terrificat, et postmodum spe cœlestium consolatur, ut tanto post confitendo de præmiis gaudeant, quanto prius sola supplicia conspiciendo metuebant. Cum igitur sancti apostoli nequaquam contra membra diaboli in vocem liberæ prædicationis assurgere, et necdum per passionem Domini sancti Spiritus infusione solidati, Redemptorem suum auderent auctoritate firma prædicare; et pro mentis teneritudine et formidinis infirmitate una sabbatorum clausis foribus propter metum Judæorum residentes metuerent exire, veniens Dominus et stans in medio eorum insufflavit et dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ecce conversorum terror vertitur in potestatem, quia eum mala sua pœnitendo puniunt, usque ad exercendum judicium ascendunt, ut hoc in Deo posse accipiant quod prius ipsi de Deo metuebant. Judices quippe fiunt qui supernum judicium perfecte timuerunt, et aliena peccata dimittere jam incipiunt qui prius ne sua retinerentur formidaverunt. Libet autem intueri, fratres charissimi, discipuli Domini ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam obligationis alienæ potestatem relaxationis accipiunt; principatum superni judicis sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt, ut alios damnent vel liberent qui semetipsos damnari metuebant.

CAP. LVII. — *Venite et prandete* (*Joan.* XXI, 12).

(Homil. 24, in Evang., n. 6; 14, n. 5, 6; 24, n. 6; 25, n. 9, 10.) Resurgens Dominus, apparens ultimo jam convivio cum septem discipulis comedisse describitur, quia hi qui in illo nunc perfecti sunt æterna per illum refectione satiantur. Petrus quippe et Thomas, Nathanael, filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo, cum eo fuisse memorantur. Cur autem cum septem discipulis ultimum convivium celebrat, nisi quod eos tantummodo qui septiformi gratia sancti Spiritus pleni sunt, futuros secum in æterna refectione denuntiat? Septem quoque diebus omnis hoc tempus evolvitur, et sæpe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo ultimo convivio de præsentia veritatis epulantur qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos amor hujus mundi non ligat, quibus etsi utcunque per tentamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit

De hoc extremo convivio alibi per Joannem dicitur: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt* (*Apoc.* XIX, 9). Idcirco enim non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei convivium cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, non ad Agni prandium, sed ad cœnam vocantur. Quæ videlicet cœna hoc ultimo convivio exprimitur, cui septem discipuli adesse memorantur, quia illos, ut diximus, tunc interna refectio reparat qui pleni nunc septiformi gratia in amore spiritus anhelant. Hanc refectionem bonus Pastor ovibus suis vocem suam audientibus et se sequentibus promittit, dicens: *Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet* (*Joan.* X, 9). Ingredietur quippe ad fidem, egredietur vero a fide ad speciem, a credulitate ad contemplationem; pascua autem inveniet in æterna refectione. Oves ergo ejus pascua invenient, quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ sunt autem istarum ovium pascua, nisi interna sempiternæ vitæ paradisi gaudia? Pascua namque electorum sunt vultus præsens Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis satietate lætati sunt quique jam laqueos voluptuosæ temporalitatis evaserunt. Ibi hymnidici angelorum chori, ibi societas supernorum civium, ibi dulcis solemnitas a peregrinationis hujus tristi labore redeuntium, ibi providi prophetarum chori, ibi judex apostolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic durius afflictus, ibi confessorum constantia præmii sui perceptione consolata, ibi fideles viri, quos a virilitatis suæ robore voluptas sæculi non potuit emollire; ibi sanctæ mulieres quæ cum sæculo et sexum vicerunt, ibi pueri qui hic annos suos moribus transcenderunt, ibi senes quos hic et ætas debiles reddidit, et virtus operis non reliquit. Quæramus ergo, fratres, hæc pascua, in quibus cum tantorum civium solemnitate gaudeamus, ipsa nos lætantium festivitas invitet. Ecce in cœlestibus electorum civium lætitia agitur, de se vicissim omnes in suo conventu gratulantur, et tamen nos ab amore æternitatis tepidi, nullo desiderio ardemus, interesse tantæ solemnitati non quærimus, privamur gaudiis, et læti sumus. Accendamus igitur animum, fratres; recalescat fides in id quod credidit; inardescant ad superna desideria nostra; et sic amare jam ire est. Ab internæ solemnitatis gaudio nulla nos adversitas revocet, nulla nos prosperitas blandiens seducat. Toto ergo desiderio ad supernam patriam animus anhelet; nihil in hoc mundo appetat quod constat quia citius relinquat; ut si cœlestis Pastoris veraciter oves sumus, quoniam in vitæ delectatione non figimur, æternis pascuis in perventione satiemur. Hæc ergo, fratres, nobiscum agamus, septiformis sancti Spiritus gratia repleri desideremus, quid nos in futurum sequi possit ex præsenti perpendamus. Pensemus si sancto Spiritu pleni sumus, et sic noscimus si ad æternæ pascua refectionis, si ad illud ultimum convivium pervenire valeamus. Quisquis enim ille est quem nunc Spiritus iste non reparat, profecto ab illa æterni convivii refectione jejunat. Meminisse debemus quid de eodem Spiritu dicat Paulus apostolus: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9). Quasi quidam titulus divinæ possessionis est iste Spiritus amoris. Nunquidnam Spiritum Christi habet is cujus mentem odia dissipant, elatio inflat, ira usque ad divisionem mentis exasperat, avaritia cruciat, luxuria enervat? Pensare debemus quis sit Christi Spiritus; profecto ille qui facit amicos et inimicos diligi, terrena despici, pro cœlestibus æstuari, carnem propter vitia conteri, mentem a concupiscentiis frenari. Si ergo volumus cognoscere possessiones Dei, personam perpendamus possessoris nostri. Ecce enim quod diximus voce veridica Paulus clamat: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Ibid.*). Ac si aperte dicat: Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de divinæ claritatis specie postmodum non lætatur. Sed nos tamen qui ad hæc quæ dicta sunt infirmamur, necdum culmen perfectionis attingimus, in via Dei quotidie sancti desiderii gressus ponamus. Consolatur nos Veritas quæ per Psalmistam dicit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui* (*Psal.* CXXXVIII, 16). Non omnino erit nobis noxia imperfectio nostra, si in Dei itinere constituti, et ad transacta non respicimus, et ad ea quæ restant transire festinamus. Nam quem imperfectorum desideria indignanter inflammant hunc quandoque ad perfectionem Dominus noster Jesus Christus roborat, qui pro peccatoribus carnem sine peccato assumens, de cœlis ad terras descendit, et pro humano genere, quod pro culpa primi parentis morti perpetuæ fuerat obnoxium, qui morti nihil debebat occubuit. Hinc est quod nos quotidie ad vitam post culpas revertimur, quoniam ad pœnam nostram Conditor sine culpa descendit. Ecce jam antiquus hostis ea quæ de humano genere spolia ceperat amisit, et quos jure tenebat mortales perdidit, quoniam eum in quo jus non habuit morte appetere immortalem præsumpsit. Quotidie peccatores ad vitam revertuntur, et post perpetratas culpas ad innocentiam per pœnitentiæ remedium convertuntur. Adest testis divinæ misericordiæ Maria Magdalene, de qua Pharisæus dum pietatis fontem vellet obstruere, dicebat: *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est* (*Luc.* VII, 39). Sed lavit lacrymis maculas cordis et corporis, et Redemptoris sui vestigia tersit quæ itinera sua prava dereliquit. Sedebat ad pedes Jesu verbumque de ore illius audiebat, viventi adhæserat, mortuum quærebat, viventem reperit quem mortuum quæsivit. Tantumque apud eum loeum gratiæ invenit, ut illum viventem ipsis quoque apostolis, ejus videlicet nuntiis, ipsa nuntiaret. Quid itaque, fratres, quid in hac re debemus aspicere, nisi immensam misericordiam Conditoris nostri? Qui nobis, velut in signo, exemplum pœnitentiæ posuit eos quos per pœnitentiam vivere post lapsum fecit. Perpendo etenim Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam, et nihil in his aliud video nisi ante oculos nostros posita spei et pœnitentiæ exempla. Fortasse enim in fide lapsus est aliquis; aspiciat Petrum qui amare flevit quod timide negaverat (*Matth.* XXVI). Alius contra proximum suum in malitia crudelitatis exarsit; aspiciat latronem, qui ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo pervenit (*Luc.* XXIII). Alius avaritiæ æstibus anhelans aliena diripuit; aspiciat Zachæum, qui si quid alicui abstulit quadruplum reddidit (*Luc.* XIX). Alius libidinis igne succensus, carnis munditiam perdidit: aspiciat Mariam quæ in se amorem carnis igne divini amoris excoxit (*Luc.* VII). Ecce omnipotens Deus ubique nostris oculis quos imitari debeamus objicit, ubique exempla suæ misericordiæ opponit. Mala ergo jam displiceant vel experta. Libenter obliviscitur Deus, quod nocentes fuimus; paratus est nostram pœnitentiam deputare nobis ad innocentiam. Inquinati igitur post aquas salutis, renascamur ex lacrymis. Itaque juxta primi pastoris vocem: *Sicut geniti infantes, lac concupiscite* (*I Petr.* II, 1), redite parvuli filii ad sinum nostræ matris æternæ sapientiæ, sugite larga ubera pietatis Dei; et si transacta plangitis, imminentia vitetis. Redemptor enim noster momentaneos fletus nostros æterno consolabitur gaudio.

CAP. LVIII. — *Simon Joannis, amas me* (*Joan.* XXI, 15)?

(Regul. pastor. part. I, cap. 5; homil. 26, in Evang. n. 5, 6.) Sunt nonnulli qui eximia virtutum dona percipiunt, et pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur, qui studio castitatis mundi, abstinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus referti, patientiæ longanimitate humiles, auctoritate fortitudinis erecti, pietatis gratia benigni, justitiæ severitate districti sunt. Qui nimirum culmen regimi-

nis si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cum sua et non aliorum lucra cogitant, ipsi se quæ parata appetunt habere bonis privant. Hinc namque Veritas ad discipulos dicit : *Non potest civitas abscondi super montem posita : neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* v, 15). Hinc Petro ait : *Simon Joannis, amas me?* Qui cum se eum amare protinus respondisset, audivit : *Si diligis me, pasce oves meas.* Si ergo dilectionis est testimonium cura passionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur non amare. Beato ergo Petro primo pastori Dominus noster bonus Pastor, ante passionem suam dans claves regni cœlestis, ait : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* xvi, 19). Post resurrectionem vero suam, eamdem ligandi et solvendi potestatem communiter discipulis cum beato Petro commisit, dicens : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx, 23). Horum profecto nunc in Ecclesia episcopi, et cæteri pastores locum tenent : solvendi et ligandi suscipiunt auctoritatem qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius est honoris. Durum quippe est ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ. Et plerumque contingit ut hic judicii locum teneat cui ad locum vita minime concordat ; ac sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat ; sæpe erga quoslibet odio vel gratia movetur, et in illis solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur ; unde fit ut ipsa ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro sua voluntate, et non pro subjectorum moribus exercet. Sub magno igitur moderamine pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare ; sed utrum juste an injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est ; ne is qui subest, et cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa temerariæ reprehensionis superbia culpa quæ non erat fiat.

CAP. LIX. — *Cum senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget* (*Joan.* xxi, 18).

(In exposit. B. Job, lib. xxxi, num. 69 ; homil. 3, in Evang., n. 3 ; in exposit. B. Job, lib. xxxi, n. 70 ; homil., 3, in Evang., n. 4 ; homil. 26, in Evang., n. 10, ordine sæpe inverso.) Fortis quisque prædicator cum certamen passionis sibi propinquare considerat, de exercitio virtutis exsultat ; nec terretur pugnæ periculo, quia victoriæ lætatur triumpho. Sed si prædicator fortis gloriam passionis appetit, si discrimen mortis subire pro Domino lætus quærit, quid est quod ipsi fortissimo prædicatori, qui ex robusto corde virtutem traxit in nomine, Petro Veritas dicit : *Cum senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis?* Quomodo de passione gaudet qui cinctus ab alio ire quo ducitur non volet? Sed si pensamus qualiter animus appropinquante passione et mortis metu quatitur, et tamen de venturo regni præmio lætatur, intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculum volens nolit ; quia et in morte considerat quod tolerans paveat, et in fructu mortis aspicit quod appetens quærat. Neque enim si plenissime Petrus nollet, pro Christo pati potuisset, sed martyrium, quod per infirmitatem carnis noluit, per virtutem spiritus amavit. Qui dum per carnem ad pœnas trepidat, per spiritum ad gloriam exsultat ; actumque est ut cruciatum martyrii nolendo voluisset, sicut nos quoque cum gaudium quærimus salutis, amarum poculum sumimus purgationis. Amaritudo quidem in poculo displicet, sed restituenda per amaritudinem salus placet. Videamus Paulum quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amat, ait enim : *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse : et mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* ii, 23). Et tamen dicit : *Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita* (*II Cor.* v, 4). Ecce et mori desiderat, et tamen exspoliari carne formidat. Cur hoc? Quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna turbat. Et quamvis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris. Sicut enim vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat, et festinat, et tremit, et sævit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur ; ita vir sanctus cum propinquare passioni se conspicit, et naturæ suæ infirmitate concutitur, et spei suæ soliditate roboratur ; et de vicina morte trepidat, et tamen quod moriendo verius vivat exsultat. Ad regnum quippe non potest, nisi interposita morte transire, et idcirco confitendo quasi ambigit, et quasi ambigendo confidit, et gaudens metuit, et metuens gaudet, quia scit quod ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc quod interjacet cum labore transcendat. Sic nos cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem, ut supra diximus, amarum purgationis poculum sumimus, certi vero de subsequenti salute gaudemus. Quia enim pervenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tædet. Cumque amaritudini inesse vitam animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit. Bene ergo Dominus beato Petro prædicatori suo fortissimo post resurrectionem suam de futura ejus passione prædixit : *Cum senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis ;* quoniam etsi ut homo ad vim persecutionis et mortis trepidavit, per spei tamen certitudinem ad præmium remunerationis exsultat, quoniam erat vis interior amoris quæ dolorem vinceret carnis. Nos igitur, fratres charissimi, Redemptorem nostrum pro nobis passum et mortuum vere resurrexisse scientes, et nos quoque in futuro resurrecturos, et ei de nostris actibus rationem reddituros certissime credentes, beatum Petrum imitantes, in quantum possumus, adversitates et hujus mundi persecutiones pro vitæ perennis gloria patienter et gaudenter sustineamus. Despiciamus cuncta præsentia, nulla etenim sunt in hoc mundo quæ transire possunt. Turpe sit diligere quod constat citius perire. Non nos terrenarum rerum amor superet, non superbia inflet, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non invidia consumat. Amore nostro, fratres charissimi, Redemptor noster occubuit, et nos amore ejus discamus vincere nosmetipsos. Quod si perfecte agimus, non solum imminentes pœnas evadimus, verum etiam cum beato Petro et cæteris martyribus communi gloria remuneramur. Nam quamvis occasio desit persecutionis, habet tamen pax nostra martyrium suum, quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spiritali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus. Vitam igitur vestram, fratres, moresque componite : is qui mitis resurrexit ex morte, quam districtus in judicio veniet prævidete. Certe in die tremendi examinis sui cum angelis, cum archangelis, cum Thronis et dominationibus, cum principatibus et potestatibus apparebit, cœlis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequii terrore commotis. Hunc ergo tanti pavoris judicem ante oculos ponite, hunc venturum timete, ut hunc cum venerit, non timidi sed securi videatis. Timendus est enim ne timeatur ; terror ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam nostram a pravitate compescat. Mihi, fratres, credite, quia tanto tunc erimus securi de ejus sententia, quanto nunc esse satagimus suspecti de culpa. Si autem tanta cura pertimescitur judicium cujuslibet potentis qui futu-

rus est post hominem vermis, post vermem abjectissimus pulvis, qua intentione cogitandum est, qua formidine providendum tantæ judicium majestatis? Hoc ergo, fratres charissimi, tota intentione pertimescite, hoc apud vos sollicita mente cogitate. Ecce solemnia dominicæ resurrectionis annue agimus, sed ita vivendum est nobis, ut ad æterna pervenire festa mereamur. Transeunt enim cuncta quæ temporaliter celebrantur festiva. Curate, qui his solemnitatibus interestis, ne ab æterna solemnitate separemini. Quid prodest interesse festis hominum, si contingat deesse festis angelorum? Umbra futuræ solemnitatis est so- A lemnitas præsens et temporalis. Idcirco hanc annue agimus, ut ad illam quæ non est annua, sed continua, perducamur. Cum hæc statuto tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricatur. Frequentatione ergo gaudii temporalis ad æterna gaudia mens incalescat et ferveat, ut ex veritate lætitiæ perfruatur in patria quod de umbra gaudii meditatur in via, præstante Domino et Redemptore nostro Jesu Christo : qui resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Pars secunda.

IN QUA EXPLANANTUR *ACTA APOSTOLORUM, EPISTOLÆ B. PAULI, EPISTOLÆ CATHOLICÆ, ET APOCALYPSIS.*

LIBER QUINTUS.

Expositio super Acta Apostolorum.

CAPUT PRIMUM. — *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est; quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei*, etc. (*Act.* I, 1).

Homil. 26, in Evang., maxime num. 7, et homil. 29, in princ. et n. 5, 6.) Resurrectio Domini nostri Jesu Christi, dubitantibus discipulis, per multa argumenta monstrata est, quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur? Quod enim resurrectionem dominicam tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra, ut ita dicam; futura firmitas fuit. Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem quam fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, mens nostra, omni dubitatione postposita, in fide solidatur. Discipulum quippe Dominus post resurrectionem suam dubitare permisit, C nec tamen in dubitatione deseruit, ut dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis, et dum dubitando vulnerum cicatrices tangeret, de nostro pectore dubietatis vulnus amputaret. Ad insinuandam quoque veritatem dominicæ resurrectionis notandum nobis est, quid Lucas subjungat dicens : *Et convescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent.* Et post pauca : *Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Notate verba, signate mysteria. Convescens elevatus est, comedit et ascendit, ut videlicet per affectum comestionis veritas patesceret carnis. In Veteri autem Testamento (*IV Reg.* 2) cognovimus quod Elias in cœlum aereum, quod terræ est proximum, sit raptus et sublevatus, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat : ille enim mortem distulit, non evasit. Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit, eam- D que resurgendo consumpsit, et resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit. Notandum quoque est quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Per angelos quippe illa facta et ostensa sunt adjumenta, quia neque ad cœlum quidem aereum per se ascendere poterat quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non angelis sublevatus legitur, quoniam is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua B virtute ferebatur. Illo etenim revertebatur ubi erat, et inde redibat ubi remanebat, quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam et terram pariter continebat et cœlum. Sicut autem Joseph a fratribus venditus (*Genes.* XXXVII), venditionem Redemptoris nostri figuravit, sic Enoch translatus, et ad cœlum æreum Elias sublevatus, ascensionem dominicam uterque designavit. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuntios et testes habuit, unum ante Legem, alium sub Lege, ut quandoque veniret ipse qui veraciter posset penetrare : unde et ordo ipse in eorum quoque in cœlos sublevatione per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch et per coitum genitus, et per coitum generans translatus, Elias vero per coitum genitus, sed non per coitum generans, ad cœlum subvectus esse memoratur, ut veniret postmodum qui neque per coitum generans, neque per coitum generatus, nec translatus, nec subvectus, cœlum æthereum sua virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus, quia carnis suæ quoque munditiam largiretur, et sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excresceret [a].

CAP. II. — *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis* (*Act.* III, 10).

(Homil. 29, in Evang., n. 9, 10, 11.) Quærendum nobis est quidnam sit quod nato Domino apparuerunt angeli, et tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse, ascendente autem Domino, missi angeli in albis leguntur vestibus apparuisse. In albis quippe vestibus gaudium et solemnitas mentis ostenditur. Quid est ergo quod nato Domino, non in albis vestibus, ascendente autem Domino in albis vestibus angeli apparent, nisi quod magna tunc solemnitas angelis facta est, cum cœlum Deus homo penetravit? Quia nascente Domino videbatur divinitas humiliata, ascendente vero Domino est humanitas exaltata. Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt quam humiliationi. In assumptione ergo ejus, angeli in albis vestibus videri debuerunt, quia qui in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Sed hoc nobis magnopere, fratres, in ascensione Domini pensandum est, quia deletum est chirographum damnationis nostræ, mutata est sententia corruptionis nostræ. Illa enim na-

[a] Mutilus est hic locus. Quæ desunt supple ex homilia assignata.

tura cui dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (*Genes.* III, 19), cum Domino ascendente in cœlum ivit ; pro hac ipsa namque carnis nostræ sublevatione, per figuram beatus Job Dominum avem vocat. Quia enim ascensionis ejus mysterium Judæam non intelligere conspexit, de infidelitate ejus sententiam protulit, dicens : *Semitam ignoravit avis* (*Job.* XXVIII, 7) ; avis enim recte appellatus est Dominus, quia corpus carneum ad æthera libravit. Cujus avis semitam ignoravit, quisquis eum ad cœlum ascendisse non credidit. Dominum ergo nostrum, fratres charissimi, ad cœlos ascendisse, et credimus, et quid intuentibus in cœlum euntem illum duo angeli assistentes juxta illos in vestibus albis dixerint, audivimus. *Viri*, inquiunt, *Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Unde oportet ut illuc sequamur corde, ubi eum ascendisse credimus corpore. Desideria terrena fugiamus, nihil nos jam delectet in infimis qui Patrem habemus in cœlis. Et hoc nobis est magnopere perpendendum, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit ; et quidquid nobis cum mansuetudine præcipit, hoc a nobis cum districtione exiget. Nemo igitur indulta pœnitentiæ tempora parvipendat, nemo curam sui cum valet agere negligat, quia Redemptor noster tanto tunc in judicio districtior veniet, quanto nobis ante judicium magnam prærogavit patientiam. Hæc itaque vobiscum, fratres, agite, hæc in mente sedula cogitatione versate, quod Dominum credimus ad cœlum ascendisse. Et si adhuc hic tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris.

CAP. III. — *Possedit agrum de mercede iniquitatis* (*Act.* I, 18).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 58.) De Juda traditore per beatum Petrum apostolum dicitur : *Hic possedit agrum de mercede iniquitatis.* Nequaquam enim pretio sanguinis agrum figuli possidere Judas potuit, qui, relatis triginta argenteis, traditionis crimen criminosiore in se protinus morte mulctavit. Sed possedit dictum est possidere fecit.

CAP. IV. — *Et cecidit sors super Matthiam, et adnumeratus est cum undecim apostolis* (*Act.* I, 26).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 27.) Omne peccatum undenarium est, quia dum perversa agit Decalogum transit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est quod in tabernaculo vela cilicina undecim fiunt. Hinc per undecimum psalmum dicitur : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus* (*Psalm.* XI, 1). Hinc Petrus in undenario numero remanere apostolos metuens, Matthiam duodecimum, sorte missa, requisivit. Nisi enim signari culpam per undenarium cerneret, implere numerum apostolorum tam festine duodenario non curaret.

CAP. V. — *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis* (*Act.* II, 2).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 65.) Spiritus sanctus a Patre procedens, et de eo quod est Filii accipiens, nostræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur. Qui tamen super apostolos veniens, per exteriorem sonum tanquam per vehementem spiritum demonstratur, cum dicitur : *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, et factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis.* Sanctus enim Spiritus cum se notitiæ humanæ infirmitatis insinuat, et sonitu vehementis spiritus, et voce lenis auræ exprimitur, sicut in libro beati Job legitur : *Et vocem quasi lenis auræ audivi* (*Job.* IV, 16). Quid enim per vocem auræ nisi cognitio sancti Spiritus designatur ? Sanctus itaque Spiritus veniens lenis est et vehemens : lenis, quia notitiam suam, quatenus cognosci utcunque valeat, nostris sensibus temperat ; vehemens, quia quantumlibet hanc temperet, adventu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando perturbat. Illustratione enim sua nos leniter tangit, sed inopiam nostram immaniter concutit.

CAP. VI. — *Et replevit totam domum, ubi erant sedentes* (*Act.* II, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXXV, num. 17.) In Scriptura sacra per septenarium numerum aliquando universitas præsentis hujus temporis quod septem diebus agitur, per octonarium vero numerum vita perpetua designatur, quam sua nobis Dominus resurrectione patefecit, cum Dominico scilicet die surrexit. Propter hunc ergo septenarium numerum temporalia, octonarium vero æterna signantem, super centum viginti fideles in cœnaculo residentes Spiritus sanctus effusus est. Per septem quippe et octo quindecim componuntur, et si ab uno usque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, usque ad centesimum et vicesimum numerum pervenimus. Quia scilicet effusione sancti Spiritus didicerunt ut et temporalia tolerando transirent, et æterna inhianter appeterent.

CAP. VII. — *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis : seditque supra singulos eorum* (*Act.* II, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 2.) Sciendum est quoniam aut per semetipsum Dominus loquitur, aut per creaturam angelicam ejus ad nos verba formantur ; sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vis internæ aspirationis aperitur. Cum per semetipsum loquitur, de verbo ejus sine verbis ac syllabis cor docetur, quia virtus ejus in intima quadam sublevatione cognoscitur, ad quem mens plena suspenditur, vacua gravatur ; pondus enim quoddam est, quod omnem animam quam replet levet. Lumen incorporeum est quod et interiora repleat, et repleta exterius circumscribat ; sine strepitu sermo est qui et auditum aperit et habere sonitum nescit. Quod enim de adventu sancti Spiritus scriptum est : *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes : et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum* ; per ignem quidem Dominus apparuit, sed per semetipsum locutionem interius fecit. Et neque ignis Deus, neque ille sonitus fuit, sed per hoc quod exterius exhibuit expressit hoc quod interius gessit. Quia enim discipulos et zelo succensos et verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas ostendit. In significatione igitur admota sunt elementa, ut ignem et sonitum sentirent corpora, igne vero invisibili et voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, sed intus qui scientiam dedit. Et cum reginæ Candacis eunuchus currui præsidens iter carperet, et Isaiam in manibus, non intelligens haberet, in corde nimirum Philippo Spiritus dixerat : *Adjunge te ad currum* (*Act.* VIII, 23). Et cum ad evocandum Petrum timentes Dominum milites Cornelius dimisisset, in mente procul dubio a Spiritu Petrus audivit : *Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, et descende, et vade cum eis* (*Act.* X, 19). Spiritum enim Dei quasi quædam nobis verba dicere est occulta vi ea quæ agenda sunt intimare, et cor hominis ignarum non adhibito strepitu et tarditate sermonis peritum repente de absconditis reddere.

CAP. VIII. — *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* II, 4).

(Homil. 30, in Evang., n. 4, 5, 6 ; homil. 26, in Evang. n. 3.) Audistis, fratres, quia Spiritus sanctus super discipulos in igneis linguis apparuit, omniumque linguarum scientiam dedit, quid scilicet hoc miraculo designans nisi quod sancta Ecclesia eodem Spiritu repleta, omnium gentium erat voce locutura. Qui vero contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem unius linguæ perdiderunt. In his autem qui Deum humiliter metuebant linguæ omnes unitæ sunt. Hic ergo humilitas meruit virtutem, il-

lic superbia confusionem. Sed quærendum nobis est cur Spiritus sanctus Patri et Filio coæternus, in igne apparuit, cur in igne simul et linguis, cur aliquando in columba, aliquando vero in igne monstratur, cur super unigenitum Filium apparuit in columbæ specie, et super discipulos in igne, ita ut neque super Dominum veniret in igne, neque super discipulos monstraretur in columba? Per quatuor itaque hæc quæ proposuimus solvendo redeamus. Patri namque et Filio coæternus Spiritus in igne monstratur, quia incorporeus et ineffabilis atque invisibilis ignis est Deus, quoniam attestante Paulo: *Deus noster ignis consumens est* (*Hebr.* XII, 29). Deus quippe ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc igne Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat* (*Luc.* XII, 49)? Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infimas in se cogitationes congerunt, a malignis spiritibus conculcantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu sancti Spiritus corda carnalium inflammat. Terra itaque accenditur, cum cor carnale, in suis pravis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis sæculi, et ardet per amorem Dei. Bene ergo in igne apparuit Spiritus, qui ab omni corde quod replet torporem frigoris excutit, et hoc in desiderio suæ æternitatis accendit. In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus coæternus est Filio, et habet cognationem maximam lingua cum Verbo. Verbum quippe Patris est Filius; et quia una est Spiritus et Verbi substantia, idem Spiritus monstrari debuit in lingua. Vel certe, quia per linguam procedit verbum, in linguis apparuit Spiritus, quia quisquis sancto Spiritu tangitur, Dei Verbum, id est unigenitum Dei Filium confitetur. Et negare Dei Verbum non valet, quia jam sancti Spiritus linguam habet. Vel certe in linguis igneis Spiritus apparuit, quia omnes quos repleverit ardentes pariter et loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant. Nam et otiosus est sermo doctoris, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso Veritatis ore conceperant qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)? Exaudito quippe sermone animus inardescit, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, a concupiscentiis terrenis aliena; amor verus qui hanc repleverit in fletibus cruciat. Sed cum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur; audire ei libet præcepta cœlestia, et quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur. Et quæ torpebat prius per desideria, postmodum ardet per verba. Unde bene per Moysen dicitur: *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII, 2). Sinistra quippe reprobi qui ad sinistram ponendi sunt, dextera vero Dei appellantur electi. In dextera igitur Dei lex est ignea, quia electi mandata cœlestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt; sermo ad aurem ducitur, et mens eorum, sibimet irata, ex internæ dulcedinis flamma concrematur. In columba vero Spiritus et in igne monstratus est, quia omnes quos repleverit simplices et ardentes facit; simplices puritate, ardentes æmulatione. Neque etenim placeret Deo aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate. Hinc ipsa Veritas dicit: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16). Qua in re notandum est quod discipulos suos, nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba, voluit Dominus admonere, quatenus et columbæ simplicitatem astutia serpentis accenderet, et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait: *Nolite pueri effici sensibus* (*II Cor.* XIV, 20). Ecce prudentiam serpentis audivimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur: *sed malitia parvuli estote* (*Ibid.*). Hinc de beato Job dicitur: *Erat vir simplex et rectus* (*Job.* I, 1). Quæ autem rectitudo sine simplicitate, aut quæ simplicitas sine rectitudine? Quia ergo et rectitudinem docet iste Spiritus et simplicitatem, et in igne monstrari debuit et in columba, quatenus omne cor quod ejus gratia tangitur, et mansuetudinis lenitate tranquillum et zelo justitiæ fiat accensum. Ad extremum vero quærendum est cur in ipso Redemptore nostro Mediatore Dei et hominum, per columbam apparuit, in discipulis vero per ignem? Certe unigenitus Filius judex est generis humani; sed quis ejus justitiam ferret, si, priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit. Noluit peccatores ferire, sed corrigere; prius voluit mansuete corrigere, ut haberet quos postmodum in judicio solveret. In columba ergo super eum apparere Spiritus debuit, qui non veniebat ut peccata jam per zelum perculeret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contra super discipulos in igne debuit Spiritus sanctus demonstrari, ut hi qui erant simpliciter homines, et ideo peccatores, eos contra semetipsos spiritualis fervor accenderet, et peccata quæ Deus per mansuetudinem parceret ipsi in se per pœnitentiam punirent. Nec ipsi quippe poterant esse sine peccato, qui cœlesti adhærebant magisterio, Joanne attestante, qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). In igne ergo venit in homines, in columba vero apparuit in Domino, quia peccata nostra, quæ pie Dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus caute conspicere, et ardore semper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbam Spiritus in Redemptore monstratus est, per ignem vero in hominibus, quia quanto nobis nostri judicis facta est severitas temperata, tanto erga se debet fieri nostra infirmitas accensa. Quatuor itaque propositionum expleta ratione pensemus, fratres charissimi, prædicatores nostros, quales Spiritus sanctus reperit, quales fecit. Certe qui in uno conclavi pro Judæorum metu residebant, nativitatis suæ singuli linguam noverant, et tamen nec ea ipsa lingua quam noverant aperte Christum loqui præsumebant. Venit Spiritus, et in ore eos per diversitatem linguarum docuit, in mente vero ex auctoritate roboravit. Cœperunt et in aliena Christum eloqui, qui de illo prius et in sua lingua loqui metuebant. Præterea consideremus post incarnationem unigeniti Filii qualis sit solemnitas de adventu Spiritus sancti. Sicut enim illa, ita quoque et hæc est honorabilis. In illa, quippe Deus in se permanens semetipsum creavit hominem. In ista vero homines venientem desuper susceperunt Deum; in illa Deus naturaliter factus est homo, in ista vero homines facti sunt per adoptionem dii. Si ergo remanere carnales in morte nolumus, hunc, fratres charissimi, vivificantem Spiritum amemus; sed quia caro spiritum nescit, dicat fortasse carnali cogitatione apud se aliquis: Quomodo diligere valeo quem ignoro? Sed cum videre Deum non possumus, habemus aliquid quod agamus, unde iter fiat quo ad eum nostræ intelligentiæ oculus veniat. Certe quem in se videre nullo modo valemus, habet in servis suis quo eum videre jam possumus; dum enim eos mira conspicimus agere, certum nobis est eorum mentibus Dominum habitare. Deum igitur ac proximum integra mente diligamus, nec Deus enim vere sine proximo, nec proximus vere diligitur sine Deo. Hinc est quod idem Spiritus sanctus secundo legitur discipulis datus, prius a Domino in terra degente, postmodum a Domino cœlo præsidente. In terra datus quippe, ut diligatur proximus, e cœlo vero ut diligatur Deus. Sed cur prius in terra, postmodum e cœlo, nisi quod patenter datur intelligi quia juxta Joannis vocem: *Qui fratrem non diligit quem videt, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere* (*I Joan.* IV, 20)? Diligamus ergo proximum, fratres; amemus eum qui juxta nos est, ut pervenire valeamus ad amorem illius qui super nos est.

CAP. IX. — *Musto pleni sunt isti* (*Act.* II, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 20.) Cum discipuli Domini loquerentur variis linguis, quidam de Judæis irridentes dicebant : *Quia musto pleni sunt isti.* In musto sancti Spiritus fervor accipitur, de quo in Evangelio Dominus dicit : *Vinum novum mittunt in utres novos.* Ex quo dum repente replerentur apostoli, dum linguis omnibus loquerentur, a Judæis nescientibus, sed tamen vere attestantibus, dictum est : *Hi musto pleni sunt* (*Matth.* IX, 17).

CAP. X. — *Petrus Judæos increpat* (*Act.* II, 14).

(Regul. pastor. part. III, c. 34.) Qui bona necdum inchoant, non sunt eis prius ædificanda quæ salubriter diligunt, sed destruenda ea in quibus semetipsos nequiter versant. Hinc est quod Petrus prius evertit, ut postmodum construat, cum nequaquam Judæos monebat quid jam facerent, sed de his quæ fecerant increpabat, dicens : *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis quæ fecit per illum Deus in medio vestri sicut vos scitis : hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis, quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni* (*Ibid.* 22, etc.); ut videlicet crudelitatis suæ cogitatione destructi, ædificationem sanctæ prædicationis quanto anxie quærerent, tanto utiliter audirent. Unde et illico responderunt : *Quid ergo faciemus, viri fratres?* Quibus mox dicitur : *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Ibid.*, 37, 38). Quæ ædificationis verba profecto contemnerent, nisi prius salubriter ruinam suæ destructionis invenissent. Hinc est quod Saulus cum super eum cœlitus lux emissa resplenduit, non jam quid recte deberet facere, sed quid prave fecisset audivit. Nam cum prostratus requireret, dicens : *Quis es, Domine?* protinus respondetur : *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Et cum repente subjungeret : *Domine, quid me jubes facere?* Illico adjungitur : *Surge, et ingredere civitatem, et ibi tibi dicetur quid te oporteat facere* (*Act.* IX). Ecce de cœlo Dominus loquens persecutoris sui facta corripuit, nec tamen illico quæ essent facienda monstravit. Ecce elationis ejus fabrica jam tota corruerat et post ruinam suam humilis ædificari quærebat. Et cum superbia destruitur, ædificationis tamen verba retinentur, ut videlicet persecutor immanis diu destructus jaceret, et tanto post in bonis solidior surgeret, quanto prius funditus eversus a pristino errore cecidisset. Qui ergo nulla adhuc agere bona cœperunt, a rigiditate suæ pravitatis antea manu correctionis evertendi sunt, ut ad statum operationis rectæ postmodum erigantur.

CAP. XI. — *Pœnitentiam agite* (*Act.* II, 38).

Regul. pastor. part. III, c. 30; homil. 9, in Ezech., n. 6.) Peccatores qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, non jam sibi relaxatas æstimare debent culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit, cum profecto necesse sit ut verba præmissæ superbiæ verbis subjunctæ humilitatis impugnet. Ita et cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus e contrario lamentis appositis insequamur. Hinc Paulus ait : *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis* (*I Cor.* VI, 11). Nimirum enim illos emendatior vita sanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflictio fletuum mundat. Hinc Petrus cum quosdam territos malorum suorum consideratione susciperet, admonuit, dicens : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Dicturus enim baptisma, præmisit pœnitentiæ lamenta, ut prius aqua se suæ afflictionis infunderent, et postmodum sacramento baptismatis lavarent. Qua igitur mente qui transactas culpas flere negligunt securi vivunt de venia, quando ipse summus pastor Ecclesiæ huic etiam sacramento pœnitentiam addendam credit quod peccata principaliter exstinguit? Non autem Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbis medicamentis contrariis medetur, ut qui voluptatibus delectati ab eo discessimus, fletibus amaricati redeamus; et qui per illicita defluendo cecidimus, etiam a licitis nosmetipsos restringendo surgamus. Duobus autem modis homines a Deo recedunt, et duobus modis a Deo apostatæ fiunt. Nam unusquisque a Conditore suo, aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui a fide recedit apostata est, ita qui ad perversum opus, quod deseruerat, redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubitatione deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur. Fides enim nihil valet sine operibus (*Jac.* II, 20).

CAP. XII. — *Petrus claudum curavit* (*Act.* III).

(Homil. 5, in Ezech., n. 15.) Sancti viri coram infidelibus ut eos ad fidem trahant miracula faciunt, sed sibimetipsis quæ fecerint non ascribentes, hæc omnipotentis Dei virtuti tribuunt, et auctori suo gloriam et laudem reddunt, per quem se posse talia sciunt; sicut Petrus cum sanato homine qui claudus ex utero matris fuerat signum fecit. Quod cum omnes qui cognoscerent valde mirarentur, dixit : *Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum.* Et paulo post : *In fide nominis ejus hunc quem vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus* (*Act.* III, 12). Signum quippe faciens, intuentium oculos miraculi lumine perstrinxit, sed humilitatem custodiens, laudem auctori reddidit. De omni vero bono quod faciunt idcirco viri sancti semper laudem Creatori reddunt, ut vera stabilitate persistant in ea virtute quam accipiunt.

CAP. XIII. — *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 48, 49, 50; lib. VII, num. 53, 54.) De sancto Spiritu qui super discipulos venit acceperunt ipsi ornamenta virtutis, quos immensa possederat ante fœditas timoris. Scimus enim quod ille apostolorum primus ante acceptam hujus Spiritus gratiam, quoties dum mori timuit, vitam negavit; qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili potestate cujusquam, sed unius mancipii sola est interrogatione prostratus. Et quidem mancipium, ne sexus firmior terribile demonstraret, ancilla est inquirente tentatus. Rursusque ut talis sexus infirmitas etiam officii sui dejectione vilesceret, non ab ancilla tantummodo, sed ab ostiaria ancilla est requisitus. Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita, ut aperte proderetur quanta eum timoris infirmitas possideret, qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Sed jam hic paulo ante timidus, qualis post adventum Spiritus exstiterit videamus. Certe Luca teste, didicimus contra sacerdotes et principes quanta Dominum auctoritate prædicavit. Nam cum facto miraculo quæstio fuisset exorta, et sacerdotum principes, seniores, ac scribæ in apostolorum persecutionem concurrerent, eos in medio statuentes, in qua virtute miraculum fecerint percunctari curaverunt. Quibus repletus Spiritu sancto dixit : *Principes populi, et seniores, si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Jesu Christi Nazareni quem crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis salvus* (*Act.* IV, 8). Cumque erga hæc persequentium furor excresceret, eosque sacerdotes ac principes Jesum prædicare prohiberent, contra iram principum qua auctoritate Petrus excreverit indicatur cum illic protinus subditur : *Petrus vero et apostoli dixerunt : Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Sed cum auctoritatem prædicantium resistentium præcepta non premerent, ad flagella pervenitur, nam

subditur : *Tunc principes sacerdotum cæsis denuntiaverunt ne loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos* (*Act.* v, 40). Sed quia virtutem apostolorum premere nec flagella valuerunt patenter ostenditur cum subinfertur : *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii : quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* XLI). Mox etiam post flagellorum gaudia quid agerent indicatur : *Omni autem die in templo, et circa domos non cessabant docentes, et evangelizantes Jesum Christum.* Ecce ille paulo ante timidus, jam in linguis loquitur, coruscat miraculis, infidelitatem sacerdotum et principum libera voce increpat, ad prædicandum Jesum exemplum auctoritatis cæteris præstat. Ne in nomine ejus loqui debeat verberibus prohibetur, nec tamen compescitur. Contemnit flagella cædentium qui paulo ante requirentium verba timuerat, et qui vires ancillæ requisitus expavit vires principum cæsus premit. Sancti enim jam Spiritus virtute solidatus, hujus mundi altitudines libertatis calce deprimebat, ut in imo esse cerneret quidquid contra Creatoris gratiam altum tumeret. Hæc sunt ornamenta cœlorum, hæc sunt dona Spiritus, quæ diversis manifestari virtutibus solent, quas occultæ dispensationis munere divisas Paulus enumerat, dicens : *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (*I Cor.* XII, 8, 9). Quæ mox generali definitione concludens, ait : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid.*). Prædicatores ergo sancti nisi promissa Paracleti dona perciperent, nullo fortitudinis decore claruissent, sed quia sancti sunt apostoli virtutum gratia decorati, vitæ prædicatio contra infidelium corda convaluit. Unde nullis contra veritatem potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt per sancti Spiritus auctoritatem premunt. Hinc est quod Petrus, cum eum sacerdotes et principes etiam per flagella sævientes in nomine Jesu loqui prohiberent, cum magna protinus auctoritate respondit, dicens : *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus et audivimus non loqui* (*Act.* IV, 19). Hinc est quod Paulus cum resistentem contra veritatem sacerdotum principem cerneret, eumque minister illius alapa percussisset, non maledictum perturbatus intulit, sed repletus Spirito sancto libera voce prophetavit, dicens : *Percutiet te Deus, paries dealbate, et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti* (*Act.* XXIII, 2)? Hinc est quod Stephanus contra vim persequentium auctoritatem vocis exercere nec moriturus expavit, dicens : *Dura cervice, et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis : sicut patres vestri, ita et vos* (*Act.* VII, 51). Sed quia sancti viri ad verba tantæ altitudinis zelo veritatis, non autem vitio elationis exiliunt, ipsi patenter indicant qui, factis dictisque aliis, et quanta humilitate polleant, et erga eos quos redarguunt quanta charitate ferveant manifestant : superbia quippe odium generat, humilitas amorem. Verba itaque quæ amor exasperat profecto ex fonte humilitatis emanant. Quomodo ergo Stephanus increpationem proferre potuit per elationem, qui pro eisdem quos increpaverat ad deteriora crescentibus seque lapidantibus flexis genibus oravit, dicens : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quomodo Paulus contra gentis suæ sacerdotem et principem asperitatis verba superbiens intulit, qui humilitate se etiam discipulorum servitio substernit, dicens : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Christum* (*II Cor.* IV, 5). Quomodo Petrus per elevationem principibus restitit, quorum errori compatiens, reatum velut excusat, dicens : *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Deus autem qui prænuntiavit per os omnium prophetarum* A *pati Christum suum, implevit sic* (*Act.* III, 17)? quos ad vitam misericorditer trahit, dicens : *Pœnitemini igitur, et convertimini ut deleantur peccata vestra* (*Vers.* 19). Petrus ergo flagellatus a principibus populi, cum idcirco se relaxari conspiceret ut a prædicatione cessaret cum prohiberetur loqui in posterum, nequaquam saltem in præsens cessit, nam respondit protinus, dicens : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Et rursus : *Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.* Postquam autem libertate vocis auctoritatem principum pressit, postea per humilitatem cordis de non circumcidendis gentibus Pauli consilium audivit. Sic enim semetipsum contra adversarios ex auctoritate curabat erigere, ut tamen sibimetipsi non crederet in his quæ non recte sentiret; ut ex libertate formidinis tumentes potestates excederet, ex humilitate mansuetudinis obedientiam in recto consilio etiam minoribus fratribus exhiberet, et modo per semetipsum aliis, modo et sibimetipsi cum aliis obviaret. In factis igitur Petri quoddam ante nostros oculos auctoritatis et humilitatis exemplum ponitur, ut nihil adversitatis metuentes, resistentes Deo potestates sæculi etiam cum corporis laceratione condemnemus; et in his etiam quæ inter fideles positi senserimus nequaquam nos cæteris præponamus, nec nostra consilia magis eligentes nobis potius quam aliis credamus. B

CAP. XIV. — *Vos semper Spiritui sancto restitistis* (*Act.* VII, 51).

(Homil. 18, in Ezech., n. 14; homil. 29, in Evang., n. 7.) Beatus martyr Stephanus pro Creatoris sui nomine tentus, et in medio persecutorum deductus, imperterritus stetit, fiducialiter docuit, et ex zelo veritatis persecutores suos fortiter increpavit, dicens : *Vos semper Spiritui sancto restitistis.* Cumque illi ad lapides currerent, et eum lapidibus necarent, flexo genu pro eisdem persecutoribus oravit, dicens : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 59). Quæ itaque ista virtus est sic zelo fervere, ut eis a quibus terrebatur perfidiæ suæ improperia fiducialiter diceret, et sic diligere, ut in morte quoque pro eis a quibus moriebatur oraret? Sic quippe ex zelo inferbuit, ac si mansuetudinis nihil haberet, et sic mansuetus in eorum dilectione perstitit, ac si contra eos fervoris nihil habuisset. Pensemus inter hæc ubi nostræ conscientiæ reatus jacet. Quis enim nostrum si saltem verbi contumeliam a proximo acceperit non statim contumeliam reddit, non funditus commovetur, non ad odium erumpit, non præceptum dilectionis obliviscitur? Sed hoc beatus Stephanus ex omnipotentis Dei gratia potuit. *Qui cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris, et ait : Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei* (*Act.* VII, 55). Considerandum nobis est quid est quod Marcus ait : *Sedit a dextris Dei* (*Marc.* XVI, 19). Et Stephanus dicit : *Video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei?* Quid est quod hunc Marcus sedentem, Stephanus vero stantem se videre testatur? Sed scitis, fratres, quia sedere judicantis est, stare vero pugnantis, vel adjuvantis. Quia igitur Redemptor noster assumptus in cœlum, et nunc omnia judicat, et ad extremum judex omnium veniet, hunc post assumptionem Marcus sedere describit, qui post ascensionis suæ gloriam judex in fine mundi videbitur. Stephanus vero in laboris certamine positus stantem vidit quem adjutorem habuit, quoniam ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cœlo illius gratia pugnavit. C D

CAP. XV.—*Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus, et lapidabant Stephanum* (*Act.* VII, 57).

(Homil. 19, in Evang., n. 6; in exposit. B. Job lib. XXIX, n. 38, 39.) Nemo se, fratres, de opere, nemo de tempore extollat, nemo se alicui de operibus suis præferat, quia de his quos intuetur adhuc per culpam frigidos, quantos operatores justitiæ e

defensores rectæ fidei Dominus sit facturus, ignorat. Multos quidem frigidos intra sanctam Ecclesiam, fratres charissimi, cernimus, sed eos nec imitari nec despicere debemus. Quid enim sit hodie aspicimus, sed quid cras futurus sit unusquisque nescimus. Plerumque et qui post nos venire cernitur, per agilitatem operis boni nos antecedit, et vix eum cras sequimur quem hodie præire videbamur. Certe cum Stephanus pro fide moreretur, Saulus vestimenta lapidantium servabat. Omnium ergo lapidantium manibus ipse lapidavit qui ad lapidandum omnes exertos reddidit, et tamen eumdem ipsum in sancta Ecclesia laboribus antecessit quem persequendo martyrem fecit. O qualem hunc militem ad diem belli pugnæque præparatum velut thesaurum absconditum omnipotens Deus habuit, quem in vita frigida in pravorum vitam repositum, jam tunc electum suum latenter diu intra suæ præscientiæ sinum texit! O ad quanta adversariorum pectora ferienda hunc propugnatorem suum cum voluit ad medium produxit, per cujus verba ac redargutiones tot sibi resistentia corda prostravit! Nemo itaque de suis operibus extollatur, nemo desperet eos quos adhuc frigidos videt, quia qui sunt futuri servi Dei inter pravos videre et discernere non valet. Quis enim crederet quod per apostolatus gratiam lapidatum Stephanum ille præcederet qui in morte ejus omnium lapidantium vestimenta servavit? Si ergo ad ista dona vel occulta judicis recurrimus, nullos desperantes omnino nec illis nos in corde nostro præferimus quibus pro tempore prælati sumus, quia et si jam videmus quantum præcessimus, nescimus quantum cum currere cœperint præcedamur. Duo itaque sunt quæ sollicite pensare debemus. Primum est ut de se quisque minime præsumat, quia etsi jam ad fidem vocatus est, utrum in perenni regno sit dignus nescit; secundum vero est ut unusquisque proximum, quem fortasse jacere in vitiis conspicit, desperare non audeat, quia divinæ misericordiæ divitias ignorat.

Cap. XVI. — *Date mihi hanc potestatem*, etc. (*Act.* VIII, 19).

(Homil. 4, in Evang., n. 4.) Concessa potestate prædicationis, concessis miraculis virtutum, Redemptor noster discipulis suis ait: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8). Præsciebat namque nonnullos hoc ipsum donum accepti spiritus in usum negotiationis inflectere, et miraculorum signa ad obsequium avaritiæ declinare. Hinc est quod cum vidisset Simon Magus quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: *Date et mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum.* Per impositionem quippe manus edita miracula concupiscens, percipere donum Spiritus voluit, scilicet ut deterius venderet quod male comparasset. Cum justum virum describeret propheta, ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isa.* XXXIII, 15). Non dicit, *qui excutit manus suas a munere*, sed adjunxit *ab omni*, quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa, munus a manu pecunia est, munus a lingua, favor. Ille igitur ab omni munere manus excutit qui in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit, qui sacros ordines pro humana gratia non largitur, neque de eadem largitate laudis ullam retributionem quærit, qui de nullo impenso sanctitatis officio minimum favoris exquirit, qui impositionem manus, qua Spiritus sanctus accipitur, ad vitæ meritum non ad præmium tribuit.

Cap. XVII. — *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII, 20).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 2.) Cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis sed ex justitia examinis erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, et mala foris exsurgentia, quia maledicto debeant ferire, cognoscunt, et eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecuniam Simonem sententiam maledictionis intorsit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Qui enim non ait est, sed sit, non indicativo sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Elias duobus quinquagenariis ad se venientibus, dixit: *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, et consumat te et quinquaginta tuos* (*IV Reg.* XI, 10). Quorum utrumque sententia quanta severitatis ratione convaluit terminus causæ monstravit. Nam et Simon æterna perditione interiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur qua tacente maledictionis sententia prodiit. Cum enim et maledicentis innocentia permanet, et tamen eum qui maledicitur usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque partis fine colligitur quia ab uno et intimo judice in reum sententia sumpta jaculatur.

Cap. XVIII. — *Saulus adhuc spirans*, etc. (*Act.* IX, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, n. 29, 30.) Beato Job a Domino dicitur: *Nunquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo* (*Job* XXXIX, 9)? Rhinoceros iste, qui etiam *Monoceros* in Græcis exemplaribus nominatur, indomitæ omnino naturæ est; ita ut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit, impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Tantæ quoque fortitudinis esse dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur: sed sicut hi asserunt qui describendis naturis animalium investigatione laboriosa sudaverunt, virgo ei puella proponitur quæ venienti sinum aperit, in quo ille, omni ferocitate postposita, caput deponit, et sic ab eis a quibus capi quæritur repente velut inermis invenitur. Buxei quoque coloris esse describitur, qui etiam cum elephantis quando certamen aggreditur, eo cornu quod in nare singulariter gestat ventrem adversantium ferire perhibetur, ut cum ea quæ molliora sunt vulnerat, impugnantes se facile sternat. Ejus vero nomen Latina lingua interpretatum sonat, in nare cornu. Et quid aliud in nare nisi fatuitas? Quid in cornu nisi elatio designatur? Et quamvis per hunc rhinocerotem vel certe monocerotem, scilicet unicornem, communiter ille Judæorum populus possit intelligi, de quibus passionem suam Dominus Propheta canente prænuntians, ait: *Libera me de ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam* (*Psal.* XXI, 22); (Tot quippe in illa gente unicornes, vel certe rhinocerotes exstiterunt, quot contra prædicamenta veritatis de Legis operibus singulari et fatua elatione confisi sunt.) ille tamen specialiter ex hoc populo, et prius in superbia, et postmodum præcipuus testis in humilitate nobis ad medium Paulus ducatur, qui dum contra Deum se quasi de custodia Legis nesciens extulit, cornu in nare gestavit. Unde et hoc ipse naris cornu per humilitatem postmodum inclinans, ait: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (*I Tim.* I, 13). In nare cornu gestabat qui placiturum se Deo de crudelitate confidebat, sicut ipse postmodum semetipsum redarguens dicit: *Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo; abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum* (*Galat.* I, 14). Hujus autem rhinocerotis fortitudinem omnis venator extimuit, quia Sauli sævitiam unusquisque prædicator expavit. Scriptum namque est: *Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas: ut si quos inveniret hujus vitæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem* (*Act.* IX, 1, 2). Cum flatus nare reddendus trahitur, inspiratio vocatur. Et illud sæpe per odorem nare deprehendimus quod oculis non vi

denus. Rhinoceros ergo iste nare gestabat cornu quo perculeret, quia minarum et cædis in Domini discipulos spirans, postquam præsentes interfecerat, absentes quærebat. Sed ecce omnis ante illum venator absconditur, omnis homo, id est rationale sapiens, opinione timoris ejus effugatur. Beato igitur Job sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur: *Num volet rhinoceros servire tibi* (*Job*. XXXIX, 9). Ac si aperte de beato Paulo dicatur : Nunquid Saulum, quem superbire in nece fidelium stulta sua elatione consideras, sub jura tuæ prædicationis inclinas? Subaudis, ut ego qui et contra me illum singulari cornu extolli conspicio, et tamen mihi cum voluero protinus subdo. Ut ergo hunc rhinocerotem capiat, sinum suum virgo, id est secretum suum, ipsa per se inviolata in carne Dei Sapientia expandat. Scriptum namque est : *Quod cum Damascum pergeret, subito circumfulsit illum die media lux de cœlo, et vox facta est dicens : Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Qui prostratus in terra respondit : *Quis es, Domine?* Cui ille : *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Et tremens ac stupens dixit : Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum : Surge et ingredere civitatem : et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere* (*Act*. IX, 6, 7). Virgo nimirum rhinoceroti sinum suum aperuit, cum Saulo incorrupta Dei Sapientia incarnationis suæ mysterium de cœlo loquendo patefecit. Et fortitudinem suam rhinoceros perdidit, quia prostratus humi, omne quod superbum tumebat amisit. Intueri libet ubi est sævus ille persecutor, ubi lupus rapax. Ecce in ovem jam versus est qui percunctatur pastoris semitam quam sequatur. Et notandum quod cum diceret : *Quis es, Domine?* non ei a Domino respondetur : Ego principium, ego Verbum ante sæcula, ego sum unigenitus Patris. Quia enim Saulus incarnatum Deum credere contempsit, et ejus humanitatis infirma despexit, de cœlo hoc quod contempserat audivit : *Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris.* Ac si diceret : Hoc a me audi de superioribus quod in me despicis de inferioribus. Auctorem cœli venisse in terram despicis, ex terra ergo hominem cognosce de cœlo, ut tanto in me amplius sacramenta infirmitatis metuas, quanto et hæc perducta in cœlestia ad excellentiam potestatis probas. Prosternens igitur te, nequaquam tibi hoc astruo quod ante sæcula Deus sum, sed illud a me audis quod de me credere dedignaris. Postquam enim dixit, *Jesus*, adhuc in expressione terrenæ inhabitationis subdidit, *Nazarenus*, velut apertius diceret : Humilitatis meæ infirma suscipe, et tuæ superbiæ duritiam amitte.

CAP. XIX.—*Surge et ingredere civitatem* (*Act*. IX, 4).

(Regul. pastor. part. III, c. 34; homil. 9, in Ezech., num. 4, 5.) Notandum autem quod in hac Pauli prostratione, quoniam qui nulla adhuc agere bona cœperunt, a rigiditate prius suæ pravitatis manu correctionis evertendi sunt, ut ad statum operationis rectæ postmodum erigantur; quia et idcirco altum silvæ lignum succidimus, ut hoc in ædificii tegmine sublevemus, sed tamen in fabrica non repente ponitur, ut nimirum prius vitiosa viriditas ejus exsiccetur; cujus quo plus in infimis humor excoquitur, eo solidius ad summa levatur. Hinc est quod Saulus cum super eum cœlitus lux missa resplenduit, non jam quod recte deberet facere, sed quid prave fecisset audivit. Nam cum prostratus requireret, dicens : *Quis es, Domine* (*Act*. IX, 6)? Protinus respondetur : *Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris.* Et cum repente subjungeret : *Domine, quid me jubes facere?* illico adjungitur : *Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere* (*Ibid*. 7). Ecce de cœlo Dominus loquens, persecutoris sui facta corripuit, nec tamen illico quæ essent facienda monstravit. Ecce elationis ejus fabrica jam tota corruerat, et post ruinam suam humilis ædificari quærebat. Et cum superbia destruitur ædificationis tamen verba retinentur, ut videlicet persecutor immanis diu destructus jaceret, et tanto post in bonis solidius surgeret, quanto prius funditus eversus ab errore pristino cecidisset. Paulus igitur dum Damascum pergeret superbe, Redemptoris voce jacuit prostratus, et qui prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret quod viderat audivit, sed ei jacenti dicitur : *Surge, et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere* (*Act*. IX, 7). Jacens igitur hoc solum audire potuit, ut surgens diceret quod audierat. Surgens vero hoc dicitur, ut quæ ignoraverat prædicaret. Jacenti dicitur ut surgat, stanti præcipitur ut ad prædicationem profiscisci debeat. Sic quoque nobis in infirmitatis confusione jacentibus præberi non debet auctoritas prædicationis, sed cum jam in bono opere surgimus, cum jam recti stare cœpimus, dignum est ut ad lucrandos alios in prædicatione mitti debeamus. Quærendum præterea nobis est, cum Paulus et Ezechiel in faciem cadunt, et de persecutoribus Domini scriptum est : *Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram* (*Joan*. XVIII, 6). Quid est hoc quod electi in faciem, et reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis qui post se cadit, ibi procul dubio cadit ubi non videt, qui vero ante se ceciderit, ibi cecidit ubi videt? Iniqui ergo, quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quoniam ibi corruunt ubi quid eos tunc sequatur modo videre non possunt. Justi vero, quia in istis visibilibus se sponte dejiciunt ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur.

CAP. XX. — *Erat autem discipulus Damasci nomine Ananias, et dixit ad illum in visu Dominus, Anania. At ille ait : Ecce ego, Domine. Et Dominus ad illum : Surge et vade in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine Tharsensem. Ecce enim orat* (*Act*. IX, 10 *seq.*).

(In exposit. B. Job, lib. I, n. 34.) Consideremus, fratres, Saulum, quis fuerit, cum ab ipsa adolescentia lapidantium adjutor existeret, cum alia Ecclesiæ loca vastaret, et acceptis epistolis vastanda alia peteret, cum mors ei fidelium nulla sufficeret, sed semper ad aliorum interitum aliis exstinctis anhelaret; et profecto cognoscimus quia nullus tunc fidelium crederet quod ad jugum Deus suæ formidinis, vim tantæ elationis inclinaret. Unde et Ananias voce dominica hunc, et postquam conversum audivit, extimuit, dicens : *Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Jerusalem.*

CAP. XXI. — *Vade, quoniam vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati* (*Act*. IX, 15).

(In exposit. B. Job, lib. IX, n. 54.) Cum beatus Job ad Dominum dicat : *Verebar omnia opera*[a] *mea, sciens quod non parceres delinquenti* (*Job*, IX, 28). Si enim delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur, cum a delicto mundus nemo reperiatur? An pœnitenti Deus parcit, et delinquenti non parcit? Quia cum delicta plangimus, nequaquam jam delinquentes sumus. Sed quid est quod Petrus cum negat respicitur, et Redemptoris negati respectu ad lacrymas vocatur? Quid quod Paulus cum Redemptoris nomen in terra conaretur exstinguere, ejus verba de cœlo meruit audire? sed tamen in utroque culpa punita est, quoniam de Petro, teste Evangelio, scriptum est : *Recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat : et egressus foras, flevit amare* (*Luc*. XXII, 61). De Paulo quoque hæc eadem quæ hunc vocavit Veritas dicit : *Ego ostendam ei quanta eum oporteat pro nomine meo pati* (*Act*. IX, 16). Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequa-

[a] Forte legendum ut loco Moralium assignato : *Valde scrupulosum cordi se objicit quod subjungit. Sciens quod*, etc.

quam igitur peccato parcitur quia nullatenus sine vindicta laxatur.

Cap. XXII. — *Abiit autem Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit : et surgens baptizatus est* (*Act.* IX, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, n. 51, 52.) Quisquis dum corripitur peccatum suum magis excusare defendendo appetit quam deflere, quasi squamis tegitur, dum a sanctis prædicatoribus gladio verbi jaculatur: squamas habet, et idcirco ad ejus præcordia transeundi viam verbi sagitta non habet. Duritia enim carnali repellitur ne spiritualis ei gladius infigatur. Carnali sapientia contra Deum Saulus obduraverat, quando cor ejus nulla prædicationis evangelicæ sagitta penetrabat. Sed postquam forti cœlitus increpatione jaculatus, et superno respectu cæcatus est (lumen quippe ut acciperet amisit), ad Ananiam veniens illuminatur. In qua illuminatione, quia defensionum suarum duritia caruit, bene de eo scriptum est : *Ceciderunt quasi squamæ ab oculis ejus* (*Ibid.*). Carnalis videlicet tegumenti illum duritia presserat, et idcirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbæ repugnationes ejus victæ sunt, defensionum squamæ ceciderunt. Quæ quidem sub Ananiæ manibus ab oculis ceciderunt corporis, sed ante jam sub dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis. Cum enim altæ invectionis jaculo confossus jaceret, humili jam et penetrato corde requirebat, dicens : *Domine, quid me vis facere* (*Ibid.*)? Repulsis videlicet squamis, jam ad cordis viscera veritatis sagitta pervenerat, quando deposita elatione superbiæ, eum quem impugnaverat Dominum confitens, et quid ageret nesciens, requirebat.

Cap. XXIII. — *Paulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci : affirmans et docens quoniam hic est Christus* (*Act.* IX, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, n. 30, 31, 34, 35.) Paulus igitur, dum sublato oculorum lumine, manu ad Ananiam ducitur, patet jam rhinoceros iste quibus loris Dei astringitur, quia videlicet uno in tempore, cæcitate, baptismate, prædicatione ligatur. Qui etiam ad Dei præsepe moratus est, quia ruminare verba Evangelii dedignatus non est, ait enim: *Ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum illis Evangelium* (*Galat.* II, 1, 2). Et qui prius jejunus audierat: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (*Act.* IX, 5), mira postmodum virtute præsidentis pressus verbi pabulo vires obtinuit, et superbiæ calcem amisit, lorisque Dei non tantum a feritate restringitur, sed, quod magis sit mirabile, ad arandum ligatur, ut non solum homines crudelitatis cornu non impetat, sed etiam eorum refectioni serviens aratrum prædicationis trahat. Ipse quippe de evangelizantibus, de arantibus dicit: *Debet enim in spe, qui arat, arare; qui triturat, in spe fructus percipiendi* (*I Cor.* IX, 10). Qui igitur tremenda prius fidelibus irrogaverat, et pro fide postmodum flagella libenter portat; qui scriptis etiam Epistolis humilis et despectus prædicat quod dudum terribilis impugnabat; profecto bene ligatus sub aratro desudat ad segetem qui fuerat in campo male liber a timore. Repente quippe commutatus ab hoste prædicator efficitur, et in cunctis mundi partibus Redemptoris sui nomen insinuat. Supplicia pro veritate tolerat, pati se quæ irrogaverat exultat, alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus revocat: istis regnum pollicetur cœlestis patriæ, illis minatur ignes gehennæ. Hos per auctoritatem corrigit, illos ad viam rectitudinis per humilitatem trahit; atque in omni latere de manu se sui Rectoris inclinat, et tanta arte Dei aream congregat, quanta ad illam prius elatione ventilabat. Sed neque hoc abhorret a Paulo quod rhinoceros buxei coloris dicitur, et elephantorum ventres cornu ferire perhibetur. Quid enim per colorem buxeum nisi abstinentiæ pallor exprimitur? cui ipse se tenaciter adhærere testatur, dicens: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio* (*I Cor.* IX, 27). Qui divinæ legis eruditione præditus, dum aliorum ingluviem redarguit, cornu elephantes inventrem ferit. In ventrem quippe elephantes percusserat, cum dicebat: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis; nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum venter Deus est, et gloria in confusione ipsorum* (*Philip.* III, 18). Et rursum: *Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri* (*Rom.* XVI, 18). Cornu suo igitur rhinoceros iste non jam homines, sed bestias percutit, quando Paulus illa doctrinæ suæ fortitudine nequaquam perimendos humiles impetit, sed superbos ventris cultores occidit.

Cap. XXIV. — *Dimissus est per murum* (*Act.* IX, 25).

(Dial. lib. II, cap. 3.) Cum implerentur autem dies multi, consilium fecerunt Judæi ut eum interficerent. Notæ autem factæ sunt insidiæ eorum Paulo. Custodiebant autem portas die ac nocte, ut eum interficerent. Accipientes vero discipuli ejus nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. Sæpe agitur in animo perfectorum (quod silentio prætereundum non est), quia cum laborem suum sine fructu esse considerant, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Unde iste quoque egregius prædicator qui *dissolvi cupit, et cum Christo esse : cui vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* XXI, 3), qui certamina passionum non solum ipse appetiit, sed ad toleranda hæc et alios adhortatur, Damasci persecutionem passus, ut potuisset evadere, murum, funem, sportamque quæsivit, seque latenter deponi voluit. Numquidnam Paulum mortem dicimus timuisse, quam seipso pro Jesu amore testatur appetere? Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, et gravi labore ad laborem se alibi cum fructu servavit. Fortis etenim prædicator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsivit.

Cap. XXV. — *Erat autem Paulus cum discipulis intrans, et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini : loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis : illi autem quærebant eum occidere* (*Act.* IX, 28).

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 15, 16; Dialog. lib. III, cap. 17). Si cor peccatoris qui in malitia sua manet immobilis sancti Spiritus gratia superno munere infusa tetigerit, mox peccatricis mentis duritia a suæ immobilitatis obstinatione permutatur, et rore divini muneris infusus, post libenter injurias tolerat quas prius vehementer irrogabat; post etiam sua tribuit qui prius aliena rapiebat; post carnem abstinendo cruciat qui prius satietate carnis per mortifera turpitudinum oblectamenta defluebat; post etiam persecutores diligit qui prius diligere etiam se amantes nolebat. Libet in hujus rei exemplum unum e multis ad medium Paulum vocare, qui cum acceptis contra Christum epistolis Damascum pergeret, sancti Spiritus gratia in itinere infusus, ab illa sua protinus crudelitate mutatus est, et postmodum plagas pro Christo accepit quas veniebat inferre Christianis. Et qui prius carnaliter vivens in mortem conabatur sanctos Domini tradere, gaudet postmodum pro vita sanctorum vitam suæ carnis immolare; et qui prius fuit blasphemus et persecutor, humilis post factus est piusque prædicator: et qui lucrum maximum putavit se in discipulis Christum occidere, jam vitam suam Christum æstimat et mori lucrum. Mens igitur Pauli, mox ut Spiritus sancti gratiam accepit, statum suæ immobilitatis et crudelitatis immutavit. In ejus conversione possumus perpendere quia majus est miraculum prædicationis verbo et orationis solatio peccatorem convertere quam carne mortuum resuscitare. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo vero anima in æternum victura

Lazarum quippe, quem jam fetentem fuisse credimus, carne Dominus suscitavit, Saulum vero resuscitavit mente. Et quidem post resurrectionem carnis de Lazari virtutibus tacetur; nam post resurrectionem animæ capere nostra infirmitas non valet quanta in sacro eloquio de Pauli virtutibus dicuntur. Quod illius prædicatione crudelissimæ nationes ad pietatis mollia conversæ sunt viscera. Quod mori cupit pro fratribus, in quorum prius morte gaudebat. Quod plenus omnis Scripturæ scientia, nihil se scire judicat nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II). Quod pro Christo virgis libenter cæditur quem gladiis insequebatur. Quod apostolatus honore sublimis est, sed tamen sponte fit parvulus in medio discipulorum. Quod ad cœli tertii secreta ducitur, et tamen mentis oculum per compassionem reflectit ad disponendum cubile conjugatorum, dicens : *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro* (*I Cor.* VII, 3). Quod admiscetur in contemplatione cœtibus angelorum, et tamen non aspernatur cogitare et disponere facta carnalium. Quod gaudet in infirmitatibus sibique in contumeliis placet. Quod ei vivere Christus est, et mori lucrum. Quod totum jam extra carnem est hoc ipsum quod vivit in carne. Ecce qualiter vivit qui ab inferno mente ad vitam pietatis rediit. Minus est ergo quempiam in carne suscitari, nisi forte cum per vivificationem carnis ad vitam reducatur mentis, ut hoc ei agatur per miraculum exterius quatenus conversus interius vivificetur.

CAP. XXVI. — *Ænea, sanet te Dominus Jesus* (*Act.* IX, 34).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 46.) In Scriptura sacra aliquando per stratum repausatio in bonis operibus designatur. Unde Petrus dicit apostolus : *Ænea, sanet te Dominus Jesus Christus : surge et sterne tibi.* Quid est dicere, *surge*, nisi mala quæ perpetrasti derelinque? Et quid est dicere, *sterne tibi*, nisi mercedis causas in quibus requiescere debeas operare, ut et deserat surgendo quod fecit et inveniat sternendo quod fecerit? Quod utrumque breviter propheta comprehendit, dicens : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27). Declinare quippe a malo est ab eo quo jacuit surgere; bonum vero facere est mercedis opera in quibus requiescere debeat præparare. Qui enim declinat a malo, sed bona adhuc non facit, surrexit quidem ab eo quo jacuit, sed ubi requiescere debeat necdum stravit.

CAP. XXVII. — *Tabitham Petrus suscitavit* (*Act.* IX).

(Dialog. lib. II, cap. 30.) Qui devota mente Deo adhærent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa duobus modis solent, ut mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cum enim Joannes dicat : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Qui filii Dei ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant? Quia enim utroque modo miracula exhibeant testatur Petrus, qui Tabitham mortuam orando suscitavit, Ananiam vero et Saphiram mentientes morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum exstinctione legitur, sed solummodo culpam quam perpetraverant increpasse. Constat ergo quia aliquando hæc ex potestate, aliquando vero exhibent ex postulatione, dum et istis vitam increpando abstulit et illi reddidit orando.

CAP. XXVIII. — *Orationes tuæ, et eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei* (*Act.* X, 4).

(Homil. 19, in Ezech., n. 9.) *Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, religiosus et timens Deum.* Nequaquam ex virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim centurio, cujus eleemosynæ ante baptismum, angelo teste, laudatæ sunt, non ex operibus venit ad fidem, sed ex fide venit ad opera ; nam et ei per angelum dicitur : *Orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei.* Si enim Deum vere et ante baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo omnipotens Deus hunc exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium Deum, sed quod ejus omnipotens Deus Filius incarnatus esset ignorabat. Neque enim poterat bona agere nisi ante credidisset; scriptum quippe est : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6). Fidem ergo habet, cujus orationes et eleemosynæ placere possunt. Bona autem actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, et incarnationis ejus mysterium crederet, quatenus ad sacramenta baptismatis perveniret. Per fidem ergo venit ad operationem, sed per opera est solidatus in fide.

CAP. XXIX. — *Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus : hic dicet tibi quid te oporteat facere* (*Act.* X, 15 *seq.*).

(Homil. 9, in Ezech., n. 6.) Nec fides sine operibus nec opera sine fide adjuvant, nisi fortasse pro fide percipienda fiant, sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audire quam fidelis existeret. Qua ex re colligitur quia bona opera pro fide percipienda faciebat. Nam cui ab angelo dicitur : *Orationes tuæ, et eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei* (*Ibid.* 4); et mox pro eadem ascensione præcipitur ut ad Simonem mittat qui ei veniens prædicare debeat, constat quia hoc petiit unde meruit exaudiri.

CAP. XXX. — *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam : et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus : et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis summitti de cœlo in terram : in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli*, etc. (*Act.* X, 9 *seq.*).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 26 ; lib. XXXIII, num. 33.) Apostoli recte catuli sanctæ Ecclesiæ vocari possunt, qui in Ecclesia editi adversantem mundum ore rapuerunt. Isti catuli necdum post passionem Domini, sancti spiritus infusione solidati, clausis foribus quasi in quibusdam abditis specubus suis rapturi mundum cubabant, ut animarum prædam postmodum præsumentes diriperent, ut culpam nostram interficerent, omnemque in nobis peccati vitam necarent. Horum primo illi esurienti catulo, sed jam valenti, ostensa per linteum gentilitate quasi monstrata præda dicitur : *Macta et manduca.* Sub typo fortis mulieris Salomon de sancta Ecclesia dicit : *Sindonem fecit et vendidit* (*Prov.* XXXI, 24). Quid signatur linteo sindonis, nisi subtilis intextio sanctæ prædicationis, in qua molliter quiescitur, quia mens in illa fidelium spe superna refovetur? Unde et Petro animalia in linteo demonstrantur, quia peccatorum animæ misericorditer aggregatæ, in blanda fidei quiete continentur. Hanc ergo sindonem Ecclesia fecit et vendidit, quia fidem quam credendo meruerat loquendo dedit, et ab infidelibus vitam rectæ conversationis accepit.

CAP. XXXI. — *Et facta est vox ad Petrum : Surge, Petre, occide et manduca* (*Act.* X, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 45.) Sancta Ecclesia male viventes in vitiis interficit ore sanctæ prædicationis. Sancti quippe apostoli et pastores alii in Ecclesiæ corpore quasi dentes idcirco sunt positi, ut vitam carnalium correptione mordeant, eamque a sua duritia pertinaciæ confringant. Unde et apostolorum et pastorum primo quasi denti in Ecclesiæ corpore posito, ostensis in figura gentibus, dicitur : *Macta et manduca.* Quod enim mactatur a vita occiditur, id vero quod comeditur in comedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca dicitur, id est vetustatem earum contere, et a peccato eas in quo vivunt interfice, et in corpus Ecclesiæ, videlicet in tua membra, illas converte.

CAP. XXXII. — *Ecce viri a Cornelio missi inquirentes domum Simonis, steterunt ad januam* (*Act.* X, 17).

(Homil. 1, in Ezech., n. 11.) Aliquando prophetiæ

spiritus in præsenti mentem ex parte tangit, et ex parte non tangit. Quod Petri apostoli testatur historia, cum a Cornelio milites missi ei sunt per Spiritum nuntiati. Scriptum quippe est: *Dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te* (*Vers.* 19). Ad quos ille descendit et requirens dixit: *Quæ causa est propter quam venistis?* Cujus verbis ostenditur quia eamdem causam per Spiritum non audierat quam a militibus requirebat. In præsenti ergo mentem Petri Spiritus et ex parte tetigerat, et ex parte non tetigerat, quia et adesse milites dixit, et pro qua causa venerant tacuit.

CAP. XXXIII. — *Factum est cum introisset Petrus, obvius ei venit Cornelius; et procidens ad pedes ejus, adoravit* (*Act.* x, 25).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 22; lib. XXVI, num. 45.) Bona est ordine suo potentia, sed cauta regentis indiget vita. Bene igitur hanc exercet qui per illam scit super culpas erigi, et scit cum illa cæteris æqualitate componi. Sancti itaque viri qui præsunt, cum deest vitium quod corrigatur, non de excellentia potestatis, sed de conditionis æqualitate gaudent, et non solum a subjectis metui, sed etiam plusquam necesse est refugiunt honorari. Neque enim leve se perpeti damnum humilitatis credunt, si ab eis pro merito fortasse ordinis pluris æstimentur. Cum ergo potentiæ temporalis ministerium suscipitur, summa cura vigilandum est ut sciat quisque et æqualem se cum illa cæteris cernere, et tamen se peccantibus zelo ultionis præferre. Quam discretionem plenius cognoscimus, si primi pastoris exempla cernamus. Petrus enim, auctore Deo, Ecclesiæ principatum tenens, a bene agente Cornelio et sese humiliter ei prosternente, immoderatius venerari refugiens, honorem super se sibi oblatum recusavit, et ad æqualitatem conditionis suæ citius recurrens, se illius similem recognovit, dicens: *Surge, ne feceris, et ego ipse homo sum* (*Act.* x, 26). Quis enim nesciat quod homo conditori suo debeat, et non homini prosterni? Quoniam igitur humiliari sibi plusquam debuit proximum vidit, ne ultra humanitatis metas mens intumesceret, se hominem esse recognovit, quatenus illati sibi honoris elationem frangeret ex considerata æqualitate conditionis. Sed cum Ananiæ et Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excrevisset ostendit, verbo enim eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit; et summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus ultionis jus aperuit potestatis. Paulus bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri* (*II Cor.* I, 23). Atque illico subjunxit: *Fide enim statis*, ac si diceret: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis. Æquales enim vobis sumus, ubi vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret: *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 7). Et rursus: *Nos autem servos vestros per Jesum Christum* (*II Cor.* IV, 5): sed cum culpam quæ corrigi debuisset invenit, illico magistrum se esse recoluit, dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos* (*I Cor.* IV, 5)? Summus itaque locus bene regitur, cum is qui præest vitiis potius quam fratribus dominatur; vitiis enim se debent rectores erigere, quorum et causa præferuntur, et per disciplinam culpas jure potestatis ferire, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur agnoscere, et eosdem tacita sibi cogitatione præferre. Illorum namque per eos vitia rigore disciplinæ feriuntur, in his vero quæ ipsi committunt ne verbi quidem ab aliquo invectione lacerantur. Tanto ergo apud Dominum sunt obligatiores, quanto inulte peccant apud homines. Disciplina vero prælatorum subditos tanto divino judicio liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit. Servanda est itaque et in corde humilitas et in opere disciplina. Inter hæc autem solerter intuendum ne, dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis; et dum prælatus plus se quam decet dejicit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneamus ergo exterius quod pro aliorum utilitate suscipimus; teneamus interius quod de nostra æstimatione sentimus. Sed tamen decenter quibusdam erumpentibus signis tales nos apud nos esse ipsi etiam qui nobis commissi sunt non ignorent, ut de auctoritate nostra quod formident videant, et de humilitate quod imitentur agnoscant. Servata autem auctoritate regiminis, ad cor nostrum sine cessatione redeamus, et consideremus assidue quod sumus æqualitater cum cæteris conditi, non quod temporaliter cæteris prælati.

CAP. XXXIV. — *Non est personarum acceptor Deus* (*Act.* x, 34).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 38.) Cuncti apostoli Ecclesiæ ostia existunt, cum voce sui Redemptoris audiunt: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 22); ac si illis aperte diceretur: Per vos ingredientur ad me hi quibus vosmetipsos panditis, et repellentur hi quibus obseratis. Nec immerito ostia vocantur quia et ingressum fidelibus aperiunt, et rursum sese perfidis ne ingrediantur opponunt. Pensemus quale ostium Ecclesiæ Petrus exstitit, qui investigantem fidem Cornelium recepit, pretio quærentem miracula Simonem repulit, illi dicens: *In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus* (*Act.* VIII, 20), secreta regni benigne aperuit. Huic inquiens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, per districtæ damnationis sententiam aulæ cœlestis aditum claudit.

CAP. XXXV. — *Paulus lapidatur* (*Act.* XIV).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 68.) Vir sanctus et fortis prædicator Domini quo majore persecutione premitur, eo ad prædicandam veritatem acrius instigatur, et cum patienter persecutores tolerat, ardenter ad se auditores trahere festinat. Videamus Paulum zelo sancti Spiritus inflammatum, quomodo persecutorum minas minime formidat. Quomodo inter supplicia positus, peccatores ad se trahere festinat, sicut scriptum est: *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judæi, et persuasis turbis, lapidantes Paulum traxerunt extra civitatem, æstimantes eum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben. Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram et Iconium, et Antiochiam, confirmantes animas discipulorum* (*Act.* XIV, 18). Perpendamus ergo quæ hunc prædicantem possent minæ compescere, quando eum ab intentione sua non valet mors ipsa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen a veritatis sermone removetur. Occidi potest, superari non potest: velut exstinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illæsus prædicator invenitur. O quam fortis huic viro inest infirmitas! O quam victrix pœna! O quam dominatrix patientia! Ad arguendum repulsione provocatur, ad prædicandam salutem plagis erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem pœna refovetur. Nulla ergo hunc adversitas superare potest quem pœna fovet.

CAP. XXXVI. — *Paulus Timotheum circumcidit* (*Act.* XVI).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, n. 28, 29.) In una eademque virtute discretionis lineam deserimus, si hanc et aliquando agere et aliquando postponere nesciamus. Non enim res eadem semper est virtus, quia per momenta temporum sæpe merita mutantur actionum. Unde fit cum quid bene agimus, plerumque melius ab ejus actione cessemus, et laudabilius ad tempus deserat quod in suo tempore laudabiliter mens tenebat. Nam si pro nostris bonis minimis qui-

bus actis proficimus, nec tamen intermissis interimus, majora laborum mala proximis imminent, necessario nos virtutum augmenta seponimus; ne infirmioribus proximis fidei detrimenta generemus, ne tanto jam quod agimus virtus non sit, quanto per occasionem sui in alienis cordibus fundamenta virtutum destruit. Quam vim [*Text.* lineam] discretionis bene nobis Paulus ostendit, qui et gentiles ad libertatem fidei venientes circumcidi prohibuit, et tamen Lystris atque Iconio transiens, ipse Timotheum qui gentili patre fuerat editus circumcidit. Videns enim quod nisi se mandata litteræ servare ostenderet, Judæorum rabiem etiam in his qui sibi comites aderant excitaret, assertionis suæ vim postposuit, et sine damno fidei se suosque comites a persecutionis immanitate custodivit. Fecit quod fieri fidei amore prohibuit, sed ad fidei retorsit ministerium quod quasi non fideliter fecit. Plerumque enim virtus cum indiscrete tenetur, amittitur; cum discrete intermittitur, plus tenetur. Sed alta consideratione opus est, ne fortasse nequaquam communis boni consilio, sed timore proprio, vel cujuslibet ambitionis studio, a virtutis exercitatione cessetur. Quod nimirum cum agitur, jam non dispensationi sed culpæ servitur.

Cap. XXXVII. — *Prohibuit eos Spiritus Jesu* (*Act.* xvi, 6).

(Homil. 12, in Ezech., n. 16, homil. 4, in Evang., n. 1.) Propter malos auditores bonis sermo doctoribus tollitur, sicut Paulo dicitur: *Festina, et exi velociter de Jerusalem; quoniam non recipient testimonium tuum de me* (*Act.* xxii, 18). Et sicut volentibus apostolis prædicare in Asia, scriptum est quia prohibuit eos Spiritus sanctus (cum enim apostoli prædicare gentibus in Asia voluissent, per Spiritum prohibiti esse memorantur); et tamen ipse qui prius prædicationem prohibuit, hanc Asianorum cordibus postmodum infudit, nam diu est quod Asia cuncta jam credidit. Idcirco ergo prius prohibuit quod postmodum fecit, quia tunc in illa erant qui salvandi non erant, tunc in illa erant qui necdum reparari merebantur ad vitam. Sed tamen utiliter eis prædicationis officium subtrahitur, ne gravius de contempta prædicatione judicari mererentur. Subtili ergo occultoque judicio a quorumdam auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur.

Cap. XXXVIII. — *Mundus sum a sanguine omnium* (*Act.* xx, 26).

(Homil. 11, in Ezech., n. 9.) Multum sibi connexa sunt peccata subditorum et præpositorum, quoniam ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Pensate ergo, fratres charissimi, pensate quia et quod nos digni pastores non sumus, etiam ex vestra culpa est quibus tales prælati sumus. Et si quando vos ad iniquitatem defluitis, etiam ex nostro reatu est quod obsistentes et reclamantes in pravis desideriis non habetis. Vobis ergo et nobis parcitis, si a pravo opere cessatis; vobis et nobis parcimus, quando hoc quod displicet non tacemus. O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat: *Mundus sum a sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis!* Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non fuisset; sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce et nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus; ut rei de subjectorum morte animarum constringimur, quæ semper vivere potuissent si verba correptionis audissent.

Cap. XXXIX. — *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem* (*Act.* xxi, 11).

(In exposit. B. Job, lib. xxxv, num. 30, 31.) Quia nonnunquam nobis hujus mundi jubentur adversa, sciendum summopere est quod si tunc de suo aliquid non habeat, minima est obedientia. Nam cum hujus mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci et contumeliæ jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt invitus nolensque descendit: ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda hujus sæculi probra, nequaquam ex aliqua parte etiam sua vota comitantur. Debet igitur obedientia in adversis ex suo aliquid habere, quatenus tanto sit gloriosior, quanto divino ordini jungitur, etiam ex desiderio. Sed hoc pondus virtutis melius ostendimus, si factum beati Pauli memoremus. Paulus divinitus fuerat ut Jerosolymam ascendere debuisset admonitus, sicut ipse Galatis dicit: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam, assumpto Barnaba et Tito; ascendi autem secundum revelationem* (*Galat.* ii, 1). Isque cum in itinere prophetam Agabum reperisset, quanta se adversitas in Jerosolymis maneret audivit. Scriptum quippe est quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens, dixit: *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem*, a Paulo autem protinus respondetur: *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu: neque enim pretiosiorem facio animam meam quam me.* Præceptione igitur revelationis Jerosolymam pergens, adversa cognoscit, et tamen hæc libenter appetit; audit quæ timeat, sed ad hæc ardentior anhelat. Paulus itaque, Deo aspera et dura disponente, se studuit ad graviora præparare, et ad adversa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fervescit. Præeunte ergo beati Pauli infracta virtute instituimur, ut si palmam obedientiæ veraciter apprehendere nitimur, adversis hujus sæculi etiam ex devotione militemus.

Cap. XL. — *De spe et resurrectione mortuorum ego judicor* (*Act.* xxiii, 6).

(In exposit. B. Job, lib. xxxiv, num. 8, 9, et Reg. Past. part. iii, cap. 23; Regul. Pastor. part. iii, c. 24, et libro Mor. loco supra laudato. Homil. 26, in Evang., n. 12.) Sicut perniciosum est si unitas desit bonis; ita perniciosius, si non desit malis. Reproborum quippe unitas bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto se ei per collationem durior opponit. Unde prædicator egregius gravi Pharisæorum Sadducæorumque persecutione deprehensus, eorum unitatem perniciosam sibi Paulus fore conspiciens, inter semetipsos dividere studuit, quos contra se unitos graviter vidit, et clamavit, dicens: *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum. De spe et resurrectione mortuorum ego judicor.* Quia nimirum voce percussa protinus contra se vicissim audientium dissiluit turba. Dumque Sadducæi spem resurrectionemque mortuorum esse denegarent, quam Pharisæi juxta sacri eloquii præcepta crederent, facta est in persecutorum unanimitate dissensio. Cumque in duas partes tumultuantium multitudo dividitur, Paulo via ereptionis aperitur. Quem enim turba persequentium unita constrinxerat, divisa laxabat: et divisa turba Paulus illæsus exiit, quæ hunc unita prius immaniter pressit. Eripiuntur etenim justi, dum dividuntur injusti; et ad perfectum vota perveniunt electorum, dum per discordiam confunduntur agmina reproborum. Sed quia sunt nonnulli qui de resurrectione carnis incerti sunt, et hanc tunc rectius docemus, si etiam cordium nostrorum quæstionibus occultis occurrimus; pauca nobis de ipsa resurrectionis fide loquenda sunt. Multi etenim, sicut nos aliquando fuimus, dum carnem in putredinem ossaque in pulverem redigi per sepulcra conspiciunt, reparari ex pulvere carnem et ossa diffidunt, sicque apud se quasi ratiocinantes dicunt: *Quando ex pulvere homo reducitur? Quando agitur, ut cinis animetur?* Quibus breviter respondemus quia longe minus est Deo re-

parare quod fuit, quam creasse quod non fuit. Aut quid mirum si hominem ex pulvere reficit, qui simul omnia ex nihilo creavit? Mirabilius namque est cœlum et terram ex nullis existentibus condidisse, quam ipsum ex terra reparare; sed cinis attenditur, et in carnem redire posse desperatur, et divinæ virtus operationis comprehendi quasi ex ratione quæritur. Qui scilicet hæc idcirco in suis cogitationibus dicunt, quia eis quotidiana Dei miracula ex assiduitate viluerunt. Nam ecce in uno grano parvissimi seminis latet tota quæ nascitura est arboris moles. Constituamus enim ante oculos cujuslibet arboris miram magnitudinem, cogitemus unde oriendo cœpit quæ ad tantam molem crescendo pervenit, invenimus procul dubio ejus originem parvissimum semen. Consideremus nunc ubi in illo parvo grano seminis latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis, odorisque magnitudo, ubertas fructuum, viriditas foliorum. Contrectatum namque seminis granum non est validum, unde ergo processit ligni duritia? Non est asperum, unde asperitas corticis erupit? Non est saporosum, unde sapor in fructibus? Olfactum nihil redolet, unde odor in fructibus fragrat? Nihil in se viride ostendit, unde viriditas foliorum exivit? Cuncta ergo in semine simul latent, quæ tamen non simul ex semine prodeunt: ex semine quippe producitur radix, ex radice producitur virgultum, ex virgulto fructus oritur, ex fructu etiam producitur semen. Addamus ergo quia et semen latet in semine. Quid igitur mirum si ossa, nervos, carnem capillosque reducat ex pulvere, qui lignum, fructus, folia in magna mole arboris ex parvo quotidie semine restaurat? Cum ergo dubitans animus de resurrectionis potentia rationem quærit, earum rerum quæstiones ei inserendæ sunt quæ et incessanter fiunt, et tamen ratione comprehendi nequaquam possunt; ut dum non valet ex visione rei penetrare quod conspicit, de promissione divinæ potentiæ credat quod audit, auxiliante Mediatore Dei et hominum Domino nostro Jesu Christo, qui et resurrectionis gloriam in suo jam corpore factam ostendit, et in suis membris futuram promisit. Qui vivit et regnat cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SEXTUS.

Incipiunt Exceptiones super Epistolas B. Pauli apostoli.

PRÆFATIUNCULA IN EPISTOLAS BEATI PAULI APOSTOLI.

(In exposit. B. Job, lib. xxxv, n. 42 et 47, inverso ordine.) Paulus apostolus quamvis Epistolas quindecim scripserit, sancta tamen Ecclesia non amplius quam quatuordecim recipit, qui profecto numerus ex perfectis duobus numeris, denario videlicet et quaternario, consistit. Denarius quippe numerus in eo perfectus est quia Lex in decem præceptis concluditur, omnisque culpa non amplius quam per decem verba cohibetur; et, enarrante Veritate, operatores vineæ denario remunerantur (*Matth.* xx). Quaternarius vero numerus in eo maxime perfectus esse dignoscitur, quoniam omnis bona et perfecta operatio per quatuor sancti Evangelii libros agnoscitur. Recte ergo sancta Ecclesia Testamentum utrumque custodiens, et tam secundum Legis Decalogum quam secundum quatuor Evangelii libros vivendo, ad perfectionis se culmen extendens, de Epistolis beati Pauli apostoli non amplius quam quatuordecim tenet, ut etiam ex ipso Epistolarum numero ostenderet quod doctor egregius Legis et Evangelii secreta rimasset.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

Caput Primum. — *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* i, 21).

(In exposit. B. Job. lib. xxvi, num. 28; lib. i in Ezech., hom. 11, num. 24, et in expos. B. Job, lib. xxv, n. 22; lib. xvi num. 71; lib. xxv, num. 22, 23; lib. i, in Ezech., hom. 11, num. 25.) Si vigilanter intenditur ut et mentis humilitas et carnis castimonia teneatur, cito agnoscimus quia alterum custoditur ex altero. Nam multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit, quia dum eos spiritus quas in altum erexit, quasi caro in infimis mersit. Hi enim prius secreto elevantur, sed postmodum publice corruunt, quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis. Sic sic elati justa fuerant retributione feriendi, ut quia superbiendo se præferunt hominibus, luxuriando usque ad jumentorum similitudinem devolvantur. *Homo quippe cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* xlviii, 13). Jumenta sunt qui usu vitæ carnalis ima petunt. Qui enim carne labitur jumentorum appetitu prosternitur, quasi scientiæ igitur illos in altum superbia sublevaverat de quibus Paulus dicebat: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Quomodo vero in jumentorum, aut plusquam in jumentorum voluptatem ceciderint subdidit, dicens: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (*Vers.* 24). Ecce ultra appetitum lapsi sunt jumentorum, et caro mersit quos superba scientia sublevavit; atque inde sub se prostrati sunt unde super se ire videbantur. Curandum itaque est, et omni custodia mens a superbiæ tumore servanda. Intus enim videt Deus quod mentem elevat, et idcirco foris permittit invalescere quod deponat: intus prius extollitur quod foris postmodum luxuriæ corruptione feriatur. Occultam videlicet culpam aperta percussio sequitur, ut malis exterioribus interiora puniantur, et cor publice corruat quod latenter tumebat. Proinde per custodiam humilitatis servanda est munditia castitatis; si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. In prædictis autem verbis Apostoli, considerandum nobis est quia peccatum quod per pœnitentiam citius non deletur aut peccatum est causa peccati, aut peccatum est pœna peccati, aut peccatum simul et causa et pœna peccati. Omne enim quod prius committitur peccatum est; sed si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quæ flendo et corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur peccatum simul est et

causa peccati, quoniam ex illo oritur unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato sequitur, peccatum simul est et pœna peccati, quia excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi jam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam ut unum idemque peccatum et peccatum sit et pœna peccati simul et causa peccati. Ponamus enim ante oculos quempiam rem proximi concupiscere quam quia aperte non valuit, furto diripuit, sed in furti accusatione positus, se hanc diripuisse jurejurando denegavit. Huic ergo concupiscentia peccatum fuit et causa peccati, quia per eam venit ad rapinam; ipsum vero furtum, quo rem concupitam diripuit, et peccatum ei factum est et pœna peccati, quia ex retributione jam non repulsæ concupiscentiæ factum est ut veniret ad furtum, et culpa cordis excresceret in opere et ultione cæcitatis. Sed quia furtum perjurio tegere curavit, ex peccato rursum peccatum genuit : furtum ergo quod ex concupiscentia processit, et perjurium pertulit, peccatum et pœna peccati factum est culpæ præcedenti, peccatum et causa peccati culpæ subsequenti, quia de illa natum, hanc genuit. Quod bene Paulus apostolus de quibusdam, Deum intelligentibus sed non honorantibus insinuat, dicens : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Ecce est peccatum et causa peccati, ex qua quid sequatur adjungit : *Et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium* (*Vers.* 22 et 23). Ecce est peccatum et pœna peccati ; sed peccatum solummodo et pœna peccati esset, si non adhuc ex peccato et aliud sequeretur ; nam post infidelitatem eorum subditur : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (*Vers.* 24). Quia igitur cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ex eo peccato et causa peccati ad hoc quoque perducti sunt ut ad cultum serpentium et volucrum laberentur. Sed quia per hanc etiam cæcitatem usque ad immunditiam et carnis contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedenti intellectui et peccatum est et pœna peccati, subsequenti vero immunditiæ peccatum factum est et causa peccati. Hoc autem nobis cum tremore considerandum est, quomodo justus et omnipotens Deus, cum præcedentibus peccatis irascitur, permittit ut cæcata mens etiam in aliis labatur; ut qui prius sciendo rebelles sunt, postmodum ut nesciant excæcentur, sicut de eisdem infidelibus et lubricis, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, paulo post additur : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* Quia enim glorificare noluerunt quem cognoverunt, reprobo sensui traditi, ad hoc relicti sunt ut nescirent etiam pensare mala quæ faciebant. Et qui cognoscentes Deum, peccatum superbiæ intelligendo commiserunt, cæcantur etiam ne intelligant quod admittunt. Prioris ergo peccati merito peccatorum subsequentium fovea tegitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in aliis etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpæ culpis feriantur, quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Nimirum justo judicio augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altius quandoque cumuletur. Hinc rursus de quibusdam Paulus dicit : *Ut impleant peccata sua semper* (*I Thess.* II, 16). Hinc voce angelica Joanni dicitur : *Qui nocet, noceat adhuc : et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11). Hinc David ait : *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, et non intrent in justitiam tuam* (*Psal.* LXVIII, 28). Hinc per Moysen Dominus dicit : *Ex vinea Sodomorum, vinea eorum, et propago eorum ex Gomorrha : uva eorum, uva fellis, et botrus amaritudinis in ipsis ; furor draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis. Nonne hæc congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? In die ultionis reddam eis* (*Deut.* LXXXII, 32). Quam multa mala eorum narravit et tamen illico adjunxit : *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum.* Ecce atrocissima illorum facinora describuntur, et tamen ad diem ultionis adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent jam unde feriri mereantur, sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, ut peccantes possit atrocior pœna cruciare. Jam meretur supplicium peccatum, et causa peccati, sed exspectatur adhuc ut augmentum supplicii subroget peccatum et pœna peccati.

CAP. II. — *Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam* (*Rom.* I, 26).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 5.) Omne quod dicitur quadripartita potest qualitate distingui : si aut mala male, aut bona bene, aut mala bene, aut bona male dicantur. Male enim malum dicitur, cum res perversa suadetur, sicut scriptum est : *Benedic Deo, et morere* (*Job.* II, 9). Bonum bene dicitur, cum recte recta prædicantur, sicut Joannes ait : *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Joan.* IX, 28). Malum bene dicitur, quando per os dicentis idcirco vitium exprimitur, ut reprobetur, sicut Paulus ait : *Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam.* Quo loco exsecranda quoque virorum facinora subdidit, sed honeste inhonesta narravit, ut multos ad honestatis formam inhonesta narrando revocaret. Male autem bonum dicitur, cum rectum aliquid recto studio non profertur ; sicut illuminato cæco Pharisæi dixisse perhibentur : *Tu sis discipulus ejus* (*Matth.* III, 2). Quod maledictionis utique dixerunt studio, non orationis voto; vel sicut Caiphas ait : *Expedit unum mori pro populo, ut non tota gens pereat* (*Joan.* XI, 50). Bonum quippe, sed non bene locutus est, quia dum crudelitatem necis appetiit, redemptionis gratiam prophetavit.

CAP. III. — *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit* (*Rom.* II, 4).

(Lib. I, in Ezech., hom. 11, num. 25.) Sæpe advenit ut dum superna peccatores exspectat clementia, in majorem cordis prosiliant cæcitatem. Quos tanto districtior sequitur sententia, quanto peccantibus eis magna est prærogata patientia, quia divina severitas eo iniquum acrius punit, quo diutius pertulit. Misericors quippe Deus ad pœnitentiam tempus nobis relaxat peccantibus; sed cum ejus gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit ; ut cum reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset. Unde scriptum est : *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei.* Dei benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die iræ reprobus thesaurizat, quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, et ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde et omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad augmentum culpæ trahi, ipsam benignitatem quam contulit in judicii districtionem vertit; ut inde post amplius feriat unde modo amplius exspectat. Et quia homo deserere malum non vult, ut vivat, augeat unde moriatur.

CAP. IV. — *Qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 31.) Sicut aliqua fabrica columnis, columnæ vero basibus innitantur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intima intentione subsistunt. Bases quippe unius-

cujusque animæ sunt intentiones suæ. Et quia scriptum est : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11) : tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Nimirum enim quamlibet summa opera inaniter facimus, si intentiones cordium nostrorum præmia veræ vitæ quæ in Christo est non requirunt. Unde cum districtum judicem Paulus describeret, et actionum bona narraret, dicens : *Qui reddet unicuique secundum opera ejus, his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et incorruptionem;* quia nominata boni operis patientia, quasi totam electæ actionis fabricam dixerat, subtiliter illico ubi bases ejusdem fabricæ consisterent exquisivit, dicens : *Gloriam et honorem, et incorruptionem quærentibus vitam æternam.* Ac si aperte diceret : Et si quidam patientiam boni operis ostendunt, gloriam et incorruptionem non recipiunt, si intentiones cordis, id est bases fabricæ, in fundamento non figunt, quia videlicet Deus vel honestæ vitæ ædificium non inhabitat quod extra se positum non ipse sustentat.

CAP. V. — *Ut sit ipse justus, et justificans* (*Rom.* III, 26).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 81.) Omnes supernæ patriæ electi participatione veræ lucis, quæ Deus est, lumen vocari solent : sed ille lumen illuminans, isti lumen illuminatum, sicut scriptum est : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Istis autem tantummodo dicitur : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14). Participatione justitiæ, quæ Deus est, illi justitia nuncupantur ; sed ille justitia justificans, isti justitia justificata. De Deo quippe dicitur : *Ut sit ipse justus, et justificans* (*II Cor.* V, 21) ; isti vero dicunt : *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Aliter ergo venerandum est lumen illuminans, aliter lumen illuminatum ; aliter justitia justificans, aliter justitia justificata.

CAP. VI. — *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur* (*Rom.* VI, 9).

(Dialog. lib. IV, cap. 57.) Credendum est sacram oblationem salutaris hostiæ non solum viventes adjuvare, verum etiam mortuis, si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem multum prodesse, ita ut hoc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ videantur expetere. Sed sciendum est quia illis sacræ victimæ mortuis prosunt qui hic vivendo obtinuerunt ut eos etiam post mortem bona adjuvent quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est quod tutior via sit ut bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios agat dum vivit ipse per se. Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere. Debemus itaque præsens sæculum, quia jam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Hæc namque victima singulariter ab æterno interitu animam salvat quæ nobis illam mortem Unigeniti per mysterium reparat. *Qui licet surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur*, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quiddam ex visibilibus fieri? Sed tamen dum hæc agimus, necesse est ut nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui passionis dominicæ mysterium celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc enim vere pro nobis A Deo hostia accepta erit, cum nosmetipsos hostiam fecerimus.

CAP. VII. — *Quod mortuus est peccato, mortuus est semel* (*Rom.* VI, 10).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 41.) Nos quoniam et a Deo mente recessimus, et carne ad pulverem redimus, pœna duplæ mortis astringimur, et flagello vindictæ pro culpa quotidie atterimur. Sed venit ad nos qui pro nobis semel sine culpa sola carne moreretur, qui simplam suam duplæ nostræ conjungeret, et nos ab utraque morte liberaret, de qua per Paulum dicitur : *Quod autem mortuus est peccato, mortuus est semel.*

CAP. VIII. — *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 21.) Non potest in hac vita posito homini tentatio deesse peccati. Sed aliud est peccato tentanti resistere, aliud est dominanti servire. Hujus quippe peccati dominium et B regnum a discipulorum cordibus repellebat Apostolus, cum dicebat : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Non enim ait non sit, sed non regnet, quia non esse non potest, non autem regnare in cordibus bonorum potest.

CAP. IX. — *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ* (*Rom.* VI, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 49.) Justi nequaquam sunt in terrenis studiis fortes, et in cœlestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibent, quam sæculo fuisse meminerunt. Nam cum quibusdam per prædicatorem nostrum beatum Paulum dicitur : *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ : sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem :* eorum procul dubio infirmitati condescenditur, C ac si eis apertius diceretur : Si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum, ne debiliores vos habeat sancta libertas hæredes, quos in carne validos habuit usus terrenæ voluptatis.

CAP. X. — *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, n. 62, 63.) Jactatum semen in terra post pluviam gelu premitur : quo foras citius apparere repellitur, eo intus fecundius radicatur, et quo vetatur progredi, cogitur multiplicari, quia cum ab immaturo ortu restringitur, in conceptionis suæ tarditate laxatum ad fructum uberius impletur. Sic Dominus miro modo pectoris nostri ad suscipienda verbi semina prius per occultæ gratiæ pluviam infundit, et postmodum ne in conceptis virtutibus immoderatius profluat, disciplina intimæ dispensationis, quasi glacie premit ; ut quam acceptæ gratiæ pluvia irrigat, etiam disciplinæ rigor astringat, D ne si aut antequam debeat aut plusquam necesse est conceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat. Si enim viri justi antequam debent aut plusquam debent proficiant, per profectus sui magnitudinem in elationis defectum cadunt. Videamus, Paulus infusa terra, quanta disciplinæ glacie prematur, dum ait : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Qui enim velle habere se asserit, jam per infusionem gratiæ, quæ in se lateant semina ostendit. Sed dum perficere bonum non invenit, profecto indicat quanta illum dispensationis supernæ glacies premat. An ista glacies eorum corda non presserat quibus dicebat, *ut non quæcunque vultis illa faciatis* (*Galat.* V, 17)? Ac si aperte diceret : Occulta cordis vestri semina jam prodire in frugem quærunt, sed superni moderaminis gelu premuntur, ut tanto post fecundius exeant, quanto divini judicii prementia pondera patientius portant.

CAP. XI. — *Video aliam legem in membris meis* (*Rom.* VII, 23).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 12.) Tunc bene interius custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris. Nam eis quoque quos viros novimus fuisse virtutum, tentationes et certamina non defuere vitiorum. Hinc est enim quod ad consolationem nostram beatus Paulus prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur, dicens : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ad ima quippe trahit caro, ne extollatur spiritus, et ad summa trahit spiritus, ne prosternatur caro : spiritus levat, ne jaceamus in infimis, caro aggravat, ne extollamur ex summis ; si non sublevante spiritu nos caro tentaret, perfectione procul dubio tentationis suæ in ima dejiceret. Rursus vero si non tentante carne ad summa nos spiritus sublevaret, in superbiæ casu ipsa nos pejus sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine, ut dum unusquisque sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat, quoniam nec exterior tentatio culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit; nec rursum interior intentio in superbiam elevat, quoniam tentatio exterior humiliat dum gravat. Sicque magno ordine cognoscimus in interiore profectu quid accipimus, in exteriori defectu quid sumus. Et miro modo agitur ut nec de virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperet, quia dum spiritus trahit, et caro retrahit, subtilissimo judicii interni moderamine infra summa et supra infima, in quodam medio anima libratur.

CAP. XII. — *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 72.) Justi gaudium suum in cœlis ponunt, eorumque conversatio in cœlis est; et cum in carne sunt, adhuc quasi in carne jam non sunt, quia nulla carnis delectatione pascuntur. Unde quibusdam dicitur : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Neque enim in carne non erant qui magistri epistolas et exhortationis eloquia suscipiebant, sed quasi jam non in carne esse est de amore carnalium nihil habere.

CAP. XIII. — *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9).

(Homil. 24, in Evang., n. 6.) Meminisse debemus, quid de sancto Spiritu dicat beatus Paulus : *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Quasi quidam titulus est divinæ possessionis iste spiritus amoris. Numquid spiritum Christi habet is cujus mentem odia dissipant, elatio inflat, ira usque ad divisionem mentis exasperat, avaritia cruciat, luxuria enervat? Pensate qui sit spiritus Christi. Profecto ille qui facit amicos et inimicos diligi, terrena despici, pro cœlestibus æstuari, carnem propter vitia conteri, mentem a concupiscentiis frenari. Si ergo veltis jus cognoscere possessionis Dei, personam perpendite possessoris nostri. Ecce enim quod diximus voce veridica Paulus clamat : *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ac si aperte dicat : Qui nunc Deo inhabitante non regitur de divinæ claritatis specie postmodum non lætatur.

CAP. XIV. — *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore* (*Rom.* VIII, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 55.) Judaicus populus servus fuit, qui non amore filii obsequebatur Domino, sed timore servili. Lex namque sub ultionis persecutione populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret protinus morte puniretur, nec Israelitica plebs ex amore, sed Domino serviebat ex timore. Nunquam autem impleri justitia potest per timorem, quia juxta Joannis vocem : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 10). Paulus ergo filios adoptionis consolatur, dicens : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore : sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater.* Justus enim esse non valet in conspectu Dei qui ei non per dilectionem sed per formidinem servit.

CAP. XV. — *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (*Rom.* VIII, 18).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 14.) Electi quique cum hujusmodi adversa patiuntur, cum inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia quibus exercentur pensant; sed cum mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmii, quam sit leve quod patiuntur inveniunt. Quod enim valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida ex remuneratione levigatur. Hinc est quod Paulus semper seipso robustior contra adversa erigitur, quia nimirum finem sui operis præstolatur. Grave namque quod sustinet æstimat, sed hoc leve per præmii considerationem pensat. Ipse quippe quam sit grave quod patitur, indicat : *Qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse testatur : qui a Judæis quinquies quadragenas una minus accepit : qui ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium passus, nocte et die in profundo maris fuit : qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in civitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus pertulit : qui in labore, et ærumna, in jejuniis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate laboravit : qui foris pugnas, intus timores sustinuit* (*II Cor.* XI, 23 *seq.*) : qui ultra vires gravatum se esse asserit, dicens : *Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere* (*II Cor.* I, 8). Sed quomodo remunerationis linteo sudorem tanti laboris tergat ipse denuntiat, dicens : *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Finem itaque operis præstolatur, et dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat quod pene deficiens laborat.

CAP. XVI. — *Vanitati creatura subjecta est, non volens* (*Rom.* VIII, 20).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 69; lib. VIII, num. 13.) Præter illas molestias quas electi Dei patiuntur in mente interius, gravibus necessitatibus corruptionis vinculis astringuntur exterius. Esurire quippe, sitire, lassescere, vincula corruptionis sunt, quæ scilicet solvi nequeunt, nisi cum in illam immortalitatis gloriam mortalitas nostra permutatur. Replemus enim refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat; extenuamus abstinentia, ne nos repletum premat; vegetamus hoc motibus, ne situ immobilitatis intereat : sed citius hoc collocando sistimus, ne ipsa sua vegetatione succumbat; adjumentis hoc vestium tegimus, ne frigus interimat, et quæsita adjumenta projicimus, ne calor exurat. Tot igitur diversitatibus occurrentes, quid agimus nisi corruptibilitati servimus, ut saltem multiplicitas impensi obsequii corpus sustineat quod anxietas infirmæ mutabilitatis gravat? Unde bene per Paulum dicitur : *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter ipsum, qui eam subjecit in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Vanitati quippe creatura non volens subditur, quia homo qui ingenitæ constantiæ statum volens deseruit, pressus justæ mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis suæ corruptioni servit. Sed creatura hæc tunc a servitute corruptionis exuta eripitur, cum ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo sublevatur; dignitate libertatis accepta, in filiorum Dei gloriam vertitur, quia unita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum quod creatura est transisse ac subegisse declaratur. Electos enim nunc pœna corruptionis aggravat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat : et quantum ad præsentis necessitatis pondera, nunc in Dei filiis de libertate nihil ostendi-

tur : tantum vero ad subsequentis libertatis gloriam, A tunc in Dei famulis de servitute nihil apparebit.

CAP. XVII. — *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 21).

(Lib. I, in Ezech., hom. 3, num. 13; hom. 8, num. 3.) Dum præsenti sæculo adhuc in nobismetipsis repugnat corruptio, nequaquam ad Deum laudandum, sive contemplandum perfecte libertatem mentis obtinere possumus, sed post præsens ad veram libertatem perveniemus. Tunc enim in nobis vera libertas erit cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Omnes enim electi quandoque in cœlestem patriam congregabuntur, et in Deo quem videbunt immutabuntur; tunc perfecte corpus Redemptoris omnis multitudo sanctorum efficietur et videndo incorruptionem, nulla incorruptione tenebitur, juxta Pauli vocem dicentis : *Quia creatura ipsa liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei;* eique tunc inhærebunt, ut eis de corruptione, quæ per resurrectionem vincitur, nihil jam in suo sancto amore contradicat, sed unita gloriæ sui Redemptoris fiat. Tunc itaque omnes electi in cœlestia sublevati, et omnipotenti Domino capiti suo uniti, laudes omnium liberatori libere reddent et resonabunt, cum viderint sine fine quem laudabunt.

CAP. XVIII. — *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 58; Homil. 30, in Evang., n. 3.) Spiritus sanctus Græca locutione Paraclitus dicitur, quod Latina consolator vel advocatus interpretatur. Qui idcirco advocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud justitiam Patris intervenit. Consolator autem ideo vocatur, quia de peccati perpetratione mœrentibus, dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem levat. Qui unius substantiæ cum Patre et Filio exorare pro delinquentibus perhibetur, quoniam eos quos repleverit exorantes facit. Unde et Paulus dicit : *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Minor vero est qui postulat quam qui postulatur. Quomodo ergo Spiritus postulare dicitur qui minor non est? Nequaquam igitur postulat qui æqualis est; sed postulare dicitur, quoniam ad postulandum eos quos repleverit inflammat.

CAP. XIX. — *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII, 29).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 62.) In Scriptura sacra quædam de Deo indigna dicuntur, quæ ab humanis in illum qualitatibus trahuntur, dum ad infirmitatis nostræ verba descenditur. Dicitur enim præscius, sicut de illo ait Apostolus : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui;* cum præscientia non possit esse in Deo. Præscire enim dicitur qui unamquamque rem antequam veniat videt; et id quod futurum est, priusquam præsens fiat, prævidet. Deus ergo quomodo præscius, dum nulla nisi quæ sunt futura præsciantur? Et scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt, quippe quia omne quod nobis fuit et erit in ejus prospectu præsto est, et omne quod præsens est sciri potest potius quam præsciri. Et tamen quia ea quæ futura nobis sunt videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, humano modo præscire dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat quod præsens videt. Nam et quæ sunt ab æternitate ejus non ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt quia videntur. In Deo ergo nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, et quæ in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo præterit quod transit; quia in æternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum transeuntia manent, currentia stant.

CAP. XX. — *Qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 34).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 42.) Unigenitus Dei Filius homo factus pro nobis in se humanam naturam suscepit, ut quia puro homini via redeundi non patebat ad Deum, via redeundi fieret per hominem Deum. Longe quippe distabamus a justo et immortali, nos mortales et injusti : sed inter immortalem justum et nos mortales et injustos apparuit Mediator Dei et hominum, mortalis et justus, qui et mortem haberet cum hominibus, et justitiam cum Deo; ut quia per ima nostra longe distabamus a summis, in seipso uno jungeret ima cum summis, atque ex eo nobis via redeundi fieret ad Deum, quo summis suis ima nostra copularet. De quo per Joannem apostolum dicitur : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (*1 Joan.* XXI, 2). De quo Paulus apostolus dicit : *Christus Jesus qui* B *mortuus est pro nobis, imo qui et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Unigenito enim Filio pro homine interpellare est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare. Ei quippe pro humana natura rogasse est eamdem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit suscipiendo liberavit.

CAP. XXI. — *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei* (*Rom.* VIII, 38).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 29.) Quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur. Dum nihil habet in mundo quod appetat, nihil quod est de mundo pertimescat. Hinc enim Salomon ait : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit* (*Prov.* XII, 21). Hinc iterum dicit : *Justus quasi leo confidens, absque terrore* C *erit* (*Prov.* XXVIII, 1). Tanto enim quisque plenius a se pavorem qui ex mundo est abjicit, quanto in semetipso verius mundi concupiscentiam vincit. Absque terrore Paulus in corde requiescebat, qui dicebat : *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Charitas quippe Dei mentem quam semel cœperit a dilectione mundi funditus occidit, et hanc tanto valentius in auctoritatem erigit, quanto et insensibilem contra terrores reddit.

CAP. XXII. — *Christus qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5).

(Lib. I, in Ezech., hom. 8, num. 3.) In Scriptura sacra aliquando Deus nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative dicitur, sicut ad D Moysen ait : *Ecce constitui te deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 4). Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ad eumdem ait : *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* IV). Unde beatus Paulus apostolus de hoc nuncupativo et essentiali vocabulo Dei discretionem facit, cum de Antichristo ait : *Qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thess.* II, 4). Deus enim aliquando dici et homo potest, Deus vero coli purus homo non potest. Rursum alibi idem apostolus volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro locutus est, dicens : *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Qui enim nuncupative dicitur, Deus inter omnia, qui vero essentialiter, Deus super omnia est. Ut ergo ostendat Christum naturaliter Deum, non habet Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memoravit, quia et electus quisque vel in exem

plo justitiæ propagandæ positus, dici Deus potest, sed inter omnia, quoniam nuncupative Deus : Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus.

CAP. XXIII. — *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 20)?

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 21, 22.) Cum omnipotens Deus duris nos percussionibus et adversitatibus pulsat, homo seipsum considerans tacet, et divina judicia discutere metuit, quia se pulverem esse cognoscit. Unde per Paulum dicitur : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Respondere Deo non posse convincitur qui homo nominatur, quia per hoc quod de humo sumptus est, judicia superna discutere dignus non est. Unde hic quoque apte subjungitur : *Vel quis dicere ei potest, cur ita facis* (*Job* IX, 11)? Auctoris facta semper indiscussa veneranda sunt, quoniam injusta nequaquam esse possunt. Rationem quippe de occulto ejus consilio quærere, nihil aliud est quam contra ejus consilium superbire. Cum ergo factorum causa non deprehenditur, restat ut sub factis illius cum humilitate taceatur, quia nequaquam sufficit sensus carnis, ut secreta penetret majestatis. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat rationem videt. Unde subsequenter adjungitur : *Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare me fecisti sic* (*Rom.* IX, 20)? Quo enim secernit figmentum divini operis, eo semetipsum redarguit, ne contra manum resultet operantis, quia qui benigne quod non erat fecit, quod est injuste non deserit. Ad semetipsum ergo in percussione mens redeat, et quod apprehendere non valet non requirat : ne si divinæ iræ causa discutitur, amplius discussa provocetur, et quam placare humilitas poterat inexstinguibiliter superbia accendat.

CAP. XXIV. — *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4).

(Lib. II, in Ezech., hom. 4, num. 14, 15.) Testamentum Vetus unum nobis mediatorem Dei et hominum nuntiavit, et Testamentum Novum eumdem nobis nuntiat in æterna claritate venturum, quem jam pro nobis cognovimus incarnatum. Finis autem utrorumque Christus est, quoniam ipse, quem Lex prædixit, in carne apparuit, et idem ipse, quem nunc Testamentum Novum loquitur, in gloria majestatis apparebit : et tunc utrorumque finis erit, cum visus in divinitatis suæ potentia, omnia quæ sunt prædicta compleverit. Scriptum namque est : *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti*. Finis videlicet non qui consumit, sed qui perficit. Tunc et enim perfecit cum, sicut Lex prædixerat, incarnatus apparuit ; sed adhuc de ejus judicio multa Testamentum Novum loquitur, adhuc multa de ejus regno narrat quæ necdum videmus impleta. Ecce Evangelium quotidie legitur, ventura vita prædicatur. Tunc igitur erit et Novi Testamenti finis, cum ea quæ de se promisit impleverit ; finietur vero Testamentum Novum, quia perficietur. Nam cum ipse de quo loquitur visus fuerit, ejusdem Testamenti verba cessabunt. Quemadmodum enim Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto præsidet in cœlo, legem implevit per mysterium incarnationis et perfectæ humanitatis suæ, ita Testamenti Novi promissam impleturus est per ostensam gloriam claritatis suæ.

CAP. XXV. — *Cæcitas ex parte contigit in Israel* (*Rom.* XI, 26).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 9.) Prædicatores sancti, dum recta peccatoribus prædicant, quasi stellæ tenebras nostræ noctis illustrant. Dum ergo plebe Judaica in perfidiæ suæ nocte remanente, prædicatores suos Dominus per silentium intra semetipsos retinuit, cæcis iniquorum sensibus cœleste lumen abscondit. Sed sacro attestante eloquio, didicimus quod Judæa, quæ nunc deseritur, ad fidei sinum in fine colligetur. Hinc namque per Isaiam dicitur : *Si fuerit numerus Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isa.* X, 22). Hinc Paulus ait : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret : et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 25)? Qui igitur prædicatores suos nunc oculis Judææ subtrahit, sed postmodum ostendit, quasi stellas suas abscondit, ut absconsis prius et post coruscantibus astrorum spiritualium radiis, suæ perfidiæ noctem et nunc repulsa non videat, et tunc illuminata deprehendat. Plebs autem Israelitica, quæ ubertim in fine colligetur, in ipsis sanctæ Ecclesiæ exordiis crudeliter obduratur, nam prædicatores veritatis renuit, verba adjutorii sprevit. Quod tamen auctoris dispensatione agitur ut nimirum gloria prædicantium, quæ recepta in uno populo latere poterat, in cunctis gentibus repulsa dilatetur. Cum enim Judæa ad vim persecutionis infremuit, apostolorum vitam Dominus in cunctarum cognitionem gentium dilatavit ; et illa per judicium in mundum captiva dispergitur, ista ubique per gratiam in honore tenditur. Quis enim gentium Petrum nosset, si in solius Israelitici populi prædicatione remansisset? Quis Pauli virtutes agnosceret, nisi hunc Judæa ad nostram notitiam persequendo transmisisset? Ecce jam qui plagis et contumeliis ab Israelitica plebe repulsi sunt, per mundi fines honorantur. Secreti quippe mira dispensatione consilii prædicatores suos Dominus unde permisit in una gente opprimi, fecit in mundi cardines inde dilatari.

CAP. XXVI. — *Conclusit Deus omnia in incredulitate* (*Rom.* XI, 30).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 56, et Dial. l. II, c. 16.) *Quam incomprehensibilia sunt judicia Dei et investigabiles viæ ejus* (*Ibid.*, 33)! Incomprehensibilitas divini judicii humanæ mentis oculo non valet penetrari. Quare primum Judæa credidit, gentilitate omni in perfidiæ suæ obstinatione remanente; postmodum vero ad finem gentilium corda mollita sunt, et Judæorum infidelitas obdurata. Cum enim misericors Deus gentes traxit, iratus Judæam repulit : et illa mollia et penetrabilia fidei corda Judæorum in insensibilitatem versa sunt gentium ; actumque est ut sicut dudum ad percipiendam fidem gentilitas fuerat obdurata, ita postmodum ad fidem gentilitate suscepta, Judææ populus perfidiæ robore duresceret. Unde Paulus apostolus eisdem gentibus dicit : *Sicut aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem ; ita et isti non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Quam sententiam suam primum quidem de vocatione Judæorum et repulsione gentium, postmodum vero de vocatione gentium et repulsione Judæorum subtiliter pensans, seque occulta Dei judicia comprehendere non posse considerans, exclamando subjunxit : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI)! Nemo ergo perscrutari appetat cur cum alius repellitur, alius eligatur, vel cur cum alius eligitur, alius repellatur, quoniam attestante Paulo, inscrutabilia sunt judicia ejus. In his autem verbis Apostoli oritur quæstio. Nam David propheta Domino loquitur, dicens : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui* (*Psal.* CXVIII, 13). Et cum minus sit nosse quam pronuntiare, quid est quod Paulus incomprehensibilia esse Dei judicia asserit, David autem hæc se omnia non solum nosse sed et in labiis pronuntiasse testatur? Sed sciendum est quod sancti viri in quantum cum Domino unum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim qui devote Dominum sequuntur, etiam cum Domino devotione sunt, et adhuc carnis corruptibilis pondere gravati, cum Domino non sunt. Occulta itaque Dei judicia, in quantum conjuncti sunt, sciunt, in quantum disjuncti sunt, nesciunt. Qui enim secreta ejus adhuc perfecte non penetrant, incomprehensibilia ejus judicia esse testantur ; qui vero ei inente inhærent, et

inhærendo vel sacræ Scripturæ eloquiis vel occultis revelationibus, in quantum accipiunt, agnoscunt, hoc et norunt et pronuntiant. Judicia igitur quæ Deus tacet nesciunt, quæ Deus loquitur sciunt. Unde et David propheta cum dixisset : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia*, protinus addidit, *oris tui*. Ac si aperte dicat : illa ergo judicia et nosse et pronuntiare potui quæ te dixisse cognovi. Nam ea quæ ipse non loqueris nostris proculdubio cognitionibus abscondis. Concordat ergo prophetica apostolicaque sententia, quia et incomprehensibilia sunt Dei judicia; et tamen quæ de ore ejus prolata fuerint humanis labiis pronuntiantur, quoniam sciri ab hominibus et prolata prodi possunt, et occultari non possunt. Rursus alia suboritur quæstio : si unus fit cum Domino spiritus qui Domino adhæret, sicut scriptum est : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est;* quid sit quod idem prædicator egregius Paulus subjungit, dicens : *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*I Cor.* VI, 17)? Valde enim inconveniens videtur esse, ejus sensum cum quo unus factus fuerit ignorare. Sed sciendum est quia sicut supra breviter dictum est, sancti viri in quantum cum Domino unum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoque apostolus dicit : *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei* (*I Cor.* II, 11). Qui ut ostenderet se nosse quæ Dei sunt, adjunxit : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed ipsum qui ex Deo est.* Hinc iterum dicit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, nobis autem revelavit per Spiritum sanctum* (*I Cor.* II, 9).

CAP. XXVII. — *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, n. 69 et 70.) Diversis temporibus Abel, Isaias et Joannes apparuerunt; divisi quidem fuerunt tempore, sed non prædicatione. Nam Abel Redemptoris nostri passionem significans, agnum in sacrificio obtulit; de cujus passione Isaias ait : *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, non aperiens os suum* (*Isa.* LIII, 7). De quo Joannes quoque ait : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Ecce quidem diversis temporibus missi, et tamen concorditer de nostri Redemptoris innocentia sentientes, eumdem Agnum Joannes ostendendo, Isaias prævidendo, Abel offerendo locutus est. Et quem Joannes in ostensione, quem Isaias in locutione, hunc Abel significando in manibus tenuit. Diversis quoque temporibus huic mundo David, Isaias et Paulus apparuerunt; sed tamen nullus eorum alteri diversum sensit, quia etsi semetipsos non noverant facie, unum tamen didicerunt ex divina cognitione. David quippe ut auctorem omnium Deum in Trinitate ostenderet, dixit : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* (*Psal.* LXVI, 8) : ac ne tertio Deum nominans, tres deos dixisse putaretur, illico unitatem ejusdem Trinitatis insinuans, addidit : *Et metuant eum omnes fines terræ.* Qui enim non eos, sed eum subdidit, unum tria quæ dixerat intimavit. Isaias quoque cum laudem de unitate Trinitatis aperiret, Seraphim voces exprimens, ait : *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ac ne tertio Sanctum nominans, unitatem divinæ substantiæ scindere videretur, adjunxit : *Dominus Deus Sabaoth* (*Isa.* VI, 3). Qui ergo non Domini dii, sed Dominus Deus addidit, unum existere quod tertio Sanctum vocaverat indicavit. Paulus quoque ut operationem sanctæ Trinitatis ostenderet, ait : *Ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Atque ut unitatem ejusdem Trinitatis intimaret, addidit : *Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Qui igitur non ipsis, sed ipsi subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit, quod superius tertio idipsum dixit.

CAP. XXVIII. — *Obsecro vos, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem* (*Rom.* XII, 1).

(Lib. II, in Ezech., homil. 10, n. 19.) Multi sunt in Ecclesia sancta positi, qui peccatorum suorum memores, lacrymis se lavant, carnem per abstinentiam macerant, nullis se hujus mundi actionibus miscent; quæ habent, indigentibus tribuunt, et habere quæ non habent non concupiscunt : qui memores æterni judicii semetipsos quotidie Deo sacrificium per lamentum compunctionis mactant. Qui idcirco corpora castigant quatenus hoc quod per magistrum gentium dicitur, impleant : *Ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Hostia quippe occiditur ut offeratur. Sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum; quod hostia dicitur, et vivens, quia vivit in virtutibus, id est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo est a pravis actibus mortuum, vivens autem, quia cuncta quæ prævalet bona operatur.

CAP. XXIX. — *Non plus sapere, quam oportet sapere* (*Rom.* XII, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 18.) Hæretici plerumque audacter de natura divinitatis tractant, cum semetipsos miseri nesciant : nec ea quærunt ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, patientiam servent, longanimitatem exhibeant, sed quæ ultra se sunt perscrutari desiderant. Dumque ad hoc tendunt quod comprehendere nequeunt, ea cognoscere negligunt ex quibus eruditi potuerant. Quam bene eorum audaciam prædicator egregius refrenat, dicens : *Non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.* Hinc Salomon ait : *Prudentiæ tuæ pone modum* (*Prov.* XXIII, 4).

CAP. XXX. — *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos* (*Rom.* XII, 16).

(In exposit. B. Job, lib. XIII, num. 45.) Ad veram sapientiam non possunt venire qui fiducia decipiuntur falsæ suæ sapientiæ, de quibus scriptum est : *Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isa.* V, 21). Unde et prædicator egregius, hos quos carnaliter sapientes invenerat ut sapientiam veram perciperent, prius fieri stultos quærebat, dicens : *Si quis inter vos videtur esse sapiens in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18). Ac si eis aperte dicat : Stulti esse apud vosmetipsos discite, ut in Deo vere sapientes esse valeatis. Hinc rursum ait : *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Ac si dicat : Qui apud semetipsos sapientes sunt, ad veram sapientiam pervenire non possunt. Et per semetipsam Veritas dicit : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ : quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25).

CAP. XXXI. — *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* II, 18).

(Regul. Pastor. part. III, cap. 22.) Si pacem diligentes ad increpationis verba prosiliant, non debent formidare temporalem pacem sibi turbare; et tamen eamdem pacem integra dilectione debent intrinsecus tenere, quam per invectionem vocis videntur extrinsecus sibi turbare. Hinc Paulus ait : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Hortaturus enim discipulos ut pacem cum omnibus haberent, præmisit, dicens : *Si fieri potest;* atque subjunxit : *Quod ex vobis est.* Difficile quippe erat, ut si male acta corriperent, habere pacem cum omnibus possent; sed cum temporalis pax in pravorum cordibus ex increpatione nostra confunditur, inviolata necesse est ut in nostro corde servetur. Recte itaque ait : *Quod ex vobis est;* ac si nimirum dicat : Quia pax ex duarum partium consensu subsistit, si ab eis qui corripiuntur expellitur, integra tamen in vestra qui corripitis mente teneatur. Unde eosdem discipulos rursum admonet, dicens : *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non*

commisceamini cum illo, ut confundatur (*II Thess.* III, 14). Atque illico adjunxit : *Et nolite ut inimicum existimare illum, sed corripite ut fratrem* (*Vers.* 15). Ac si diceret : Pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem circa illum medullitus custodite, ut peccantis mentem sic vestra discordia feriat, quatenus pax a cordibus vestris nec abnegata discedat.

CAP. XXXII. — *Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa* (*Rom.* XIII, 3).

(Regul. Pastor. part. III, cap. 38.) De duobus vitiis quorum unum nullatenus exstinguitur, nisi aliud nutriatur, illud insequendum est ardentius quod premit periculosius. Sæpe enim quis a ciborum se ingluvie minime temperans, jamjamque pene superantis luxuriæ stimulis premitur, qui hujus pugnæ metu territus, dum se per abstinentiam restringere nititur, inanis gloriæ tentatione fatigatur. Tolerandum itaque est, ut per virtutem abstinentiæ interim arrogantia contra viventem crescat, ne eum per ingluviem a vita luxuria funditus exstinguat. Hinc est quod Paulus cum infirmum auditorem suum perpenderet aut prava adhuc velle agere, aut de actione recta humanæ laudis retributione gaudere, ait : *Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa.* Neque enim ideo bona agenda sunt ut potestas hujus mundi nulla timeatur, aut per hæc gloria transitoriæ laudis sumatur : sed cum infirmam mentem ad tantum robur ascendere non posse pensaret, ut et pravitatem simul vitaret et laudem prædicator egregius et admonendo aliquid obtulit et aliquid tulit. Concedendo enim levia „ subtraxit acriora ; ut quia ad deserenda cuncta simul non assurgeret, dum in quodam suo vitio animus familiariter relinquitur, a quodam suo sine dolore tolleretur.

CAP. XXXIII. — *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 3, 4.) Nos omnes qui veritatem in hac vita sequimur, quasi aurora vel diluculum vocari possumus. Aurora namque vel diluculum noctem quidem interiisse nuntiant, nec tamen claritatem diei integram ostentant; sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem permixtam tenebris tenent. Nos similiter quædam jam quæ lucis sunt agimus, et tamen quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis non caremus. Per prophetam quippe Deo dicitur : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2). Rursumque scriptum est : *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Paulus quoque ait : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Ubi ergo lex peccati cum lege mentis contendit, profecto adhuc aurora est, quia lux quæ jam emicuit necdum prætereuntes tenebras funditus pressit; adhuc aurora est, quia dum lex carnis legem mentis, et lex mentis legem carnis percutit, inter se vicissim lux et umbra confligit. Unde rursum Paulus cum diceret : *Nox præcessit*, nequaquam subdidit : Dies venit, sed *dies autem appropinquavit.* Qui enim post discessum noctis non jam venisse, sed appropinquasse diem insinuat, esse se proculdubio ante solem post tenebras adhuc in aurora demonstrat. Tunc vero plene sancta electorum Ecclesia dies erit, cum ei admixta peccati umbra jam non erit; tunc plene dies erit, quando luminis interni perfecto fervore claruerit; tunc plene dies erit, quando nullam malorum suorum tentantem memoriam tolerans, omnes a se tenebrarum etiam reliquias abscondet.

CAP. XXXIV. — *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 62, 63.) Discretus vir ac continens usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, et a voluptate restringit. Sciendum vero est quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit, et tanto gulam securius in præceps rapit, quanto sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. Sæpe autem in ipsa edendi via furtive adjuncta subsequitur, nonnunquam vero impudenter libera etiam præire conatur. Facile est autem deprehendere, cum voluptas ejus necessitatem prævenit, sed valde est difficile discernere cum in ipso esu necessario se occulta subjungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum sequitur, quasi a tergo veniens tardius videtur. Eo enim tempore quo necessitati debitum solvitur; quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, et quid, sicut dictum est, voluptas suppetat, ignoratur. Sæpe vero et discernimus, et quia utramque per experientiam sibi conjunctam novimus, in hoc quod extra metas rapimur, libet ut sciendo fallamur. Et dum sibi mens ex necessitate blanditur, ex voluptate decipitur, sicut scriptum est : *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Quæ igitur in desiderio fieri prohibetur, in necessitate conceditur. Sed sæpe dum incaute necessitati condescendimus, desideriis deservimus; nonnunquam vero, dum desideriis immoderatius obviare nitimur, necessitatis miserias augemus. Sic enim necesse est ut artem quisque continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adjutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem quem exterius gestamus, et ipsi insunt motus lasciviæ, ipsi effectus suppetunt operationis bonæ. Sæpe vero dum in illo hostem insequimur, etiam civem quem diligimus trucidamus, et sæpe dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt. Et cum virtus alitur, plerumque vires quoque vitiis augentur; cum vero immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Unde necesse est ut interior homo noster, æquus quidem arbiter præsideat inter se et eum quem exterius gestat, quatenus ei suus homo exterior, et semper ad debitum ministerium servire sufficiat, et nunquam superbe libera cervice contradicat. Nec moveat si quid suggerendo submurmurat, dummodo eum semper superposita calce dominationis premat.

CAP. XXXV. — *Item unde supra.*

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 105, 106.) Plerumque se ad viam rectitudinis animus accendit, torporem discutit, tantoque in cœlestibus desiderio rapitur, ut pene nil ex eo inferius remansisse videatur. Et tamen cum ad carnis curam reducitur, sine qua præsentis vitæ via nullomodo expletur, ita hunc inferius depressum tenet, ac si adhuc de summis nulla contigisset. Auditis verbis cœlestis oraculi in amorem patriæ cœlestis erigitur, sed resurgente præsentis vitæ studio, sub terrenæ curæ aggere sepelitur; atque in terra cordis nequaquam supernæ spei semen proficit, quia cogitationis infimæ spina densescit. Quam videlicet spinam per semetipsam Veritas manu sanctæ exhortationis eradicat, dicens : *Nolite solliciti esse in crastinum* (*Matth.* VI, 34). Contra hanc quoque per Paulum dicitur : *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII, 14). Sed in his nimirum ducis et militis verbis agnoscimus, quia tunc ab ea mortifero vulnere animus pungitur, cum in ea mensura æquitatis non tenetur. Neque mortali adhuc in carne viventibus funditus cura carnis abscinditur, sed ut discrete animo serviat temperatur. Nam quia sollicitos nos esse in crastinum prohibet, habere utcunque curam in præsentibus non negat, quam tendi ad tempus quod sequitur vetat. Et nimirum Paulus cum curam carnis fieri in concupiscentia non sinit, proculdubio in necessitate concedit. Curandum itaque est, ne aut necessitatis metas cura carnis

transeat, aut in eo quod moderate exsequitur, de se præsumat. Sæpe vero animus fallitur, ut quod voluptuose appetit necessarium suspicetur, quatenus omne quod libet vitæ debitam utilitatem putet. Et sæpe quia effectus providentiam sequitur, in sui fiducia mens levatur. Cumque sibi adest quod deesse cæteris viderit, cogitatione tacita de magnitudine suæ promissionis hilarescit; tantoque jam a vera provisione longe fit, quanto ipsam quoque elationem quam patitur nescit. Unde solerti semper custodiæ intentione pensandum est, vel quid opere agimus, vel quid corde versamus; ne aut mentem præpediens foris se terrena cura multiplicet, aut saltem de ejus moderamine intus se cogitatio exaltet, ut cum divina judicia temporali circumspectione metuimus, sempiterni supplicia horroris evadamus.

CAP. XXXVI. — *Alius judicat diem inter diem*, etc. (*Rom.* XIV, 5).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 28) Sicut ignorantiæ obscuritas sine dubitatione nox cordis est, sic intellectus non immerito dies appellatur. Unde et per Paulum dicitur : *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem.* Ac si aperte dicat : Alius quædam nonnullis intermissis intelligit, alius vero omnia ad intellectum possibilia ita ut sunt videnda cognoscit.

CAP. XXXVII. — *Gentes super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XV, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 58; lib. X in Job, num. 7.) Secreta sapientiæ Dei sunt judicia, quod gentilitas, cum nulla apud Deum merita habuerit, reconciliationis tamen gratiam ex sola misericordia accepit. Unde bene per Paulum dicitur : *Gentes autem super misericordia honorare Deum* (*I Petr.* II, 10). Unde rursum scriptum est : *Et quæ non consecuta misericordiam, nunc autem misericordiam consecuta.* Locus igitur misericordiæ Dei est ipsa gentilitas, cujus culpas districtus judex si juste animadverteret, ad reconciliationem gratiæ nunquam veniret. Secreta itaque sapientiæ ejus pauci valent inquirere, sed nullus invenire, quia quod super nos de nobis ab immortali sapientia non injuste disponitur, justum profecto est ut a nobis adhuc mortalibus ignoretur. Sed hæc ipsa sapientiæ illius secreta conspicere, utcunque jam incomprehensibilitatis ejus est potentiam videre, quia etsi in ipsa consiliorum inquisitione deficimus, deficiendo tamen verius discimus quem timeamus. Ad hæc se Paulus sapientiæ illius secreta tetenderat, et cum secreta Dei judicia de repulsione A Judæorum et vocatione gentilium discuteret, et ad ea pervenire non posset, dicebat : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, vel quis consiliarius ejus fuit* (*Rom.* XI, 33)? Qui superius etiam ex ipsa inquisitione lassescens, sed tamen ad cognitionem infirmitatis propriæ lacessendo proficiens, præmittit, dicens : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic* (*Rom.* IX, 20)? Quia igitur Dei judicia pertingere non valens, ad infirmitatis suæ cognitionem rediit : et ad eruditionem se propriam deficiendo revocavit, ut ita dicam, secreta sapientiæ non inveniens, invenit, quia cum ad superna consilia requirenda lassesceret, didicit ut humilius timeret : quem sua infirmitas a cognitione intima repulit, hunc ei verius humilitas junxit.

CAP. XXXVIII. — *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo* (*Rom.* XVI, 19). B

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 2; Reg. Pastor. part. III, c. 11.) De beato Job legitur quod fuerit simplex et rectus. Nonnulli namque ita simplices sunt, ut rectum quid sit ignorent. Sed eo veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt, quia dum esse cauti per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Admonendi sunt ergo simplices, ut bono simplicitatis prudentiam semper adjungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, ut circumspectionem prudentiæ non amittant. Hinc est quod doctor gentium Paulus discipulos admonet, dicens : *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo.* Hinc rursum dicit : *Nolite pueri sensibus effici, sed malitia estote parvuli* (*I Cor.* XIV, 20). Hinc per semetipsam Veritas discipulis præcipit, dicens : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 61). Utraque enim necessario conjunxit in admonitione, ut simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, et rursum serpentis astutiam simplicitas columbæ temperaret. Hinc est quod sanctus Spiritus præsentiam suam hominibus non in columba solummodo, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippe simplicitas, per ignem vero zelus indicatur. In columba igitur et in igne sanctus Spiritus ostenditur quoniam quicunque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, ut contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur. C

EXPOSITIO SUPER PRIMAM EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS.

CAPUT PRIMUM. — *In omnibus divites facti estis* (*I Cor.* I, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 41, et maxime lib. I, in Ezech., homil. 11, n. 17, 18, 19.) Verecundæ mentes, si quas fortasse culpas admiserint, leniter arguendæ sunt, quia si asperius increpentur, franguntur potius quam erudiant. Prædicatores itaque justi cum aliquos corrigunt, si in eis ex parte alia fortasse aliquid bonæ operationis potuerint invenire, ad eadem objurgationis verba cum magna dispensatione debent descendere. Quod bene in egregio prædicatore beato Paulo discimus, qui cum Corinthios cognosceret pro amore personarum in schismate divisos, eorum verecundiæ consulens, locutionem suam eis a gratiarum actione et laudibus cœpit dicens : *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu : quia in omnibus divites facti estis in illo.* Multum profecto laudabat, quos in Christo divites in omnibus dicebat. Ecce adhuc blandimenta multiplicat, dicens : *In omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis* (*Vers.* 5). Testimonium Christi confirmatum est in vobis dixit, ac si opere peregissent quod doctrina didicerant. Et mox in laudis consummatione subjunxit : *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi* (*Vers.*7). Quæso te, Paule, si jam nihil deest, cur eis scribendo fatigaris? cur in longinquo positus loqueris? Pensemus ergo, fratres charissimi, quantum laudat. Ecce eis gratiam Dei datam asserit, factos divites in omnibus dicit; in omni verbo et in omni scientia Christi testimonium, id est quod de semetipso moriendo et resurgendo testatus est, in eorum vita confirmatum esse perhibet, et nihil eis deesse in ulla gratia testatur. Quis, rogo, credat quia paulo post eos corripiat quos ita laudat? Nam post cætera subjungit : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* (*II Cor.* I, 10) Quod enim potuit tam perfectis tamque laudabilibus schisma subrepere? *Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos* (*Vers.* 11). De quibus contentionibus paulo post subdidit dicens : *Cum enim inter vos sit zelus et* D

contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis (*I Cor.* III, 3) ? Sequitur : *Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi* (*I Cor.* I, 12). Ecce quos in omni verbo et in omni scientia laudaverat, quibus nil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens ad increpandum leniter veniens, divisos erga seipsos reprehendit, et quorum prius salutem narraverat postmodum vulnera patefecit. Peritus enim medicus vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpavit et subito percussit. Prius blanda manu laudes posuit, et postmodum ferrum increpationis fixit. Nisi enim verecundæ mentes fuerint palpando reprehensæ, ita ut ex aliis rebus audiant quod in consolatione sumant, per increpationem protinus ad desperationem cadunt. Sed nunquid mentitus est Paulus, ut prius nil deesse in omni gratia diceret quibus postmodum dicturus erat unitatem deesse ? Absit hoc ut quis de illo talia vel desipiens credat ; sed quia erant inter Corinthios quidam omni gratia repleti, et erant quidam in personarum favoribus excisi, cœpit a laudibus perfectorum, ut modesta invectione ad reprehensionem pertingeret infirmorum, et in hoc quoque ad medicinam cordis a medicina corporis usum trahens. Nam cum feriendum vulnus medicus aspicit, prius ea membra quæ circa vulnus sana sunt palpat, ut post ad ea quæ vulnerata sunt leniter palpando perveniat. Cum ergo Paulus perfectos in Corinthiis laudavit, sana membra juxta vulnus tetigit ; cum vero infirmos de divisione reprehendit, vulnus in corpore percussit.

CAP. II. — *Quæ a Deo donata sunt nobis loquimur : non in doctis humanæ sapientiæ verbis* (*I Cor.* II, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 74.) Verba mandatorum Dei ab hujus mundi sapientibus differunt, qui dum intendunt eloquentiæ, eorum dicta pulchre apparent ; et cum rerum virtute careant, aliud esse quam sunt verborum compositione quasi superducto colore mentiuntur. At contra doctrina Dei, et prædicatione pulchra est, et puritate conspicua, nec aliud se per fallaciam prætendit exterius et aliud reservat interius, neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. Eloquentiæ ornamenta bene Paulus despexerat, cum dicebat : *Quæ a Deo donata sunt nobis loquimur : non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.* Malebat quippe sapientiam Dei sola puritate veritatis ostendere, non autem compositione eloquii fucare.

CAP. III. — *Quis scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est* (*I Cor.* II, 11) ?

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 66.) Tunc spiritus hominis ab altero ignoratur, cum verbis vel operibus non demonstratur. Nam cum scriptum sit : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16), per hoc quod foris agitur quidquid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur : *Quomodo in aquis resplendet prospicientium vultus, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus* (*Prov.* XXVII, 19).

CAP. IV. — *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam* (*I Cor.* I, 23).

(Homil. 6, in Evang., n. 1.) In Domino nostro Jesu Christo mens infidelium grave scandalum pertulit, cum eum post tot miracula quæ fecerat morientem vidit. Stultum quippe visum est hominibus ut pro hominibus auctor vitæ moreretur, et inde contra eum homo scandalum sumpsit unde ei amplius debitor fieri ut honoraretur debuit. Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus exstitit, quanto pro hominibus et indigna suscepit.

CAP. V. — *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2).

(Lib. I, in Ezech., hom. 9, n. 31.) Sacra Scriptura ea quæ de natura divinitatis vel de æternis gaudiis narrat nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita ; et in sacro eloquio dictis occultioribus atque sublimioribus fortes satiantur ; et præceptis apertioribus nos parvuli nutrimur, qui intelligere alta non possumus, in Christi fide salvamur. Unde Corinthiis a beato Paulo dicitur : *Nihil me judicavi scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* ; ac si diceret : Quia vos capere divinitatis ejus mysteria non posse pensavi, sola vobis humanitatis ejus infirma locutus sum.

CAP. VI. — *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (*I Cor.* I, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 1.) Dominus noster Jesus Christus qui est Dei virtus et sapientia, de Patre natus ante tempora, in illa nativitate ab humano genere cognosci non poterat. Proinde in humanitate venit ut videretur, videri voluit ut imitaretur. Quæ carnis nativitas despecta visa est sapientibus mundi. Contempserant enim infirma humanitatis ejus, Deo hæc indigna judicantes, cui tanto magis homo debitor fuit, quanto pro illo Deus etiam indigna suscepit : et pro eo salvando stultitiam prædicationis assumpsit ; scriptum quippe est : *Quia enim non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes in se.* Verbum quippe Dei, sapientia est. Sed stultitia ejus sapientiæ dicta est caro Verbi, ut quia carnales quique per carnis suæ prudentiam pertingere non valebant ad sapientiam Dei, per stultitiam prædicationis, id est per incarnationem Verbi sanarentur, ac si diceret : Cum Deum qui est sapientia, nequaquam per sapientiam suam mundus inveniret, placuit ut Deum hominem factum per humilitatis stultitiam cognosceret, quatenus ejus sapientia ad nostra stulta descenderet, et lumen supernæ prudentiæ luto suæ carnis illuminata nostra cæcitas videret. Natus igitur ex Patre sine tempore, ex matre nasci dignatus est in tempore.

CAP. VII. — *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (*I Cor.* I, 2).

(In expos. B. Job., lib. XX, num. 41 ; lib. IV, num. 71.) Intra sanctam Ecclesiam stulti vocantur, sed tamen nobiles sunt qui prudentiam carnis, et stultam mundi sapientiam despiciunt, et sapientem sibi profuturam Dei stultitiam appetentes concupiscunt. Scriptum quippe est : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Hanc nos stultitiam Paulus comprehendere admonet, dicens : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18). Hanc stultitiam qui perfecte secuti sunt, voce Sapientiæ audire meruerunt : *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Ecce relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sunt. Quid itaque stultius in hoc mundo quam sua deserere ? et quid in æternitate nobilius quam cum Deo judices venire ? Horum scilicet judicum nobilitas ; Salomone attestante, memoratur, cum hoc quod jam præfatus sum, dicitur : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI, 23). Valde quippe nobiles considerat, quos senatores vocat. Hanc in se nobilitatem Paulus aspexerat, cum cognitioni Conditoris per Spiritum junctus dicebat : *Genus igitur cum simus Dei, non debemus æstimare auro, vel argento, aut lapidi sculpturæ artis, et cognitionis hominis divinum esse simile* (*Act.* XVII, 29). Genus videlicet Dei dicimur, non ex ejus natura editi, sed per spiritum illius, et voluntarie conditi, et adoptive

recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur. At contra sunt stulti et ignobiles, qui supernam sapientiam semetipsos sequentes fugiunt, in sua ignorantia, quasi in abjectæ prolis vilitate sopiuntur : qui quo id ad quod conditi sunt non intelligunt, eo etiam cognationem acceptæ per imaginem generositatis perdunt. Stulti sunt et ignobiles, quos ab æternæ consortio hæreditatis repellit servitus mentis. Scriptum quippe est : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34) ; nimirum quisquis se pravo desiderio subjicit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla supponit. Sed huic dominio contradicimus, cum iniquitati quæ nos ceperat reluctamus, cum violentæ consuetudini resistimus, et desideria perversa calcantes, contra hanc jus nobis libertatis ingenitæ vindicamus, cum culpam pœnitendo percutimus, et maculas sordium fletibus lavamus. Præterea de stultis et ignobilibus voce prædicatoris egregii dicitur : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III, 19). Qui ergo dum terrena sapiunt, ab intima generositate repulsi sunt, stulti simul et ignobiles sunt apud Deum.

CAP. VIII.—*Quæ stulta sunt mundi elegit Deus* (*I Cor.* I, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 1 ; lib. I, num. 25 ; lib. XXXI, num. 1.) In paradiso sano homini diabolus invidens superbiæ vulnus inflixit, ut qui mortem non acceperat conditus, mereretur elatus. Contra hoc inflictum vulnus superbientis apparuit medicina inter homines humilitas Dei, ut auctoris exemplo humilitate surgerent qui imitatione hostis elati ceciderunt. Contra superbientem ergo diabolum apparuit inter homines homo factus humilis Deus, qui ad redemptionem nostram veniens, et suos contra mundi superbiam prædicatores mittens, relictis sapientibus insipientes, relictis fortibus debiles, relictis divitibus pauperes elegit. Ad cognitionem quippe fidei prius stulta mundi collecta sunt, ut post ejus etiam astuta vocarentur, attestante Paulo qui ait : *Non sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (*I Cor.* I). Ipsa namque sanctæ Ecclesiæ principia litterarum perhibentur ignara, ut videlicet cunctis prædicatoribus suis redemptor ostenderet quod ad vitam credentes populos non sermo sed causa suaderet. Præterea, *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (*I Cor.* I, 27); actumque est cum pauperibus quod post etiam divites elati mirarentur. Nam dum novas in illis virtutes aspiciunt, eorum quorum prius contempsere vitam, postmodum obstupuere miracula. Unde mox pavidi ad sua corda redeuntes, extimuerunt sanctitatem in miraculis quam despexerant in præceptis. Per infirma ergo confusa sunt fortia, quia dum in veneration[illegible]nem vita surgeret humilium, elatio cecidit superborum.

CAP. IX.—*Cum enim sit inter vos zelus, et contentio : nonne carnales estis* (*I Cor.* III, 3) ?

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 42.) Sæpe prædicatores justi quodam decenti moderamine suas culpas coram discipulis indicant, ut illi audientes discant quomodo semetipsos de suis actionibus subtiliter reprehendant. Tanta vero dispensatione se temperant, ut neque cum se erigunt intrinsecus rigidi sint, neque rursum cum se humiliant extrinsecus remissi, quia et in disciplina humilitatem custodiunt, et in humilitate disciplinam. Paulus disciplinam tenuit, cum Corinthiis diceret : *Cum enim sit inter vos zelus et contentio : nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* ? Sed hanc humilitatem in disciplina non perdidit, quia deprecando præmisit, dicens : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* (*I Cor.* I, 10). Rursum humilitatem tenuit cum eisdem Corinthiis loquens, paulo latius fortasse quam A voluerat, semetipsum reprehendit, dicens : *Factus sum insipiens* (*II Cor.* XII, 11). Sed disciplinam in hac humilitate non perdidit, quoniam illico adjunxit : *Vos me coegistis* (*II Cor.* IV, 5). Exemplum magnæ humilitatis exhibuit cum discipulis dixit : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum : nos autem servos vestros per Christum* (*Vers.* 21). Sed in hac humilitate disciplinæ justitiam non amisit, quoniam ei dem delinquentibus dicit : *Quid vultis in virga veniam ad vos*, etc.? Sciunt ergo prædicatores sancti utroque moderamine artem magisterii temperare ; et cum delinquentium reatus inveniunt, sciunt modo severe corripere, modo humiliter deprecari. Sed tamen cum stimulante justitia eos severe corrigunt, internæ dulcedinis charitatis erga eos gratiam non amittunt, et eorum amore ardent in quos aspera correptione sæviunt, seque etiam eis intrinsecus in secreto cordis humiliant quos duris foris animadversionum stimulis quasi despiciendo castigant. Plerumque etiam et non despiB ciendo despiciunt, et non desperando desperant, ut tanto celerius eos à culpa reviviscere ac resilire faciant quanto quasi jam vicinius mortis foveam ostentant.

CAP. X.—*Ego plantavi, Apollo rigavit* (*I Cor.* III, 6).

In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 43 ; lib. XVII, num. 27.) Dominus prædicatores suos et doctores voce sua foris insonat, sed audientium corda per seipsum interius illustrat, Paulo attestante, qui ait : *Ego plantavi, Apollo rigavit : sed Deus incrementum dedit.* Nequaquam ergo sibi doctores tribuant quod per exhortationem suam auditores ad summa proficere vident, quia nisi sanctus Spiritus eorum corda repleat, ad aures corporum vox docentium incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc exprimere interius non possunt. Sed inter hæc sciendum est quod plerumque etiam Deum, qui imbecillis non est, humiliter agentes adjuvamus. Unde per Paulum dicitur : *Dei enim sumus adjutores* C (*Ibid.*, 9). Nam cum ei quem ipse per internam gratiam infundit nos exhortationis voce concurrimus, hoc quod ille per Spiritum sanctum agit intrinsecus nos exterius ministerio vocis adjuvamus. Et tunc solum nostra exhortatio ad perfectionem ducitur, cum in corde fuerit Deus qui adjuvet. Unde et per Paulum dicitur : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*Ibid.*, 7). Plantare quippe et rigare adjuvare est : quod utrumque vacuum erit ministerium, si Deus in corde non dat incrementum. Sed qui de sensu suo alta sapiunt, esse humiliter Dei adjutores nolunt, quia dum se Deo utiles esse æstimant, a fructu se utilitatis alienant. Unde et voce Veritatis discipulis dicitur : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus* (*Luc.* XVII, 10).

CAP. XI. — *Fundamentum aliud nemo potest ponere* (*I Cor.* III, 11).

D (In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 14.) In Scriptura sacra per fundamenta prædicatores intelliguntur. Unde David propheta cum sanctam Ecclesiam in sublimibus apostolorum mentibus poni ædificarique consuesceret, dixit : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1). Cum vero in sacro eloquio non fundamenta, sed singulari numero fundamentum dicitur, nullus alius nisi ipse Dominus designatur, per cujus divinitatis potentiam mutantia infirmitatis nostræ corda solidantur ; de quo et Paulus ait : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ipse quippe fundamentum fundamentorum est, quia et origo est inchoantium et constantia robustorum.

CAP. XII. — *Si quis superædificaverit super hoc fundamentum, aurum et argentum*, etc. (*I Cor.* VIII, 12).

(Dialog. lib. IV, cap. 39.) De quibusdam levibus culpis ante judicium purgatorius ignis esse cre-

dendus est, pro eo quod Veritas dicit: *Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, non remittetur ei in hoc sæculo neque in futuro.* In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod de uno negatur, consequens intellectus patet quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur qui culpam qualiter declinare debeant sciunt, aut non in gravibus rebus error ignorantiæ. Quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata. Nam et cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subjungat: *Si quis superædificaverit super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam; uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit: si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*; quamvis hoc de igne tribulationis in hac vita nobis adhibito possit intelligi, tamen, si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum est sollicite quia illum dixit per ignem posse salvari, non qui super hoc fundamentum, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est peccata majora, et idcirco duriora atque tunc jam insolubilia, sed ligna, fenum, stipulam, id est peccata minima atque levissima quæ ignis facile consumat. Hoc tamen sciendum est quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hæc actibus in hac adhuc vita positus ut illic obtineat, promereatur.

Cap. XIII. — *Comprehendam sapientes in astutia eorum* (*I Cor.* III, 19).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 27; lib. VI, num. 2.) Quærendum video cur Paulus sententiis amicorum beati Job tanta auctoritate utitur, si hæ eorum sententiæ dominica reprehensione cassantur, cum dicitur: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job* (*Job*, XXXII, 7). Elyphas quippe verba sunt quæ Corinthiis Paulus intulit, dicens, sicut scriptum est: *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Quomodo igitur quasi prava respuemus quæ Paulus ex auctoritate astruit? aut quomodo attestatione Pauli recta putabimus quæ per semetipsum Dominus non recta definivit? Sed hæc utraque citius quam non sint diversa cognoscimus, si ejusdem dominicæ sententiæ subtilius verba pensamus. Quia nimirum cum diceret: *Non estis locuti coram me rectum*, illico adjunxit: *sicut servus meus Job.* Liquet ergo quia quædam eorum in dictis recta sunt, sed melioris comparatione superantur. Nam inter alia quæ irrationabiliter dicunt, multas ad beatum Job fortes sententias proferunt. Sed comparatæ dictis fortioribus, vim fortitudinis amittunt. Mira vero sunt multa quæ dicunt, nisi in sancti viri adversitatem dicerentur; in semetipsis ergo magna sunt, sed quia virum justum transfigere appetunt, ejusdem magnitudinis pondus perdunt; quia et quamlibet forte frustra jaculum mittitur ut dura saxa feriantur, eo enim obtusum longius resilit quo intortum fortiter venit. Igitur amicorum beati Job dicta, licet in quibusdam valde sint fortia, cum tamen sancti viri vitam fortem ferunt, cunctum sui acuminis mucronem retundunt. Quia ergo et in semetipsis magna sunt, sed contra beatum Job nullo modo assumi debuerunt, et Paulus hæc ex virtute pensans in auctoritate proferat; et judex, quoniam incaute prolata sunt, ex quantitate personæ reprehendat. Amicos igitur beati Job, hæreticorum speciem tenentes, in dictis suis nequaquam per omnia reprobamus, quia dum superna sententia contra eos dicitur: *Non estis loculi coram me rectum* (*Job*, XLII, 7), et protinus additur: *Sicut servus meus Job*, profecto liquet quia non omnino despicitur quod ex melioris comparatione reprobatur. In reprehensione quippe ejus incaute dilabuntur. Sed tamen quia tanti viri amici sunt, ex illius familiaritate mystica multa didicerunt. Unde, sicut diximus, eorum verbis etiam Paulus utitur, et hæc in assertionis suæ adjutorium assumens, ex Veritate prolata esse testatur; quæ tamen Veritas recte reprehendit, quia quamlibet fortis sententia, contra sanctum virum proferri non debuit.

Cap. XIV. — *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die* (*I Cor.* IV, 3).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 21, 56, et l. I in Ezech., hom. 9, num. 14.) Justi nequaquam humana judicia sed æterni judicis examen metuentes aspiciunt, et non solum mala quæ reprobi et perversi sibi ingerunt, sed et eorum verba quibus suis actibus derogant contemnunt. Hinc etenim derogantibus sibi Corinthiis Paulus dicebat: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Qui nec in corde suo unde se reprehendere potuisset inveniens, adjungit: *Sed neque meipsum judico: nihil enim mihi conscius sum.* Videns autem quia ei ad perfectionem sanctitatis nec suum judicium sufficeret, subdidit: *Sed non in hoc justificatus sum.* Cur vero non sit justificatus, nec sibimetipsi de seipso crediderit, causam reddidit cum subjunxit, *Qui autem judicat me, Dominus est*; ac si aperte diceret: Recta quidem egisse me recolo, et tamen de meritis meis non præsumo. Idcirco enim in eo quod mihi nihil sum conscius, justificatum me abnego, nec meo de me judicio credendum existimo, quoniam ad ejus examen ducor cujus ego judicium non comprehendo, et ab eo qui me judicabit examinari me subtilius scio. Sæpe enim nostra justitia, ad examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est, et sordet in districtione Judicis quod in æstimatione fulget operantis. Districtionem igitur divinæ justitiæ contemplantes, etiam de ipsis operibus pertimescere debemus quæ nos fortia et sancta esse putamus, quoniam ducta ad æternam regulam nostra rectitudo, si districtum judicium invenit, multis tortitudinum suarum sinibus in intimam rectitudinem impingit. Beatus quoque Job, cum per amicorum derogantium linguas inter dolores vulnerum pateretur jacula verborum, cogitatione protinus ad conscientiam recurrit, atque ubi mentem soli Iam haberet aspexit, dicens: *Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis* (*Job*, XVI, 20). Qui etiam subdidit: *Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus* (*Ibid. v.* 21). Beatus quippe Job inter linguas derogantium inflexa mente persistens, quia in terra se impugnari falsis sermonibus vidit, in cœlo testem quæsivit. In omni ergo quod de nobis dicitur, semper taciti debemus ad mentem recurrere, testem interiorem et judicem quærere. Nihil enim prodest si omnes laudent, cum accuset conscientia; et nihil potest obesse si nobis omnes derogent, et sola conscientia defendat.

Cap. XV. — *Auditur inter vos fornicatio* (*I Cor.* V, 1).

(Regul. pastor. part. III, c. 8.) Nonnunquam protervi dum corriguntur, et se vitium minime perpetrare cognoscunt, compendiosius ad correptionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris et ex latere requisitæ improperio confundantur, ut ex eo quod defendere nequeunt cognoscant se tenere improbe quod defendunt. Unde cum proterve Paulus Corinthios adversum se invicem videret inflatos, alius Apollo, alius Pauli, alius Cephæ, alius Christi se esse diceret, incesti culpam in medium deduxit quæ apud eos et perpetrata fuerat et incorrecta remanebat, dicens: *Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes: ita ut uxorem patris quis habeat; et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit?* Ac si aperte dicat: Quid vos per proterviam hujus, vel illius esse dicitis, qui per dissolutionem negligentiæ, nullius esse monstratis? Tunc etiam

protervos melius corrigimus, cum ea quæ bene egisse credunt male acta monstramus, ut unde adepta gloria creditur inde utilis confusio subsequatur.

CAP. XVI. — *Sæcularia judicia si habueritis (I Cor. VI, 4).*

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 42; Regul. Pastor. part. II, cap. 2.) A subjectis inferiora gerenda sunt, a rectoribus vero summa cogitanda, ut scilicet oculum qui providendis gressibus præeminet cura pulveris non obscuret. Caput namque subjectorum sunt cuncti qui præsunt, et ut recta pedes valeant itinera capere, hæc proculdubio caput debet ex alto providere, ne a profectus sui itinere pedes torpeant, cum curvata rectitudine corporis sese caput ad terram declinat. Hinc Moyses qui cum Deo loquitur, Jetro alienigenæ reprehensione judicatur, quod terrenis populorum negotiis stulto labore deserviat (*Exod.* XVIII). Cui et consilium mox præbetur ut pro se alios ad jurgia dirimenda constituat, et ipse liberius ad erudiendos populos spiritualium arcana cognoscat. Hinc Paulus religiosorum mentes a mundi consortio contestando, ac potius conveniendo suspendit, dicens : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit (II Tim. II, 4).* Hinc Ecclesiæ rectoribus et vacandi studia præcipit, et consulendi remedia ostendit, dicens : *Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum (I Cor. VI, 5)* : ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant quos dona spiritualia non exornant. Ac si apertius dicat : Qui minoris meriti sunt in Ecclesia, et nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent, quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur quia penetrare nequeunt intima, saltem foris operentur necessaria. Quos et contemptibiles nominat, et tamen sapientes vocat, cum dicit : *Sic non est sapiens quisquam inter vos, qui possit judicare fratrem suum.* Qua ex re quid colligitur, nisi ut hi terrenas causas examinent qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt? Qui vero spiritualibus donis ditati sunt, profecto non debent terrenis negotiis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitati valeant bonis superioribus deservire. Sciendum est enim quia aliquando in nostris actionibus minora bona prætermittenda sunt pro utilitate majorum. Nam quis ignoret esse boni operis meritum mortuum sepelire? Et tamen cuidam qui ad sepeliendum patrem se admitti poposcerat, dictum est : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuntia regnum Dei (Luc. IX, 60).* Postponendum namque erat obsequium hujus ministerii officio prædicationis, quia illos carne mortuos in terram conderet, istos autem anima mortuos ad vitam resuscitaret. Sed inter hæc sciendum est quia cum proximorum causis exterioribus qui apte deserviant desunt, debent hi quoque qui bonis spiritualibus pleni sunt eorum infirmitati condescendere, terrenisque illorum necessitatibus, in quantum decenter valent, charitatis condescensione servire. Nec tædere debet animum, si sensus ejus contemplationi spiritualium semper intentus, aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud Verbum per quod constant omnia creata, ut prodesset hominibus, assumpta humanitate, voluit paulo minus ab angelis minorari. Quid ergo mirum, si homo se propter hominem attrahit, dum Creator hominum et angelorum formam hominis propter hominem suscepit (*Hebr. II*)? Nec tamen minoratur sensus cum sic attrahitur, quia quanto subtilius superiora penetrat, tanto humilius pro Conditoris amore nec inferiora contemnit.

CAP. XVII. — *Quare non magis injuriam accipitis (I Cor. VI, 7)?*

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 21, 24.) Paulus apostolus discipulos suos cupiens exteriora despicere, ut valeant interna servare admonet, dicens : *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis, quare non magis patimini?* Et tamen hypocrita assumpto sanctæ conversationis habitu, filiorum custodiam deserit, et temporalia quæque defendere etiam jurgiis quærit : et plus terrena quam cœlestia diligens, contra eum qui temporalia diripit sese in intimis immani odio inflammat. Sciendum vero est quia sunt nonnulli quos charitatis gremio nutriens mater Ecclesia tolerat, quousque ad spiritualis ætatis incrementa perducat, qui nonnunquam et sanctitatis habitum tenent, et perfectionis meritum exsequi non valent. Ad dona namque spiritualia minime assurgunt, et idcirco his qui sibi conjuncti sunt ad ea tuenda quæ terrena sunt serviunt, et nonnunquam in defensionis ejusdem iracundia excedunt. Hos nequaquam credendum est in hypocritarum numerum currere, quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare. Hoc itaque inter hoc et hypocritas distat, quod isti juxta modum suæ intelligentiæ etiam in rebus sæculi militant causis Dei, illi vero pro causis Dei intentioni deserviunt sæculi; quia inter ipsa quoque quæ se agere sancta opera ostendunt non conversionem quærunt hominum, sed auras favorum : isti non metuunt pravis hominibus etiam de bona actione displicere, dum supernis tantummodo judiciis placeant; illi vero nunquam quid agant, sed quomodo de qualibet actione possint hominibus placere considerant. Igitur cum quosdam non despectæ conversationis viros iracunde vel nimie defendere terrena conspicimus, debemus hoc in illis per charitatem reprehendere, nec tamen eos reprehendendo desperare, quia plerumque uni eidemque homini et insunt quædam judicabilia quæ apparent, et magna quæ latent; in nobis vero sæpe magna in facie prodeunt et nonnunquam occultantur quæ reprehendenda sunt. Hinc ergo humilianda est nostræ mentis elatio, quia et illorum infirma sunt publica et nostra secreta; et rursum fortia illorum secreta sunt, et in publico nostra vulgantur. Quos ergo de aperta infirmitate reprehendimus, superest ut de occultæ fortitudinis æstimatione veneremur : et si se de aperta infirmitate nostra mens elevat, occulta sua infirma considerans, sese in humilitate premat.

CAP. XVIII. — *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt (I Cor. VI, 12).*

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 17.) Sæpe hi qui in potestate sunt, dum sese et a licitis retinere nesciunt, ad illicita opera et inquieta dilabuntur. Solus enim in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit. Qua videlicet constrictione religatum bene se Paulus insinuat, dicens : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Atque ut ex ipsa religatione ostenderet in quanta se mentis libertate dilataret, illico adjunxit : *Omnia mihi licent : sed ego sub nullius redigar potestate.* Cum enim mens concepta desideria sequitur, servire rebus convincitur quarum amore superatur : sed Paulus cui cuncta licent, sub nullius potestate se redegit, quia semetipsum etiam a licitis restringendo, ea quæ delectata premerent despecta transcendit.

CAP. XIX. — *Bonum est homini mulierem non tangere (I Cor. VII, 2.)*

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, n. 19 seq., ac Reg. Pastor. part. III, c. 27). Cum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si nullus omnino sine peccato evadendi patet aditus, minora semper eligantur : quia et qui murorum undique ambitu claditur ne fugiat, ubi brevior murus invenitur ibi se in fugam præcipitat. Hinc est quod Paulus, cum quosdam in Ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, ut declinarent majora, et peritus medicinæ cœlestis non tam sanos instituit, quam infirmis medicamina monstravit, dicens : *De quibus scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tangere; prop-*

ter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat (*I Cor.* VII, 1, 2). Qui enim fornicationis metum præmisit, profecto non stantibus præceptum contulit, sed ne fortasse in terram ruerent lectum cadentibus ostendit. Unde adhuc infirmantibus subdit: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro.* Et quia tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine sed pro suscipienda prole miscentur, ut hoc etiam quod concesserat sine culpa quamvis minima non esse monstraret, postquam in magna honestate conjugii aliquid de voluptate largitus est, illico adjunxit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*Ibid. v.* 6). Non enim est sine vitio quod ignoscitur et non præcipitur. Peccatum profecto vidit quod posse indulgeri prævidit. Culpa quippe esse innuitur quod indulgeri perhibetur, sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur, sed hoc quod est licitum sub moderatione non tenetur. Conjuges enim scire debent suscipiendæ prolis causa se esse conjunctos; et cum immoderatæ servientes admixtioni, propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant quod licet extra non exeant, in ipso tamen conjugio conjugii jura transcendunt. Unde necesse est ut crebris orationibus defleant quod pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. Sed cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus: ita plerumque antiqui hostis versutia solvitur, cum ad virtutes maximas per commissa minora transitur.

CAP. XX. — *Melius est nubere quam uri* (*I Cor.* VII, 9).

(Curæ past. part. III, c. 27; in exposit. B. Job, lib. XII, num. 27; curæ past. part. II, c. 5.) Qui conjugiis non sunt obligati nequaquam sine judicio damnationis misceri se putent vacantibus feminis. Cum enim Paulus fornicationis vitium tot criminibus exsecrandis inseruit, cujus sit reatus indicavit, dicens: *Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 9 seq.). Si igitur tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant. Scriptum quippe est: *Melius est nubere quam uri*: sine culpa scilicet ad conjugium veniunt, si tamen necdum meliora voverunt. Nam quisquis bonum majus subire proposuit, bonum minus quod fecit illicitum fecit. Scriptum quippe est: *Nemo mittens manum suam super aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). Qui igitur fortiori studio intenderat, retro respicere convincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur (*I Cor.* VII, 28). *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi:* tribulationem carnis hic pati possunt etiam qui spiritualiter vivunt. Cur ergo inesse conjugibus carnis tribulatio quasi spiritualiter dicitur, quæ etiam a vita spiritualium longe non esse cognoscitur? Ideo scilicet quod hi frequenter majores tribulationes ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur et eis insistunt. Considerare autem debent pastores et rectores, quod Paulus, qui in Paradisum ducitur cœlique tertii secreta rimatur, et tamen illa invisibilium contemplatione suspensus, ad cubile carnalium mentis aciem revocat, et in occultis suis qualiter debeant conversari dispensat, dicens: *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro* (*II Cor.* XII, 3). Et paulo post: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII, 2). Et iterum: *Revertimini in idipsum* (*Vers.* 5). Ecce jam cœlestibus secretis inseritur, et tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur. Et quem sublevatus ad invisibilia erigit hunc miseratus ad infirmantium secreta oculum cordis flectit. Cœlum contemplatione transcendit, nec tamen statum carnalium sollicitudine deserit. Similiter rectores et doctores alta contemplatione petentes non debent proximorum infirma despicere, aut infirmis proximorum congruentes non debent alta derelinquere.

CAP. XXI. — *De virginibus autem præceptum Domini non habeo* (*I Cor.* VII, 25).

(In exposit. B. Job, lib. XV, num. 22; lib. XVI, n. 10.) Exercitati in bonis operibus electi nonnunquam plus student agere quam eis Dominus dignatus est jubere: carnis enim virginitas nequaquam est jussa, sed tantummodo laudata. Nam si illa deberetur nimirum jam conjugium culpa crederetur. Et tamen multi virtute pollent virginitatis, ut videlicet plus impendant obsequio quam acceperunt præcepto. Et sciendum quod sunt nonnulli hæretici qui ita virginitati carnis student, et nuptias damnent; sicut etiam sunt nonnulli qui ita abstinentiam laudant, ut sumentes alimenta necessaria detestentur, de quibus scriptum per Paulum dicitur: *Prohibentium nubere, et abstinere a cibis: quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus* (*I Tim.* IV, 3).

CAP. XXII. — *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint* (*I Cor.* VII, 29).

(Curæ past. part. 3, c. 27.) Paucis datum est omnia relinquere, curas mundi postponere, solis desideriis æternis inhiare. Non ergo, fratres, audemus vobis dicere ut omnia relinquatis, sed tamen, si vultis, omnia etiam retinendo relinquitis, si sic temporalia geritis ut tamen tota mente ad æterna tendatis. Hinc Paulus apostolus dicit: *Tempus breve est. Reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint: et qui flent, tanquam non flentes: et qui gaudent, tanquam non gaudentes: et qui emunt, tanquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Uxorem namque habet, sed quasi non habens, qui transitoria esse cuncta conspiciens, curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia spiritus ex desiderio exspectat, qui scit debita carnis sic exsolvere ut tamen per eam mundo tota mente non cogatur inhærere. Nam, cum iisdem rursum egregius prædicator dicat: *Qui habet uxorem, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori* (*I Cor.* VII, 33). Ille uxorem habet quasi non habens qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat Conditori; qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen nunquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine ejus amore flectatur. Flet quoque, sed tanquam non fleat, qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris semper animum consoletur. Flendo enim non flere est, sic exteriora adversa plangere, ut tamen noverit æternæ spei consolatione gaudere. Gaudet vero, sed tanquam non gaudeat, qui sic de temporalibus bonis hilarescit, ut tamen semper perpetua tormenta consideret: et in hoc quod mentem gaudio sublevat, hanc continuo pondere providi timoris premat. Emit autem, sed quasi non possidens, qui et ad usum terrena præparat, et tamen cauta cogitatione prævidet, quod hæc citius relinquat. Mundo corde utitur, sed quasi non utatur, qui et necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, et tamen hæc eadem non sinit suæ menti dominari, ut subjecta foris serviant, et nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant, ubi aperte quoque subdidit: *Præterit enim figura hujus mundi* (*Ibid.*, *v.* 31), ac si aperte diceret: Nolite constanter mundum diligere, quando et ipse non potest quem diligitis stare. Incassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse quem amatis. Quos igitur in hoc mundo necessitas ligat, ut ex omni parte exui a mundo non possunt, sic debent ea quæ mundi sunt tenere ut tamen eis nesciant ex mentis fractione succumbere: et cum relinquere cuncta quæ mundi sunt non possunt, tunc bene exterius agent si ardenter interius ad æterna festinant.

CAP. XXIII. — *Qui autem cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori* (*I Cor.* VII, 33.)

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, num. 44.) In usu

vitæ mortalis quædam ex semetipsis sunt noxia, quædam vero ex his quæ versantur circa ipsa. Ex semetipsis quædam sunt noxia, sicut peccata sunt atque flagitia, quædam vero nonnunquam nobis ex his nocent quæ circa ipsa sunt, sicut temporalis potentia, vel conjugalis copula : bonum namque est conjugium, sed mala sunt quæ circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Unde etiam Paulus quibusdam meliora persuadens, eos a conjugio revocat, dicens : *Hoc autem dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Domino serviendi* (*Ibid.*, *v.* 35). Dum ergo tenetur quod non nocet, ex rebus juxta positis committitur plerumque quod nocet, sicut sæpe rectum mundi iter pergimus, et tamen ortis juxta viam vepribus per vestimenta retinemur. In via quidem munda non offendimus, sed a latere nascitur quo pungamur. Magna est etiam temporalis potentia quæ habet apud Deum meritum suum de bona ministratione regiminis, nonnunquam tamen, præter alia mala, eo ipso quo præeminet cæteris elatione cogitationis intumescit.

CAP. XXIV. — *Hoc ad utilitatem vestram dico* (*I Cor.* VII, 35).

(Curæ past. part. III, c. 27.) Paulus cum quosdam ad cælibatus gratiam instrueret, non conjugium sprevit, sed curas mundi nascentes ex conjugio repulit, dicens : *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam; sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Ex conjugiis quippe terrenæ sollicitudines prodeunt, et idcirco magister gentium auditores suos ad meliora persuasit, ne terrena sollicitudine ligarentur. Quem ergo cælibem curarum sæcularium impedimentum præpedit, et conjugio nequaquam se subdidit, tamen onera conjugii non evasit.

CAP. XXV. — *Scientia inflat, charitas ædificat* (*I Cor.* VIII, 1).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 72.) Mens hypocritarum, concupiscentiis exterioribus occupata, igne divini amoris non calet, et idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt, quia verba de frigido corde proferunt. Neque enim res quæ in seipsa non arserit alios accendit. Unde fit plerumque ut hypocritarum dicta, et audientes non erudiant, et eosdem ipsos qui ea proferunt elatos laudibus deteriores reddant. Attestante enim Paulo : *Scientia inflat, charitas ædificat.* Cum ergo charitas ædificando non erigit, scientia inflando pervertit.

CAP. XXVI. — *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire* (*I Cor.* VIII, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 62; lib. XXVIII, c. 3.) Perfecta scientia est in hoc quidem mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentia nihil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi despicere, et pro Deo opprobria amare, gloriam mundi fugere, despectum sequi, adulantes despicere, despicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, et erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere. Perfecta quidem scientia est, hæc cuncta sollicite agere, et se de suis meritis scire nihil esse. Unde et ipsi discipuli Domini de hac scientia perfecta docentur, cum eis voce Veritatis dicitur : *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII, 10). Perfecta scientia est scire omnia, et tamen juxta quemdam modum scientem se esse nescire, de qua bene per Paulum dicitur : *Qui se existimat scire aliquid, nundum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* In hoc itaque mundo dum vivimus, tunc perfecte quæ scienda sunt scimus, cum proficientes per intelligentiam nil nos perfecte scire cognoscimus. Quia enim prima stultitia angeli elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis humilitas suæ æstimationis. Quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit, quo semetipsum nescit.

CAP. XXVII. — *Videte ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis* (*I Cor.* VIII, 9).

(Curæ past. part. III, c. 35.) Cum prava æstimatio, in quantum sine peccato valet, ab intuentium mente non tergitur, cunctis mala credentibus per exemplum culpa propinatur. Unde plerumque contingit, ut qui negligenter de se mala opinari permittunt, per semetipsos quidem nulla iniqua faciant, sed tamen per eos qui se fuerint imitati multiplicius delinquant. Hinc est quod Paulus non munda quædam sine pollutione comedentibus, sed imperfectis tentationis scandalum sua hac comessatione moventibus dicit : *Videte ne forte hæc licentia vestra, offendiculum fiat infirmis.* Et rursum : *Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

CAP. XXVIII. — *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus* (*I Cor.* IX, 11).

(Homil. 17, in Evang., n. 7.) Dignum est ut prædicatores ab eis terrena consequantur stipendia quibus patriæ cœlestis offerunt præmia; quia sicut dicit ipsa Dei Sapientia : *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* X, 7). Quia jam de mercede operis sunt ipsa alimenta sustentationis, ut hic merces de labore prædicationis inchoetur quæ illic de veritatis visione perficitur. Qua in re considerandum est quod uni nostro operi duæ debentur mercedes : una in via, altera in patria; una quæ nos in labore sustentat, alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque quæ in præsenti recipitur hoc in nobis debet agere ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus itaque prædicator quisque non ideo debet prædicare ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere ut prædicare subsistat. Quisquis namque ideo prædicat ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna proculdubio mercede se privat. Quisquis vero vel ea quæ dicit ideo placere hominibus appetit ut dum placet quod dicitur per eadem dicta non ipse sed Dominus ametur, vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne a prædicationis voce per indigentiam lassetur, huic proculdubio ad recipiendam mercedem nihil obstat in patria, quod sumptus sumpsit in via. Hos itaque sumptus a Corinthiis quibus prædicabat Paulus pro minimo suscipiens, dicit : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus.*

CAP. XXIX. — *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem* (*I Cor.* IX, 20).

(Curæ past. part. II, c. 5. In exposit. B. Job, lib. VI, num. 54.) Rector debet esse præ cunctis contemplatione suspensus, et singulis compassione proximus, ut per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat, et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat. Hinc est quod beatus Paulus compage charitatis summis simul et infimis junctus, et in semetipso virtute spiritus ad alta volante rapitur, et in aliis pietate æquanimiter infirmatur, dicens : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor.* I, 29)? Hinc rursus ait : *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer : et his, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem : et iis, qui sine lege sunt, quasi sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos qui sine lege sunt.* Et paulo post : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, sed extendendo pietatem, ut, in personam se infidelium transfigurans, ex semetipso disceret qualiter aliis misereri debuisset, quatenus hoc illis impenderet quod sibi ipse si ita esset impendi recte voluis-

set. Neque enim egregius prædicator, ut quasi Judæus fieret, ad perfidiam erupit, neque ut quasi sub lege esset ad carnale sacrificium rediit, neque ut omnibus omnia fieret simplicitatem mentis in erroris varietatem commutavit, sed condescendendo appropinquavit infidelibus, non cadendo ; ut videlicet singulos in se suscipiens, et se in singulos transfigurans, compatiendo colligeret, si ita ipse ut illi esset quod impendi ab aliis sibi recte voluisset, et tanto verius unicuique erranti concurreret, quanto saluti ejus modum ex propria consideratione didicisset. Hinc iterum dicit: *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis* (*II Cor.* v, 13); quia et semetipsum noverat contemplando transcendere, et eumdem se auditoribus condescendendo temperare.

CAP. XXX. — *Sic curro, non quasi in incertum* (*I Cor.* IX, 26).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 59.) Nonnulli omne quod fortiter faciunt, dominante gulæ vitio perdunt, et dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur. Hinc est quod Paulus contra Jerusalem mœnia decertanti coquorum principi, id est ventri, cui a coquentibus servitur, virtutes animæ ad pacis visionem tendentis destruere volenti, vires subtrahebat cum diceret: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio: ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Hinc etiam præmisit, dicens: *Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans* (*Ibid.* 27). Cum enim carnem restringimus, ipsis continentiæ nostræ ictibus non aerem sed immundos spiritus verberamus. Et cum hoc quod est intra nos subjicimus, extra positis adversariis pugnos damus.

CAP. XXXI. — *Castigo corpus meum et servituti subjicio* (*I Cor.* IX, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, n. 32 et 33.) Multos videmus quotidie qui resplendent luce justitiæ, et tamen ad finem suum obscuritate tenebrantur nequitiæ; et multos cernimus peccatorum tenebris obvolutos, et tamen juxta vitæ suæ terminum repente reddi luce justitiæ liberos. Unde quibusdam conversis a peccatorum nequitia dicitur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Lucis enim nomine justitia accipitur, per tenebras iniquitas designatur. Multos etiam novimus semel inventam viam justitiæ illibatæ usque ad obitum tenuisse, et plerosque conspeximus usque ad exitum cœpta semel crimina sine cessatione cumulasse. Quis autem inter ista occultorum judiciorum nubila mentis suæ radium mittat, ut aliqua consideratione discernat; vel quis perduret in malo, vel quis perseveret in bono, vel quis ab infimis convertatur ad summa, vel quis a summis revertatur ad infima? Latent hæc sensus hominum, nec quidquam de cujuslibet fine cognoscitur, quia divinorum judiciorum abyssus humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Videmus namque quod illa Deo adversa gentilitas justitiæ est luce perfusa, et Judæa dudum dilecta perfidiæ est nocte cæcata. Scimus etiam quod latro de patibulo transivit ad regnum, Judas de apostolatus gloria lapsus est in tartarum. Rursumque, quia aliquando sortes quæ cœperunt non mutant, et latronem alium pervenisse novimus ad supplicium, et apostolos scimus percepisse propositum quod desideraverant regnum. Video præterea Paulum ex illa persecutionis sævitia ad gratiam apostolatus vocatum, et tamen sic inter occulta judicia formidat, ut reprobari se etiam postquam vocatus est, timeat. Ait enim: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (*Act.* IX, 15). Et certe jam de illo dominica dictum fuerat voce: *Vas electionis mihi est*, et tamen adhuc castigans corpus suum, metuit ne reprobaretur. Væ miseris nobis qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, et jam in otio quasi de securitate torpemus! Debet profecto, debet in spe esse securitas, sic et in conversatione timor, ut et illa certantes foveat, et iste torpentes pungat. De spe incassum præsumit qui timere Deum in suis operibus renuit.

CAP. XXXII. — *Bibebant de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus* (*I Cor.* X, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 97.) In sacro eloquio cum singulari numero petra ponitur et nominatur, quis alius quam Christus accipitur? Paulo attestante, qui ait: *Petra autem erat Christus* (*I Petr.* II, 5). Cum vero petræ pluraliter appellantur, membra ejus, videlicet sancti viri qui robore illius solidati sunt, exprimuntur. Quos nimirum Petrus apostolus lapides vocat, dicens: *Vos tanquam lapides vivi coædificamini domus spirituales* (*I Petr.* II, 5).

CAP. XXXIII. — *Neque idololatræ efficiamini* (*I Cor.* X, 7).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 21.) Vana agimus quoties transitoria cogitamus. Ex vanitate autem ad iniquitatem ducimur, cum prius per levia delicta defluimus, et usu cuncta lævigante, nequaquam post committere etiam graviora timeamus. Nam dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit; dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur. Cumque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque et ad perfidiæ voraginem ruit. Unde bene Paulus plebis Israeliticæ damna conspiciens, ut imminentia ab auditoribus mala compesceret, curavit ex ordine transacta narrare, dicens: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII, 6). Esus quippe potusque ad luxum impulit, lusus ad idololatriam traxit, quia si vanitatis culpa nequaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur, attestante Salomone, qui ait: *Qui modica spernit, paulatim decidet* (*Eccli.* XIX, 1). Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audacter etiam majora perpetramus.

CAP. XXXIV. — *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (*I Cor.* X, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, n. 20 et 21.) Summa cura satagendum est vobis omni custodia servare cor vestrum, quoniam ex ipso vita procedit, et sicut scriptum est: *Ex corde exeunt cogitationes malæ* (*Matth.* XV, 18). Formidemus igitur in his bonis quæ accepimus, nec eos qui illa necdum assecuti sunt desperemus. Quid enim sumus hodie novimus, quid autem post paululum possimus esse nescimus. Hi vero quos fortasse despicimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est ne etiam nobis cadentibus surgat qui a nobis stantibus irridetur, quamvis stare jam non novit qui non stantem novit irridere. Hunc autem supernorum judiciorum metum Paulus apostolus discipulorum cordibus incutiens ait: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Superbi enim possunt amittere bona de quibus superbiunt, et humiles ea percipere quæ quia non habeant contemnuntur. Intus ergo vigilandum est, intus servemus omne quod foris agimus, ne si mens se extollat cadamus.

CAP. XXXV. — *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* (*I Cor.* X, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 7, et Curæ past. part. I, c. 11, paulo ante fin.) Sciendum est aliud esse quod animus de tentatione carnis patitur, aliud vero cum per consensum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione prava pulsatur sed renititur, plerumque vero cum perversum quid concipit, hoc inter semetipsum etiam per desiderium volvit. Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat. Hinc etenim prædicator egregius dicit: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Humanum quidem est in corde tentationem

perpeti, dæmoniacum vero est tentationis certamine et in operatione superari. Humana quippe tentatio est qua plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes, quia ut nonnunquam illicita ad animum veniant hoc utique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam vero dæmoniacum est, et non humana tentatio, cum ad hoc quod corruptibiliter suggerit per consensum se animus astringit. Hinc iterum dicit : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI, 12). Peccatum quippe in mortali corpore nequaquam non esse, sed regnare prohibuit, quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque ei de peccato tentari peccatum est, quo quia quandiu vivimus peccato omnino non caremus : sancta prædicatio, quoniam hoc expellere plene non potuit, ei de nostri cordis habitaculo regnum tulit, ut appetitus illicitus, etsi plerumque bonis nostris cogitationibus occulte se quasi fur inserit, saltem si ingreditur non dominetur.

CAP. XXXVI. — *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra quam potestis* (*I Cor.* X, 13).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 71, et lib. XXIX, n. 35.) Cum maligni spiritus ad vitam redire nequeunt, crudeliter socios ad mortem quærunt. Indesinenter itaque contra bonos consilium ineunt, ut ii quos servire Deo innocue in tranquillitate considerant, vexatos adversitatibus ad voraginem culpæ rapiant. Sed eorum consilii acumen destruitur, quia prius Conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna transeat, et per astutiam fortium humana infirmitas excedat. Unde bene per Paulum dicitur : *Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra quam potestis : sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere.* Novit autem Conditor noster, quando exsurgere persecutionis procellam sinat, quando exsurgentem reprimat. Novit pro custodia nostra restringere quod contra nos egredi pro nostra exercitatione permittit, ut sæviens nos diluat procella, non mergat. Novit tentationes adversarii dispensando modificare, ut simul multæ non veniant, aut ipsæ tantummodo quæ ferri possunt illustratam jam Deo animam tangant, ut cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant. Nisi enim misericors Deus cum verberibus tentamenta modificet, nullus profecto est qui malignorum spirituum insidias non corruens portet ; quia si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stante dejicit, quo ultra vires onera imponit.

CAP. XXXVII. — *Si quis videtur contentiosus esse* (*I Cor.* XI, 16).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 4.) Hæretici nequaquam inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri. Cum foris sapientes appetunt ostendi, intus per stultitiam elationis suæ ligantur vinculis. Unde fit ut certamina contentionum exquirant, et de Deo, qui pax est nostra, loqui pacifice nesciant, atque ex pacis negotio rixæ inventores fiant, quibus bene per Paulum dicitur : *Si quis videtur contentiosus esse : nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.*

CAP. XXXVIII. — *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* XI, 31).

(In exposit. B. Job, lib. XII, n. 20; Curæ past. part. III, c. 29.) Divinæ largitatem misericordiæ quis valeat pensare? Omnipotens Deus singula quæque mala quæ fecimus et peccata, subtiliter, et tamen per benignitatis suæ gratiam ea pœnitentibus misericorditer relaxat. Qui et duritiam in peccantibus conspicit, sed tamen hanc gratia præveniente ad pœnitentiam emollit, et nosmetipsos ad singulas culpas quas fecimus deflendas convertit. Quas misericorditer relaxat, quia dum nos eas punimus, ipse nequaquam in extremo examine judicat. Peccatores igitur qui operum peccata deplorant, debent præsumere de misericordia quam postulant, ne vi immoderatæ afflictionis intercant. Neque enim pie Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret, si per semetipsum ea districte ferire voluisset. Constat enim quod a suo judicio abscondere voluit quos miserando præveniens sibimetipsis judices fecit. Hinc enim scriptum est : *Præoccupemus faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV, 2). Hinc per Paulum dicitur : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

CAP. XXXIX. — *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus* (*I Cor.* XII, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XI, n. 8 ; lib. XXVIII, n. 21 ; lib. II, in Ezech. hom. 6, n. 2 ; in exposit. B. Job, lib. XXVIII, n. 21, 22, 23, 24, 25.) Pene nullum latet quod quinque sunt sensus corporis nostri : videlicet visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. Hi sensus in omne quod sentiunt atque discernunt virtutem discretionis et sensus a cerebro trahunt ; et cum unus sit judex cerebri sensus qui intrinsecus præsidet, per meatus tamen proprios sensus quinque discernit, Deo mira operante, ut neque oculus audiat, neque auris videat, neque os olfaciat, neque naris gustet, neque manus oderetur. Et cum per unum sensum cerebri omnia disponantur, quilibet tamen horum sensus aliud facere non potest, præter id quod ex dispositione Conditoris accepit. Ex istis ergo corporalibus et exterioribus, interiora et spiritualia colligenda sunt, ut per id quod in nobis publicum est transire debeamus ad secretum quod in nobis est et in nobismetipsis latet. Intuendum quippe est quia, cum una sit sapientia, alium minus, alium magis inhabitat ; alii hoc, alii illud præstat. Et quasi cerebri more nobismetipsis velut quibusdam sensibus utitur, ut quamvis sibimet nunquam sit dissimilis, per nos tamen diversa et dissimilia semper operetur, quatenus iste sapientiæ, ille scientiæ donum percipiat ; iste genera linguarum, ille gratiam curationum habeat. Omnipotens quippe Conditor noster Deus interni judicii secreto moderamine juxta beati Pauli vocem, *Alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii plenam fidem, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, alii prophetiam, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit* (*I Cor.* XII, 8). Sunt enim quidam qui per donum gratiæ et ipsa intelligunt quæ exponi a Doctoribus non audierunt : hi videlicet sermonem sapientiæ perceperunt. Et sunt quidam qui per semetipsos intelligere audita nequeunt, sed ea quæ in expositoribus legerint retinent, et scienter proferunt quæ lecta didicerunt, atque isti sermone scientiæ pleni sunt. In uno itaque eodemque spiritu iste verbo sapientiæ pollet, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrinæ, fulcitur, quia sentire et invenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulget, nec tamen in verbo sapientiæ convalescit, quia et sufficit explere quantum didicit, et tamen ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem et elementis imperat, nec tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis ope morbos subtrahit, nec tamen arenti terræ verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat, et tamen prophetiæ gratiam non habens, quæ sibi ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, et tamen in nulla signorum operatione se exerit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit sed tamen diversi generis linguas nescit. Ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua quam novit sermonum pondera interpretando prudenter discutit, et tamen reliquis bonis quæ non habet patienter caret. Sic itaque Creator noster ac dispositor cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex bono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum per impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem alteri alterum subdat ; et meliorem quisque dono alio eum

qui sibi subjicitur attendat, ac licet se præire et aliis sentiat, eidem tamen quem superat se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur, ut dum singula quæque sunt omnium, interposita quadam charitatis necessitudine, fiant omnia singulorum; et unusquisque sic quod non accepit in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit humiliter impendat. Hinc per Paulum dicitur : *Per charitatem servite invicem* (*Galat.* v, 13). Tunc enim nos charitas a jugo culpæ liberos reddit, cum vicissim nostro per amorem servitio subjicit, cum et aliena bona nostra credimus, et nostra aliis quasi sua offerentes exhibemus. Hinc rursum per eumdem Paulum dicitur : *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris : Quoniam non sum oculus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* Et paulo post : *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum vero corpus* (*I Cor.* XII, 14 *seq.*). Quid enim sancta Ecclesia nisi superni sui capitis est corpus, in qua alius alta videndo oculus, alius recta operando manus, alius ad injuncta currendo pes, alius præceptorum vocem intelligendo auris, alius malorum fetorem bonorumque fragrantiam discernendo naris est? Qui corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta officia impendunt, unum de semetipsis omnibus corpus reddunt. Et dum diversa in charitate peragunt, diversum esse prohibent ubi continentur. Si autem unum quid cuncti agerent, corpus utique, quod ex multis continetur, non essent, quia videlicet multipliciter compactum non existeret, si hoc concors membrorum diversitas non teneret. Sanctis itaque membris Ecclesiæ virtutum dona Dominus distribuit, et dividens singulis prout vult, quasi mensuras in terminos eis imponit. Cum igitur miro consilio Auctor et Dispositor noster huic illa largitur quæ alii denegat; alii illa denegat quæ isti largitur, mensuras sibi positas egredi nititur, quisquis posse plusquam acceperit conatur : ut fortasse is cui tantummodo datum est præceptorum occulta disserere, tentet etiam miraculis coruscare; aut is quem supernæ virtutis donum ad sola miracula roborat, etiam divinæ legis occulta pandere contendat. Plerumque enim amittit quod portat, qui audacter ea ad quæ pertingere non valet arripere festinat. Nam et membrorum nostrorum tunc bene ministeriis utimur, cum sua his officia distincte servamus. Lucem quippe oculis cernimus, vocem vero auribus audimus. Si quis autem ordine mutato, voci oculos, luci aures accommodat, huic utraque incassum patent. Si quis odores velit ore discernere, sapores aure gustare, utriusque sensus ministerium quia pervertit, interimit. Dum enim propriis hæc usibus non aptantur, et sua officia deserunt, et ad extranea non assurgunt. Bene itaque Paulus intra acceptas ex divina largitate mensuras in ipsa prædicationis suæ se latitudine coarctabat, cum diceret : *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus* (*Rom.* XV, 18). Mensuram igitur omnipotens Deus nostris profectibus imponit, ut habeamus quædam virtutum bona, quæ nunquam quæsivimus, et quæramus quædam, nec tamen habere valeamus, quatenus mens nostra dum hæc non potest habere quæ appetit, illa se intelligat de semetipsa non habere quæ habet; per ea quæ sunt considerentur illa quæ desunt, et per ea quæ utiliter desunt serventur humiliter bona quæ sunt.

Cap. XL. — *Quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem habent* (*I Cor.* XII, 23).

(In exposit. B. Job, lib. XIII, n. 6, 7.) Potens et protervus cum pravum aliquid perpetrasse cognoscitur, tempus a prædicatore quæritur, ut de malo quod fecit increpetur. Nisi enim prædicator sustineat quando proferre congrue correptionem valeat, auget in eo malum quod insequitur, quia sæpe contingit ut sit talis qui nulla verba suscipiat increpationis. Magna enim agendum est arte prædicationis, ut qui ex aperta correptione fiunt deteriores ad salutem redeant quodam temperamento correptionis. Unde etiam Paulus dicit : *Quæ putamus igitur ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus : et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent : honesta autem nostra nullius egent.* Sicut enim inhonesta membra in corpore, ita sunt quidam intra sanctam Ecclesiam potentes et protervi, qui dum aperta feriri nequeunt invectione, quasi honoris velantur tegmine. Sed hæc de occultis potentium loquimur delictis. Nam quando et aliis agnoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt, ne si prædicator taceat, culpam approbasse videatur, atque hæc crescens in exemplum veniat quam pastoris lingua non secat.

Cap. XLI. — *Vos estis corpus Christi, et membra de membro* (*I Cor.* XII, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, n. 8.) Membra sunt reproborum omnes qui eisdem perverse agentibus conjunguntur, sicut e contra per Paulum de dominico corpore dicitur : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro.* Aliud quippe est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis pars ad totum, membrum vero membri est particula ad partem; membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium : membrum vero corporis est totum hoc simul ad corpus universum. Sicut ergo in spiritali dominico corpore membra de membro dicimus eos qui in ejus Ecclesia ab aliis reguntur, ita in illa antiqui hostis reproba congregatione, membra sunt de membris qui iniquo opere quibusdam se nequioribus conjunguntur.

Cap. XLII. — *Si linguis hominum loquar, et angelorum* (*I Cor.* XIII, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, n. 29, 30.) Ministri Antichristi nonnunquam decipiendis auditoribus exhibent linguæ dulcedines, quoniam et spinæ proferunt flores, et apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod pungat. Amaris dulcia, noxiis blanda permiscent, et fallendi arte per remissa colloquia, per humilem sermonem de se insinuant quod per exhibitionem negant. Hi nimirum more metalli insensibilis sonum bene loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent; namque quasi humiliter loquendo asserunt quod elate vivendo contemnunt. Unde bene per Paulum dicitur : *Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Bona quidem loquens, sed per amorem eadem bona non sequens, velut æs aut cymbalum sonitum reddit, quia ipse non sentit verba quæ ipse facit.

Cap. XLIII. — *Charitas patiens est, benigna est* (*I Cor.* XIII, 4).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, n. 2; lib. X, n. 10.) Mens sanctorum in hoc tentationum prælio, et munita patientiæ clypeo, et gladiis amoris accincta, ad perferenda mala sumit fortitudinem, et ad rependenda bona exerit benignitatem, quatenus et odiorum tela potenter excipiat, et amoris jacula valenter reddat. Miles Dei adversitatis bello deprehensus, et scutum patientiæ debet anteferre, ne pereat, et ad prædicandum promptus amoris inferre jacula ut vincat. Cujus armaturæ summa breviter Paulus insinuat, dicens : *Charitas patiens est, benigna est.* Cum vero unum ex utroque defuerit, charitas non est : si videlicet malos, aut absque benignitate tolerans non amat, aut rursum sese sine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat. Ut ergo a nobis charitas vera teneatur, necesse est quatenus et benignitati patientia, et rursum patientiæ benignitas suffragetur; ut magnum quoddam in corde nostro ædificium construens, et benignitatis arcem patientia solidet, et patientiæ fundata ædificia benignitas exornet. Sed cum una eademque sit charitas, multiplex tamen di-

citur, quia nimirum si mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Hujus charitatis diversitatem et multiplicitatem bene Paulus enumerat, dicens : *Charitas patiens est, benigna est : non æmulatur, non inflatur, non agit perperam; non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Patiens quippe est charitas, quia illata mala æquanimiter tolerat. Benigna vero est, quia pro malis bona largiter ministrat. Non æmulatur, quia per hoc quod in præsenti mundo nil appetit, invidere terrenis successibus nescit. Non inflatur, quia cum præmium internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat. Non agit perperam, quia quo se in solum Dei ac proximi amorem dilatat, quidquid a rectitudine discrepat, ignorat. Non est ambitiosa, quia quo ardenter intus ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit. Non quærit quæ sua sunt, quæ hic transitorie possidet, velut aliena negligit, cum sibi nihil esse proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit. Non irritatur, quia et injuriis lacessita, ad nullos se ultionis suæ motus excitat, dum pro magnis laboribus majora post præmia exspectat. Non cogitat malum, quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinat nescit. Non gaudet super iniquitate, quia sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium exsultat. Congaudet autem veritati, quia ut se cæteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conspicit quasi de augmento proprii profectus hilarescit. Multiplex ergo charitas contra uniuscujusque culpæ jaculum quod perimendam mentem impetit, instructionis suæ munimine occurrit, ut quia antiquus hostis variata circumfusione nos obsidet, ipsa hunc de nobis multipliciter expugnet. Charitas in Petro, et minis terrentium principum fortiter restitit, et in circumcisione submovenda, minorum verba humiliter audivit; charitas in Paulo et manus persequentium humiliter pertulit, et tamen in circumcisionis negotio longe se imparis prioris sensum audenter increpavit.

CAP. XLIV. — *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate* (*I Cor.* XIII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 38.) Dignum est ut qui prædicat audientis modum consideret, quatenus ipsa prædicatio cum sui auditoris incrementis crescat. Sic quippe agere prædicator unusquisque debet, sicut cum illo divinitus agitur, ut nequaquam cuncta quæ sentit infirmis insinuet, quoniam et quousque ipse carne mortali tantum infirmus est, ea quæ superna sunt cuncta non sentit. Prædicare ergo rudibus non debet quanta cognoscit, quoniam et ipse de supernis mysteriis cognoscere non valet quanta sint. Hinc est enim quod Paulus apostolus, postquam mysteriis cœlestibus interfuit, dicit : *Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

CAP. XLV. — *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XIII, num. 30.) Magna est interpositio oculis cordis nostri ad contemplandam subtilitatem Dei, ipsa videlicet infirmitas nostra. Sed tunc ad purum intuebimur eum a quo nunc subtiliter intuemur; cum hac infirmitate deposita, ad contemplationis internæ gratiam venerimus de qua Paulus dicit : *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum.*

CAP. XLVI. — *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus* (*II Cor.* XIV, 22).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 36, 37.) Sunt nonnulli qui cum mira apostolorum opera audiunt, quod accepto Spiritu sancto mortuos verbo suscitarent, ab obsessis dæmonia pellerent, umbra infirmitates amoverent, ventura quæque prophetando prædicarent, et unigenitum Verbum Dei, omnium gentium loquentes lingua, prædicarent, quia virtutes has nunc in Ecclesia non vident, subtractam jam ab Ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes pensare quod scriptum est : *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione* (*Psal.* IX, 10). Tunc quippe sancta Ecclesia miraculorum adjutorio indiguit, cum eam retributio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, sed sola operum merita requirit, quamvis et illa per multos ostendat cum opportunitas exigit. Scriptum quippe est : *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* Ubi igitur omnes fideles sunt, quæ causa exigit ut signa monstrentur? Unde citius satisfacimus, si quid de ipsa apostolica dispensatione memoremus. Paulus namque prædicator egregius Melitem veniens, et plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteria febribusque vexatum orando salvavit, et tamen ægrotanti Timotheo præcepit, dicens : *Modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (*I Tim.* V, 23). Quid est, Paule, quod ægrum infidelem orando ad salutem revocas, et tantum adjutorem Evangelii more medici per alimenta curas, nisi quod idcirco fiunt exteriora miracula ut mentes hominum ad interiora perducantur, quatenus per hoc quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ admirabiliora sunt invisibilia credantur? Signo quippe virtutis pater Publii sanandus fuerat ut mente revivisceret, dum ad salutem miraculo rediret. Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat qui jam totus intus vivebat. Non est igitur mirum si, propagata fide, crebro miracula non fiunt, quando hæc ipsi quoque apostoli in quibusdam jam fidelibus non fecerunt.

CAP. XLVII. — *Si autem omnes prophetent*, etc. (*I Cor.* XIV, 24).

(Lib. I, in Ezech., hom. 1, n. 1.) Sciendum est quod aliquando prophetia est de præsenti, sicut Paulus apostolus dicit : *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta fiunt : et ita cadens in faciem, adorabit Deum pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Cum igitur dicitur : *Occulta cordis ejus manifesta fiunt*, profecto monstratur quia per hunc modum prophetiæ spiritus non prædicit quod futurum est, sed ostendit quod est. Quo autem pacto prophetiæ dicatur spiritus, qui nihil futurum indicat, sed præsens narrat? Qua in re animadvertendum est quod recte prophetia dicitur, non quia prædicit ventura, sed quia prodit occulta. Rem quippe quamlibet, sicut ab oculis nostris in futuro subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris in præsenti subtrahit causa. Ventura enim res occultatur in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde. Est etiam prophetia præsens, cum res quælibet non per animum, sed per absentem locum tegitur, quæ tamen per spiritum denudatur. Et ibi fit præsens prophetantis animus, ubi per præsentiam non est corpus. Nam et Giezi longe a propheta recesserat, cum Naaman Syri munera percipiebat, cui tamen idem propheta dicit : *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi* (*IV Reg.* V, 26)?

CAP. XLVIII. — *Ego sum minimus apostolorum* (*I Cor.* XV, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 19, 20, et hom. 10, in Ezech., n. 33.) Quicunque perduci ad summa desiderant, semper necesse est ut meliorum provectibus intendant, quatenus tanto districtius in se culpas judicent, quanto in illis altius quod admirentur, vident. Mira enim nobiscum dispensatione agitur, ut per hoc quod alter habet et iste non habet, unus alteri melior ostendatur, quatenus tanto ardentius ad humilitatem quisque proficiat, quanto ex bonis quæ non habet inferiorem se habentibus pensat. Sicque fit ut dum ille in isto, atque hic in illo respicit quod admiretur, distincta bona et ab altitudine elationis reprimant, et ad studium provectus accendant. Unde Paulus cum cæterorum sanctorum

sollicitudinem in prædicatione robustius laborando transcenderet, ut ab elatione se premeret, et vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suæ antiquæ non immemor, apostolorum omnium innocentiam contemplatus, ait : *Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus : quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*, et tamen eorumdem omnium apostolorum primus, quasi accepti principatus oblitus, ac si minus ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam miratur, dicens : *Sicut et charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis : sicut et in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu* (*II Petr.* III, XV). Ecce Paulus in apostolis miratur innocentiam, ecce princeps apostolorum miratur in Paulo sapientiam. Quid est hoc nisi quod sancti viri virtutum consideratione sibi vicissim alios præferunt, ut eo ad cœlestia sublevando se altius excitet, quo humilius alter in altero quod admiretur videt ? Hinc itaque colligendum est, quanta debemus sollicitudine meliorum vitam conspicere, nos qui in infimis jacemus ; si et hi qui jam tanta sanctitate sublimescunt, ut per humilitatis gressum ad majora proficiant, adhuc quærunt in aliis quod imitantes admirentur.

CAP. XLIX. — *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.* XV, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XVI, num. 30, et lib. XXIV, n. 24.) Cum de Deo scriptum sit : *Quia reddet unicuique secundum opera ejus* (*Prov.* XXIV, 29), illum in extremo examine justitia æterni Judicis salvat quem hic ejus pietas ab immundis operibus liberat. Quisquis igitur ad hoc salvari munditia manuum suarum hic creditur, ut viribus innocens fiat, procul dubio errat, quia si superna gratia nocentem non prævenit, profecto nunquam invenit, quem remuneret innocentem. Unde veridica Moysis voce dicitur : *Nullus apud te per se innocens est* (*Exod.* XXXIV, 7). Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequenter quoque nostro libero arbitrio bonum quod jam appetimus agat nobiscum, quod tamen gratia in extremo judicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim divina nos bonitas ut innocentes faciat prævenit, Paulus ait : *Gratia Dei sum, id quod sum* (*I Cor.* XV, 18). Et quia eamdem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit : *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi* (*Ibid.*). Qui dum de se nihil esse conspiceret, ne labores suos sibi tribuisse videretur, illico adjunxit, *Non autem ego*. Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, prævenientem enim Dei gratiam, etiam ipse per liberum arbitrium fuerat subsecutus, apte subjunxit : *Sed gratia Dei mecum ;* ut et divino muneri non esset ingratus, et tamen a merito liberi arbitrii non remaneret extraneus. Non enim diceret *Mecum*, si cum præveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait : *Non autem ego*. Ut vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjungit, *Sed gratia Dei mecum*. Certissime itaque tenendum est quod in omni operatione bona, præveniente divina gratia, nostrum liberum arbitrium subsequatur ; et quicunque hic dono prævenitur ut innocens fiat, cum ad judicium venerit ex merite remuneratur. Ex omnipotentis gratia Dei ad bona quidem opera conari possumus, sed si hæc et ipse non adjuvat qui jubet, implere non possumus. Sic Paulus cum discipulos admoneret dicens : *Cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini ;* illico quis in eis hæc ipsa bona operaretur, adjunxit dicens : *Deus est enim qui operatur in vobis, et vel'e et perficere pro bona voluntate* (*Phil.* II, 12). Omnipotens quippe Deus aspirando nos prævenit ut bona velimus, qui etiam adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Gratia vero præveniente, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei est donum fit meritum nostrum. Quod bene brevi sententia Paulus explicat, dicens : *Plus illis omnibus laboravi*. Qui ne videretur suæ servituti tribuisse quod fecerat, adjunxit, *non autem ego, sed gratia Domini mecum*. Ac si diceret : In bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In hoc enim quod solo Domini dono prævenius sum, non ego. In eo autem quod donum voluntate subsecutus sum, et ego.

CAP. L. — *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* (*I Cor.* XV, 33).

(Lib. I in Ezech., hom. 9, n. 23.) Unum est pro quo vitari debet societas malorum, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem sui et alios trahant : et cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant. Unde Paulus ait : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore. Et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis, assidui iniquitate sermonis. Sicut ergo perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quoniam et eos sæpe trahunt ad rectitudinem, et ipsi nunquam trahuntur ad perversitatem, ita infirmi quique declinare societatem malorum debent, ne mala quæ frequenter audiunt et vident, et corrigere non valent, delectentur imitari.

CAP. LI. — *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis* (*I Cor.* XV, 49).

(Lib. I in Ezech., hom. 2, n. 19.) Omnes sancti, ut ad sanctitatis surgere virtutem valeant, ad Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi similitudinem et imaginem tendunt : sancti enim non essent si hujus novi et secundi hominis similitudinem non haberent. Quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudine spiritus, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore charitatis est, hoc ab ipso fonte misericordiæ, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute justitiæ, id est a Mediatore Dei et hominum, Domino Deo traxerunt. Hujus se similitudinem hominis habere prædicator egregius ostendit, dicens : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV, 16). Ad ejus imaginem, et similitudinem admonet surgere, cum dicit : *Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis : sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus, qui de cœlo descendit* (*I Cor.* XV, 47). Sanctus etenim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis ducitur, in quantum vitam sui Redemptoris imitatur. Nam ab ejus mandatis et operibus discordare, quid est aliud quam a similitudine longe recedere ? Ad hujus similitudinem hominis surgere festinabat Propheta, cum diceret : *In mandatis tuis me exercebo, et considerabo vias tuas* (*Psal.* CXVIII, 15). Qui enim vias Domini tacitus in mente considerat, et exercere sese in mandatis illius festinat, in semetipso imaginem cœlestis et novi hominis reformat.

CAP. LII. — *Hæc autem dico, fratres : quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (*I Cor.* XV, 50).

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 72 ; lib. II, in Ezech., hom. 5, n. 22.) In sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta culpam vel corruptionem. Caro quippe juxta naturam, sicut scriptum est : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II, 23). Et, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Caro vero juxta culpam, sicut scriptum est : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod caro sunt* (*Gen.* VI, 3). Et sicut Psalmista ait : *Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens* (*Psal.* LXXVII, 39). Unde et discipulis Paulus dicebat : *Vos autem in carne non*

estis, sed in spiritu (*Rom.* VIII, 9). Nunquid in carne non erant quibus Epistolas transmittebat? sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo idem Paulus dicit: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*; carnem vult secundum culpam intelligi, non carnem secundum naturam. Unde et mox, quia carnem secundum culpam diceret, ostendit, subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionis desideria non erit, quia devicto mortis aculeo, in æterna incorruptione gaudebit. Ibi quippe suis fidelibus a Domino A pro bona operatione palma victoriæ retribuetur, ubi jam sine certamine, et sine fine gaudium erit; ibi victoriæ palma erit, ubi mortis contentio non erit. Nam prædicator egregius tunc aspexit palmam vincentibus dari, cum resurrectionem prævidit mortuorum fieri, sicut dicit: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus* (*I Cor.* XV, 55)? Tunc igitur erit perfecta victoria, cum mors plene fuerit absorpta.

EXPOSITIO SUPER II EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS.

CAPUT PRIMUM. — *Non quia dominamur fidei vestræ* (*II Cor.* I, 23).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, num. 45, 46.) Cunctos homines natura æquales genuit; ut autem alii ad regendum aliis committantur, non eos natura, sed culpa postponit. Bene igitur potestatem regiminis exercet qui scit per illam super culpas erigi, et scit cum illa cæteris æqualitate componi. Humana enim mens plerumque extollitur etiam cum nulla potestate fulcitur, quanto magis se in altum erigit, cum se etiam ei potestas adjungit, et tamen corrigendis aliorum vitiis apta exsecutione præparatur. Unde et per Paulum dicitur: *Minister enim Dei est, vindex in iram* (*Rom.* XIII, 4). Paulus bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri*; atque illico adjunxit: *Fide enim statis.* Ac si diceret: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis. Æquales enim vobis sumus, ubi vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret: *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 7). Et rursus: *Nos autem servos vestros per Jesum* (*II Cor.* IV, 5). Sed cum culpam quæ corrigi debuisset invenit, illico se magistrum esse recoluit, dicens: *Quid vultis? In virga veniam ad vos?* Summus itaque locus bene regitur, cum is qui præest vitiis potius quam fratribus dominatur, quia vitiis se debent rectores erigere quorum et causa præferuntur.

CAP. II. — *Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, num. 42, 43; lib. VIII, n. 82.) Ante subtile veritatis examen omnino securi non sumus, etiamsi humano judicio quod in nostris actibus reprehendi debeat non habemus. Nam plerumque negligentius cogitantes, elatione pulsamur quam tamen tacentes premimus. Sed nisi retractatione concita tumor occultus in ipso cubili cordis in quo oritur suffocetur, coram districto Judice omne meritum nostræ actionis exstinguitur. Hinc ergo pensandum est, illa cordis elatio quanta animadversione damnabitur, quæ usque ad vocis audaciam nutritur; sine qua hæc est excusabilis quæ in corde latenter oboritur. Considerandum quoque qualis intrinsecus regnat quæ eo usque servata est ut etiam foras erumpere non erubescat. Intus ergo, fratres charissimi, servanda sunt bona quæ agimus, si ab interno arbitro vicem recipere operis nostri exspectamus. Hinc est quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* (*Psal.* XLIV, 14). Et sapientes virgines in vasis oleum ferre referuntur. Unde et sanctorum voce per Paulum dicitur: *Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ.* Arrogantes quia coram Deo conscientiæ suæ testimonium non habent, quærunt coram hominibus testimonium vocis alienæ. Quia enim foris est quod appetunt, quid sit intus desiderabile sentire non possunt; gloriam vero suam Paulus testimonium conscientiæ memorat, quia favores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat.

B

CAP. III. — *Nunquid levitate usus sum; aut quæ cogito, secundum carnem cogito* (*II Cor.* II, 17)?

(Curæ past. part. III, c. 18.) Inconstantes mentem suam gravitate habent roborare. Tunc enim genimina in se mutabilitatis arefiunt, cum a corde prius radicem levitatis abscindunt, quia tunc fabrica robusta construitur, cum prius locus solidus in quo poni fundamentum debeat providetur. Nisi ergo ante mentis levitas caveatur, cogitationum inconstantia minime vincitur; a quibus alienum Paulus se fuisse perhibuit, cum dicit: *Nunquid levitate usus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, est, et non?* Ac si aperte dicat: Idcirco mutabilitatis aura non moveor, quia levitatis vitio non succumbo.

CAP. IV. — *Cui aliquid donastis, et ego* (*II Cor.* II, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 15; lib. I, in Ezech., hom. 7, n. 3.) Sæpe bonorum vias antiquus hostis cauta arte circumvolat, ut per ea quæ ab eis bene gesta cognoverit ad malitiam aditum quærat. Nam cum alium largiri quid conspicit, inde alium in discordiæ flamma succendit. Et cum hunc respicit misereri, illi persuadet irasci, ut dum bonum quasi non communiter factum insinuat, concordes animos a bono gratiæ communis abscindat. Quia enim justorum mentes ad mala suadendo non valet frangere, bonis satagit actionibus inter eas mala seminare. Sed sancti viri has ejus insidias tanto celerius vincunt, quanto et subtilius deprehendunt. Quod melius ostendimus, si unum e multis assertoribus veritatis in testimonium Paulum vocemus. Sub quo quidam Corinthius, dum incesti facinus perpetrasset, eum doctor egregius in carnis interitum, ad satisfactionem pœnitentiæ Satanæ tradidit, et in diem Domini salvum ejus spiritum reservavit. Magna quippe arte magisterii ipsi traditus est, coactus in pœnam, cui sponte substratus est in culpa, ut qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ, ipsi flagellum fieret disciplinæ. Qua tamen bene gesta pœnitentia dum cognovisset Corinthios super eum jam misericorditer motos, ait: *Cui aliquid donastis et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi.* Communionis itaque gratiam cogitans ait: *Cui aliquid donastis, et ego.* Ac si diceret: A bono vestro non dissentio. Meum sit quidquid ipsi fecistis. Atque mox subdidit: *Et ego si quid donavi, propter vos.* Ac si diceret: Vestris actibus bonum addidi quidquid propter vos misericorditer feci. Vestra igitur est utilitas bonitas mea; mea est utilitas, bonitas vestra. Qui mox ipsam compagem cordium in qua sic tenetur adjungens, subdidit: *In persona Christi.* Cui velut si dicere præsumamus, quare te ita caute discipulis copulas? Quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus, tam sollicita mente conformas? Illico subjunxit: *Ut non circumveniamur a Satana.* Qui videlicet solet de bonis mala generare, et hoc quod per charitatem agitur ad discordiam contrahere. Cujus etiam sagaces insidias quam acuto sensu transfigat insinuat, subdens:

C

D

Non enim ignoramus cogitationes ejus. Ac si verbis aliis dicat : Acutos, auctore Domino, sensus habemus, et antiqui hostis callidas insidias subtiliter circumspiciendo penetramus, ne hoc quod bene mens inchoat ipse in malitiæ finem vertat, quia videlicet inde in alterius corde rixæ malum solet immittere unde conspicit alterum pietatis negotium fecisse. Cum igitur lapso et ab Ecclesia abjecto sed jam pœnitenti de facinore perpetrato parcendum esset, humilitate magna voluntati discipulorum se magister egregius sociat, ut neque ipse a discipulis, neque ab eo discipuli in compassionis causa viderentur divisi. Sollicito enim providentiæ oculo attendit quod plerumque dum alter donat, alter irascitur ; et quale est jam misericordiæ sacrificium quod cum discordia proximi offertur ? Imperfectum quippe bonum est quod sic agitur, ut ne quid ei ex alio latere male subrepat non attendatur.

CAP. V. — *Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 76.) Unus atque idem sermo Dei est in ore prædicantis, quem dum isti gaudendo, illi vero invidendo audiunt, isti vocem sanctæ prædicationis humiliter accipiunt, illi vero bene dicenti invidentes, non salutis causam sed elationis gloriam quærunt. Exhortatione ergo sancta, qua boni ad vitam redeunt, pravi deterius in culpa moriuntur. Unde bene per Paulum dicitur : *Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Verbum itaque suum auditoribus odorem vitæ simul et mortis esse vidit, per quod et alios ab iniquitate suscitari, et e contra sopiri alios in iniquitate conspexit. Quod quia occultis Dei judiciis agitur quæ in hac vita comprehendi non possunt ab hominibus, recte illic subdidit : *Et ad hæc quis tam idoneus?* Ac si diceret : Idonei quidem sumus ad hæc consideranda quæ fiunt, sed idonei non sumus ad hæc investiganda cur fiant.

CAP. VI. — *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei* (*II Cor.* II, 17).

(In expos. B. Job, l. XXII, n. 38, 39 ; l. XVI, n. 74 ; lib. XXII, n. 12.) Quoties auditores nostri volunt nostra quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, debemus omnino tacere, ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, et illorum culpa quæ erat non esse desinat, et nostra quæ non erat fiat. Dicat fortasse aliquis, unde novimus quo corde quis audiat? Sed multa sunt quæ audientis animum produnt : maxime si auditores nostri et semper laudant quod audiunt, et nunquam quod laudant sequantur. Hanc inanem loquendi gloriam prædicator egregius fugerat, cum dicebat : *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo coram Deo in Chrisio loquimur.* Adulterari namque verbum Dei est aut aliter sentire de illo quam est, aut ex eo non spiritales fructus sed adulterinos fetus quærere laudis humanæ. Adulter quippe in carnali coitu non prolem sed voluptatem quærit. Et perversus quisque ac vanæ gloriæ serviens recte adulterari verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostendere. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. Ex sinceritate vero loqui est nil in eloquio extra quam oportet quærere. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit non se a se habere sed ex Deo accepisse quod dicit. Coram Deo vero loquitur, qui in omne quod dicit non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei præsentiæ intendit : non suam sed Auctoris gloriam requirit. Qui autem scit quidem ex Deo se accepisse quod dicit, et tamen dicendo propriam gloriam quærit, sicut ex Deo loquitur, sed non coram Deo, quia eum quem cordi suo non proponit dum prædicat quasi absentem putat. Sed sancti viri et ex Deo loquuntur, et coram Deo, quia ab eo se sciunt habere quod dicunt, et ipsum suis sermonibus adesse judicem adjutoremque considerant. Ex Deo et coram Deo loquuntur, qui prædicationis verbum et quia a Deo acceperunt intelligunt, et placere per istud Deo non hominibus quærunt. Unde fit ut cum se a proximis despici cognoscunt, suaque dicta vitæ audientium non prodesse, abscondant quantæ virtutis sint, ne si secretum cordis inutiliter sermo prolatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat.

CAP. VII. — *Fiduciam talem habemus ad Deum, non quia sufficientes sumus aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 38.) Nequaquam, ut divina nos gratia subsequatur, aliquid Deo contulimus. Nam si nos Deum bene operando prævenimus, ubi est quod Propheta ait : *Misericordia ejus præveniet me* (*Ps.* LIII, 11)? Si quid nos bonæ operationis dedimus ut ejus gratiam mereremur, ubi est quod Paulus dicit : *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus* (*Ephes.* II, 8)? Si nostra dilectio Deum prævenit, ubi est quod Joannes apostolus dicit : *Non quia nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* (*I Joan.* IV, 10) ? ubi est quod Dominus per Osee dicit : *Diligam eos spontanee* (*Osee* XIV, 5) ? Si sine ejus munere nostra virtute Deum sequimur, ubi est quod per Evangelium Veritas protestatur : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5)? ubi est quod ait : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum?* ubi est quod iterum dicit : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Ibid.*, 16) ? si saltem dona bonorum operum virtute nostra bene cogitando prævenimus, ubi est quod rursum per Paulum tam salubriter dicitur, ut omnis de se humanæ mentis fiducia ab ipsa cordis radice succidatur, cum ait : *Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est?* Nequaquam igitur Deum meritis nostris prævenimus, sed omne bonum quod aspirante ejus gratia agimus, et Dei est et nostrum : Dei per prævenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei in æternum gratias agimus? Rursum si nostrum non est, ubi nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod ejus munere prævenimur ; et rursum, quia non immerito retributionem quærimus, scimus quod subsequente libero arbitrio bona eligimus quæ ageremus.

CAP. VIII. — *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III, 17).

(Curæ past. part. III, c. 13.) Qui flagella metuunt et propterea innocenter vivunt, si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant, neque in hoc suppliciorum timore remaneant, sed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excrescant. Scriptum quippe est : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18). Et rursum scriptum est : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater* (*Rom.* VIII, 15). Unde idem doctor iterum dicit : *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III, 17). Si ergo adhuc a prava actione formidata pœna prohibet, profecto formidantis animum nulla spiritus libertas tenet. Nam si pœnam non metueret, culpam procul dubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis quam ligat servitus timoris. Bona enim pro semetipsis amanda sunt, et non pœnis compellentibus exsequenda. Nam qui propterea bona facit quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, ut audenter illicita committat. Unde luce clarius constat quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos desiderio peccatur

CAP. IX. — *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem* (*II Cor.* XLI, 16).

(In exposit. B. Job, lib. VI, n. 14 et 15 ; hom. 37,

in Evang., n. 1.) Curandum magnopere est ut cum in rebus exterioribus pondere doloris afficimur, spe ad superna tendamus, quatenus eo mens ad alta perveniat, quo nos exterior pœna castigat. Valde enim impossibile est ut hæc peregrinationis nostræ tempora sine gemitu evadamus. Unde bene Paulus cum tribulationes suas discipulis enumeraret, adjunxit: *Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* (*II Thess.* III, 3). Sed in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora sublevatur, Paulo rursus attestante, qui ait: *Et licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Inde enim mens evolans ad summa, renovatur, unde caro diutius in infimis laborat et atteritur. Considerandum est autem quod ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde et Paulus egregius prædicator dicit: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II, 5). Nulla vero lingua dicere, nullusque intellectus sufficit capere, quæ pro se laborantibus Deus promisit præmia, supernæ scilicet civitatis gaudia, choris angelorum interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem vultum Dei cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari. Quicunque igitur illic cupit assistere ubi se sperat sine fine gaudere, si mentem illius tantorum delectat magnitudo præmiorum, non deterreat in hoc mundo certamen laborum. Sciendum est autem quod alta dispensatio judiciorum Dei idcirco sæpe bene merentes famulos vel minis impellit, vel flagellis premit, vel quibusdam superimpositis oneribus gravat, vel laboriosis occupationibus implicat, quia mira potentia prævidet quod si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes adversarii ferre non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent. Dum ergo foris eos tolerandis flagellis vel oneribus occupat, a suscipiendis intus tentationum jaculis occultat. Moris quippe medicinalis est ut sæpe fervorem vulnerum in pruriginem cutis trahat, et plerumque inde interius curat unde exterius sauciat. Ita nonnunquam divinæ dispensationis medicamine agitur ut exterioribus doloribus internum vulnus adimatur, et sectionibus repellatur flagellorum ea quæ mentem occupare poterat interior putredo vitiorum. Et tamen sæpe dum patentis culpæ sibi conscii homines non sunt, et aut doloribus cruciantur, aut laboribus deprimuntur, contra justum et omnipotentem judicem in querelam prosiliunt, scilicet minus intuentes contra quam fortem adversarium bellum gerunt. Cujus si vires intolerabiles sollicite attenderent, nequaquam de his quæ exterius tolerant murmurarent. Sed ideo videntur nobis hæc gravia, quia bella occulti adversarii nolumus pensare graviora, a quibus plerumque bellis, ut diximus, dum flagellamur, defendimur, dum affligimur, occultamur. Caro enim nostra priusquam resurrectionis incorruptione solidetur, si nullo mœrore afficitur, in tentationibus effrenatur. Quis autem nesciat quod multo sit melius ardere flamma febrium, quam flamma vitiorum? Et tamen cum febre corripimur, quia vitiorum æstum qui nos occupare poterat considerare negligimus, de percussione murmuramus. Quis nesciat quod multo sit melius duris in servitio hominibus subjici, quam blandientibus dæmoniacis spiritibus subdi? Et tamen cum alto Dei judicio conditionis humanæ atterimur jugo, in querelam prosilimus, nimirum quia minus attendimus quod si nos nulla conditio servitutis opprimeret, fortasse mens nostra multis iniquitatibus pejus libera deserviret. Ideo igitur hæc quæ toleramus gravia credimus, quoniam hostis callidi bella quam sint contra nos dura et intolerabilia non videmus. Mentis enim nostræ pondus omne vilesceret, si ea quæ se poterant opprimere occulti adversarii bella pensaret. Quid enim si omnipotens Deus onera quæ patimur sublevet, sed tamen sua nobis adjutoria subtrahat, et inter hostis antiqui tentamenta nos derelinquat? Sæviente tanto hoste, quo ibimus, si nullis Auctoris nostri defensionibus protegamur? Cum ergo, Deo corripiente, dura flagella vel labores toleramus, ut æquanimiter ea ferentes, nequaquam in vitio murmurationis excedamus, hostem nostrum ad memoriam revocare debemus; et durum non æstimemus omne quod patimur, dum externis cruciatibus ab interna passione liberamur.

CAP. X. — *Ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri* (*II Cor.* V, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 70.) Cum foris quisque prædicator certamen sibi passionis propinquare considerat, gloriosi certaminis subire periculum vult, et tamen trepidat, quoniam in morte considerat quod tolerans paveat, et in fructu mortis aspicit quod appetens quærat. Videamus Paulum quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amet. Ait enim: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse* (*Philip.* I, 23). Et: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Et tamen dicit: *Quandiu sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri: ut absorbeatur quod mortale est, a vita.* Ecce et mori desiderat, et tamen exspoliari carne formidat. Cur hoc? Quia si victoria in perpetuum lætificat, ipsum nihilominus præsens pœna perturbat; et quamvis amor subsequentis vincat muneris, tangit tamen animum non sine mœrore pulsus doloris. Sicut enim vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat et festinat, tremit et sævit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus cum propinquare passioni se conspicit, et naturæ suæ infirmitate concutitur, et suæ spei soliditate roboratur, et de vicina morte trepidat, et tamen quod moriendo verius vivat exsultat. Ad regnum quippe non potest nisi morte interposita transire, et idcirco gaudens metuit et metuens gaudet, quia scit quod ad bravium quietis non perveniat nisi hoc quod interjacet cum labore transcendat.

CAP. XI. — *Ut absorbeatur quod mortale est, a vita* (*II Cor.* V, 4).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 45.) Electi Dei quantalibet coruscatione operis fulgeant, quantolibet se igne compunctionis accendant, nimirum constat quia dum corruptibili adhuc carne gravati sunt, æternum lumen sicut est videre nequaquam possunt; sæpe autem ita mens eorum accenditur, ut quamvis in carne sit posita, in Deum tamen omni subjugata carnali cogitatione rapiatur. Nec tamen Deum sicut est conspicit, quia nimirum hanc, sicut dictum est, in carne corruptibili pondus primæ damnationis premit. Sæpe ita ut est se absorberi desiderat, ut æternam vitam, si possit fieri, sine interventu corporeæ mortis attingat. Unde Paulus, cum ardenter internam lucem quæreret, sed tamen utcunque mortis exterioris damna formidaret, ait: *Quandiu sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri: ut absorbeatur quod mortale est, a vita.* Sancti igitur viri videre verum lumen appetunt, et si concedatur, etiam cum corpore illud attingere lucis intimæ secretum volunt. Sed quantolibet ardore intentionis exiliant, adhuc antiqua nox, videlicet consensus primi parentis, ad culpam gravat; et corruptibilis hujus carnis oculos, quos hostis callidus ad concupiscentiam aperuit, Judex justus a contuitu interni sui fulgoris premit.

CAP. XII. — *Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus qui dedit nobis pignus Spiritus* (*II Cor.* V, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XVI, num. 6.) In Scriptura sacra aliquando donum sancti Spiritus pignus appellatur, quia per hoc ad interioris spei certitudinem anima nostra roboratur. Bene ergo per Paulum dicitur: *Qui dedit nobis pignus Spiritus.* Ad hoc enim pignus accepimus ut de promissione quæ nobis fit certitudinem teneamus.

CAP. XIII. — *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (*II Cor.* V, 6).

(In exposit. C. Job, lib. XVIII, n. 48.) Peregrinat

populus est omnium numerus electorum, qui hanc A vitam quoddam sibi exsilium deputantes, ad supernam patriam tota cordis intentione suspirant, de quibus Paulus dicit : *Confitentur, quia peregrini et hospites sunt super terram* (*Heb.* XI, 13). Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Hanc peregrinationem isdem quoque apostolus tolerabat, cum diceret : *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus, et non per speciem.* Hujus peregrinationis ærumnas satagebat evadere, cum dicebat : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23). Et rursum : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Ibid.*).

CAP. XIV. — *Vetera transierunt, et facta sunt nova* (*II Cor.* V, 17).

(Lib. I, in Ezech., hom. 10, n. 8, 9, 10.) Sæpe vidimus quosdam ad vocem prædicationis quasi ex conversatione compunctos habitum non animum mutasse, ita ut religiosam vestem sumerent, sed anteacta vitia non calcarent, lucra mundi præsentis B inhianter quærere, et de solo exteriori habitu quem sumpserunt sanctitatis fiduciam habere. Quibus quid aliud dicendum est, nisi hoc quod Magister egregius quibusdam legis exteriora servantibus loquitur, dicens : *Quia in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura* (*Gal.* V. 6)? Non enim magni est meriti si quid foris erga nos agatur in corpore, sed magnopere pensandum est quid agatur in mente. Nam præsentem mundum despicere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo et proximis sternere, contra illatas contumelias patientiam servare, et custodita patientia malitiæ dolorem a corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minime ambire, amicum in Deo diligere propter Deum, et eos qui sunt inimici amare, de afflictione proximi lugere, de morte ejus qui inimicus est non exsultare : hæc est nova creatura quam idem magister gentium apud alios discipulos vigilanti oculo requirit, dicens : *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt,* C *ecce facta sunt omnia nova.* Ad veterem quippe hominem pertinet mundum diligere, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex livore malitiæ de proximi læsione cogitare, sua indigentibus non dare, atque ad multiplicandum aliena quærere, nullum pure propter Deum diligere, inimicitias inimicis reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta hæc vetusti sunt hominis, quæ videlicet de radice trahimus corruptionis. Sed qui jam ista exsuperat, et ad præcepta Domini mentem in benignitatem commutat, de hoc recte dicitur : *Quia vetera transierunt, et ecce facta sunt nova.* Tunc ergo in nostris mentibus nova fiunt, cum a nobis vetusti hominis vitia transeunt.

CAP. XV. — *Obsecramus pro Christo : reconciliamini Deo* (*II Cor.* V, 20).

(Homil. 32, in Evang., n. 5.) Si contingat ut fortasse cum proximo jurgium habeamus, satisfacere priores erubescimus. Cor quippe carnale, dum hujus D vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit, et plerumque ipse homo qui irascitur discordanti sibi reconciliari appetit, sed ad satisfactionem ire prior erubescit. Pensemus facta Veritatis ut videamus quo jaceant actiones nostræ pravitatis. Si enim membra summi capitis sumus, eum imitari cui connectimur debemus. Quid namque exemplum eruditionis nostræ Paulus egregius prædicator dicit : *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo : reconciliamini Deo* (*II Cor.* V, 20). Ecce inter nos et Deum discordiam peccando fecimus, et tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, ut nos ipsi qui peccavimus ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, ut ei reconciliari debeamus et ipse qui offensus est legatis intervenientibus obsecrat Deus.

CAP. XVI. — *Per gloriam et ignobilitatem*, etc. (*II Cor.* VI, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 17.) Sciendum est quia ne immoderatis laudibus erigamur plerumque miro Rectoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur, ut cum nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet, quoniam et arbor sæpe quæ unius venti impulsu ita impellitur, ut pene jam erui posse videatur, alterius e diverso venientis flatu erigitur; et quæ inflexionem hac ex parte partulit, ab alia ad statum redit. Unde et arbor illa alte radicata quasi inter ventos adversantes fixa steterat quæ dicebat : *Per gloriam, et ignobilitatem : per infamiam, et bonam famam.*

CAP. XVII. — *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii*, etc. (*I Cor.* VI, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, n. 42.) Cum ab infirmis auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent plerumque etiam justi laudare bona quæ dicunt; B non quo ipsi suis laudibus inhient, sed quo suos auditores ad audiendi sollicitudinem accendant ut dum eorum voce proferuntur, ab illorum cordibus ardentiori affectu rapiantur. Unde Paulus cum mira Corinthiis et multa dixisset, adjunxit : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* Cum igitur sancti doctores laudem prædicationis exaltant, quasi manu vocis ab imis cogitationibus corda audientium levant, ut excussa velociter dictis sequentibus velut in itinere occurrant, et tanto ea intelligentiæ amplexu constringant, quanto illa et quasi priusquam cernerent, in voce laudantis amaverant.

CAP. XVIII. — *Non angustiamini in nobis* (*II Cor.* VI, 12).

Debent audientes verba prædicationis in amplo suscipere gremio charitatis : Doctori namque spatiosus ad manendum locus debet esse in corde auditoris, latitudo bonitatis. Unde quibusdam a Paulo dicitur : C *Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus. Non angustiamini in nobis : angustiamini autem in visceribus vestris* (*II Cor.* VII, 2). Ac si eis aperte diceretur : Ad suscipiendam doctrinam, spatiosum mentis locum facite, sed ad cogitanda carnalia, angusti remanete.

CAP. XIX. — *Cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra* (*I Cor.* VII, 5).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 55.) Vir Deo bene subditus sic adversis non frangitur, sicut nec prosperis elevatur, quoniam adversa non dejiciunt quem prospera nulla corrumpunt. Plerumque vero quia exerceri se utilius contritionis suæ laboribus novit, in adversis hilarescit : quæ dum constanter pro veritate patitur, augeri sibi virtutis merita lætatur. Hinc est quod tunc apostolos legimus exsultasse, cum illos pro Christo contigit flagella tolerasse, sicut scriptum est : *Ibant gaudentes a conspectu concilii : quoniam digni sunt habiti pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V, 4). Hinc Paulus cum duris in Macedonia fuisset persecutionibus pressus, in eo quod se afflictum insinuat etiam jucundatum demonstrat, dicens : *Nam cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.* Ac si aperte diceret : Quia spiritus requiem habuit, dum per profectum animæ persecutionum supplicia caro toleravit.

CAP. XX. — *Foris pugnæ, intus timores* (*II Cor.* VII, 6).

(In exposit. B. Job, lib. III, n. 39 et 40.) Sancti viri tribulationum bello deprehensi, cum uno eodemque tempore alios ferientes, atque alios suadentes ferunt, illis opponunt scutum patientiæ, istis intorquent jacula doctrinæ : perversa suadentes intus sapienter edocent, et foris fortiter adversa inferentes contemnunt; hos docentes corrigunt, illos tolerantes premunt, insurgentes hostes patiendo despiciunt, infirmantes vero cives compatiendo ad salutem redu-

cunt. Videamus castrorum Dei militem contra utraque prœliantem, ait enim : *Foris pugnæ, intus timores.* Enumerat bella quæ extrinsecus tolerat, dicens : *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus* (*II Cor.* XI, 26). In hoc autem bello, quæ contra adversarium spicula intorquent, adjungit : *In labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate.* Sed inter tot certamina deprehensus dicat quanto vigiliarum munimine etiam castra custodiat, nam protinus adjungit : *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Ecce in se bella fortiter suscipit, et tuendis se proximis misericorditer impendit : narrat mala quæ patitur, subjungit bona quæ impertitur. Pensemus ergo cujus laboris sit, uno eodem tempore foris adversa tolerare, intus infirma sustinere ; foris pugnas patitur, quia verberibus scinditur, catenis ligatur : intus metum tolerat, quia passionem suam non sibi, sed discipulis obesse formidat. Unde et eisdem scribit dicens : *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positus sum* (*II Thess.* III, 3). Aliorum quippe casus in propria passione metuebat, dum ipsum discipuli afflictum pro fide verberibus agnoscerent, fideles se profiteri recusarent. O immensæ charitatis viscera ! Despicit quod ipse patitur, et curat ne quid pravæ persuasionis in corde discipuli patiantur ; in se contemnit vulnera corporis, et in aliis medetur vulnera cordis. Habent quippe hoc justi proprium, ut in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant utilitatis alienæ. Et cum de se adversa patientes doleant, aliis necessaria docentes prævident. Valde autem minoris est laboris, aut docere cum nihil toleras, aut tolerare cum nihil doces. Unde sancti viri ad utraque se solerter extendunt, et tamen in tribulationibus fortasse feriuntur : sic exteriora bella suscipiunt, ut sollicite cogitent ne proximorum interiora lacerentur.

CAP. XXI. — *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio* (*II Cor.* VIII, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 68, 69.) Scire necesse est quia ille perfecte tribuit qui cum eo quod afflicto porrigit afflicti quoque in se animum sumit, ut prius in se dolentis passionem transferat, et tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. Nam sæpe largitorem muneris rerum facit abundantia, et non virtus compassionis. Qui enim afflicto perfecte compatitur, plerumque et hoc indigenti tribuit in quo ipse qui dederit angustatur. Et tunc est plena cordis nostri compassio, cum malum inopiæ pro maximo suscipere non metuimus, ut illum a passione liberemus. Quam videlicet pietatis formam Mediator Dei et hominum nobis dedit, qui cum posset nobis etiam non moriendo succurrere, subvenire tamen hominibus moriendo voluit, quia nos videlicet minus amasset, nisi et vulnera nostra suscepisset : nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod a nobis tolerat ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalesque nos reperit, et qui nos existere fecit ex nihilo, revocare videlicet etiam sine sua morte potuit a passione. Sed ut quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est quod esse nos voluit, ut in semetipso temporaliter mortem susciperet quam a nobis in perpetuum fugaret. Annon in divinitatis suæ divitiis nobis invisibilis permanens, miris nos potuit virtutibus ditare ? Sed ut ad internas divitias rediret homo, foris apparere dignatus est pauper Deus. Unde et prædicator egregius, ut ad largitatis gratiam viscera nostræ compassionis accenderet, dixit : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives* (*II Cor.* VIII, 9). Qui sic etiam dicit : *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio : sed ex æqualitate in præsenti tempore nostra abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum* A *abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Hæc procul dubio condescendendo infirmis intulit, ne plurima præbentes, et ipsi postmodum inopiam minime tolerantes, ad impatientiam erumpant. Cum enim dantis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem contra se impatientiæ exquirit. Prius quippe præparandus est patientiæ animus, et tunc aut multa sunt aut cuncta largienda, ne dum minus æquanimiter inopia irruens fertur, et præmissæ largitatis merces pereat, et adhuc mentem deterius murmuratio sub-equens perdat. Quibusdam enim inopiam ferre non valentibus tolerabilius est minus tribuere, quam post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare. Nam ut ad magna largienda audientium mentes accenderet, paulo post intulit, dicens : *Hæc autem dico : Qui parce seminat, parce et metet* (*II Cor.* IX, 6). Plus autem nonnunquam esse dicimus compati ex corde quam dare, quia quisquis indigenti perfecte compatitur, minus æstimat omne quod dat. Nisi enim dantis manum bona voluntas B vinceret, et eisdem prædicator egregius discipulis non dixisset : *Qui non solum facere, sed et velle cœpistis ab anno priore* (*II Cor.* VIII, 10). Facile quippe est in bono opere obedire etiam volentem, sed hæc magna in discipulis virtus exstiterat, eos bonum quod illis præceptum est et ante voluisse. Ideirco autem plus compassionem quam datum dicimus, quia rem quamlibet plerumque dat etiam qui non compatitur, nunquam autem qui vere compatitur quod necessarium proximo conspicit negat.

CAP. XXII. — *Epistolæ graves sunt, præsentia vero corporis infirma* (*II Cor.* X, 10).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 51.) Sciendum est quod justus quisque aut temporalem gloriam non habet, aut hanc sub semetipso frangit si habet, ut honori suo liber emineat, ne ei victus delectatione succumbat. Hinc est enim quod ille prædicator egregius ante humanos oculos apostolatus sui gloriam humiliaverat, qui dicebat : *Non usi sumus hac potestate, cum possimus oneri esse ut Christi apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 7). In die nimirum apud auditores suos contemptus habebatur, cum dicebat : *Epistolæ graves sunt, et fortes : præsentia vero corporis infirma, et sermo contemptibilis.* Quem enim talia dicere posse cognoverant secum communiter vivere non posse judicabant. Dumque eum et humilem vivendo cernerent, et altum sermone pensarent, sua eos elatio compulit ut quem per scripta timuerant per præsentiæ verba despicerent. Paulus igitur unde magisterium humilitatis exhibuit inde a rudibus discipulis superbiæ contumelias recepit. Horrendo enim modo languor superbientium unde detumescere debuit excrevit, dum mens elata carnalium hoc quasi dedignabile repulit quod magister imitabile ostendit.

CAP. XXIII. — *Cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui* (*II Cor.* XI, 9).

(Lib. II, in Ezech., homil. 6, n. 12, 13.) Beati Pauli D mansuetudinem consideremus, et pensemus, si possumus : ille qui tanti ardoris est in zelo prædicationis, ut apostolorum quoque primo non parceret, quantæ mansuetudinis erat in studio longanimitatis. Taceamus autem quod ter virgis cæsus est, quia semel lapidatus est, quia ter naufragium fecit, quia nocte ac die in profundo maris fuit, quia a Judæis quinquies quadragenas una minus accepit (*I Cor.* XI). Minus enim animum ad iracundiam commovent ea mala quæ nobis ab apertis adversariis irrogantur, hoc plus solet dolere quod a propriis patimur. Unde et ipsa Veritas per Psalmistam contra traditorem suum loquitur, dicens : *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique : tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos* (*Psal.* LIV, 13). Pensemus ergo, si possumus, Paulus apostolus qui tantum patiens inter persecutores erat, quantum mansuetus inter discipulos fuerat. Certe Corinthum veniens, ab ido-

lorum servitio Corinthios retraxit, quis esset Deus verus innotuit, æternæ eis vitæ gaudia prædicavit. Et cum magnam multitudinem populi in fide collegisset, tantam illic inopiam pertulit, ut victus sui gravi necessitate laboraret, et terræ panem a discipulis non accepit quibus panem cœli prædicavit.i Insistebat verbo pro vita audientium, pro vita sui corporis insistebat labori manuum. De terris quoque aliis stipendia mittebantur a discipulis, ut prædicare sufficeret Corinthiis; ipse quippe ad eosdem Corinthios post per epistolas loquitur, dicens : *Cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui : nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia.* Quibus ad magnum quoque improperium præmisit, dicens : *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.* Pensemus ergo, si possumus, cujus hoc mansuetudinis fuerat, panem spiritualem prædicare, et panem carnis non accipere : corda audientium de divitiis æternis instruere, et inter eosdem discipulos fideles et abundantes fame laborare; inter satiatos pati inopiam, nec tamen quod patiebatur dicere, nec tamen dolere : videre dura erga se corda auditorum tenacium, nec a prædicatione desistere. Nam sicut apostolorum Acta testantur, anno et sex mensibus in eadem civitate continue prædicavit (*Act.* XVIII). Cumque ab eisdem Corinthiis recessisset, ad eosdem postmodum scribit quod apud eos positus pertulit. Quare autem hoc eis cum inter eos viveret nunquam dixit? Ne quod erga eum factum ex bona voluntate non fuerat fieret ex jussione, et cum innotesceret eorum miseria, remaneret voluntas ignota. Quare autem hoc ad hos postmodum longe positus scribit? Ne omnimodo discipuli incorrecti remanerent, et quales in tenacia magistro fuerant, aliis quoque fratribus tales essent. Vere et in hoc Paulus, vere magister gentium, sua negligens, aliena curans, implevit quod prædicaverat : *Nemo quod suum est, quærat; sed quod alterius* (*1 Cor.* X, 24) : et non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed ea quæ aliorum. Quanta itaque ista mansuetudinis est virtus! quanta tranquillitas spiritus! Quis autem nostrum, si unum hujus mundi divitem ad omnipotentis Dei servitium convertisset, seque egere conspiceret, et illum sibi vitæ subsidia non præbere, non protinus de ejus vita desperasset? Quis non incassum laborasse se diceret? quis non ab ejus exhortatione obmutesceret quem in semetipsum primum ferre fructum boni operis non videret? Sed Paulus per mansuetudinem in virtutum vertice solidatus perstitit, prædicavit, dilexit, et bonum quod cœperat, explevit, atque portando et persistendo discipulorum corda ad misericordiam perduxit; nam eorum profectum postmodum scire se indicans, in eadem Epistola scribit : *De ministerio quod fit in sanctos, ex abundantia est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedonas : quoniam Achaia parata est ab anno priore, et vestra æmulatio provocavit plurimos* (*II Cor.* IX, 8). De quibus rursus ait : *Qui non solum facere, sed velle cœpistis ab anno priore.* In quibus non tam opera quam pia vota requirebat, in eis procul dubio plus laudat pia vota quam opera. Notandum tamen est quia habet improperium hæc ipsa consolatio, cum dicitur, *ab anno priore.* Bonum quidem sed tarde fecerant, atque ideo hoc magister non sine reprehensione laudabat. Medicus quippe est qui vulneri medicamentum apponit quod et ea quæ purgata sunt refovet, et ea quæ putrida inveniuntur mordet; sed hæc tolerando atque prædicando explevit quod cœpit, et miræ longanimitatis virtus ad viscera misericordiæ discipulorum duritiam emollivit.

Cap. XXIV. — *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (*II Cor.* XI, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 44.) Aliter antiquus hostis religiosas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat. Nam pravis mala quæ desiderant aperte objicit, bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit : illis velut familiaribus suis iniquum se manifestus insinuat, istis vero, velut extraneis, cujusdam quasi honestatis prætextu se palliat, ut mala quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat. Unde et membra ejus sæpe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt, et prava quidem exhibent opere, sed sancta mentiuntur specie. Iniqui enim si aperte mali essent, a bonis recipi minime possent; sed sumunt aliquid de visione bonorum, ut dum boni viri recipiunt in eis speciem quam amant, permixtum sumant etiam virus quod vitant. Unde quosdam Paulus apostolus intuens, sub prædicationis velamine ventris studio servientes, ait : *Satanas transfigurat se in angelum lucis.* Quid ergo mirum si ministri ejus tranfigurentur velut ministri justitiæ? Hanc tranfigurationem Josue timuit, quando videns angelum, cujus esset partis inquisivit, dicens : *Noster es, an adversariorum* (*Josue* V, 13)? ut videlicet si adversæ virtutis esset, eo ipso quo se suspectum cognosceret, ab illusione resiliret.

Cap. XXV. — *Ministri Christi sunt, et ego* (*II Cor.* XI, 23).

(Lib. I in Ezech., homil. 9, n. 19; in exposit. B. Job, lib. XIX, n. 37.) Justi atque perfecti gloriam laudis fugientes, et animarum lucra quærentes, aliquando virtutes suas prædicant; bona quæ divinitus acceperunt, narrant : non ut ipsi apud homines ostensione sua proficiant, sed ut eos quibus prædicant exemplo suo ad vitam trahant. Unde Paulus apostolus quoties fustibus cæsus, quoties lapidatus, quoties naufragium pertulit, quanta pro veritate sustinuit, quod ad tertium cœlum raptus, quod in paradisum ductus sit, Corinthiis narrat (*II Cor.* XI, 2), ut eorum sensum a falsis prædicatoribus avertat; et dum se innotesceret qualis esset, illi eis vilescerent quos ab eis cognoverat inique venerari. Eisdem igitur Corinthiis, honorem fugiens, dicit : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum : nos autem servos vestros per Jesum Christum* (*II Cor.* IV, 5). Quos tamen videns falsorum apostolorum persuasionibus a veræ fidei tramite deviare, eis se summopere quantum esset venerandus ostendit, dicens : *In quo quis audet* (*in insipientia dico*) *audeo et ego. Hebræi sunt, et ego. Israelitæ sunt, et ego. Semen Abrahæ sunt, et ego. Ministri Christi sunt, et ego :* (*ut minus sapiens dico*) *plus ego* (*II Cor.* XI, 21). Quibus etiam subjungit quod ei quoque tertii cœli secreta patuerunt, quod raptus etiam arcana paradisi penetravit. Ecce honorem fugiens, servum se discipulorum prædicat : ecce honorem pro utilitate audientium quærens, falsis apostolis vitæ suæ merita superponit. Egit quippe doctor egregius, ut dum ipse qualis esset agnoscitur, et vita et lingua male prædicantium ejus comparatione vilesceret; illos videlicet commendaret si se absconderet, cumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Miro igitur modo, et humilitatis quærit incrementa, ut et servum se discipulis prædicet, et adversariis potiorem demonstret. Ostendit discipulis quid humilitatis acceperat, ostendit adversariis quid sublimitatis. Innotescit contra adversarios quid haberet ex munere, innotescit discipulis qualis apud se maneat in cogitatione. Sancti ergo viri cum coguntur bona narrare quæ faciunt, non elationi sed utilitati serviunt.

Cap. XXVI. — *Damasci præpositus gentis Aretæ regis* (*II Cor.* XI, 32).

(In exposit B. Job, lib. XXXI, n. 56, 57, 58, 59, 60.) Si ad æternæ vitæ desiderium noster animus exarsit, si jam verum lumen intrinsecus respicit, si in se flammam sancti fervoris accendit, inquantum locus admittit, inquantum causa exigit, debemus pro defensione justitiæ nosmetipsos objicere, et perversis ad injusta erumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur, obviare. Nam cum justitiam quam nos amamus in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur. Intueri libet

quantus Paulum fervor accenderat, quando cum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat. Scriptum quippe est : *Repleti sunt ira, et exclamaverunt, dicentes : Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatro, rapto Caio et Aristarcho, comitibus Pauli.* Atque mox subditur : *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli : quidam autem et de Asiæ principibus qui erant amici ejus, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum* (*Act.* XIX, 28, *seq.*). In quibus profecto verbis agnoscimus quo impetu contra cuneos adversantes irrueret, nisi eum per amicos et discipulos charitatis frena tenuissent. Sed si obviare hostibus, si ultro pugnam petere, si nosmetipsos semper relinquere in cursum nostri fervoris debemus, quid est quod idem prædicator egregius de semetipso fatetur, dicens : *Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet ; et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus ?* Quid est quod modo sponte cuneos armatorum impetit, et modo se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit, nisi hoc quod necesse est ut in ejus artificiosa virtute discamus adversariorum pugnam et constanter aliquando appetere, et prudenter aliquando declinare ? Necesse quippe est ut per omne quod agimus, in mentis trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimemus. Et cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxie declinat dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum vero subsequenti quantitate fructuum mensura laboris aut æquatur aut vincitur, labor sine gravi culpa declinatur. Unde prædicator sanctus cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum voluit adversitati confligere, quia et semetipsum, quem profuturum multis noverat, vidit posse deficere, et aut nullis se illic aut paucis prodesse. Secessum igitur a certamine petiit, et pugnaturum felicius ad alia se bella servavit. Non enim loco virtus, sed locus virtutis defuit, et idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia certaminis campum quæsivit. Ubi vero subjuganda regi proprio multa adversariorum colla conspexit, subire bellum, vel cum morte non timuit ; sicut ipse cum Jerosolymam pergeret, eumque discipuli passione illius per prophetiam præscita prohibérent, sibimetipsi attestaretur, dicens : *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu : neque enim facio animam meam pretiosiorem quam me* (*Act.* XXI, 13). Qui igitur hic hostiles cuneos etiam præscita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione fuisse edocuit, non de timore, quod fugit. Qua in re pensandum est quia ille labores quosdam per dispensationis judicium laudabiliter declinat, qui pro Deo majores alios fortiter tolerat. Nam sæpe ab hominibus timor debilis, cauta dispensatio vocatur, et quasi prudenter impetum declinasse se asserunt, cum fugientes turpiter in terga feriuntur. Unde necesse est ut in causa Dei cum res dispensationis agitur, metus cordis subtilissima libratione pensetur, ne per infirmitatem timor subrepat, et sese per dispensationis imaginem rationem confingat ne culpa se prudentiam nominet, jamque nec ad pœnitentiam animus redeat, quando hoc quod inique perpetrat virtutem vocat. Restat igitur in dubiis quisque deprehensus, cum sibi quælibet adversitas imminet, prius intra semetipsum contra formidinem et præcipitationem pugnet, quatenus nec formidolose se subtrahat, nec præcipitanter opponat. Valde enim præceps est qui semper se adversis objicit, et valde pavidus qui semper abscondit. Sed hæc melius in bellis spiritualibus discimus, si formam exercitii a corporalibus bellis trahamus. Neque enim ille dux sapiens est, qui contra cuneos hostiles exercitum præceps admovet, neque ille dux fortis qui semper hunc ab hostis facie cavendo subducit. Scire namque dux debet, modo ab hostili impetu exercitum caute subtrahere, modo hostem circumfusis cornibus coarctare. Quod nimirum sollicite perfecti prædicatores exhibent, cum modo persecutionis rabiem declinantes, noverunt sapienter sed non enerviter cedere : modo vero persecutionis impetum contemnentes, noverunt ei fortiter sed non præcipitanter obviare.

CAP. XXVII. — *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me* (*II Cor.* XII, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 13.) Qui veraciter sancti sunt non solum gloriam super modum suum omnino non appetunt, sed etiam hoc ipsum videri refugiunt quod esse meruerunt. Unde ille prædicator egregius veritatis contra pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, dum tot se pericula tolerasse coacervata persecutione describeret, et post hæc usque ad tertium cœlum, rursumque in paradisum se raptum esse memoraret, ubi tanta cognoscere potuisset quanta loqui omnino non posset, erat de se fortasse adhuc mirabiliora locuturus, sed ab humana laude alta consideratione se temperans subdidit : *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Habebat ergo de se dicendum aliquid adhuc qui parcit dicere, sed egit utrumque doctor egregius, ut et loquendo quæ egerat discipulos instrueret, et tacendo se intra humilitatis limitem custodiret. Nimis namque esset ingratus si de se discipulis tota reticeret, et fortasse nimis incautus si de se tota vel discipulis proderet. Sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque : ut loquendo vitam audientium erudiret, tacendo vero suam custodiret.

CAP. XXVIII. — *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ*, etc. (*II Cor.* XII, 7).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 11 ; lib. XXXI, num. 71.) Electi Dei quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant quibusdam tentationibus reprimuntur, ut ne tantum proficere valeant quantum volunt ; sed ne extollantur superbia, non fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum. Sic Paulum videmus fluminum et latronum, civitatis et solitudinis, maris ac falsorum fratrum pericula sustinentem, frenantem jejuniis ac vigiliis corpus, sustinentem frigoris et nuditatis ærumnam, ad Ecclesiarum custodiam vigilanter se et pastoraliter exercentem, ad tertium cœlum raptum, rursumque eum in paradisum raptum, et audisse arcana verba quæ non licet homini loqui ; et cum Satanæ angelo ad tentandum conceditur orat ut eximi debeat, et non exauditur, sicut ipse dicit : *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, ut me colaphizet : propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me.* Hujus cum initia conversationis aspicio, perpendo quod ei superna pietas cœlos aperit, seseque illi Jesus de sublimi ostendit. Qui lumen corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit : ad Ananiam mittitur, Vas electionis vocatur, et tamen de civitate eadem quam post visionem Jesu ingressus fuerat fugiens recedit, sicut ipse testatur, dicens : *Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet ; et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus* (*II Cor.* XI, 32). Cui licenter dicam : O Paule, in cœlo jam Jesum conspicis, et hominem in terra fugis ; in paradisum duceris, secreta Dei verba cognoscis, et adhuc a Satanæ angelo tentaris ? Unde sic fortis, ut ad cœlestia rapiaris ? Unde sic infirmus, ut hominem in terra fugias, et adhuc a Satanæ angelo adversa toleres ? quia ecce qui te sublevat, rursus te subtilissima mensura moderatur, ut et in miraculis tuis prædices nobis virtutem Dei, et rursum in timore tuo reminisci nos facias infirmitatis nostræ. Quæ tamen infirmitas ne in desperationem nos pertrahat cum pulsat, dum in infirmitate tua Dominum rogares, quia auditus non es, nobis quoque locutus es quod audisti : *Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infir-*

mitate perficitur (*II Cor.* XII, 9). Aperta ergo Dei voce ostenditur, quia custos est virtutis infirmitas. Tunc quippe bene interius custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius aliquando vitiis, aliquando pressuris, et persecutionum adversitatibus. Qui vero mentem certamini vult ante tentationis certamen parare, adversa neque longe adhuc posita debet cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improvisa superare. Unde Paulus discipulos admonebat, cum diceret : *Vosmetipsos tentate : si estis in fide, ipsi vos probate* (*II Cor.* XIII, 5). Ac si aperte præciperet, dicens : Certamina persecutionum ad mentem reducite, et vestri cordis intima atque occulta pensantes, quales inter supplicia existere valeatis invenite. Paulus ergo prædicator egregius, qui raptus ad tertium cœlum fuerat, arcana paradisi penetraverat, esse post revelationem tranquillus et intentatus volebat. Sed quia omnipotens Deus terminos constituit homini qui non poterunt præteriri, et elevavit hunc ad cognoscenda sublimia, et reduxit iterum ad infirma toleranda, ut modi sui mensuras aspiciens, dum securitatem comprehendere conaretur et non posset, ne per elationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire. Nonnunquam itaque electi Dei in virtutibus proficere conantur, et quædam dona percipiunt. A quibusdam vero repulsi in imis jacent. Nemo est enim qui tantum virtutis apprehendat quantum desiderat, quia omnipotens Deus interiora discernens, ipsis spiritualibus profectibus modum ponit ; ut ex hoc homo quod apprehendere conatur et non valet, in illis se non elevet quæ valet.

CAP. XXIX. — *Factus sum insipiens* (*I Cor.* XII, 11).

(Lib. I, in Ezech., homil. 9, n. 19, 20.) Justi et perfecti nunquam bona sua detegunt, nisi eos aut proximorum utilitas, aut certe nimia necessitas cogat. Unde Paulus quoque apostolus multa de se fortia pro discipulorum suorum ædificatione narravit, sed hæc narrando minime deliquit, quoniam a veritatis tramite et attestatione certa et corde humili non recessit. Qui vero necessitate cogente vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto et veritati sociatur. An idem Paulus non fuit, quando veritatis æmulatione contra falsos apostolos tot de se discipulis fortia gesta narravit ? Cui nimirum veritati inimicus existeret, si abscondendo virtutes proprias prædicatores errorum prævalere permisisset. Unde etiam cum virtutes suas Corinthiis enumerasset, adjunxit : *Factus sum insipiens : vos me coegistis*. Fit autem aliquando ut, necessitate compulsi, in bonis quæ de se referunt non aliorum utilitatem sed suam requirant, sicut beatus Job facta sua enumerat, dicens : *Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam diligentissime investigabam* (*Job*, XXIX, 15) ; et multa alia quæ sæpe egisse se commemorat. Sed quia in vulnere doloris positus, ab amicis increpantibus impie egisse, et violentus proximis atque oppressor pauperum fuisse dicebatur, vir sanctus inter flagella Dei et humanæ increpationis verba deprehensus, mentem suam graviter concuti atque ad desperationis foveam conspexit impelli : qui jamjamque cadere poterat, nisi ad memoriam sua bene acta revocasset, ut ad spem animi reduceretur, ne oppressus verbis et vulneribus in desperatione periret. Quod ergo sua bona enumerat, non innotescere aliis quasi ex laude desiderat, sed ad spem animum reformat. Justi itaque cum virtutes suas quas habent infirmis loquuntur, reprehensibiles non sunt, quia per vitam suam quam referunt aliorum animas ad vitam quærunt.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD GALATAS.

CAP. PRIMUM.—*Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Galat.* I, 10).

(Regul. Pastor. part. II, c. 8.) Sciendum est quod non oportet ut rectores boni placere hominibus appetant, sed ut æstimationis suæ dulcedine proximos in affectum veritatis trahant ; non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Difficile quippe est ut quantumlibet recta denuntians prædicator qui non diligitur libenter audiatur. Debet ergo qui præest studere se diligi, quatenus possit audiri ; et tamen eorum amorem pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei cui servire per officium cernitur occulta cogitationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinuat, cum sui nobis studii occulta manifestat, dicens : *Sicut et ego per omnia omnibus placeo* (*I Cor.* X, 33). Qui tamen rursus dicit : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Placet ergo Paulus, et non placet ; quoniam in eo quod placere appetit, non se sed per se hominibus placere veritatem quærit.

CAP. II.—*Notum vobis facio Evangelium*, etc. (*Galat.* I, 11).

(Lib. I, in Ezech., homil. 1, n. 9.) Aliquando prophetiæ spiritus ex præterito tangit animum, nec tangit ex futuro, sicut aperte ostenditur in Paulo apostolo, qui discipulis dicit : *Notum vobis facio Evangelium quod evangelizatum est a me : quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi* (*Ephes.* III, 5). Unde aliis quoque discipulis dicit : *Secundum revelationem notum factum mihi sacramentum*. Qui tamen hoc ipsum Evangelium quod per revelationem cognoverat, cum Jerosolymam prædicaturus ascenderet, ait : *Ecce ego alligatus spiritu, vado in Jerusalem : quæ in ea ventura sint mihi ignorans* (*Act.* XX, 22). Hoc quippe Evangelii sacramentum est ; quia Unigenitus Patris incarnatus est, atque perfectus homo factus est ; qui crucifixus, mortuus et sepultus, die tertia resurrexit, die quoque quadragesima ascendit in cœlum, atque in dextera Patris sedet. Qui ergo per revelationem Evangelium agnovit, prophetiæ spiritu de præterito tactus est ; sed quia quid pro eodem Evangelio passurus erat ignoravit, de futuro procul dubio tactus non est. Nam sic dicit : *Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates protestatur, dicens : Quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent* (*Vers.* 23). Hinc aperte ostenditur, quia ea quæ ipsi ventura essent aliis de ipso revelatum est, non autem ipsi de se, sicut de illo per Agabum dicitur : *Virum cujus hæc zona est, ita alligari oportet in Jerusalem* (*Act.* XXI, 11).

CAP. III. — *O insensati Galatæ* (*Galat.* III, 1).

(Lib. I, in Ezech., hom. 11, n. 20.) Mentes asperæ et impudentes, si leniter fuerint increpatæ, ad majores culpas ipsa lenitate provocantur. Unde Paulus prædicator egregius multum aspere contra Galatas, qui a fide discesserant, erigitur. Nulla enim modestiæ patientia præmissa, nulla locutionis dulcedine prærogata, eos quos a fide discessisse cognovit, ab ipso Epistolæ suæ exordio invehendo redarguit ; nam præmissa salutatione sic cœpit : *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi* (*Galat.* I, 6). Quibus etiam in aperta increpatione post cætera subjungit : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?* Mentes etenim duræ nisi aperta essent increpatione percussæ, nullomodo cognoscerent malum quod egissent. Nam sæpe hi qui impudentes sunt tantum se peccasse non sentiunt, quantum de peccatis quæ fecerint, non increpantur ; ut minores culpas suas æstiment quas minor invectio castigat, et quas vehementer objurgari viderint majores esse deprehendant. Unde necesse est ut sermo semper prædicantis cum auditorum debeat qualitate

formari, ne aut verecundis aspera aut impudentibus loquatur lenia.

CAP. IV. — *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20).

(Homil. 23, in Evang., n. 2.) Dominus dicit in Evangelio : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (*Luc.* IX, 23). Ille semetipsum relinquit et abnegat qui quod fuit per vetustatem deserit et vitat, et ad hoc nititur quo per novitatem vocatur; semetipsum abnegat, non quia omnino non est in essentia, sed scilicet non est in impietatis culpa. Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam. Pensemus quomodo se Paulus abnegaverat, qui dicebat : *Vivo ego, jam non ego*. Exstinctus quippe sævus fuerat ille persecutor, et vivere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profecto non esset : sed qui se vivere denegat, dicat unde est quod sancta verba per doctrinam Veritatis clamat. Protinus subdit : *Vivit vero in me Christus*. Ac si aperte dicat : Ego qudeim a meipso sum exstinctus, quia carnaliter non vivo, sed tamen essentialiter non sum mortuus, quoniam in Christo spiritualiter vivo.

CAP. V. — *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Galat.* IV, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 47, 48.) Sicut cervæ quæ incurvantur ad fetum, et pariunt, et rugitus emittunt, sic prædicatores sancti rugiunt, dum per incurvationem suam in conversatione lucis auditorum animas gignunt, quia eos ab æternis suppliciis removere, nisi flendo non possunt. Nunc enim in lacrymis seminant, ut segetem postmodum gaudiorum metant; nunc quasi cervæ in partus sunt dolore, ut spirituali prole postmodum sint fecundi. Ut enim de multis unum loquar, video Paulum quasi quamdam cervam in partu suo magni doloris rugitus emittentem, ait enim : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis : vellem apud vos esse modo, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis*. Ecce mutare vult vocem in partu suo, ut sermo prædicationis in rugitum vertatur doloris. Mutare vult vocem; quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum hæc cerva pariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare cogebatur, dicens : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit* (*Galat.* III, 1) ? Et : *Cur sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?* Vel certe : *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Qualis in hujus cervæ partu rugitus fuit, quæ diu conceptos filios cum tot difficultatibus peperit, et quandoque partus ad uterum malitiæ rediisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ et postquam concepta potuit edere, rursum est compulsa, exstincta suscitare. Notandum vero summopere est quod cervæ incurvantur ut pariant, quia nimirum si erectæ starent parere non valerent. Similiter prædicatores sancti, nisi ab illa immensitate contemplationis internæ quam capiunt, ad infirmitatem nostram humillima prædicatione, quasi quadam incurvatione, descenderent, nunquam utique filios in fide procrearent. Nobis quippe prodesse non possent, si in suæ altitudinis erectione persisterent; sed videamus cervam sese ut pariat incurvantem : *Ego igitur non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* II, 1, 2). Atque mox eisdem incurvationis causas exsequitur, dicens : *Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis* (*Ibid.*). Sed hanc cervam quæ propter nos incurvata est quæso videamus erectam. Ait : *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II, 6). Et rursum : *Sive mente excedimus Deo* (*II Cor.* V, 13). Cum vero mente excedit Deo, excessum ejus omnino non accepimus. Ut ergo nos lucretur, incurvatur ad nos, unde illic apte subjungit : *Sive sobrii sumus, vobis.*

CAP. VI. — *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt* (*Galat.* V, 24).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, n. 72, 73.) Omnis hypocrita corpus per abstinentiam afflicit, sed tamen per amorem gloriæ mundo vivit. Quo contra bene per Paulum de electis dicitur : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*. Cum vitiis quippe et concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, ut jam de mundi gloria nihil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam vivit, quoniam et sæpe per sanctitatis imaginem locum regiminis indignus assequitur qui nisi aliquid in se virtutis ostenderet, honorem nullum percipere mereretur. Sed transit quod delectabiliter obtinet, et pœnaliter quod sequitur manet.

CAP. VII. — *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (*Galat.* VI, 1).

B (Regul. pastor. part. II, c. 10.) Cum non malitia sed ignorantia sola, vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est ut magno moderamine ipsius delicti correctio temperetur. Cuncti quippe quousque hac mortali carne subsistimus, nostræ corruptionis infirmitatibus subjacemus. Ex se ergo debet quisque colligere qualiter alienæ hunc oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem ferventius rapiatur, oblitus sui esse videatur. Unde Paulus bene admonet, dicens : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis : considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Ac si aperte dicat : Cum displicet jam ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa quid es, ut increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat timet.

CAP. VIII. — *Invicem onera vestra portate* (*Galat.* VI, 6).

C (Lib. II, in Ezech., hom. 1, num. 5; Regul. pastor. part. III, cap. 27.) Sicut in ædificio lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur, et qui portat alterum portatur ab altero, sic in sancta Ecclesia unusquisque portat alterum, et portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium charitatis surgat. Hinc etenim Paulus admonet, dicens : *Invicem onera vestra portate : et sic adimplebitis legem Christi.* Quid lex hoc loco accipi nisi charitas debet, per quam semper in mente legitur præcepta vitæ qualiter in actione teneantur? Lex quippe Christi charitas est, quia ille nobis et largiter sua bona contulit, et æquanimiter mala nostra portavit. Tunc ergo legem Christi imitando complemus, quando et nostra benigne conferimus, et nostrorum mala pie sustinemus, fraterna onera ex amore tolerantes. Hujus legis virtutem Paulus iterum denuntians, ait : *Plenitudo legis charitas* (*Rom.* XIII, 10.) Si enim ego vos portare negligo in moribus vestris, et vos tole-
D rare me contemnitis in moribus meis, charitatis inter vos unde ædificium surgit quos vicaria dilectio per patientiam non conjungit? Nunc itaque alii portantur a vobis, nos vero portati sumus ab aliis. Illi vero qui in fine Ecclesiæ, id est in extremitate mundi, nascituri sunt, tolerantur quidem a majoribus, ut eorum mores ad bona merita componantur; sed cum non eos sequuntur qui per illos proficiant, nullos super se fidelis fabricæ jam lapides portant. Omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, quia mores simul omnium solus Redemptor noster tolerat, de quo Paulus ait : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Redemptor itaque omnia nostra tolerat, sed in ipso malum non fuit quod debuisset tolerari; et culpas vestras solus ille sustinet qui totam sanctæ Ecclesiæ suæ fabricam portat; qui per prophetæ vocem de perverse adhuc viventibus dicit : *Laboravi, sustinens* (*Jerem.* VI, 11).

CAP. IX. — *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14).

(In exposit. B. Job, lib. v, num. 4.) Electi Dei mori mundo funditus concupiscunt, ut sicut in sæculo ipsi nihil appetunt, ita jam a sæculo nulla obligatione teneantur. Et plerumque contingit ut jam homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus hominem occupationibus astringat; et ipse quidem mundo jam mortuus est, sed ipsi mundus adhuc mortuus non est. Quasi enim vivus adhuc mundus eum concupiscit, dum alio intentum in suis actibus rapere contendit. Unde bene Paulus cum et ipse sæculum perfecte despiceret, et talem se factum videret quod jam hoc sæculum omnino concupiscere non posset, ruptis hujus vitæ vinculis liber dicit: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Mundus quippe ei crucifixus fuerat, quia hunc cordi suo jam mortuum non amabat. Sed et seipsum crucifixerat, quia talem se ei exhibere studuit, ut ab eo quasi mortuus concupisci non posset. Paulus ergo qui se totum huic mundo mortuum esse perhibebat, non sufficit ut diceret: *Mundo crucifixus sum*, nisi etiam prætermitteret: *Mihi mundus crucifixus est*, ut non tantummodo mortuum, sed etiam mundum sibi mortuum esse testaretur, quatenus nec ipse mundum, nec ipsum jam mundus appeteret. Si enim duo fortasse in uno sint, quorum unus vivus, alter vero sit mortuus, etsi mortuus vivum non videt, vivus tamen mortuum videt: si vero utrique sint mortui, alter alterum nequaquam videt. Ita qui jam mundum non amat, sed tamen ab illo vel non volens amatur, etsi ipse velut mortuus mundum non videt, hunc tamen mundus adhuc non mortuus videt. Si vero nec ipse mundum in amore retinet, nec rursum a mundi amore retinetur, sibi vicissim utrique sunt exstincti, quia dum alter non appetit quasi mortuus, mortuum non attendit. Quoniam igitur Paulus nec mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur, et se mundo et mundum sibi crucifixum esse gloriatur. Ut enim ostenderet quia per abjectionem qua se humiliando dejecerat talis jam factus esset ut nec ipse mundum, nec mundus ipsum concupisceret, non solum ait se mundo crucifixum, ut mundi gloriam quam appeteret ipse tanquam mortuus non videret, sed etiam sibi mundum asseruit crucifixum: in quo se tanta humilitate dejecerat, ut et ipse mundus tanquam mortuus, Paulum humilem atque despectum jam videre nequaquam posset.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS.

CAPUT PRIMUM. — *Proposuit instaurare omnia in Christo* (*Ephes.* I, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 99.) Fortissimi angelorum chori, qui quamvis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis angelis diabolo, remanserunt, prærupti et imminuti possunt dici, quia pars eorum cecidit, pars remansit. Qui integri quidem stant per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prærupti et imminuti. Hanc præruptionem restituere Mediator venit, ut redempto humano genere, illa angelica damna sarciret, et mensuram cœlestis patriæ locupletius fortasse cumularet. Propter hanc præruptionem de Patre dicitur: *Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso*. In ipso quippe restaurantur ea quæ in terra sunt, dum peccatores ad justitiam convertuntur. In ipso restaurantur ea quæ in cœlis sunt, dum illuc homines humiliati redeunt ubi apostatæ angeli superbiendo ceciderunt.

CAP. II. — *Pater suscitavit Christum a mortuis, constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem* (*Ephes.* I, 21).

(Hom. 34, in Evang., n. 7, 8, etc.) Angelorum et hominum naturam ad cognoscendum se Dominus condidit, quam dum ad æternitatem consistere voluit, eam procul dubio ad suam similitudinem creavit. Novem vero sunt ordines angelorum, sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus. Ipse quidem homo conditus ad imaginem Dei fuit, sed a similitudine sui Conditoris peccando recessit; qui tamen nec post culpam periit, quoniam æterna Dei Sapientia in humanitate apparuit, et per carnem miraculis coruscans illum reparavit. Novem vero ordines angelorum esse inveniuntur. Unde et ipsi angelo qui primus est conditus per prophetam dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII, 12). Ubi notandum quod non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur, ut quo in eo subtilior est natura, eo in illo imago Dei subtilius insinuetur expressa. Quo in loco mox subditur: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, et jaspis, chrysolitus, onyx, et beryllus, sapphirus, carbunculus, et smaragdus* (*Ibid.*). Ecce novem dixit nomina lapidum, quia profecto novem sunt ordines angelorum. Quibus nimirum ordinibus ille primus angelus ideo ornatus et opertus exstitit, quia dum cunctis agminibus angelorum prælatus est, ex eorum comparatione clarior fuit. Sacro igitur testante eloquio, scimus angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim et seraphim. Esse namque angelos et archangelos pene omnes eloquii sacri paginæ testantur. Cherubim vero atque seraphim sæpe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus apostolus in hac Epistola ad Ephesios enumerat, dicens: *Supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem* (*Ephes.* I, 21). De thronis autem scribit ad Colossenses: *Sive throni, sive potestates, sive principatus, sive dominationes* (*Coloss.* I, 16). Sciendum est autem quod angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquam possunt, quia tunc solum sunt angeli cum per eos aliqua nuntiantur. Græca enim lingua *angeli*, nuntii, *archangeli* vero summi nuntii vocantur. Hi enim qui minima nuntiant angeli, qui vero summa annuntiant archangeli vocantur. *Virtutes* etenim vocantur illi nimirum spiritus, per quos signa et miracula frequentius fiunt. *Potestates* etiam vocantur ii qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant quantum volunt. *Principatus* etiam vocantur qui ipsis quoque bonis angelorum spiritibus præsunt, qui subjectis aliis, dum ea quæ sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina ministeria principantur. *Dominationes* autem vocantur qui etiam potestates principatuum alta dissimilitudine transcendunt. Nam principari est inter reliquos priorem existere, dominari vero est etiam subjectos quosque possidere. Ea igitur angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quod eis cætera ad obediendum subjecta sunt, dominationes vocantur. Sic autem in illa summa civitate specialia quædam singulorum sunt, ut tamen sint communia omnium; et quod in se quisque ex parte habet, hoc in alio ordine totum possidet. Sed idcirco uno eodemque vocabulo communiter non censentur, ut ille ordo vocari privato unius ujusque rei nomine debeat, qui hanc in munere plenius accepit. Seraphim namque incendium diximus; et tamen amore Conditoris simul omnes ardent. Cherubim vero plenitudo scientiæ, et tamen quis ibi aliquid nesciat

ubi ipsum omnes simul fontem scientiæ Deum vident? *Throni* illa agmina quibus ad exercenda judicia Conditor præsidet vocantur; sed beatus esse quis potest, nisi Creator suus ejus menti præsideat? Quæ ergo ex parte ab omnibus, eis in privato nomine data sunt qui hæc in munere plenius acceperunt. Nam etsi qua illic sic alii habent, ut haberi ab aliis nequaquam possint, sicut speciali nomine dominationes et principatus vocantur, cuncta ibi sunt singulorum, quia per charitatem spiritus ab alio in aliis habentur. Sed quoniam illa superna civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantam credimus ascensuram multitudinem hominum, quanta electorum multitudo remansit angelorum : superest ut ipsi quoque homines qui ad cœlestem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc revertentes imitentur, ut in eorum sortem per conversationis similitudinem deputentur. Nam sunt plerique qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie fratribus annuntiare non desistunt. Isti itaque in angelorun numerum currunt. Et sunt nonnulli qui divinæ largitatis munere referti, secretorum cœlestium summa et capere prævalent et nuntiare. Ubi ergo isti nisi inter archangelorum numerum deputantur? Et sunt nonnulli qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo ergo isti, nisi ad supernarum virtutum sortem et numerum congruunt? Et sunt nonnulli qui etiam ab obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis et vi acceptæ potestatis ejiciunt. Quo itaque isti meritum suum nisi inter potestatum cœlestium numerum sortiuntur? Et sunt nonnulli qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt. Cumque et bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Ubi ergo isti sortem suam nisi inter principatuum numeros acceperunt? Et sunt nonnulli qui sic in semetipsis cunctis vitiis omnibusque desideriis dominantur, ut ipsi jure munditiæ dii inter homines vocentur. Unde et ad Moysen dicitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1). Quo ergo isti nisi inter numeros dominationum currunt? Sed hæc, fratres charissimi, me loquente, vos introrsus ad vosmetipsos reducite, secretorum vestrorum merita cogitationesque discutite. Videte si quid jam boni vobiscum intus agitis, videte si in numero horum agminum quæ breviter tangendo perstrinximus, sortem vestræ vocationis invenitis. Væ autem animæ quæ in se de his bonis quæ enumeravimus minime aliquid recognoscit. Eique adhuc væ deterius imminet, si et privatam se donis intelligit, et nequaquam gemit. Quisquis ergo talis est, fratres mei, gemendus est valde, quia non gemit. Pensemus igitur accepta electorum munera, et virtute qua possumus ad amorem tantæ sortis anhelemus. Qui in se donorum gratiam minime recognoscit gemat, qui vero in se minora cognoscit, majora aliis non invideat, quoniam et supernæ illæ distinctiones bonorum spirituum ita sunt conditæ, ut aliæ aliis sint prælatæ.

Cap. III. — *Consedere nos fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II, 6).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num 24; lib. III, num. 25.) Electi cum in hac vita ex humilitate se substernunt, altæ mentis judicio cuncta temporalia transeunt; cumque se indignos in omnibus æstimant, rectæ cogitationis examine, gloriam hujus mundi transcendentes calcant. Videant humilem Paulum discipulis dicentem: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Christum* (*II Cor.* IV, 5). Videamus humilem in sublimi jam positum, et dicentem: *An nescitis quia angelos judicabimus* (*I Cor.* VI, 3)? Et iterum: *Nostra conversatio in cœlis est.* Et rursum: *Conresuscitavit, et consedere nos fecit in cœlestibus.* Non vult Paulus mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem humanæ conversationis in infimis habitare. Tunc Paulus in carcere fortasse tenebatur, cum se consedere Christo in cœlestibus testatur: sed ibi erat, A ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. Fortasse tunc eum exterius catena religabat, mente tamen positus in sublimibus fuerat, quia per spei suæ certitudinem jam in cœlestibus sedebat. Sancti itaque viri foris despecti sunt, et velut indigni omnia tolerant, sed dignos se supernis sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine exspectant. Cum laborant foris adversitate persecutionis, admoniti recurrunt ad arcem mentis; et inde cuncta sub se ire despiciunt, inter quæ transire corporaliter etiam semetipsos cernunt; minas non metuunt, quoniam et tormenta patiendo contemnunt. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit* (*Prov.* XXVIII, 1). Hinc ab eo iterum scriptum est: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit* (*Prov.* XII, 21). Quia enim recti quique in alto suæ intentionis vertice siti sunt, dum mortem moriendo non sentiunt; miro modo eos reproborum jacula et feriunt, et non contingunt; quoniam unde se in omnibus despiciunt, inde contra omnia securiores fiunt. Dominus noster multa adhuc per corpus quod nos sumus patitur, et jam corpus ejus, id est, ecclesia de suo capite, videlicet Domino, in cœlo gloriatur. Si enim caput nostrum tormenta nostra non tangerent, nequaquam pro afflictis membris persecutori suo etiam de cœlo clamaret: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 5)? Si cruciatus nostri ejus pœnæ non essent, conversus afflictusque Paulus minime diceret: *Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (*Coloss.* I, 24). Et tamen resurrectione jam sui capitis exaltatus, dicit: *Qui nos conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus.* Nempe hunc in terra persecutionum tormenta constrinxerant, sed pœnarum suarum ponderibus pressus, ecce jam per gloriam capitis in cœlo residebat. Compage igitur claritatis in omnibus unitum caput et corpus novimus et credimus.

Cap. IV. — *Gratia estis salvati per fidem: et hoc non ex vobis* (*Ephes.* II, 8).

C (In exposit. B. Job, liv. XXIII, num. 13.) Cum arrogantes aliquid boni faciunt, aut a semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant; a semetipso enim bonum se habere jactabat cui per apostolum dicitur: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (*I Cor.* IV, 7)? Rursus ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus idem Apostolus admonet, dicens: *Gratia estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Qui etiam de semetipso ait: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum* (*I Tim.* I, 13). Quibus verbis aperte declarat quod gratia non pro meritis tribuatur, dum ex seipso docuit et quæ de malitia meruit, et quæ de benevolentia accepit.

Cap. V. — *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis* (*Ephes.* III, 13).

D (In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 17.) Habent veraces magistri super discipulos suos viscera timoris ex virtute charitatis, hypocritæ vero tanto minus commissis sibi metuunt, quanto nec sibi quod timere debeant deprehendunt. O quam mollia viscera Paulus gestabat quando circa suos filios tanto æstu amoris inhiabat, dicens: *Nos vivimus, si vos statis in Domino* (*Philip.* I. 8). Et: *Testis mihi est Dominus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Jesu.* Thessalonicensibus quoque suum amorem indicans, dicit: *Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinamus faciem vestram videre cum multo desiderio* (*I Thess.* III, 8). Qui duris persecutionibus pressus, et tamen de filiorum salute sollicitus, adjunxit: *Misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confortandos vos, et exhortandos pro fide vestra; ut nemo moveatur in tribulationibus istis: vos enim scitis quod in hoc positi sumus* (*I Thess.* III, 2). Ephesiis quoque

ait: *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra* (*Ephes.* III, 13). Ecce in tribulatione positus alios exhortatur; et in hoc quod sustinet alios roborat. Non enim filiorum suorum fuerat oblitus, sed metuebat nimis ne ejus discipuli in prædicatore suo tot persecutionum probra cernentes, fidem in eo despicerent, contra quam innumeræ passionum contumeliæ prevalerent. Et ideo minus in tormentis dolebat, sed magis filiis de tormentorum suorum tentatione metuebat. Parvi pendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis. Ipse patiendo suscipiebat vulnera tormentorum, sed filios consolando curabat vulnera cordium. Pensemus ergo cujus charitatis fuerit inter dolores proprios aliis timuisse, pensemus cujus charitatis sit filiorum salutem inter sua detrimenta requirere, et statum mentis in proximis etiam ex sua dejectione custodire.

CAP. VI. — *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis*, etc. (*Ephes.* III, 18).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 15.) Omnipotentis Dei potentiam egregius nobis doctor bene insinuat, cum breviter narrat: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum.* Habet quippe Deus latitudinem, quia dilectionem suam usque ad collectionem persequentium tendit. Habet longitudinem, quia ad vitæ patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet sublimitatem, quia ipsorum quoque intelligentiam, qui recepti fuerint in supernam congregationem transcendit. Habet profundum, quia damnatis inferius districtionis suæ judicium incomprehensibiliter exercet. Quæ scilicet quatuor nobis in hac vita positis singulis exercet: quia et latitudinem amando, et longitudinem tolerando et celsitudinem, non solum nostram intelligentiam, sed etiam vota superando, et profunditatem suam exhibet, occultos et illicitos cogitationum motus districte judicando. Sed ejus celsitudo, et profunditas quam sit investigabilis nullus agnoscit, nisi qui vel contemplatione ad summa provehi, vel occultis motibus resistens tentationum cœperit importunitate turbari.

CAP. VII. — *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3).

(Regul. Pastor. part. III, c. 22.) Discordes quantislibet virtutibus polleant, spiritales fieri nullatenus possunt, si per concordiam uniri proximis negligant. Scriptum quippe est: *Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax* (*Gal.* V, 22). Qui ergo servare pacem non curat, ferre fructus spiritus recusat. Hinc Paulus ait: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis* (*I Cor.* III, 3)? Hinc iterum dicit: *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII, 14). Hinc rursus admonet, dicens: *Solliciti servare unitatem spiritus, in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Ad unam igitur vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam unita cum proximis mente curritur.

CAP. VIII. — *Renovamini spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV, 23).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 7.) Nescit mens per torporem veterascere, quæ quotidiana fervoris innovatione studet per desiderium semper inchoare. Hinc per Paulum dicitur: *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Hinc Psalmista, qui jam ad perfectionis culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: *Dixi, nunc cœpi* (*Psal.* LXXVI, 11); quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est ut inchoare nos quotidie credamus.

CAP. IX. — *Omnis amaritudo, et ira tollatur a vobis* (*Ephes.* IV, 31).

(Regul. Pastor. part. III, c. 10.) Studere debent patientes ut diligant quos sibi necesse est tolerare, ne si patientiam dilectio non sequatur, in deteriorem culpam odii virtus ostensa vertatur. Unde Paulus cum diceret: *Charitas patiens est* (*I Cor.* XIII, 4), illico adjunxit: *Benigna est;* videlicet ostendens quia quos ex patientia tolerat, amare etiam ex benignitate non cessat. Unde idem doctor egregius, cum patientiam discipulis suaderet, dicens: *Omnis amaritudo et ira, et indignatio et clamor, et blasphemiæ tollatur a vobis;* quasi cunctis exterius jam bene compositis ad interiora convertitur, dum subjungit: *Cum omni malitia;* quia nimirum frustra indignatio, clamor, et blasphemia ab exterioribus tollitur, si in interioribus vitiorum mater malitia dominatur. Et incassum nequitia foris ex ramis inciditur, si surreptura multiplicius in radice servatur. Virtus est coram hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram Deo diligere. Impatientes scire debent quod dum perturbationi suæ nequaquam obsistunt, etiam si qua a se tranquilla mente fuerant bene gesta, confundunt, et improviso impulsu destruunt quidquid forsitan diu labore provido construxerunt. Ipsa namque quæ mater est omnium custosque virtutum per impatientiæ vitium virtus charitatis amittitur. Scriptum quippe est: *Charitas patiens est* (*I Cor.* XIII, 4). Igitur cum minime patiens est, charitas non est, de qua idem Paulus ait: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 2). Lex unitatis quippe Christi est charitas, quam soli perficiunt qui nec cum gravantur excedunt.

CAP. X. — *Non circumferamur omni vento doctrinæ* (*Ephes.* IV, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 23.) Sicut minutissimos lapides aqua fluvialis trahit, sic doctores perversorum dogmatum mentes hominum non fixas sed mobiles, et nulla gravitatis stabilitate solidatas, trahunt, quas velut de loco semper ad locum flumina errorum ducunt. Unde prædicator egregius, cum auditores suos non temporaliter duci sed forti cuperet gravitate solidari, admonuit, dicens: *Ut non jam simus parvuli fluctuantes: nec circumferamur omni vento doctrinæ.*

CAP. XI. — *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam* (*Ephes.* V, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 58; lib. XIII, num. 10, 11, 12.) Sancta Ecclesia vestimentum est Christi, Paulo attestante, qui dicit: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Neque enim per peccatum habet maculam, nec per duplicitatem rugam, quia et per justitiam est munda, et per simplicem intentionem tensa. Quæ ergo abluta est ne maculam habeat, et tensa est ne habeat rugam, utique vestis est. Quid vero per rugas, nisi duplicitas designatur? Rugæ itaque sunt sanctæ Ecclesiæ omnes qui in ea dupliciter vivunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant. Has autem rugas in electis suis Ecclesia sancta non habet, quia videlicet nesciunt aliud de se foris ostendere, et intus aliud habere. Unde, sicut supra dictum est, recte prædicator egregius ait: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.* Maculam quippe, et rugam non habet quæ et turpitudine operis, et duplicitate sermonis caret. Qui autem in ea duplicitate vivunt, hi nimirum pacis tempore, quia hujus mundi potestatibus fidem Christianam honori esse conspiciunt, se fideles esse mentiuntur; sed cum sanctam Ecclesiam subita adversitatis procella turbaverit, et tempus persecutionis exarserit, illico ostendunt quid perfida mente moliuntur; et qui nunc metuentes derogant, ad contradicendum ante faciem veniunt, quia verbis veræ fidei vocibus apertis obsistunt. Sciendum vero est quia cum hæc a carnalibus patimur, non tam ipsi sunt qui in nostra morte sæviunt, quam malignus spiritus qui mentibus eorum principatur, sicut per Paulum dicitur: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12). Qui enim aliud sunt omnes iniqui quam membra diaboli? Ipsa itaque per eos agit quidquid in eorum cordibus ut agere debeant immittit.

CAP. XII. — *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam* (*Ephes.* v, 25).

(Homil. 57, in Evang., n. 1, 2, 3.) Ad se venientibus Veritas dicit : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, non potest meus esse discipulus.* Ecce discipulus uxorem diligendam prædicat, cum Magister dicat : *Qui uxorem non odit, non potest meus esse discipulus.* (*Luc.* XIV, 26). Nunquid aliud judex nuntiat, et aliud præco clamat? An simul odisse possumus et diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valemus, ut uxorem et eos qui nobis cognatione carnis conjuncti sunt et quos proximos novimus diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens dum prava nobis ingerit non auditur. Nostram etenim similiter animam bene tunc odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, cum ejus appetitum frangimus, ejus voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Sic, sic nimirum exhibere uxori, et proximis nostris odii discretionem debemus, ut in eis et diligamus quod sunt, et habeamus odio quod in Dei nobis itinere obsistunt. Certe cum Paulus Jerosolymam pergeret, propheta Agabus zonam illius apprehendit, suisque pedibus alligavit, dicens : *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt Judæi in Jerusalem* (*Act.* XXI, 11). Sed is qui animam suam perfecte oderat, quid dicebat? *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu; nec facio animam meam pretiosiorem quam me* (*Ibid.*, *v.* 13). Ecce quomodo animam suam amando oderat, imo odiens amabat, quam cupiebat pro Jesu morti tradere, ut hanc ad vitam suscitaret de peccati morte. Ab hac ergo discretione odii nostri trahamus formam ad odium uxoris et proximi. Ametur quilibet in hoc mundo adversarius, sed in via Dei contrarius non ametur, aut conjux, vel quilibet proximus et propinquus.

CAP. XIII. — *Omne quod arguitur, a lumine manifestatur* (*Ephes.* v, 13).

(In exposit. B. Job, lib. VI, num. 40.) Prima virtus est ne perpetrari debeant sed peccata vitari. Secunda vero saltem perpetrata corrigere. Sed plerumque culpas non solum imminentes minime vitamus, verum etiam nec commissas agnoscimus, et peccatoris mens tanto altius tenebrescit, quanto nec damnum suæ cæcitatis intelligit. Unde fit plerumque divini muneris largitate, ut culpam pœnæ subsequantur et flagella delinquentis oculos aperiant quos inter vitia securitas cæcabat. Torpens quippe animus percussione tangitur, ut excitetur; ut qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quo jacet. Hinc itaque ipsa asperitas correptionis origo fit luminis. Unde et per Paulum dicitur : *Omne quod arguitur a lumine manifestatur.* Argumentum enim salutis est vis doloris. Hinc est enim quod Salomon ait : *Curatio cessare faciet peccata maxima* (*Eccles.* x, 4). Hinc iterum dicit : *Quem diligit Dominus castigat, flagellat omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Hinc angelica voce ad Joannem Dominus loquitur, dicens : *Ego quos amo, arguo, et castigo* (*Apoc.* III, 19). Hinc Paulus ait : *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ* (*Hebr.* XII, 11). Electus ergo quisque hic assiduis se gaudeat flagellis atteri, quatenus æterna supplicia evadens, in judicio valeat purgatus inveniri. Ipso namque infirmitatis nostræ pondere deorsum quotidie ducimur, nisi mira manu artificis per subvenientia flagella relevemur; sed per hoc quod peccator dolore flagellorum corripitur et premitur, quandoque ad beatitudinem quæ sine interventu doloris est eruditur.

CAP. XIV. — *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v, 17).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 70.) Omni tempore reprobi, a vitæ suæ exordio usque ad terminum, in iniquitatis perpetratione et in augmento malitiæ perseverant, et perversam mentem nec in extremo tempore immutant. Quo contra bene Paulus admonet, dicens : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Tempus redimimus, quando anteactam vitam quam lasciviendo perdidimus flendo reparamus. Quo contra de reprobis per Psalmistam dicitur : *Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos* (*Psal.* LIV, 25). Dies quippe dimidiare est tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum ad pœnitentiæ lamenta dividere, et hoc ad usum bonum parciendo reparare. Sed iniqui dies suos non dimidiant, quia, ut dictum est, perversam mentem nec in extremo tempore immutant.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

CAP. PRIMUM. — *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 68.) Electi Dei duris molestiæ vinculis in hac vita ligantur, quoniam adhuc corruptionis suæ pœna deprimuntur. Esurire quippe, sitire, lassescere, vincula corruptionis sunt, sed cum corruptibili carne exuimur, quasi ab his quibus nunc astringimur molestiæ vinculis relaxamur. Præsentari namque jam Deo cupimus, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Jure ergo vincti dici debemus, quoniam adhuc incessum nostri desiderii ad Dominum liberum non habemus. Unde bene Paulus æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Dissolvi enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret. Hæc vero vincula, quia certissime rumpenda in resurrectione conspexerat, jam quasi rupta, Propheta gaudebat, cum diceret : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV, 7).

CAP. II. — *Superiores sibi invicem arbitrantes* (*Philip.* II, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 43; homil. 10, in Ezech., num. 32.) Hoc esse proprium specimen solet electorum, quod de se semper sentiunt infra quam sunt. Hinc Salomon ad sapientiam parvulos vocat, dicens : *Si quis est parvulus, veniat ad eam* (*Prov.* IX, 4). Qui enim necdum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit. Hinc magister gentium dicit : *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 7). Hinc discipulos admonens, ait : *Superiores sibi invicem arbitrantes.* Nam quia unusquisque iniquus inferiorem se omnem quem cogitat putat, e diverso justus studet ut superiorem quemlibet proximum attendat. Ac ne, dum se alii humiliat, iret alter in elationem, bene utramque partem admonet, dicens : *Superiores sibi invicem arbitrantes*, ut in cogitationibus cordis, et ego illum mihi præferam, et vicissim ille me sibi, ut cum ab utraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore sublevetur. Evenire autem electis solet ut cum multarum gratia virtutum polleant, unum eos vel tenuissimum vitium valde fatigans pulset, quatenus dum ex quadam parte infirmari se considerant, de virtutibus his in quibus prævalent se minime extollant, dumque de infirmitate trepidant, hoc quoque ubi fortes sunt humilius servant. Præterea non omnes virtutes uni dantur, ne in superbiam elatus cadat; sed huic datur quod tibi non datur, et tibi datur quod illi denegatur, ut dum iste considerat

bonum quod habes et ipse non habet, te sibi in cogitatione præferat. Et rursum, dum tu habere illum conspicis quod ipse non habes, te illi in cogitatione tua postponas, et fiat quod prædictum est : *Superiores sibi invicem arbitrantes.* Mira quippe dispensatione omnipotens Deus sic in electis suis sua dona disponit, ut et isti det quod illi denegat, et alteri majus quod alteri minus tribuat ; quatenus dum vel iste conspicit illum habere quod ipse non habet, vel ille hunc majus accepisse considerat, quod sibi minus adesse pensat, dona Dei alter in altero, id est, vicissim omnes admirentur ; et ex hac admiratione alter alteri humilietur, et quem videt habere quod non habet eum divino sibi judicio prælatum putet.

CAP. III. — *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philip.* II, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num 1; homil. 25, in Evang., num. 6.) Dominus noster Jesus in eo quod virtus et Dei sapientia est, de Patre ante tempora natus est; vel potius quia nec cœpit, nec desiit nasci, dicamus verius, semper natus. Non autem possumus dicere, semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At vero ut æternus valeat designari, et perfectus, semper dicamus, et natus. Natus ad perfectionem pertinet et semper ad æternitatem : ut quocunque modo illa essentia sine tempore, et temporali valeat designari sermone, quamvis hoc ipso quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expressione deviemus, quia quod factum non est perfectum dici non potest. Et tamen infirmitatis nostræ verbis condescendens Dominus ait : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* V, 48). Dominus noster Jesus Christus natus ex Patre sine tempore, ex matre nasci dignatus est in tempore. Quem firmiter et veraciter debemus credere Dei Filium esse Patri coæternum et cosequalem æternitate substantiæ. Sed fortasse tacita quæstione pulsatur aliquis, quomodo Filius Patri possit esse æqualis. Qua in re humana natura quod admirando non valet comprehendere, restat ut hoc sibi esse credibile ex alia sciat admiratione : habet enim quod ad hæc sibi respondeat sub brevitate. Constat namque quoniam ipse creavit matrem, in cujus utero virgineo crearetur ex humanitate. Quid ergo mirum, si æqualis est Patri qui prior est matre ? Paulo quoque attestante, didicimus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (*I Cor.* I, 24). Qui ergo Filium minorem putat, Patri specialiter derogat, cujus sapientiam esse ei inæqualem fatetur. Quis etenim homo potens ferret æquanimiter, si quis ei diceret : Magnus quidem es, sed tamen sapientia tua te minor est ? Ipse quoque Dominus dicit : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Et rursum ait : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). De quo etiam scriptum est : *Quia subditus erat parentibus suis* (*Luc.* II, 51). Non ergo mirum si ex humanitate sua minorem se Patre asserit in cœlo, ex qua subjectus erat etiam parentibus in terra. In corde igitur Pauli Jesus Patri per fidem æqualis erat, qui idem dicebat : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.*

CAP. IV. — *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II, 6).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 42.) Venit inter homines Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, ad præbendum hominibus exemplum vitæ : cui similis in terra non est, quia omnis homo tantummodo est homo, ipse autem Deus et homo ; et quamvis adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem proficiat, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accepit. Deo itaque formam servi accipiente, nec majestati injuriam intulit humilitas assumpta carnis, quia et ut servanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec divina humanitate minuit, nec humana divinitate consumpsit, quia sicut per Paulum dicitur : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ei semetipsum exinanivisse est ab invisibilitatis suæ magnitudine se visibilem demonstrasse, ut servi forma tegeret hoc quod incircumscripte omnia ex divinitate penetraret.

CAP. V. — *Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus* (*Philip.* III, 5).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num 44.) Sancti viri certissime sciunt quia requiem in hac vita nequaquam habere possunt, et idcirco sibi suspendium inferunt, quia nimirum desideria terrena deserentes, animum ad alta tollunt. Omne quippe quod suspenditur, procul dubio ab imis elevatur. Suspensi igitur electi Dei mortem fortitudini suæ carnis inferunt, et amore supernæ patriæ in virtutum studiis accincti, hoc quod fortes prius in mundo fuerant vinculo humilitatis insequuntur. Intueri libet quomodo animam suam Paulus suspenderat, qui dicebat : *Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20). Et rursum : *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse* (*Philip.* I, 23). Et : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Ibid.*). Qui gesta terrenæ fortitudinis ad memoriam revocans numerabat, dicens : *Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei.* Sed suspendium animi qui has in se fortitudines interficit protinus asserit qui subjungit : *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Quas adhuc fortitudines in semetipso insinuat vehementius exstinctas, cum subdit : *Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora.* Mortuis vero fortitudinibus, quam exanimis pendeat, ostendit qui illico subjungit, dicens : *Ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo non habens eam justitiam, quæ ex lege est ; sed eam quæ ex fide est Jesu Christi* (*Philip.* III, 9). Ecce collatis ejus testimoniis Paulum ad alta suspensum mundo mortuum testati sumus, quia dum mentis intentionem ad alta sublevavit, omnem in se fortitudinem exterioris vitæ necavit.

CAP. VI. — *Ego me non arbitror apprehendisse* (*Philip.* III, 13).

(In exposit. B. Job, l. XXII, n. 11, 12, 13.) Sunt nonnulli qui eum aliqua bona faciunt, iniquitatum suarum protinus obliviscuntur, et cordis oculum in consideratione bonorum operum quæ exhibent figunt, atque eo se jam sanctos existimant, quo inter bona quæ agunt malorum suorum in quibus fortassis adhuc implicati sunt memoriam declinant. Qui scilicet si districtionem Judicis vigilanter attenderent, plus de malis suis meturent quam de bonis imperfectis exsultarent ; plus inspicerent quod de illis quæ adhuc eis agenda sunt debitores tenentur, quam quod operantes quædam jam debiti partem solvunt. Neque enim absolutus est debitor qui multa reddit ; sed qui omnia ; nec ad bravium victoriæ pervenit qui in magna parte spectaculi velociter currit, si juxta metas veniens in hoc quod reliquum est deficit. Amplius igitur debemus inspicere quæ bona necdum fecimus quam ea quæ jam nos fecisse gaudemus. Plerumque enim hoc vitio tentantur etiam electi : plerumque eorum cordi suggeritur ut bona quæ fecerint ad animum revocent, et jam lætitia securitatis exsultent. Sed si veri electi sunt, ab eo in quo sibi placent mentis oculos divertunt : omnem in se de peractis bonis lætitiam deprimunt, et de his quæ se minus egisse intelligunt tristitiam requirunt. Indignos se æstimant, et pene soli bona sua non vident quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Hinc est quod Paulus dum expleta in se bona postponeret, et sola adhuc reliqua quæ essent explenda cogitaret, dixit : *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse.* Hinc est quod ut posset se de bonis quæ agebat humiliare, studebat ad animum præterita mala reducere, dicens : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus* (*I Tim.* I, 13). Qui etsi aliquando dixit : *Bonum certamen certavi, cursum con-*

summavi, fidem servavi (*II Tim.* IV, 7), intuendum A summopere est quoniam illud eo tempore intulit quo jam ex corpore discessurum se esse cognovit. Ibi quippe præmisit, dicens : *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat* (*Ibid.*, *v.* 6). Tunc igitur ad memoriam perfectionem reduxit operis, cum jam prævidit ad largitatis spatium minime subesse tempus operationis. Sicut enim dum vivimus, debemus bona nostra a memoria repellere ne extollant, ita appropinquante exitu, plerumque ea ad memoriam juste revocamus, ut videlicet fiduciam præbeant et desperatum timorem premant. Qui etsi Corinthiis enumerando bona sua narravit, illos confirmare non se ostendere studuit. Nam quia eadem bona non in se, sed in Domino attenderet, patefacta tribulatione propriæ tentationis edocuit, qua expresse subjunxit : *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis* (*II Cor.* XII, 10). Ut ergo discipulos instrueret, de se summa referebat ; ut vero se custodiret in humilitate, considerationis oculum non in virtutibus B suis, sed in infirmitatibus fixerat. Habent itaque sancti viri proprium, ut bona quidem quæ agunt videant, et tamen cum peregerint, ab eorum memoria oculos avertant.

CAP. VII.—*Quæ retro oblitus, in ea quæ sunt ante, extendo me* (*Philip.* III, 13).

(Lib. I, in Ezech., homil. III, num. 17.) Electi Dei ad ea quæ reliquerunt nullo jam appetitu respiciunt, sed in æternis quæ appetunt suæ mentis contemplatione semper intendunt. Unde et magnus ille prædicator dicebat quod usque ad tertii cœli secreta volaverat. *Unum vero quæ retro oblitus, in ea quæ sunt ante, extendens me, sequor ad palmam supernæ vocationis.* Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia : quoniam et illa pergentes invenimus, et ista recedentes quasi post dorsum relinquimus. Paulus igitur in anteriora extentus, eorum quæ retro sunt oblitus fuerat, quia temporalia despiciens sola quæ sunt æterna requirebat.

CAP. VIII.—*Scio humiliari, et scio abundare* (*Philip.* C IV, 12).

(Lib. II, in Ezech., homil. 7, num. 15, 16, 17, 18, 19, 20.) Omnes qui ad cœlestem patriam tendimus, ex dextro et sinistro latere fortitudinem habere debemus : a dextro quidem, ne prospera nos extollant, a sinistro vero, ne nos adversa dejiciant. In utraque parte fortis Paulus erat, cum diceret : *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris : per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces* (*II Cor.* VI, 7). Non hunc adversa frangebant, non in mentis tumore prospera sublevabant, fortis in adversitate, et humilis permanebat in prosperitate. Adesse igitur semper nostris mentibus debet et in adversis fiducia, et in prosperis timor : ne aut adversa in desperationem pertrahant, aut prospera animum in sui fiduciam extollant. Hinc est quod idem prædicator egregius dicebat : *Scio et humiliari, scio et abundare. Ubique et in omnibus institutus sum, et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati : omnia possum in eo qui me confortat.* Nunquidnam, fratres, ars est aliqua humiliari et abundare, et satiari et esurire, abundare et penuriam pati, ut pro magno se scire ista tantus prædicator insinuet ? Cordis omnino et mira disciplinæ scientia, quæ nobis toto cordis est adnisu discenda. Quem enim penuria sua non frangit, a gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit, scit humiliari. Hoc enim loco dicit Apostolus humiliari, penuriam pati, nam statim e contrario subjunxit : *Scio et abundare.* Qui enim rebus acceptis non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit quam necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitatibus victus agit aliquid unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in abundantia superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Qui cum statim subdiderit : *Omnia possum*, ne elationis esse verba crederemus, adjunxit : *in eo qui me confortat.* Ecce in altum ramus prodiit, sed quoniam in radice stetit, in viriditate permansit. In altum enim surgens aresceret, si se a radice divisisset : sibi enim nihil tribuit, qui omnia se posse, non in se, sed in eo qui se confortat, fatetur. Hinc et inde ergo prædicator egregius fortis existit quem nec abundantia in superbiam, nec inopia ad avaritiam pertrahit. Discamus itaque, fratres, non solum in prosperis, sed in adversis quoque gratias agere. Pater enim nobis ex pietate sua factus est Conditor noster, nos quoque filios adoptivos ad hæreditatem regni cœlestis nutrit, et non solum donis reficit, sed etiam flagellis erudit. Discamus igitur abundare, ut cuncta quæ ab eo accipimus cum indigentibus partiamur, B ut mentem abundantia non elevet, ne fortasse gaudeat, quoniam hoc adest sibi quod deest alteri, et non jam communi bono sed proprio lætetur. Ideo enim aliquid omnes, et ultra quam necesse est, concupiscunt habere, ut habendo superbiant, quia hoc alius non habet, in cogitationibus se extollant. Quisquis itaque talis est, adhuc ad portandam abundantiam doctus non est. Sæpe vero quod avaritia ex appetitu suggerit, necessitatem putat : et cum minora sufficiant, dolet majora deesse ; atque incautus animus quamdam quasi necessitatem patitur quam parit. Et cum nimia sunt quæ desiderat, suam aliquo modo sibi avaritiam excusat. Abundantia itaque superbiæ vicina est ; quam si quando etiam cupiditas intercipit, hanc, ut ita dixerim, quasi peregrina captivitas invasit. Si igitur abundantiæ artem scire volumus, necesse est ut non solum ea quæ vicina sunt, sed etiam ea quæ de longinquo veniunt, vitia fugiamus. Discamus penuriam pati, ne ea quæ C non habemus habere etiam cum culpa requiramus, ne felices putemus quos rebus onustos cernimus. Nimia valde sunt ea quæ sibi quasi in sumptus vitæ præsentis præparant : multa portant, sed in brevi via magna nobis est in hoc itinere paupertas socia, quæ animam non angustat, cum deest terrena substantia, de qua cum æterno Judice rationes ponamus. Liberius ad patriam tendimus, quia quasi in via pondere careamus. Discamus satiari in sumendis alimentis corporis, ne gulæ magis quam necessitati serviamus ; plus enim sæpe concupiscentia quam necessitas petit, et sæpe dum carnis inopiæ satisfacere curamus, voluptas subrepit, modum refectionis excedit. Unde fit ut culpa transeat ad culpam, quia plerumque et alia carnis tentatio nascitur, dum carni immoderatius in refectione servitur. Ex peccato enim primi hominis infirmante natura cum nostris in hoc mundo tentationibus nascimur. Et caro nobis aliquando adjutrix est in bono opere, aliquando vero seductrix est in malum. Si ei igitur plus quam debemus tribuimus, hostem nutrimus ; et si necessitati ejus quæ debemus non reddimus, civem necamus. Satianda itaque est caro, sed ad hoc usque ut in bono opere famulari sufficiat. Ars itaque magna est satiari, ne unusquisque per satietatem carnis ad iniquitatem prorumpat turpitudinis. Discamus esurire, ut nobis propter abundantiam sequentem nostra hic inopia placeat. Nec nos ventris necessitas ad culpam trahat, ne menti peccatum ipsa indigentia suggerat : et dum caro fame afficitur, ad cupiditatem animus irritetur, et quærat cum culpa providere unde carni valeat in necessitate satisfacere, ne cor in indignationem prosiliat, et linguam in murmurationis amaritudinem accendat. Qui igitur in suæ carnis inopia se hinc inde circumspicit, et a peccati laqueo custodit, novit esurire. Nos itaque, fratres charissimi, iram atque avaritiam in adversitate fugiamus, elationem et immoderata gaudia in prosperitate declinemus, atque for-

titudinem hinc et inde teneamus. Libet adhuc alterum civem cœlestis patriæ ad mentem reducere, et qualiter utrobique fortis fuerit demonstrare. Beatus etenim Job, cum esset viris Orientalibus ditior, et ei prospera cuncta suppeterent, filiis polleret, familia cresceret, greges exuberarent, in tanto Dei omnipotentis timore perstitit, ut inter custodiam disciplinæ, inter acta justitiæ, inter multa humilitatis obsequia, misericordiæ operibus intentus, sacrificiis offerendis deditus, holocaustum Domino pro singulis filiis immolaret, ne quis eorum saltem in corde peccasset. Pensemus ergo quanta erat custodia boni operis, qui in filiis suis expiabat sacrificiis culpas cordis. Sed quam justus esset, in prosperitate innotuerat: valde autem ignotum erat si perseverare justus et inter flagella potuisset. Tangendus ergo erat verbere vir ille sanctus in prosperis, ut interrogaretur adversis, et qui notus erat Domino omnipotenti, notus per flagella fieret nobis et sibimetipsi. Disponente itaque Domino, consumpti sunt greges, interfecti custodes, eversa domus, exstincti filii, percussa caro a planta pedis usque ad verticem. Remansit uxor incolumis, quæ verborum jaculis vulnera augeret: sed hanc vir sanctus in tentatione, sanus in vulnere, prudenter docet, eique respondet, dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipianus* (*Job* II, 10)? Amici quoque ad consolandum veniunt, ad contumelias prorumpunt, et in dolore vulnerum addunt adhuc vulnera verborum: immisericordem dicunt, raptorem nominant, violentum denuntiant, oppressorem pauperum fatentur. Quid igitur miles Dei faceret inter dolentia vulnera, et amara verba depressus? Ecce flagella Dei et verba hominum simul afflicti animum ad desperationem premunt; sed plenus virtute spiritus, carnis vulneribus jacens, mentis robore stans, contra desperationis impulsum reduxit ad memoriam bona quæ egerat. Quia misericors fuerat, dicit: *Oculus fui cæco, et pes claudo* (*Job* XXIX, 15). Et rursum: *Pater eram pauperum* (*Vers.* 16). Quia et disciplinæ custos, et benignus fuerit, dicit: *Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator* (*Vers.* 25). Quia humilis fuerat, dicit: *Si contempsi subire judicium cum servo meo, et ancilla mea, cum disceptarent adversum me* (*Job* XXXI, 13). Quia hospitalis fuerat, fatetur: *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum* (*Vers.* 19). Quia largus in donis fuit, dicit: *Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est* (*Vers.* 20). Quia violentus non fuerat, testatur, dicens: *Si levavi super pupillum manum meam, cum me videret in porta superiorem* (*Vers.* 21). Quia de inimici periculo nunquam exsultaverit, dicit: *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat* (*Vers.* 29). Quia patiens fuerit, et etiam suorum malitiam æquanimiter pertulerit, dicit: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut saturemur* (*Vers.* 31). Quid est ergo quod vir sanctus tot suas virtutes inter flagella enumerat? Quid est quod ore suo opera quæ fecerat, laudat, nisi quia inter vulnera et verba quæ hunc ad desperationem trahere poterant ad spem animum reformat? Et qui in prosperitate humilis fuit, revocatis bonis suis ad memoriam, infractus in adversitate permansit. Cujus enim animum inter tot flagella illa verba ad desperationem non impellerent, nisi sibi ad memoriam bona quæ egerat revocasset? Vidit igitur sanctus mentem suam, auditis tot malis, ad desperationem concuti, et mirabiliter studuit in spe certa ex bonis suis actibus solidari. Sic impletur quod scriptum est: *In die bonorum ne immemor sis malorum: et die malorum, ne immemor sis bonorum* (*Eccle.* XI, 27). Si enim, cum in bonis sumus, malorum reminiscimur quæ aut passi sumus aut adhuc pati possumus, accepta bona mentem non elevant, quoniam eorum gaudia timor memoriæ malorum premit, et si cum mala habemus, bonorum reminiscimur quæ aut jam accepimus, aut adhuc nos accipere posse speramus, malorum pondus animum in desperationem non deprimit, quia hunc ad spem memoria bonorum levat. Sic itaque, fratres charissimi, et per præcepta Domini et per sanctorum exempla gradiamur, ut nec nos prosperitas elevet, nec adversitas frangat, et nos in prosperis et in adversis fortitudinem habere monstremus.

CAP. IX. — *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 74.) Sicut domus exterioris conversationis est ædificium quod inhabitat corpus, ita domus cogitationis est res quælibet quam per dilectionem inhabitat animus. Omne quippe quod diligimus, quasi in hoc quiescentes inhabitamus. Unde Paulus, quia in supernis cor fixerat, in terra quidem positus, sed tamen a terra extraneus, dicebat: *Nostra conversatio in cœlis est.*

CAP. X. — *Unde etiam exspectamus Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (*Philip.* III, 30).

(Lib. I, in Ezech., homil. 2, num. 21.) Post resurrectionem erit similitudo Domini nostri Jesu Christi in cordibus nostris, et similitudinem illius etiam corpora nostra percipient in configuratione. Erunt enim tunc electorum corpora claritati dominici corporis configurata. Quæ etsi æqualitatem gloriæ ejus non habent per naturam, similitudinem tamen configurationis habebunt per gratiam.

CAP. XI. — *Non quæro datum, sed quæro fructum* (*Philip.* IV, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 22.) Sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia debent conferri, et quos fatigat injunctus labor prædicationis exhibita a discipulis pinguedo boni foveat operis: non quod prædicent ut alantur, sed ideo alantur ut prædicent, id est ut prædicare subsistant. Non intentionem sumendi victus transeat actio prædicationis, sed ut ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde ergo a bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis ab eis victus accipitur: et quoties prædicantibus necessaria conferuntur ab audientibus, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur: *Non quæro datum, sed quæro fructum.* Datum quippe est res ipsa quæ impenditur, fructus vero dati est si benigna mente futuræ studio mercedis aliquid impendatur. Ergo datum accipimus in re, fructum in corde. Et quia discipulorum suorum Apostolus mercede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatebatur. Unde et subdidit protinus, dicens: *Habeo autem omnia, et abundo* (*Philip.* IV, 18). Prædicatores igitur sancti ipsa prædicatione fatigati, auditorum suorum bonis operibus debent foveri, sicut ille faciebat qui audiebat: *Viscera sanctorum requieverunt per te, frater* (*Philem.* VII); hic opere bono fotus fuerat qui in catena religatus dicebat: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, qui sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit* (*I Tim.* II, 16).

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM. — *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt* (*Coloss.* I, 16).

(Mixtim ex hom. 14, in Evang., n. 7 seq., ac lib. I in Ezech., hom. 8, n. 20.) Dominationes, principatus, ac potestates jam ad Ephesios loquens Paulus apostolus descripserat, sed ea quoque Colossensibus dicturus præmisit thronos. Illæ ergo virtutes angelicæ *throni* vocatæ sunt quæ ipsos quoque angelos dignitate loci superioris excedunt. Nam cum angeli nuntii dicantur, et angeli sæpe ad annuntianda quædam hominibus veniant, throni missi ad ministe-

rium nuntii nusquam leguntur, quoniam eis longe sublimius. Creator omnium præsidet. Unde Paulus apostolus ordines agminum quos ad tertium cœlum raptus viderat, describens, ait : *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates.* Thronos igitur ante eos angelorum ordines dixit, quibus illos prælatos esse cognovit. Throni itaque illa agmina sunt vocata, quibus ad exercendum judicium semper omnipotens Deus præsidet. Quia enim thronos eloquio Latino sedes dicimus, throni Dei dicti sunt ii qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat et per eos sua judicia decernat. Unde et per Psalmistam dicitur : *Sedes super thronum, qui judicas æquitatem* (*Psal.* IX, 5). Plerumque autem ipsi beatorum spirituum ordines vicinorum sibi ordinum vocabula sortiuntur. Thronos enim, scilicet sedes Dei, specialem beatorum spirituum ordinem diximus, et tamen per Psalmistam dicitur : *Qui sedes super cherubim, appare* (*Psal.* LXX, 2) : quia videlicet dum in ipsis distinctionibus agminum cherubim thronis superjunguntur, sedere etiam super cherubim Dominus ex vicini agminis æqualitate perhibetur. Sciendum est autem quod sunt nonnulli homines qui dum sibimetipsis vigilanti cura dominantur, dum intentione sollicita se discutiunt, divino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt ut judicare recte et alios possint. Quorum profecto mentibus dum divina contemplatio præsto est, in his velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, et cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid igitur isti nisi throni sui Conditoris sunt, vel quo nisi ad supernarum sedium numeros ascribuntur, per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi judicantur?

CAP. II. — *Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratur* (*Coloss.* II, 19).

(Lib. I, in Ezech., homil. 6, n. 8.) Redemptor humani generis in membris suis quæ nos sumus quotidie percussionibus proficit, quia dum nos tundimur et afficimur, ut ejus corpus esse mereamur, ipse proficit. De cujus corpore scriptum est : *Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.* Corpus quippe illius nos omnes sumus, per nexus autem et conjunctiones corpus ligatur, quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, digiti manibus sunt conjuncti, ac membra cæteris membris inhærent, corpus omne perficitur. Sicut sancti apostoli, quia Redemptori nostro propinqui steterunt, quasi capiti pectus inhæsit. Quos quia martyres secuti sunt, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores et doctores subjuncti sunt, per opera bona manus brachiis inhæserunt. Hoc autem omne corpus Redemptoris nostri quotidie per nexus et conjunctiones subministratur in cœlo, quia cum ad eum illuc electæ animæ ducuntur, ei sua membra colligantur. De quo bene dicitur : *Subministratum et constructum crescit in augmentum Dei* (*Ibid.*); quia Deus omnipotens Redemptor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursum scriptum est : *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13).

CAP. III. — *Nam etsi corpore absens sum* (*Coloss.* II, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 31.) Prædicatores sancti, dum in Ecclesiæ sinum recipere populos ambiunt, ardore magno succensi, nunc ad hos nunc ad illos colligendos desiderium mittunt : et pro adunandis animabus in modos, in numeros, ac partes diversas esurienti mente discurrunt. Est autem quædam vagatio ipsa cogitationis æstuatio. Paulus ergo prædicator egregius, quam valida charitate flagrat, tam nimia ex locis ad loca se vagatione permutat. Transire ad alia ex aliis appetit, quoniam ipsa eum quæ implet charitas impellit; longe namque a Romanis positus scribit, dicens : *Memoriam vestri facio semper in orationibus meis, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos : desidero enim videre vos* (*Rom.* I, 9, 10). Retentus Ephesi, Corinthiis scribit : *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos* (*II Cor.* XII, 14). Rursum Ephesi commorans, Galatis loquitur, dicens : *Vellem modo esse apud vos, et mutare vocem meam* (*Galat.* IV, 20). Romæ quoque custodia carceris clausus, quia ire per semetipsum ad Philippenses non permittitur, transmittere se discipulum pollicetur, dicens : *Spero in Domino Jesu, Timotheum cito me mittere ad vos, ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt* (*Philip.* II, 19). Constrictus etiam vinculis, atque Ephesi retentus, Colossensibus scribit : *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum* (*Coloss.* II, 5). Ecce quomodo sancto desiderio quasi vagatur, hic corpore tenetur, illuc spiritu ducitur, et paterni amoris affectum istis exhibet præsentibus, et illis ostendit absentibus. Coram positis impendit opera, audientibus exprimit vota, efficaciter præsens eis cum quibus erat, nec tamen illis absens cum quibus non erat. Cujus vagationem melius agnoscimus, si ejus adhuc ad Corinthios verba pensamus, ait enim : *Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo : apud vos autem forsitan manebo, aut etiam hiemabo* (*I Cor.* XVI, 5). Perpendamus, quæso, quæ sit ista vagatio. Ecce alio interim manet, alio se iturum perhibet, atque alio deflexurum promittit. Quid est quod tam anxie per tot loca patitur, nisi quod circa omnes una charitate constringitur ? Charitas enim quæ divisa unire consuevit, unum cor Pauli dividi per multa compellit. Quod tamen tanto arctius in Deo colligit, quanto latius per sancta desideria spargit. Prædicando igitur Paulus vult simul omnia dicere, amando vult simul omnes videre, quoniam et in carne permanendo vult omnibus vivere, et de carne transeundo per sacrificium fidei vult omnibus prodesse.

CAP. IV. — *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, et humilitate*, etc. (*Coloss.* II, 23).

(Regul. pastor. part. III, cap. 19.) Nisi cogitationes abstinentium nonnunquam superbiæ culpa transfigeret, Paulus minime dixisset : *Qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* XIV, 3). Qui rursus ad alios loquens, dum de abstinentiæ virtute gloriantium præcepta perstringeret, adjunxit : *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Qua in re notandum est quod in disputatione sua prædicator egregius superstitioni speciem humilitatis jungit, quia dum plusquam necesse est caro per abstinentiam atteritur, humilitas foris ostenditur, sed de hac ipsa humilitate graviter interius superbitur. Et nisi mens aliquando ex abstinentiæ virtute tumesceret, nequaquam hanc velut inter magna merita Pharisæus arrogans studiose numeraret, dicens : *Jejuno bis in sabbato* (*Luc.* XVIII, 12).

CAP. V. — *Super omnia charitatem habentes* (*Coloss.* III, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 46.) Facile omne virtutum bonum tentatione cordis irruente destruitur, nisi ab intimis fixa charitate solidetur. Unde et Paulus in suis prædicationibus, dum quasdam virtutes tentationibus opponeret, illico eisdem virtutibus quasi quoddam robur charitatem adjunxit, dicens : *Super omnia autem hæc, charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* Perfectionis enim vinculum charitas dicitur, quia omne bonum quod agitur, nimirum per illam ne pereat ligatur. A tentatore namque citius quodlibet opus evellitur, si solutum a vinculo charitatis invenitur. Si vero mens Dei ac proximi dilectione constringitur, cum tentationum motus ei quælibet injusta suggesserint, obicem se illis ipsa dilectio opponit, et pravæ suasionis undas, virtutis ostiis, ac veste intimi amoris frangit, et per

inspiratæ charitatis fortitudinem nascentium impetus vitiorum reprimendo compescit.

Cap. VI. — *Mortui estis, et vita vestra abscondita est* (*Coloss.* III, 3).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, n. 45; lib. V, n. 9.) Sunt nonnulli justorum qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui se rebus habitis nudant, gloria honoris exspoliant, qui internorum desiderio se per assiduitatem amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt, qui gaudiis internis dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant, qui semetipsos a tumultu curarum inutilium sacri verbi gladio mortificare non desinunt, et se intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Talibus namque per Paulum dicitur : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Perfecte namque mundo mori non possumus, nisi intra mentis nostræ invisibilia a visibilibus abscondamur. Sicut autem sepulcrum locus est quo absconditur corpus, ita divina contemplatio quoddam sepulcrum est mentis quo absconditur anima. Quasi enim huic adhuc mundo vivimus, cum mente foris in eum vagamur, sed mortui in sepulcro abscondimur, cum mortificati exterius in secreto contemplationis internæ celamur. Hinc est ergo quod Paulus per contemplationem mortuos et quasi in sepulcro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

Caput Primum. — *Neque aliquando fuimus in adulatione sermonis* (*I Thess.* II, 5).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 36.) Quoniam scriptum est : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt*; et: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 15); aliquando sancti viri coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare, sed ad eum finem omnia referentes ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum qui in cœlis est debeat glorificari. Dum enim sancta prædicant, et ipsa prædicatio eorum fortasse despicitur quorum vita nescitur. Compelluntur ergo vitam suam discere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare; et facta sua referunt ut venerationi sint; venerari appetunt ut reverenter audiantur. Scriptum quippe est : *Cum elevarentur animalia de terra, elevabuntur pariter et rotæ* (*Ezech.* I, 19); quia videlicet cum auditorum mentes prædicantium vitam suscipiunt, necessario utique etiam vim prædicationis admirantur. Hinc est ergo quod prædicatores boni et honorem propter elationem fugiunt, et tamen honorari propter imitationem volunt. Sic nimirum Paulus apostolus discipulis loquens, et honorem fugit, et tamen quantum esset honorandus ostendit. Nam cum Thessalonicensibus diceret : *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis : neque in occasione avaritiæ, Deus testis est*; secutus adjunxit : *Neque requirentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possemus oneri esse vobis, ut Christi apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum.*

Cap. II. — *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 7).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 24; lib. XXIV, n. 53; lib. XXII, n. 24; lib. XXIV, n. 54.) Veri doctores humilitatem, quæ magistra est omnium materque virtutum, et loquendo dicere et vivendo conantur ostendere, ut ea apud discipulos Veritatis plus moribus quam sermonibus eloquatur. Unde Paulus loquens Thessalonicensibus, cum potestatis suæ celsitudinem repressisset, dicens : *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possemus oneri esse, ut Christi apostoli* (*I Thess.* II, 6), quasi culminis proprii apostolatus subjunxit : *Sed facti sumus parvuli in medio vestrum.* Parvulus in medio eorum factus fuerat, quia timebat ne si inter discipulos honorem suæ celsitudinis vindicaret, exemplum elationis ostenderet. Timebat nimirum ne dum sibi potestatem pastoralis potentiæ quæreret, grex subditus per abrupta sequeretur, et ad impietatem sequentes duceret qui pietatis officium suscepisset. Petrus etiam apostolus cum diceret : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe* (*I Petr.* III, 15); in ipsa doctrinæ scientia, docendi qualitatem asseruit esse servandam, dicens : *Sed cum modestia et timore conscientiam habentes bonam.* Hoc autem quod discipulo Tito Paulus ait : *Præcipe hæc, et doce cum omni imperio* (*I Tim.* IV, 11; *Tit.* II, 15); non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ. Cum imperio quippe docetur quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non igitur ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis. Necesse est ergo ut is qui præest quæ exempla subditis præbeat solerter attendat, et tantis se sciat vivere quantis præesse, ac vigilanter inspiciat ne in eo quod prælatus est intumescat, jura debitæ potestatis immoderatius exigat, ne jus disciplinæ mutetur in rigorem superbiæ, et unde a perversitate subditos restringere poterat inde magis intuentium corda pervertat, ne dux impietatis per officium existat. Dux est enim impius qui per tumorem a tramite veritatis exorbitat; et dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat qui per exempla tumoris se sequentibus viam ostendit erroris.

Cap. III. — *Voluimus venire ad vos, sed impedivit nos Satanas* (*I Thess.* II, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 55.) Sæpe prædicatores sancti quosdam exhortari volunt, sed nequeunt; sæpe declinare quosdam appetunt, sed tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantissime compelluntur. Certe cum vestimenta sua Paulus excutiens, a Corinthiis discedere vellet, audivit : *Noli timere, sed loquere et ne taceas, propter quod ego tecum sum, et nemo apponetur tibi, ut noceat te; quoniam multus est mihi populus in hac civitate* (*Act.* XVIII, 9). Rursus cum ad Thessalonicenses ire voluisset, et retentus est, dicens : *Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, et semel et iterum, sed impedivit nos Satanas.* Neque enim per semetipsum Satan præpedire vias tanti apostoli potuit, sed occultæ dispensationis usibus dum adversabatur, nesciens deserviebat : ut nimirum Paulus, dum ad allos vellet accedere, nec valeret eis a quibus non poterat recedere aptius prodesset. Sic ergo prædicatores sancti gubernantis manu Dei ad ea quæ non appetunt ducuntur, atque ab impulsu suo iterum gubernantis manu retinentur, divinisque nutibus subditi nequeunt explere quod volunt, et nisi quo voluntas gubernantis eos duxerit ire nequaquam possunt.

Cap. IV. — *Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum* (*I Thess.* II, 19)?

(In exposit. B. Job, lib. XI, num. 22.) Magna est gloria sacerdotum rectitudo subditorum. Sicut bene egregius prædicator discipulis dicit : *Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum?* Sed cum sacerdotes discipulorum vitam negligunt, et nullum de profectibus eorum fructum ante Dominum ferunt, quid aliud quam inglorii dici possunt? Quia ante districtum Judicem nimirum gloriam tunc non inveniunt quam modo in subditorum suorum moribus prædicationis studio non requirunt.

Cap. V. — *Nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* (*I Thess.* III).

(In exposit. B. Job, lib. XIII, num. 18; lib. III, num. 40.) Fideles sanctæ Ecclesiæ hostis antiquus semper suis ictibus impetit, eosque suis percussioni-

bus affligit. Unde Paulus prædicator egregius, cum percussionum mala toleraret, et sub persecutionibus adversariorum gemeret, quia passionem suam non sibi, sed discipulis obesse formidabat, teneram eorum mentem de suis afflictionibus consolans, et eis scribens, dicebat : *Nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus.* Ac si eis aperte dicat : Nequaquam in hoc tempore vulnera nostra miremini, quoniam si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus ut feriamur. Si ad bona æterna tendimus, non mirum si temporalia sufferamus mala : hæc autem bona sollicite inspexerat, quando illata æquanimiter mala tolerabat, dicens : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Aliorum ergo casus in propria passione metuebat, ne dum ipsum discipuli pro fide verberibus afflictum agnoscerent, fideles se profiteri recusarent. O immensæ charitatis viscera ! Despicit quod ipse patitur, et curat ne quid pravæ persuasionis discipuli in corde patiantur. In se contemnit vulnera corporis, et in aliis vulnera medetur cordis. Quasi percussus quidam magnus medicus ægrotat, ipse tolerat scissuras vulneris, et alii profert medicamenta sanitatis. Habent quippe hoc justi proprium, ut in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant utilitatis alienæ. Sic sciunt foris adversa tolerare, ut intus etiam noverint adversa corrigere.

CAP. VI.—*Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus* (*I Thess.* IV, 12).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 54; lib. XII, num. 12.) In Scriptura sacra per somnum aliquando negligentiæ torpor exprimitur, sicut a beato Paulo dicitur : *Hora est jam nos de somno surgere.* Et rursus : *Evigilate, justi, et nolite peccare* (*Rom.* XIII, 11). Aliquando nomine somni vel dormitionis, mors carnis designatur, sicut idem Paulus admonens, dicit : *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus : ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit; ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo* (*I Cor.* XV, 34). De morte quippe carnis loquens, non hanc mortem sed somnum vocare maluit, et dormitionem ; vehementer enim ab infirmis mentibus nomen mortis pertimescitur, somni vero vocabulum non timetur. Quid est autem quod prædicator egregius mortem Domini mortem vocat, mortem servorum Domini non mortem sed somnum nominat, nisi quia infirma corda audientium respiciens, medicamentum prædicationis suæ mira arte componit ; et illum quem jam resurrexisse noverat eis mortuum insinuare non dubitat, eos vero qui necdum resurrexerant, ut spem resurrectionis insinuet, non mortuos, sed dormientes vocat ? Non enim verebatur dicere mortuum quem auditores jam resurrexisse cognoverant, et verebatur dicere mortuos quos resurgere vix credebant. Quia vero carne mortuos ad vitam rursus evigilare non dubitat, eos dormientes potius quam mortuos appellat, spem proculdubio resurrectionis insinuans, quia sicut citius homo a somno evigilat, ita concite ad Conditoris nutum a morte corporis surgit.

CAP. VII. — *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet* (*I Thess.* V, 2).

(In exposit B. Job, lib. VII, num. 45.) Reprobi dum diu se visibilibus immorari credunt, spem invisibilium derelinquunt, cumque mens in præsentibus figitur, vita terminatur. Et repente ad improvisa supplicia perveniunt, quæ decepti suis præsumptionibus, aut nunquam se contingere, aut tarde crediderunt. Hinc Paulus ait : *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Quia enim ad rapiendam animam propinquans minime conspicitur, furi in nocte comparatur. Unde bene discipulis futura cogitantibus idem Paulus dicit : *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat* (*I Thess.* V, 4). Dies enim exitus tanquam fur in nocte comprehendit, quando stultorum animas futura non prævidentes ejicit. Tanto igitur debet ab omnibus quasi semper veniens metui, quanto non valet a nobis ventura præsciri. Vel etiam per diem Domini dies judicii potest intelligi, qui sic subrepit ut prævideri non valeat quando venit.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM II B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM. — *Supercrescit fides vestra* (*II Thess.* I, 3).

(Regul. pastor. part. III, cap. 8.) Plerumque pusillanimes aptius ad iter bene agendi reducimus, si eorum bene gesta memoramus : et si qua ab eis inordinate gesta sunt, non jam tanquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc ne perpetrari debeant prohibemus, ut illa quæ approbamus illatus favor augeat, et contra ea quæ reprehendimus magis apud pusillanimes exhortatio verecunda convalescat. Unde Paulus, cum Thessalonicenses, in accepta prædicatione perdurantes, quasi de vicino mundi termino quadam cognosceret pusillanimitate turbatos, prius in eis quæ fortia prospicit laudat, et caute monendo postmodum, quæ sunt infirmata, roborat. Ait enim : *Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, ita ut dignum est : quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum invicem : ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra et fide* (*II Thess.* I, 3). Qui cum blanda hæc vitæ præconia præmisisset, paulo post subdidit, dicens : *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in idipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini* (*Ibid.*, 1). Egit enim verus doctor, ut prius audirent laudati quod recognoscerent, et postmodum quod exhortati sequerentur, quatenus eorum mentem ne commotio subjuncta concuteret, laus præmissa solidaret; et qui commotos eos vicini finis suspicione cognoverat, non jam redarguebat motos, sed quasi transacta nesciens, adhuc commoveri prohibebat ; ut dum de ipsa levitate motionis prædicatori suo se incognitos crederent, tanto reprehensibiliores fieri quanto et cognosci ab illo formidarent.

CAP. II. — *Sustinetis in exemplum justi judicii Dei* (*II Thess.* I, 4, 5).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 22.) Unusquisque debet considerare quæ peccantes postmodum supplicia maneant, si etiam justos tam valida hic flagella castigant. Hinc est enim quod Petrus ait : *Tempus est ut judicium incipiat a domo Dei : et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt* (*I Petr.* IV, 17, 18) ? Hinc Paulus, cum multa in Thessalonicensium laudem dixisset, protinus adjunxit : *Ita ut et ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide, in omnibus persecutionibus et tribulationibus vestris, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei.* Ac si diceret : Dum tot dura toleratis, qui tam recta agitis, quid aliud quam justi judicii Dei exempla datis ? Quia ex vestra pœna colligendum est quomodo feriat quibus irascitur, si sic vos affligi patitur in quibus lætatur. Multo magis quippe percussurus est, quibus justum judicium exhibet, si etiam vos sic cruciat quos pie redarguens fovet.

CAP. III. — *In templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus* (*II Thess.* II, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 7 ; lib. XXIX, num. 18 ; lib. XXXII, num. 25.) Terribili ordine dispositionis occultæ, priusquam hostis antiquus in illo damnato homine, videlicet Antichristo, quem assumet, apparcat, virtutum signa a sancta subtrahentur

Ecclesia. Nam prophetia abscondetur, curationum gratia auferetur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuetur, doctrinæ conticescent verba miraculorum tollentur prodigia. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtraheret, sed non hæc sicut prioribus temporibus aperte ac multipliciter ostendet. Quod tamen mira dispensatione agetur, ut ex una re divina simul pietas et justitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus, Ecclesia sancta velut abjectior apparet, et bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cœlestium, non propter præsentia signa venerantur, et malorum mens contra illam citius ostenditur, qui sequi quæ promittit invisibilia negligunt, dum signis visibilibus non tenentur. Dum igitur humilitas fidelium multitudine et manifestatione signorum quasi destituitur, terribili occultæ dispositionis examine inde bonis misericordia largitur unde malis ira justa cumulatur. Ante igitur ex magna parte signa virtutum et miraculorum a fidelibus in sancta Ecclesia subtrahuntur, et tunc contra eos antiquus hostis in illo damnato homine, scilicet Antichristo, per aperta prodigia conspicuus et manifestus ostendetur, ut quo ipse per signa extollitur, eo a fidelibus sine signis robustius laudabiliusque vincatur. Quamvis etiam fidelibus in ejus certamine signa non deerunt, sed tanta erunt illius ut nostrorum pauca aut nulla videantur. Quorum nimirum virtus omnibus signis fit potior, cum omne quod ab illo fieri terribiliter conspicitur, per internæ constantiæ calcem premit. Sed malignus hostis tanto contra eos acriore immanitate se exhibebit, quanto se despici etiam clarescentibus miraculis dolebit. Totum igitur se in eorum interitum colliget, cunctosque reprobos in necem fidelium unanimiter et crudeliter accendet. Superba itaque Antichristi celsitudo super reprobas mentes hominum fastu gloriæ sæcularis erigetur, ita ut homo peccator, et tamen homo despiciens æstimari, Deum se super homines mentiatur? Unde Paulus apostolus dicit: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Cujus ut timorem plenius ostenderet, præmisit: *Qui adversatur, et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Deus enim aliquando dici et homo potest, juxta quod et ad Moysen dicitur: *Ecce constitui te deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1). Deus vero coli purus homo non potest. Quia vero Antichristus et super sanctos quosque homines, et super ipsius potentiam divinitatis extollitur, per exactum sibi nomen gloriæ, et hoc quod Deus dicitur, et hoc quod Deus colitur, transire conatur. Notandum vero est in quantam superbiæ foveam cecidit, qui in mensuram ruinæ qua lapsus est non permansit. Diabolus quippe et homo ab statu propriæ conditionis elata mente corruerunt, ut vel ille diceret: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13); vel iste audiens crederet: *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5). Idcirco ergo uterque cecidit, quia Deo similis esse non per justitiam sed per potentiam concupivit. Sed homo per gratiam liberatus, qui Dei similitudinem appetendo perverse ceciderat, in reatum sui criminis longe Deo se imparem esse cognoscens, clamat: *Domine, quis similis tibi* (*Psal.* XXXIV, 10)? Diabolus vero in lapsus sui crimine juste dimissus, in mensuram ruinæ suæ minime permansit, sed quantum ab omnipotentis gratia diu defuit, et tanto magis reatum criminis cumulavit. Nam qui ideo cecidit quia perverso ordine Deo similis esse voluit, eousque perductus est ut in Antichristum veniens videri Deo similis dedignetur, et eum quem habere non potuit superbus æqualem, damnatus putat inferiorem. Nam cum de illo hoc quod jam præmisimus, dicitur: *Extollens se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thess.* II, 4), aperte monstratur quoniam appetendo dudum Dei similitudinem, quasi juxta Deum erigere se voluit, sed in superbiæ culpa crescendo, jam se supra omne quod Deus dicitur et colitur, extollit. Sed hæc ejus superbia districti Judicis erit adventu ferienda, sicut scriptum est: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (*II Thess.* II, 8). De hoc perdito homine per Danielem dicitur: *Contra principem principum consurget, et sine manu conteretur* (*Dan.* VIII, 25). Quod ergo per Danielem dictum est: *Contra principem principum consurget*, hoc per Paulum dicitur: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Et quod per Danielem subjungitur: *Sine manu conteretur*, hoc per Paulum exprimitur: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Sine manu scilicet conteretur, quia non angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per adventum Judicis solo oris spiritu æterna morte ferietur.

CAP. IV. — *Ut reveletur in suo tempore: nam mysterium jam operatur iniquitatis* (*II Thess.* II, 6, 7).

(In exposit. B. Job, l. XXIX, n. 15, 16.) Sunt nonnulli qui æterna quæ audiunt veraciter credunt, sed tamen juxta prædicationem fidei vivere negligunt, et eidem fidei, quam specie tenus venerantes tenent, male vivendo contradicunt. Qui dum plus terrena quam cœlestia, plus quæ vident quam quæ audiunt diligunt, pulsante persecutionis articulo, quod rectum credere videbantur amittunt. Quod illo maxime tempore multiplicius agitur, quando surgente ipso iniquorum capite, in sanctæ Ecclesiæ persecutione ultima, liberis suis viribus ejus fortitudo grassabitur. Ibi tunc uniuscujusque cor ostendetur, ibi quidquid in occultis latebat aperietur. Et qui nunc ore sunt puri, et corde sunt impii, publicata malitia corruent; et fidem, quam specie tenus tenuerant, perdent. Hinc Paulus ait: *Ut reveletur in suo tempore, nam mysterium jam operatur iniquitatis.* Ac si diceret: Tunc Antichristus manifestus videbitur, nam in cordibus iniquorum, id est membrorum suorum, secreta sua jam nunc occultus operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam, ecce alius fratri in corde suo tacitus invidet, et si occasionem reperiat, eum supplantare contendit. Cujus alterius membrum est nisi ejus de quo scriptum est: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24)? Alius magni meriti se esse æstimans, per tumorem cordis cunctis se præferens, omnes semetipso inferiores credit. Cujus alterius membrum est nisi ejus de quo scriptum est: *Omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiæ* (*Job.* XLI, 25)? Alius potentiam hujus mundi quærit, non quo aliis prosit, sed quo non sit subditus alteri. Cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est, qui dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.*, XIV, 13, 14)? Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, ut alteri subesse non possit. Quem diabolus imitari perverse voluit, cum suum dominum quærens, ei subesse recusavit. Imitatur ergo diabolum quisquis idcirco potestatem suam appetit quoniam ei qui sibi præpositus est ordinatione superna subesse fastidit. Sunt namque præterea plurima quæ quosdam in ipsa pace Ecclesiæ constitutos infideles esse renuntient. Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, ut videlicet ab eo requisiti, pro favore ejus non dubitent in causa proximi veritatem negare. Et quis est Veritas nisi ille qui dixit: *Ego sum Via, Veritas et Vita* (*Joan.* XIV, 6)? Neque enim Joannes Baptista de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus occubuit: sed quia Christus est Veritas, ad mortem usque idcirco pro Christo, quia pro veritate videlicet pervenit. Ponamus ante oculos quod aliquis percunctatus personam potentis accepit, et ne verbi saltem injuriam pateretur veritatem negavit. Quid ergo iste faceret in dolore pœnarum qui Christum erubuit inter flagella verborum? Ecce et post hæc ante oculos hominum adhuc Christianus est, et tamen si Dominus eum districte disposuit judicare, jam non est. Video autem et alios

quibus per locum magisterii exhortandi sunt officia arguendique commissa, quia vident aliquid illicitum admitti, et tamen dum quorumdam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt. Quisquis iste est, quid aliud facit, nisi videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit (*Joan.* x, 12)? Fugit, quia tacuit, quoniam, despecta æterna gratia, temporalem gloriam plus amavit. Ecce ante potentis faciem intra sui se latebras silentii abscondit, et sicut publicæ persecutioni, sic occulto locum dedit timori. Qui igitur talis est, si hæc districte judicantur, et si persecutio publica defuit, tamen tacendo Christum negavit. Non ergo desunt vel in pace Ecclesiæ Antichristi tentamenta. Nemo itaque illa persecutionis extremæ tempora, quasi sola perhorrescat. Apud iniquos namque quotidie res Antichristi agitur, quoniam in eorum cordibus mysterium suum jam nunc occultus operatur. Et si nunc multi specie tenus intra Ecclesiam constituti simulant se esse quod non sunt, in adventu tamen Judicis prodentur quod sunt. De quibus bene Salomon ait : *Vidi impios sepultos, etiam cum adhuc viverent; in loco sancto erant, et laudantur in civitate quasi justorum operum* (*Eccle:* VIII, 10).

CAP. V. — *Nolite ut inimicum illum existimare* (*II Thess.* III, 15).

(Regul. pastor. part. III, cap. 22.) Cum temporalis pax in pravorum cordibus ex increpatione nostra confunditur, inviolata necesse est ut in nostro corde servetur. Unde discipulos admonet, dicens : *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et non comisceamini cum illo, ut confundatur.* Atque illico adjunxit : *Et nolite ut inimicum existimare illum, sed corripite ut fratrem.* Ac si diceret : Pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem circa illum medullitus custodite, ut peccantis mentem sic vestra discordia feriat, quatenus pax a vestris cordibus nec abnegata discedat.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM I B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM. — *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (*I Tim.* I, 13).

(In exposit. B. Job, l. XVIII, n. 62, 63.) Nullus potest dicere ad cognoscendum Deum actionis suæ se mercede prævenisse, vel aliquod digni operis meritum, quo Christum Dei virtutem et Dei sapientiam perciperet, quasi pretium dedisse. Ad hoc namque pretium damus, ut ejus vice rem quam appetimus possidere debeamus. Quid autem nos dedimus ut Sapientiam, quæ Christus est, percipere mereremur? Gratia quippe redempti sumus. Illa namque sola opera male vivendo dedimus, quibus si justa retributio servaretur, non Christus, sed supplicia rederentur. Sed aliud homo per justitiam meruit, aliud per gratiam accepit. Testatur Paulus priusquam mens illius semen gratuitæ veritatis acciperet, quibus sentibus premebatur erroris : *Qui prius*, inquit, *fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus : sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (*I Tim.* I, 13). Testatur etiam pro qualibus Christus mori dignatus est : *Cum adhuc*, inquit, *peccatores essemus, secundum tempus Christus pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 8). Qui ergo veniente Christo Dei virtute et Dei Sapientia impii inventi sumus, quid boni operis dedimus quo eum accipere mereremur? Nullum suis meritis esse salvatum Paulus intellexerat, neminem dedisse aliquid boni operis ut ad fidem veniret cognoverat qui dicebat : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei* (*Rom.* XI. 35). Hinc iterum scriptum est : *Gratia salvi facti estis per fidem : et non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur* (*Ephes.* II. 8). Hinc de semetipso loquitur iterum, dicens : *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.* XV, 10). Ex cujus nimirum aspiratione gratiæ quia virtutum opera protinus in corde generantur, ut ex libero quoque arbitrio subsequatur actio, cui post hanc vitam æterna respondeat retributio, illico adjecit : *Et gratia ejus in me vacua non fuit.*

CAP. II. — *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornent se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa* (*II Tim.* II, 9).

(Homil. 6, in Evang., n. 3.) Nemo existimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse, quia si hæc culpa non esset, nullomodo Joannem Baptistam Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Paulus per epistolam feminas a pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens : *Non in veste pretiosa.* Beatus quoque Petrus apostolus dicit : *Mulieres subditæ sint viris suis : quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus* (*I Petr.* III, 3). Pensate ergo quæ culpa sit hoc viros appetere, a quo curavit Ecclesiæ pastor et egregius doctor etiam feminas prohibere.

CAP. III. — *Salvabitur autem mulier per filiorum generationem* (*I Tim.* II, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XII, num. 26.) Nomine filiorum in Scriptura sacra aliquando opera designantur, sicut de muliere Paulus dicit : *Quia salva erit per filiorum generationem.* Neque enim mulier quæ, continentiæ studens, nequaquam filios generat salva non erit, sed per generationem filiorum salvari dicitur, quia per effectum bonorum operum perpetuæ saluti sociatur.

CAP. IV. — *Oportet episcopum esse irreprehensibilem*, etc. (*I Tim.* III).

(Regul. pastor. part. I, c. 8. In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 19.) Timotheum instruens Paulus de officio episcopatus, ait : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Qui tamen laudans desiderium, in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum repente subjungit : *Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse.* Cumque virtutum necessaria subsequenter enumerat, quæ sit irreprehensibilitas ipsa manifestat; et favet ergo ex desiderio, et terret ex præcepto. Ac si aperte dicat : Laudo quod quæritis, sed prius discite quid quæratis: ne dum vosmetipsos metiri negligitis, tanto fœdior vestra reprehensibilitas pateat, quanto et a cunctis conspici in honoris arce festinatis. Magnus enim regendi artifex favoribus impellit, terroribus retrahit, ut auditores suos et descripto irreprehensibilitatis culmine, restringat a superbia, et officium laudando quod quæritur, componat ad vitam. Ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur : *Si quis episcopatum desiderat.* Ipse ergo sibi testis est qui episcopatum non appetit, quia non per hunc boni operis ministerium sed honoris gloriam quærit. De hoc eodem episcopatus officio edocet : *Oportet episcopum esse sine crimine.* Hoc autem inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen. Et in hac vita multi sine crimine, nullus vero sine peccatis valet esse. Prædicator itaque sanctus cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit sine peccato, sed *si quis sine crimine est.* Sine peccato enim nemo valet esse, cum Joannes dicat : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8).

CAP. V. — *Magnum est pietatis sacramentum* (*I Tim.* III, 16).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 14.) Scriptura sacra prædicatores Ecclesiæ, pro eo quod gloriam patriæ cœlestis annuntiant, angelorum nomine solet designare. Hinc Malachias propheta loquitur, dicens : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est* (*Mal.* II, 4). Hinc Paulus ait : *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum*

est in carne, justificatum est in spiritu; apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Qui igitur dispensationis mysterium, postquam apparuisse angelis dixit, prædicatum esse gentibus subdidit : angelorum profecto nomine prædicatores sanctos, id est veritatis nuntios, designavit.

CAP. VI. — *Nemo adolescentiam tuam contemnat* (*I Tim.* IV, 12).

(Lib. I, in Ezech., hom. 2, n. 3, et Regul. pastor. part. III, cap. 25.) Cum prima sunt adolescentiæ, vel juventutis nostræ tempora, nobis adhuc cessandum est a prædicatione, nec debemus in infirma ætate prædicare, quia sermo doctrinæ non suppetit, nisi in perfecta ætate. Quousque enim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus, amittamus; ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ sunt firma. Hinc etiam per quemdam Sapientem dicitur : *Adolescens, laquere in tua causa vix : et si bis interrogatus fueris, habeat initium responsio tua* (*Ezech.* XXXII, 10). Cum vero per Paulum Timotheo discipulo dicitur : *Præcipe et doce, nemo adolescentiam tuam contemnat*, sciendum nobis est quoniam in sacro eloquio aliquando adolescentia juventus vocatur. Quod citius ostendimus si Salomonis ad medium verba proferantur, qui ait : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua* (*Eccle.* XI, 9). Si enim unum utraque esse non discerneret, quem monebat in adolescentia juvenem non vocaret. Quos igitur a prædicationis officio vel imperfectio, vel ætas prohibet, et tamen impellit præcipitatio, cum arripiunt intempestive quod non valent, perdunt etiam quod implere quandoque tempestive potuissent : ante perfectionem alarum, unde ire cupiunt in alta inde merguntur in ima.

CAP. VII. — *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (*I Tim.* V, 22).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 74.) Sacræ Scripturæ consuetudo est ut cum aliquid narrat, interposita alterius causæ sententia, ad superiora protinus redeat. Sed hunc esse nonnunquam morem sacri eloquii melius ostendimus, si ex eo aliquam hujus rei similitudinem proferamus. Paulus namque apostolus cum dilectum discipulum de instituendis Ecclesiæ officiis admoneret, ne quos forte ad sacros ordines inordinate proveheret, dixit : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis : teipsum castum custodi.* Qui ad infirmitatem ejus corporis protinus verba converteus, ait : *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* (*Vers.* 23) : statimque subjungit, dicens : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quorumdam autem et subsequuntur* (*Vers.* 24). Quid ergo ad illud pertinet quod ab infirmo bibi aquam prohibuit, hoc quod de peccatis absconditis quorumdam hominum manifestisque subjunxit, nisi quod interposita de ejus infirmitate sententia ad hoc in extremo rediit quod superius dixit : *Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Ut enim hæc eadem peccata quanta sollicitudine perquirenda essent ostenderet, interposita contra infirmitatis molestiam discretionis admonitione, protinus intulit, quod in aliis patescerent in aliis laterent, dicens : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quorumdam autem et subsequuntur.* In hac ergo sententia Paulus non eisdem verbis congruit, quibus eam, loquens de Timothei infirmitate, subjunxit, sed ad illud redlit quod superius intermittendo narravit.

CAP. VIII. — *Dum venio, attende lectioni* (*I Tim.* IV, 13).

(Regul. pastor. part. II, c. 11.) Omnis prælatus et rector quotidie sacri eloquii studiose debet præcepta meditari, ut in eo vim sollicitudinis et erga cœlestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent; et qui ad vetustatem vitæ per societatem sæcularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis aspiratione renovetur. Valde namque cor inter humana verba defluit, cum indubitanter constet quod externis occupationum tumultibus impulsum a semetipso corruat, incessabiliter studere debet ut per eruditionis studium resurgat. Hinc est quod prælatum gregi discipulum Paulus admonet, dicens : *Dum venio, attende lectioni.* Hinc David ait : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? Tota die meditatio mea est* (*Psal.* CXVIII, 97).

CAP. IX. — *Radix omnium malorum cupiditas* (*I Tim.* VI, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XX, num. 21.) Cum alicui avaritia, id est, cupiditas, dominatur, subjectus proculdubio malis omnibus demonstratur, quia de avaritia mala omnia oriuntur, et peccatorum omnium spinæ producuntur, de qua per Paulum dicitur ; *Radix omnium malorum cupiditas.* Ipsa quippe latenter oritur in mente, sed punctiones peccatorum omnium patenter producit in opere. Quas videlicet punctiones ab hac radice surgentes statim prædicator egregius insinuat, cum subdit : *Quam quidem appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.* Qui enim multos dolores dixit quasi nascentes ex hac radice punctiones innotuit.

CAP. X. — *Qui solus habet immortalitatem* (*I Tim.* VI, 16).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 9, 10.) Omnis immutatio velut quædam mortis imitatio est. Id enim quod mutatur, quasi ab eo quod erat interficitur, ut desinat esse quod fuit, et incipiat esse quod non fuit. Lumen autem verum, Creator videlicet noster, nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit, nullis naturæ suæ defectibus obumbratur, sed ejus esse sine mutabilitate fulgere est, sicut scriptum est : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I, 17). Et inde rursum Paulus apostolus dicit : *Qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem.* Sed cum cuncti noverimus quod et humana anima et angelici spiritus sint immortales instituti, cur ab Apostolo solus Deus immortalitatem habere perhibetur, nisi quia solus Deus vere non moritur qui solus nunquam mutatur? Humana quippe anima in lapsum nunquam caderet, si mutabilis non fuisset. Quæ a paradisi quoque gaudiis expulsa, si mutabilis non esset, ad vitam minime rediret. In hoc ipso autem quod ad vitam redire nititur, defectus suos, alternante semper mutabilitate, tolerare cogitur. Quia ergo ex nihilo condita est, ex se nihilominus infra se tendit, nisi ad boni desiderii statum artificis sui manu teneatur. Ex eo itaque quod creatura est, deorsum ire habet : virtute namque propria in præceps posse se ire considerat, sed ad Conditorem suum amoris manu se retinet, ne cadat, quousque ad immutabilitatem transeat, et eo vere immortaliter, quo immutabiliter vivat. Ipsi quoque spiritus angelici mutabiles sunt ex natura conditi, quatenus aut sua sponte caderent, aut ex arbitrio starent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhærere a quo creati sunt, hanc ipsam in se mutabilitatem suam, standi jam immutabilitate vicerunt, ut hoc ipso merito transcenderent, quod naturæ suæ ordine mutabilitati subesse potuissent. Quia ergo Creator noster nullam patitur immutabilitatem, recte de eo per Paulum dicitur : *Qui solus habet immortalitatem.*

CAP. XI. — *Et lucem habitat inaccessibilem* (*I Tim.* VI, 16).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 92.) Cum ad ipsum fontem vitæ, Creatorem nostrum, venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul et satietas, sed longe ab ista siti necessitas, et longe a satietate fastidium, quia sitientes satiabimur, et satiati

sitiemus. Videbimus ergo Deum ipsum, qui erit præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras accessa ejus luce gaudeamus. Sed cum ejus lucem dicimus accessam, obsistit animo quod Paulus dicit : *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.* Ecce rursum audio quod Psalmista ait : *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Quomodo igitur accedendo illuminamur, si ipsam lucem qua illuminari possumus non videmus? Si vero accedendo ad eum, ipsam qua illuminamur lucem videmus, quomodo inaccessibilis esse perhibetur? Qua in re pensandum est quod inaccessibilem dixit, non omni homini sed humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine notare solet. Unde idem apostolus quibusdam discordantibus dicit : *Cum enim inter vos sit zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (*II Cor.* III, 3)? Et unde alibi testimonium protulit : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9). Et cum hoc Dominus dixisset absconditum, mox subdidit : *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum* (*Ibid.*), ipsum se ab hominis vocatione discernens qui raptus supra hominem divina jam saperet. Ita etiam hoc loco cum lucem Dei inaccessibilem perhibet, ut ostenderet quibus, subdidit : *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest*, more suo homines vocans omnes humana sapientes, quia qui divina sapiunt videlicet supra homines sunt. Deum igitur per cœlestem conversationem videbimus, si supra homines esse mereamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæternam Deo sapientiam, quam modo per ora prædicantium quasi per decurrentia flumina suminus, in ipso suo fonte bibemus.

CAP. XII. — *Divitibus præcipe non superbe sapere* (*I Tim.* VI, 17).

(Regul. pastor. part. III, cap. 2.) Superbis divitibus inferre metum contra elationem debemus, sicut Paulus dicit discipulo de divitibus : *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum.* Ubi notandum valde est quod humilitatis doctor memoriam divitum faciens, non ait : *Roga*, sed *præcipe*, quia etsi impendenda est pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi. Talibus ergo rectum quod dicitur, tanto rectius jubetur, quanto et rebus transitoriis altitudine cogitationis intumescunt. De his in Evangelio dicit Dominus : *Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram* (*Luc.* VI, 24). Quia enim quæ sunt æterna gaudia nesciunt, ex præsentis vitæ abundantia consolantur. Offerendus est ergo a prædicatoribus timor divitibus, quos consolatio gloriæ temporalis extollit, ut cognoscant quia divitias quas conspiciunt tenere nequaquam possunt.

CAP. XIII. — *O Timothee, depositum custodi* (*I Tim.* VI, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 39.) Quicunque ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat, ut omne quod loquitur in eo suæ locutionis ædificium firmet. Sæpe enim hæretici, dum sua perversa student astruere, proferunt ea quæ profecto in sacrorum librorum paginis non tenentur. Unde et discipulum suum prædicator admonet, dicens : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Dum enim laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in Patrum antiquorum libris veteribus non tenentur. Sicque fit ut dum videri sapientes desiderant, miseris auditoribus suis stultitiæ semina spargant.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM II B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM. — *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4).

(In exposit. B. Job, lib. V, num. 55.) Sancti viri ab hujus mundi inquieta concupiscentia se penitus subtrahunt, ac terrenarum actionum strepitum deserunt, et per quietis studium ab exterioribus operibus cessantes, interna penetrare satagunt. Neque enim ad interna contemplanda perducuntur, nisi ab his quæ exterius implicant studiose subtrahantur. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicat : *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). Hinc Paulus ait : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Hinc per Prophetam Dominus admonet, dicens : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV, 11). Nequaquam enim interna notitia conspicitur, nisi ab externa implicatione cessetur, et mens nostra nullo modo ad vim intimæ contemplationis rapitur, nisi studiose prius a terrenorum desideriorum tumultu sopiatur.

CAP. II. — *Prædica verbum, insta opportune, importune* (*II Tim.* IV, 1).

(Regul. pastor. part. II, c. 4.) Providendum est intentione sollicita rectoribus, ut ab eis non solum prava nullo modo sed ne recta quidem nimie et ordinate proferantur, quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud audientium corda incaute loquacitatis importunitate levigatur. Unde Paulus, cum discipulum de instantia prædicationis admoneret, dicebat : *Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ejus, et regnum ipsius : Prædica verbum, insta opportune, importune.* Dicturus *importune*, præmisit *opportune*, quia scilicet apud auditoris mentem; ipsa sua utilitate se destruit si habere importunitas opportunitatem nescit.

CAP. III. — *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV, 2).

(Regul. pastor. part. III, c. 16; lib. I, in Ezech., hom. 11, n. 15.) Mansueti prælati debent studere ut etiam æmulationem justitiæ habeant, iracundi vero ut æmulationi quam se habere æstimant mansuetudinem subjungant. Idcirco namque Spiritus sanctus in columba nobis et igne monstratus est, quia videlicet omnes quos implet, et columbæ simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Spiritu sancto plenus est qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. Quod fortasse melius ostendimus, si in medium Pauli ministerium proferamus, qui duobus discipulis, et non diversa charitate præditis, diversa tamen adjutoria prædicationis impendit. Timotheum enim admonens, ait : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Titum quoque admonet, dicens : *Hæc loquere, et exhortare : et argue cum omni imperio* (*Tit.* II, 15). Quid est quod doctrinam suam arte tanta dispensat, ut in exhibenda hac, alteri imperium, et alteri patientiam proponat, nisi quod mansuetioris spiritus Titum, et ferventioris vidit esse Timotheum? Illum itaque per æmulationis studium inflammat, hunc per lenitatem patientiæ temperat. Illi quod deest jungit, huic quod superest subtrahit; illum stimulo implere nititur, hunc freno moderatur. Leni quippe per auctoritatem imperii injungenda erat severitas verbi, is autem qui per spiritum fervebat, per patientiam temperandus fuerat, ne si plus justo ferveseeret, non ad sanandum vulnera subjectorum reduceret, sed sana vulneraret. Nam sæpe verba quæ hunc ad sanandum revocant, alium vulnerant.

CAP. IV. — *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (*II Tim.* IV, 8).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 36, 37; homil. 37, in Evang., n. 1.) Sancti viri quia fideliter Domini præceptis inserviunt, adventum illius spe certa præstolantur : extremum venire judicium, ostendi cœlestem patriam, persolvi præmia justis appetunt. Sciendum enim est quod beatorum mens, quo duriora pro veritate tolerat, eo æternitatis præmia certius sperat, et tanto spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit. Labores quippe suos sancti considerantes, mercedem retributionis quærunt, et causæ suæ meritum scientes, præsentiam Judicis expetunt : eumque ut veniat in flamma ignis, dans vindictam impiis, et contemplationis suæ speciem in retributione deferens piis, ardore summo concupiscunt. Labores ergo suos intuens prædicator egregius dicit : *Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Quia A enim contra mala transeuntia sine defectu certaverat, de mansuris nimirum gaudiis sine dubietate præsumebat; ubi et aperte subjungit : *Non solum autem mihi, sed et his qui diligunt adventum ejus.* Ac si dicat : Sed et in omnibus qui sibi de bona operatione sunt conscii. Adventum enim Judicis non diligunt nisi qui in causa sua habere se justitiæ meritum sciunt. Nequaquam quippe gaudium, vel corona retributionis de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione et labore seminatur. Hinc Paulus ait : *Si commorimur, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus* (*II Tim.* II, 11). Hinc sanctorum gloriam angelus Joanni indicans, ait : *Sunt qui venerunt de tribulatione magna* (*Apoc.* VII, 14). Hinc discipulos Paulus admonet, dicens : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). Hinc iterum ait : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II, 5). Ad coronam enim et ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Quemcunque ergo cœlestium delectat magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

CAPUT PRIMUM. — *Nusquam angelos apprehendit* (*Hebr.* II, 16). B

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 9, 10, 11, 12.) Omnipotens Deus, sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cum voluit per incarnationis suæ mysterium etiam perdita bona reparavit. Duas autem ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet et humanam. Utramque vero superbia perculit, et ab ingenitæ statu rectitudinis dejecit. Sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque spiritus est solummodo, homo vero spiritus est et caro. Misertus ergo Creator, ut redimeret illam, ad se debuit reducere quam in perpetratione culpæ ex infirmitate constat aliquid habuisse. Et eo altius debuit apostatam angelum repellere, quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Hinc enim scriptum est : *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Idcirco namque Redemptor noster non angelus sed homo factus est, quoniam hoc procul dubio fieri debuit quod redemit, ut et perditum angelum non apprehendendo desereret, et hominem in semetipso apprehendendo repararet. Est adhuc aliud quo et perditus homo reparari debuit, et superbiens spiritus reparari non possit, quia nimirum angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit. Humanum ergo genus ad pœnitentiam Redemptoris adventu reducitur, apostata vero angelus ad restaurationem nulla spe veniæ, nulla conversionis emendatione revocatur. Sic quippe illum perpetratæ superbiæ cæcitas gravat, ut nequaquam ulterius ad lucem pœnitentiæ per divini respectus memoriam resurgat, nec ad veniam cum electis, nec ultra ad illa claritatis intimæ agmina superna redeat.

CAP. II. — *Per Abraham Levi decimatus est, adhuc enim in lumbis patris erat* (*Hebr.* VII, 10).

(In exposit. B. Job., lib. XXXII, num. 20.) Lumborum nomine propago mortalitatis exprimitur, quia seminaria coitus viris in lumbis, feminis autem in umbilico inesse perhibentur. Hinc est quod Veritas discipulis dicit : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35). Hinc Petrus cum luxuriam a corde restringeret, admonebat, dicens : *Succincti lumbos mentis vestræ.* (*I Petr.* I, 13). Propter quod etiam et de Levi dicitur : *Quia adhuc in lumbis patris erat, cum Melchisedech occurrit Abrahæ.* Cum enim Paulus per Abrahæ sacrificium Melchisedech tempore Levi sacerdotium diceret decimatum, ubi tunc in Abrahæ corpore Levi lateret, ostendens, ait ; *Adhuc enim in lumbis patris erat.*

CAP. III. — *Vivus est sermo Dei, et efficax* (*Hebr.* IV, 12).

(Lib. II, in Ezech., hom. 9, n. 16, 17.) Ante omnipotentis Dei oculos, vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta, depereunt, cum jam non amore Domini, sed intentione laudis transitoriæ fiunt. Sic etenim sæpe cogitationi bonæ cogitatio sinistra subjungitur, ut vix ipse qui easdem cogitationes generat animus agnoscat. Unde prædicator egregius, cum loquens subtiliter, diceret : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus;* illico subjungit : *Compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Distinguit enim sermo Dei compages et medullas, quia discernit cogitationes, et intentiones cordis. Per compages quippe ossa ossibus junguntur, et sæpe dum quid recta cogitatione agimus, sed in laudis amore subito declinamus, et hoc pro laude facimus quod prius facere pro C veritate cœperamus, quia cogitationes cogitationibus adjunguntur quasi quædam compages fiunt. Sed habent ossa quæ in compage juncta sunt etiam medullas. Quod prædicator sanctus apertius intulit, cum subjungit : *Discretor cogitationum et intentionum cordis* (*Ibid.*). Compages enim nostræ cogitationes sunt, medullæ autem intentiones. Etenim aliud cogitamus, et aliud est quod per cogitationem intendimus. Nam si quis proposito nummorum præmio, pupilli vel viduæ causam defendat, et fortasse ecclesiam ingrediens in suis precibus Deo dicat : Tu vides quia causam pupilli et viduæ defendo, iste procul dubio quæ cogitat scit sed quo intendat ejus cogitatio ignorat. Aliud quippe cogitat, atque aliud intendit, non enim defensionem pupilli, vel viduæ, sed mercedem nummorum quærit. Nam tolle temporale præmium, et pupillum ac viduam non defendit. Sermo namque Dei discretor est cogitationum et intentionum cordis, quia non aspicit quid apud temetipsum cogitas, sed per D medullam compagis, id est, per intentionem cogitationis, quid accipere requiris.

CAP. IV. — *Necesse est cœlestium exemplaria his mundari* (*Hebr.* IX, 23).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 46, 47.) Quamvis simplici naturæ divinitatis non sit aliud esse, et aliud sapere, et aliud fortem esse : quippe quia ipsa fortitudo, quæ sapientia, et ipsa sapientia quæ divinitatis essentia est; Dominus tamen diabolum quantum ad faciem spectat, non virtute sed ratione superavit. Ipse namque diabolus nulla nos parentis primi radice supplantans, sub captivitate sua

hominem quasi juste tenuit, qui libero conditus arbitrio ei injusta suadenti consensit. Ad vitam namque conditus in libertate propriæ voluntatis, sponte sua factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat. Quærendum erat sacrificium, sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri? Neque enim justum fuit ut pro rationali homine brutorum animalium victimæ cæderentur. Unde ait Apostolus : *Necesse est ergo exemplaria cœlestium his mundari ;* ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, id est, pro homine, dignæ victimæ non fuerunt, requirendus erat homo qui pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali peccante rationalis hostia mactaretur. Sed quid quod homo sine peccato inveniri non poterat, et oblata pro nobis hostia, quando nos a peccato mundare potuisset, si ipsa hostia peccati contagio non careret? Inquinata quippe inquinatos mundare non posset. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus ; ut vero a peccatis mundaret hominem, homo et sine peccato ; sed quis esset homo sine peccato, si ex peccati commistione descenderet? Proinde venit propter nos in utero Virginis Filius Dei : ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium corpus suum, exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ et humilitate mori, et justitia mundare potuisset. Hunc ergo cum post baptisma vidit antiquus hostis, mox tentationibus impetiit, et per diversos aditus ad ejus interiora molitus irrepere, est victus, atque ipsa inexpugnabilis mentis ejus integritate prostratus. Sed quia ad interiora non valuit, ad ejus se exteriora convertit, ut quia mentis virtute victus est, eum quem decipere tentatione non valuit, carnis saltem videretur morte superare : atque ut ante dictum est, permissus est in illud quod ex nobis mortalibus Mediator acceperat. Sed ubi potuit aliquid facere, ibi devictus est ex omni parte ; et unde accepit exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interius potestas ejus qua nos tenebat occisa est. Ipse namque victus interius dum quasi vicit exterius. Et qui nos jure debitores mortis tenuit, jure in nobis jus mortis amisit, quia per satellites suos ejus carnem perimendam appetiit, in qua nil ex culpæ debito invenit. Dominus ergo noster pro nobis mortem solvit indebitam, ut nobis mors debita non noceret. Antiquus autem hostis per excessum præsumptionis suæ eum etiam perdidit quem iniquæ persuasionis lege possedit ; et dum audacter eum in quo nil sibi competebat appetiit, jure illum quem quasi juste tenebat amisit. Prudentia itaque non virtute devictus est, qui dum ad tentandum Deum solvitur, ab homine possidendo religatur; ut inde eum qui sub ipso erat perderet unde cum illo qui super ipsum est congredi præsumpsisset.

CAP. V. — *Non deserentes collectionem vestram* (*Hebr.* x, 25).

(In exposit. B. Job, lib. v, num. 7.) Qui plene mortificationem suam appetunt, quanto fiunt ad finem viciniores, tanto se exhibent in opere ardentiores : laborando non deficiunt, sed magis ad usum labores crescunt, quia quo jam præmia propinquiora considerant, eo in opere delectabilius exsudant. Unde bene Paulus apostolus quibusdam æternam patriam quærentibus, dicit : *Non deserentes collectionem vestram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes ; et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.* Laborantem quippe consolari est pariter in labore persistere, quia sublevatio laboris est visitatio collaborantis ; sicut cum in itinere comes jungitur, via quidem non abstrahitur, sed tamen de societate comitis labor itineris levatur. Dum itaque Paulus consolantes se in labore quæreret, adjunxit, dicens : *Tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.* Ac si diceret : Eo labor crescat, quo jam præmia laboris appropinquant.

CAP. VI. — *Patres carnis nostræ habuimus eruditores et reverebamur eos ; nonne multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus* (*Hebr.* xii, 9, 10) ?

(Regul. pastor. part. iii, cap. 12.) Omnes quos Dominus in hoc flagellat tempore, eo se debent Dei filios sentire, quo illos castigant flagellat disciplinæ. Nisi enim correctis hæreditatem dare disponeret, eos erudire per molestias non curaret. Hinc namque Dominus ad Joannem per angelum dicit : *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* iii, 19.) Hinc rursum scriptum est : *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, cum ab eo argueris : quem enim diligit Dominus corripit : flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* iii, 10). Hinc Psalmista ait : *Multæ tribulationes justorum* (*Psal.* xxxiii, 20]. Hinc beatus quoque Job in dolore exclamans, ait : *Si justus fuero, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria* (*Job* x, 15). Considerare etiam debemus pro percipiendis hæreditatibus terrenis, quam dura carnales filios disciplinæ flagella castigent. Quæ ergo nobis divinæ correptionis pœna gravis est, per quam et nunquam amittenda hæreditas percipitur, et semper mansura supplicia vitantur? Hinc etenim Paulus ait : *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos ; nonne multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus ?* Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos, hic autem ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus. Quos ergo Dominus flagellat, sollicite patientiæ virtutem studeant servare ; incessanter enim quanta Redemptor noster ab his quos creaverat pertulit mala debent considerare ; quod tot abjecta conviciorum probra sustinuit, quod de manu hostis antiqui captivorum animas quotidie rapiens, insultantium alapas accepit ; quod aqua nos salutis diluens, a perfidorum sputis faciem non abscondit ; quod vocatione sua nos ab æternis supplicils liberans, tacitus flagella toleravit; quod inter angelorum choros nobis perennes honores tribuens, colaphos pertulit ; quod a peccatorum nos punctionibus salvans, spinis caput supponere non recusavit ; quod æterna dulcedine nos inebrians, in siti sua fellis amaritudinem accepit ; quod qui pro nobis Patrem, quamvis divinitate esset æqualis, adoravit, sub irrisione adoratus tacuit ; quod vitam mortuis præparans, usque ad mortem ipse vita pervenit. Cur itaque asperum creditur ut homo toleret a Deo flagella pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis? Aut quis sanæ intelligentiæ de percussione sua ingratus existat, si hinc ipse sine flagello non exiit qui sine peccato vixit?

CAP. VII. — *Sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel* (*Hebr.* xii, 24).

(In exposit. B. Job, lib. xiii, num. 26.) De Abel sanguine dixit Dominus ad Cain : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ipse quoque qui sumitur sanguis redemptionis, clamor est nostri Redemptoris. Unde etiam Paulus dicit : *Et sanguinem aspersionis melius loquentem quam Abel* (*Genes.* iv, 10). Sanguis quippe Jesu melius loquitur quam Abel, quia sanguis Abel mortem fratricidæ fratris petiit, sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetravit. Unde factum est ut Redemptoris nostri sanguinem quem persecutores sævientes fuderunt postmodum credentes lamberent, eumque Dei Filium esse prædicarent.

CAP. VIII. — *Ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum* (*Hebr.* xii, 26).

(In exposit. B. Job, lib. xxi, num. 35.) Tempestas in mari cum oritur, prius leves undæ et postmodum volumina majora concitantur, ad extremum fluctus se in alta erigunt, et navigantes quosque ipsa altitudine subvertunt. Sic sic nimirum extrema illa properat quæ universum mundum subruat tempestas animarum. Nunc enim bellis et cladibus quasi quibusdam undis sua nobis exordia ostendit, et quanto ad finem quotidie propinquiores efficimur, tanto graviora irruere tribulationum volumina videmus. Ad

extremum vero commotis omnibus elementis, supernus Judex veniens, finem omnium apportat, quia videlicet tunc tempestas fluctus in cœlum levat. Unde et dicitur : *Adhuc modicum, et ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum* (*Reg.* II, 7). Hanc tempestatem sancti viri vigilanter aspiciunt, et ex his tribulationibus quæ mundum feriunt prævident quæ sequuntur, atque extremi judicii adventum in tanta mente considerantes pertimescunt, supernæque majestatis vim ad judicium venientis, et terrorem tanti examinis considerantes, expavescunt. Quomodo autem depressura sunt Dei judicia eos qui se elevant, si et illos ad tempus aliquando deprimunt qui hæc semper in humilitate formidant? Unde summopere formidandum est nobis illud examen tantæ districtionis. Constat autem quia in hac vita cum percussionem correptio sequitur, disciplina patris est non ira judicis, amor corrigentis est, non districtio punientis. Ex ipso ergo præsenti verbere judicia æterna pensanda sunt. Hinc etenim perpendere debemus quomodo feratur illa quæ reprobat, si ferri modo vix valet ejus ira quæ purgat.

CAP. IX. — *Jesus extra portam passus est* (*Hebr.* XIII, 12).

(In expos. in VII psalmos Pœnit. in psalm. L, n. 9.) Vaccam rufam a filiis Israel adductam præcepit Dominus Moysi tradi Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra immolaret in conspectu Domini. Quid per vaccam rufam nisi assumpta ad sacrificium infirmitas dominicæ incarnationis rubra per cruorem passionis figuratur? Quid est quod hæc vacca ad immolandum sacerdoti traditur, nisi quod incarnatus Dominus, qui pro redemptione nostra sacrificium semetipsum fecit, in Judaici populi manibus datur? Qui etiam extra castra in conspectu Domini immolatus est, quia videlicet extra portam passus est. Unde per Paulum dicitur : *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Idcirco enim extra portam passus est, ut a conversatione nos vitæ præsentis, quasi a civitate foras duceret, et a terrena inhabitatione cor nostrum avellere persuaderet. In conspectu vero Patris immolatur, quia quod ante oculos hominum pœna hoc ante oculos Patris fuit sacrificium.

CAP. X. — *Invisibilem tanquam videns sustinuit* (*Hebr.* XI, 27).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 21.) Fide Moyses reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis : invisibilem enim tanquam videns sustinuit. Perversi quippe in actionibus suis verentur homines quos corporaliter vident, Deum sibi præsentem non æstimant esse quem non vident. Quo contra in laude Moysis dicitur, dum Ægypti regem contemneret, et Dei mandatis obediret, quia invisibilem tanquam A videns sustinuit. Perversum quippe terræ principem quasi non vidit, quem ab oculis sui cordis abjecit. Regem vero invisibilem tanquam videns sustinuit qui ab ejus timoris intuitu mentis oculum non deflexit.

CAP. XI. — *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI, 1).

(Homil. 26, in Evang., n. 8, et 32, in Evang., num. 7.) Cum hoc Paulus apostolus dicit, profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, jam non habent fidem, sed agnitionem. Nam quod obtutibus humanis visibiliter præsentatur, et potest videri, melius dicitur sciri quam credi.

CAP. XII. — *Perpaucis scripsi vobis* (*Hebr.* XIII, 22).

(Lib. I, in Ezech., homil. 11, n. 16; in exposit. B. Job., lib. V, num. 25.) Curandum est pastoribus quantum loquantur, ne si eis qui multa ferre non B valent verbum vel exhortationis vel increpationis longius trahant, auditores suos ad fastidium perducant. Unde prædicator egregius loquitur, dicens : *Obsecro vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii, etenim perpaucis scripsi vobis.* Hoc tamen infirmis præcipue congruit, ut pauca quidem et quæ capere prævalent audiant, sed quæ mentem eorum in pœnitentiæ dolore compungant. Nam si eis uno in tempore exhortationis sermo fuerit multipliciter dictus, quia retinere non valent multa, simul amittunt omnia. Si quando tamen sermo prolixior transeat modum suum, hoc auditoribus non est periculosum. Notandum est autem quod Paulus, dum mire Hebræos admoneret, de magnis quæ dixerat humiliter sentit, et dicta sua verba solatii vocavit. Auditoribus quidem suis humiliter multa dixerat, sed de ipsa exhortatione humili placare eos adhuc humilius satagebat. Ephesiis quoque Mileti valedicens, afflictis ac gementibus humilitatem suam ad memoriam revocat, dicens : *Vigilate memoria retinentes, quoniam* C *per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum* (*Act.* XX, 31). Hinc ergo colligat, si quando aliquid recte sentit, quanta humilitate debeat magistro loqui discipulus : si ipse magister gentium in his quæ cum auctoritate prædicat tam submisse discipulos rogat. Hinc unusquisque colligat eis a quibus bene vivendi exempla percipit hoc quod bene intelligit quam humiliter dicat, si Paulus illis humili se voce subdidit quos ad vitam ipse suscitavit. Cum itaque quædam facta meliorum deterioribus displicent, nequaquam hoc quod mentem movet est reticendum, sed cum humilitate magna proferendum, quatenus intentio pie sentientis, eo vere servet formam rectitudinis, quo per iter graditur humilitatis. Et libere ergo dicenda sunt quæ sentimus, et valde humiliter promerenda quæ dicimus, ne quæ recte intendimus hæc elate proferendo non recte faciamus.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM B. JACOBI APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM. — *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum : apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XII, num. 38.) Omnes sancti per naturam in semetipsis habent mutabilitatem propriam, sed dum immutabilitati studiose semper inhærere desiderant, inhærendo agunt ut immutabiles fiant. Cumque ad hanc affectu toto se tenent, quandoque acciplunt ut, super semetipsos ducti, vincant hoc quod in semetipsis mutabiles exstiterunt. Quid enim mutabilitas nisi mors quædam est, quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat ut incipiat esse quod non erat? Et de auctore omnium scriptum est : *Qui solus habet immutabilitatem* (*I Tim.* VI, 16) : quia videlicet in semetipso solus est immutabilis, de quo per Jacobum dicitur : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum : apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ipsa enim mutabilitas umbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit.

CAP. II. — *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10).

(In exposit. B. Job. lib XIX, num. 32) Vestimento cum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo ex omni justitia sicut vestimento se bene vestit, qui se undique bono opere protegit, et nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit; nec jam bona sunt opera quæ subortis aliis pravis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonem dicitur : *Qui in uno offenderit, multa bona perdet* (*Eccles.* IX, 18).

Hinc Jacobus dicit: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quam videlicet sententiam suam ipse diligenter exposuit, cum subjunxit: *Qui enim dixit: Non mœchaberis dixit: Non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis.* Cordis igitur oculis circumquaque porrectis undique nobis exhibenda custodia est, ne mercedem quam per has actiones colligimus per alias amittamus, quia bona prodesse nequeunt si non caventur mala quæ subripiunt.

Cap. III. — *Si autem frater, et soror nudi sunt* (*Jac.* II, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 29, 31.) Sunt nonnulli qui cum ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, non eos cum possunt student rebus fulcire, sed blandis tantum sermonibus fovere; quos vehementer Jacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens: *Si autem frater, aut soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis iltis: Ite in pace, et calefiamini et saturemini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit vobis?* Quos Joannes quoque apostolus admonet, dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere et veritate* (*I Joan.* III, 18). Dilectio itaque nostra semper exhibenda est, et veneratione sermonis, et ministerio largitatis. Sunt vero nonnulli qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis quos per assiduitatem notitiæ didicerint miserentur, apud quos nimirum plus familiaritas quam natura valet, dum quibusdam necessaria non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur; sed apud piam mentem plus natura valet quam notitia. Nam et unusquisque qui indiget eo ipso quo homo est etiam incognitus non est.

Cap. IV. — *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 26).

(Homil. 26, in Evang., n. 9.) Ille credit qui exercet operando quod credit. Quo contra de his qui fidem nomine tenus retinent Paulus dicit: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Hinc per Joannem dicitur: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II, 4). Hinc Jacobus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Hinc ad beatum Job de antiquo hoste generis humani Dominus dicit: *Absorbebit fluvium et non mirabitur; et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus* (*Job.* XL, 18). Quis est enim per fluvium designatus nisi humani generis fluxus? Quod videlicet genus ab ortu ad finem defluit, et quasi aquæ more usque ad competentem terminum ex carnis liquore percurrit. Quid per Jordanem, nisi baptizatorum forma signatur? Quia enim Jordanis flumine ipse auctor Redemptionis nostræ baptizari dignatus est, recte Jordanis nomine eorum multitudo exprimitur qui intra sacramentum baptismatis tenentur. Antiquus igitur hostis generis humani fluvium absorbuit, quoniam ab origine mundi usque ad Redemptoris adventum, vix paucis electis evadentibus, in ventrem suæ malitiæ genus humanum traxit. De quo recte dicitur: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur* (*Ibid.*); quia pro magno non habet, cum infideles rapit. Sed grave est valde quod subditur: *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus*, quia postquam infideles quosque a mundi origine rapuit, adhuc se posse decipere et fideles præsumit. Nam ore pestiferæ persuasionis eos quotidie devorat in quibus a confessione fidei reproba vita discordat. Qui ergo ea quæ recta sunt recondita per fidem intelligit, sed tamen opera fidei tenere contemnit, incredulitatis redarguitur, quoniam ab eo quod se ostendit credere vivendo reprobat.

Cap. V. — *Quæ desursum est sapientia, primum pudica est* (*Jac.* III, XVII).

(Regul. past. partor. III, cap. 22.) Sæpe dum quosdam scientia major erigit, a cæterorum societate disjungit, et quasi quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiscunt. Quibus recte per Jacobum dicitur: *Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversum veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica.* Pudica videlicet, quia caste intelligit; pacifica vero, quia per elationem se minime a proximorum societate disjungit.

Cap. VI. — *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis* (*Jac.* IV, 3).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 25.) In Scriptura sacra dici pauperes humiles solent, quia illi sunt veraciter pauperes qui non sunt inflati superbiæ spiritu; quos aperte Veritas exprimit, cum dicit: *Pauperes spiritu* (*Matth.* V, 3). Et procul dubio oportet ut eis incunctanter detur quidquid ab eis quod humilitate requiritur, id est quod non ex desiderio sed ex necessitate postulatur. Nam valde superbire est extra metas inopiæ aliquid desiderare. Unde et superbe petentibus Jacobi voce dicitur: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Cap. VII. — *Vita nostra vapor est, ad modicum parens* (*Jac.* IV, 15).

(In exposit. B. Job, lib. VII, n. 45.) Sancti viri, quia brevitatem hujus vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt; et tanto se solidius mansuris præparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: *Pusillum adhuc, et non erit peccator* (*Psal.* XXXVI, 10). Hinc iterum dicit: *Homo sicut fenum dies ejus* (*Psal.* CII, 17). Hinc Isaias ait: *Omnis caro fenum, et gloria ejus sicut flos feni* (*Isa.* XL, 6). Hinc mentes præsumentium Jacobus corripit, dicens: *Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum parens.* Immensum quippe est quod sine termino sequitur, et parvum est quidquid finitur. Longum nobis videri non debet quod cursu ad occasum sui temporis tendit ut non sit, quod dum per momenta ducitur, ipsa hoc momenta sua quæ differunt impellunt, et unde teneri cernitur inde arguitur ne teneatur.

Cap. VIII. — *Quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* IV, 4).

(Homil. I, in Evang., n. 3, 5, et homil. 37, in Evang., n. 10.) Qui Deum diligunt ex mundi percussionibus et ex ejus fine gaudere debent atque hilarescere, quia videlicet eum quem amant mox inveniunt, dum transit is quem non amaverunt. Absit enim ut fidelis quisque qui Deum videre desiderat de mundi percussionibus lugeat, quem finiri eisdem suis percussionibus non ignorat. Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amicum se illius esse testatur, et per hoc inimicus Dei esse convincitur. Optandum est autem amicis Dei citius de hoc mundo pergere, et ad gaudia cœlestis patriæ quam diligunt breviore via pervenire. Quibus enim malis non mundus urgetur? Quæ nos tristitia, quæ adversitas non angustat? Quid est vita mortalis, nisi via? Et quale sit, fratres mei, perpendite, in labore viæ lassescere, et tandem eamdem viam nolle finiri? Calcari, fratres, mundus debet ac despici, qui in annis prioribus velut in juventute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, et quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus urgetur. Nolite ergo, fratres mei, diligere quem videtis diu stare non posse: præcepta apostolica in animo ponite, quibus nos admonet, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (*I Joan.* II, 15, 16). Relinquat igitur omnia qui potest; qui autem relinquere omnia non potest, lavet lacrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergat, sacris hostiis expiet. Singulariter

namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, et benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur, quoniam is qui in se surgens a mortuis, jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties hostiam ei suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Nolite ergo, fratres mei, possidere per desiderium quæ adhuc minime reliquistis per usum. Spem in solo Redemptore figite, ad æternam patriam mente transite. Si enim in hoc mundo nihil amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis.

A CAP. IX. — *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* v, 20).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 31.) Beatus Job dicit : *Benedictio perituri super me veniebat* (*Job*, XXIX, 13). Benedictio quippe perituri super eum venit, qui peccatoris interitum præveniens, eum sanctis exhortationibus a culpæ fovea reducit. Si enim magnæ mercedis est eripere carnem a morte quandoque morituram, multo majoris est meriti liberare animam a morte in cœlesti patria sine fine victuram.

EXPOSITIO SUPER I EPISTOLAM B. PETRI APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM. — *Regeneravit nos in spem vivam*, etc., *in hæreditatem incorruptibilem* (*I Petr.*, I, 4).

(In exposit. B. Job l. XXX, num. 80.) Arent corda hominum, quæ in hujus sæculi spe peritura plantata, fiduciam æternitatis non habent ; virent autem quæ illi hæreditati inhærent, de qua Petrus apostolus dicit : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam et immarcessibilem, conservatam in cœlis.* Tanto enim verius quique virentes sunt, quanto in hæreditatis immarcessibilis forte cogitationis radicem figunt. Quisquis itaque intrinsecus arere formidat, arentia extrinsecus hujus mundi desideria fugiat, et æternam patriam appetens, in æterna cordis plantatione virescat.

CAP. II. — *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 91.) Quoniam de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur : *In quem desiderant angeli prospicere*, sunt nonnulli qui nequaquam Deum videre vel angelos suspicantur, et tamen dictum per Veritatis sententiam scimus : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10). Nunquid ergo aliud Veritas, aliud prædicator insinuat Veritatis ? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur. Deum quippe angeli et vident, et videre desiderant, et intueri sitiunt, et intuentur : si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderii minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, et anxietas pœnam. Beati vero angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt, quia nunquam simul pœna et beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quoniam et Psalmista ait : *Satiabor, dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI, 13). Considerandum nobis est quia satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant, dicat Veritas : *Quia semper vident ;* dicat prædicator egregius : *Quia semper videre desiderant.* Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur ; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur, et satiantur sine fastidio, quoniam ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.

CAP. III. — *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ*, etc. (*I Petr.* I, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 5.) Malum luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Per Moysen vero, luxuria perpetrata ; per Auctorem vero munditiæ, luxuria damnatur cogitata. Hinc est enim quod discipulis primus Ecclesiæ pastor dicit : *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Lumbos enim carnis succingere est luxuriam ab effectu refrenare. Lumbos vero mentis succingere est hanc etiam a cogitatione restringere.

CAP. IV. — *Nemo vestrum patiatur quasi homicida* (*I Petr.* IV, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 41.) Sancti viri, cum persecutionem foris intusque patiuntur, non solum in Dei injuriis minime excedunt, sed neque contra ipsos adversarios contumeliosa verba jaculantur. Quod, dux bonorum, recte Petrus admonet, dicens : *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus.* Maledicus enim patitur, qui pas- B sionis suæ tempore in sui saltem injuriam persecutoris effrenatur.

CAP. V. — *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes*, etc. (*I Petr.* IV, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XXVIII, num. 22.) Unusquisque virtutes quas accepit debet aliis impartire ; et bonum quod alter habet alteri debet impendere : ut qui terrenam substantiam accepit, indigentis proximi inopiam sublevet ; qui doctrinæ gratia plenus est, ignorantis proximi tenebras verbo suæ prædicationis illustret : qui temporali potestate subnixus est, oppressos a molestiis relevet ; qui prophetiæ spiritu plenus est, a vita proximi mala imminentia, bona suadendo, declinet ; qui gratiam curationis accepit, intercessione sua salutem infirmantium pie et humiliter impendat : qui a terrenis actibus liber soli Deo vacare meruit, pro delinquentibus proximis exoret. Fit autem sæpe ut qui terrena substantia nimis occupatur, orationi quantum debet non invi- C gilet ; et fit plerumque ut is qui ad exorandum Dominum cunctis mundi oneribus exutus vacat, sustentationem vivendi non habeat. Dives igitur alimentum et vestimentum pauperi porrigat, et pauper orationem suam animæ divitis impendat. Alius mihi verbum prædicationis exhibet, et lumine veritatis ex corde meo ignorantiæ tenebras expellit ; ego autem illi, quia fortasse a mundi hujus potente opprimitur, solatium meæ defensionis impartior, et hunc de violentis manibus evello. Unde bene primus pastor admonet, dicens : *Estote prudentes, et vigilate in orationibus, ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum : hospitales invicem sine murmurationibus, unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* Sic enim Creator noster ac dispositor cuncta moderatur, ut dum singula quæque sunt omnium, interposita quadam charitatis necessitudine, fiant omnia singulorum ; et unusquis- D que sic quod non accepit in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit humiliter impendat. Hinc per Paulum dicitur : *Per charitatem servite invicem* (*Galat.* V, 13). Tunc enim nos charitas a jugo culpæ liberos reddit, cum vicissim nos nostro servitio per amorem subjicit, cum et aliena bona nostra credimus, et nostra quasi aliis sua offerentes exhibemus. Quia enim bona nostra non a nobis sunt, sed ab eo hæc accepimus a quo factum est ut essemus, tanto nobis ea non debemus retinere privata, quanto nobis ea conspicimus ab Auctore nostro ad communem utilitatem data. Unde recte Petrus in exhortatione hujus rei subdidit, dicens : *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Tunc namque bene multiformis gratia Dei dispensatur, quando acceptum donum et ejus qui hoc non habet creditur, quando propter eum cui impenditur sibi datum putatur. Unde adhuc Petrus adjecit : *Si quis loquitur, quasi*

sermones Dei : si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus (*Ibid.*). Ac si aperte dicat : Humiliter impendite bonum proximis, quia scitis vos non a vobis esse quod habetis.

Cap. VI. — *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (*I Petr.* IV, 11).

(Regul. Pastor. part. III, cap. 24.) Qui verba Dei non loquuntur humiliter, considerare debent quod per primum pastorem scriptum est : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* Qui ergo verba quæ proferunt ex propriis non habent, cur quasi de propriis tument? Iterum scriptum est : *Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur* (*II Cor.* II, 17). Ex Deo enim coram Deo loquitur qui prædicationis verbum, quoniam a Deo accepit, intelligit, et placere per illud Deo non hominibus quærit. Rursus scriptum est : *Abominatio Domini est omnis arrogans* (*Prov.* XVI, 15); quia videlicet dum in verbo Dei gloriam propriam quærit, jus dantis invadit, cumque laudi suæ postponere nequaquam metuit a quo hoc ipsum quod laudatur accepit.

Cap. VII. — *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei* (*I Petr.* IV, 17).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 35.) Ex electorum vita nunc et labore cognoscere possumus, si emendari, dum tempus est, nolumus, quanta post animadversione feriamur. Electos quippe Dei cernimus, et pia agere et crudelia multa tolerare. Electorum quippe est hic conteri, ut ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri. Electorum est hic flagella percipere, quibus servatur de æternitate gaudere. Hinc ad Joannem dicitur : *Ego quos amo arguo et castigo* (*Apoc.* III). Hinc Petrus ait : *Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei.* Ubi mox admirando subjunxit : *Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?* Hinc ergo colligitur districtus Judex quanta feriat illic districtione quos reprobat, si hic sic cruciat quos amat.

Cap. VIII. — *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* (*I Petr.* V, 1, 2).

(Regul. Pastor. part. II, cap. 7.) Nonnulli curam gregis suscipiunt, qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minime concurrunt. Quorum nimirum prædicatio plerumque despicitur, quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Regentis etenim cor doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Unde primus pastor sollicite admonet, dicens : *Seniores qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator : Pascite qui in vobis est, gregem Dei.* Qui in hoc loco utrum pastionem cordis an corporis suaderet aperuit, cum subjunxit : *Providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie* (*Ibid.*). Quibus profecto verbis pastoribus præcavetur, ne dum subjectorum inopiam satiant, se mucrone ambitionis occidant : ne cum per eos carnis subsidiis reficiuntur proximi, ipsi remaneant a cœlesti pane jejuni. Hanc pastorum sollicitudinem Paulus excitat, dicens : *Qui suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* V, 3). Unde rectori necesse est ut interiora possit infundere, innoxia cogitatione etiam exteriora providere. Sic itaque pastores erga interiora subditorum suorum studia ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant. Nam quasi jure, ut diximus, a percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si exterioris cura subsidii a pastore negligatur.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM II B. PETRI APOSTOLI.

Caput Primum. — *Ministrate in scientia abstinentiam; in abstinentia autem patientiam* (*II Petr.* I, 5).

(Regul. Pastor. part. III, cap. 19.) Abstinentes sollicite semper debent considerare ne cum gulæ vitium fugiunt, acriora his vitia quasi ex virtute generentur; ne cum carnem macerant, ad impatientiam spiritus erumpat. Unde Petrus admonet, dicens : *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam.* Mentes enim abstinentium plerumque impatientia a sinu tranquillitatis excutit. Et ideo cum dixisset : *In scientia autem abstinentiam*, protinus vigilanter adjunxit, dicens : *In abstinentia autem patientiam.* Deesse quippe abstinentibus patientiam prævidit, quæ eis ut adesset admonuit : quia nulla virtus est quod caro vincitur, si spiritus ab ira superatur.

Cap. II. — *Habemus firmiorem propheticum sermonem* (*II Petr.* I, 19).

(Lib. II in Ezech., homil. 3, num. 17; lib. I in Ezech., homil. 6, num. 1.) In constructione tabernaculi, ut argenteæ columnæ interius immobiles starent, ærei paxilli exterius fixi funes quibus ligarentur continebant : quia videlicet tanquam paxilli Patres Testamenti veteris et prophetæ, ante tempus sanctæ Ecclesiæ, id est exterius fixi fuerunt; qui columnas interius in ea stantes, id est sanctos apostolos et prædicatores funibus verborum suorum in soliditate fidei stringerent, atque ligarent, quia dum cœlestia mysteria ventura prædicant, hæc postquam ostensa sunt omnibus credibilia fecerunt, et per eorum prædicationem apostoli sancti dominicæ incarnationis mysterium firmiter et perfecte crediderunt. Unde recte quoque ipse primus apostolorum, magna scilicet veri tabernaculi columna, loquitur, dicens : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* In quibus verbis indicat, quanto ad altiora surrexit ex cacumine, ubi religata persistat in fide. Scriptura autem prophetici sermonis, in tenebris vitæ præsentis facta est nobis lucerna et lumen itineris. Unde Psalmista dicit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105). Quæ tamen lucerna prophetici sermonis jam quidem intelligentibus lucet, sed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet. Unde etiam per Psalmistam de eisdem dictis prophetarum dicitur : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII, 12), quia videlicet occulta est scientia in prophetis.

Cap. III. — *Deus peccantibus angelis non pepercit* (*II Petr.* II, 4).

(In exposit. B. Job, lib. VIII, num. 39.) Quantum ad sublimitatem cœli, hujus aeris spatium non immerito potest infernus dici. Unde cum apostatæ angeli a cœlestibus sedibus in hoc caliginoso aere sunt demersi, Petrus apostolus dicit : *Deus peccantibus angelis non pepercit, sed carceribus caliginosis inferni retrudens, tradidit in judicio cruciandos reservari.* Quantum igitur ad celsitudinem cœli, aer iste caliginosus infernus est; sic etiam, quantum ad ejusdem aeris altitudinem, terra, quæ inferius est, intelligi et infernus profundus potest. Malignus itaque spiritus de superioribus in hæc inferiora dejectus, ne ad cœlestia evolare prævaleat pœnæ suæ pondere coarctatur; hic quasi in carcere astringitur, quia tentare bonos quantum desiderat prohibetur : ut et implere mala quæ appetit nequeat, superna districtione angustatur.

Cap. IV. — *Loth aspectu et auditu justus erat* (*II Petr.* II, 7).

(In exposit. B. Job, lib. I, num. 1.) Non est valde

laudabile bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris est culpæ inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii bonum etiam inter malos exstitisse. Hinc Petrus magis Loth laudibus extulit, quia bonum inter reprobos invenit, dicens: *Et justum Loth oppressum a nefandorum injusta conversatione eripuit.* Aspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant. Qui nimirum cruciari non posset, nisi prava propinquorum opera et audiret et cerneret. Et tamen aspectu justus dicitur, quoniam iniquorum vita, non delectando justi aures atque oculos, sed feriendo tangebat. Hinc Paulus discipulis ait: *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II, 15). Hinc angelo Pergami Ecclesiæ dicitur: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam* (*Apoc.* II, 13). Hinc sancta Ecclesia sponsi voce laudatur, cum ei in amoris Cantico dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (*Cant.* II, 2). Bene ergo justus Loth inter iniquos vixisse dicitur, ut juxta Sponsi præconium inter spinas lilium crevisse monstretur.

CAP. V. — *Balaam asina corripuit* (*II Petr.* II, 16).

(Regul. pastor. part. III, cap. 12.) Magna salus est cordis molestia corporis, quæ ad cognitionem sui mentem revocat, et quæ plerumque salus abjicit infirmitatis memoria reformat, ut animus qui extra se in elationem ducitur, cui sit conditioni subditus ex percussa quam sustinet carne memoretur. Quod recte per Balaam, si tamen vocem Dei subsequi obediendo voluisset, in ipsa ejus itineris retardatione signatur. Balaam namque pervenire ad propositum tendit, sed ejus votum animal cui præsedit præpedit. Prohibitione quippe immorata asina angelum videt, quem humana mens non vidit, quia plerumque caro per molestias tarda, flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat: ita ut anxietatem spiritus in hoc mundo proficere cupientis, velut iter tendentis impediat, donec ei invisibilem, quia sibi obviat, innotescat. Unde et bene per Petrum dicitur: *Correptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum, quod in hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam* (*II Petr.* II, 15). Insanus quippe homo a subjugali muto corripitur, quando elata mens humilitatis bonum quod tenere debeat ab afflicta carne memoratur. Sed hujus correptionis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens vocem non mentem mutavit.

CAP. VI. — *Paulus secundum datam sapientiam scripsit vobis* (*II Petr.* XV, 3).

(Ezech., homil. 6, n. 9, 10, 11; in exposit. B. Job, lib. X, num. 9.) Qui vult prava agere, et tamen ad hæc cæteros tacere, ipse sibimet testis est, quia plus veritate se appetit diligi, quam contra se non vult defendi. Nemo quippe est qui ita vivat ut aliquatenus non delinquat. Ille ergo seipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi a nullo vult contra veritatem parci. Licet enim quædam justa et recta ut sunt prospiciamus, aliud sicut est comprehendimus, et aliud ignoramus. Petrus tanto fidei, tanto miraculorum fulgore claruerat, et tamen conversis gentibus, dum circumcisionis pondus imponeret, quid recte diceret curabat. Quia ergo sibi contra veritatem parci noluit, increpationem Pauli libenter accepit. Paulus quippe qui se Legi mortuum per Legem dicit, quia ut in Christo crederet hoc ei Lex ipsa præjudicavit, magno fidei succensus ardore, præcepta Legis teneri carnaliter noluit, circumcisionem in gentibus fieri vetuit. Et cum Petrus apostolus servari adhuc in circumcisione Legis consuetudinem vellet, in faciem restitit, eumque hac in re fuisse reprehensibilem dicit; et in hoc ejus studium discipulis loquens, non solum culpam sed, quod majus est, hypocrisim, id est simulationem nominat, dicens: *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat* (*Galat.* II, 11). Et paulo post: *Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi.* Idem vero apostolorum primus cum multa discipulos admoneret, et a quibusdam detrahi Pauli scriptis cognosceret, dixit: *Sicut charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ecce Paulus in Epistolis suis scribit Petrum reprehensibilem. Ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripserat admirandum. Certe enim nisi legisset Petrus Pauli Epistolas, non laudasset. Si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis dicitur invenit. Amicus ergo veritatis laudavit, etiam quod reprehensus est, atque ei et hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat sensit. Seque etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est secutor minoris sui, ut etiam in hoc præiret, quatenus qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate. Pensate ergo, fratres charissimi, in quo mentis vertice stetit qui illas Epistolas laudavit in quibus se scriptum vituperabilem invenit. Quæ illa esse tanta mansuetudo potuit, quæ quies animi, quæ soliditas mentis et imperturbatio cogitationis? Ecce a minore suo reprehenditur et reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat quod primus in apostolatum vocatus est, non quod claves regni cœlestis accepit, non quod peccata quæcunque in terra solveret essent soluta in cœlo; non quod in mari pedibus ambulavit, non quod paralyticos in Jesu nomine jubendo erexerat, non quod ægros corporis sui umbra sanaverat, non quod mentientes verbo occiderat, non quod mortuos oratione suscitabat. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona quæ acceperat quasi a memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret. Quis ergo nostrum si vel extremum aliquod signum fecisset, a minore fratre increpatus, increpationis verba patienter audiret? Nil enim signi fecimus, et si quis nos fortasse de actione nostra reprehenderit, statim intumescimus, magnos quosdam nos taciti cogitamus, virtutes nobis ad animum deducimus, etiam quas non habemus. At contra Petrus cum virtutibus humilis in reprehensione permansit. Sed sunt nonnulli qui non Petrum apostolorum principem, sed quemdam alium eo nomine qui a Paulo est reprehensus accipiunt; qui si Pauli apostoli studiosius verba legissent, ista non dicerent. Dicturus etenim Paulus: *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ejus restiti* (*Galat.* II, 11); ut de quo Petro loqueretur ostenderet, in ipso suæ narrationis initio præmisit, dicens: *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* (*Ibid.* 7, 8). Patet ergo de quo Petro Paulus loquitur, quem et apostolum nominat, et præfuisse Evangelio circumcisionis narrat. Et fuerunt quidam qui secundam Petri Epistolam, in qua Epistolæ Pauli sunt laudatæ dicerent ejus non fuisse. Sed si ejusdem Epistolæ verba pensare voluissent, longe aliter sentire potuissent. In ea quippe scriptum est: *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*II Petr.* I, 17). Atque subjungitur: *Et hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Legant itaque Evangelium, et protinus agnoscent quia cum vox ista de cœlo venit, Petrus apostolus cum Deo in monte stetit. Ipse ergo hanc Epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit. Charitas autem in Petro, et minis terrentium principum fortiter restitit, et in circumcisione submovenda minorum verba humiliter audivit. Charitas etiam in Paulo manus persequentium humiliter pertulit, et tamen circumcisionis negotio longe se imparis prioris sensum audenter increpavit.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM I B. JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM. — *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, etc. (*I Joan.* I, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 71.) Homines justi quamvis in hac vita ex magna justitiæ claritate resplendeant, nequaquam tamen ad purum sordibus peccatorum carent, Joanne apostolo attestante, qui dicit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Affirmat id quoque Jacobus qui astruit, dicens: *In multis enim offendimus omnes* (*Jacob.* III, 2). Propheta enim deprecatur, dicens: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLI, 2). Homines enim justi quandiu in hac carne corruptibili mortaliter vivunt, justi quidem esse possunt, sed contagio culpæ omnino carere non possunt: *Quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam: et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15).

CAP. II. — *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*, etc. (*I Joan.* II, 1).

(Lib. I, in Ezech., homil, 7, num. 24.) Necesse est ut nos qui parvuli adhuc sumus, perfectorum semper et virtutes et lacrymas ante nostræ mentis oculos ponamus. Imitemur quæ in illis aspicimus, ut dum cœperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quæ fecimus velare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia habemus Sacerdotem in cœlis, qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Joannem dicitur: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*II Joan.* II). Ecce exsultat animus, cum advocati nostri potentiam audimus, sed exsultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis advocatus est dicitur justus. Nos enim justitiæ causas habemus, justus vero advocatus injustas causas nullomodo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit. Quid igitur agimus, charissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus: mala quæ fecimus, et defleamus, et accusemus. Scriptum est: *Justus in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17). Quilibet etenim peccator conversus in fletibus jam esse justus inchoat cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit? Justus igitur advocatus noster justos nos defendet in judicio, quia nosmetipsos et cognoscimus et accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in nostris actibus, sed in advocati nostri allegatione confidamus.

CAP. III. — *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II, 4).

(Homil. 29, in Evang., n. 3.) Vera fides est quæ in hoc quod verbis dicit moribus non contradicit. Hinc est quod quibusdam falsis fidelibus Paulus ait: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 6). Hinc Joannes ait: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* Quod cum ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus operibus complemus. In die quippe baptismatis, omnibus nos antiqui hostis operibus et omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Itaque unusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat, et si servat post baptismum quod ante baptismum spopondit, certus jam quia fidelis est gaudeat. Sed eece quod promisit minime servavit, sed ad exercenda prava opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsus est: videamus si jam scit plangere quod erravit. Apud misericordem namque Judicem, nec ille fallax habebitur qui ad veritatem revertitur, etiam postquam mentitur, quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo judicio hoc quod erravimus abscondit.

CAP. IV. — *Nolite diligere mundum* (*I Joan.* II, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 16; lib. II in Ezech., homil. 7, n. 17.) Esse sine delectatione anima nunquam potest, nam aut infimis delectatur, aut summis. Et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori studio torpescit ad infima, quantoque acriori cura inardescit ad infima, tanto torpore damnabili frigescit a summis: utraque enim simul et æqualiter amari non possunt. Unde Joannes apostolus sciens inter spinas amorum sæcularium superuæ charitatis messem germinare non posse, priusquam æterni amoris semina proferat, de cordibus audientium sancta verbi manu sæcularium amorum spinas eradicat, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Qui mox rationem subdidit, quare? *Quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Ac si aperte dicat: Utrique se amores in uno corde non capiunt, nec in eo seges supernæ charitatis pullulat, in quo illam spinæ infimæ delectationis necant. Qui eamdem rationem protinus subdit, et ipsas ex hac infima delectatione nascentes enumerat punctiones, dicens: *Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II, 16). Ideo enim habere aliquid omnes, et ultra quam necesse est concupiscunt, ut habendo superbiant, et quia hoc alius non habet, se in cogitationibus extollant. Qui igitur terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur: *Nemo enim potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24), quia non valet simul transitoria et æterna diligere. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu, non in effectu possidemus.

CAP. V. — *Nunc Antichristi multi facti sunt* (*I Joan.* II, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 15.) Surgente Antichristo, iniquorum capite, in sanctæ Ecclesiæ persecutione, multi qui nunc ore sunt pii et corde sunt impii, publicata malitia, corruent, et fidem quam specietenus tenuerant perdent. Nemo autem idcirco se a tali occasu extraneum credat, quia ad illius tentationis procellam se pervenire non existimat. O quanti tentationis illius tempora non viderunt, et tamen in ejus tentationis procella versantur! Cain tempus Antichristi non vidit, et tamen membrum Antichristi per meritum fuit. Judas sævitiam persecutionis illius ignoravit, et tamen viribus crudelitatis ejus, avaritia suadente, succubuit. Simon divisus longe ab Antichristi temporibus exstitit, et tamen ejus se superbiæ miraculorum potentiam perverse appetendo conjunxit. Sic iniquum corpus suo capiti, sic membris membra junguntur; et cum in cognitione se nesciunt, ei tamen prava actione copulantur. Unde fit ut in suis operatoribus ipse iniquorum auctor Antichristus jam appareat, qui necdum venit. Hinc Joannes ait: *Filioli, novissima hora est, et sicut audistis quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt, unde scimus quia novissima hora est* (*I Joan.* II, 18). Nunc quippe Antichristi multi facti sunt, quoniam omnes iniqui jam ejus membra sunt, quæ scilicet perverse edita, caput suum male vivendo prævenerunt. Inter hæc necesse est ut unusquisque nostrum ad cordis sui secretum redeat, et actionis suæ damna pertimescat, ne meritis exigentibus per districtam justitiam judiciorum Dei in talium hominum numerum currat.

CAP. VI. — *Unctio ejus docet vos de omnibus* (*I Joan.* II, 27).

(Homil. 30, in Evang., n. 3, 8.) Nisi Spiritus sanctus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia nisi sit intus qui doceat, lingua doctoris exterius in vanum laborat. Ecce unam lo-

quentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditæ vocis percipitis. Cum ergo non sit vox dispar, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet? De hac igitur unctione sancti Spiritus per Joannem dicitur : *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Per vocem ergo non instruitur, quando mens per Spiritum sanctum non ungitur. Libet oculos fidei in virtute opificis hujus attollere, sparsimque Patres Testamenti Novi ac Veteris considerare. Ecce apertis eisdem oculis fidei David, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, et sanctus iste Spiritus qualis sit artifex considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque cytharœdum puerum, et Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, et prophetam facit. Implet abstinentem puerum, et judicem senum facit. Implet piscatorem, et prædicatorem facit. Implet persecutorem, et doctorem gentium facit. Implet publicanum, et evangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! Nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit; mox ut tetigerit mentem docet, solumque tetigisse docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat; abnegat hunc repente quod erat, exhibet repente quod non erat.

CAP. VII. — *Similes ei erimus* (*I Joan.* III, 2).

(Lib. I in Ezech., homil. 2, n. 20, 21; lib. XVIII in Job, num. 78.) Sancti omnes ut ad sanctitatis virtutem surgere valeant, ad similitudinem Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi tendunt. Sancti etenim non essent, si hujus hominis similitudinem non haberent. In tantum vero quisque sanctus ad similitudinem hujus hominis ducitur, in quantum vitam sui Redemptoris imitatur. Post hanc autem similitudinem, quæ nunc moribus tenetur, quandoque ad similitudinem gloriæ pervenietur. Hinc etenim Joannes dicit : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Qui mox unde hoc fieri valeat, adjungit, dicens : *Quoniam videbimus eum sicuti est.* Esse etenim Dei, est æternum hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur desinit esse quod fuit, et incipit esse quod non fuit. Dei vero esse est dissimiliter nunquam esse. Unde ad Moysen dicitur : *Ego sum qui sum; et dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Jacobus quoque ait : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I, 17). Itaque per Joannem dicitur : *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est :* quia per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturæ, a mutabilitate nostra liberati figimur in æternitatem. Immutabimur quippe in ipso quem videbimus, quia morte carebimus videndo vitam : mutabilitatem nostram transcendemus, videndo immutabilitatem; corruptione nulla tenebimur, videndo incorruptionem. Erit autem tunc similitudo hominis etiam in corporibus nostris. Hinc enim per Paulum dicitur : *Nostra conversatio in cœlis est; unde etiam exspectamus Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum : qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (*Philip.* V, 20). Erunt ergo tunc electorum corpora claritati dominici corporis configurata. Quæ etsi æqualitatem gloriæ ejus non habent per naturam, similitudinem tamen configurationis ejus habent per gratiam; quia utique similitudo vitæ ejus nunc in moribus trahitur electorum, et in resurrectione sequetur similitudo æternitatis in mente, quoniam videbimus eum sicuti est. Ad hoc quippe sancti omnes ad illa gaudia æterna pervenient, ut esse Deo similes possint; et tamen scriptum est : *Domine, quis similis tibi* (*Psal.* LXXXVIII, 9)? Et iterum : *Aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Unde ergo similes et unde non similes? Nisi quia et similes erunt ad imaginem, et tamen non erunt similes ad æqualitatem. Aspiciendo quippe æternitatem Dei, fit eis ut æterni sint; et dum visionis ejus donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident. Et similes ergo sunt quia beati fiunt, et tamen Creatori similes non sunt, quia creatura sunt. Et habent itaque quamdam Dei similitudinem, quia non habent finem, et tamen incircumscripti æqualitatem non habent, quia circumscriptionem habent.

CAP. VIII. — *Si cor nostrum non reprehenderit nos* (*I Joan.* III, 21).

(In exposit. B. Job, lib. X, n. 27, 28.) Sciendum est quod quisquis a præceptis dominicis discordat opere, quoties ea audit, a corde suo reprehenditur atque confunditur, quia id quod non fecerit memoratur. Nam in quo se errasse considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. Mens etiam ad spei fiduciam protinus frangitur, si intenta precibus necdum devictæ culpæ memoria mordetur. Diffidit namque accipere se posse quod appetit, quæ profecto reminiscitur nolle se adhuc facere quod divinitus audivit. Hinc per Joannem dicitur : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus ab eo, accipiemus* (*I Joan.* XXXI, 21). Hinc Salomon ait : *Qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII, 9). Cor quippe nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis ejus quem postulat meminit, et oratio fit exsecrabilis, cum a censura avertitur legis, quia dignum profecto est ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus. Qua in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat quod erravit, quatenus erroris macula cum fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur; et tunc, sicut Joannes dicit : *Fiduciam habentes ad Deum, quidquid petierimus ab eo, accipiemus.* Si enim id quod præcepit facimus, id quod petimus obtinebimus. Tunc quippe juxta Joannis vocem cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit. Valde namque apud Dominum utraque hæc sibi necessario congruunt, ut et oratione operatio et operatione fulciatur oratio.

CAP. IX. — *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 88.) Cum Testamenti Veteris Patres intueor, multos horum, teste ipsa sacræ elocutionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Jacob Dominum, qui ait : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII, 30). Vidit Moyses Dominum, de quo scriptum est : *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum* (*Exod.* XXXIII, 18). Ecce Testamenti Veteris Patres Deum se vidisse testati sunt, et tamen Joannes ait : *Deum nemo vidit unquam.* Quid est hoc, nisi quod patenter datur intelligi quia quandiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest, ut anima gratia Spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiæ non pertingat. Hinc est enim quod Jacob, qui Deum se vidisse testatur, hunc nonnisi in angelo vidit. Hinc est quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, sicut homo loqui solet cum amico suo, ei inter ipsa verba suæ locutionis dicit : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te* (*Ibid.*). Certe enim, si Deus non erat cum quo loquebatur, Ostende mihi Deum diceret, et non, Ostende temetipsum. Si autem et Deus erat, cum quo facie ad faciem loquebatur, cur se petebat videre quem videbat? Sed ex hac ejus petitione colligitur quia eum sitiebat per incircumscriptæ naturæ suæ claritatem cernere, quem jam cœperat per quasdam imagines videre : ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset, quatenus ad æternitatis

visionem nulla imago creata corporaliter interesset. Et viderunt ergo Patres Veteris Testamenti Dominum, et tamen juxta Joannis vocem Deum nemo vidit unquam, quia in hac mortali carne consistentibus, et videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, et videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin vero a quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viventibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine, æterna Dei claritas videri, hoc quoque a beati Joannis sententia non abhorret, qui ait : *Deum nemo vidit unquam ;* quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eum videt, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest amplecti Deum simul et sæculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel affectu operis, ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. Unde ad eumdem quoque Moysen dicitur : *Non enim videbit me homo, et vivet* (*Ibid.*). Ac si aperte diceretur : Nullus unquam Deum videt spiritualiter, et mundo vivit carnaliter.

CAP. X. — *Qui non diligit fratrem suum, quem videt quomodo diliget Deum*, etc. (*I Joan.* IV, 20).

(In exposit. B. Job, lib. VII, num. 28.) Deum quem non videt quomodo potest diligere? Duo sunt præcepta charitatis : Dei amor et proximi ; per amorem Dei, amor proximi gignitur, et per amorem proximi, amor Dei nutritur. Nam qui Deum amare negligit, profecto diligere proximum nescit. Et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejusdem dilectionis gremio prius proximi charitate lactamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus : *Diliges proximum*, præmisit, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI, 5) ; ut scilicet in terra pectoris nostri prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum, quia amor Dei ex proximi amore calescit testatur Joannes, qui increpat, dicens : *Qui non diligit fratrem suum quem videt : Deum quem non videt, quomodo potest diligere ?* Quæ tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur.

CAP. XI. — *Qui diligit Deum, diligit et fratrem suum* (*I Joan.* IV, 21).

(In exposit. B. Job, lib. X, num. 8 ; lib. II in Ezech., hom. 9, num. 2.) Charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur, quæ a duobus quidem præceptis incipit, sed se ad innumera extendit. Hujus namque legis initium dilectio Dei est, ac dilectio proximi ; de qua dilectione Joannes dicit : *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Sed Dei dilectio per tria distinguitur ; quia ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine diligi Conditor jubetur. Qua in re notandum est quod divinus sermo, cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto, cum subjungit, *ex toto :* ut videlicet qui perfecte Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta derivatur, cum et per quemdam justum dicitur : *Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias* (*Tob.* IV, 16). Et per semetipsam Veritas dicit : *Quæ vultis, ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis* (*Matth.* VII, 12) ; quibus duobus, scilicet utriusque Testamenti mandatis, per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur, ut malum quod pati non vult, quisque non faciens, cesset a nocendi opere. Et rursum bonum quod sibi fieri appetit impendens, erga utilitatem proximi se exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo dum sollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur ; ne vel ad inferenda quæ non debet desideriis inquieta mens ferveat, vel erga exhibenda quæ debet otio resoluta torpescat. Nam cum cavet alteri facere quod nequaquam vult ab altero ipsa tolerare, sollicita se intentione circumspicit, ne superbia elevet, et usque ad despectum proximi animum dejiciens exaltet ; ne ambitio cogitationem laniet ; cumque hanc ad aliena appetenda dilatat, angustet ; ne cor luxuria polluat, et subjectum desideriis per illicita corrumpat ; ne ira exasperet, et usque ad proferendam contumeliam inflammet ; ne invidia mordeat, et alienis felicitatibus æmula, sua se face consumat ; ne immoderate linguam loquacitas pertrahat, eamque usque ad lasciviam obtrectationis extendat ; ne odium malitia excitet, et os usque ad jaculum maledictionis irritet. Et rursum, cum cogitat ut ea alteri faciat quæ ipsa sibi fieri ex altero exspectat, pensat nimirum ut malis bona, et bonis meliora respondeat ; ut erga procaces mansuetudinem longanimitatis exhibeat, ut malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat, ut discordes pace uniat, et concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat, ut indigentibus necessaria tribuat, ut errantibus viam rectitudinis ostendat, ut afflictos verbo et compassione mulceat, ut accensos in hujus mundi desideriis increpatione restringat, ut minas potentium ratiocinatione mitiget, ut oppressorum angustias quanta prævaleat ope levet, ut foris resistentibus opponat patientiam, ut intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam, ut erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet quatenus a justitiæ studio non enervet, sic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis limitem fervendo transcendat ; ut ingratos beneficiis ad amorem Dei provocet, ut gratos quosque ministeriis in amore servet, ut proximorum mala cum corrigere non valet taceat, et cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat ; ut sic ea quæ tacet toleret ne tamen in animo virus doloris occultet, ut sic malevolis munus benignitatis exhibeat ne tamen per gratiam a jure rectitudinis excedat, ut cuncta proximis quæ prævalet impendat, sed hæc impendendo non timeat ; ut sic in bonis quæ exhibet tumoris præcipitium paveat, ne tamen a boni exercitio torpescat ; ut sic quæ possidet tribuat, quatenus quanta sit largitas remunerantis attendat ; ne cum terrena largitur, suam plusquam necesse est inopiam cogitet, et in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret. Charitas igitur si mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Est itaque in dilectione Dei necessario tenenda fides et vita ; in dilectione vero proximi debet summopere patientia et benignitas custodiri. Est enim in dilectione Dei necessaria fides et vita, quia videlicet scriptum est : *Fides sine operibus mortua est* (*Jacob* II, 26) ; probatio ergo dilectionis exhibitio est operis. Hinc Joannes in epistola sua dicit : *Qui dicit, quia diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* IV, 20, 4). Vere enim diligimus, si ad mandata ejus nos a nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua voluptate contradicit. Est autem in dilectione proximi nobis patientia et benignitas conservanda, quia de eadem dilectione scriptum est : *Charitas patiens est, benigna est* (*I Cor.* XIII, 4) ; patiens scilicet, ut illata a proximis mala æquanimiter portet ; benigna autem, ut sua bona proximis desiderabiliter impendat.

CAP. XII. — *Est peccatum ad mortem* (*I Joan.* V, 16).

(In exp. B. Job, l. XVI, num. 82 ; lib. II, in Ezech., hom. 9, num. 3.) Peccatum illud usque ad inferos ducit quod ante finem vitæ præsentis per correptionem et pœnitentiam non emendatur ; de quo videlicet peccato per Joannem dicitur : *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Peccatum namque ad mortem est peccatum usque ad mortem ; quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur. Hoc autem inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est mala facere, delictum vero bona derelinquere quæ summopere sunt tenenda. Vel certe peccatum est in opere, delictum in cogitatione.

EXPOSITIO SUPER EPISTOLAM III B. JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM. — *Nos ergo suscipere debemus ejusmodi, ut cooperatores simus veritatis* (*III Joan.* I, 7).

(Homil. 20, in Evang., n. 12.) Sæculares viri intra sanctam Ecclesiam quamvis spiritualium virtutum dona non habent, dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos sua largitate sustentant, in spiritualibus eorum donis cooperatores fiunt; hoc ante Dei oculos exhibentes, quod adjuvant. Hinc est enim quod de quibusdam peregrinantibus fratribus, Gaio per Joannem dicitur: *Pro nomine enim Christi profecti sunt, nihil accipientes a gentilibus. Nos ergo debemus suscipere ejusmodi, ut cooperatores simus veritatis.* Qui enim spiritualia dona habentibus, temporalia subsidia tribuit, in ipsis donis spiritualibus cooperator existit. Nam cum pauci sunt qui spiritualia dona percipiunt, et multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites pauperum virtutibus inserunt quo eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis solatiantur.

CAP. II.—*Diotrephes non recipit nos* (*III Joan.* I, 9).

(Lib. I, in Ezech., homil. 9, num. 17, 18.) Magna indiget inquisitione, cum recti viam operis tenemus, utrum semper debeamus derogantium verba despicere, an certe aliquando compescere. De qua re sciendum est quia linguas detrahentium, sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. Aliquando etiam compescere, ne, dum de nobis mala disseminant, A eorum qui audire nos ad bona poterant, innocentium corda corrumpant. Hinc est enim quod Joannes obtrectatoris sui linguam redarguit, dicens: *Is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos.* Hinc Paulus detrahentibus Corinthiis loquitur, dicens: *Epistolæ*, inquiunt, *graves sunt, et fortes, præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis. Hoc cogitet, qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales sumus præsentes in opere* (*II Cor.* x, 10). Hi enim quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne prædicationem eorum non audiant, qui audire poterant; et in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. Sed hac in re subtili inquisitione necesse est ut semetipsum animus investiget, ne fortasse suæ laudis gloriam quærat, et animarum lucra se quærere nostra cogitatio simulet. Sæpe enim sui nominis laude animus pascitur, et quasi sub obtentu B lucrorum spiritualium, cum de se bona dici cognoverit, lætatur. Et sæpe gloriæ suæ defensione contra detrahentes irascitur, et fingit sibimet quod hoc ex eorum zelo faciat quorum corda a bono fervore detrahentis sermo perturbat. Illi ergo debent magnopere curare, ne contra eorum opinionem detrahentium verba prævaleant, qui suam conscientiam subtiliter discutientes, se in ea inveniunt de amore privatæ gloriæ nihil habere.

EXPOSITIO SUPER APOCALYPSIM B. JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM. — *Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia* (*Apoc.* I, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXIII, num. 6.) Septenario numero solet universitas designari. Unde Joannes in hac Apocalypsi septem Ecclesiis scribit. Sed per eas quid aliud quam universalem Ecclesiam intelligi voluit? Quæ nimirum universalis Ecclesia, ut plena septiformis gratiæ spiritu signaretur, Elisæus super puerum mortuum septies oscitasse describitur (*IV, Reg.* IV). Super exstinctum quippe populum Dominus veniens quasi septies oscitat, quoniam ei dona spiritus septiformis gratiæ misericorditer aspirat. Septem igitur Ecclesiis scribit apostolus Joannes, ut unam catholicam septiformis gratiæ plenam spiritu designaret. Et de Domino novimus dixisse Salomonem: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem* (*Prov.* IX, 1). Qui ut id de septem Ecclesiis dixisse innotesceret, secutus etiam sacramenta ipsa diligenter inseruit dicens: *Immolavit victimas, et miscuit vinum, et proposuit mensam.* Per septem quippe columnas omnes Ecclesias non inconvenienter accipimus, quæ unam catholicam faciunt toto terrarum orbe diffusam.

CAP. II. — *Ego Joannes fui in insula quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu Christi. Fui in spiritu in Dominica die, et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis: Quod vides, scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiceæ. Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Et conversus, vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum, similem Filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea* (*Apoc.* x, 11 *seq.*).

(In exposit. B. Job. lib. XXI, n. 5; lib. XXIV, n. 26.) Malum luxuriæ, aut cogitatione perpetratur, aut opere. Per Moysen vero luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiæ luxuria damnatur cogitata, sicut ipse dicit: *Scriptum est: Non adulterabis. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 27). Redemptor quippe noster veniens et Legis præcepta transcendens, ut ab electis suis non solum luxuriam carnis sed etiam cordis aboleret, C jussit non tantum lumbos carnis succingi, id est luxuriam ab effectu refrenari, sed etiam lumbos mentis præcepit succingi, id est hanc etiam a cogitatione restringi. Hinc est quod angelus qui Joannem in Pathmos insula relegatum alloquitur, aurea zona super mamillas cinctus esse perhibetur. Solet enim nomine auri plerumque charitas intimari. Quia ergo testamenti munditia etiam cordis luxuriam refrenat, angelus qui in eo apparuit pectore cinctus venit. Quem bene aurea zona restringit, quia quisquis supernæ patriæ civis est, non jam timore supplicii sed amore charitatis immunditiam deserit. Vel ideo ad mamillas zona aurea cinctus Joanni angelus apparuit, quia supernorum civium pectora, dum pœnali jam nequaquam timori subjecta sunt, et a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola charitate constringuntur. Zonam quippe auream circa mamillas habere est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vincula restringere.

CAP. III. — *Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe* (*Apoc.* II, 4). D

(In exposit. B. Job, lib. XIV, num. 14.) Sæpe Scriptura sacra prædicatores Ecclesiæ, pro eo quod gloriam patriæ cœlestis annuntiant, angelorum nomine solet designare. Hinc est quod Joannes septem Ecclesiis scribens, angelis Ecclesiarum loquitur, id est prædicatoribus populorum. Hinc propheta ait: *Angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII, 7).

CAP. IV. — *Scio ubi habitas, ubi sedes et satanæ.* (*Apoc.* II, 13).

(In exposit. B. Job, lib. XXI, num. 10.) Sic Dominus Deus vias omnium examinatione subtili considerat, ut in unoquoque nostrum, nec ea quæ remunerat

bona prætereat, nec mala quæ videlicet displicent sine increpatione derelinquat. Hinc est quod angelum Pergami Ecclesiæ in quibusdam Dominus laudat, et in quibusdam redarguit, dicens: *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ: et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam* (*Ibid.* v. 19). Et paulo post: *Sed habeo adversum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Hinc angelo Thyatiræ dicitur: *Novi opera tua, et charitatem, et fidem, et ministerium, et sapientiam tuam, et opera tua novissima plena prioribus; sed habeo adversum te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetem, docere et seducere servos meos, et fornicari, et manducare idolothytum.* Ecce bona memorat, nec tamen resecanda mala sine pœnitentia relaxat, quia scilicet sic singulorum vias considerat, sic gressus enumerans pensat; ut examine subtili perpendat, vel quantum ad bona quisque proficiat, vel quantum ad mala devians, suis profectibus contradicat. Incrementum quippe meritorum quod bonæ vitæ studiis augetur, plerumque mali admistione retrahitur; et bonum quod animus operando construit, hoc alia perpetrando pervertit.

CAP. V. — *Habes illic tenentes doctrinam Balaam* (*Apoc.* II, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 15.) Cain, et Judas, et Simon, et alii multi longe ab Antichristi temporibus exstiterunt, et tamen se ei perverse vivendo conjunxerunt. Sic iniquum corpus suo capiti, sic membris membra junguntur, cum et in cognitione se nesciunt, et tamen prava sibi actione copulantur. Neque enim Pergamus Balaam libros aut verba cognoverat, et tamen ejus nequitiam sequens, supernæ vocem increpationis audiebat: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari.* Thyatiræ quoque Ecclesiam ab Jezabel notitia, et tempora et loca dividebant; sed quia eam par vitæ reatus astrinxerat, inesse ei Jezabel dicitur, atque perversis operibus insistere, angelo attestante, qui ait: *Habeo adversum te aliqua, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Propheten, docere et seducere servos meos, et fornicari, et manducare de idolothytis* (*Vers.* 20). Ecce quia reperiri poterant qui Jezabel vitam actione reproba videlicet secuti sunt, Jezabel illic inventa memoratur: quia pravum corpus conjuncti mores unum faciunt, etiamsi hoc loca vel tempora scindunt. Unde fit ut in perversis suis imitatoribus et iniquus quisque maneat qui jam præteriit, et in suis operationibus ipse iniquorum auctor jam appareat qui necdum venit. Hinc Joannes ait: *Nunc Antichristi multi facti sunt* (*I Joan.* II, 18), quia iniqui omnes jam membra ejus sunt, quæ scilicet perverse edita caput suum male vivendo prævenerunt.

CAP. VI. — *Dabo tibi calculum candidum* (*Apoc.* II, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 4.) Videre perfecte coæternam Dei sapientiam, hoc est quod habere. Unde ad Joannem de munere vincentis dicitur: *Dabo tibi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* In hac enim vita scire aliquid, vel videre possumus, etiam quod non accipimus. Nomen vero novum in calculo scriptum est in æterno præmio notitiam Dei humanis mentibus inusitatam, quam scire non potest nisi qui acceperit, habere.

CAP. VII. — *Esto vigilans, et confirma cætera* (*Apoc.* III, 2).

(Regul. Pastor. part. III, c. 34.) Qui inchoata bona minime consummant, cauta circumspectione debent considerare, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta convellunt. Si enim quod videtur gerendum sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. Hinc Sardis Ecclesiæ ab angelo dicitur: *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant: non enim inveni opera tua plena coram Deo meo.* Quia ergo plena coram Deo ejus opera inventa non fuerant, moritura reliqua quæ etiam erant gesta prædicebat. Si enim quod mortuum in nobis est ad vitam non accenditur, hoc etiam exstinguitur quod quasi adhuc vivum tenetur. In hoc quippe mundo humana anima quasi more navis contra fluminis ictum conscendentis, uno in loco nequaquam stare permittitur, quoniam ad ima relabitur nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est pugnat. Hinc est quod per Salomonem dicitur: *Qui mollis et dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis* (*Prov.* XVIII, 9). Quia videlicet qui cœpta bona districte non exsequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur.

CAP. VIII. — *Qui vicerit, faciam illum columnam* (*Apoc.* III, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 42.) Summi prædicatores Ecclesiæ, super quos in cœlestibus crescens universa spiritualis fabricæ structura surgit, columnæ vocantur, sicut Apocalypsis Joannis testatur, dicens: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Quisquis enim in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur, ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, et utilitati sit et decori. De hujusmodi columnis loquitur Apostolus, dicens: *Petrus, et Jacobus, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi* (*Gal.* II, 9).

CAP. IX. — *Utinam frigidus esses, aut calidus* (*Apoc.* III, 15).

(Regul. Pastor. part. III, c. 34.) Qui bona incipiunt, nec ea perficiunt, debent perpendere quod tolerabilius potius esset semitam rectam illam non arripere, quam post arreptam, post tergum redire. Nisi enim retro respicerent, erga cœptum studium nullo torpore languerent. Audiant ergo quod scriptum est: *Utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Calidus quippe est qui bona studia et arripit et consummat, frigidus vero est qui consummanda nec inchoat; et sicut a frigore per teporem transitur ad calorem, ita a calore per teporem reditur ad frigus. Quisquis igitur, amisso infidelitatis frigore, sed nequaquam tepore superato exardescit ut ferveat, proculdubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit ut frigescat. Sed sicut ante teporem frigus est sub spe, ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc est in peccatis, fiduciam non amittit conversionis. Qui vero post conversionem tepuit, spem quæ potuit esse de peccatore subtraxit. Calidus ergo quisque aut frigidus esse quæritur, ne tepidus evomatur: ut videlicet aut necdum conversus adhuc de se spem conversionis præbeat, aut jam conversus in virtutibus inardescat, ne evomatur tepidus qui a calore quem proposuit torpore ad noxium frigus redit.

CAP. X. — *Dicis, Quod dives sum* (*Apoc.* III, 17).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 6.) Egestas reproborum proprie dicitur, qui dum vitiis replentur, virtutum divitiis vacuantur. Quibus sæpe contingit ut per elationis dementiam sublevati, dum ruinæ suæ damna non considerant, esse se etiam a bonis actionibus inopes non agnoscant. Unde voce angeli prædicatori Laodiceæ dicitur: *Dicis, Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo: et nescis quia tu es miser, et pauper, et cæcus, et nudus.* Quasi divitem se asserit qui se per arrogantiam extollit, sed pauper, cæcus et nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet. Cæcus, quia nec paupertatem quam patitur videt. Nudus, quia primam stolam perdidit; sed pejus, quia se nec perdidisse cognoscit.

CAP. XI. — *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum* (*Apoc.* III, 18).

(In exposit. B. Job, lib. IV, num. 61.) Per aurum sapientia intelligitur, de qua per Salomonem dicitur:

Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (*Prov.* XXI, 20). Aurum nempe sapientiam vidit, quam thesaurum vocavit. Quæ recte auri appellatione signatur, quia sicut auro temporalia, ita sapientia bona æterna mercantur. Quia igitur aliquando per aurum sapientia intelligitur, prædicatori Laodiceæ ab angelo dicitur : *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum.* Aurum quippe enimus, cum accepturi sapientiam prius obedientiam præbemus : ad quem videlicet contractum nos quidam Sapiens excitat, dicens : *Concupisti sapientiam, serva mandata, et Dominus præbebit illam tibi* (*Eccli.* I, 33).

CAP. XII. — *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas* (*Apoc.* III, 18).

(Regul. Pastor. part. I, c. 11.) Lippus est cujus ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc vitæ carnalis operatio prava obscurat : sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Cui bene per angelum dicitur : *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Collyrio quippe ut videamus oculos inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adjuvamus.

CAP. XIII. — *Ego quos amo arguo et castigo* (*Apoc.* III, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 35.) Omnis divina percussio, aut purgatio in nobis est vitæ præsentis, aut initium pœnæ sequentis. De his qui ex flagello proficiunt Dominus ipse voce angeli ad Joannem ait : *Ego quos amo redarguo et castigo*, sicut alibi dicitur : *Quem diligit Deus, castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). E contra de flagello damnationis per Jeremiam Dominus dicit, dum incorrigibiliter delinquentes populos videt, quos non jam sub disciplina filios, sed sub districta percussione hostes intuetur : *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli* (*Jerem.* XXX, 14). Hos enim damnant flagella, et non liberant : his flagella, ab hac vita inchoant, et in æterna percussione perdurant. Unde per Moysen Dominus dicit : *Ignis exarcit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum* (*Deut.* XXXII, 22). Quantum ad præsentem etenim percussionem spectat, recte dicitur : *ignis exarsit ab ira mea ;* quantum ad æternam damnationem, apte mox subditur : *Et ardebit usque ad inferos deorsum ;* licet a quibusdam dici soleat illud quod, juxta septuaginta Interpretes, in Naum propheta scriptum est : *Non vindicabit Deus bis in idipsum* (*Naum.* I, 9). Qui tamen hoc quod per Jeremiam prophetam de iniquis dicitur non attendunt : *Et duplici contritione contere eos* (*Jerem.* XVII, 18), et id quod alibi scriptum est : *Jesus populum de terra Ægypti salvans : secundo eos qui non crediderunt perdidit* (*Judæ* V). Quibus tamen si consensum præbemus, quamlibet culpam bis feriri non posse, hoc ex peccato percussis et in peccato suo morientibus debet æstimari : quoniam eorum percussio hic cœpta, illic perficitur ; ut incorrectis unum flagellum sit quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur, quatenus eis qui omnino corrigi renuunt jam præsentium flagellorum percussio sequentium sit initium tormentorum. Unde hoc semper electi prævident, ut ante ad justitiam redeant quam sese ira Judicis inexstinguibiliter accendat ; ne ultimo flagello deprehensi, simul eis finiatur vita cum culpa. Flagellum namque tunc diluet culpam, cum mutaverit vitam ; nam cujus mores non mutat, non expiat actiones.

CAP. XIV. — *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum* (*Apoc.* III, 21).

(In exposit. B. Job, lib. XXVI, num. 53.) Sancti viri qui nunc juste et irreprehensibiliter vivunt, in futuro judicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodicensi Ecclesiæ Dominus dicit : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Vincens Dominus in throno cum Patre se sedisse asserit, quia post passionis certamina, post resurrectionis palmam, clarius se omnibus quod potestati Patris esset æqualis indicavit, eique se non disparem calcato mortis aculeo innotuit. Unde et Mariæ necdum se credenti se Patris similem dicit : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* XX, 17). Nobis in throno Filii sedere est ejusdem Filii potestate judicare. Quia enim judicii principatum ex ejus virtute percipimus, velut in ejus throno residemus. Nec abhorret a vero quod alibi super duodecim thronos sessuros testatur esse discipulos : hic autem in throno suo perhibet esse sessuros. Per thronos quippe duodecim, universale judicium ; per thronum vero filii, singulare culmen judiciariæ potestatis ostenditur. Hoc ergo duodecim thronis quod uno throno filii designatur, quia videlicet universale judicium ex nostri Mediatoris interventione percipitur.

CAP. XV. — *Et ecce sedes posita erat in cœlo : et supra sedem sedens. Et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro* (*Apoc.* IV, 2 seq.).

(In exposit. B. Job, lib. XXXI, num. 94.) Ezechiel propheta, dum sub animalium specie quatuor evangelistas se vidisse describeret, in eis sibi hominis, leonis, bovis et aquilæ faciem apparuisse testatur. Cui nimirum propheticæ sententiæ ipse Joannes quoque in hac revelatione sua non dissonat, dicens : *Animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem hominis, quartum animal simile aquilæ volanti* (*Ibid.* V. 7). Hæc quatuor animalia singula ad unumquemque evangelistam recte conveniunt, dum alius humanæ nativitatis ordinem, alius per mundi sacrificii mactationem, quasi vituli mortem, alius potestatis fortitudinem quasi leonis clamorem insinuat, alius nativitatem verbi intuens, quasi solem ortum aquila aspectat. In Scriptura sacra aliquando vocabulo aquilæ, vel subtilis sanctorum intelligentia, et sublimis eorum contemplatio figuratur, vel incarnatus Dominus ima celeriter transvolans, et mox summa repetens designatur ; per quartum igitur animal, id est aquilam, quæ cunctarum avium visum acie superat, ita ut solis radius fixos in se ejus oculos nulla lucis suæ coruscatione reverberans, claudat, Joannes significatur, qui volando terram deseruit, quia per subtilem intelligentiam interna mysteria Verbi videndo penetravit. Possunt præterea hæc quatuor animalia ipsum suum caput cujus sunt membra signare. Ipse namque et homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit ; et vitulus, quia pro nobis patienter occubuit ; et leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit ; et ad extremum aquila, quoniam ad cœlum, de quo venerat, rediit. Homo igitur nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cœlos ascendendo vocatus est. Possunt etiam sancti per hæc animalia designari, quoniam alius cuncta rationabiliter agendo fit homo : alius in passionibus fortis, adversa mundi non timendo fit leo ; alius per abstinentiam, semetipsum vivam hostiam offerendo fit vitulus : alius se in alta rapiendo contemplationis volatu fit aquila.

CAP. XVI. — *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas, et in circuitu, et intus plena sunt oculis* (*Apoc.* IV, 8).

(In exposit. B. Job, lib. XIX, num. 20.) Omnes sancti foris se intusque circumspiciunt, et vel reprehendendos se exterius vel iniquos se interius videri invisibiliter timent. Hinc est quod animalia quæ per Joannem videntur, in circuitu et intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti vero omnes, quia et exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla fratribus præbeant, et interiora sua vigilanter attendunt, quia sese irreprobabiles interni judicis obtutibus parant, et in circuitu oculos et intus habere perhibentur.

CAP. XVII. — *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, et venturus est* (*Apoc.* IV, 8).

(Lib. II, in Ezech., homil. 4, n. 7.) Considerandum est quod una fuit fides veterum ac novorum Patrum, et omnipotentem Deum Trinitatem esse crediderunt. Ecce Joannes in revelatione sua dicit quator animalia in cœlo clamantia : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus omnipotens.* Ut enim personarum Trinitas monstraretur; tertio Sanctus dicitur. Sed ut una esse substantiæ Trinitatis appareat, non Domini Dei, sed Dominus esse perhibetur. Quod David quoque similiter sentiens, ait : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* (*Psal.* LXVI, 8). Qui cum tertio dixisset Deus, ut unum hunc esse ostenderet, subdidit : *Et metuant eum omnes fines terræ.* Paulus quoque loquitur, dicens : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36.) Ex ipso, videlicet ex Patre. Per ipsum, per Filium. In ipso autem, in Spiritu sancto. Quem ergo ipsum tertio dixisset, manifestans adjunxit : *Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Qui enim non dixit ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit personas; et subjungendo, *ipsi gloria*, non divisit substantiam.

CAP. XVIII. — *Et cum darent illa quatuor animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum ; procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum Dei* (*Apoc.* IV, 9, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XXII, num. 20.) Sancti viri quidquid in se boni inspiciunt immortalis gratiæ donum esse cognoscunt, eique de accepto munere debitores fiunt qui et præveniendo dedit eis bonum velle quod noluerant, et subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Unde bene per Joannem dicitur : *Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Dei.* Coronas namque suas ante thronum Dei mittere est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori; ut ad illum referant gloriam laudis a quo se sciunt vires accepisse certaminis. Auctoris enim sui gratiam negare convincitur quisquis sibi tribuit quod operatur; et Deum negat, cujus despecta gratia, sibi vires boni operis arrogat. Omne autem peccatum quod ex infirmitate est spem nequaquam perdit, quoniam a superno Judice veniam requirit. Præsumptio vero virtutis propriæ tanto gravius est in desperatione, quanto longius ab humilitate. Cumque vires sibi tribuit operis, ad adjutorium non recurrit auctoris, fitque ut eo gravius peccator pereat, quo et ipsum hoc quia peccator est ignorat.

CAP. XIX. — *Et vidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem* (*Apoc.* V, 1).

(Lib. I in Ezech., homil. 9, n. 30 et 31.) Per librum qui est in dextera sedentis super thronum Scripturæ sacræ paginæ signantur, quæ profunditate sententiarum sic clauduntur, ut non facile sensu omnium penetrentur. Qui liber sacri eloquii intus scriptus est per allegoriam, foris per historiam : intus per spiritualem intellectum, foris vero per sensum litteræ simplicem, adhuc infirmantibus congruentem. Intus, quoniam invisibilia promittit : foris, quia visibilia præceptorum suorum rectitudine disponit. Intus, quia cœlestia pollicetur ; foris autem, quia terrena et contemptibilia qualiter sint vel in usu habenda vel ex desiderio fugienda præcipit. Alia namque de secretis cœlestibus loquitur, alia vero in exterioribus actionibus jubet. Et ea quidem quæ foris præcipit patent, sed illa quæ de internis narrat plane deprehendi nequeunt. Ea enim quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. De quibus tamen occultis jam partem per spiritualem intelligentiam sentimus, jam sancti Spiritus pignus accepimus, quoniam hæc et plene necdum cognovimus, et tamen medullitus amamus, et in multis spiritualibus sensibus quos jam cognovimus veritatis pabulo pascimur. Dicat ergo : *qui erat scriptus intus et foris;* quoniam in sacro eloquio dictis occultioribus atque sublimioribus fortes satiantur, et præceptis apertioribus nos parvuli nutrimur.

CAP. XX. — *Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum : quia nemo dignus inventus est aperire librum* (Apoc. V, 2).

(Dialog. lib. IV, cap. 42.) Hunc librum signatum septem sigillis postmodum per leonem de tribu Juda dicit Joannes aperiri. In quo videlicet libro quid aliud quam sacra Scriptura signatur? Quam solus Redemptor noster aperuit, qui homo factus moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria quæ in ea fuerant clausa patefecit. Et nullus in cœlo, quia neque angelus; nullus in terra, quia neque homo vivens in corpore : nullus subtus terram dignus inventus est, quia neque animæ corpore exutæ aperire nobis præter Dominum sacri eloquii secreta potuerunt. Præterea cum ad solvendum librum nullus subtus terram inventus esse dignus dicitur, quid obstet non video ut sub terra infernus esse credatur.

CAP. XXI. — *Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus* (*Apoc.* V, 5).

(Lib. II in Ezech., hom. IV, n. 19.) Sacræ Scripturæ profunditas est quasi puteus, quam nobis ad irrigationem mentis præbuit omnipotens Deus. Et ut ad intelligentiam Scripturarum perveniremus, facta est nobis via humilitas passionis Unigeniti, per quam nobis apertum est hoc quod prius latenter Scripturæ sacræ fluenta loquebantur. Nisi enim unigenitus Dei Filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis cæsus, sputis illitus, crucifixus ac mortuus fuisset, nobis hujus putei, id est sacræ Scripturæ, profunditas non pateret. Quid ergo fidelibus humilitas passionis ejus via facta est, nisi clavis apertionis, per quam mysteriorum Dei puteum invenimus, ut aquam scientiæ de profundo biberemus? Incarnationem quippe, passionem, mortem, resurrectionem et ascensionem illius, sacri eloquii paginæ loquuntur. Quæ quia facta cognovimus, jam nunc intelligimus audita. Hæc autem prius legi poterant, sed quia nondum evenerant, intelligi non valebant. Unde et per Joannem dicitur : *Vicit leo de tribu Juda aperire librum, et solvere signacula ejus.* Ipse enim librum aperuit, et signacula ejus solvit, qui nascendo, moriendo, resurgendo et ad cœlos ascendendo, Scripturæ sacræ nobis arcana patefecit.

CAP. XXII. — *Et vidi, et ecce in medio throni, et quatuor animalium, et in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum; et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo nostro in sanguine tuo* (*Apoc.* V, 6).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, num. 66.) Nemo judicet indignum incarnatum Dominum posse per agnum figurari, cum constet omnibus quia, per significationem quamdam, in Scriptura sacra et vermis et scarabeus ponitur ; sic enim Scriptum est : *Ego autem sum vermis, et non homo* (*Psal.* XXI, 7). Vel sicut apud septuaginta Interpretes per prophetam dicitur : *Scarabeus de ligno clamavit* (*Habac.* II, 2).

Cum ergo nominatis rebus tam abjectis et vilibus figuratur, quid de illo contumeliose dicitur de quo constat quod proprie nil dicatur? Vocatur itaque agnus, sed propter innocentiam; vocatur leo, sed propter potentiam: aliquando etiam serpenti comparatur, sed propter mortem vel sapientiam; atque de eo per hæc omnia dici figuraliter potest, quia de his omnibus credi aliquid essentialiter non potest. Si enim unum horum quodlibet essentialiter existeret, alterum jam dici non posset. Nam si agnus proprie diceretur, leo jam vocari non posset; si leo proprie diceretur, serpente signari non posset. Sed hæc in illo omnia dicimus tanto latius in figura, quanto longius ab essentia.

CAP. XXIII. — *Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum, et erat numerus eorum millia millium, voce magna dicentium: Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem* (*Apoc.* v, 11).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 8 et 10.) Aliter loquitur Deus ad angelos, et aliter angeli ad Deum. Deus Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima vivendo manifestatur. Angeli autem loquuntur Domino, cum per hoc quod super semetipsos respiciunt in motum admirationis surgunt, loquuntur ad Deum, sicut per Joannem dicitur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam.* Vox namque angelorum est in laude Conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis: virtutis divinæ miracula obstupuisse dixisse est quoniam excitatus cum reverentia motus cordis magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis. Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format.

CAP. XXIV. — *Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Domini, et propter testimonium quod habebant, et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine, sanctus et verus non judicas, et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra* (*Apoc.* VI, 9)?

(In exposit. B. Job., lib. II, num. 11.) Aliter Deus ad animas sanctorum, aliter animæ sanctorum loquuntur ad Deum. Quid est enim animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii et resurrectionem exstinctorum corporum desiderare? Magnus quippe clamor earum magnum est desiderium. Tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat; et tanto majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: *Desiderium cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* IX, 17): sed cum aliter moveri soleat mens quæ petit, aliter quæ petitur, et sanctorum animæ in interni secreti sinu Deo inhæreant, ut inhærendo requiescant, quomodo dicuntur petere quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo dicuntur vindictam desiderare quas et voluntatem Dei certum est et ea quæ futura sunt non ignorare? Sed in ipso positæ, ab ipso aliquid petere dicuntur, non quod quidquam desiderent quod ab ejus quem cernunt voluntate discordat, sed quo Deo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, ut ab ipso petant quod eum facere velle noverunt. De ipso ergo bibunt quod ab ipso sitiunt, et modo nobis adhuc incomprehensibili in hoc quod petendo esuriunt præsciendo satiantur. Discordarent igitur a voluntate Conditoris, si quæ vident eum velle non peterent, eique minus inhærerent, si volentem dare desiderio pigriori pulsarent.

CAP. XXV. — *Et datæ sunt illis stolæ albæ* (*Apoc.* VI, 11).

(In exposit. B. Job, lib. II, n. 11, et lib. XXXV, num. 25.) Joannes qui in revelatione sua ante resurrectionem corporum clamantes sanctorum animas vidit, eas accepisse stolas singulas aspexit; ante resurrectionem quippe sancti stolas singulas accepisse dicuntur, qui sola adhuc animarum et mentis beatitudine perfruuntur. In fine vero mundi binas accepturi sunt quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt; et cum animarum perfecto gaudio etiam corporum incorruptione vestientur. Unde bene per prophetam dicitur: *In terra sua duplicia possidebunt* (*Isa.* LXI, 7). Sancti quippe in terra viventium duplicia possident, qui nimirum beatitudine mentis simul et corporis gaudent, et non solum animarum gaudium, sed etiam beatitudinem habebunt corporum.

CAP. XXVI. — *Et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus conservorum et fratrum eorum* (*Apoc.* VI, 11).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 11.) Desiderantibus animabus requiescite adhuc modicum dicere, est inter ardorem desiderii ex ipsa præsentia solatium consolationis aspirare, ut et animarum vox sit hoc quod amantes desiderant, et respondentis Dei sermo sit hoc quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo ejus est ut collectionem fratrum exspectare debeant eorum mentibus libenter exspectandi moras infundere; et cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum augmento fratrum gratulentur.

CAP. XXVII. — *Et cum aperuisset sigillum sextum, ecce terræ radius factus est magnus: et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus* (*Apoc.* VI, 12).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 8.) Aliquando in sacro eloquio solis nomine prædicatoris claritas designatur. In extremo qnippe tempore sol quasi saccus cilicinus ostenditur, quia fulgens vita prædicantium ante reproborum oculos aspera et despecta monstratur.

CAP. XXVIII. — *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et linguis, et populis, stantes ante thronum, et in conspectu agni amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum* (*Apoc.* VII, 9).

(Lib. II, in Ezech., homil. 5, n. 22.) Quid per palmas nisi præmia victoriæ designantur? Ipsæ quippe dari vincentibus solent. Illos itaque qui in certamine martyrii antiquum hostem vicerant, et victores in patria gaudebant, palmas in manibus habere, est victorias in operatione tenuisse. Cujus operationis palma ibi retribuetur ubi jam sine certamine gaudetur.

CAP. XXIX. — *Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora* (*Apoc.* VIII, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXX, n. 52, 53, et lib. II, in Ezech., homil. 3, n. 14.) Nihil prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis. Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris: omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis; et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. De hoc secreto cordis dictum est: *Factum est silentium in cœlo, quasi media hora.* Cœlum quippe est anima justi, sicut per prophetam Dominus dicit: *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* LXVI, 1). Et: *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1). Anima itaque justi,

dum ad æterna sublimia per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, et intra se Deo quoddam silentium facit. Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cœlo, quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed quia hoc silentium contemplationis, et hæc quies mentis in hac vita non potest esse perfecta, nequaquam hora integra factum in cœlo silentium dicitur, sed quasi media, ut nec media plene sentiatur, dum præmittitur *quasi*, quia mox ut se animus sublevare cœperit, et quietis intimæ lumine perfundi, redeunte motu cogitationum, stupidus de semetipso confunditur, et confusus cæcatur. Nolenti quippe animo cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, et jam sublimibus intendentem rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt. Unde scriptum est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam: et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Bene ergo factum hoc silentium non integra sed media hora describitur, quoniam hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.

CAP. XXX. — *Et vidi equos in visione, et capita eorum erant tanquam capita leonum: et tertia pars hominum occisa est igne, et sulphure et fumo, quæ procedebant de ore ipsorum. Potestas enim equorum in ore ipsorum est, et in caudis eorum* (*Apoc.* IX, 18, 19).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 46, 47). Antichristus veniens ipsas etiam summas hujus sæculi potestates obtinebit: qui duplici sæviens errore, conabitur ad se corda hominum, et missis prædicatoribus trahere, et commotis potestatibus inclinare. Prædicatio quidem ministrorum ejus facile despici ab auditoribus poterit; sed hanc ante humana judicia adjunctus potestatum sæcularium terror exaltat. Nam quos illi appetent loquendo seducere multi potentium studebunt sæviendo et affligendo terrere. Quale itaque illud persecutionis tempus apparebit, quando ad pervertendam fidelium pietatem alii verbis sæviunt, alii gladiis? Quis enim etiam infirmus Antichristi prædicatores non despiceret, si non eos per circuitum potestatum sæcularium terror muniret? Sed duplici contra eos calliditate agetur, quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicetur hoc ab aliis ferientibus imperabitur. Quæ utrorumque actio, id est potentium atque loquentium, in Apocalypsi Joannis brevi est sententia comprehensa, qua dicitur: *Potestas equorum in ore ipsorum, et in caudis erat.* Equi nomine prædicator in sacra Scriptura aliquando intelligitur. In ore itaque doctorum scientia, in cauda vero sæcularium potentia figuratur. Per caudam quippe, quæ retro est, hujus sæculi postponenda temporalitas designatur, de qua Paulus apostolus dicit: *Unum autem quæ retro sunt, oblitus; ad ea quæ ante sunt, extentus* (*Philip.* III, 13): retro est enim omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet. Istis igitur equis, id est nequissimis prædicatoribus ubique carnali impulsu currentibus, in ore et in cauda potestas est, quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea se quæ retro sunt exaltant. Et quoniam ipsi apparere despicabiles possunt, ab iniquis auditoribus suis per eos sibi reverentiam exigunt quorum patrociniis fulciuntur. Multis quippe terroribus agetur ut in perversis eorum prædicationibus, etsi non veritatis sententia, certe temporalis potentia timeatur.

CAP. XXXI.—*Et vidi alium angelum descendentem de cœlo amictum nube, et iris in capite ejus: et habebat in manu sua librum apertum* (*Apoc.* X, 1).

(Dialog. lib. IV, cap. 42.) Iste liber qui hic apertus videri legitur, paulo superius signantis sigillis septem videtur; de quo etiam beato Joanni dicitur: *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum.* In quo videlicet libro quid aliud quam sacra Scriptura signatur? Quam solus Redemptor noster aperuit, qui homo factus, moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria quæ in ea fuerant clausa patefecit.

CAP. XXXII. — *Et levavit angelus manum suam in cœlum: et juravit per viventem in sæcula sæculorum: quia tempus non erit amplius* (*Apoc.* X, 6). (In exposit. B. Job, lib. IV, num. 5.) Tempus nostræ mutabilitatis ita quandoque transiturum est, ut penitus non sit, angelo in sacro eloquio attestante, qui ait: *Per viventem in sæcula, quia tempus jam non erit.* Nam etsi Propheta dicit: *Erit tempus eorum in æternum* (*Psalm.* LXXX, 16): quia per momenta tempus deficit, nomine temporis eorum defectum vocavit, ostendens quod sine fine omnimodo defectu deficiunt hi qui a visionis intimæ consolatione separantur.

CAP. XXXIII. — *Et abii ad angelum, dicens ut daret mihi librum* (*Apoc.* X, 9).

(Lib. I, in Ezech., hom. 18, n. 3.) Et dixit mihi: *Accipe librum, et devora illum.* Scriptura sacra cibus et potus est, unde etiam per prophetam alium Dominus minatur: *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbi Domini.* Qui ergo subtracto suo eloquio, fame ac siti nos dicit atteri, quia ejus verba et cibus noster et potus sint demonstrat. Sed notandum est quod aliquando cibus, aliquando sunt potus. In rebus enim obscurioribus quæ nequeunt intelligi nisi exponantur Scriptura sacra cibus est, quia quidquid exponitur, ut intelligatur quasi manditur ut glutiatur. In rebus autem apertioribus potus est: potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo mandata bibimus, quia etiam non exposita intelligere valemus. Pro eo autem quod Joannes obscura multa et perplexa auditurus est, nequaquam ei de sacro libro dicitur: *Bibe*, sed, *devora et comede* (*Amos* VIII, 11). Ac si diceretur: Pertracta et intellige, id est prius mande et nunc degluti.

CAP. XXXIV. — *Et accepi librum de manu angeli, et devoravi illum: et erat in ore meo dulce tanquam mel* (*Apoc.* X, 10).

(Lib. I, in Ezech., homil. 10, n. 11, 12.) Librum devoramus cum verba vitæ cum aviditate sumimus. In quo devorationis verbo quid aliud quam torpor pigritiæ nostræ reprehenditur, verba Domini atque mysteria et per nosmetipsos non requirimus et dicta ab aliis audimus inviti? Librum ergo devoramus et comedimus, dum verbum Dei legimus: multi autem legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt; multi vocem prædicationis audiunt, sed post vocem vacui et jejuni recedunt, quia etsi mente intellectum sacri eloquii percipiunt, obliviscendo et non servando quæ audierint, hæc in cordis visceribus non reponunt. Legunt autem, et jejuni a lectione non sunt, qui intelligunt et reservant ea in quibus laborant. Sæpe enim quosdam vidimus tota se mente ad sacræ lectionis studium contulisse, atque inter verba dominica recognoscentes in quantis deliquerint, semetipsos in lacrymis mactare, mœrore continuo afficere, in nullis hujus mundi prosperitatibus delectari; ita ut eis vita præsens oneri, et lux ipsa fastidium fieret: vix ad colloquendum communia admittere, atque a rigore disciplinæ animum difficile relaxare, pro amore Conditoris, luctu solummodo et silentio gaudere. Hi sanctum librum devorant et comedunt, et jejuni non sunt, quia præcepta vitæ quæ sensus capere potuit memoria non amisit, sed hæc collectus in Deo animus legendo et recolendo servavit. Et fit plerumque ut tales quique ex dono gratiæ cœlestis etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo quod ipsi dulciter nutriti secus ruminant proximos suaviter pascant. De quorum profecto ore pradicatio tanto audientibus dulcis est, quanto eorum actio contraria suis prædicationibus non est, quia de propria vita sumunt quod per linguan proximo conferunt. Unde recte dicitur: *Et devoravi illum: et erat in ore meo*

dulce tanquam mel. Liber qui comeditur et devoratur dulcis in ore sicut mel factus est, quia ipsi sciunt de omnipotente Domino suaviter loqui qui didicerint hunc in cordis sui secreto veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura sacra dulcis est cujus vitæ viscera mandatis illius replentur, quoniam ei suavis est ad loquendum cui interius impressa fuerit ad vivendum. Nam sermo Dei dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Unde necesse est ut qui verbum Dei loquitur, prius studeat scire qualiter vivat, ut post ex vita colligat quæ et qualiter dicat. Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat quam exercitatio sermonis, quoniam amando cœlestia intra semetipsum prædicator legit quomodo persuadeat ut despici debeant terrena. Qui enim vitam suam interius pensat, et exemplo suo foris admonendo alios ædificat, quasi in corde linguæ calamum tingit, in eo quod manu verbi proximis exterius scribit. Inde admirabilis prædicator, cum multa discipulis exhortando dixit, quia nullam intra semetipsum de conscientia contrarietatem pertulit secutus adjunxit : *Si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me : hæc agite : et Deus pacis erit vobiscum* (*Phil.* IV, 8, 9).

CAP. XXXV. — *Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus* (*Apoc.* X, 10).

(Lib. I, in Ezech., homil. 10, n. 6.) In sacro eloquio nonnunquam venter pro mente poni consuevit. Unde Jeremias dicit : *Ventrem meum doleo* (*Jerem.* IV, 19). Ventrem quippe doluit qui mentis afflictionem sensit. Hinc etiam Veritas ait : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Sed quærendum est, cum superius de libro quem acceperat scriptum sit : *Et erat in ore meo dulce tanquam mel,* qua ratione postmodum dicitur : *Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus?* Mirum quippe est valde si dulcedo simul conveniant et amaritudo. Sed sciendum est quia cui sermo Dei in ore cordis dulcis esse cœperit, hujus proculdubio contra semetipsum anima amarescit. Quo enim in illo subtiliter discit qualiter se reprehendere debeat, eo se durius per amaritudinem pœnitentiæ castigat, quia tanto magis sibi displicet, quanto amplius in sacro libro de omnipotente Deo videt quod amet.

CAP. XXXVI. — *Et dixit mihi angelus : Oportet te iterum prophetare populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis* (*Apoc.* X, 11).

(Lib. I, in Ezech., homil. 10, n. 3.) In verbis sacri eloquii iste debet studii nostri ordo servari, ut hæc ideo cognoscamus quatenus, de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quæ fecimus, vitemus ne alia faciamus. Et cum jam ex magno usu lacrymarum de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei quæ intelligimus ad vitam quoque et alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, ut et nobis prosint, et intentione spirituali aliis conferantur. Unde bene postquam angelus dixit beato Joanni : *Accipe librum, et devora illum;* paulo post subdidit : *Oportet te prophetare populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis.* Ac si ei de sacro cibo diceretur : Comede et pasce, satiare et eructa, accipe et sparge, confortare et robora [*Text.* labora].

CAP. XXXVII. — *Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicens : Surge et metire templum Dei et altare, et adorantes in eo : atrium autem, quod foris templum est, ejice foras : et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus* (*Apoc.* XI, 1, 2).

(Lib. II, in Ezech., homil. 1, n. 14, 13, et in exposit. B. Job, lib. XXVIII, n. 15, 16.) In carne Dominus ad Ecclesiam veniens, mensuras eidem Ecclesiæ posuit, et fines ejusdem Ecclesiæ occulti judicii subtilitate distinxit; intra quos alii vocati retinentur, alii ne accedant arcentur. Sacra Scriptura calamus mensuræ est, quia in sacro Dei eloquio, quod nobis circumscriptum est, occultas esse dispensationes ejus agnoscimus. Nam per incomprehensibile ejus judicium in collectione hominum alios a suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit; alter intra mensuram electorum mittitur, et alter foris relinquitur, ut nullomodo ad electorum numerum pertinere mereatur. Sancto quippe Evangelio teste didicimus quod cuidam dicenti : *Magister, sequar te quocunque ieris,* ejusdem magistri voce responsum est : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* VIII, 19). Alii dicenti : *Domine, permitte me primum ire et sepelire patrem meum;* ejusdem Magistri voce responsum est : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem sequere me, et annuntia regnum Dei* (*Ibid.* 21). Ecce alius secuturum se promittit, et repellitur; alius relaxandum se postulat, et retinetur. Ille non suscipitur, iste nec ad horæ momentum ab obsequio relaxatur. Prædicatores quoque scientia, gente, spiritu, in alias partes mundi vocabantur, ut irent; ab aliis partibus arcebantur, ne accederent. Paulus namque apostolus cum Macedoniæ prædicare negligeret, per visum apparuit illi vir Macedo, qui diceret : *Transiens in Macedoniam, adjuva nos.* At contra sicut scriptum est : *Tentabant Apostoli ire per Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu* (*Act.* XVI, 9), Dum ergo prædicatores sancti, et vocantur ad Macedoniam, ubi fortasse pergere non cogitabant, et ab Asia prohibentur, ubi pergere desiderabant, iste occultarum mensurarum calamus illic ductus est, hinc reductus. Illic tenditur ut Macedonia intra sanctæ Ecclesiæ spatia colligatur; hinc attrahitur, ut extra fines fidei Asia relinquatur. Erant quippe tunc in ea qui colligendi non erant, quibus juxta meritum suum perditis, jam nunc Asia intra mensuras Ecclesiæ Deo largiente suscepta est. Intra has ergo mensuras sunt omnes electi, extra has omnes reprobi, etiamsi intra fidei limitem esse videantur. Unde bene sancto Joanni dicitur : *Atrium cum foris templum est, foras ejice, et ne metiaris illud.* Quid enim atrium aliud quam latitudinem significat vitæ præsentis? Et recte foris templum sunt qui designantur per atrium, atque ideo metiendi non sunt, quoniam *angusta est porta quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14); et latitudo vitæ pravorum non admittitur ad mensuras et regulas electorum.

CAP. XXXVIII. — *Et apertum est templum Domini in cœlo; et visa est arca testamenti ejus in templo ejus; et signum magnum apparuit in cœlo; et mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus* (*Apoc.* XI, 19; XII, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 25.) In Scriptura sacra cum sol figurate ponitur, aliquando Dominus per eum designatur, sicut sapientiæ libro perhibetur quod omnes impii in extremi judicii cognita sua damnatione dicturi sunt : *Erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non luxit nobis; et sol non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6). Ac si aperte dicant : Interni nobis luminis radius non refulsit. Unde et Joannes ait : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus.* In sole enim illustratio veritatis, in luna vero, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur, quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.

CAP. XXXIX. — *Et visum est aliud signum in cœlo, et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus suis septem diademata : et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram* (*Apoc.* XII, 3, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXXII, num. 25; lib. IV, num. 17; lib. XXXII, in Job, num. 25.) Hoc de Antichristo sub draconis specie dicitur. Cœlum enim est

Ecclesia quæ in hac nocte præsentis vitæ, dum innumeras in se sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget. In Scriptura sacra quippe stellarum nomine aliquando sanctorum justitia, quæ in hujus vitæ tenebris lucet, aliquando vero hypocritarum fictio demonstratur, qui bona quæ faciunt ad percipiendum laudes hominibus ostendunt. Si enim recte viventes stellæ non essent, nequaquam Paulus discipulis diceret : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (*Phil.* II, 15). Rursum si inter eos qui recte videntur agere quidam de actione sua retributionem favoris humani non quærerent, nequaquam stellas Joannes ruere a cœlestibus videret, dicens : *Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stellarum, et misit eas in terram.* Illa quippe Satanæ extremitas per audaciam assumpti hominis erecta quosdam, quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo, reprobos ostendit; et extrema persuasione Antichristi quidam, qui videntur lucere, rapientur. Stellas namque in terram trahere est eos qui videntur studio vitæ cœlestis inhærere ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. Stellas de cœlo in terram cadere est relicta nonnullos spe cœlestium illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare.

CAP. XL. — *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura; ut cum peperisset, filium ejus devoraret* (*Apoc.* XII, 4).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 12.) Scriptura sacra ita nonnunquam tempus præteritum futurumque permiscet, ut aliquando futuro pro præterito, aliquando vero utatur præterito pro futuro. Futuro namque pro præterito utitur, cum Joanni mulier paritura masculum qui regat gentes in virga ferrea demonstratur. Quod quia incarnato Domino veniente jam tunc factum fuerat, res gesta nuntiabatur. Rursum præterito utitur pro futuro, sicut per Psalmistam Dominus loquitur, dicens : *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea* (*Psal.* XXI, 18). Quibus videlicet verbis species dominicæ passionis quasi jam transacta describitur, sed tamen adhuc longe post futura nuntiatur.

CAP. XLI. — *Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone. Et draco pugnabat et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus* (*Apoc.* XII, 7).

(Homil. 34, in Evang., n. 8, 9.) Serpens antiquus qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. Cœlestis patriæ spiritus idcirco privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Et cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomen a ministeriis trahunt. Michael namque, quis ut Deus; Raphael vero dicitur medicina Dei. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu et nomine detur intelligi quia nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde et ille hostis antiquus qui esse Deo per superbiam similis concupivit, dicens : *In cœlum ascendam, super astra cœli exaltabo solium meum; similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13) ; dum in fine mundi in sua virtute relinquetur, extremo judicio perimendus, cum Michaele archangelo præliaturus esse perhibetur, ut qui se ad Dei similitudinem superbius extulerat, per Michaelem peremptus discat quia ad Dei similitudinem nullus per superbiam exsurgat. Raphael quoque interpretatur, ut diximus, medicina Dei; quia videlicet dum Tobiæ oculos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis ejus tenebras tersit. Qui ergo ad curandum mittitur dignum videlicet fuit ut Dei medicina vocaretur.

CAP. XLII. — *Et audivi vocem magnam dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Domini nostri, et potestas Christi ejus; quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Domini die ac nocte* (*Apoc.* XII, 10).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 15.) Astutus adversarius cum sanctum quemlibet virum inter prospera bene egisse considerat, reprobare apud Judicem per adversa festinat. Scriptura vero sacra sæpe diem pro prosperis, noctem autem pro adversis ponere consuevit. In die ergo et in nocte accusare non desinit, quia modo nos in prosperis, modo in adversis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cum prosperis male nos uti insinuat ; in nocte accusat, cum in adversis nos non habere patientiam demonstrat.

CAP. XLIII. — *Væ terræ et mari, quia ascendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* (*Apoc.* XII, 12).

(In exposit. B. Job. lib. XXXIV, num. 1.) Antiquus hostis extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur, quia tanto fit ferventior ad sævitiam, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. Considerat quippe quod juxta sit ut licentiam amittat nequissimæ libertatis, quoniam a tentandi licentia abstractus, æternis incendiis religabitur. Et quantum brevitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur : habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet, sicut de illo, voce angelica Joanni dicitur. Tunc ergo in magnæ iræ fervorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit in damnationis suæ foveam cum paucis ruat. Tunc quidquid nequiter valuerit callidius exquirit, tunc superbiæ cervicem altius erigit; et per damnatum illum quem gestat hominem, omne quod temporaliter prævalet nequiter ostendit.

CAP. XLIV. — *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia agni, et loquebatur sicut draco : et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus, et fecit signa magna, ut etiam faceret ignem de cœlo descendere in terram in conspectu hominum* (*Apoc.* XIII, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, n. 59, 61, 62.) Prædicatores Antichristi sanctitatis sibi speciem arrogabunt, sed tamen opera iniquitatis exercebunt : clari erunt per justitiæ simulationem, sed obscuri per nequitiæ perpetrationem. Horum igitur simulationis malitiam Joannes brevi descriptione comprehendit. Priorem quippe bestiam, id est Antichristum, superiori jam descriptione narraverat : post quem etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur, quia post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua agni similia, quia per hypocrisim sanctitatis eam quam in se veraciter Dominus habuit, sibi singularem inesse et sapientiam mentietur et vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infunditur, recte illic subditur : *Et loquebatur ut draco.* Ista ergo bestia, id est prædicantium multitudo, si aperte ut draco loqueretur, agno similis non appareret, sed assumpsit agni speciem, ut draconis exerceat operationem. Illo tempore complebitur quod veritatis ore per Evangelium dicitur : *Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia : ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Marc.* XIII, 22). Electi namque dum eorum signa conspicient, dum contemnentes vitam tanta ministrorum Antichristi miracula perhorrescent, quoddam dubietatis nubilum in corde patientur, quia dum se per prodigia illorum malitia elevat, in istis aliquatenus visus certior caligat. Ex prædicatorum igitur Antichristi signis et prodigiis mendacibus ad momentum dubietas in bonis mentibus generabitur, et in electorum cordibus conspectis terribilibus signis, obscura cogitatio conglobabitur. Tunc unaquæque electorum anima cogitationum suarum impetus quasi spumas undarum in olla ferventium sustinebit, quas et ignis zeli commovebit, et ipsa temporalis oppressio more

ollæ intrinsecus clausas tenebit. Unde cum Joannes hujus bestiæ signa narraret, adjunxit: *Ita ut ignem faceret de cœlo descendere.* Ignem quippe de cœlo descendere est de cœlestibus electorum animis sancti zeli flammas emanare.

Cap. XLV. — *Vidi supra Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia. Et cantabant quasi canticum novum, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia* (*Apoc.* XIV, 1).

(Regul. pastor. part. III, cap. 28.) Hoc de virginibus peccatum carnis ignorantibus per Joannem dicitur. Singulariter quippe canticum Agni cantare est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant, quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant. De hac incorruptione et carnis integritate per semetipsam Veritas dicit: *Non omnes capiunt verbum hoc* (*Matth.* XIX, 11); quod eo innotuit summum esse, quo denegavit omnium; et dum prædicit quia difficile capitur, audientibus innuit captum cum qua cautela teneatur.

Cap. XLVI. — *Vidi nubem candidam, et supra nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam* (*Apoc.* XIV, 14).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII, num. 21.) Potestas divini judicii, quia intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectatur, intus cadit. Et quia potestas superni judicii nullatenus evitatur, intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur: recte cum venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur, quia cum potenter ad omnia obviat, incidenter circumdat.

Cap. XLVII. — *Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu afficere homines et igne* (*Apoc.* XVI, 2).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIV, num. 25.) Solis nomine sapientium intellectus exprimitur: phialam videlicet in sole effundere est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut afficeret homines æstu et igne, quia dum sapientes viri cruciatibus victi, male agendi errore tanguntur illorum exemplo persuasi infirmi quique temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ namque fortium augmenta præstant perditionibus infirmorum. Quia sole acumen sapientium designatur, per comparationem quoque a Salamone dicitur: *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutatur* (*Eccl.* XXVII, 12).

Cap. XLVIII. — *Et ecce venio sicut fur* (*Apoc.* XVI, 8).

(Homil. 13, in Evang., n. 5, 6.) Ad excutiendum mentis nostræ desidiam, et ut animus ad suam suscitetur custodiam, per similitudinem in Evangelio Dominus loquitur, dicens: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, quæ hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* (*Luc.* XII, 39). Ex qua præmissa similitudine etiam exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Nesciente autem patrefamilias, fur domum perfodit, quia dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens nostræ carnis habitaculum irrumpit, et eum quem Dominus domus invenerit dormientem necat: quia cum ventura damna spiritus minime prævidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret si vigilaret, quia adventum Judicis qui occulte animam rapit præcavens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam vero ultimam Dominus noster idcirco nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Quia ergo et venturæ mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa cum venerit vincitur, si priusquam veniat semper timeatur.

Cap. XLIX. — *Beatus qui vigilat* (*Apoc.* XVI, 15).

(Homil. 13, in Evang., n. 3.) Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui servat operando quod credit. Vigilat qui a se torporis et negligentiæ tenebras repellit. Hinc enim Paulus dicit: *Evigilate, justi, et nolite peccare* (*1 Cor.* XV, 34). Hinc rursus ait: *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII, 11).

Cap. L. — *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet* (*Apoc.* XVI, 15).

(In exposit. B. Job, lib. XII, n. 9, et lib XVI, num. 63.) Sicut corpus cooperiunt vestimenta, sic animam bona protegunt opera. Vestem innocentiæ primus homo bene conditus accepit, male persuasus a serpente perdidit. Et quia concessa prius in paradiso veste innocentiæ nudamur, contra hanc nuditatem dicitur: *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Vestimenta quippe custodimus, cum innocentiæ servamus in mente; ut cum nos judicii culpa nudat, ad amissam redeuntes innocentiam pœnitentia operiat.

Cap. LI. — *Et videant turpitudinem ejus* (*Apoc.* XVI, 15).

(In exposit. B. Job, lib. II, num. 81.) Turpitudo nostra tunc cernitur, cum vita reprehensibilis ante justorum oculos in judicio nequaquam subsequentis boni operis tegmine velatur. Apud Deum nostrum nostra nos opera quasi vestimenta tegunt.

Cap. LII. — *Quantum glorificavit se Babylon, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum* (*Apoc.* XVIII, 7).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 98.) Nequaquam omnipotens Deus qui mala bene punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit, quoniam ipsa quoque supplicia, quæ ex lance justitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis et retributio sequetur ultionis, sicut supra dictum in damnatione Babylonis? Si igitur juxta modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum quod in suppliciis ordo servatur.

Cap. LIII. — *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt* (*Apoc.* XIX, 9).

(Homil. 24, in Evang., n. 6, et homil. 36.) Per hanc cœnam nuptiarum Agni æternum et ultimum convivium designatur, ad quod quisquis semel intraverit, amplius non exibit. Idcirco autem hoc ultimum convivium Dei non prandium, sed cœna vocatur, quia post prandium cœna, post cœnam vero nullum convivium restat. Et quia æternum Dei convivium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit ut hoc non prandium, sed cœna vocaretur. Idcirco ergo Joannes non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei convivium cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, non ad Agni prandium, sed ad cœnam vocantur. Illo ergo ultimo convivio de præsentia veritatis epulabuntur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos mundi hujus amor non ligat; quibus etsi utcunque per tentamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit. Illos tunc interna refectio reparabit, quia nunc pleni septiformi gratia in amore Spiritus anhelant. Hujus ergo, fratres, Spiritus repleri præsentia desideremus, quia si hoc Spiritu pleni fuerimus, ad illud convivium pervenire valebimus. Quisquis namque ille est quem nunc Spiritus

sanctus non reparat, profecto ab illa æterni convivii refectione jejunat.

CAP. LIV. — *Et vidi cœlum apertum : et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis* (*Apoc.* x, 11, *seqq.*).

(In exposit. B. Job, lib. xxxi, num. 27.) Multitudinem sanctorum quæ in hoc martyrii bello sudaverat exercitum recte vocat. Qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora et luce justitiæ, et castimoniæ candore claruerunt. Equus quippe est unicuique animæ corpus suum, quod videlicet novit ab illicitis continentiæ freno restringere, et rursum charitatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare.

CAP. LV. — *Et habebat in vestimento suo et in femore scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc.* xix, 16).

(Lib. II in Ezech., homil. 1, n. 2.) Vestimentum Domini Jesus Christi est corpus quod sumpsit ex Virgine; nec tamen aliud ejus vestimentum est, atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos nostra sumus caro qua vestimur. Hoc autem vestimentum illius longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum, dixit : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua quasi calcantium in torculari* (*Isa.* lxiii, 2)? Per femur vero propagatio carnis est. Quia ergo per propagationem generis humani, sicut generationum ordines Matthæo vel Luca narrantibus describuntur, in hoc mundo venit ex Virgine; et per incarnationis suæ mysterium quia Rex esset et Dominus cunctis ubique gentibus indicavit; in vestimento et in femore scriptum habuit Rex regum et Dominus dominantium. Unde etenim in mundo innotuit ibi de se lectionis scientiam infixit.

CAP. LVI. — *Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni : et post hæc oportet illum solvi modico tempore* (*Apoc.* xx, 2 *seq.*)

(In exposit. B. Job, lib. iv, num. 16; lib. xxxii, num. 22.) Antiquus hostis et draco et serpens vocatur. Draco dicitur, quia nos ad nocendi malitiam inflammat, et malitiose nobis nocere appetit. Serpens dicitur, quia semper insidias molliter infundit: abyssum vero corda hominum vocat, quæ et per lapsum fluida, et per duplicitatis caliginem sunt tenebrosa. Antiquus itaque serpens catena ligatus in abyssum mittitur, quia religatus a bonorum cordibus apud reproborum mentes reclusus, eis atrocius dominatur, et potentia divinæ dispensationis astringitur, ne, inquantum nocere valet, effrenetur; ut quamvis per eos occulte sæviat, ad violentas tamen rapinas superbiæ non erumpat. Ille igitur apostata angelus, qui ita conditus fuerat ut angelorum cæteris legionibus emineret, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium angelorum dominationi substratus sit, quatenus vel nunc ad utilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, vel post ad probationem nostram eis relaxantibus totis se suis contra nos viribus solutus exerceat. Electi itaque angelorum spiritus superbum apostatam nunc in abyssi puteo clausum comprimunt, qui humiles hunc sequi noluerunt; ipsisque administrantibus disponitur, ut ad intentionem aperti certaminis destruendus funditus quandoque revocetur.

CAP. LVII. — *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima* (*Apoc.* xx, 6).

(In exposit. B. Job, lib. xiv, num. 19.) Mors peccatum est quod ab interiore vita animam occidit. Ille itaque post in carne feliciter resurgit qui, in hac vita positus, a mentis suæ morte surrexit.

CAP. LVIII. — *Et in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis* (*Apoc.* xx, 6).

(In exposit. B. Job, lib. ix, num 3.) In Scriptura sacra millenarius numerus pro universitate solet intelligi. Hinc etenim Psalmista ait : *Verbi quod mandavit in mille generationes* (*Psal.* civ, 8); cum profecto constet quod ab ipso mundi exordio, usque ad Redemptoris adventum, per evangelistam non amplius quam septuaginta et septem propagines numerentur. Quid igitur in millenario numero nisi ad proferendum novam sobolem perfecta universitas præscitæ generationis exprimitur? Hinc ergo per Joannem dicitur : *Et regnabunt cum eo mille annis*, quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ universitatis perfectione solidatur.

CAP. LIX. — *Et postquam consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo; et exibit, et seducet gentes* (*Apoc.* xx, 7).

(In exposit. B. Job, lib. xviii, num. 67; lib. xix, n. 15; lib. xviii, n. 67; lib. xxxii, num 23, 27.) Millenario numero non quantitatem temporis, sed universalitatem qua regnat Ecclesia designavit; et ipso numero universum pro perfectione sua hoc quantumlibet sit sanctæ Ecclesiæ tempus expressit. Quo peracto, draco de puteo abyssi educetur, quia diabolica malitia quæ in iniquorum subdolis occultatur cordibus tunc revelabitur, et quod modo præ timore tegitur, tunc contra Ecclesiam publice de iniquorum ore omne serpentinum virus aperietur. Nunc enim abscondit se sub blandiente lingua sæviens conscientia, et malitia calliditatis quasi quadam se tegit abysso simulationis. In fine vero mundi antiquus hostis vas proprium, illum perditum hominem ingredietur qui specialiter Antichristus nuncupatur, qui mensuras hominum transcendens, modo honóris sæcularis culmine, modo signis et prodigiis fictæ sanctitatis, in tumore potentiæ elevari permittetur. Spiritus enim illo erit qui, in sublimibus conditus, potentiam naturæ suæ non perdidit vel dejectus. Cujus virtus idcirco nunc minime ostenditur, quia dispensatione divinæ fortitudinis a bonorum cordibus religatur; et ab electis angelorum spiritibus nunc in abyssi puteo, id est in reproborum mentibus, reclusus premitur. Tempore vero Antichristi de abyssi puteo, id est de iniquorum cordibus nunc occulte sævientibus, eductus procedet; et tunc accepta potestate, contra Ecclesiam in vim apertæ persecutionis erumpet. Per semetipsam Veritas dicit : *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet* (*Matth.* xxiv, 21). Tunc enim antiquus hostis suis viribus traditus, pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos relaxabitur virtute, sicut supra scriptum est : *Post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Quem quamvis sævitia ad crudelitatem dilatet, superna tamen misericordia brevitate dierum angustabit, sicut ipsa Veritas ait : *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Quia enim et superbos nos et infirmos Dominus conspicit, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breviatos dicit : profecto ut et superbiam terreat de temporis adversitate, et infirmitatem refoveat de brevitate. Superba itaque Antichristi celsitudo super reprobas mentes hominum fastu gloriæ sæcularis erigetur, ita ut homo peccator, et tamen homo despiciens æstimari, Deum se super homines mentiatur. Unde Paulus apostolus dicit : *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus* (*II Thess.* ii, 4). Sed hæc ejus superbia districti Judicis erit adventu ferienda, sicut scriptum est : *Quem Dominus*

Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8). De hoc quoque perdito homine per Danielem dicitur : *Contra principem principum consurget, et sine manu conteretur* (*Dan.* VIII, 25); quia non angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per adventum Judicis, solo oris spiritu æterna morte ferietur. Joannes quoque in hac revelatione sua subsequitur, dicens : *Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos* (*Apoc.* XX, 9), Antichristum videlicet, et ejus ministros et prædicatores.

CAP. LX. — *Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris; ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Amen* (*Apoc.* XX, 9, 10).

(In exposit. B. Job, lib. XXXIII num. 37.) Æterno quippe Judice terribiliter apparente, astantibus legionibus angelorum, assistente cuncto ministerio cœlestium potestatum, atque electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, ista bellua crudelis et fortis in medium captiva deducetur, et cum suo corpore, id est cum reprobis omnibus, æternis gehennæ incendiis mancipabitur, cum dicetur : *Discedite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bellua electorum oculis ostendetur! quæ hoc belli tempore nimis illos terrere potuerat si videretur; sed occulto ac miro Dei consilio agitur, ut et nunc per ejus gratiam oppugnantibus non visa vincatur, et tunc ab electis victoribus jam captiva videatur. Tunc autem justi divino adjutorio quantum debitores sunt plenius recognoscunt, quando tam fortem bestiam viderint quam nunc infirmi viceruut, et in hostis sui immanitate conspiciunt quantum debeant gratiæ defensoris sui. Redeunt enim de hoc prælio tunc milites nostri, virtutum tropæa referentes; et receptis corporibus, cum jam in illo judicio regni cœlestis introitum sortiuntur, prius immanissimas vires hujus antiqui serpentis aspiciunt, ne vile æstiment quod evaserunt. Visa vero mors ejus tunc gaudium exhibet, cujus tolerata vita nunc justis quotidie in cruciatibus bellum movet.

CAP. LXI. — *Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum; a cujus conspectu fugit terra et cœlum. Et vidi mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni; et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum* (*Apoc.* XX, 12).

(In exposit. B. Job, lib. XXIV, num. 16.) Justorum debet vitam conspicere qui vult suam subtiliter deprehendere. Viva lectio est vita bonorum. Unde non immerito iidem justi in sacro eloquio libri nominantur, sicut a Joanne dicitur : *Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Liber namque vitæ est ipsa visio Judicis advenientis, in quo quasi scriptum est omne mandatum, quia quisquis eum viderit, mox, teste conscientia, quidquid non fecit intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia justorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata cœlestia opere sic expressa cernuntur. Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, quoniam in ostensa vita justorum quasi in expansione librorum legunt bonum quod agere ipsi noluerunt, atque damnantur ex eorum comparatione qui fecerunt. Ne ergo unusquisque tunc videns eos quod non fecit defleat, nunc in eis quod imitetur attendat. Illorum videlicet species quasi quædam forma nobis imitanda proponitur. Qui enim plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur quantum ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte quæ sibi minus sunt; et in illorum pulchritudine conspicit fœditatem suam quam in seipso perpeti potest et sentire non potest.

CAP. LXII. — *Et vidi cœlum novum, et terram novam; primum enim cœlum et prima terra abiit* (*Apoc.* XX, 1).

(In exposit. B. Job, lib. XVII, num. 11.) Quæri potest, cum per Salomonem dicitur : *Generatio præterit, et generatio advenit, terra vero in æternum stat,* cur beatus Joannes cœlum et terram abiisse asserit? Quod tamen facile discutimus si terra et cœlum qualiter transeant vel qualiter maneant distinguamus. Utraque namque hæc per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur : *Præterit enim figura hujus mundi* (*I Cor.* VII, 31). Hinc per semetipsam Veritas dicit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV, 35). Hinc ad Joannem angelica voce dicitur : *Erit cœlum novum, et terra nova.* Quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur. Cœlum igitur et terra transit, et erit : quoniam ab ea quam nunc habet specie per ignem tergitur, et tamen in sua semper natura servatur. Unde per Psalmistam dicitur : *Mutabis ea et mutabuntur* (*Psal.* CI, 27). Quam quidem ultimam commutationem suam ipsis nobis nunc vicissitudinibus nuntiant, quibus nostris usibus indesinenter alternant. Nam terra a sua specie hiemali ariditate deficit, humore vernali viridescit. Cœlum quotidie caligine noctis obducitur, et diurna claritate renovatur. Hinc ergo fidelis quisque colligat, et interire hæc, et tamen per innovationem refici, quæ constat nunc assidue velut ex defectu reparari.

CAP. LXIII. — *Et venit unus de septem angelis, et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Ecclesiam descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei : et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et erat structura ejus muri ex lapide jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo* (*Apoc.* XXI, 17, 18).

(In exposit. B. Job, lib. XVIII, num. 77, et lib. XXXIV, num. 26.) Appellatione auri in sacro eloquio aliquando splendor supernæ civitatis accipitur. Aurum namque ex quo civitas illa constat simile vitro dicitur, ut per aurum clara et per vitrum perspicua designetur. Auri quippe metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere, vitri vero naturæ est ut extrinsecus visum pura intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur absconditur, in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius talis exterius demonstratur, et, ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid igitur aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invicem et claritate fulgent, et puritate translucent? Quia enim omnes sancti in æterna beatitudine summa claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas sibi vicissim in alternis cordibus patet, et cum uniuscujusque vultus attenditur, simul et conscientia penetratur, hoc ipsum aurum simile vitro mundo esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam harmonia corporis. Sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc non potest esse conspicabilis sibi. Nunc autem corda nostra quandiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur. Cui scilicet luto per passionem mentis inhærere Propheta formidabat, cum diceret : *Eripe me de luto, ut non inhæream* (*Psal.* LXVIII, 15). Quod nimirum habitaculum corporum Paulus domum terrestrem nominat, dicens : *Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* V, 1). In hac itaque terrestri domo ac corruptibili carne, quousque vivimus, ipsum

ut ita dicam, corruptionis nostræ parietem mentis oculo nullatenus penetramus, et vicissim cogitationes nostras et occulta in alterutrum videre non possumus. Unde rursum per eumdem Paulum dicitur : *Quis scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est* (*I Cor.* II, 11)? Et rursum : *Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV, 5). Illa itaque civitas in qua omnes sancti tanta claritate fulgent, tanta perspicuitate translucent, quæ sua vicissim singulis corda manifestat, ex auro dicitur similis vitro mundo, ut designetur auro clara, vitro perspicua.

CAP. LXIV. — *Longitudo, et latitudo, et altitudo civitatis æqualia sunt. Et mensus est angelus muros ejus mensura hominis quæ est angeli* (*Apoc.* XXI, 16, 17).

(Lib. II in Ezech., homil. 2, num. 15.) Civitas sancta Jerusalem quam inhabitat Deus, ex angelica simul et humana natura perficitur; per hoc quod angelica creatura sursum est, et humana adhuc deorsum, potest per latitudinem et altitudinem civitatis hæc utraque creatura signari, quoniam ista adhuc in imis degit, illa vero in sublimibus permanet. Sed latitudo et altitudo æqualia sunt, quoniam humilitas hominum ad æqualitatem quandoque perducitur angelorum. Unde scriptum est : *Non nubent, neque nubentur : sed erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XXII, 30). Unde etiam per Joannem dicitur : *Mensura hominis quæ est angeli.* Quia usque ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur, in qua se solidatos angeli lætantur. Latitudo ergo civitatis tanta est quanta altitudo, quoniam electi quique qui modo laborant in imis quandoque non erunt inæquales illis spiritibus beatissimis.

CAP. LXV. — *Et ego Joannes qui audivi, et vidi hæc, postquam audissem et vidissem cecidi ad pedes angeli qui mihi hæc ostendebat, ut adorarem, et dixit mihi : Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba libri hujus* (*Apoc.* XXII, 9).

(In exposit. B. Job, lib. XXVII, num. 29.) Ante incarnationem Domini in Testamento veteri adorasse homo angelum legitur, nec tamen adorasse prohibetur; sed post Mediatoris adventum, cum se Joannes adorando angelo prostravisset, prohibetur. Quid est hoc quod prius æquanimiter concedebant adorari, post ab homine adorari angeli recusant, nisi quod prius hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec ab eisdem carnalibus corruptionibus redemptum, quo abjectiorem noverant, justius contemnebant; postmodum vero humanam naturam eo jam substratam habere non poterant, quo hanc in auctore suo etiam super semetipsos ductam videbant? Neque enim debebat jam in membris subjecta despici quæ in ipso membrorum capite meruit prælata venerari.

CAP. LXVI. — *Et dicit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus, tempus enim prope est* (*Apoc.* XXII, 10).

(In exposit. B. Job, lib. IX, num. 15; lib, XX, num. 66.) Urgente mundi fine, superna scientia proficit, et largius cum tempore excrescit. Hinc namque per Danielem dicitur : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII, 4). Hinc Joanni in priori parte revelationis angelus dicit : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua* (*Apoc.* X, 4). Cui tamen in ejusdem revelationis termino præcepit, dicens : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus.* Pars quippe revelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur, quia quidquid in sanctæ Ecclesiæ initiis latuit, quotidie finis ostendit. Signare autem dicitur, quasi signaculo claudere. Unde per beatum Job dicitur de Domino : *Qui stellas claudit quasi sub signaculo* (*Job.* IX, 9). Sicut cœlorum vel nubium nomine cœlestis vita prædicantium signatur, qui superarentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbres fundunt, de quibus per Psalmistam dicitur : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 1); sic stellarum claritate etiam ipsi prædicatores figurantur; quia dum recta peccatoribus prædicant, tenebras nostræ noctis illustrant. Unde et subtractis prædicatoribus per prophetam dicitur : *Prohibitæ sunt stellæ pluviarum* (*Jerem.* III, 3). Si autem prædicationis sermo pluvia non esset, Moyses minime dixisset : *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum* (*Deut.* XXXII, 2). Et nequaquam per Isaiam Veritas diceret : *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* V, 6). Dominus ergo sub signaculo stellas claudit, quia dum prædicatores suos per silentium intra semetipsos retinet, cæcis iniquorum sensibus cœleste lumen abscondit. Pensandum vero est quia idcirco aliquid sub sigillo claudimus, ut hoc cum tempus congruit ad medium proferamus. Hinc est quod duo illi eximii prædicatores Enoch et Elias, dilata morte, subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur. De quibus per Joannem dicitur : *Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ astantes* (*Apoc.* XI, 3). Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum quorum unum in Evangelio per semetipsam Veritas pollicetur, dicens : *Elias venturus est, et restituet omnia* (*Matth.* XVII, 11). Nam etsi ad cœlum raptus Elias esse perhibetur, mortem tamen distulit non evasit. Veniet autem restituturus omnia, quoniam ad hoc nimirum huic mundo restituetur, ut et munera prædicationis impleat, et carnis debitum solvat; sicut de ambobus, id est Enoch et Elia, Joannes subdit, dicens : *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversus illos bellum, et vincet illos, et occidet illos.* Enoch igitur et Elias quasi sub signaculo stellæ clausæ sunt, quæ et nunc occultantur ne appareant, et post ut prodesse valeant apparebunt.

CAP. LXVII. — *Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11).

(In exposit. B. Job, lib. XXV, num. 23; lib. V, num. 35). Cum omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, et humana malitia ad usum suæ iniquitatis intorquet, nimirum justo judicio augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altius quandoque cumuletur. Hinc de quibusdam Paulus apostolus dicit : *Ut impleant peccata sua semper* (*I Thess.* II, 16). Hinc David ait : *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum; et non intrent in justitiam tuam* (*Psal.* LXVIII, 28). Quia sicut scriptum est : *Dominus patiens redditor est* (*Eccli.* V, 4). Sæpe diu tolerat quos in perpetuum damnat, ut et justorum mundius vita purgetur, et ut considerantibus insinuet ad quod eos judicium servat. Nonnunquam vero concite percutit, et eorum interitu innocentium corda confirmans, innocentium pusillanimitati consolando concurrit, et etiam ostendit quoniam multa mala non deserit. Si enim nunc omnes mala agentes percuteret, extremum jam judicium quibus exhiberet? Si autem nullum omnino percuteret, quis res Deum humanas curare crederet?

CAP. LXVIII. — *Et Sponsus et sponsa dicunt : Veni. Et qui audit, dicat : Veni* (*Apoc.* XXII, 17).

(Regul. Pastor. part. III, c. 25; Matth. 25.) Omnes qui cum prædicare digne valeant, præ nimia tamen et immoderata humilitate formidantes refugiunt, divinas contra se sententias terribiliter audiant, quatenus ab eorum cordibus timorem timor expellat. Audiant quod talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. Audiant quod Paulus eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens : *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium, non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei* (*Act.* XX, 26). Audiant quod Isaias, qui a verbi Dei ministerio tacuit, illustratus superno lumine magna voce pœnitentiæ seipsum reprehendit, dicens : *Væ mihi, quia tacui* (*Isa.* VI, 5).

Audiant quod David hoc Deo pro munere obtulit, quod prædicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens : *Ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu cognovisti : justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, et salutare tuum dixi* (*Psal.* XXXIX, 10, 11). Audiant quod Sponsi colloquio ad sponsam dicitur : *Quæ habitas in hortis : amici auscultant te : fac me audire vocem tuam* (*Cant.* VIII, 13). Ecclesia quippe in hortis habitat, quæ ad viriditatem intimam exculta plantaria virtutum servat, cujus vocem amicos auscultare est electos quosque verbum prædicationis illius desiderare. Quam videlicet vocem Sponsus audire desiderat, quoniam ad prædicationem ejus per electorum suorum animas anhelat. Voce quippe angeli Joannes admonetur, dicens : *Qui audit, dicat : Veni.* Cui enim jam vox Dei vocantis efficitur in corde necesse est ut proximo per prædicationis officium erumpat in voce, et idcirco alium vocet quoniam ipse jam vocatus est. Nimirum enim cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios quo ipse rapitur debet trahere, ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat.

CAP. LXIX. — *Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina* (*Apoc.* XXII, 16).

(In exposit. B. Job, lib. XXIX, num. 75 ; lib. II, in Ezech., homil. 8, num. 5, 6, 7, 8, 10 ; homil. 4, num. 19, 20.) Conditor et Redemptor noster postquam omnia creavit, ut nos de captivitate redimeret, inter nos de stirpe David incarnatus apparuit, suaque passione a perpetua morte liberavit. Qui flagellatus, derisus, palmis cæsus, corona spinea coronatus, sputis illitus, crucifixus, mortuus et sepultus, tertia die surrexit, et resurrectionem quam in se factam ostendit, quia capitis sui gloriam sequuntur membra, nobis futuram promisit. Qui natus ex Virgine velut lucifer inter tenebras nostræ noctis apparuit, quoniam obscuritate fugata, peccati nobis æternum mane nuntiavit. Luciferum vero se innotuit, quia diluculo de morte surrexit, et fulgore sui luminis mortalitatis nostræ tetram caliginem pressit. Bene ergo per Joannem dicitur : *Stella splendida et matutina.* Vivus quippe apparens post mortem matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicavit. Primus enim nobis æternæ patriæ gloriam in sua resurrectione monstravit. *Qui surgens a mortuis jam non moritur : et mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9) ; nobisque exemplum dedit, ut ea fieri in die ultimo de nostra carne credamus, quæ facta de carne in die resurrectionis cognovimus.

Sed quia sermo nobis de carnis resurrectione se intulit, triste nimis et lugubre est valde quod quosdam in Ecclesia stare et de carnis resurrectione cognoscimus dubitare. Hanc autem antiqui Patres venturam esse certissime crediderunt, etiam cum nullum adhuc ejusdem resurrectionis exemplum tenerent. Quia igitur damnatione digni sunt qui et exemplum jam dominicæ resurrectionis acceperunt, et tamen adhuc de resurrectione diffidunt : pignus tenent, et fidem non habent ; Ecclesiam replent, sed quia de resurrectione sua dubitant, mente vacua stant : de hac per beatum Job dicitur : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra resurrecturus sum : et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt* (*Job* XIX, 25). Hinc Psalmista dicit : *Auferspiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur* (*Psal.* CIII, 29). Moxque de carnis resurrectione subjungit : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Hinc per Ezechielem prophetam dicitur : *Ossa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his : Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis : et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vos cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis* (*Ezech.* XXXVII, 4). Hinc est quod propheta alius per resurrectionem Domini genus humanum vidit in finem suscitari, atque ait : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos ; et vivemus in conspectu ejus* (*Osee* VI, 3). Hinc est quod cum de semetipso Dominus loqueretur, adjunxit : *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28). Hinc Paulus ait : *Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo* (*I Thess.* IV, 14). Qui rursus ait : *Primitiæ dormientium Christus* (*I Cor.* XV, 20). Si enim nos a mortis somno non surgimus, quomodo resurrectionem dominicam primitias habemus.

Ecce veteres et novi Patres uno sibi spiritu de carnis resurrectione concordant, ecce ipsa per se Veritas prius voce docuit quod de resurrectione carnis postmodum opere demonstravit, et tamen adhuc quorumdam infirmitas fidem non habet, etiam in domo fidei stans, sed mirari solent qualiter caro reviviscere possit ex pulvere. Mirentur igitur amplitudinem, et molem terræ, abyssos aquarum, omnia quæ in mundo sunt, ipsos quoque angelos creatos ex nihilo. Minus est valde aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo fecisse ; ipsa nobis elementa, ipse rerum species resurrectionis imaginem prædicant. Sol enim quotidie nostris oculis moritur, quotidie resurgit : stellæ quoque matutinis horis nobis occidunt, vespere resurgunt ; arbusta temporibus æstivis plena foliis et frugibus videmus, quæ hiemali tempore nuda floribus ac fructibus et quasi arida remanent, sed vernali sole redeunte, cum humor a radice surrexit, suo iterum decore vestiuntur. Cur ergo de hominibus diffiditur quod in lignis fieri videtur? sed sæpe pulverem putrescentis carnis aspiciunt et dicunt : Unde ossa et medullæ, unde caro et capilli poterunt hic reparari ? Hæc itaque requirentes, parva semina ingentium arborum videant, atque si possunt dicant ubi latet in eis tanta moles roboris, tanta diversitas ramorum, tanta multitudo et viriditas foliorum, tanta species florum, tanta ubertas saporum, atque odor fructuum ? Nunquidnam semina arborum odorem vel saporem habent quem ipsæ post arbores in suis fructibus proferunt ? Si ergo ex semine arboris quod videri non potest produci potest, cur de pulvere carnis humanæ diffiditur, quia ex eo reparari forma valeat quæ non videtur ?

Sæpe autem objicere inanem quæstiunculam solent, quia dicunt : carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo moriens ad pulverem rediit. Cum pulvis ille suscitabitur, quomodo caro hominis a lupi et leonis carne dividetur? Quibus quid respondere debemus, nisi ut prius cogitent qualiter in hunc mundum venerint et tunc inveniant qualiter resurgant? Certe tu homo qui loqueris, aliquando in matris utero spuma sanguinis fuisti. Ibi quippe ex patris semine et matris sanguine parvus ac liquidus globus eras. Dic, rogo, si nosti qualiter ille humor seminis in ossibus duruit, qualiter in medullis liquidus remansit, qualiter in nervis solidatus est, qualiter in capillis atque unguibus distinctus est : ut ita capilli molliores carnibus, et ungues essent teneriores ossibus, carnibus duriores. Si igitur tot et tanta ex uno semine et per speciem distincta sunt, et tamen in forma remanent conjuncta, quid mirum si possit omnipotens Deus in illa resurrectione mortuorum, carnem hominis distinguere a carne bestiarum, ut unus idemque pulvis et non resurgat in quantum pulvis lupi et leonis, et tamen resurgat in quantum pulvis est hominis? Vide itaque, homo, qualiter ad vitam venisti, ne quando dubites ad vitam qualiter redeas. Cur autem ratione vis comprehendere quomodo redeas qui ignoras quomodo venisti? Da potentiæ Conditoris tui quod comprehendere non vales de temetipso. Certe enim, quia tu ex terra factus es,

terra vero ex nihilo, tu es creatus ex nihilo. Ne ergo de carnis tuæ resurrectione desperes, perpende prudenter quia minus est Deo reparare quod erat quam fecisse quod non erat. Si non potes resurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende quam multa sunt quæ non intelligis qualiter sint et tamen esse non dubitas. Dic ergo, si nosti, gyrus cœli, terræ cardines, aquarum abyssus ubi finiuntur, ubi suspensi sunt? Scimus autem quia quod ex nihilo factum est pendet in nihilo, sed si est aliquid quod dicitur nihilum, jam nihilum non est. Si autem nihil est, nihilum nusquam mundi moles dependet, nec est ubi sit quod creatum est ut sit. Quomodo ergo nusquam est quod novimus quia est? Sed hæc fortasse ad te multa sunt, ad temetipsum homo revertere. Certe ex spiritu es creatus et limo : uno invisibili, altero visibili ; uno sensibili, altero insensibili. Quomodo ergo permisceri potuit in te spiritus et limus, atque ex diverso fieri res non diversa, ita ut in tanta convenientia misceretur spiritus et limus ; ut cum caro atteritur, spiritus marceat : et cum spiritus affligitur, caro contabescat? Sed forsitan necdum prævales discutere temetipsum. Perpende ergo si vales, quomodo Rubrum mare virga divisum est (*Exod.* XIV); quomodo petræ duritia percussione virgæ undas emanavit (*Num.* XX); quomodo virga Aaron sicca floruit (*Num.* XVII); quomodo ex ejus genere veniens virgo concepit, quomodo et in partu virgo permansit ; quomodo quatriduanus mortuus jussione suscitatus, ligatus manibus et pedibus de sepulcro exiit, quem postmodum solvi Dominus per discipulos jussit (*Joan.* XX); quomodo idem Redemptor noster, in carne atque ossibus resurgens, clausis ostiis ad discipulos intravit.

Ecce hæc investigare non vales, et tamen credis. Cur ergo de resurrectionis gloria disputando et discutiendo dubitas, qui tam multa mysteria sine discussione credidisti? Qui tamen si resurrectionem carnis non credis, omnia sine causa credidisti, quia et in hoc angelorum spectaculo videris quidem veliter currere, sed postquam cursum peregeris, ne bravium accipias adversaris. Unde per Paulum dicitur : *Sic currite, ut comprehendatis* (*I Cor.* IX, 24). Qui rursus ait : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (*I Cor.* XV, 19). Divinæ autem virtutis mysteria, quæ comprehendi non possunt, non intellectu sunt discutienda, sed fide veneranda. Sciendum itaque nobis est quia quidquid ratione hominis comprehendi potest, mirum esse jam non potest ; sed sola est ratio in miraculis potentia facientis. Ecce dum de resurrectione carnis loquimur, in ea tractanda paululum immorati sumus. Considerare autem libet qui nos sumus qui ista tractamus : certe ex gentibus venimus, certe patres nostri lignorum ac lapidum cultores fuerunt. Unde igitur hoc nobis ut tam profunda mysteria Scripturarum memoremus? Agamus gratias uni qui cuncta quæ de eo in sacro eloquio scripta sunt opere implevit, ut quæ intelligi audita non poterant visa panderentur. Ibi quippe incarnatio, ibi passio, ibi mors, ibi resurrectio, ibi continetur illius ascensio. Sed quis nostrum hæc audita crederet, nisi facta cognovisset? Signatum ergo librum sicut in hac Joannis Apocalypsi (*Cap.* V) legitur, quem aperire et legere nullus poterat, leo de tribu Juda aperuit : quoniam omnia ejus nobis mysteria in sua passione ac resurrectione patefecit. Et per hoc quod infirmitatis nostræ mala pertulit, suæ nobis potentiæ et claritatis bona monstravit. Caro enim factus est, ut nos spirituales faceret ; benigne inclinatus est, ut elevaret : exiit, ut introduceret : visibilis apparuit, ut invisibilia monstraret : flagella pertulit, ut sanaret : opprobria et irrisiones sustinuit, ut nos ab opprobrio æterno liberaret ; mortuus est, ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti et mortuo, et ideo amplius vivificanti quia mortuo, qui per hoc quod infirmans mala nostra sustinuit, nos qui creatura illius sumus ad fortitudinis suæ gloriam perduxit, in qua vivit et regnat cum Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

INDEX RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN PRIMA PARTE TOMI CONTINENTUR.

Numeri respondent his crassiori typo insignibus qui reperientur in textu a col. 9 *usque ad* 678.

A

Aaron interpretatur mons fortitudinis, 342. Mons fortitudinis est altitudo supernæ contemplationis, *ibid.* Huic adstat ardens charitas per Hur, id est ignem figurata, *ibid.*

Abbas præstet vita, verbo, contemplatione, 203. Christum imitetur, quo nullus durior sibi, *ibid.* Ab ipso mittatur ad animas perditas requirendas, *ibid.* Quam in regendis animabus regulam servare debeant abbates, 339. Sic debet abbas laudare communia, ut singulorum propria non contemnat, *ibid.* Sine magistri voluntate aliquid de subjecti persona faciendum non est, 377.

Abbati ordinando dantur duo panes, 236. His docetur flere peccata, non solum sua, sed etiam aliena, *ibid.*

Abdita. In abditis abscondimur, quando clausi oris silentia occulta servamus, 285.

Abel interpretatur luctus, 159. Lapis in quo Arca Dei posita fuit, Abel magnus dicebatur, *ibid.* Quo nomine Christus signatur, *ibid.* Christus nostra peccata lugendo purgavit, *ibid.*

Abjicere est aliquid longe repellere, 361. Aliquid abjicitur vel per desidiam, vel per contemptum, *ibid.* Abjectus, alius a Deo, alius a seipso. Hic humilis dicitur, 381.

Ablactatio parvulorum Ecclesiæ quæ sit, 24. Ablactati jugiter conspectui Dei sistuntur, *ibid.*

Abner interpretatur Pater meus lucerna, 337.

Abraham moralitatem tenuit per obedientiam, 401. Abraham cinerem et pulverem se dicit collocutione divina dignatus, 537. Factis Abraham futura nuntiavit, 513. Abraham ante legem fide justificatus, 564.

Absalom interpretatur pax patris, 545. Absalom Judaici populi, David Redemptoris figuram gerebat, *ibid.* Absalom persequens patrem quid significet, *ibid.*

Abscondi Sanctos, est reproba videre ipsos dediguari, 285.

Absolvere peccatores est Ecclesiæ per ministerium sacerdotum, 548.

Abstinentes quasi cum serpente pugnant, quando gulæ appetitum magna virtute deprimunt, 259. Abstinentes signantur per habitatores Jabes, 260. Eorum qui longo abstinentiæ usu carnem castigarunt, status, *ibid.*, et eorum qui remissius huic student virtuti, 261. Abstinentes, eo quod secundum carnem infirmi sunt, roborari per divinam misericordiam confidunt, *ibid.* Abstinentium victoria de hostibus castitatis debellatis describitur, 268. Quorum cibi et mensa communes sunt, debent attendere non solum bonum commune refectionis, sed etiam propriæ necessitatem passionis, 360.

Abstinentiæ probatio, castitas perfecta, 266. Vires spiritus fornicationis abstinentia minuit, 302. Abstinentiam habere non potest corporis, qui mentem non replet spiritualibus cibis, 303. Abstinentia ciborum contra vitium fornicationis fortissima est, sed sola non prævalet, 331. — Abstinentiæ sacræ fructus et dignitas, 267. Abstinentiæ et gulæ discordia, 260. Abstinentia multi

carnis motus enervantur, 267. Abstinentia fatigati ad gulam se inclinant, 261. Abstinentia cum humilitate potest fornicationem superare, 331. Abstinentiæ dedita corpora, gula præcipitare non cessat, 259.

Accaronitæ interpretantur steriles, 141, 158, 172. Gentiles designant inconvertibiles, 141. Accaronitæ accipiunt consilium ut in locum suum arca dimittatur, *ibid.* Satrapæ in Accaron redeunt, id est ad convertendos alios se convertunt, 158.

Accedere ad Deum est ejus voluntatem secreta contemplatione cognoscere, 322. Accedendi ad Deum consilium sanctissimum, *ibid.*

Accinctionis nomine quid signetur, 58. Accinctionis vocabulum angelis congruit, *ibid.* Nulla de se præsumentes, robore sui Conditoris accinguntur, *ibid.* Accingimur cum ad verbi ministerium præparamur, *ibid.* Ad ministerium sacrum accingat humilitas, 59. Tandiu accinguntur infirmi, donec sterilis mater nostra Jerusalem pariat, 60.

Accubitum suum rex Christus quando intraverit, 414.

Acediæ vitium, id est tædium cordis depellitur, si semper bona cœlestia cogitentur, 303.

Achab regis historia docet regibus non licere quidquid de jure regis a Samuele proponitur populo, 182.

Achias interpretatur umbraculum, 300. Umbraculum protectionem designat, *ibid.*

Achimaas interpretatur fratris decor, 337. Achimaas figurat Christum, *ibid.*

Achitob interpretatur frater meus bonus, 301. Ichabot frater Achitob, quid significet, *ibid.* Achitob, filius Phinees dictus, quid designet, *ibid.*

Achinoe interpretatur fratris requies, 337. Achinoe filia Achimaas quid figuret, *ibid.*

Acies. De acie fugere, quid sit Judæo, 132.

Acquiescere nolle cur scelus sit, repugnare vero cur peccatum dicatur. 362. Nolle acquiescere est persistere in obstinatione repugnationis, *ibid.*

Actionis nimia sollicitudo cavenda, 336.

Adam homo fortis conditus, sed hosti enerviter subjugatus, 6. Adam peccatum suum non imputando sibi, damnationis sententiam ad posteros transmisit, 474. Adamo non peccante, Christus non venisset in mundum, 179. Quanta hominis ante peccatum felicitas, 469, 471, 481. Panis primi hominis in paradiso quis fuerit, 515. Hunc panem tunc perdidit, cum serpentis suggestioni consensit, *ibid.* Meridiem perdidit cum peccavit, 521. Felicitas dierum antiquorum quanta, 549. — Adam a Deo pure conditus, homo hominem pure procreaturus, 526. Sicut terra fructus suos, sic mulier filios in statu innocentiæ editura fuisset, *ibid.* Homo in paradiso conditus bellum cum apostata angelo habuit, 5. Vir non fuit ex congressione, qui fuit ex munere, 6. Adam a paradisi gaudiis, nec furto, nec adulterio, etc., sed pomi vetiti inobedientia corruit, 101. 287. Homo tangens vetitum, oblitus est præceptum, 515. Natura humana in primo homine amisit dignitatem; in persona Christi, aucto sibi splendore, radiavit, 337. Ex primi parentis peccato, infirmitatis pœna, 469. Et pœnalis cæcitas, 471, 521. Pœnæ quibus homo lapsus subjacet in mente, 482. Rationalitas per peccatum primi hominis hebetata, relicto Creatore, sequitur creaturas, 487. Pœnæ quibus homo lapsus subjacet in corpore, 482. Animæ in Deum rebelli caro noluit obtemperare, 526. Ancilla dominæ suæ dominatur, *ibid.* Bonum opus in procreatione filiorum male operando, homo delinquit, *ibid.* Adami terreni quicunque portat imaginem, panem suum comedere obliviscitur, 515. Hunc panem comedere oblitum, hominem quæ prosequantur mala, *ibid.* Et interdictum de fructu scientiæ non comedendo contemnentem, 516. In nobis Adamum habemus et Evam, *ibid.*

Adipe mentis devotio exprimitur, 67, 361.

Adhæret Domino qui præcepta voluntatis ejus facere semper studet, 178. Deo adhæremus quando Spiritus sancti gratiam abundanter accipimus, 243. Soli Deo adhærendum, 453. Adhærentium Deo quanta felicitas, 453.

Adjuvantur alii bono opere aliorum, 327. Juxta adjutorii lapidem Judæos castra ponere quid sit, 126. Dei adjutores sacri Ecclesiæ ministri, 162. Quibus debeant pollere virtutibus hi adjutores Dei, *ibid.* Qui alieno eget adjutorio ad alios adjuvandos non sunt promovendi, *ibid.* Adjutores sunt pastorum, qui imperata sciunt perficere, sed imperanda aliis nequeunt prævidere, 257, 279. Adjutores Paulus vocat discipulos, 257. Hi adjutores, alio exemplo, alios exhortationibus ad amorem virtutum provehunt, *ibid.*, 300. Canticum adjutorii David post prælium cecinit, 400. Deus non indiget adjutorio nostro; nos nihil possumus sine illo, 567.

Adolescentulæ electorum anima significant, 405. Quam infirmæ videantur, Angelis comparatæ, 406. Ob infirmitatem trahendæ sunt, licet non invitæ, *ibid.* Adolescentulæ dicuntur animæ, electorum excedentes numerum, 446.

Adorare Dominum quid sit, 29, 34, 40, 369. Quid sit ascensu adorare, 34. Peccatores quomodo Deum adorent, 369.

Adulantium favor nomine panis exprimitur, 317. Peccatores pastorum constantiam adulationibus frangere conantur, 355. Adulatorum consuetudo, *ibid.* Adulatores laudando se placere credunt, *ibid.*

Adventum Christi Sponsi exspectantis pia Ecclesiæ desideria, 402, 451. Adventum Christi exspectantibus et amantibus præmia præparantur æterna, 409. Christus justorum desideriis et precibus concessus, 525. Adventus Domini effectus, 41. Christi primus adventus in nomine Domini: secundus in nomine Judicis, 528. Si Christus in nomine Judicis primo venisset, nullus æternam evasisset damnationem, *ibid.* Venit Dominus ut peccata dimitteret, non ut peccatores damnaret, *ibid.*

Adversa sæculi potenter tolerant, qui sola cœlestia amant, 233. Adversitatum utilitas ad salutem, 480. *Vide* Tribulatio. Afflictio, Flagella.

Ægritudinis curatio quanto difficilius acquiritur, tanto acquisita cautius custoditur, 470.

Ægyptus dicitur tenebræ, 149, 348. Ægypti nomine signatur multitudo angelorum e sedibus cœlestibus lapsa, 149. Signantur etiam tenebræ, 341.

Æmulatio in bonum et in malum sumitur, 457. Dura sicut infernus æmulatio qui dicatur, *ibidem.*

Æquitatis nomine potest intelligi Christus in quo vivificamur, 556. Plus est vivificari in æquitate, quam æquitati, *ibid.*

Ærumna afflictionem insinuat pœnitentiæ, 145. Peccator in eadem ærumna conversum se asserit, dum spinæ confixuram sentit, *ibid.*

Ætas quæ Christi incarnationem præcessit, infantia fuit, 79. Ætas virilis tempus est Dominicæ Incarnationis, *ibid.* Ætas virilis, tempus est administrandi sacerdotii, 89. Neque puerilis, neque senilis ætas amori congruit, 405. Ætate virili mori quid sit, 90.

Æternitas per panis buccellam qui designetur, 81. Transeuntia vilescunt menti æterna sapienti, 33. Anima tolerans temporalia ex necessitate, ad æterna contendit, 417. Cur æternitas dicatur dies una, 552 Æternitatis contemplatio dicitur cella vinaria, 417.

Affectus cordis intenti cœlestibus, contra bellum carnis, fortes milites sunt, 331.

Afflictio temporalis unica pars Christi sponsæ, 13. Panem torquere, est carnem pro perpetrata delectatione affligere, 94. Via vitæ est pœnitentiæ afflictio, 95. Caro ultra modum afflicta, spiritui opem ferre non sufficit, 153. Afflictio electæ mentis, omnis diabolicæ tentationis peremptorius mucro est, 286. Nulla major afflictio, quam quæ ex conscientia delictorum oritur, 556. Quia in arcano cordis Deus consolator non invenitur, 557. Ideo omni sollicitudine quærendus est, *ibid.* *Vide* Adversitas, Tribulatio.

Agag, rex Amalech, interpretatur loquens, sive meditans, 349. Significat vigorem sensus carnalis, *ibid.* Regem Amalech meditari et loqui, quid sit, *ibid.* Agag vinctum vivere, quid significet, 350. Agag in civitate sua victus, et a victore servatus, quid figuret, *ibid.* Agag vivens et adductus quid denotet, 358. Agag pinguissimus quid, 369. Samueli Agag oblatus, quid, *ibid.* Agag tremens significat sensum carnalem infirmantem, 370. Vel etiam incipientem converti rigorem pœnitentiæ metuentem, *ibid.* Mater Agag sit sine liberis, cum culpæ originalis actus, atque motus impediuntur, 371. Gladius Agag est luxuriæ telum, *ibid.* Agag concidi in frusta, quid sit, *ibid.*

Agar, Saræ ancilla, dominam despiciens, in obedientes subditos designat, 95. Quæ dominam despicit ancilla esse perhibetur, *ibid.*

Agri bonorum pastorum devotæ sunt mentes subditorum, 184. Quos habeant agros agrorumque aratores et messores prælati carnales, 183. Qui, rege constituto, tollantur agri, 184, 195, 196. Ager in saltu signat devotionem in inculto sæcularium corde, 315. Per agrum significatur hic mundus, 453, 519. Quid sit Sponsum cum sponsa egredi in agrum, *ibid.* Ager Josue Bethsamitæ est amœnitas vitæ contemplativæ, 156.

Agni residuum igne comburi, quid significet, 4. Crudum agnum manducari quid sit, 67. Aqua agnum coqui quid figuret, *ibid.* Crudum Judæi comedunt: aqua coctum hæretici, *ibid.* Agnum offerre quot modis dicatur, 168. Quis agnum unum et integrum offerre dicendus sit, *ibid.* Agnorum nomine solent viri magnæ prudentiæ designari, 344. Qui agnos pascit, in tabernaculo pastorum pascitur, 413. Quid sit in tabernaculo pastorum pasci, *ibid.*

Agnus est Christus et Christi imitatores, 168. Agnus lactens Christus est, *ibid.*

Aion interpretatur frater meus mœrens, 318. Quos hic frater meus mœrens in Ecclesia designet, *ibid.*

Allegoria, tanquam machina, a terra sublevamur, 397.

Altare Domini est cor justi, 176. Quid sit ad altare ascendere, 75. Qui Doctor in Ramatha altare Domino

ædificet, 176. In nobis altare duplex, duplici ex compunctione ædificandum, 321. Duo altaria in tabernaculo fieri jussa a Domino quid figurent, *ibid.* Altare Dei est cor electi auditoris, 377, 509. Altare Sanctorum in cœlo Filius Dei, 509. Altare de terra facere, est de Filii Dei Incarnatione non dubitare, *ibid.* Huic altari cordium nostrorum sacrificia imponimus, *ibid.* Quas in eo mactemus hostias, *ibid.* Huic victimas peccatorum imponere præsumimus, *ibid.* Altaris ministri familiares domestici Dei sunt, 174.

Altitudo sæculi fovea est, 231. Altitudo sæculi quos in sua ambitione accipit, ad inferna deponit, *ibid.*

Amalech populus lambens interpretatur, 331. Per Amalech spiritus fornicationis designatur, *ibid.* Seu vitium luxuriæ, 359. Quid sit Amalech iterum percuti, 340, 342. Amalech percutitur in corpore, demolitur in corde, *ibid.* Amalechitarum opera recenseri, quid sit, 341. Amalech quis nullomodo parcat, 343. Amalechitæ viri, sunt suadentes motus turpitudinis, *ibid.* Mulieres, sunt mentis concupiscentiæ, *ibid.* Parvuli et lactentes Amalechitarum qui sint, *ibid.* Bos consilium fraudulentum significat, 344. Ovis Amalech est simulatio innocentiæ, *ibid.* Camelus signat cogitationem luxuriæ, quasi a ratione incipientem, et discretione non finitam, *ibid.* Asinus denotat apertam fornicationis nequitiam, *ibid.* Asini nomine robur conjugalis copulæ designatur, *ibid.* Ab Amalech conjuges discedere, quid sit, 347. Quid sit conjuges de medio Amalech recedere, 348. Parcere ovibus et armentis Amalechitarum, quid sit, 350. Parcere vestibus, est damnatam mentem immunda deliberare, *ibid.* Amalech pulchra quæ sint, 351. Vox gregum et armentorum Amalech, fama turpitudinum est, 355. Greges Amalech et armenta Domino immolari, quid sit, 356.

Amaritudinis tela magna nuper conversorum, 570.

Ambulare in die quid sit, 246. Ambulare coram Christo Dei, 80. Ambulare coram Deo omnibus diebus, 92.

Amicus Dei est, qui alios facere amicos ejus satagit, 229.

Aminadab interpretatur populus meus spontaneus, 161, 449. Et Urbanus, 380. Christum figurat Aminadab, 449.

Ammonites interpretatur populus mœroris, 259, 330. Amon significat frequentiam malorum operum, *ibid.*

Amoris Dei signum non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis, 96. Exsultat anima, cum, contemptis omnibus, solum Deum amat, 53. In virtute, amoris affectio designatur, 116. Sanctæ Scripturæ sententiis, et Justorum exemplis, ad Dei amorem accendimur, 157. Sic offerendum holocaustum, *ibid.* In cordis altari, amoris holocaustum offeratur, 176. Amor electæ mentis est immutatio vetustatis, 242. Amanti mandata Dei sunt levia, 273. *Vide* Charitas, Dilectio.

Amor proximi. Deus nos quasi filios diligit, cum et subditos nostros, quasi fratres diligimus, et ipsum quasi patrem amamus, 232.

Amori non congruit ætas puerilis, neque senilis, 405. Amor terrenus oculum cordis sordidat, 457.

Amorrhæus partem hominum reprobam designat, 173.

Amphora vini quid significet, 27, 40. Cur amphora in Dei oblatione nominetur, 40.

Ancillæ Sanctorum quæ sint, 185. Ancillarum nomine designantur peccatorum nequissimi, qui aliis dant exempla peccandi, 197. Qui dicantur ancillæ auferri, et in opere Regis poni, 198. Ancillarum nomine possunt intelligi animæ affectiones, *ibid.*

Angelorum sublimitas intelligitur nomine speculæ, 8. Angeli creduntur in Filio sanctificati, 44. Angeli jam cadere non possunt, 58. Angeli sancti suæ infirmitatis conscii, a Deo sunt roborati, *ibid.* Ab humilitatis merito in amoris gloriam surrexerunt, *ibid.* Angeli sancti in æternitate beata, vino sapientiæ inebriantur, 417. — Angeli priusquam ad ministerium mittantur, humilitate accinguntur, 59. Mittendi sunt ad eos colligendos, in quorum salutem quotidie mittuntur, 60. Societas fraternitatis inter duas creaturas rationales, 411. Per cavernam maceriæ ipsa protectio angelicæ custodiæ figuratur, 420. Angeli post Incarnationem ab hominibus se adorari non patiuntur, 454. — Angelus cecidit præsumptione propriæ virtutis, 58. In Angelis lapsis discat homo quid timeat, *ibid.* Angeli reprobi nomine Philisthiim exprimuntur, 125, 165. Per superbiæ peccatum, æternæ vitæ statum perdiderunt, 125, 165, 287. Cur primus Angelorum per superbiam ceciderit, 179. — Angeli reprobi pœnitentiam agere de perpetrata superbia nunquam possunt, 149. Si Deus nec vasis aureis pepercit, de æreo quid fiet, 58. Angeli reprobi amorem amissæ beatitudinis non recipiunt, 149. Damna Angelorum in cœlo per electos homines reparanda, 172.

Angere idem ac stringere, 36.

Angustia, in qua sunt, qui capti laqueo malæ consuetudinis constringuntur, 318.

Ani similitudinem fabricare, est membrorum suorum nuper peccantium turpitudinem pœnitenti corde recolere, 147. Cur ex auro fiat ani similitudo, *ibid.* Memorando hæ similitudines fiunt, flendo deaurantur, *ibid.* Quinque ani fieri jubentur, quia universalis omnium Gentilium satisfactio imperatur, 147. Quinque ani fieri præcipiuntur, ut de omnibus sensibus compungantur, *ibid.* Anorum similitudines ad ruborem fiunt, ut de maculis fœditatis nostræ confundamur, *ibid.* Deaurantur ad securitatem, *ibid.* Singulæ civitates Philisthinorum anos et mures singulos reddentes, quid significent, 159.

Anima electi est templum Dei, 114. Asinæ Cis sunt animæ peccatrices, 205. Perditæ sunt, per immunditiam a Christi servitio separatæ, *ibid.* Animæ perfectorum sunt sponsæ, 212. Animæ inchoantes novum vitæ studium dicuntur adolescentulæ, 402. Anima sancta columbæ comparatur, 415. Anima per fidem amica, per simplicitatem columba, formosa fit per operationem, 419. Animæ castæ sunt lilia quibus Christus delectatur, 421. Anima sancta est hortus conclusus, 432. Cur fonti signato comparetur, 433. Cur palmæ, 452. Anima sancta dicitur aurora, luna, sol, 447. Animæ sanctæ dicuntur reginæ, 444.

Anima tribus vegetatur naturis, 467. Ex anima rationalitas ac sensualitas; per illam cum Angelis, per hanc convenimus cum brutis, 349. De quacumque anima, eadem explicari possunt, quæ de tota Ecclesia, 403.

Animam in conspectu Domini effundere quid sit, 20. Status animæ sublimi luce fruentis, 33. Exsultatio animæ vim amoris in thalamo Sponsi expertæ, 54. Anima cunctis passionum victoriis exsultans, cor suum, id est mentis suæ asserit libertatem, *ibid.* Quid sit in manibus animam suam portare, 54. Petere animæ, desiderare est : et gaudere, cantare, 57. Cur præsentiæ suæ dulcedinem Deus animæ subtrahat, 104. Dei cum anima sancta familiaritas, *ibid.* Animæ Deum se vocantem audientis amor et lætitia, *ibid.* Ineffabiliter dulcem Dei locutionem semper audire, desiderare est, *ibid.* Corruptionis suæ tenebris, Deo loquente, mens assumitur, *ibid.* Per subtractionem gratiæ, Deo tacente, iisdem tenebris subjugatur, *ibid.* Requies electæ animæ, non solum sua, sed etiam est Sponsi delectatio, 213. Omnes animæ adhærentes Deo, pelles sunt Salomonis, 409. Pia anima turturis amorem et gemitum debet imitari, 414. Animæ lectulus, omnium perturbationum fuga et secretum, 422. Quibus virtutibus anima mundetur, et Christo placeat, 429. Sancta anima quotidie lacrymis abluendo culpas leviores, et a gravioribus cavendo, tota pulchra dicitur, 430. Animæ languentis amore suspiria ad Sanctos intercessores, 439. Ex hoc exsilio fidelis anima ad cœlos ascendit super Christum innixa, 455. Anima dolore peccati turbata, 469. Sicut carnem dura vulnerant, ita animam mollia necant, 490. Fidelis animæ hostes interiores et exteriores, 490. Sancta anima solum Deum perfecte desiderans, hoc unum precatur ut nec ad horam Deus a se discedat, 493. Electæ animæ quis sit cibus, 38, 67, 206, 218. Anima electa in morte illucescentem sibi æternitatis diem videt, quæ hujus vitæ tenebras non aspexit, 321. Triplex animæ status, in gratia, in requie, in gloria, 56. Electæ animæ hæc in cantico poscere, est dona tam grandia desiderare, 57. Anima a Deo divisa, Deum sentire non valet, 471. Mors animæ qualis, et qui sint ejus effectus, 548. Anima menstruata quæ, 514. Anima Christiana quid agere debeat, 555.

Animarum curam ambientium carnalium cæcitas, 177. Avari animam suam æstimant inferiorem omni re quam possunt concupiscere, 191. Animarum curæ præponendus, asperam vitam sectetur, 338. Indefesso labore quærendi, qui ad animarum curam idonei sint, 381. Animarum cura apud fideles prædicatores quid efficiat, 163. Animarum lucra quærens, omnia spiritaliter agit, 203. Animarum Pastorem remotæ vitæ otiis vacare non oportet, 335. *Vide* Pastor, Rector, Prælatus.

Animalia sancta cur in circuitu oculos habere describantur, 385.

Anna, Helcanæ uxor, figurat Ecclesiam, 10, 41, 65. Annæ sterilitas quid significet, 10, 32. Decem filii, quibus melior est Annæ vir suus, quid significent, 15. Anna in corde suo locuta quid figuret, 18. Motus vero labiorum ejus quid, *ibid.* Anna mane cum viro suo surgere cur dicatur, 22. Anna non sola puerum offerens, sed cum viro suo, quid signet, 28. Anna injuriam sibi ab Heli factam patienter tulit, et sacerdotem humilitate responsi, placavit, et honoravit, 37. Ante votum suum cur flevisse largiter Anna describatur, 38. Anna amaro animo ante flevit, et sic largiter flere potuit, *ibid.* Annam post dierum circulum concepisse, quid signet, 39. Anna sterilis flevit, pariens exsultavit, 41. Cornu Annæ est potestas Ecclesiæ, *ibid.* Parvam parvo filio tunicam mater deferens, quid figuret, 83. Filii et filiæ, quos Anna parit, quid signent, *ibid.*

Anna virilem sexum petens a Do-

mino, quid significet, 16. Anna ebria putata quid denotet, 18. Annam affligi, quid significet, 36. Anna prophetiæ spiritum habuit, 41.

Antichristi tabernaculum est amor perfidiæ, quo fidei contradicit Redemptoris, 43. Martyres sub Antichristo passuri, 444.

Antra et cisternas intramus, cum olfactum ab obcænitatibus mundi, et aures ab audiendis vaniloquiis custodimus, 286.

Apes componentes mella, in floribus variis ea legunt, 232. Flores æternorum fructuum, sunt opera Sanctorum, *ibid.*

Apostatarum etsi difficillima conversio sit, non est tamen impossibilis, 312. Qui sint hi apostatæ, *ibid.*

Apostoli, quando infirmi, quando fortes, virtute induti ex alto, 47, 503. Prius superandus fortium arcus, et post infirmi robore accingendi, 48. Apostoli principes nuncupantur, 51. Quis pauper sedeat cum principibus, *ibid.* Cœlorum nomine apostoli designantur, 53, 503, 532. Apostolici cœtus mira sanctitas, 75. Populi apostolos a spiritu insiliente mutatos mirabantur, 249. Cœlestis eorum generatio ignorabatur, *ibid.* Apostoli sunt ubera Sponsi, 408. Apostoli Judæos obstinatos deseruerunt, et ad prædicandum Gentibus transierunt, 410. Apostolorum in eos, quos ad fidem vocabant, certamina, *ibid.* Apostoli dicantur filii matris Jerusalem, *ibid.* Miraculis Christi apostoli in fide eruditi, et ad patiendum roborati, 442. Per crura Christi significantur apostoli, *ibid.* Columnæ marmoreæ dicuntur, *ibid.* Illæ columnæ quibus basibus innixæ, *ibid.* Cur hæ bases dicantur aureæ, *ibid.* Apostolis locata vinea, et ab iisdem culta, 460. Apostoli dicuntur pedes Christi, 490. Cœlorum virtus de Spiritu sancto est: ex infirmis fortes facti apostoli, 503. Apostolis dubitantibus, mulieres steterunt in passione Christi, 514. Apostoli dicuntur lapides Ecclesiæ, 523. Pacem evangelizantes apostoli, *ibid.* Cur pedes eorum speciosi, *ibid.* Apostoli terræ, id est Judæorum miserti sunt, 524. Christus per piscatores subjugavit reges, *ibid.*, 529. Terra est apostolicæ prædicationis imbribus fecunditatem consecuta, 532. Qui dicantur apostoli opera manuum Dei, *ibid.* Qui opera digitorum Dei, *ibid.* Filii apostolorum sunt omnes fideles, 534. Apostoli servi per laborem operis, filii dicuntur per mutationem novitatis, 535.

Apparere jugiter in conspectu Domini, quid sit, 24. Apparet Dominus variis modis, 111. Verbum Dei intelligendum, antequam ipse nobis appareat, *ibid.* Eorum, quibus Deus appareat, verus sermo, non hæreticorum, 112. Verbum Domini in additione apparitionis est, 124.

Aquam haurire quid significet, 166. 209. Aquæ multæ significant magnas tribulationes, 457. Quibus aquis lavantur peccata, 495. Divisas aquas ex oculis deducere, est singulatim peccata deflere, 513. Terra sine aqua est anima sine gratia, 550.

Aquilone spiritus immundus designatur, 434.

Aratores agrorum mystice qui sint, 183, 193. In bove et asino arare quid sit, 262.

Arbitrium suum pastor non sequatur, 227. Vitiato, in primo parente, libero arbitrio, velle bonum, nisi gratia adjuti, non possumus, 550. In victoria tentationum, quid ad donum gratiæ, quid ad liberum pertineat arbitrium, 170.

Arbor infructuosa igni addicta, 31. Arbor bona fructus faciens bonos, quæ sit, 198. Arborum ramos nobis incidimus, imitando meliorum exempla, 296. Arbores sylvestres significant cæteros homines, malo Christus figuratur, 416.

Arca quid figuret, 27. Quid sit dormire in loco, ubi est Arca Dei, 99. Arcam Dei afferre de Silo in castra, quid sit, 127. Arcam in castra Hebræorum venisse, quid sit, 128. Arca Dei a Philisthæis capta quid signet, 130. Arcam Dei quis capiat, *ibid.* Arca capta, duo filii Heli qui moriantur, 131. Ad captionem Arcæ ululare civitatem, quid sit, 132. Heli, cognita Arcæ captione, de sella cadere et mori, quid mystice significet, 134. Arca capitur, id est a veris fidelibus Scripturæ sacramenta intelligentia retinentur, 136. Israel gloria non periit, sed ad Ecclesiam translata est, *ibid.* Arca Dei templis idolorum illata, quando fides Gentilium mentibus inserta est, 137. Arca juxta Dagon statuta quid figuret, *ibid.* Arca apud Philisthæos circumducta, Evangelium apud Gentiles prædicandum et circumferendum significabat, 140. Manet Arca Dei apud eos qui veram fidem amore complectuntur, *ibid.* Arca Dei circumducta, fidei sacramenta ab aliis ablata, aliis revelata figurat, 141. Arcæ locus quis sit proprius, *ibid.* Arca remittitur in locum suum, cum parva Scripturarum cognitio, per præsentis vitæ transitum, adimpletur, 144. Quando in loco suo ostensæ Arcæ Dei gloriam visuri simus, *ibid.* Arca vacua est divina scientia sine bona operatione, *ibid.* Vacua Arca remittitur, cum mens ad fidem venientis bonis operibus insudare non curat, *ibid.* Vacua Arca non dimittitur, si illud ei pro peccato redditur quod debetur, 145. Afflictio devotæ pœnitentiæ pro peccato debetur Arcæ, *ibid.* Qui Arcæ debitum solvatur, *ibid.* Tunc Arcæ debitum pro peccato bene solvitur, si anorum et murium similitudines ex auro fabricentur, 146. Arca reducenda cur super plaustrum novum boni jubeatur, 150. Arca tenenda ut plaustro imponatur, imposita dimittitur ut vadat, 151. Cur Arca dimissa, non ire, sed ascendere dicatur, 152. Bethsamitæ, qui arcam videre præsumpserunt, percussi, 160. Quibus Arca Dei committenda, 161. Arca significat spiritalem Scripturæ sacræ scientiam, 162. Arcam Sacerdos habet, qui scientia spirituli mentem vacuam non habet, 311. Saul Arcam applicare Achiam jubens quid signet, *ibid.* Saul jubens Arcam applicare, ac deinde Sacerdotem contrahere manum, quid denotet, *ibid.*

Arcus fortium quis sit, 47, 58. Qui fortium arcus fuerit superatus, *ibid.*

Arena maris significat vulgus hostium, id est spirituum malignorum, 283.

Areolæ aromatum a pigmentariis consitæ quid figurent, 441.

Argenti nomine divina eloquia designantur, 206, 426. Argentum in manu pueri est sermo divinus in virtute sciendi, *ibid.* Argenti nomine sancta prædicatio signatur, 414. Per argenteos terrena omnis substantia intelligitur, 460.

Arguere majus est, quam corripere, 468.

Ariete robur propriæ innocentiæ exprimitur, 320. Saulem arietibus Amalech pepercisse, quid sit, 351.

Ariolis cur similes sint inobedientes, 361. Arioli unde dicti, 362. Ariolandi peccatum quale, *ibid.*

Arma diaboli antiqua, gula et elatio, 6. Arma sint justitiæ, quæ prius fuere arma iniquitatis, 147. Armorum fabri, et curruum Tyrannorum, qui dicantur. 183. Arma fabricare, est nocendi genera reproba mente colligere, *ibid.* Quæ contra hostem arma fabricanda, 194. Arma nobis suppeditant ad bellum spiritale, non humaniores, sed divinæ litteræ, 295. Armiger arma portans, cum quibus alius pugnat, quid signet, 298. Armatura fortium, pendens ex turri David, quid figuret, 429.

Armum manducare ante se positum, quid sit, 224. De industria pars armi qui servetur, *ibid.* In armo pectoris, fortitudo signatur actionis, 223.

Aromata emere, quid sit, 336. Aromata signant Spiritus sancti dona, 403. Et sanctas virtutes designant, *ibid.*

Arrogantium est sublimia loqui gloriantes, 57.

Artes liberales discendæ sunt, ut divina eloquia subtilius intelligantur, 293.

Artificum peritiam æstimaturus, in opera eorum, non inchoata, sed perfecta respiciat, 209.

Ascendere Christum de civitate sua, quid sit, 10. Ascendere non præsumant parvuli, 25. Quomodo statutis diebus ascendimus, 32. Qui ascensus dicantur dies, 33. Vir Ephrathæus, de civitate sua ascendendo, nostram culpat negligentiam, *ibid.* Ad statutorum dierum ascensum qui paratus invigilat, dignus efficitur, qui sæpius divina dignatione visitetur, *ibid.* Quinam ascensus dies, quibus adorare et immolare statuimus, 35. Ascendere meritis virtutum, quotidie ad meliora proficere est, 152. A nobis Dominum ascendere, quid sit, 160. Malignos spiritus ascendere, quid sit, 167, 284. In excelsum ascendere, quid, 217. Pastorem ascendere quid sit, 290. Ascendere reprobis est de malo ad ejus proficere, 373. Ascendere in domum suam, superbo est usque ad mensuram, qua damnandus est, se extollere, *ibid.* Quot et quibus gradibus ad cœlum est ascendendum, 536.

Ascensiones in corde beati viri quæ sint disponendæ, 536.

Asini electorum sunt, quibus ferendæ obedientiæ onera imponuntur, 185. Asini lascivos animæ motus figurant, 198. Hi asini qui ponantur in opere Regis, *ibid.* Asinæ Cis sunt animæ peccatrices, 203. Cur Christus ad passionem tendens, absolutæ asinæ, et pullo insederit, *ibid.* Asinæ, quas Samuel Sauli declarat inventas, quid significent, 221. Viri Sauli dicentes inventas esse asinas, quid figurent, 231. Pater noster Christus, dimissis asinis, sollicitus est pro nobis, 232. Asinus significat amorem carnalem, 262, 344. *Vide* Amalech.

Assumitur subditus quando per verbum doctoris in cognitionem cœlestium elevatur, 222.

Assumptio matutina est resurrectio a Deo mane facta, 541.

Auditores plerique verba excipientes prædicationis usque ad fletus compunguntur, et ad iniquitatem cito redeunt, 65. Audire Deum, quid sit, 120, 273. Prædicator exhortando nihil proficit, si auditor mentem, ad ea quæ dicuntur, non intendit, 271. Qui prædicatorum monita contemnunt, eorum vitam dente maledico rodere conantur, 303. Cor electi auditoris est altare Dei, 377. Obedientes audire, est ea quæ a majoribus jubentur, obediendo

perficere, 380. Occurrere prædicatori, est verbum quod prædicat, libenter audire, 388. Sanctificari auditoribus, est audiendum puræ mentis secretum præparare, 389. Amicus est Dei, qui vocem ejus audit, 461.

Aures corporis tinniunt, quando intolerabili sonitu impetuntur, 105. Ad aures mentium intolerabilis clamor, est alicujus magni reprobatio peccatoris, *ibid.* In tinnitum aurium effusæ voris magnitudo convertitur, *ibid.* Quid sit ambas aures tinnire, *ibid.*, 106. Auris dextera æternam vitam, sinistra præsentem significat, *ibid.* Nonnisi audientium aures tinnire, cur prædicantur, 106. Auricula revelatur a Domino, quando humilis intelligentia prædicatoris a Spiritu sancto instruitur, 214. Non erigentibus cervicem Deus inclinat aurem, 513.

Aurora. Qui sint quasi aurora consurgentes, 447.

Aurum optimum cur caput Christi dicatur, 440. In auro supernæ conversationis fulgor ostenditur, 147. Omnis metallis species auro inferior est, 346, 440. Per aurum sapientia exprimitur, 414.

Auster Spiritum sanctum designat, 434.

Auxilio Dei indigemus, ut vincamus iniquorum machinamenta, 492. Quod assiduis precibus impetrandum, 493.

Avaritia quot criminum radix, 191. Declinare post avaritiam, est ambitione rerum terrenarum tota intentione defluere, *ibid.* Avaritia paupertate voluntaria expugnatur, 303. Avaritiam sectantes reprehenduntur, 191.

Averti, est ex pari virtute adversari non posse, 129.

Azotii primordia Gentilitatis designant, 138. Manum Domini super Azotios aggravatam esse, quid sit, *ibid.* Gravedo hæc manus accipitur in multiplicatione conversorum, 139. Quando levis fuit manus Domini super Azotios, *ibid.* Manus Domini super Azotios agravari idem est quod per murium morsus interfici, *ibid.* Cur in secretiori parte narium Azotii percutiantur, *ibid.*

Azotus unam diem habuit in audita predicatione, alteram in fidei cognitione, 137. Arcam Dei in Azotum perduci, quid sit, *ibid.*

B

Babylonia in partu suo est infirma, quæ inordinato rerum transeuntium amore, filios gignere nequit, 60. In partu suo Babyloniam stringi, quid sit, *ibid.* Civis fit Babylonis per amorem sæculi, 507. Babylonem quinam ædificent, *ibid.* Quid sit Babyloniam de lateribus ædificare, *ibid.* Babylon quid figuret, *ibid.*

Baptismus per mare rubrum figuratus, 413. Qui per baptismum renascitur, Spiritus sancti gratia ab omni peccato redimitur, 386. A circumcisis in baptizatos Spiritus sanctus directus est, *ibid.* In baptismo unaquæque anima Spiritum sanctum cur recipiat, 414, 430, 434, 502. Fons hædi baptismum significat, 415. Dum corpus intinguitur, anima ab omnibus peccatis abluitur, *ibid.*, 430, 434, 440. Noviter baptizati significantur per vinearum flores, 420, 421. In baptismo abluti, ut grex tonsarum ascendunt de lavacro, 428. Baptismus Libano figuratur, 430, 434. Per Christum dealbamur credentes, et sublimes efficimur, 442. Mater nostra est regeneratrix gratia, 446. Gratia genitrice nutritur Ecclesia, *ibid.* Sine regeneratione neminem in regnum intraturum Nicodemo Dominus revelavit, 527. Per baptismum lumen recepimus, 542.

Beatitudo electorum significatur, cum pax inter eos et reprobos facienda signatur, 173. Hæc psalterio figuratur, 240. Hæc primo fidelibus prædicanda, *ibid.* Sanctæ animæ a corpore solutæ cœlo fruuntur, 419. Animabus sanctis beatitudo ante resurrectionem confertur, 499, 534. Et corporibus post resurrectionem, *ibid.* Beatitudinis æternæ descriptio, 558, 559. *Vide* Felicitas, Vita æterna.

Beatis civibus Deus est omnia in omnibus, 88. Beati qui sint dicendi, 474. Beatorum commutatio duplex, 534. *Vide* Sancti in cœlo.

Belial filii dicuntur, qui patribus spiritalibus superbiendo non obtemperant, 82. Et qui prælatos suos despiciunt, 257.

Bellum potens dicitur quando electis plebibus duri filii dominantur, 339. Debiles ad bellum qui sint, 338. Qui sint ad bella doctissimi, 425. *Vide* Certamen.

S. Benedictus arctissimæ vitæ magister optimus, summæ veritatis discipulus eruditus, 199.

Beneficia divina nobis collata, quo fructu commemoranda. 272. Accipiens a Deo beneficium, aliud teneat manibus, aliud oculis videat, 307.

Benjamin interpretatur filius dexteræ, 214, 222, 231. Terra Benjamin, sancta Ecclesia est, 214. Cognationes Tribus Benjamin, sunt diversæ conversationes electorum, *ibid.* Fines Benjamin quid figurent, 231.

Bersabee designat sapientes et justos. 110. Bersabee interpretatur puteus septimus, *ibid.*

Bestia, si montem tetigerit, lapidanda, quid signet, 90, 399.

Bethaven interpretatur domus inutilis, 285, 313. Domum inutilem habere in Orientis parte Magmas, quid sit, *ibid.* Pugna usque ad Bethaven perducta quid figuret, 313.

Betchar domus Agni interpretatur, 170. Ad Betchar pervenire cur nemo possit, *ibid.* Locus subter Betchar communem summam exprimit sanctitatis, *ibid.*

Bethel interpretatur Domus Dei, 174, 234, 279, 422. Bethel viros officio altaris sacri deputatos significat, *ibid.* Potest et per Bethel universa electorum Ecclesia designari, *ibid.* Tres viri in Bethel ascendentes qui sint, 234. Bethel custodiunt qui verbi auctoritate defendunt Ecclesiam, 280.

Bethlehem interpretatur domus panis, 375. Bethlehem designat domum quamque religiōnis, *ibid.* Cur Samuel in Bethlehem mittitur ad regem ungendum, 388.

Bethoron domus iræ interpretatur, 293. Domus iræ est mens usui serviens linguæ litigiosæ, *ibid.*

Bethsames interpretatur domus solis, 152. Domus solis, civitas est cœlestis, 156. Contra Bethsames Arca ascendit, cum continuum viam gradiendo non deserit, *ibid.* Via Bethsamis arcta, *ibid.* Per apertæ remissionis vitium a Bethsamis via deflectimus. 153. Termini Bethsamis eruditio sacri eloquii, et bona operatio. 154. Hi termini sunt, quia et dignos ad contemplationem suscipiunt, et indignos expellunt, *ibid.* Qui Bethsames arca Dei perducatur, 155.

Bethsamitæ intelliguntur, qui perfecti jam viri sunt in contemplationis sublimitate, 154. Qui sint de domo solis, *ibid.* Bethsamitæ in valle metentes triticum quid figurent, 155. Bethsamitæ ligna plaustri concidentes, quid significent, 157. Qua die Bethsamitæ holocausta Domino offerant, et victimas immolent, 158. Bethsamitæ percussi signant falsa contemplatione deceptos hæreticos, 160. Fidelium. sed simplicium, ex percussione errantium Bethsamitarum, metus, *ibid.* Bethsamitæ percussi significant etiam sacerdotes et ministros sacros altaris sancta mysteria indigne contrectantes, *ibid.* Timor Bethsamitarum ad onus prælationis pertinere potest, 162. Bethsamitæ viri Arcam Dei exterius videndo moriuntur, *Ibid.*

Bona vana despiciens a veris malis eruitur, 276. Bona sæculi vana et fallacia amatores suos cito transeundo decipiunt, 276. Post hæc bona declinare, est amorem illorum divino amori præferre, *ibid.* Bona, non omnia, nec ab omnibus, nec quolibet modo vel tempore, facienda. 322. Bona malis admista non sunt Deo grata. 474, 483. Boni videri sine elatione non valemus, 299.

Bonitatem sequitur, qui Christum imitatur, 492.

Bores interpretatur in primatu, 303.

Botrus amaritudinis est fructus vineæ Sodomorum, 195. Botrus de terra promissionis allatus Christum figurat, 459.

Boves in prædam tollere, quid sit, 319. In bove labor et fortitudo prædicationis exprimuntur, 320. Bovem in manu adducere, est peccatum elationis pœnitentia delere, *ibid.* Bos factus ex vitulo quid significet, 26. Boves significant prædicatores qui agrum Ecclesiæ arant, 308.

Brachium Judæis præcisum quid significet, 78. Brachium contemptoris Dei est fortitudo temporalis, 88. Brachium contemptoris, et domus patris ejus, qui præcidendum, *ibid.* Brachii nomine signantur operationes, 456.

Buccella panis quid significet. 81. Buccella panis est indeficiens delectamentum æternæ vitæ, 94.

Buccina canere quid sit, 281.

C

Cæcitas eorum, qui bonum quod cognoscunt, implere nolunt, 96, 487. Non videre, pœna peccatoris est, adhuc in sæculo viventis, 98, 114. Videre non posse, est impii æterna pœna damnati, *ibid.*

Cædes quæ dicatur magna nimis, 312.

Cælibatus sacerdotum novæ legis, non veteris, 69. Cælibatum professi quo decipiantur errore, 344. Pudicitiam, quam clerici coluerunt, plures facti sacerdotes amittunt, 358.

Cain peccavit in Spiritum sanctum, desperando de venia, 502.

Calceamenta, quæ de mortuis animalibus fiunt, significant Patrum præcedentium exempla, 449. Pedes spiritaliter calceamus, quando a Patribus defunctis exempla sumimus, *ibid.* Qui dicatur Ecclesia calceari, *ibid.* Calceamenta Ecclesiæ quæ sint, *ibid.*

Caleb et Josue soli Israelitarum ex Ægypto egressorum ingressi in terram promissionis, quid figurent, 535.

Camelus significat incurvationem reptandi, pastoris erga peccatores, 307. Camelus ruminans, et ungulam non findens, quid significet, 344.

Camus et frenum, quid significent, 480.

Canes muti, non valentes latrare, qui dicantur, 97. Cur non possint latrare volentes, *ibid.*

Canticum Canticorum unde dicatur

393, 400. Cur tertius in ordine librorum Salomonis, 401. Canticum a Judæis, Græcis et Latinis doctoribus expositum, 393. Cur Canticum Canticorum allegorice scriptum, 397. Verba carnalis amoris in eo usurpata, qui intelligenda, 398. Variæ Canticorum species in sacra Scriptura, 400. Canticum Canticorum cæteris præstantius, 393, 400. Hoc Cantico celebratur conjunctio Christi cum Ecclesia, 401. Per Cantica Canticorum contemplativa vita designatur, *ibid.* In hoc Cantico anima ingressum Dei ad cor suum conspicit, *ibid.* In Canticis Canticorum quatuor personæ loquentes introducuntur, *ibid.*

Capilli abundantiam terrenæ substantiæ designant, 17. Per capillos sponsæ populi significantur, 427.

Caprearum vallis est mors pretiosa Sanctorum, 294. Capreæ designant sanctarum dignitatem animarum, *ibid.* Vallis caprearum, sita contra desertum, quid signet, *ibid.* Capreà animal mundum in Lege, 418. Caprea Ecclesiam figurat, 422. Duo hinnuli, capreæ gemelli, quid significent, 450.

Caput pulvere conspersum quis habeat, 131. Capita signant subjectæ plebis mentes, 202. Caput inclinare, est mentem a summa contemplatione viros spiritales deponere, 236.

Cardines terræ qui sint, 51, 63.

Cariathiarim interpretatur civitas eorum, 161.

Carmelus interpretatur mollis, sive tener, 354. Teneri nomine signatur in sancta conversatione rudis, *ibid.* Mollis significat eos, qui non sunt per usum virtutis soliqati in bonitate inchoata, *ibid.* Carmelus interpretatur etiam scientia circumcisionis, 451. In Carmelo signum victoriæ erigere, quid sit, 354. Cur Christus caput Ecclesiæ Carmelo comparetur, 451. In Carmelo orare, quid sit, *ibid.*

Carnalis mens ad contemplationem non assumitur, 34. Carnalis mens est rerum corporearum amore affecta, *ibid.* Carnalium oculos serpens aperit, 177. Carnalibus subjectio omnis gravissima, servis voluntatis propriæ, 180. Sæpe in Ecclesia carnales magna agere videntur, 188. Carnales gratiam sancti Spiritus non habent, qua cor eorum durum molliatur, *ibid.* Carnalem hominem spiritus insiliens mutat in virum alterum, 243. Hanc mutationem, cujus causam ignorant homines, admirantur, 248. Carnales timore pungendi, 273. Carnalium est et simplicium nova, quæ præter communem usum accidunt, mirari, 308. Carnales in Ecclesia mentem in sinu Sponsi contemplando quiescentem importune excitant, 418. Carnales filiarum nomine appellantur, *ibid.* Carnales pellicanus et nicticorax adumbrant, 516. Carnales dum cœlestia loquuntur, velut ægri rebus utuntur, quas sentire prohibentur, 206. Carnalium exaltatio causa est multorum malorum, 184. In corpore virginali carnales motus non habent requiem delectationis, sed statum certaminis, 281. Carnales ad culmen Ecclesiæ qui provehunt, gravissime peccant, 279.

Caro cruda quid significet, 68. Seminare in carne, est propositum mentis obruere in delectationes corporis, 195. In afflictione carnis tenenda discretio, 153. Caro dicitur explicata, quæ humore pinguedinis, per abstinentiam non gravatur, 259. Quomodo carni illudendum, commoda quædam futura ei pollicendo 261, 265. Carnis illiciti motus exstingui non possunt, sed jejuniis debent mitigari, 267. Sic vincantur, ut duo simul non remaneant cogitatio immunda, et naturalis motus carnis, *ibid.* Si de carne non tollitur motus turpis, at turpitudinis robur enervetur, 342. Fortitudine, doctrinaque præstent, qui vitiis carnis bellum indicunt, 346. Carnis bellum grave, 349. Carnis suæ rex spe immortalitatis ornatur, 441, 444. Caro ex quatuor constat elementis, 467. Caro lacrymis rigata bonorum operum germen emittit, 471. Carnem mollia nutriunt, et animam dura roborant, 490. Caro significat in Ecclesia infirmos, 514.

Castitas perfecta probatio veræ abstinentiæ, 266. A carne tolli non possunt illiciti motus, 267. Minui possunt, et eorum delectatio auferri, *ibid.* Hi impugnandi, et de his dolendum, *ibid.* Duo non remaneant pariter, cogitatio immunda, et naturalis motus carnis, *ibid.* Castarum cogitationum satellitium, 331. Exempla castitatis sunt cœlestium militum impressa terris vestigia, 345. Castitas elata, et humilitas immunda, ambæ displicent Deo, 483. Castitas conjugalis, 344, 347.

Casu accidit, quod subito, et sine consilio et provisione contingit, 153.

Caverna maceriæ signat vulnus lateris Christi, 420. Et protectionem angelicæ custodiæ, *ibid.*

Cedar interpretatur tenebræ, 409. Cedar secundus fuit de genere Ismahel, *ibid.* Cedar tabernacula Esau fuerunt, *ibid.* Cedar tabernacula Gentium, et tenebrarum, 410.

Cedrus excelsa valde arbor, odora et imputribilis, 442.

Censuræ ecclesiasticæ discretio in culpis subditorum, vel corrigendis, vel dissimulandis, 253. In ecclesiastica censura, licet non sit acceptio personarum, est tamen discretio meritorum, 328.

Centenarius numerus perfectionem significat, 183. Summam continet numerorum, 292. In centenario numero omnis Decalogi summa concluditur, 345.

Centurio dicitur a centenario numero. 183. Centuriones sunt viri perfectiores, qui a prædicatoribus bene instructi, fiunt eorum cooperatores, 193. Hi operatione præcipui et verbi Dei scientia eruditi, *ibid.* Constituuntur centuriones, ut sublimiter vivant, et quo altius vivunt, utilius doceant, *ibid.*

Certamina Christianorum spiritalia, 125, 268. Cum diabolo certamen habere se falso putarunt Judæi, *ibid.* Agri certaminis sunt sacri eloquii virentes intellectus, 127. Ecclesiæ doctores contra Judæos certantes, eorum machinas facile dissolvunt, et irrident, 129. Certamina contra dæmones quanta sustineant nuper conversi, 167. Internæ meditationi dediti felicius tunc in hostem decertamus, 170. Quousque eum insequi debeamus, *ibid.* Per indesinentem conatum certaminis contendere debemus ad arcem perfectionis, *ibid.* Curru antiqui certare consueverant, 192. Sic evecti ac sublimes ad certandum vires exeramus, *ibid.* In certamine spirituali quinam ex curru pugnent, *ibid.* Qui sint in hoc certamine equites, *ibid.* Qui tribuni centuriones, 195. Qui regalium quadrigarum persecutores perhibeantur, *ibid.* Pedites sunt in plano, pigri ad cursum, debiles ad conflictum, 193. Electi in illis curribus et armis positi, veloces sunt, atque potentes, 194. Ad spiritualem pugnam educendi, prius a duce probentur, 263. Spiritalia Electorum certamina, 268. Electos vult Deus semper in certamine consistere, 281. Melioris vitæ desiderio accensis quot ineunda certamina, 298. Locus certaminis cor est verbum Dei audientis, 311. Omnibus diebus pugnare, quid sit, 339. *Vide* Bellum.

Cervus animal mundum in lege, 418. Per cervos et capreas fides, spes et charitas intelliguntur, *ibid.* Per cervos Patres antiqui, ex quibus Christus, tanquam hinnulus designantur, 422.

Chananæa mulier exaudiri meruit, quæ clamare non cessavit, 538.

Charitatis donum vini appellatione recte figuratur, 26. Amphora vini initium designat charitatis, 27. Qui ad charitatis convivium admittendi, 223. Decor faciei, ipsa est pulchritudo charitatis, 383. Aliæ virtutes corpus sunt justitiæ, charitas hujus corporis facies est, *ibid.* Charitas in mandato lato designatur, 407. Initia et progressus charitatis, 451. Charitas martyrum, nec aquis multis, nec fluminibus obruenda, 457. Charitas obruitur cum in odium contra persecutores vertitur, *ibid.* Flumina ab ipsa charitate consumpta, *ibid.* Pro charitate cuncta despicienda, 457. Charitas virtutum mater, 479. — Charitatem quis vere habeat, 472. Charitatis perfectio dignis agonibus attingitur, 53. Ex initio timoris ad vinculum perducimur magnæ charitatis, 253. Charitas usu diuturno cuncta creata ab intentione docet abjicere, et in visione æternæ majestatis gaudere, 53. Charitas ejus vera, qui amicum in Deo et inimicum diligit propter Deum, 472. Cum charitas in corde fervet, clamorem emittit, 486. Charitas est benigna, 540. Ordinatur charitas per Scripturam sacram, 417. *Vide* Amor, Dilectio.

Cherubim. Quid sit per Cherubim ascendere Dominum, 25.

Christianorum certamina spiritalia, 125. Caput et brachia Dagon calcare docentur Christiani, 138. Christiani maxime tenentur Deum timere, mala cavendo : et servire ei in veritate, bona operando, 278. Deum sequentium Christianorum tres species, 406. Christiani fide, non opere, pascunt hædos juxta tabernacula pastorum, 413. Christiani concupiscentiis servientes sunt sacerdotes Dagon, 138. Christianus mavult occidi, quam vinci, 491.

Christus vir a femina circumdatus, 7. Cur vir dicatur, *ibid.*, 65. Cur vir unus nuncupetur, *ibid.* Hæc Christi unitas, non solum est personæ, sed etiam excellentiæ, 8. Christus arbor, cujus poma sunt Electi, 10. Christus est pax nostra, 64, 173, 389. Christus dicitur lapis angularis, 65, 171, 524. Christus dicitur panis, 81. Ostium. 134, 459. Lapis magnus, 157. Christus lapis adjutorii Electis, reprobos confringit, et conterit, 171. Christus agnus lactens, 168. Cur unus et integer dicatur agnus, *ibid.* Christus dicitur Filius dexteræ, 214. — Christi figura est Helcana, 5. Cur Cristus, Helcanæ nomine, dicatur fuisse de Ramatha Sophim de Monte Ephraim, 8. Quid sit Christum de civitate sua ascendere, 10. Et statutis diebus, 11. Josue Bethsamita, nomine et dignitate Christum, figurat, 156, Cis figurat Christum, 203. Et Benjamin figurat Christum, 214, 231. Collis nomine Christus designatus, 239. Collis filii dexteræ, æterna est celsitudo Redemptoris, 291. Mali granati nomine Christus intelligitur, 300. Christus nomine Achitob signatur, 301. Achitob frater Ichabot quid figuret, *ibid.* Christus dicitur Lapis grandis, 320. Et revolutus lapis, cujus pars humilem altera sublimem exhibet, *ibid.* In hoc lapide bovem et arietem occidi, quid sit, *ibid.* Christus nomine Achimaas signatur, 337. Christus est decor noster, *ibid.* In David Christus figuratus, 386. Christus initium et finis,

ibid. 531. Christus dicitur manu fortis, *ibid.* 429. Christus quasi ungitur, quando nescientibus opinionis ejus odor aperitur, *ibid.* Christus pleno cornu unctus, 387. Christus vituli nomine designatur, 388. Christus dicitur parvulus, 590. Et Pastor, *ibid.* Christus beatarum animarum et angelorum cibus, *ibid.* Christus quomodo rufus et pulcher aspectu, *ibid.*, 391. Christus dicitur sponsus, 402. Sol, 409. Cur dicatur flos, 416. In solo Christo cibum salutis invenimus, *ibid.* Christus dicitur Malus inter ligna silvestria, *ibid.* Umbra Christi protectio Spiritus sancti, *ibid.* Christus arbor fructifera, nostris in cordibus excolenda, 417. Christus similis capreæ, 418.—Christus cur similis hinnulo cervorum prædicetur, 419, 422, 462. Salomon est figura Christi, 425. David manu fortis Christum figurat, 429. Christus dilectus ex dilecto qui dicatur, 439. Christus candidus ex innocentia, ex passione rubicundus, 440, 498. Cur electus ex millibus, *ibid.* Cur electus ut cedri, 442. Christus totus desiderabilis, *ibid.* Dicitur Aminadab, 449. Dicitur pacificus, 459. Dicitur botrus, *ibid.* Dilectus capreæ assimilatus, 462. Medicus dicitur omnipotens, cui nullum vulnus insanabile, 494. Christus Pontifex futurorum bonorum, 498. Christus vocatur Salutaris, 502. Oriens, 507. Petra, 509. Christus pelicanus solitudinis qui fuerit, 517. Christus fuit nicticorax, quando his, qui in tenebris erant, evangelizavit regnum Dei, *ibid.* Catulus leonis dicitur Christus, 517. Forti armato fortior Christus, *ibid.* Christus, qui passer in tecto solitarius fuerit, *ibid.* Christus homo qui seminat, 519. Salvator et propugnator, 525. Excelsus dicitur Christus, 527. Sanctus, *ibid.* Cœlum, *ibid.* Sedes Dei, Cœlum Dei, 528. Primus et novissimus, 531. Propitiatio pro peccatis nostris est Christus, 540. Christus quomodo primogenitus mortuorum, 541. Fons patens domus David est Christus, 544. Christus Dei sapientia, 557. Christus lignum salutis in pelago procellosæ tempestatis, *ibid.* — Christus assumpsit nostram naturam, ut hæc infirma in ipso roborarentur, 6. in Christo non alia suscipientis Verbi, alia hominis suscepti persona, 7. Christi præexistentia, *ibid.* Ætas virilis, tempus est dominicæ Incarnationis, 79. Ætas quæ Verbi incarnationem præcessit, infantia mundi fuit, *ibid.* Adamo non peccante, Christus non fuisset incarnatus, 179. Oleo lætitiæ Dominus unctus est, cum incarnatus, 403. Spiritu sancto mediante Dominus est incarnatus, *ibid.* In Incarnatione admota nobis Dei ubera, *ibid.* Incarnationis prædicatio fucata mundi sapientia longe præstantior, *ibid.* Unguentum effusum est Divinitas incarnata. 405. In amplexus sponsæ ruens Christus, per Incarnationem, quos montes et colles transilierit, 418. In carne absconditus Deus, velut post parietem latuit, 419. Per fenestras et cancellos, mira operando, dura patiendo, quandoque prospexit, 419. Per foramina petræ Incarnationis signantur mysteria, 420. Christus per Incarnationem diademate coronatus, 427. Dies desponsationis, dies est Incarnationis, *ibid.* A Davide præscita Verbi Incarnatio, 496, 498. Laudabile, quod Deus de limo terræ condidit, laudabilius quod perditum Filii morte redemit, 505. Incarnatio Verbi Dei vere gloria nostra fuit, 427. —Christus ex Judæorum populo secundum carnem nasciturus erat, 388. Christi ex Virgine nativitas, in signum data spiritalis ex Deo futuræ hominum nativitatis, 527. Factus est prælialor noster, Conditor noster, 6. Christus in suis ministris loquens, operans, vitæ bonum odorem spargens, 123. Qui Christus dicat diem judicii a nemine, ne quidem a Filio, sciri, 118. Christus nasci noluit de infidelibus, 9. — Christi miracula statutis diebus signata, 11. In Christo quatuor virtutum cardinalium præstantia, 9. Quos vivendo docuit, Christus moriendo redemit, 11. Discrimen inter miracula Christi et veterum Legis patriarcharum, et prophetarum, 45. A Christo edocti sunt prophetæ, 46. Christus jejunavit quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, 266. Christum prædicanti quid discendum, 388. Promissiones de Christo in Scripturis sacris positæ, cur dicantur dies statuti, 11. Quot legis et prophetarum promissiones de Christo, tot statuti dies ad ejus ascensum, *ibid.* Christus solus sine peccato, 459, 477, 497, 502. Christi excellens sanctitas, 44. Ex ejus munere Sancti omnes fiunt, *ibid.* Angeli ipsi creduntur sanctificati in Filio, *ibid.* Pulchritudo sanctitatis vocatur decor faciei ejus, 391. — Christus tam vivendo, quam moriendo Patris sui voluntatem fecit, 12. Nullus sibi durior Christo, 203. A Christo patientiam discamus, 489. Christus accusatus, siluit, *ibid.* Christus patientiæ præbuit incentiva. 490. Christi patientia erga Judæos, Davidis erga filium Absalonem figurata patientia, 545. Christus in exemplum Electorum humilis et obediens, 11. Quantus Christus et quam humilis, 320. Ejus humilitatis exemplum, vanæ gloriæ cupidis prædicatoribus proponendum, *ibid.* Christus pauper et humilis pro nobis factus, 462. Christus, nostrum caput, membrorum infirmitates et passiones suscipere dignatus est, 488. Mediator Dei et hominum ad hoc venit, ut humilitatis et patientiæ nobis præberet exemplum, 489. Christi humilitatem, et passionem imitando, veniam consequimur, 498. Christus paupertatis nostræ suscepit necessitates, ut nos efficeret divitiarum suarum participes, 510. — Christus, per suam erga peccatores misericordiam, manibus reptare videbatur, 307. In Christo, non asperitas Legis, sed singularis enituit misericordia, 387. Multis morbis laboranti subveniat miserationum multitudo, 494. Misericordiæ et miserationis differentia et definitio, *ibid.* Innumerabiles mundo Christus exhibuit misericordias, homines de servitute diaboli eripiens, 495. Christi erga publicanos et peccatores misericordia, 519, 543. Immensa Filii Dei morientis pro peccatoribus misericordia, 544.— Christus bonis operibus pascitur, 435. Quæ sint ejus convivia et deliciæ, *ibid.* In convivio Christi, alii solum comedunt, alii etiam inebriantur, *ibid.* Christus visitans Sanctos facit in suo amore ardentiores, 443. Christi cibus et potus sunt Electorum profectus, 519, et peccatorum conversio, 520. Christus pro nobis precatur, in humana carne se Patri exhibendo, 26. Deus homo factus est intercessor pro iis, quibus homo sufficiens erat nullus, 73. Deus pacatus, non aliena prece, sed sua, iis qui in se peccaverant, *ibid.* Non omnibus, sed quibusdam pacatus, *ibid.* Orat Christus pro Ecclesia, 511. Pro nobis interpellat, 540. Orat caput pro membris, Christus pro Ecclesia, 545. Christi membra, per pœnitentiam afflicta, sunt pelles Salomonis, 410. Qui Christo dormiente, cor ejus vigilare dicatur, 436. Caput Christi Deus, *ibid.*, 440. Cur caput ejus dicatur aurum optimum, *ibid.* Manuum Christi descriptio, 441. Cur manus ejus plenæ hyacinthis, *ibid.* Venter Christi cur dicatur eburneus, 441. Distinctus saphiris signat mortalitatem Christi miraculis ornatam, 442. Christi species ut Libani cur dicatur, *ibid.* Christi membra capitis sui verba, quasi sua, loquuntur, 487. Magna membrorum consolatio, caput nostrum, passionis nostræ Christum fieri participem, 488. Pedes Christi, id est Apostoli, in ejus passione commoti sunt, 490. Qui per ossa Christi, qui per carnem significentur, 514. Ossa corporis Christi quomodo sicut cremium arescant, *ibid.* Ut caveamus aridita'em, Christo capiti inhæreamus, 522. Christus adhuc tribulatur in suo corpore, 512. —Christus verus Deus, 42, Christus se Deum incomparabilibus miraculis comprobavit, 44, 45, 73. In Redemptore divinæ essentiæ incompatibilitas, *ibid.* Super excelsa statuitur, cui Redemptoris divinitas revelatur, 52. Humanitas Domini a divinitate assumpta, 67. Redemptoris divinitatem negare Judæi fidelibus suggesserunt, 68. Sed renuit Ecclesia, divinitatis cibum repromittens, *ibid.* Christus, Deus et homo signatur per lapidem revolutum, 520. Splendor æternæ divinitatis dicitur decor faciei, 390. —Christus Moise et Abrahamo longe major, 43. Illi assumpti ad ministerium, unigenitus est assumptus ad regnum, 44. In eo quod Dominus asseritur, sanctitatis ejus excellentia commendatur, *ibid.* Quantum cæteris Sanctis Christus antecellat, 389. Christi decor et pulchritudo, 390. Nunc Christi posteriora cernimus, ut sequamur, anteriora postmodum visuri, *ibid.* Ut ad Christum perveniatur, omnes homines pertranseundi, 425, 467.—Christus Patris Verbum, et Dominus omnium scientiarum, 46. A Christo edocti prophetæ, *ibid.* Christus non linguæ solum, sed etiam Judex cordis 47. Pater judicium suum filio regi dedit, 525. Christus solus liber a manu Philisthiim, a peccatoribus segregatus, 165, 440, 497, 502. — Christi cornu exaltatur, Electis in cœlesti gloria collectis, 53. Regnum Domini semper æquale, quando sublimabitur, 54. Petrus in monte gloriam Christi imperfecte vidit, 391. Illam prædicare non audeat, nisi qui ad cœlestia erigitur, 392. Oculos ad Christi beatitudinem fixos avertere cur præcipiamur, 444. Oculi mentis qui efficiunt ut Christus avolet a nobis, *ibid.* — Christi sacerdotium novum exclusit vetus, 78. Repulsis synagogæ sacerdotibus, Christus fideles sibi sacerdotes instituit, 79. Hi ejus voluntati obtemperarunt, 80. Per Christum credentes dealbamur et sublimes efficimur, 442. Christus nobis forma justitiæ, quam imitemur, propositus, 490, 498. Coram Christo ambulat, qui, in omni quod agit ejus exemplum sibi proponit imitandum, 80. Qui Christus vincat, cum judicatur, 497. Christus finis et consummatio Legis et Prophetarum, 466. Christus bonorum omnium perfectio est, 467. — Christus a suis relictus, inimicis vim inferentibus, 488. Qua gloria cumulati, qui Christum glorificaverunt, 77. Christum scire, nisi ametur, inutile, 389. Quo propius ad nos accedit Christus, eo magis fœditatem nostram nobis ostendit, 409. Qui amici, qui autem Christo sint charissimi, 435. Hi cor Christi dici possunt, 436. Christo caros non est, nisi qui sacris Scripturis delectatur, 451. — Christi benignitas erga suam sponsam, Ecclesiam quanta, 507. Hæc vero est omnino gratuita, *ibid.* Christi erga peccatores et incredulos benignitas nobis veniæ ob-

tinendæ spem facit, 519. Maneamus in eo, qui manet in æternum, 540. Fructum facere non possumus, nisi in eo maneamus, *ibid.* — Christi opera, quæ nobis proposuit imitanda, per manus ejus designantur, 441. Tornatilia, propter perfectam eorum justitiam, *ibid.* Aurea propter divinitatem, a qua procedebant, *ibid.* Qui contumeliis convitia retulerit, a doctrina Christi fit extorris, 489. Qui Christus in sermonibus suis justificetur, 497. Christus quod clamet in solitudine, in domicilio, in tecto, 517 — Christus persecutores suos paternæ præceptionis sibi injunctæ habuit adjutores; 13. Judæi Christum occiderunt, ne totus post eum mundus abiret, 48. Totus post eum abiit mundus, quia occisus revixit, *ibid.* Arcus fortium superatus Resurrectione, Ascensione, Spiritus sancti missione, *ibid.* Christi de Judæis victoria, 490. — Christus quod explevit, non valet, nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet, 224. Imitatores Christi, non homines, sed supra homines, esse oportet, 399. Qui Christus sit fasciculus myrrhæ suis imitatoribus, 415. Imitatores Christi æterna manet felicitas, 441. Signaculum Christi super cor, et super brachium, ponatur, 456. Qui vias passionis Christi sequitur, super nivem dealbatur, 499. Via virtutis Christi, est imitatio constantiæ ejus, 551. — Christus moriens inferni vires comminuit, 7. Ad hoc cognosci voluit Christus, ut moriendo redimeret, quos vivendo docuisset, 11. Christo injunctum a Patre moriendi præceptum, 12. Helcanæ sacrificio Christi passio figurata, 13. Torta panis, Redemptoris caro est affecta suppliciis, 81. Unus agnus lactens offertur, quia præter Christum, qui peccata tollat, nullus reperitur, 168. Christus in quo sibi durus esset, et pati posset, pro nobis dignanter assumpsit, 203. Ad passionem Christus tendens, cur absolutæ asinæ et pullo insedit, *ibid.* A quibus Christus in sepulcro ungatur, 336. Mori Christo quiescere est, et dormire est, 436. Christus in cruce moriens Ecclesiam suscitavit, 456. Christus in suæ erga nos dilectionis fortitudine passus, 457. Passio Christi nobis imitanda, 498. Quod Deus hominem condidit de limo terræ, potestatis est; quod Filii morte, perditum redemit, gratiæ, 505. Christus pro nobis anxiatus, morti traditus, a ligno suspensus, 510. Quomodo pelli, consumptis carnibus, os Christi adhæserit, 514. Occiderunt vitam mortui, 517. Christus Leo requiescens accubuit, *ibid.* Christo pro nobis passo, compatiendo respondendum, 530. — Christus resurgens nobis aditum reseravit æternitatis, 7, 541. Quos Christus apud inferos reperit, ad Paradisi gaudia reportavit, 13. Helcana et omnis domus ejus ascendens, ut immolaret hostiam solemnem, significat triumphum ascensionis Christi, 23. Humana natura super angelos elevata, cornu Ecclesiæ exaltatum est, 41. De Judæorum sævitia per resurrectionem triumphavit Christus, 47. Judæi non despiciant Christum, quod mori potuerit; sed mirentur, quod resurrexerit, 48. Christus resurgens discipulis in secreto viventibus apparet, 234. Ex Christi ascensione quantum Ecclesia profecerit, 414. Quando et qualis Christus, qui per ascensionem abest, ad nos reversus sit, 422. Mortalitas Christi, ad immortalitatem resurgendo transivit, 441. Christus de Judæis victoriam resurgendo reportavit, 490, 497. Christus in morte dormivit, vigilavit in resurrectione, 517. 541. Gloria Christi, resurrectio est, 524. Virtus Christi est gloria resurrectionis ejus, 529. Christus mortuus est et resurrexit, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, 556. Christus ante mortem gloriam fugit : post mortem cognosci voluit, 320. Christus ad se nos trahit, et suis præceptis, et Sanctorum exemplis, 420.

Cibum sumere, et post cibum sumere, quid signent, 15. Cibo sæpe, non ad refectionem, sed ad delectationem utimur, 33. Electæ animæ cibus, quis sit, 38, 67. Hic cibus in sacris vasis coquitur, *ibid.* Cibus animæ est sermo Dei, 206. Devotionis affectus, mentis cibus est, 211. Cibus corpori quomodo dandus, 260. Cibum operemur permanentem in vitam æternam, 555.

Cicatrices corruptæ quid significent, 484.

Cincinni capitis Sponsi, guttis noctium pleni, quid figurent, 437. Per cincinnos Sponsi populi sunt intelligendi, *ibid.*

Cineri similis peccator, 519. Hunc cinerem quomodo Christus manducet, *ibid.*

Circuitus. In circuitu inimicos habemus, qui ex omni parte nobis insidiantur, 329. Eosdem in circuitu qui vincamus, *ibid.*

Circulus dierum quid significet, 23, 39.

Cis generatio memoratur, ut regia dignitas, quæ condebatur in filio, non mansura signetur, 188. Cis interpretatur durus, *ibid.* Fortis robore, cur durus dicatur, *ibid.*, 201, 202. Cis electos et ipsum significat Redemptorem, 203, 231. Et bonos pastores, 231. Cis et Ner, unius patris filii, quid figurent, 338.

Cithara significat verbum solatii electorum, 240. Cithara post tibiam ducitur, ut sic defleamus ærumnas exsilii, ut gaudeamus de promissione æternæ hæreditatis, *ibid.*

Cives cœlestes qua via ad Dei visionem pervenerunt, 221. Cives civibus prosunt bene operando, 327. Omnes, aut Jerusalem, aut Babylonis cives sunt, 507.

Civitas quæ sit Redemptoris, 10. Civitas dicitur cohabitantium munimentum, 33. Hæc civitas quid significet, *ibid.* In civitate sedere, quid sit, *ibid.* In civitatem suam reverti, quid sit, 58. Unaquæque civitas in cœlum clamans, quid significet, 143. Domus solis, civitas est cœlestis, 156. Civitates muratæ, sunt mentes eruditione Scripturarum circumdatæ, 159. Civitas Sanctorum Jerusalem, quæ sursum est, 161. In civitate vir Dei quærendus, 208. In civitate est doctor, quando per ministerium prædicationis moratur in eruditione populi subjecti, 209. Quando prædicator in civitate est, quando in excelso, 210. Porta civitatis hujus est humilitas, 216. Civitatis Ecclesiæ quatuor partes, 227. Extrema pars civitatis est ultima pars populi subjecti, *ibid.* In extrema parte civitatis, id est Ecclesiæ sunt pœnitentes, *ibid.* Per civitatem, Ecclesia : per vicos civitatis, viri spirituales intelliguntur, 423. Per plateas, viri sæculares, *ibid.* Jerusalem, quæ sursum est, civitas pacis dicitur, 508, 558. Hujus descriptio civitatis, *ibid.*, 558. Muri hujus civitatis ex electis lapidibus vivis ædificantur, 508. Figuram hujus civitatis templum Salomonis gestavit, *ibid.*

Clamor quorum in cœlum ascendisse dicatur, 143. Clamor cordis est fervens devotio, 168, 486. Clamor pastoris est devota salutis subditorum postulatio, 274. Clamor populi post Saul, ad sonitum buccinæ, quid significet, 281. Pastorem tota nocte clamare, quid sit, 353. Tota die quis dupliciter male clamet, 475. Clamor peccatum significat, *ibid.* Clamor aliquando in bona, aliquando in mala significatione accipitur; 511. Clamor justi, et clamor impii, *ibid.* Christus quid clamet in solitudine, in domicilio, in tecto, 517.

Clivum ascendat civitatis ad Videntem accessurus, 209. Clivum ascendimus, cum planitiem infirmorum auditorum ad exemplum nobis non proponimus, *ibid.*

Coccus bis tinctus in veste pontificis significat duplicem charitatem, 382. Per coccum flamma charitatis intelligitur, 428.

Coci sacerdotes sunt, 223. *Vide* Coquus.

Cœlorum nomine apostoli designantur, 53, 532, 549. Cœli sumus, cum in altitudinem divinæ gratiæ, præsidentis nobis, sublevamur, 61. Tonitrua cœlorum sunt perfecta desideria electorum, *ibid.* Opera manuum Dei quomodo sint cœli, 532, 549. Quomodo cœli sint perituri, 533. Cœlum nemini pateret, nisi Filius Dei pro nostra salute carnem sumpsisset, 509. Quibus gradibus in cœlum ascenditur, 536.

Cœnobitæ eruditur pueri Samuelis exemplo, 85. Cœnobitæ meritum ex obedientia metiendum, 101.

Cogitationis illicitæ subtilis deliberatio pulveri comparatur, 62. Non solum verba, sed etiam cogitationes a Deo judicantur, 58. Cogitare pro peccato, quid sit, 94. Ipsæ cogitationum turbæ, greges nostri sunt, 198. Mentis cogitationes Christo subdendæ, *ibid.* Cogitatio spiritalis quomodo sit fructuosa, 208. Via Ephraim, id est, frugiferi cordis, bona est cogitatio, 293. Hostes nostri bonis insidiantur nostris cogitationibus, *ibid.* Mentis, contra lascivas cogitationes, custodia, 331. Hæ cogitationes cur paleæ comparentur, 343. Si pravis cogitationibus occurramus, facile libido superatur, 351. Cogitationes, cordis nomine, significantur, 456. Cogitare aliquid bonum a nobis non sufficimus, 551. Per cogitationes malas dæmon in corde requiescit, 164. Cogitare duas res simul non possumus, 351.

Cognitio cœlestium quibus modis acquiritur, 102. Præcipuum hominis studium sit, seipsum cognoscere, 412. Clarum est venturæ salutis indicium, si incipit homo cognoscere semetipsum, 494, 549.

Coinquinant hominem, non res, sed prohibitionis rerum transgressio, 566.

Colli similis est Scriptura sacra, 237. Collis nomine Christus designatur, 239. Collis, non summitas, sed montium est altitudo summitati vicina, 293. Collis significat perfectam subditorum fidelium vitam, *ibid.* Collis in lege Domini reperitur, 239.

Collum significat locutionem, 202. Collum super alios habet, qui altitudine locutionis cæteris præeminet, *ibid.* Collum sponsæ sicut monilia, quid designet, 414, 528. Collum significat conjunctionem membrorum Ecclesiæ cum suo capite, 431, 528. Hæc conjunctio fides est, *ibid.* Collum sponsæ significat prædicatores, 450.

Columbæ ad fenestras suas quid significent, 268, 299. Oculi columbarum qui sint, 415. Columba in amore, pro cantu, gemit, *ibid.*, 485. Columba in foraminibus petræ, simplex anima in vulneribus Christi roboratur, 420. Columbæ super rivulos aquarum, quid signent, 440. Columbæ lacte lotæ quid figurent, *ibid.* Una columba dicitur Electorum Ecclesia, 446. Columba propter simplicitatem figurat animam Christi sponsam, 419.

Columnæ aureæ significant apostolos, 442.

Comæ capitis sunt cogitationes mentis, 451. Per comas Christi fideles quosque intelligimus, 440. Quid sit comas in carnalibus ligari, 451.

Comedere victoribus, est de peracto bono opere cibos vanæ laudis suaviter excipere, 314. Usque ad vesperum ab hujusmodi comestione abstineamus, in fine diei secure reficiendi, 315. Comedere cum sanguine, quid sit, 319.

Commodare. Quidquid commodamus, id redditi nobis in fide excipientis exspectamus, 29.

Commotio terræ dolorem significat pœnitentiæ, 143.

Communio. A virtute sacramenti ideo jejunant, qui ante Eucharistiæ sumptionem non se probant, 59. Non saturantur nisi famelici, *ibid.* Se probare, est evacuata peccatorum nequitia, ad Dominicam mensam se purum exhibere, 60.

Compediti dupliciter intelliguntur, 528.

Compunctionis fletus, 38. Utilitas compunctionis intelligitur, cum de fiducia divinæ indulgentiæ ineffabiliter lætamur, 145. Quos Deus per compunctionem sauciat, per indulgentiæ securitatem curat, 146. Dum mens flendo compungitur, caro quoque affligatur, 166. Fletu ipso compunctionis, non favorem sæculi, sed solum quæramus divinæ fructum placationis, *ibid.* Pias compunctionis lacrymas Spiritus sanctus insiliens instillat, 242. Compunctionis gratia menti non infunditur, nisi prius ei peccati magnitudo monstretur, 274. Altaris nomine compunctio cordis intelligitur, 321. In nobis duplex altare, duplici ex compunctione ædificandum, *ibid.* Compunctio ex amore describitur, 404. Toties anima osculatur Deum, quoties in ejus amore compungitur, *ibid.* Præponitur danti exteriora sua is, qui interno mentis ardore compungitur, *ibid.* Frequens debet esse compunctio, *ibid.* Dies solemnis Domino, est compunctio cordis nostri, *ibid.* Mens amore compuncta angelorum cibo pascitur, 417.

Concordia fraterna Judæorum et Gentilium in fide genitorum, 450.

Concubinæ octoginta cur malos signent prædicatores, 445.

Concupiscentiæ sæculares comparantur meretricibus, 84. Concupiscentia sæcularis est uva reprobæ mentis, 173. Concupiscentia uva est visu, fel sapore, 196. Concupiscentiæ, quæ signatur per Bores petram, primatus nomen convenit, 303. Concupiscentiæ male medetur, qui eam explere cogitat, 304. Concupiscentiæ humilitas qui adversetur, *ibid.* Moab concupiscentiam designat, 330. Concupiscentiæ fructus, peccatum, angustia, tenebræ, 348. Concupiscentiæ motus ægre sustinent Sancti, 267. Quomodo impugnandi, *ibid.*

Confessionis utilitas, 491. Sunt aliqui qui se, et de nequitia accusant criminis, et pravitatem non corrigunt voluntaris, 93. Perfectissimum sinceræ confessionis exemplar, 326. Tale debet esse peccatum in confessione, quale fuit in opere, *ibid.* Intelligentiæ per peccatum perditæ lucem, confessionis humiliatione revocamus, 478. Confessio alia est peccati, alia laudis, 559. Veræ confessionis signa 367. Confessio peccatorum quam laudabilis, *ibid.*

Confessario, quæ dotes necessariæ, ut rite liget et solvat, 166. Periculum est ne peccatorum confessionem excipiens, ad obscena, quæ audit, inardescat, 350. Confessio sacerdotibus facienda, 369, 474. Confessionem, quæ sequi debet emendatio vitæ, 539. *Vide* Pœnitentia.

Confidendum et sperandum in Deo solo, 489. Qui confidit in homine, maledicto subjacet, 553. Confidere ordinate vel inordinate de Dei misericordia, 108.

Confinium viam gradiendo deserere, quid sit, 152. Confines nostri sunt electi priores, *ibid.* Confines dicuntur qui juxta se possessiones dispositas habent, *ibid.* Qui recte vivunt in hoc mundo cælestibus civibus confines sunt, *ibid.* Via confinium est afflictio temporalis, *ibid.*

Conjuges ab omni obscenitate caveant, 344, 347. Conjugalem honestatem prætergredientibus Deus æternam pœnam minatur, 347. Conjuges voluptatis affectum vitare nequeunt, 348. Conjugalis copula non est peccatum, 497.

Conscientia peccati morderi, quid sit, 139. Quomodo vulnus conscientiæ obducatur, 145. Testimonio bonæ conscientiæ, de amore Dei præsumere, est in ejus conspectu stare, 275. Propriæ conscientiæ testimonio non est securus, a Deo judicandus, 324. Per lectum conscientia signatur, 471. Conscientiæ secreta Deum non latent, 496.

Consecratio electorum Ecclesiæ ministrorum, 161.

Consilium intelligendum est in præcepto diligendi ex toto corde, 116. Per consilium veritatis certitudinem investigamus, *ibid.* Majorum consilia nobis quantum veneranda, 181. In rebus dubiis illos debemus consulere, quibus aperte scimus spiritalia dona non deesse, 311. A sacerdotibus optima consilia, 322. Consilia in sacris Scripturis quærenda; iisque inventis plenissime adhærendum, 440. Consulere Dominum, quid sit, 207.

Consolationis internæ suavitate, inter adversa, reficitur Ecclesia, 15. Postquam comminatione justitiæ Deus terruit, consolatur ostensione misericordiæ, 110. Saluberrimum consolationis remedium, tribulationem exterius patienti, 556.

Conspersio pulveris pertinet ad æstimationem humilitatis, 131.

Consuetudo peccandi vertitur in necessitatem, quæ est pœna peccati, 186, 351. Prava consuetudo est domus in qua quiescit peccator, 372. Peccato pejor, peccandi consuetudo, 472. Consuetudo bona viri Electi, 513.

Consulere Dominum imus, quando ad eruditos prædicatores pergimus, ut salutis nostræ consilium inveniamus, 207.

Contemnunt Christum, qui negant eum esse mundi Redemptorem, 78. Quo affecti dedecore, qui Deum contemptui habuerunt, *ibid.* Et quo afficiendi in æterna retributione, 87, 88. Contemptores Dei perpetua ignobilitate feriuntur, 88.

Contemplatio frequens esse debet pastoribus et prædicatoribus, 22. In Dei contemplatione instruimur qualiter disponenda sint terrena, *ibid.* Ad contemplationis altitudinem evecti domestici Dei, et familiares, 25. Mundanis occupatus curis in oculis gestat pulverem, quo id quod cupit videre non potest, 32. Quomodo pulvis ex oculo abjiciendus, *ibid.* Vitæ contemplativæ celsitudo nonnisi gravi labore, comparatur, *ibid.* In æternæ visionis splendoribus paulatim proficiendum, *ibid.* Hoc divinæ dignationis est, et gratiæ, non humanæ virtutis; *ibid.* Frustra contemplationem appetit, qui non solum cordis, sed nequidem custodiam habet corporis, 33. In Deo per contemplationem videmus, et quod terreat et quod delectet, *ibid.* Fructus divinæ contemplationis, 34. Ordinatus contemplationis ascensus, est a timore incipere, *ibid.* Aliquando contemplationem sequitur timor, *ibid.* Mens ad contemplationem admissa, ab elatione per timorem custoditur, *ibid.* Aliquando nec antecedit timor, nec sequitur contemplationem, *ibid.* Gradus, quibus ad contemplationem ascenditur, 35. Bonis operibus eo magis studendum, quo altius in contemplatione ascenditur, *ibid.* Immoderata boni operis sollicitudo contemplationi non parum nocet, 36. Qui ima despicit, perfectionem contemplationis habet in spe, quam nondum habet in virtute experientiæ, 37. Gaudium contemplationis ad fructum mentis expetendum, non ad vanam gloriam, *ibid.* Anima electa a contemplatione ad semetipsam relapsa, in alto se teneat, unde ad eamdem iterum consurgat, 38. In contemplatione divina lumen ad mensuram dispensatur, 39. Contemplationem comitetur humilitas, 41. Cornu habet exaltatum in Deo suo, qui sublimitatem summæ contemplationis obtinuit, 55. Os mentis repletur, cum ejus ratio per infusam sibi gratiam in contemplationem attollitur, *ibid.* Repleri menti est, illustratione summæ veritatis imbui, *ibid.* Mens in contemplationem Divinitatis sui Redemptoris assumpta, sapientiæ accipit magnitudinem, et plenitudinem charitatis, 56. Humilitatis merito lumen contemplationis acquiritur, 97, 236. Diversi modi contemplationis explicantur, 102. Ad cœlestium contemplationem per quietem operis, silentium oris, et superfluarum cogitationum abjectionem præparamur, *ibid.* Samuel reversus dormivit, id est in internæ contemplationis intentione requievit, 116. Ad contemplationem provectis, elatio metuenda, 117. Per bonorum operum viam ad contemplationem ascendendum, 154. Quæ in contemplatione mens pura nunc conspicit, aliquando apprehendit, *ibid.* Quæ consilia perfectionem et contemplationem ambientibus danda, 157. In contemplatione sublimes, quæ norunt, perficiant et impleant, 163. Contemplatione pasti, virtutum splendore ornantur, *ibid.* In Masphath morantur, qui in divinarum rerum contemplatione persistunt, 170. Ex arcano contemplationis consulti contra hostes eximus, eosque cædimus, *ibid.* — Contemplationis quantum pateat facultas, 174. A prædicatione ad contemplationem redeundum, 204. Quo altius in contemplatione suspendimur, eo nobis fortiores, et proximo utiliores invenimur, 205. In altissima contemplatione suspensi prædicatores ad docendos subditos descendant, 209, 236. In secreto contemplationis ditentur thesauris cœlestibus, 210. Aliæ ministerii, aliæ sint contemplationis horæ, *ibid.* Proprius prædicatorum locus, contemplatio, 212. Ad altiora contemplanda, quæ necessaria sit mentis præparatio, 217. Contemplationis modi et termini, 231. Deus vult nos sibi esse vicinos per contemplationem et orationem, 232. A sublimiori contemplatione descendant, qui alios erudiunt, 236. In contemplationem provecti fletum habent in sua potestate, *ibid.* Sponsi contemplatio umbra est, 300. Contemplatio internæ lucis splendida valde dies est, 313. Contemplationi nonnisi pauci addicuntur, 334, 407. Ad eam per bonorum operum labores perveniendum, *ibid.* In quibus conveniant, aut dissonent actio et contemplatio, 335. Rari sunt

in publico contemplativi, 336. A Christo ad momentum recedere fornicationem putant, *ibid*. Holocaustum maximum Deo offerunt, qui se totos contemplationi per amorem addicunt, 360. Per Cantica Canticorum contemplatio designatur, 401. Per tres Salomonis libros scala ad contemplationem constituitur, *ibid*. Contemplatio est cubiculum domus regiæ, 407. Ex dono contemplationis in humilitate proficiendum, *ibid*. Ex paucorum consideratione, qui ad contemplationem ascendunt, infirmi in spem misericordiæ eriguntur, 408. Cella vinaria, contemplatio vocatur, 417. Anima sancta contemplationis otio fruens a carnalibus importune excitatur, 418. Inutilis contemplantium vita a carnalibus æstimatur, *ibid*. Sic contemplationis quieti vacandum, ut charitatis opera non omittantur, *ibid*. Vacandi Deo licentiam libentissime sponsa suscipit, *ibid*. Per speculum contemplando invenitur Christus, 423. Sancti per contemplationem ad cœlestia elevati, quidquid in se vitiosum latebat, inveniunt et emendant, 506. *Vide* Vita Act. et Contemplativa.

Contendunt cum Deo in judicio, qui vel se flagellatos ab eo conqueruntur, vel non exauditos, 546.

Continentiæ candor Ephod lineo signatur, 82. Continentiæ corporis adjungatur puritas cordis, 169.

Contra ponendum peccatum, non in dorsum rejiciendum, 496, 500. Deus minatur peccatori impœnitenti se contra faciem ejus iniquitates positurum, *ibid*.

Contradictio. Christus in signum positus est, cui contradicitur, præsertim ab hæreticis, 259. At non a sacris utriusque Testamenti doctoribus cœlitus illustratis, *ibid*.

Contritio est dolor animæ, de misericordia Dei confidentis, 468. Contritionis causæ, 469. Qui cor conterant, sed non humilient, 506. *Vide* Pœnitentia.

Conversatio Evangelii, comparatione legalis vitæ, lini subtilitas est, 69. Conversationis piæ exempla quam utilitatem habeant, 83. Conversationis profectus, qualis, 85. Conversatio ad opera pertinet, *ibid*. Conversationis pulchritudo in nonnullis sacerdotibus veterascit, 189. Conversatio Sanctorum spiritualis, quibus panditur, 217. Conversatio secretior tentationum incendia non sentit, 233. Conversationis electæ ordo rectus, 244. Conversationem spiritualem Electi quam habent, majorum locutione didicerunt, 251. Conversationis exempla sequi minores debent, 338.

Conversioni peccatoris quid ministri Ecclesiæ, quid Christus conferat, 27, 309. Pastoralem curam exercenti discrete, Deus conversionum lucra multiplicat, 83. Conversio est interioris hominis renovatio, 93. Conversio in ore non accipitur, sed in corde, *ibid*. Conversio fiat in carne et in mente, *ibid*. Quomodo Spiritus sancti visitatione corda convertantur peccatorum, *ibid*. Qui converti renuunt, Ægypto et Pharaoni similes, 149. Iterare verbum in oratione signat imperfectam, peccatorum conversionem, 159. Perfectio veræ conversionis significatur per oblationem ani et muris unius, *ibid*. Conversionis ordo et integritas, 164, 275. Integra flagitiosorum conversio valde difficilis, 304. A vita reproba privari, interfici est, 307. Prima peccatorum plaga, conversio : secunda, damnatio, 308. A timore et conturbatione incipit conversio, 309. In conversione peccatorum quædam Deus per se præstat, quædam per homines, *ibid*. Nulla conversionis et salutis expers conditio, 314. Conversio cordis necessaria ad pœnitentiam, 367. Magna amaritudinis tela nuper conversi patiuntur, 370. Prius a peccato surgendum, deinde ad cœlestia properandum, 420. Animæ recens ad Deum conversæ, quantæ a carnalibus, tentationibusque pressuræ et angustiæ, 478. Peccatores conversi alios ad pœnitentiam vocare curant, 503. Conversio cur aliquando a Deo differtur, 204. *Vide* Peccatorum conversio, *item* S. Pauli.

Copulæ usus meritricius conjugibus interdicitur, 347. Copula maritalis, ex divina institutione, bona, 497. Carnalis delectatio est pœna peccati, *ibid*.

Coqui carnem, quid sit, 67. Credere humanitatem Domini in divinitatem assumptam, quæ immoletur Deo, carnem coquere est, *ibid*. Coqui nomine sacerdos designatur, 223. *Vide* Cocus.

Cor perfectæ circumspectionis custodia muniatur, 33. Cor suum in Deo, per gaudium miræ devotionis, mens posuit, 54. Cor non habet suum reprobus, quod diabolus possidet, *ibid*. Cor Deo præparandum, 164. Cordis puritas corporis continentiæ adjungatur, 169. In cordis altari amoris holocaustum offeratur, 176. Cordis motus quomodo subdi Christo debeant, 198. Mundus corde quis sit, 211. Cor nostrum nos derelinquere, quid sit, 222. Cor nostrum invenimus, quando per intentionem cordis, spiritalia quærimus, 223. Cordis puritatem facit Spiritus sancti præsentia, 243. Diversæ cordis immutationes, 246. Qui sint quorum Deus corda tangit, 257. Non minus miraculum immutatio cordis, quam perturbatio aeris, 274. Cor in vita spirituali negligentis comparatur, littori maris, 283. In cordibus amore cœlestium non succensis castrametantur spiritus maligni, 284. Cor pro voluntate sumitur, in Scriptura sacra, 290. Vix Sancti invenire possunt cor suum, 325. Quanto minus imperfecti, *ibid*. Oculi cordis, aspectus est rationis, 357. Qui superbiunt, oculos cordis perdunt, *ibid*. Projecti cordis duritia, 367. Quid sit, corde credere ad justitiam, *ibid*. Cor forte subjecti tentationibus, inconcussum signatur, 376. Qui fiat cor thuribulum coram Deo, 425. Quomodo cor nostrum aperire Christo debeamus, 438. Duritia cordis per Spiritum sanctum animæ infusum mire et suaviter dissolvitur, *ibid*. Ne hac suavitate diu anima perfruatur, quid obstet, 439. Oculus cordis amore terreno sordidatur, 457. Cordis voce ad Deum clamandum, 486. Cor quomodo mundandum, 501. Cor frustra contritum, nisi sit humiliatum, 506. Corpus nostrum templum Dei : cor est altare, 509. Cordis cæcitatem generat libido, 357.

Coram Christo ambulare, quid sit, 80.

Cornelium quod ad fidem susceperit, a Judæis fidelibus Petrus arguitur, 410.

Cornu Annæ est potestas sanctæ Ecclesiæ, 41. Qui exaltatum sit cornu nostrum in Deo nostro, 42, 56. Cornu Christi sublimandum, quid sit, 53. Cornu electæ mentis intentionem designat, 55. In Deo fixa extollitur, in bonis transeuntibus deprimitur, *ibid*. In Deo exaltatum cornu habet, qui interni luminis alta visione fruitur, *ibid*. Cornu ferire est peccatores acute redarguere, 375. Cornu oleo impleri, quid sit, *ibid*. Cornu spiritalis conversatio doctoris est, *ibid*. Cornu olei tolli, quid sit, 384. Cornu oleo plenum, disciplinæ acumen et gratiæ unctionem significat, *ibid*. Cornu acuitas Legis signat austeritatem, 387. Cornu regni Christi significat Ecclesiæ sublimitatem, *ibid*. Cornu salutis est sublimitas Ecclesiasticæ potestatis, *ibid*. Qui hoc cornu erectum, et oleo plenum, *ibid*. Mentis affectum cornu designat, 388. Cornu impletur, quando bene sanctitas Christi agnoscitur, *ibid*. Pleno cornu Christus ungitur, quando optime prædicatur, *ibid*. Cornu altaris est exaltatio sacrificii interioris. Per cornua vitulorum utriusque Testamenti præcepta notamus, 510. Cornua producimus, si in his, quæ carnis sunt, Deo placere studeamus, *ibid*. Cornu multipliciter accipitur, 384, 388.

Corpus sine mente reficientes, mente mortui sunt, carne vivi, 218. Quantæ et quot sint molestiæ corporis, ex peccato ortæ, 482. Nulla pars corporis nostri a vitiis intacta remanet, 485. Corpus nostrum templum Dei est : cor, altare, 509.

Correctionis forma, 357. Quo studio erga correctionem subditorum vigilandum, 164. Quomodo culpæ a pastore sint corrigendæ, 291. Pastores ad correctionem peccatorum venientes, noverint se cum angelis lapsis pugnam habere, 304. Arma quærant contra hostes astutos et fortes, *ibid*.

Correptio mollior, cum severitas obstinatis est necessaria, quantum noceat pastori, 84. Severa correptione, obstinati peccatoris duritia est vincenda, *ibid*. Pastor ab iræ perturbatione liber, ita corripiat subditos, ut surgere valeat et ascendere, 291. Sic peccatores arguendi sunt, ut nullus eis relinquatur effugiendi locus, 357. Peccatores correpti anguibus similes, 358. Sub correptionis asperitate charitas lateat, 384. *Vide* Increpatio.

Cras semper promittitur, reperitur nunquam, 261. Dies crastinus est divinæ visitationis adventus, 264.

Creaturæ mater, benignitas et potentia Dei, 411. Justum est ut creatura obediat Creatori, 555.

Credere corde ad justitiam, est voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem, 367.

Crescit, qui in virum perfectum mentis ætate proficit, 109. Qui crescere videantur, cum quibus Dominus non est, *ibid*.

Crimen aliud, aliud peccatum, 321, 566. Istud omne vitare possumus; hoc autem omnino delere non valemus, *ibid*.

Crudum agnum manducare quid significet, 67. Agnum aqua coqui, quid sit, *ibid*.

Crux Christi cœlestem cibum parat, 452. Per palmam crux Christi figuratur, *ibid*. Crucem quasi palmam Christus ascendens, ejus fructus nobis obtulit, *ibid*. Hinc charitate inebriamur, *ibid*. Per arborem malum crux significatur, 456. Crucem patientibus quanta tribuantur, 14.

Cubiculum est pars domus secretior, 424. Sarcinis mundi abjectis, viri spirituales cubiculum faciunt Sponso, *ibid*.

Culmen Ecclesiæ invadentes, rapinam invasi culminis a Deo traditam oblivioni, ob aliqua a se fortiter facta, falso æstimant, 279. Qua via ad culmen Ecclesiæ pateat accessus, 376. Nulla dispensatione indigni ad culmen religionis venire permittantur, 581.

Culpa, quæ feriri digna severitate non potest, dissimulanda, non exponenda est, 258. Culpa prius invenienda, deinde pœna est irroganda, 323. Tractari diutius debet, ut inveniatur culpa, *ibid*. Non omnes culpæ eadem severitate feriendæ, 324. In gravibu

etiam feriendis culpis, delinquentium habenda ratio, *ibid.*, 327. Singulorum infirmitas, aut fortitudo explorandæ, 325. Ex conjecturis non feriantur, sed indagentur culpæ, 326. Culpa apertis quibusdam indiciis cognita, ante non est judicanda, quam apertissime demonstretur, *ibid.* Ponderentur culpæ, non acceptione personæ, sed respectu prioris vitæ, 327. Culpæ subditorum quandoque prælato adscribuntur, 324. Quanto zelo culpæ subditorum a prælatis puniend e, 291, 325.

Cupiditati ipsa velocitas tarda est, 351.

Curæ terrenæ repulsio, præparatio est nostra ad perceptionem supernæ gratiæ, 99. Spiritualia disponere oppressus sæcularibus curis nunquam potest, 225. Vacandum a curis sæcularibus, ut quæratur Christus, 422. Mens a curis sæcularibus libera, est lectulus Christi, 425.

Curatio difficile acquisita cautius custoditur, 470.

Curru antiqui pugnare consueverunt, 192, 282. Sic evecti et sublimes Israelitarum filii ad pugnandum vires exerant, *ibid.*, 194. In bello spiritali, quinam ex curru pugnent, *ibid.* Qui paratus ad pugnandum currus, 194. Curru exprimitur rectæ intentionis sublimitas, *ibid.* Sublimi currui præsidere, quid sit, *ibid.* Currus Dei qui sunt; qui Pharaonis, id est diaboli currus, 413. Currus Pharaonis in mari Rubro, id est baptismate submersi, quid figurent, *ibid.*

Currendum fortiter post Christum, et non ante, 406.

Curvari usque in finem, quid sit, 484.

Custodia mentis contra lascivas cogitationes, 331. Custodia vinearum quid sit, 410, 411. Qui neglecta sui ipsorum cura, eorum, quæ juxta se sunt toti incumbant custodiæ, *ibid.* Custodia pii Samaritani, quantum in hac vita indigeamus, 494. Custodia matutina quid significet, 541, 542. Judiciorum Dei custodia, 542. Quæ sint divitiæ custodiendæ ei qui ad lumen pervenit, *ibid.*

Cyneus interpretatur possidens, 347. Cyneus conjugatos significat, *ibid.*

Cypressus quid designet, 416.

Cyprus insula est, in qua uberiores vineæ nascuntur, 415. Per Cyprum Ecclesia universalis designatur, *ibid.*

D

Dæmones appellantur fortes, 58. Dæmones moribus designantur, 139. Dii alieni nuncupantur, 164. Imperfecta Christianorum desideria dæmones non terrent, 169. Terrentur Electorum devotione, cæduntur opere, 170. Dæmones in multis serviunt Sanctis viris, 196. Dæmonibus crescit in damnationis augmentum, quod ab electis vincuntur, *ibid.* *Vide* Diabolus, Angeli mali.

Dagon jacens pronus in terra ante arcam quid figuret, 137. Arca juxta Dagon statuta, quid signet, *ibid.* Qui pronus in terra jacet, faciem in terra deprimit, *ibid.* Facies simulacri, simulationem exprimit rationis, *ibid.* Dagon in locum suum restituere, quid sit, 137. Dagon, id est idololatriæ caput, quid sit, 138. Quid palmæ manuum ejus figurent, *ibid.* Caput Dagon et manus abscissæ, quid signent, *ibid.* Cur super limen positæ, *ibid.* Sacerdotes Dagon se esse insinuant, qui super limen non calcant. *ibid.* Sacerdotes Dagon usque in hodiernum diem remanent, *ibid.*

Damascus interpretatur sanguineus, 451. Turris Libani contra Damascum respiciens, quid figuret, *ibid.*

Damnationis æternæ supplicia vitantur per dura et aspera brevissimi temporis, 274. Secunda peccatorum plaga est damnatio, 308. Damnatorum non miserentur Beati, 173. Damnati in inferno vident Beatos in cœlo, 89.

Dan designat simplices. Item vitam peccatorum, 110.

Daniel cur vir desideriorum nuncupatus, 333.

David interpretatur manu fortis, 386, 466. David expertus est, quia vir in se non habet statum roboris, sed lapsum infirmitatis, 64. Contra Goliam pugnaturus, militaria quæque instrumenta deponens, quid signet, 83. David noluit uti jure regio tyrannorum, accipiendo arcam ab Ornam Jebusæo, pretio digno, 182. Qui psalterium in laudem Redemptoris David tenuerit, 241. Citharam Resurrectionis et Ascensionis tetigit, *ibid.* David dicitur vir secundum cor Dei, 290. Davidis bona profuerunt Salomoni, 327. Michol data David, loco Merob, quid figuret. 335. David dicitur triumphator, 367. Hoc nomine perfectio ejus signatur, *ibid.* David abjectus, parvulus et pastor ovium, 382. Cur David laudetur rufus, *ibid.* Pulcher aspectu, id est interna contemplatione conspicuus, *ibid.* David cunctis profuturus in medio fratrum ungitur, 385. In David Christus adumbratus, 386, 545. Qui Spiritus in David directus, 392. In David sanctæ animæ fortitudo signatur, 465. Pœnitentium speculum David, 493. David in tribulatione sanctus, in quiete incauta lapsus, *ibid.* Quanta Davidis gravitas lapsus, 495. A Davide præscita Verbi incarnatio, 496. David, ne sibi propter peccata negaretur promissus Christus, timuit, 502. David cur domum Domino ædificare non potuerit, 509. David perseveraturus ungitur, 386. Ejus in Saulem pietas, 493.

Decalogi summa in millenario et centenario numero concluditur, 345.

Decimas gregis a rege tolli, quid sit, 185. Quid, segetes et vinearum reditus addecimari, 184, 196. Decimæ per annos singulos exigendæ, quid significent, *ibid.* Bonorum operum decima, quo pacto colligenda, 196.

Decipulam ab antiquo hoste super semitam poni, quid sit, 547.

Declinare post vana, est amorem bonorum temporalium divino amori præferre, 276. Declinare ad dexteram vel sinistram, quid sit, 153.

Deficiat a seipso, qui ad Deum proficere intendit, 531.

Delectatio peccati salis nomine signatur, 303. Ex delectatione gratiæ bona opera sunt facienda, 273. Delectationi peccati adversatur memoria cœlestis conversationis, 303. Delectatio libidinis virtutes necat, 371. Delectatio animæ ad præsentiam Sponsi, 439. Ne hac suavitate diu fruatur, quid obstet, *ibid.* Deus impeditos carnalium delectationum vepribus liberat, 470.

Deliciæ cœlestes in valle humilitatis prægustandæ, 155.

Delictorum præteritorum recordatio quam utilis, 147. Delictum cognitum facere, et delictum manifestare, qui differant, 476.

Denarius numerus perfectionem antiquæ legis designat, 165, 185, 197, 346, 445. Denarius duplicatus in Electorum conversatione perficitur, 163. Boni operis perfectionem per decem præcepta Legis designat, 223, 425.

Dentes excutere Babyloniam ædificantibus, est facta simul et verba eorum confundere, 507.

Deponuntur potentes de sede, cum inobedientes superbi abjiciuntur, 363.

Deprecatio et oratio qui differant inter se, 539.

Deserit alios in tempore Spiritus; alios assumit, nec deserit, 386, 392. Homo a Deo derelictus, tentationum pulsibus concutitur, 487, 492. Et tenebris cæcatur, *ibid.* Hunc Deus deserit, cui constantiam in tribulatione non tribuit, 492.

Desertum significat infernum, 294. In quo ærumnarum solatia nulla inveniuntur, *ibid.* Vallis caprearum contra desertum sita, quid significet, *ibid.* Hic mundus animæ sanctæ desertum est et exsilium, 455.

Desideria terrena signantur vitulis, 150. Petere animæ, desiderare est: et gaudere, cantare, 57. Quod desiderii est ineffabilis animæ, non exprimitur locutione rationis, 104. Premenda sunt, et concludenda, ne prodeant, mala desideria, 150. Tot in cordibus dæmonia requiescunt, quot desideria immunda, 164. Tonitrua nubium sunt ferventia Electorum desideria, 169. Imperfecta Christianorum desideria dæmonibus terribilia non sunt, *ibid.* Prælatorum Ecclesiæ currus, eorum devota sunt desideria, 192. Terrenis desideriis denigramur, 411. Mens æternorum desiderio languens, quomodo quiescat, 417. Veteris Ecclesiæ Christum exspectantis desideria, 454. Ut ante Deum sit omne desiderium nostrum, terrena despiciamus, et amemus cœlestia, 486. Desiderium dilatum in pœnam convertitur, *ibid.* Desideriis carnalibus a corde exclusis, Spiritus rectus innovatur, 501. De sanguinibus, id est de carnalibus desideriis propheta postulat liberari, 504. Christus justorum desideriis et precibus concessus, 525.

Desperans de peccati remissione, in Spiritum sanctum peccat, 502. Nisi Deus nos misericorditer respiciat, in desperationem labimur, 551.

Destinare in corde, est proponere ex deliberatione, 28.

Deus exercituum cur dicatur, 12. Triumphator nuncupatur Deus, 366. Cur Deus aliquando dominum, modo patrem, aut sponsum se dicat, 400. Charius est Deo nomen sponsi, quam patris: et patris, quam domini, *ibid.* Deus animæ vita, 470. — Dei facies quid sit, 235. Respondere Dei quid sit, 323. Deus nec cor, nec animam habet, 80. Deus loquitur homini, ut homo solet homini loqui, *ibid.* Deus non per seipsum Samueli, sed per Evangelicum Spiritum locutus est, 100. Dii designant sublimes et sapientes viros, 148. — Deus non ex partibus constat hominis, 80. Cor et anima significant voluntatem ejus, *ibid.*, 290. Quod humana Deo accommodentur, nostræ est inopiæ, 103, 352, 565. Manus Domini est virtus divinæ potestatis, 138. Et divinæ severitatis, 274. Manus Domini est unigenitus Patris æterni, 152. Quid sit Deo in auribus loqui, 187. Cor Dei intimam ejus voluntatem designat, 290. Dextera Dei, vel sinistra, quid significent, 400. — Deum suum quis singulariter fateatur, 55. A Deo sanctificamur, ad requiem ducimur, et glorificamur, 56. Ut Deo soli serviamus, quid præstandum, 164. Plus est nos esse Deo conjunctos, quam adoptatos; et plus adoptatos esse, quam creatos, 401. Qui Deum habeant sessorem, 413. Ad Deum mentis acies dirigenda,

544.—Dei perfecta cognitio, visio consummata, 8. A solis cœli civibus obtineri potest, *ibid.* Jugiter in conspectu Dei apparere, est in bona conversatione semper eum præsentem habere, 24. Dei cognitio, non solum fide tenenda, sed etiam confessione, 25. Dei ignorantia, saluti quantum perniciosa, 82. Aliud nosse Deum per fidem, aliud per amorem, 102. Prima famæ comparatur, secunda præsentiæ, *ibid.* A quibusdam scitur Dominus quibus sermo Domini non revelatur, *ibid.* Ad Dei cognitionem mens virtutis operibus vacua non pervenit, 144. Quidquid de Deo humana mens potest cogitare, Deus non est, 234. Facies Dei cognitio ejus est, 235. Ista cognitio lucis Electorum desideria satiare non novit, sed excitare, *ibid.* Illa ipsius lucis veritas et satiare et excitare solet, *ibid.* Cognitio Dei in hac vita misera valde imperfecta est, 537. Dei sublimitas quibus gradibus contingatur, 6. Deus cognoscitur per speculum, et per seipsum, 235. Deus sine sui mutatione, et promissa revocat, et minas remittit, 100. Qui indignata dicatur Majestas Dei, 179. Deum pœnitere, quomodo intelligendum sit, 552, 565. Deus non subjacet mutabilitati, 367, 522, 534. Deus immutabilis mutabilia facit, 565. Deus solus immortalis est, 533.—Deus est lux inaccessibilis, 234. Ad ipsam Dei visionem hic minime pervenitur, *ibid.*, 537. Neque ad lucem, quæ Deus est, sed ad eam, quam inhabitat, *ibid.* Moyses ad lucem in monte pervenerat, et lucem, quæ Deus est, quærebat, *ibid.* Moyses, dum viveret, non vidit Deum intuitive, 235, 537.—Deus virum quæsivisse qui dicatur, 290. Deus est omnia in omnibus, 88. Dei imago et similitudo in numino sculpitur, ut ejus esse cognoscatur, 92. Imago et similitudo Dei, est inclyto odio malum odire, et amore perfecto Deum diligere, *ibid.*—Dei æternitas explicatur, 534. Apud Deum quando est et quando non est, 400. Vera æternitas non est, nisi in Deitate, 535. Anni Dei qui sint, et qui non deficient, 534. Qui sint in æternitate Dei habitaturi, *ibid.* — Dei sapientiæ incerta et occulta, Davidi quæ sint manifestata, 498. Scire Dei approbare est, 487. Omnia nuda et aperta sunt oculis Dei, 496. Ab oculis se celat, qui a mandatis ejus avertitur, 552. Hunc Deus occidit, quem divina præscientia inconvertibilem noscit, 73. Apud Deum jam facta, quæ ab ipso sunt præordinata, 290. Præscientiæ divinæ certitudo, 328, 426. — Dei voluntas antecedens salvandi omnes : consequens, damnandi iniquos, 73. Sacerdotes Judæorum, in Christum sæviendo, Dei consilium impleverunt, 13. Juxta voluntatem Dei sumus, quando hanc agnoscimus per intellectum, et per amorem custodimus, 290. Ut divina voluntas exploretur, assidua meditatione opus est, 322, 555. Pœnitere Dei, est voluntatem in reprobis non habere, 352. — Deus fortis asseritur, qui carnis nostræ pulverem transfert in perpetuæ gloriam incorruptionis, 56. —Dei sanctitas nos in via sanctificans, 56. Solus Deus sanctus, 44. Solus Deus sine peccato, 321.—Deus non potest deesse fidelibus suis in tribulatione, 63. A Deo prædefinitum est malis quantum noceant, 373. Nulla constituit Ecclesia, nisi quæ a Deo præordinata novit, 374. Deus oculos suos firmat, super gradientem in via salutis, 479. Cur Deus permiserit eligere regem quem sciebat reprobandum, 179. Deus de malis bona providet, *ibid.*—Deus iratus, et extrema comminans supplicia, flectitur, 108. Deus quædam temporalia concedit iratus, 179. Infinitæ damnationis sententia, furor Dei vocatur, 468, 472, 482. Ira Dei significat transeuntem purgatorii correptionem, 482. Furor æternam significat damnationem, *ibid.* — Dei conspectui quomodo sancti viri semper assistant, 486. In conspectu Domini esse quid sit, 65. A conspectu Domini expelli, quid, 66. Oportet semper se in conspectu Dei aspicere, 80. Nonnulli ministri sunt in conspectu Dei, non hominum, 81. In conspectu Dei aquam effundere, quid sit, 166. In conspectu Domini stare, quid sit, 275. Nemo in conspectu Dei perfecte justus, 547. In sepulcro ligatus, et a conspectu Dei projectus, jacet peccator, 548.—Deus loquitur per semetipsum solis perfectis, 100. Quid significet anima Deo dicens : loquere, Domine, 104. Non solum per Scripturam, sed etiam per occultam revelationem Deus loquitur electis, 115. Deum audire loquentem, quid sit, 120. Quando Deus sanctis viris, plena lux diei est, 214. Cæco et frigido loquitur Deus per ænigmata, 397. Amicus est Dei, qui vocem ejus audit, 461.—Dei opus, Judæam abjicientis et gentilitatem eligentis, venerandum, non discutiendum, 50. Deo prædestinare, facere est, 290. Prædestinationis divinæ certitudo, 328, 413. Et immutabilitas ejusdem, 568. *Vide* Reprobatio, Reprobi. —Deus per misericordiam Gentes vivificat, et ab inferis reducit, 50, 61. Electam Gentilitatem ditat, *ibid.* Iis divina pietas subvenit, quibus homo sufficiens erat nullus, 73. Inordinata de misericordia Dei fiducia, 108. Per pœnitentiæ luctum et humilitatem ad Dei misericordiam pervenitur, 149. Deus aliquando misericors punit, 179, 469. Major meritis nostris misericordia Dei, 468. Deus hic semper arguit in misericordia, *ibid.* Lacrymis et gemitibus provocanda Dei misericordia, 469. Misericordia Dei erga justos, 480. Electi, si ceciderint per infirmitatem, eo citius misericordiam divinam inveniunt, quo amarius se affligunt, 489. Dei misericordia, qua sine præcedentibus meritis, veniam tribuit pœnitentibus, 503. Dei misericordia, nos etiam aversos vocantis, 512, 551. Quanta Dei misericordia, 522. In Judæos Gentilesque, 523, 527. Nomen Domini, misericordia, 528. Sine divina misericordia, nulli salus exspectanda, 539. Lex Dei misericordia, 540. Hanc Christus implevit, hanc nobis tenendam magister indixit, *ibid.* Infinita Dei, in Filii sui incarnatione et passione, misericordia, 544. Dei erga pœnitentes misericordia, 551. —Deus per suam justitiam Judæos mortificat, et ad inferos deducit, 50, 61. Pauperem facit Judæam repulsam, *ibid.* Misericorditer volens salvat, per justitiam, nolens damnat, 73. Districtione divinæ justitiæ audita, ambæ tinniunt aures, 106. Veritas qua peccata impœnitentium punit, 503. Justitia Dei fides est, 504. Quis justitiam Dei cum exsultatione enuntiat, *ibid.* Quis glorietur in justitia Dei, 546.—Dei cultus. Perfecti viri est, uni Deo vacare, 30. Alios a Dei cultu avertere, peccatum est, quod vix pœnitentia deletur, 69. Abjectis idolis, Deo soli servire præcipimur, 164. Timere Deum, nisi ei serviatur, non sufficit, 273. Quomodo quærendus Deus, 557, 422.

Devotionis suæ, verbis otiosis, animus decore spoliatur, 57. Devotione electorum terrentur dæmones, cæduntur opere, 170. Sacrificium populi est devotio electæ plebis, 210. Magna devotio audiendi verbi est sacrificium, antequam sit oblatum, 211. Major devotio ex verbo, dicitur oblatum sacrificium, *ibid.* Devotionis affectus mentis cibus est, *ibid.*

Dextera Dei sunt Electi qui a sinistris separantur, 400. Ad dexteram declinare, quid sit, 153. Per dexteram vita æterna figuratur, 302, 417, 455, 531. Quæ sint opera manus dexteræ, 203.

Diabolus, arbor pessima, bonum fructum non dedit, 10. Pharaonis nomine diabolus designatur, 149. Et nomine Philisthiim, 165. Sen designat diabolos, 171. Excussi sunt diaboli, quia a cœlesti secreto per superbiam projecti, *ibid.* Diabolus vocatur fortis armatus, 517. Qui Christus arma diaboli abstulerit, spoliaque distribuerit, *ibid.*— Diabolus de cœlo cecidit, 10. Tunc Philisthæi humiliantur, cum in præparata sibi ignis æterni incendia dæmones mittuntur, 172. Et in terminos Israel venire ulterius non apponunt, id est ad tentanda Electorum corda non exeunt, *ibid.* Electorum profectus, damnationis diaboli incrementum, et cumulus, 196. A diaboli potestate qui liberentur, aut liberari indigeant, 165. Dum ambiit illicita, perdidit diabolus acquisita, 517. Diabolus nihil potest, nisi permissus, 265. Quibus artibus diabolus nos decipiat, 547, 554. Gravis diaboli persecutio, 548, 554. Diaboli artes quibus artibus superentur, 261, 554. Perversa diaboli animas perdere conantis intentio, 548.—Diabolus Adamum fortem in paradiso dejecit, 6. A Christo in natura infirma, in eremo victus fuit, *ibid.*, 7. Diabolus hamo a Redemptore captus est, 261. Inimici electæ mentis maligni sunt spiritus, 55. Impii in tenebris silent, Deo pedes Sanctorum suorum servante, 63. Nos refugi spiritus etiam timent, quod in divinæ gratiæ robur assumptos vident, 64. Ejus ope vires adversariorum elidimus, *ibid.* Magis proficientibus dæmones sunt infestiores, 167, 554. Non unus, sed innumeri ad probandam Electorum patientiam diaboli impugnant, *ibid.* Cum victoriæ nostræ tempus asseritur, lapis inter nos et eos positus perhibetur, 171. Maligni spiritus servi sunt sanctorum hominum, 196. Hostes nostri tripartito agmine nos aggrediuntur, 295. Ut diabolos expugnemus, quantum nobis ascendendum, et enitendum, 302, 330. Lapsorum angelorum prælia, ut hominem ad terrena desideria pertrahant, 411. In fortiores parant graviores tentationum aculeos, 554. Quomodo vincendus diabolus, 282, 293, 297. Diabolus lumine et igne gratiæ superatur, 265.—Diaboli sub regimine qui sint, 413, 554. Qui patribus spiritualibus non obediunt, apostatæ spiritus imitatores fiunt, 82. Qui hic imaginem lapsi angeli vestiunt, ignobiles erunt, ei in æterna pœna sociandi, 87. Diabolum hic jam habent patrem, 88.

Diadema quid significet, 427. Quo diademate Christus a matre redimitus, *ibid.*

Dies statuti quid significent, 11, 32. Dies, quibus Domino commendamur, significant tempora vitæ præsentis, 29. Dies virtutum spiritualium claritates sunt, *ibid.* Quomodo diebus statutis ascendimus, 32. Qui sint dies ascensus, quibus adorare, et immolare statuimus, sed in eis nec adoramus, nec immolamus, 35. Quis sit dies ille alius quo die immolamus, *ibid.* Quæ sit illa dies, quæ interficit, 90. In die a Domino vocari, quid sit, 97. Dies peccatricis animæ, est spes consequendæ indulgentiæ, 166. Dies boni Doctoris

vernantes sunt radii fulgentis æternitatis, 172. Dies vitæ cujusque Doctoris sunt virtutum spiritualium claritates, 173. Cœlestis conversatio boni Doctoris, dies vocatur, 212. Dies dicitur vita justi, 214. Dies mentis reprobæ sunt delectationes malæ, 235. Peccatorem recogitare omnes dies suos, quid sit, *ibid.* Qui in die ambulat, videt plana, quæ ambulet, et præcipitia, quæ declinet, 246. In duobus diebus prædicator agnoscitur, in tertio habet quod ab aliis ignoratur, 248. Hic est spiritus insilientis dies, *ibid.* Pastorum exhortatio dies dicitur, 264. Dies crastinus est divinæ visitationis adventus, *ibid.* Dies primus est lux prædicationis, *ibid.* Dies serpentis gulæ, dies abstinentis, 265. Dies mentis est splendor eruditionis, 318. Dies est cogitatio mentis, 322. Dies Saul dicuntur lucis opera, 339. Pugnare in die sua, vel aliena, quid sit, *ibid.* Dies solemnis Domino, est compunctio cordis nostri, 404. Dies significat bonarum lucem actionum, 475. Animæ perversæ dies, quæ sit, 514. Dies peccatricis Jerusalem, *ibid.* Dies hominis quæ sit, *ibid.* Dies hominis sicut fumus deficiunt, *ibid.* Dies gratiæ qui sint, 521. Hi dies in nobis sicut umbra declinant, *ibid.* Dimidium dierum, imperfectionem vitæ significat, 530, 531. In hac vita dimidium tantum dierum accipimus, *ibid.* Multiplicitas et paucitas dierum, quid significent, 531. Longitudo dierum significat vitam perpetuam, *ibid.* Diei nomine signantur Sancti, 534. Qui fuerint dies antiqui, 549. Dies æternam vitam, nox significat præsentem, 552.

Digitus significat Spiritum sanctum, 257, 346, 532. Per diversos manus digitos signantur variæ, per discretionem distinctæ virtutes, 438.

Dignitatum culmina humilitati periculosa, 109, 162. Periculum eorum, qui propinquos ad ecclesiasticas dignitates evehunt, 86. Plerique in humiliori loco, religiosi sunt, qui in culmen evecti dignitatis, opera prima deserunt, 109. Meritum dignitatis est observatio divini verbi, 362. Ad ecclesiasticas dignitates quomodo accedendum, 253, 254, 290. Eas ambientium miseria, 279. *Vide* Culmen, Prælatura.

Dilectionis tres gradus, 116. Quid sit diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, *ibid.* Per gradus dilectionis ad summa sustollimur, *ibid.* Qui acquirantur tres illi gradus dilectionis, 117. Perfecta dilectio timoris expers, 408. Duplici dilectione, seu duobus uberibus Christus nutritur et roboratur, 415. Gemina Ecclesiæ pulchritudo, in bina dilectione Dei et proximi consistit, *ibid.* Christus mammis sponsæ, id est geminata dilectione delectatur, 431. Bonorum operum, quæ ex hac dilectione fiunt, fragrantia, *ibid.* Cordi imprimenda est dilectio, quæ fortis est ut mors, 456. *Vide* Amor.

Diluvium aquarum est multiplicitas doctrinarum, 477.

Dimittit Deus non solum præterita peccata, sed a futuris tuetur, 478.

Directorem morum nostrorum maturo concilio eligere debemus, 412.

Discere oportet priusquam docere, 543.

Disciplinæ ecclesiasticæ in negotiis disponendis, licet falli possint homines, hæc tamen non est deserenda, 175.

Discipuli electi mens est fructifera terra doctoris, 293. Christi discipulos non homines oportet esse, sed supra homines, 399.

Discretionis mensuram signat modus, 26. Discretio pastoris in oneribus pro subditorum infirmitate moderandis, 83. Ejusdem pastoris et prædicatorum discretio ad alta et profunda rudibus abscondenda, 117. Indiscretio prædicatoris divina mysteria incredulis et contemptoribus prædicantis, 142. Recta via incedendum, discretione duce, 153. Discretio spirituum prælatis necessaria, 156. Sanctorum in suis virtutibus, vel abscondendis, vel manifestandis discretio quanta, 220, 299. Ecclesiasticæ censuræ discretio, 258. Discretionis virtus sarculi tridentis nomine exprimitur, 296. Vis discretionis agenda, cogitanda, et loquenda componit, *ibid.* Indiscretio currentium, non post, sed ante Christum, 406. Torpor et fervor indiscretus, pariter cavendi, *ibid.* Discretio virtutibus variis ponit modum, 438. Per nasum sponsæ prædicatorum discretio signatur, 450. Per ungulas vitulorum signatur discretio, 510.

Discutere quomodo oporteat spiritalia, 188.

Dispensatio in multis Ecclesiæ negotiis salubris, 381. In promovendo ad primatum indigno dispensatio lethalis, *ibid.*

Divinitatis splendor quando cernatur, 16.

Divitiæ perituræ sunt stercora, 62. Deus ditat, bona cœlestia offerendo, 61. Misera, quæ ex divitiis accipitur, conscientiæ malæ consolatio, 557. Divitiæ sunt spinæ, semen verbi suffocantes, *ibid.*

Doctoris duplex munus, peccatores convertere, et justos custodire, 26. Doctor nihil in nobis docendo proficit, nisi per divinam gratiam, quod sonat foris, intus infundatur, 28. Somnus Samuelis perfectum mundi contemptum designat in mente doctoris, 114. Ad contemplanda interna mysteria vacare doctor per sacrum eloquium debet, 118. Perfecte cognoscenti, non examinanti et probanti docere licet, 119. Doctorum singularis fulgor in gloria, 172. Doctor judicet, dies vitæ suæ inclytos habens, 175. Docere alios cupiens, Dei docibilis sit, 174, 300. Doctor ut sit perfectus quid possit agere, *ibid.* Otiosum est doctoris studium, si per hoc, quod ab illo in terris agitur, cœleste ædificium non augetur, 176. Doctor sanctæ Ecclesiæ raro sit in publico, frequens in secreto, 210. Doctoris est, omnia quæ sunt in corde fidelium, eis indicare, 220. Si per mentis langorem doctor jacet, curare ægros, et jacentes erigere non potest, 225. Doctores qui secreta aperiant, et futura revelent. 238. Sacri doctores utriusque Testamenti cœlitus illustrati Christum annuntiant, 239. Ut a nobis parvulis intelligerentur, illos descendere oportuit, *ibid.* Doctores abire, cum volunt, et redire, quid sit, 256. Qui doctor ad stationem Philisthinorum, manibus reptando, ascendat, 307. Pugnat doctor, dum prædicat; superat, dum operando persuadet, 329. Doctorum Ecclesiæ virtutes præcipuæ, quæ sint, 333. Doctor potenter pugnat, qui nihil alios docet, quod opere ipse non compleat, 339. Qui recte docent, et male operantur, hi sunt Christi exercitus proditores, 340. Errant doctores, qui cum male vivunt, de discipulorum profectu sibi blandiuntur, 354. Doctoribus ad malum præeuntibus, subditi dementius in præceps ruunt, 369. Cornu spiritalis conversatio doctoris est, 375. Doctor bona loquens ore, et ostendens opere, vitulus in manu est, 377. Dicens et agens, cum persuadet, victima in altari est, *ibid.* Quibus virtutum fulgoribus doctor debeat ornari, 382. Qui doctores falsi sint cavendi, 412. Vigiles sunt Ecclesiæ doctores, 423. Sponsam satagentem invenire Dilectum, doctores inveniunt et instruunt, *ibid.* Quos quomodo sponsa interroget, *ibid.* Cœlorum nomine signantur doctores Ecclesiæ, 532. Potestas ligandi atque solvendi eis concessa, 535. Sunt opera manuum Dei, *ibid.* In eis Dominus sedet, *ibid.* Doctores præcipites arguuntur, 121.

Doctrina verbi farinæ modiis signatur, 27. Doctrina sana bonorum operum studio comes accedat, 163.

Dolores subiti sunt repentinæ afflictiones mortis sine prævisione venientis, 136.

Dolus in ejus spiritu est, qui magis videri justus, quam esse, cupit, 475. Beatus in cujus spiritu non est dolus; secus, infelix, *ibid.*

Domicilium qui Judæos significet, 517.

Dominorum erga servos officia, 468. Dominorum est misereri, 528. Domini erga servum irati indicia, 551.

Domus Domini æternam patriam designat, 40. Dicitur et domus fidelis, 80. Nunc domus hæc ædificatur piæ vitæ actionibus, *ibid.* Ad hoc ædificium, indignum est opus hominis, si hoc non agat, gratia misericordis Dei, *ibid.* Domus damnati infernus est, 88. Domus Sacerdotis quæ sit, 91. Domus infidelis quæ dicatur, *ibid.* Domus Dei, id est Ecclesiæ, quæ sint ostia, 122. Domus populi spontanei, est munimentum sanctæ dilectionis, 161. Cur in Gabaa dicatur sita, *ibid.* Domus prædicatoris dicitur, in qua amando conversatur, 176, 217, 222. Alia est domus regis, alia populi subjecti, 256. Domus regis in Gabaa, id est in sublimi, *ibid.* Impii dicuntur domus inutilis, 285. Domus iræ, mens est usui serviens linguæ litigiosæ, 293. Domus transgressoris est consuetudo pravi operis, 372. Domus superbi est nequitiæ suæ mensura, 373. Quasi in domo manet reprobus, qui a pœnis egredi nunquam potest, *ibid.* Ad domum ascendit, qui peccata sua implet, *ibid.* Domum ædificare sapientiæ non valet, nisi qui subditis sibi hostibus pacem in se habet, 510.

Donec dicitur de illo tempore, de quo dubitabatur, at de futuro non negat, vel affirmat, 423.

Donum flagitiosi non suscipiendum, 17. Dei dona cum timore postulanda, 205. Dona Dei per peccatorum cognitionem et humilitatem promeremur, 252. Dona spiritualis gratiæ quædam mamillæ sunt, 408.

Dormire cum mulieribus, est sine metu futuræ vindictæ peccare, 84. Aliud est dormire, aliud jacere, 99. Dormire aliquando in bonam partem accipitur, *ibid.*, 225. Aliud in templo dormire, aliud in loco, ubi est arca Dei, 99. Dormire est in desiderio æternæ vitæ quiescere, 102. Cur ter dormire præcipiamur, 103. Dormire usque mane, quid sit, 106. Tota nocte dormire, quid sit, 107. Trina Samuelis dormitio quid significet, 117. Dormire non poterit, qui sibi non sternit, 225.

Drachma decima perdita signat societatem Angelorum, decima parte imminutam, sine nostra reparatione esse imperfectam, 185.

Dulcedo Dei, timentibus Deum incognita, amantibus sit nota, 408.

E

Ebrietas spiritalis Ecclesiæ, qua mutatur cor, mens alienatur, 18. Ebrietatis Ecclesiæ alia significatio, 19. Qui

dicantur potentes ad bibendum vinum, et fortes ad miscendam ebrietatem, 197.

Ebur significat incorruptionem, 441.

Ecclesia per Annam Helcanæ uxorem figuratur, 10, 41. Ecclesia mortis conjux, et crucis hæres, 14. Ecclesia quî dicatur mulier, et infelix nimis, 19. Ecclesiæ vir, humani generis Redemptor est, 21. Domus Domini Ecclesia appellatur, 27, 122, 422. Ecclesia sancta quî vitio consummata dicatur, 30. Orbis nomine signatur Ecclesia, 51. Regnum Christi dicitur Ecclesia, 54. Plaustri nomine significatur, 149. Ecclesia dicitur Israel, id est in quo est Deus, et videns Deum, 208. Terra Beniamin sancta Ecclesia est, 214. Sponsa dicitur Ecclesia, 402. Sponsa Christi per incarnationem copulata, 507. Pia Ecclesiæ desideria, Sponsi Christi adventum exspectantis, 402. Ecclesia, domus regia, 407. Cujus porta fides, spes ascensus, Charitas triclinium, *ibid.* Ecclesia turturis nomine signata, 420. Figuratur per ficum grossos suos proferentem, *ibid.* Per capream, 422. Ecclesia dicitur Jerusalem, 426, 443. Ecclesia malo punico cur similis, 428. Hortus conclusus est Ecclesia, 432. Paradisus malorum punicorum vocatur, 433. Sion dicitur, 446. Ecclesia cur auroræ et soli comparata, 447. Filia principis dicitur Ecclesia, 449. Ecclesiam Christus vocat sororem, 458. Accepto Spiritu sancto Ecclesia murus facta, *ibid.* Et propugnaculis munita, *ibid.* Ecclesia cur ostium appellata, 459. Cur assimiletur columbis, 485. Stabuli nomine Ecclesia signatur, 494. Christi vinea est Ecclesia, 519, 520. Ecclesiæ varia nomina, 529. Cur Ecclesia dicatur terra, 532. — Ecclesiæ sanctæ vulvam quî Dominus claudat, 14. Quot parit Ecclesia, fortes esse cupit, 16. Ecclesia in contemplatione Dei discit qualiter sint disponenda terrena, 22. Ecclesiæ fecunditas ex superni amoris gratia, *ibid.* Ecclesiæ propositum non ex humano, sed ex divino judicio, 25. Sine Sponso Christo Ecclesia nihil potest, 27. A matre Ecclesia in hac vita qui commodentur Domino filii, 29. Ecclesiæ pro conversione Gentilium exsultatio, 41. Unde Ecclesiæ gaudium, 42. Ecclesia ad æterni gaudii culmen quando sublevanda, 54. Christus suam præsentiam corporalem Ecclesiæ subtraxit, eidem invisibiliter præsens usque in finem, 65, 124. Aliquando eidem adfuit per gratiam muneris, aliquando se subtraxit per dispensationem probationis, *ibid.* Ecclesiam ædificare solus poterat Deus, 80. Deus futuram Ecclesiæ constructionem prophetis revelavit, 118. In Ecclesia usque in finem mundi Christus permansurus est, 120. De Christi capitis plenitudine membra ejus divisas accipiunt gratiarum partes, 196. Spiritus sanctus in Christi discipulos effusus, in Ecclesia perseverat, 242. Cur nigra simul et formosa dicta Ecclesia, 409. Ecclesia per meritum nigra, formosa per gratiam, 410. Per pœnitentiæ asperitatem similis est pellibus Salomonis, *ibid.* Ecclesia ex Gentibus congregata : olim quoque a fidelibus despecta, *ibid.* Quale vinum gignat Ecclesia, 415. Quali aqua nos abluat, *ibid.* Unde gemina Ecclesiæ pulchritudo, *ibid.* Quibus floribus et fructibus Ecclesia fulciri petat, 417. Ecclesia ex necessitate temporalia tolerans, ad æterna contendit, 417. Ecclesiæ gemitus exaudiuntur in cœlo, 420. Mater Ecclesiæ exstitit Synagoga, 423. Ecclesia in baptismo a peccatis abluta, Spiritum sanctum recipit, 430. Quo merito Ecclesia de Libano ad coronam veniat, *ibid.* Tribus præcipue virtutibus munitur Ecclesia, *ibid.* Corona ejus ex sæculi potentibus conversis contexta, *ibid.* Quanto emolumento Christus visitet Ecclesiam, 443. Ecclesia Christo per fidem, spem et charitatem copulata, *ibid.* Ecclesiæ felicitas, quæ carne Sponsi sui pascitur, sanguine lavatur, verbo saginatur, 446. His facta robusta nutrimentis Ecclesia, quanta faciat, quanta speret, *ibid.* Ad consortium gloriæ sui capitis Ecclesia destinata, 447. In corpore Ecclesiæ infirmi per perfectos roborantur, et mali per bonos convertuntur, 448. Judæorum et gentilium in fide genitorum fraterna concordia, 450. — Ecclesiæ caput Christus, 451. Cur ut Carmelus dicatur Ecclesia, *ibid.* Capitis hujus quæ sint comæ, *ibid.* Christi et ejus sponsæ Ecclesiæ de proximi salute sollicitudo, 453. — Ecclesia Christum Sponsum osculata, non amplius despicitur, 454. Ecclesia in fine mundi Christum Synagogæ prædicabit, *ibid.* Cui novi Testamenti vinum optimum propinatura est, *ibid.* Ecclesiam sororem parvulam, quando Christus fuerit allocutus, 458. Ecclesia accepto Spiritu sancto murus effecta, *ibid.* Fideles in corpore Ecclesiæ, membra sunt Christi, 487. Una persona sunt, Christus et Ecclesia, 511. Ecclesia Spiritum vivificantem habet, *ibid.* Christus, caput nostrum, sedet a dextris Dei : et adhuc in suo corpore tribulatur, 512. Ex utroque populo ædificata est Ecclesia, 524, 526. Deus Synagogam reprobavit, et Ecclesiam elegit, 525. Christus in Ecclesia videtur in gloria sua, qui in infirmitate visus est in Synagoga, *ibid.* Ecclesia Virgo filios Deo generat, 527. In via virtutis Dei quî respondeat Ecclesia, 529. In Christo fundata est terra, id est Ecclesia, 531. Terra, id est Ecclesia, in æternum stat, 532. Ecclesia super petram, id est Christum fundata, *ibid.* Portæ inferi, id est hæreses et hujus mundi adversæ potestates, adversus Ecclesiam non prævalebunt, *ibid.* Ecclesia est apostolicæ prædicationis imbribus fecunditatem consecuta, *ibid.* Soli Josue et Caleb, id est caput et corpus Ecclesiæ, terram viventium ingressuri figurant, 535.— Ecclesia fundatur in Scripturis sacris, 27. Ecclesia per orbem universum diffunditur, 42. Ecclesiæ prius sterili collata fecunditas, 49. Christus aliquando adest Ecclesiæ, aliquando se subtrahit, 65. Ecclesiæ incrementa, 123, 403. Ut cresceret, ex Christi præsentia recepit, *ibid.* Ecclesiæ juventus et senectus, 190. Unde consenuerit, *ibid.* Resoluto vigore, nihilominus prophetat et recte docet Ecclesia, *ibid.* Junior Ecclesia in charitate fuit infirma, 458. Ecclesia usque ad mundi finem permansura, 531.—In Ecclesia plures præsulum ordines, 150. Ordine sunt in Ecclesia minores ministri, majorum laboris participes, 257, 279. Duobus bobus signantur primi et secundi ordinis Sacerdotes, 308. Signantur quoque Jonatha, et armigero ejus, *ibid.* Saul etiam et Jonatha, 310. —Ecclesia ad æternam vitam electos prædicatione parturiendo, bona eorum temporalia nunquam tollit, 18. Ecclesiæ constantia et libertas, 19. Mansuetudini conjuncta, *ibid.* Et terrenorum contemptui, *ibid.* Ecclesiæ innocentia, 20. Præter Ecclesiam locus non est ubi merita virtutum crescant, 27. In sola Ecclesia catholica amor divinus electis impenditur, 30. Ecclesia et intentione visionis, et excellentia conversationis exscelsa, *ibid.* Ecclesiæ mores exsilii sui ærumnas pro lucrandis animabus patienter sustinentis, 41. Sancta Ecclesia, divina beneficia amando, et venerando recolit, prædicat, et orat, *ibid.* In moribus Ecclesiæ cornu ejus exaltatum in Deo suo, 42. Ecclesiæ aromata sunt Spiritus sancti dona, 403. Quantum Legis aromatibus præstet, *ibid.* Ecclesia præfert humilem Verbi incarnati sapientiam vanæ superborum philosophorum sapientiæ, *ibid.* Hic exsulans Ecclesia, quasi in deserto, spretis omnibus, ad cœlestem patriam anhelat, 424. Ecclesia cur fumo, ex aromatibus exhalato, comparata, *ibid.* Ejus aromata, virtutum odor, et profectus, 433. Calceamenta Ecclesiæ sunt exempla præcedentium patrum, 449.— Ecclesia, ut sit hostibus terribilis, pace se muniat, unitate se vinciat, 443. Christus ad unitatem inter Ecclesiæ membra confirmandam, mortem passus, 431. Judæi conversi sub Antichristo, pro fidei unitate passuri, 444. In unitate charitatis se mutuo fovent electi, 446. Extra corpus Ecclesiæ non vivificat Spiritus, 511. Ecclesia ex multis et diversis una, 529. Extra hanc nemo laudat Deum, nemo annuntiat, *ibid.* — Ecclesia se præparavit ad prædicandum prædestinatis ad vitam ex Judæa, et Gentibus ad fidem conversis, 16. Quî dicatur Ecclesia ad prædicandum calceari, 450. — Ecclesiæ potestas a Christo collata, 41, 518. Nulla constituit Ecclesia, nisi quæ a Deo præordinata novit, 374. Ecclesiæ auctoritas, sine misericordia, evanescit, 384. Ecclesiæ regia dignitas, nec austera, nec superba, 387. Quibus armis utatur et muniatur Ecclesia, 429. Reges et imperatores Christo per pœnitentiam subjecit Ecclesia, 431. Leones et pardos domuit, *ibid.* Christus Ecclesiæ dedit potestatem ligandi atque solvendi, 521. — Ecclesiæ cor quid sit, 18. Ecclesia ut prosit parvulis suis, gloriæ dilationem libenter patitur, 24. Parvulorum Ecclesiæ ablactatio, quæ sit, *ibid.* Bonum operari solis Ecclesiæ filiis prodest, 31. Plerique intra Ecclesiam nullos ferunt fructus, *ibid.* Jerusalem, id est Ecclesiæ filii multiplicati, 60. In Ecclesia non solum perfecti, sed etiam infirmi salutem consequuntur, 70. In Ecclesia sunt viri perfecti, summo lapidi Christo charitatis consummatione conjuncti, 159. Qui intra Ecclesiam Deo rebellis est per iniquam operationem, admonendus est ut Deos alienos de medio sui auferat, 164. Ultimus Ecclesiæ ordo, pœnitentium, 222, 227. Non assumantur infirmi ad Ecclesiæ defensionem, 279. Alii sublimioris vitæ exemplis fideles adjuvant, *ibid.* Alii humilitate et terrenorum contemptu, 280. Qui sint in Ecclesia fortes operarii, 292. Quidam in Ecclesia eruditi in Scriptura sacra, at irreligiosi, 354. Quando Synagoga in cæcitatæ relicta, Spiritus sanctus in electos Ecclesiæ dirigitur, 392. Cubiculum regis ingressa Ecclesia, 407. Oculi Ecclesiæ sunt prædicatores, 415, 427, 428. Capilli Ecclesiæ sunt populi, *ibid.* Ecclesiæ dentes sunt sancti prædicatores, 428. Et Ecclesiæ labia, *ibid.* Et genæ Ecclesiæ, iidem prædicatores, *ibid.* In sanctis prædicatoribus, quæ patent, magna sunt; quæ latent, majora, *ibid.* Collum Ecclesiæ quomodo sicut turris David, *ibid.* Fructus Ecclesiæ, filii ejus præsertim martyres, 433. In membris Ecclesiæ duo ordines perfecte viventium, 435. In Ecclesia alii fulgent, ut aurora, 447. Alii ut luna, *ibid.* Alii ut sol, *ibid.* Quidam in Ecclesia nuci-

bus similes, sub vilitate exteriori interiorem sapientiam, quasi nucleum in testa tegunt, 448. Duo femina sponsæ, duo populi Ecclesiæ, ex circumcisione, et ex præputio collecti, 450. Membra Ecclesiæ variis decorata virtutibus, 459. Sicut una anima multa membra vivificat, ita Spiritus sanctus Ecclesiam totam vegetat, 511. Christus in membris suis iterum patitur, 512. — Ecclesiæ disciplina semper cum misericordia teneatur, 584.—Ecclesiæ sponsæ Christi unica pars est temporalis afflictio, 13. Æmula Ecclesiæ Synagoga, 14. In Ecclesiam sævit Synagoga, *ibid.* Inter adversa internæ consolationis suavitate reficitur Ecclesia, 15. Unde Ecclesiæ inter persecutiones gaudium, et luctus, 16. Unde Ecclesiæ dolor, 20. In gravioribus persecutionibus semper stat Ecclesia, 28. De cubilibus leonum, et montibus pardorum Ecclesia coronatur, 451. Christiani regis in Ecclesiam persecutiones, 518, 532. Frustra conati sunt persecutores Ecclesiæ adversus eam prævalere, 532. — Ecclesiæ gradus qua via attingendi, 253, 254, 290.

Edom interpretatur rufus, 330. Nimium peccandi fervorem insinuat Edom, *ibid.*

Egenus quomodo de pulvere suscitetur, et de stercore erigatur, 62. Et qui sedeat cum principibus, 63.

Elatio et gula, antiqua diaboli tela, 6. Ab elatione pro donis acceptis mens compescitur, visa similium reprobatione, 105. Cavendum ne virtutibus crescendo, elatione corruamus, 109. Ad contemplationem provectis elatio metuenda, 117. Tales jam per corruptionem facti sumus, ut vix possimus sine elatione boni videri ab ipsis etiam pastoribus nostris, 299. Dum perfecte cavere elationem non possumus, bonum de quo nasci potest, omnibus abscondi debet, 300, 302. Mos elatorum est, ut cum ab eorum laudibus lingua aliena silet, æstimatio sua non sileat, 319. De bonis operibus suis elevari, est furti reum fieri, *ibid.* Bovem in manu adducere, est peccatum elationis pœnitentia delere, 320. Sæpe qui crescunt dignitate, elatione decrescunt, 357. *Vide* Gloria vana.

Eleazarus interpretatur Dei adjutor, 161. Eleazarus ad custodiendam arcam Dei sanctificatus, quos significet, *ibid.* Cur filius Aminadab esse dicatur, 162.

Electionis divinæ immutabilitas, 120, 446, 563. Signum electionis habet, cum et alienæ simul et propriæ saluti studet, 232. Electionis et reprobationis mysterium abbyssus multa, 520. Nisi vasa iræ fecisset Deus vasa misericordiæ, neminem ab illa perditionis massa, vita sancta discerneret, 553. *Vide* Reprobatio.

Electorum merita disparia, et præmia non æqualia, 13. Deus ipse electorum est præmium, 15. Christus electos suos per spiritalem præsentiam nunquam deserit, 21. Electi ablactantur, ut Domini conspectu digni fiant, 24. Per sapientiam et charitatem a Deo collatas, electi hostes suos superant, 55. Inde in salutari Dei lætantur, 56. Ordo humilium electorum inter angelorum choros excipitur, 89. Electorum hoc in exsilio gemitus, et lacrymæ, 209. Sæpe electis bonum est, quod mali rectores ordinentur, 215. — Electi sic gratiam recipiunt, ut in ea usque in finem perseverent, 386. Numerus Electorum apud Deum constitutus, 446. Soli, qui in simplicitate permanent, et in unitate, sunt electi, *ibid.* — Electi dicuntur poma arboris Christi, 10. Nemo electorum nisi in Christo est, 14. Electi omnes qui sint sacerdotes, 94. Puellæ sunt mentes electorum, integræ per innocentiam, decoræ per virtutum claritatem, 209. Adolescentulæ dicuntur electorum animæ, 405. Cedro et cypresso imputribilibus, Electi figurantur, 416. Elatæ palmarum dicuntur electi, 440. Cur nigri sicut corvus dicantur, *ibid.* — Electi, a negligentibus et superbis doctoribus admoniti, humiliter obsequuntur, 89. Qui in fine deficiunt, non, auctore Deo, secessum petierunt, 152. Uno itinere electi gradiuntur, 153. Filii electorum dicuntur, qui eorum virtutes imitantur, 182 Electi bona quæ habent, et abscondere, et manifestare sciunt, 220. Electus quisque humilis est, et sterilis non est, 382. Electorum Ecclesia per ignorantiam fœda, per fidem pulchra, 412. Cum electis multi intrant in Ecclesiam, qui ad eorum sortem non pertinent, 445. Electorum mores, 446. — Electi ipsi sine peccato esse non possunt, 59. Electus quisque fortis est in bono opere, humilis per æstimationem, afflictus per contritionem pœnitentiæ, 235. De singulis suis peccatis singulatim agunt electi, se cruciando, pœnitentiam, 513. Cur Deus quandoque electos suos labi permittat, 283. — Electi dies vitæ sunt virtutes, 17. Manus electi dicitur potestas internæ libertatis, 54. Electus animam suam in manibus portat, *ibid.* Ad prædicationem veritatis proficit electus, 61. Duplex electorum motus, unus quo aversantur temporalia, alter quo ad æterna convertuntur, 150. Electorum salutaris timor, 167. Greges electorum sunt turbæ virtutum spiritualium, 185. Electi cujusque ensis super femur suum quid significet, 425. Electorum mentes inter amaritudines sæculi, futuræ beatitudinis suavitatem contemplando degustant, 478. — Electorum profectus, damnationis diaboli incrementum est ac cumulus, 196. Electorum corda sancti Spiritus donis replentur, 242. — Electorum ad excelsa erigitur intentio, reproborum ad ima deprimitur, 55. Non omnes homines, sed soli electi ad æterna gaudia perducuntur, 60. Quo plures filii sterilis Jerusalem pariuntur, eo Babylonis filii minuuntur, *ibid.* Electi audiendo verbum Dei, ad opera bona accendi solent, secus reprobi, 166. A facie Philisthinorum, id est dæmonum timent electi, ut eorum posteriora aliquando non timeant, 168. Reprobi vero horribilia hæc eorum posteriora sentient, *ibid.* Electi per Israelem, per Amorrhæum significantur reprobi, 173. Pax inter utrosque in extremo judicio qui facienda, *ibid.* Deus dum reprobos punit, sanctos erudit, 179. Divina eloquia etiam reprobi loquuntur, 206. Electi soli loquuntur et faciunt, *ibid.* Electi, nomine pauperum, edunt et saturantur: divites, id est reprobi saturari non possunt, 207. Alia sunt Dei, alia hominum de electis et reprobis in hac vita judicia, 413. Electorum in cœlo numero crescente, reprobi ab Ecclesia, ceu sarmenta inutilia, amputantur, 420. Reprobi sæpe peccata confitentur, at ea flere contemnunt : electi quæ flendo confitentur, emendant, 491, 505.

Eleemosyna. Christum pascit, qui eum in membris suis sustentare non desinit, 404. Ille manus suas contrahit, qui vocem pauperis non exaudit, 550.

Elevatio oculorum, studium discernendorum spirituum significat, 156.

Eliab interpretatur Deus meus pater, 379. Signat bona agentes, et eruditos, sed arrogantes, *ibid.* Eliab a prælatione rejectus, quid signet, *ibid.*

Elias in curru igneo in cœlum sublevatus, forma prælati inquirentis æterna gaudia, 192. Elias ut Jezabel manus evaderet, XL diebus jejunavit, 266. Elias in Carmelo orans, pluviam impetravit, 451. Elias a conspectu Dei non discedebat, 486.

Elizabeth cur prægnans quinque se mensibus celet, 245.

Eloquia divina argenti nomine designantur, 206.

Engaddi interpretatur fons hædi, 415.

Ensis significat prælatorum intelligentiæ subtilitatem, 297. Vicinum hostem pravas immittentem suggestiones ense intellectus ferit, *ibid.* Per ensem signatur rigor conversationis, 425.

Ephod portare coram Deo, quid sit, 75, 76. Ephod lineum continentiæ candorem significat, 82. Ephod Gentilis populi electum ordinem significat, 69.

Ephraim interpretatur frugifer, seu fructificans, 8, 30. Mons Ephraim significat cœlum, *ibid.* De monte Ephraim et Ephratæus, est, qui in fertili terra sterilis non est, 31. Via Ephraim, id est frugiferi cordis bona est cogitatio, 293.

Episcopus fidei ac bonorum operum luce refulgeat, 214. Perfectus debet esse qui Ecclesiæ præponitur, *ibid.* Sæpe primatum ille suscipit, qui verbo est aliis utilis; mente tumidus, sibi nocet, 215. Pastores sunt reges, qui a servitute nos liberant, 230, 256. — Eligens ad sacros ordines personas, non ex conversationis honestate, sed amore propinquitatis, homines, non Deum, honorat, 86, 377. In eligendis sacris ministris, errare quam pronum sit, 176. Sanctorum patrum electi imitatores, per doctrinam aliis utiles, et per conversationem sibi, 202. Ab humero et sursum emineat eligendus super omnem populum, *ibid.* Præstet vita, verbo, et contemplatione, 203, 206. Signa fraternæ charitatis præ se ferat eligendus, *ibid.* Audaces eos facit Spiritus sanctus ut præsumant, timidos, ne superbiant, 206. Bonus pastor sæpe merito bonæ plebis eligitur, 214. Ad Ecclesiæ regimen promovendorum vita exploretur, 216, 380, 381. Sublimior fiat merito, quibus debet esse superior dignitate, 223. Magna retractatione consilii eligendi sunt, qui in culmine sublimentur, 224. Signum electionis habet, cum et alienæ simul et propriæ saluti studet, 232. Electio boni antistitis non fiat humano, sed divino judicio, id est eloquio sacro, 252, 374. Quam maturo consilio deligendi sint Ecclesiæ principes, *ibid.* Samuel in electione Saulis in regem formam dedit eligendi Ecclesiæ principem, 253. Etiam Deo auctore electi dignitatem hanc fugiunt, *ibid.* Fugientes Dominus producit, 254. Ante sublimitatem ecclesiastici culminis, culmen conscendat virtutis, *ibid.* Ad inveniendam personam eligendi pontificis, sacras consulunt Scripturas electores prophetæ, 374. Qui et quales ad pastoralem curam eligendi, 375. Quales eligendos antistites monstret, aut quales reprobet Scriptura sacra, 251, 269, 379. In eorum electione, nec scientiæ nec boni operis, absque humilitate, habenda est ratio, *ibid.* Non sunt propter negotiorum sæcularium peritiam eligendi, 380. Forma eligendorum antistitum, 290. Eligendus qui sit secundum cor Dei, *ibid.* Ex congrega-

tione, in qua religio vigeat, assumendus, 375. In eligendis pastoribus consulendus Deus, 377. Non carnalis affectus, *ibid.* Merita discernenda, non accipiendæ personæ, *ibid.* Ille monstratus a Domino eligitur, qui per sacrum eloquium commendatur, 378. Imperiti humiles a prælatione rejiciendi, 380. Indefesso labore quærendi qui ad animarum curam idonei sint, 381. Qui ad pastorale officium præponendi, *ibid.*

Episcopus ordinatur vel pro se et pro populo; vel nec pro se, nec pro populo: vel pro se et non pro populo, vel pro populo et non pro se, 215, 216. Quibus exteriora sacramenta prosint sacerdotibus, 214. Sacerdotes unguntur, quando per ministerium ordinantium se, gratiarum incrementa percipiunt, *ibid.* Qui ad regendos alios ordinantur, charismata, quibus eis prosint, majora accipiunt, *ibid.* Per humilitatis portam promovendi ingrediantur, 216. Ordinandus pastor Ecclesiæ, quantæ fortitudinis esse debeat considerare præcipitur, 221. Summi viri illos, quos in culmine Ecclesiæ ordinando ponunt, quæ doceant, 225. Tam his qui ordinant pastores, quam qui ordinantur, surgendum, 226. Pariter surgunt, quia sublime officium datur, sublime recipitur, *ibid.* Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis, 228. Ipsa veritas prius osculatur quos ordinat, deinde ad liberandos alios mittit, 229. Osculatus super hæreditate Domini constituitur, *ibid.* Quos Deus ordinat ad culmen regiminis, ad toleranda prælia antiqui hostis munit, 230. A Deo, qui eos ordinavit, roborati vincunt, *ibid.* Duo panes ordinando dantur, quibus flere docetur peccata, et sua et aliena, 236. Ordinati ab Ecclesiæ ministris, intus a Deo sacramentorum virtute roborantur, 246. Virtus Sacramenti gratia est Spiritus septiformis, *ibid.* Unctum se aliquis ad Ecclesiæ principatum certis teneat signis, 247. Qui ea in se signa non agnoscunt, timeant, *ibid.* Quot peccatis obnoxii sint qui carnalibus Ecclesiæ gubernacula credunt, 274. Electi viri ad honorem primatus, non ex ambitione veniunt, sed coacti perducuntur, 290. Prophetæ esse debent, qui in culmine Ecclesiæ alios volunt ordinare, 374. Quid episcoporum unctione designetur, 375. Amore flagrent ad episcopatum vocati, *ibid.* Gratiarum plenitudine gaudeant, ex qua cæteri accipiant, *ibid.* Pleno cornu ungendi antistites, *ibid.* Dei est monstrare personam ordinandam, ordinatoris est præbere unctionem, 377. Ad ordinandum antistitem plures sapientes et religiosi viri vocandi sunt, 379. Nunquam se in ordinando præcipitet minister Ecclesiæ, 381. Lethale malum Ecclesiæ indigni pastoris ordinatio, *ibid.* Quot et quanta mala ex indigni prælati ordinatione procedant, *ibid.* Inconsulta pastorum ordinatio notatur, 384. In ordinato conveniant contemplatio et charitas, *ibid.* Unctionis sacerdotalis mysteria, *ibid.* Cornu plenum in unctione sua quis habeat, *ibid.* Cur in medio fratrum ungatur, 385. Foris homo, intus Deus operatur, et non homo, *ibid.* Magnum est onus Ordinis, magna fragilitas carnis, *ibid.* — Episcopi locus summus, nisi summa adsit gratia, non bene regitur, 296. Sermo regni est honorabilis dignitas pastoris, 251. Qui ad regendam Ecclesiam eliguntur, serio examinandi, 269. Dignitas pontificis non constet in ambitione culminis, sed in summa virtutis, *ibid.* Agnoscat idpontifex gnitatem suam, et vim exerceat dignitatis, 385. Virtute cunctis antecellat, 254. Utrum pastor sit merito, quod est ordine, non cognoscitur, nisi cum operum fortitudine declaratur, 269. Actio boni præsulis debet esse virtute singularis, 292. — Episcopi virtutes olei virtutibus significantur, 228. Prælatorum, qui in charitate Dei et proximi perfecti non sunt, periculum, *ibid.* Episcopi doctrina et virtutibus polleant, 269. — Episcopus ita quærat salutem alienam, ut non negligat suam, 232. Cornu feriunt antistites, quando increpando acumina peccatoribus conjungunt, 375. — Episcopus ad regendam Ecclesiam assumptus, a Spiritu sancto dirigatur, 213. Super hæreditate Domini unctus, hanc solam quærat, quam quæsivit Christus, 229. Ita contemplationi sit addictus, ut Ecclesiæ sollicitudinem gerat, 230. Altissima sunt Ecclesiarum negotia, infirmos et imperitos oppressura, 269. Ad Ecclesiæ defensionem, non infirmi, sed validi bellatores, assumantur, 279. Episcopi consiliis minorum et eruditorum ministrorum utantur in ecclesiasticis negotiis, 311. Illos debent consulere in dubiis, quibus aperte sciunt spiritalia dona non deesse, *ibid.* Ambigua consulendo, aperta exequendo melius peraguntur, *ibid.* In dubiis et magnis negotiis Deus consulendus, 322, 325. In culmine positi, prophetæ esse debent, 374. Cum spiritualia negotia urgent, ab aliis feriandum, 382. — Episcopi bonis ecclesiasticis propinquos ditare non debent, 86. Ut de cœlestibus sollicitus pastor, sæcularia non curet, 225. Ab hostibus circumstantibus quid formidare debeant episcopi, 229. Mens curis sæcularibus saturata, sacram lectionem fastidit, 4. Curis exterioribus occupati a cœlestium contemplatione repelluntur, 247. Prælati ut pares præsint, 272, 385.

Equites dicuntur dignitate sublimes, potentia truces, 182. Equites duros rectores designant, *ibid.* Equites sunt quando carnis suæ voluptates refrenant, 192. Velut equo sublimis per castitatis bonum liber et velox hostem vel fugit vel invadit, *ibid.* Equites contra nos qui veniant in prælium, 282. Impetus equitis, equi viribus violentus quid significet, *ibid.*

Equi ad cursum celeres sunt, ad impetum fortes, 282. Malas cogitationes equi signant, *ibid.* Equus unus in nos sævire cernitur, sed solus non est, *ibid.* Qui sint equi Pharaonis, qui Dei, 413. De iis occulta Dei judicia, *ibid.* Illi equo similes, qui, præter Deum, alios admittunt sessores, 480.

Errorum magistri qui filios pariant, 136. Magistros suos ad secure moriendum in errore, filii cohortantur, *ibid.*

Eunuchi regis qui sint, quibus decimæ dentur, 184, 197. Eunuchi sunt, qui animi virtute omnia in se libidinis fomenta contriverunt, *ibid.*

Evæ in Paradiso tentatio, 259

Evangelii prædicatio apud Gentes multos fructus tulit, 21. Stupendi effectus evangelicæ prædicationis, 140. Arca apud Philistæos circumducta, Evangelium apud Gentiles prædicandum et circumferendum figurabat, *ibid.* Evangelii prædicatio ab incredulis et sterilibus aufertur, 141, 142. Evangelium omni creaturæ prædicari præcipitur, id est omnia hominum genera vocantur ad fidem, 331. Quatuor Evangelia aliquando a Synagoga, Ecclesiam imitata, devote colenda, 443. Hæc, operibus sequendo, fiet sicut Jerusalem, pulchra, *ibid.*

Evangelistæ tres pauca de divinitate Christi scripserunt fidelibus, parvulis lac propinantes, 25. Joannes de ejusdem divinitate sublimia grandioribus cibum solidum tradidit, *ibid.*

Eucharistiæ audaces susceptores, prius repleti, pro pane se locant, 59. Sacramentum ore recipiunt, virtute sacramenti non replentur, *ibid.* Quo studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eo uberius replemur in sacramenti refectione, 60. Qua pœna digni, qui corpus et sanguinem Christi tractant indigne, 160. Veri fideles tanti sacramenti dignitatem formidant. 161. Vivifici corporis et sanguinis Christi perceptione Ecclesia pascitur et potatur, abluitur et sanctificatur, 544. Corpore et sanguine Christi pascimur et vivificamur, alimur et saginamur, 556. Eucharistiæ non percipit fructum, nisi a vitiis jejunans, 59.

Evilat interpretatur parturiens, 348. Significat concupiscentiam, *ibid.*

Exauditionis indicia roganti grata, 539. Qui gloriatur in se, non exauditur, 546. Ille cum Deo in judicium ingreditur, qui cum oraverit, murmurat, si non exauditur, 547. Diabolus exauditur a Deo irato, apostolus non exauditur a Deo propitio, *ibid.* Deus exaudit corde clamantes, 551.

Excelsa. In excelso mentem stare, quid sit, 39. Super excelsa statuitur, cui Redemptoris Divinitas revelatur, 52.

Excommunicati peccatores ob inobedientiam, quid agere debeant, 292. Juste contra impœnitentes excommunicationis pœna decernitur, 373. Excommunicatus non vivit de Spiritu Christi, 511.

Excusationes vanæ imperium detrectantis, 288. Excusatio Saulis, sicut aliorum peccatorum, super inobedientia sua, *ibid.*

Exemplum piæ conversationis quantum valeat ad conversionem aliorum, 83. Prava pastorum exempla quantum noceant, 86, 340, 369. Electi subditi malis pastorum exemplis non se sinunt abduci, 89. Qui de vicino doctorem reprobum imitantur, in eodem præcipitio corruunt, 90. Qui laudat verbo justorum exempla, imitari ea tenentur, 193. Electorum dona fiunt cæteris imitanda exempla, 197. Peccatorum sunt nequissimi qui aliis dant exempla peccandi, *ibid.* Exempla pastorum bonorum sectari, malorum fugere debemus, 208. Proficere volens sanctorum exempla sibi ob oculos ponat, 232. Qui communiter vitæ pœnitenti addicti sunt, bonis exemplis se invicem excitent, 236. Pastor plures exemplo doceat, quam verbo, 251. Bonis fortissimorum Patrum exemplis tentati a pastore adjuvantur, 264. Sanctorum exemplis fideles ad virtutem hortandi, 281. A pravorum exemplis foris hic coarctamur, 285. Peccator resipiscens, tam sibi, quam aliis, suo exemplo prodest, 309. Exemplum malum Doctorum quantum noceat infirmis, 340. Exempla castitatis sunt cœlestium militum terris impressa vestigia, 345. Exempla foris bona hypocritarum sæpe proficiunt iis qui ignorant intus malum, 368, 369, 372. Exempla bona et mala potentum sæculi quantum prosint, vel noceant populis, 369. Virtutis exempla circumquaque spargere pastor jubetur, 385. Odor vinearum Ecclesiæ sunt bona exempla, 420. Christus ad se nos trahit et suis præceptis et Sanctorum exemplis, *ibid.* Odor liliorum bona significat exempla, 421 Mentem sanctam verbis et exemplis muniunt viri fortes, id est perfecti 425. Sancta anima dum peccantibus exempla præbet quasi luna in nocte

lucet, 447. Exemplorum sanctorum utilitas, 449. Exemplis Sanctorum muniendi sumus, 450. Exemplis martyrum præcedentium Synagoga roboranda contra Antichristi persecutiones, 454. Peccatoris conversi exemplum potens ad aliorum curandam conversionem, 504. Exemplo sanctorum se ad bene operandum excitare quisque debet, 550.

Exercitus Dei omnipotentis quis sit, 12. Exercitus Christi proditores sunt, qui, cum recte doceant, male operantur, 340. Exercitus nomine exempla Patrum, et Scripturarum præcepta signantur, 342.

Exhortationis et contestationis canticum, 400.

Exsulans hic Ecclesia, quasi in deserto, spretis omnibus, ad cœlestem patriam anhelat, 424.

Exsultationis canticum Anna cecinit, 400.

Extales putrescere, est peccati meatus ab effusione consueti fœtoris penitus interire, 141.

Extraneus quis sit, 38.

Extrema terræ quid signent, 51.

Ezechias se pœnitentiæ lacrymis affligens mortem sibi comminatam evasit, 109. Delectationes regias se torsurum promittit, 235.

Ezechiel propheta durus contra duros in malo veniebat, 201. Dura duris prænuntiaturus, ipse sibi non erat remissus, *ibid.* Bonus pastor Ezechiel malis præpositus, 215. Cur et quando Filius hominis appellatus, 407.

F

Fabri ferrei nomine eruditio sæcularis, artesque liberales signantur, 295.

Fabricare currum, quid sit, 183, 194. Quæ contra hostem arma fabricanda, *ibid.*

Faciem, vel a facie timere, quid sit, 167. Facie omnes agnoscuntur, 199. Facies regis est conversatio et eruditio boni prædicatoris, *ibid.* Cur a facie regis clament, qui regem petierunt, *ibid.* Facies Dei cognitio ejus est, 235. Moyses facie ad faciem videre dicitur, qui faciem sibi ostendi rogat, *ibid.* Peccatores, cum mala faciunt, a facie Domini fugiunt, 275. Faciem Jonathæ a Philisthinis videri, quid sit, 307. Qui peccatores ante faciem pastoris cadant, *ibid.* Facies designat exteriorem gloriam honestatis, 382. Decor faciei quid sit, *ibid.*, 390, 391. Facies Christi, perfecta cognitio est, 590. Facies fidem significat, 420. A facie Dei projicitur, cui spes veniæ post peccatum negatur, 501. Facies iræ cognitionem damnationis significat, 521. Facies Dei est claritas quædam cognitionis ejus, 532.

Famelici qui fuerunt saturati, 48, 59. Usque in finem mundi famelici saturantur, 60.

Famuli regis, quibus decimæ dantur, qui sint, 184, 197. Famuli sunt, qui adhuc studiis vitæ activæ sub aliena cura inserviunt, *ibid.* Quid sit sex annis servire famulum, in anno septimo liberum egredi, *ibid.*

Farina quid significet, 26. Sine farina vitulum offerre, quid figuret, 40. Farinam vitulis, et farinæ vinum miscere quid sit, *ibid.*

Favus ab anima saturata calcatus quid significet, 4. Favo cur comparentur prædicatores, 432. Favum cum melle qui Christus comedat, 435.

Felicitas ubi speranda, ubi justis desideranda, 19. Qui æterna felicitas, quæ secundum opera redditur, ex Dei misericordia tribuatur, 552. Quibus in hac vita datur gratia fructificationis, iisdem datur in altera gratia æternæ felicitatis, 553. *Vide* Beatitudo, Vita æterna.

Femina duo sponsæ, duo populi Ecclesiæ, 450. Per juncturam feminum concordia signatur prædicatorum, *ibid.*

Femur significat carnis appetitum, 425.

Fenestra. Per fenestras et cancellos prospicere quid sit, 419.

Fenum cur homo comparetur, 515.

Ferculum Christi est electorum Ecclesia, 426. Cujus columnæ argenteæ signant prædicatores, *ibid.*

Fervor veterum teporem nostrum arguit, 323. In fervore fidei et charitatis Christus Sponsus recumbit, 411.

Ficus jussa succidi quid significet, 31. Ficus grossos suos proferens, quid figuret, 420.

Fidem sine gratia Dei nemo habet, 550. Ad fidem omnia hominum genera, et ad vitam æternam vocantur, 531. Per fidem in Christum Deum et hominem itur, et a singulis fidelibus adduci Christus dicitur, 390. Facies significat fidem, qua a Deo cognoscimur, 420. Vestimenti nomine fides signatur, 516. Signatur etiam colli nomine, 431, 528. — Fidem qui audiunt, nec eam recipiunt, perversi reprobantur, 141. His credere nolentibus, alii fidem receperunt, *ibid.* Ficte pœnitentes, fide sola salvari æstimant, 364. Nemo, fide per gratiam accepta, de peccati impunitate præsumat, 473. Mundus in unitate fidei collectus, non solum opera Dei annuntiat, sed etiam vita et operibus eum laudat, 529. Præcedit probatio, cognitio succedit, sequitur certitudo et fidei professio, 138. — Fides reproborum elisa rejicitur, 31. Plerique intra Ecclesiam nullos ferunt fructus, *ibid.* Dei adversus eos mine, *ibid.* Ita prædicanda fides, ut per bona opera comprobetur, 420.

Fideles omnes vocantur greges, 413. Fideles liberi quomodo liberi, 256. Fideles pacem tenentes, hostibus sunt terribiles, 444. Fideles quique dicuntur comæ Christi, 440.

Fiducia inordinata de misericordia Dei, 108. De misericordia Dei ordinate confidit, qui hoc quod peccando deliquit, pœnitendo corrigit, flendo tergit, *ibid.* In Deum fiduciam pœnitentia comitetur, 166. Qui de se vilia sentiunt, in Deum fiduciam habent, 478. Fiducialiter Deus Pater agebat in Christo, quem in nullo conscientia accusabat, 502.

Filiarum nomine infirmorum mentes in Ecclesia designantur, 183. Quid per filias Jerusalem intelligendum, 195, 426.

Filii sunt, qui spiritualibus patribus ad eruditionem subjunguntur, 82. Filii magnorum virorum per carnem Judæi, quorum nobilitatem fidei et virtutum amiserunt, 129. Filius quis appelletur, non affectu amoris, sed adulatione calliditatis, 133. Filii Belial qui sint, 82, 257. Filii Heli Israelitas designabant, 66. De filio prodigo, 549.

Filii Dei sunt, qui ei charitate sunt conjuncti, 249, 527. Longe perfectiori modo Christus Patrem habet Deum, *ibid.* Filius Dei in cœlo est Sanctorum altare, 509. Filius Dei, verbum et splendor Patris dicitur, 523. Filiorum est diligere, non timere, 527. Filii Dei esse non possumus, nisi legem Dei, misericordiam observantes, inimicos diligamus, 540. Filii electorum qui dicantur, 182.

Fimbriæ aureæ sunt claritates a mente nunquam deficientes, 346. Per fimbrias aureas perseverantia in virtute designatur, *ibid.*

Finis noster cur Christus, 466. In finem, id est in Christum Psalmi inscribuntur, *ibid.*

Flagellis qui emendatur, in mansuetudine arguitur, 468. Flagella Dei in reprobos, 480. Flagella sæpe aperiunt delinquentium oculos, quos insolentiæ et securitatis tenebræ claudunt, 491. Dei accusat judicium, qui se æstimat injuste percussum, 546. Flagella Dei ad quid nobis proficiant, 491. *Vide* Afflictio, Tribulatio.

Fletus ex compunctione, 38.

Flores æternorum fructuum sunt opera sanctorum, 232. Flores significant teneros et incipientes, 417, 421, 448. Flores apparuisse in terra, quid sit, 419.

Fluminis impetus lætificans civitatem Dei, quid significet, 434. Flumina solent dici aquæ vivæ, 457. Significant maximas tribulationes, *ibid.*

Focariæ filiæ præpositi carnalis sunt subditi infirmi, qui tyrannis adulando serviunt, 184. Focariæ coquunt focis, quæ reges comedunt, *ibid.* Focariæ sunt, quæ per obsequia favoris carnali præposito accendunt tumorem cordis, *ibid.* Qui filiæ Israel fiant regis focariæ, 195.

Fœdus percutere cum morte, quid sit, 533.

Fœditatem nostram eo magis nobis ostendit Christus, quo propius ad nos accedit, 409.

Fons signatus quid significet, 433. Quis sit fons patens in ablutione peccatorum, 544. Fontem misericordiæ patentem Christum hauriamus, et in eo lavemur, *ibid.* Fons et puteus sacram Scripturam significant, 433.

Fornicationis spiritus continentiæ virtute depellitur, 302. Maxima pars hominum in fornicationem cur præceps ruat, 297. Hi lanceam vel ensem habent, sed non in manu, *ibid.* Ad fornicationis spiritum debellandum multæ virtutes necessariæ, 331, 341. Spiritus fornicationis cur vastatores dicti, 332. Magnum certamen fornicationis, quod tanta difficultate superatur, 341. Ejus reliquiis in mente, in ore, in opere, omnino non parcendum, 343. Diabolus quosdam in apertam fornicationem impellit, alios per fraudem illudit, 344.

Fortitudinis propositum signatur vitulis, 27. Fortitudo viri motus animæ suæ moderantis, 474. Alia est fortitudo quæ deponitur, alia quæ noviter inchoatur, 508. Sanctorum fortitudo, *ibid.*

Fovea est, sæculi altitudo, 231. Viri spirituales foveas saliunt, quando cœlesti desiderio terrena contemnunt, *ibid.* Foveas in meridie, id est ex fervore charitatis saliunt, *ibid.*

Fraude pia, citra mendacii periculum, aliquando mali sunt deludendi, 376.

Frontem obdurat, ut meretrix, qui peccata peccatis accumulat, 473.

Fructus semper ferendus, 460.

Frumentum et palea in area simul sumus in hac vita, 171.

Fugere metuentis est, 132. Fugere de acie Judæo, est a perfidorum errore separari, 132. Sanctorum virorum actus terrenos fugientium, non est fuga, sed gloriosa victoria, 268.

Fumo ex aromatibus exhalato comparatur Ecclesia, 424. Virgula fumi quid signet, *ibid.*

Fundamentum qui non posuerint, sibi Christum, in furore arguendi, 469. Qui eidem fundamento superposuerint

lignum, fenum, stipulam, in ira corripiendi, *ibid.*

Furor qui attribuatur Deo immutabili, 468. Deus in furore reprobos arguet, *ibid.* Furoris et iræ discrimen, *ibid.*, 482. Furor æternam significat damnationem, 469, 482.

Furti reus est, qui de bonis operibus aliquid sibi tribuit, 319.

Fuscinula in manu pueri, illata sanctæ Ecclesiæ a Judaico populo persecutio est, 67. Qui sint tres fuscinulæ dentes, *ibid.* Quod levabat fuscinula, puer tollebat sacerdotibus, *ibid.*

G

Gabaa interpretatur sublimis, 161, 256, 279. Domus regis in Gabaa perhibetur sita, *ibid.* Partem exercitus cum rege in Gabaa ire, quid sit, *ibid.* Gabaa Benjamin, collis filii dexteræ interpretatur, 291, 299. Collis filii dexteræ, æterna est celsitudo Redemptoris, *ibid.*

Galaad interpretatur acervus testimonii, 427. Hic acervus testimonii multitudinem martyrum signat, *ibid.*

Galgal interpretatur rota, 174, 244, 269, 291. Galgal conjugatorum ordinem designat, 174. Per Galgal potest sacra Scriptura designari, *ibid.*, 291. In Galgala coram Domino regem constituere, quid sit, 269.

Gaudium de promissione æternæ hæreditatis per citharam exprimitur, 240. Tribulatio cœlestis gaudii est introitus, 286. Gaudere veraciter soli justi possunt, 481. Per fletus ad gaudia, et per gaudia pervenitur ad fletum, 495. Gaudium Sanctorum inæstimabile futurum in extremo judicio, 499.

Gemini filius est, qui negligentes imitatur, in cura sui, et in exemplo proximi, 222.

Gemitus pii animæ revocantis præsentiam Sponsi, 439. Vox gemitus quæ sit, 516. Gemitus compeditorum Deus non audiret, nisi Filium mediatorem nobis dedisset, 528.

Gemmæ, opera significant, 414.

Genarum verecundia castitatem cordis ostendit, 414.

Generatio altera, spiritalis intelligitur, a carnali Judæorum distincta, 526. In hac spiritali divinæ promissiones impletæ, *ibid.* Hæc generatio divina est et cœlestis, *ibid.* Ex generationibus sibi succedentibus fit præsens vita, 530. Ex generationum successione, fit una, cui non succeditur, generatio divina, *ibid.*

Gentium fideles multitudines, Dei sunt exercitus, 12. Misericordia Dei in Judæos Gentilesque quanta sit, 523, 524. Gentes timuerunt nomen Dei, quando Christianæ susceperunt instituta doctrinæ, 524.

Gentilium conversio Ecclesiam consolatur de Judæorum reprobatione, 15. Multos fructus tulit apud Gentes Evangelii prædicatio, 21. Gentium impleta vocatio, est prophetarum consummata visio, 22. Verbum implendum est prædestinata conversio Gentilitatis, 26. Ecclesiæ pro conversione Gentilium exsultatio, 41. Ineffabilis Gentium lætitia de Redemptore, a Judæis rejecto, et ab Ecclesia recepto, 43. Gentiles cur dicti sint famelici, 48. Gentiles de pulvere suscitati, et de stercore erecti, 50. Puer Samuel credentium de Gentibus populum figurat, 65. Gentilis populus ad audiendam Ecclesiam devotus, et ad operandum fuit promptus, *ibid.* Gentilis populus in fidei generatione puer, *ibid.* Repulsis Judæis, soli Gentiles coram Deo ministrarunt, 66. Prædicatorum sanctæ Ecclesiæ ministerium, et Gentilium conversionem, et erga Christum obsequium prophetæ olim præviderunt, *ibid.* Arca Dei templis idolorum illata, quando fides Gentilium mentibus inserta est, 137. Prædicationis et fidei progressus in eorum cordibus, *ibid.* Aggravata Dei manus super Gentiles, eorum conversionem operata est, 138. Mori Gentilibus fuit, ab infidelitate separari, 139. Manu Domini Gentiles occidi, quid sit, *ibid.* Populorum nomine Gentes designantur, 140. Gentilium conversio, eorum interfectio et percussio fuit, *ibid.* Dei laudes conversus orbis universus canit, 143. In Gentilium salute, non improborum voluntas impleta, sed Dei dispensatio, *ibid.*

Geth interpretatur torcular, 172.

Gladius alterius ad proximum vertitur, quando conversis hortantibus, peccatores ad Dominum convertuntur, 312. Quando Electi se in sancta Ecclesia vicissim roborant, et ad amorem cœlestis patriæ inflammant, *ibid.* Gladius significat verbum Dei, 425. Manus, quibus tenentur gladii, opera figurant, *ibid.*

Glorificantem se Dominus glorificat, 77, 87. Quomodo Deus a pastoribus glorificetur: et qui ipse pastores glorificet, 87, 88. De studio boni operis et humilitate, non in nobis, sed in Domino gloriandum, 148. Gloriam Deo dare, quid sit, 148.

Gloriam vanam hic de bonis operibus aspernatus, æterna fruetur aliquando, 514. Sæpe verbo et opere magni a vana gloria non satis cavent, 516. Omnis gloria intus est; quia foris sola, intus sola non est, 546. Qui gloriatur in se, non exauditur, 546. Manus ad Deum non expandit, qui gloriam humanam ex operibus bonis quærit, 550.

Golias. Contra Goliam pugnaturus David, militaria quæque deponens instrumenta, quid figuret, 83.

Gomorrha. Ex hac quid propaginem ducat, 195.

Gradus quindecim quibus ad templum ascendebatur, quid figurent, 535, 536, 537. Gradus quibus ad Deum ascenditur, 553, 554.

Gratia necessaria, qua vir summa diligat, et ima contemnat, 31. Gratia Spiritus sancti recte dicitur robur, 47. Qui fuerint sub lege, qui sub gratia, 49. Quantum hi præemineant istis, *ibid.* Sine Dei auxilio stare non possumus, 64. Timet diabolus sanctos in divinæ gratiæ robur assumptos, *ibid.* Toties labimur, quoties interna nostra vestigia a Domino tenente deseruntur, *ibid.* Vir in se non habet statum roboris, sed lapsum infirmitatis *ibid.* Cœli tunc sumus, cum in altitudinem divinæ gratiæ sublevamur, *ibid.* Ejus ope vires adversariorum elidimus, *ibid.* Deus sal quando se subtrahit, ut quam infirmi sumus eo absente experiamur, 65. In ædificatione domus Domini vires humanæ deficiunt, si non divinitus adjuventur, 80. Quidquid a nobis geritur boni, divinæ gratiæ adscribendum, 171. Effectus gratiæ est immutatio cordis, 246. Quo propius ad gratiam accedimus, plus nos esse peccatores agnoscimus, 409. Gratia inebriati cuncta despiciunt, 455. Anima in solius Christi auxilio confidens, transfertur ab exsilio ad patriam, *ibid.* A Deo est gratia et recte intelligendi, et recte intellecta operandi, 479. Humanis mentibus infusa gratia in operibus demonstratur, 532. Ut bene operemur, a Deo est, 550. Terra sine aqua est anima sine gratia, *ibid.* — Gratiæ prævenientis effectus, 32. Divina gratia contemplantem prævenit aliquando, qua subito perfunditur ineffabili dilectione, 35. Debilis est omnis hominis virtus sine Dei auxilio, 52. Deus solus mentes gratia excitare potest, 116. Ad gratiam percipiendam per mentis quietem præparamur, *ibid.* Tentatis gratia præsto est, qua adjuventur sustinentes, 288. Sicut aqua corpus lavat a sordibus, ita gratia animam purgat a peccatis, 499.

Gregorii (S.) Magni expositio in Canticum Canticorum asseritur, 395.

Gressus nostri, ut recti sint, intus ad Christum respiciamus, 92.

Grex prophetarum significat Pastores Ecclesiæ, sub uno summo pastore, 241. Greges addecimandi a rege constituto, qui sint, 185, 198. Greges nostri, cogitationum innocentium turbæ, *ibid.* Ex culpis pastoris quæ damna gregi immineant. *Vide* Exemplum, pastor, Prælatus.

Gula et elatio antiqua diaboli tela, 6. Tres peccati gulæ species, 82. Vitium gulæ per serpentem figuratum, 259. A vitio gulæ quantum sit timendum, *ibid.* Justæ necessitatis simulatione irrepit gula, *ibid.* Gulosi pro sollicitudine ventris innumerabilibus curis deprimuntur, *ibid.* A perfectis viris quam alienum sit gulæ vitium, 260. Fœdus a gula petunt qui vellent carnem pro voto reficere, si fieri posset, sine incitamento luxuriæ, *ibid.* Hoc vitio dexter oculus, quo æterna intuemur, eruitur, *ibid.* Gula qua arte debellanda, 261, 265. Ex uno gulæ vitio innumera prodeunt, 266. Gula per abstinentiam frangitur, 302.

Guttur sponsi significat Christi Testamentum, 442. Et Prædicationem, 452.

H

Hæreditas Domini multitudo fidelium est, 229. Unctionis sacræ fructus est cultus divinæ hæreditatis, *ibid.*

Hæresis prima in Ecclesia fuit simonia, 518. Hæreses signantur per portas inferi, 532.

Hæresiarchæ et falsi doctores, Arius, Sabellius, Montanus videbantur sodales Dei; at discussi apparuerunt inimici, 412.

Hæreticus non vivit de Spiritu Christi, 511. Per vulpeculas signantur hæretici, 421. Hæretici a prædicatoribus, seu canibus e latebris suis sunt exagitandi, *ibid.* Ab his, quantum periculi infirmis immineat, *ibid.* Perfecti ex eorum afflatu, non ita periclitantur; *ibid.* Hæreticorum sermo cur non venisse dicatur, 112. Qui hæretici demoliantur vineas, id est Ecclesias, 421. Hi capiuntur a sanctis prædicatoribus, *ibid.* Hæreticorum in Ecclesiam exprobrationes, 518.

Hæreticos agnum aqua coctum comedere, est per humanam sapientiam incarnationis verbi sacramenta evacuare, 67. Falsa contemplatione decepti hæretici percutiuntur, 160. Hæretici decipiuntur in intelligentia sacræ Scripturæ, 238. Hæretici contradicunt Christo in signum posito, 239. Opportunum tempus orandi non inveniunt superbi hæretici, 477. Hi ad Deum non accedunt, 478. Hæretici pereunt, alii solo errore decepti, alii etiam prava operatione perversi, 160.

Hamo diabolus captus est a Redemptore, qui ei carnem exhibuit, divinitatem celavit, 261.

Helcanæ uxores duæ quid significent, 2, 10, 31. Helcana Christum figurat, 5. Helcanæ sacrificio Christi passio figuratur, 13. Helcana Annam conjugem cognovit, Deus Ecclesiam per amoris gratiam sibi conjunxit, 23. Helcanæ hostia solemnis quæ sit, 25. Helcana et

uxor ejus Anna vitulum immolantes, quid signent, 28.

Heli interpretatur Deus meus, 301. Heli Sacerdotis mores, et mortis causa quid moraliter, quid allegorice significent, 2. Filii ejus duo pravi, sed tamen Sacerdotes Domini, 12. Heli sacerdos super sellam sedens quid figuret, 15. Heli æstimat Annam temulentam, et Apostoli crediti sunt ebrii, 18. Heli jubens Annam vinum digerere, quid significet, 19. Heli non solum doctores, sed etiam doctrinam figurat, 28, 70. Filii Heli signant Israelitas secundum carnem, 66. In persona Heli boni doctores populi veteris designantur, 69. 111. Heli juvenis et post ea senex, et senex valde, quid figuret, 71. Filiorum Heli scelera Judæorum corruptelas significant, *ibid.* Filii Heli cum mulieribus dormientes quid figurent, *ibid.* Heli acute reprehendens, et mansuete filios admonens quid designet, 72. Honoravit filios suos magis, quam Deum, 77. Facies Heli uniuscujusque Institutoris ratio est arbitrii, 81. Heli filiorum culpa damnatur, cujus peccata propria nulla referuntur, 85. Filii Heli signant eos, qui a propinquis carnalibus ad sacros Ordines promoventur, 90. Quid sit ambos Heli filios in una die mori, *ibid.* Audiant qui filiis Heli sunt similes, *ibid.* Heli cæcitas quid figuret, 97. Heli jacens in loco suo signat reprobum pastorem quiescentem in sede justi, 98. Heli humiliter respondentis humilitas ficta, 108. Heli imitatores, divinæ indignationis minas, hominum inimicitiis postponentes, *ibid.* Heli dum neglexit quod audivit, incurrit quod meruit, *ibid.* Locus Heli, id est Judaici prædicatoris, sacra lex est, 113. Heli super sella sedens legisperitos Synagogæ significat, 131. Mortuis filiis, pater super sella sedens quid figuret, *ibid.* Duo anni, qui ad perfectam centum annorum ætatem Heli desunt, quid denotent, 132. Heli juxta ostium cadens, et ipso casu mortuus, quid designet, 134. Heli cadendo cervices fregisse, quid sit, 135. Nurus Heli signat plebem Judæorum reprobis sacerdotibus subjectam, *ibid.* Hæc nurus prægnans quid figuret, *ibid.* Parcere eis, est Synagogam loquendo aperire aliis conceptam pravitatem, 136. Heli vita propria justus, auctoritate pastorali remissus, 327. Pro dissolutione percussus, pro præterita conversatione respectus, *ibid.*

Herodis gladium cur Christus evaserit, 11. Herodes incautum juravit, et nefarium jusjurandum complevit, 328.

Hesebon interpretatur cingulum mœroris, 450. Piscinæ in Hesebon quid figurent, *ibid.*

Hilaritas necessaria in votis Deo exhibendis, 27.

Hædi significant peccatores, 235. Tres hædos portat, qui ore, corde et opere se deliquisse pœnitendo considerat, *ibid.* Hædi sunt nostri motus carnales, et tentationes illicitæ, 413. Hædos pascere, quid sit, *ibid.* Hædus antiquitus pro peccatis immolabatur, 415. Fons hædi quid significet, *ibid.*

Holocaustum dicitur combustum, 157. Lignis plaustri concisis, holocausta, desuper impositis vaccis, fiunt, *ibid.* Holocausto victimas addere quid sit, 158. In oblationibus perfectorum simul holocausta, et victimæ convenire debent, *ibid.* Quis holocaustum sine victimis offerat, *ibid.* In cordis altari holocaustum amoris offeratur, 176. Electorum holocausta quare Deo accepta, 509, 510.

Homo dicitur caro, quando sensui carnis ratio subjugatur, 349. Homo dicitur, carnalibus passionibus aliquis subditus, 367. Homo dicitur arbor, aut infructuosa, aut fructus humano usui non aptos ferens, 416. Dicitur fenum, 515.

Homo lapsus victori hosti prævalere non posset, si Christus naturam damnatam non assumpsisset, 6. Ministri Ecclesiæ vocantur in destructionem veteris hominis, et in novi ædificationem, 120. Scindere vestem, et caput pulvere conspergere, est veterem exuere et hominem novum induere, 131. Ex vetere fit novus homo per spiritum insilientem, 242. Amore fit immutatio vetustatis, *ibid.* Vida peccati ad veterem, vita justitiæ pertinet ad hominem novum, 405. Quid ad novum, quid ad veterem pertineat hominem, 501. Imago cœlestis hominis portanda, sicut terreni portavimus, 522. Hominem carnalem factum Christus ex Virgine natus reparavit, 526. Ad cœleste regnum pervenire non potest vetus homo, sed novus per amorem filius factus, 535. — Hominis cujusque virtus debilis sine Dei auxilio, 52. In angelis lapsis discat homo, quid timeat, 58. Homo per peccatum perditus, 204. Natura nostra per lapsum primi hominis sic damnata, ut quotidie deficiendo veterascat, 242. Status hominis ante originalem culpam, 370. Ex illa culpa contumeliosi carnis sensus, *ibid.* Hominis cæcitas et torpor post lapsum, 397. Ejusdem infirmitas, 406, 503. Quidquid in homine est, præter Deum, mortiferum est, 416. Ex quanta felicitate peccando ceciderit primus homo, 481, 482, 549. Gravissimo peccati pondere, in corpore et anima obruimur, 484. Morti et corruptioni ex justæ damnationis sententia, obnoxius, 515. Homo in honore positus, per peccatum dejectus est, 520. Gravis ejus allisio, 521. Hominis a Deo recedentis aridatas, 522. Ut hanc caveamus Christo inhærendum, *ibid.* — Hominis dolor ex quanta felicitate in quantam miseriam ceciderit, cogitantis, 482. Hominis infirmitas, nisi Dei virtute roboretur, 503. Per manum Domini super hominem confirmatam, miseriarum frequentia designatur, 482. Homo idem non permanet uno die, continuæ mutabilitati obnoxius, 522, 534. Mortalitas et passibilitas nobis sunt infixæ sagittæ, 482. — Hominis interioris renovatio, quid sit, 93, 242. Homo a peccato per se liberari non potest, 186. Homo unctus est oleo lætitiæ, cum creatus, 403. Homo præ animalibus cunctis per creationem elevatus, 521.

Honor dignitatis per seipsum magnum est onus mentis, 253. Honor a subjecto oblatus suscipitur, ut prædicatio commendetur, *ibid.* Qui se subtrahant honoribus ministerii Ecclesiæ, pauci sunt; qui se ingerant multi, 254. Reverentia honoris, et humilitas subjectionis, magna sunt munera prælatis tribuenda, 258. Honorari velle, quantum a vera pœnitentia sit alienum, 367. Honores ecclesiasticos cupiditate suspicientes, a Deo reprobati, 87.

Horti sponsi sunt corda sanctorum, per custodiam munita, per castitatem florida, 332. Hortus sponsæ conclusus virtutem designat castitatis per continentiam munitæ, *ibid.* Hortus conclusus Ecclesia, et anima pia, 432. Ut Sponsi hortus flores ac fructus ferat, flatu Spiritus sancti indiget, 434. Christus qui pascatur in hortis, 443. Hortus cum corda sunt Sanctorum, 448 Quid sit Sponsum in hortum nucum descendere, ut videat, non nuces, sed poma, *ibid.*

Hostiæ solemnis immolatio est sanctæ Ecclesiæ amoris oblatio, 23. Hostiæ solemnis alia interpretatio, 25. Hostia mentis est devotio ejus, 211. Hostiæ qui benedicatur, *ibid.* Hostiarum oblationibus mundantur peccata, *ibid.* Hostia munda et mundans, quæ sit, *ibid.* Hostiam integram offerre, quid sit, 168.

Hostes habemus in circuitu, quorum, in omni quod cogitamus loquimur et operamur, bella patimur, 230. Hostium nostrorum multitudo et feritas, 282. Quot modis nos impugnent, *ibid.* Vulgus hostium arenæ maris cur comparetur, 283. Hostes nostri tripartito agmine nos aggrediuntur, 293. Ut superentur, quanta virtute indigeamus, 330. Hostis prostratus rursum erigitur, si remissius agamus, 342.

Humanæ conditionis dignitas ad obsequium Christi inclinatur, 524.

Humilis in sacro eloquio pro defectu virtutis sæpe accipitur, 234, 318. Erecta, sublimis; incurvata, humilis est anima, *ibid.* Verba nostra et opera sunt plana et humilia, quando sæcularia, *ibid.* Cujus vita in terra humilietur, 548. Humiliter obsequuntur electi, a superbis et negligentibus doctoribus admoniti, 89. Humiles vocati, amori fraterno condescendentes, se Christo non auferunt, 161. Humiles dicuntur parvuli, 216. Humilis magna de se audiens, infirmitatis suæ recordetur, 222. Magni sunt merito electi, humiles æstimatione, 227. Deum hic per speculum intueri, solis humilibus datur, 235. Celsiores meritis, planiores sunt per virtutem humilitatis, 244. 250. Ex dono contemplationis in humilitate proficiendum, 41, 407. Humiles respectu suæ miserationis Deus fovet, 448. Humilibus ad Deum patet accessus, 478. Fiducia in Deum est humilium, *ibid.* Tanto carior Deo anima, quanto sibi despectior, 484. Deus humilium orationes exaudit, 526.

Humilitatis virtutem qui conjungunt cumulo meritorum, hi vere proficiunt, 95. Infusio supernæ gratiæ mentibus fit dispositis per humilitatem, 155. Per humilitatem spiritualis visus acuitur, *ibid.* Ex merito humilitatis ad verum lumen contemplandum assurgitur, 236. Dona humilitatis sunt signa signorum, 244. Quantum placeat Deo humilitas, 379. Melior est humilitas scientia, 408. Qui virtutes sine humilitate congregat, quasi in ventum pulverem portat, 483. Ut orantes exaudiantur, humilitas præstat, 551. Humilitatis fructus, 362. Humilitas custodienda, inter magna virtutum dona, 38. Humiliamur in æstimatione exsilii, 62. Contemplationem comitetur humilitas, 41. Alta loquentibus necessaria humilitas, 57. Amissa humilitate, quam noxium exaltari, 70. Ad humilitatem maxime proficit vitæ præteritæ turpitudo recordata, 148. Ad fornicationem vincendam abstinentiæ addatur humilitas, 331. Gratiæ Dei adscribendum, quod humiliemur, 551. Humilitatis dona sunt Spiritus sancti moventis, 243. Humilitatis argumentum sit obedientia majoribus exhibita, 244. Electus quisque humilis est; et sterilis non est, 382. Veræ humilitatis indicia, 491, 550. — Humilitas Heli ficta, cujus responsio videtur humilis, 108. Vere esset humilis, si sese ad emendationem culpæ, pro qua arguebatur, obtulisset, *ibid.* Simulata superborum humilitas, 363. Cur falsam reproborum humilitatem electi prædicatores accipiant, 368. In electione prælatorum præcipua ratio humilitatis habenda, 379. Humilitas actiones magnas laudabiliter celat, 299.

Humilium lucra, superborum damna, 362. Superbi ad justorum contemptum

audaces, honores contemnere non possunt, 363. Humiles ad majorum imperia prompti, ad alta perdenda securi, *ibid.* Qui Deus humiliet et sublevet, 62. Humiles exaltantur, cum æterna gloria obedientes donantur, 363. Quæ gratia detur humilibus, 382. Humilium quanta sit celsitudo, 383. Humilis silentio se occultat, per exempla profert, 251.

Hur interpretatur ignis, 342.

Hyems adventu Christi fugata, 419. Per hyemem Legis austeritas figuratur, *ibid.* Et vita præsens, *ibid.*

Hypocritarum virtutes falsæ, 212. In hypocritis duo sunt, intus purum malum, foris bonum simulatum, 368. Ab hypocritis et falsis doctoribus quam cavendum, 412. Ad Deum, ut, qui cavendi sint, indicet, assiduo convertamur, *ibid.* Hypocritarum subdola consilia, 518. Hypocritæ abjiciendi et deserendi, 365. Hypocritæ pardis comparantur, 431.

Hyssopus herba humilis, 498. Quæ sit ejus vi tus, *ibid.* Per hyssopum Christi humilitas designatur, *ibid.* Hyssopi fasciculus vaccæ rufæ sanguine intinctus mundabat inquinatos, *ibid.*

I

Idololatriæ caput et brachia conteruntur, 138. Qui Dagon caput atterere, et manus vitat, idololatria quodammodo esse convincitur, *ibid.* Sacerdotes Dagon se esse insinuant, qui super limen non calcant, *ibid.* Cur idololatris inobedientes sint similes, 361.

Idola appellantur vana, 276.

Ignis spiritualis quos hic non examinat, in futuro judicio per ignem probat, 567. In igne terror judicii exprimitur, 111.

Ignorantia nulla deterior, quam nescire id, quod scire debemus, et falso nos scire æstimamus, 82. Ignorans in nocte est; cum illustratur, in die, 226. De nobis, non nobis est credendum, sed melioribus, 231. Magnum est humanæ ignorantiæ pelagus, 324. Qui seipsos ignorant, pascendis hædis, id est carnalibus motibus addicuntur, 413. Qui ignorantiæ suæ agnoscit caliginem, lumen incipit habere intelligentiæ, 487.

Illudit nobis diabolus multis modis, 485.

Imago Dei in quo consistat, 92.

Immolare victimam quid sit, 67. Quis adorans immolet, 31. Electa mens qui Deo se consecret, velut spiritali immolationi, *ibid.* Anima Deo cum summa veneratione assistens, immolat tamen, et non adorat, 35.

Immunditiæ crimen hominibus absconditur, sed videnti omnia Deo non celatur, 359.

Immundum nihil ex natura sua: sed manducare prohibitum, hominem inquinat, 506.

Impatientibus Dominus iratus sæpe concedit, quod petunt, 547.

Imperatores pagani Nero, Diocletianus, etc., dicuntur portæ inferi, 552.

Impietas est pravæ operationis intentio, 477.

Impii in tenebris tacent, 52. Impii sunt domus inutilis, 285. Impios prosperari cur Deus permittat, 412. Clamat impius cum peccatum adjungit peccato, 511. Omnis impius peccator est, sed non e contra, 566.

Impœnitenti quid Deus minetur, 500. Juste contra impœnitentes excommunicationis pœna decernitur, 373.

Impudentia eorum summa, qui de peccatis non erubescunt, 472.

Impudicitiæ contra fraudes et dolos continuo vigilandum, 542. Ad impudicitiam expugnandam, producenda Sanctorum exempla, 544. Contra impudicitiam qui sint expediti milites, 545. Non minus curent de custodia cordis, quam de corporis continentia, *ibid.* Impudici sua flagitia latere falso credunt, 555. Famæ voce publicantur, *ibid.*

Imputandum peccatum, non alteri, quam sibi, 476. Peccata nostra, ne nobis imputentur, puniamus, 474.

Incensum adolere, quid sit, 75.

Incontinentiæ remedium, confessio, 556.

Incrementum nisi Deus dederit, frustra homo plantat, aut rigat, 550.

Increpatio stimuli nomine signatur, 297. Dum culpas arguit increpatio prælati, mentem pungit, *ibid.*

Incurvantes se, vel non, quæ pariant, 136.

Indignos promovere, est illos magis quam Deum honorare, 86. Indigni nulla dispensatione ad Ecclesiæ regimen promovendi, 381.

Indocti contemplari superna præsumentes, potius deviant, quam veritatem apprehendant, 154.

Indulgentiæ divinæ mira velocitas erga compunctum peccatorem, 476.

Infernus, domus damnati, 88. In inferno nulla adsunt consilia salutis, *ibid.* Deus ad inferos ducit, æternorum cruciatuum consideratione terrendo, 61. Reducit ab inferis, spe veniæ consolando, *ibid.* Is ad inferos ductus, et ab inferis reductus, qui mundo obiit, cœlis vivit, *ibid.* *Vide* Damnatio.

Infirmo, qui sanus sibi videtur, nemo insanabilior est, 494. Infirmitate peccare, ejus est qui viribus peccati impar est, 563. Hominis infirmitas virtute Spiritus sancti roboranda, 803. Pastor cum infirmis infirmetur, per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis, 225. Ad Ecclesiæ defensionem non assumantur infirmi, 279. Aliora se infirmi non præsumant, 280. Infirmi ad conjugii indulgentiam confugiant, 548. Ex perfectorum consideratione, infirmi in spem misericordiæ eriguntur, 408.

Ingenii aciem retusam acuit scientia sæcularis, 296. Acies ingenii retusa non, nisi tarde et vix, spiritualium obscura penetrat, *ibid.*

Ingressus pacificus est, cum præsentia pacis venerit, 589.

Inimici Sanctorum dicuntur maligni spiritus, 314. Etiam inimicis præstanda charitatis officia, 15, 277, 540. Ille veraciter charitatem habet, qui et amicum diligit in Deo, et inimicum propter Deum, 472.

Iniquitatem sedere in talento plumbi, quid sit, 483. Si iniquitates hominum Deus observaret, nemo sustinere sufficeret, 540.

Iniquos diu vivere, cur Deus sinat, 492. Iniquorum adversus justos machinamenta, *ibid.* Qui sint iniquorum mores proprii, *ibid.* Ut vincantur iniquorum machinamenta Dei auxilio indigemus, *ibid.* *Vide* Impius, Reprobus.

Injuria. Qui molitur lædere alium, prius proprio jaculo percutit semetipsum, 495.

Innocentia Samuelis in regimine, 270.

Inobedientiæ crimen unde nascatur, 287, 288.

Insidiantur diaboli, ceu latrunculi gradientibus in via salutis, 479. Quid ex insidiarum diaboli recordatione proficere possimus, 117.

Inspirationes et revelationes divinæ superiorum judicio subjiciendæ, 103. Aliquando per occultam inspirationem Deus loquitur electis, 115.

Insufflatio Domini in faciem discipulorum, ante datam illis dimittendi et retinendi peccata potestatem, quid signet, 167.

Insulæ nomine significantur mentes tentationum fluctibus vallatæ, 576. Qui lætentur insulæ, *ibid.* Cor forte subjecti, quod tentationibus non movetur, insula dicitur, *ibid.*

Intelligentiæ per peccatum perditæ lucem, confessionis humiliatione, revocamus, 478.

Intentionis bonæ virtus est charitas Dei, 26. Intentio charitatis amphora vini significatur, 27. Unus ex intentione quis sit, 30. Pura sit et simplex intentio, 153. Ex recta intentione oritur lux operis, 214. Bona publice agens, non stat fortitudine operis, si rectitudinem non habet intentionis, 254. Deus dat intentionem rectam, et discretionem ad operandum necessariam, 479.

Interpres Scripturæ sacræ speculatori similis, 3, et Viatori, *ibid.*

Interrogatio non semper ignorantiam supponit, sed reatus intimat gravitatem, 288. Interrogatur peccator, ut ad cor per lamenta perducatur, *ibid.*

Invenire peccata nostra, et inventa pensare negligimus, 325.

Invidia laborans, sibi pœna est, 88. Ignis invidiæ non sine portantis combustione portatur, 457.

Invitus trahitur omnis qui aut non valens aut non volens trahitur, 406.

Invocare nomen Domini, aliud est, aliud ingeminare, 564. Invocant boni, in omnibus illi placendo: Ingeminant mali, moribus quod loquuntur, destruendo, *ibid.* Multi Deum vocant, sed non invocant, id est labiis et non cordis affectu orant, 513.

Ira majorum quam expavescenda, 263. Ira vincitur, amore cœlestium, et contemptu terrenorum bonorum, 303.

Isaac naturalem vitam, puteos fodiendo, figuravit, 401.

Isai, et ejus filii a Samuele sanctificati et ad victimam invitati, quid figurent, 389. Septem filii, sunt omnes Synagogæ perfecti, *ibid.*

Isaias tetigit tympanum mortificationis Christi, 241. Isaias cæteris prophetis eloquentior, nobiliter instructus, 295. Qui se labiis pollutum asserat Isaias. 501.

Israelitæ secundum carnem figurati per filios Heli, 66. Nescierunt Dominum, qui spreverunt in carne venientem, *ibid.* Nec sacerdotale officium ad populum, qui venisse Christum non prædicarunt, sed eum persequendo, insanierunt, *ibid.* Quæ sint prospera Israelis secundum carnem, 78. Israel interpretatur videns Deum, et in quo est Deus, 88, 208, 264, 307. Israel felicem angelorum multitudinem signat, *ibid.*, 221. Israel prospera sunt beatorum spirituum gaudia sempiterna, *ibid.* Extra Israeli secundum carnem, est rectæ fidei terminos præterire, 126. Quid sit Israelem juxta adjutorii lapidem castra ponere, *ibid.* Cur terga verterit Israel, *ibid.* Fugiunt Israelitæ, ne moriantur: et quia fugiunt, moriuntur, *ibid.* Israelitæ carnales contra prædicatores christianos certamen habent, *ibid.* Cur Israelitæ dicantur per agros certaminis cæsi, 127. Aliis cæsis, alios in castra reverti, quid sit, *ibid.* Israelitæ, præsertim majores natu a Philisthæis debellati, cur obstupescant, *ibid.* Contra christianos inaniter garriunt, 128. Eorum garrulitas et irriti conatus irridentur, *ibid.* Arcam Domini in castra venisse, et Philisthæos

timuisse et ingemuisse, quid sit, *ibid* Ab Ecclesiæ doctoribus Israelitæ carnales contemnuntur, 129. Ab iis devicti et in fugam versi, *ibid*. Arca capta, Israelis gloria non periit, sed ad Ecclesiam translata est, 136. Qui post Dominum requiescere dicitur, Israel esse perhibetur, 164. Qui Deo obediunt, filii Israel recte nuncupantur, 166. Israelis termini sunt cœli, 172. In hos terminos, mali spiritus in profundo inferni conclusi, venire ulterius non apponent, *ibid*. Nomine Israelis electi designantur, 173. Israelitis Deo non obtemperantibus, sumus præfractiores, 180. Israel optima sunt æternæ retributionis dona, 221. Non Israelitæ, qui mare transierunt, sed eorum filii, ad terram promissionis introducti, quid figurent, 535.

Iter. Uno itinere graditur, qui bonum opus, recta intentione operatur, 153.

J

Jabes interpretatur exsiccata, 259. Qui sint habitatores Jabes, 260. Cives Jabes per dies septem auxilia præstolantes, quid significent, 261.

Jacere quiescentis est, 98. Jacere ad remissioris vitæ negligentiam pertinet, *ibid*. Jacentis oculi caligant, *ibid*. Aliud dormire, aliud est jacere, 99. Jacere, in malam partem fere semper accipitur, *ibid*.

Jacob servit pro Rachele, sed Lia ei supponitur, 32. Cur Rachelem non, nisi duplicato laboris diuturni cursu, conjugem obtinuerit, *ibid*. Qui Jacob nescierit Deum esse in loco, ubi dormierat, 102. Via qua ad conjugem perrexit, quid significet, *ibid*. Jacob in via dormire, quid sit, *ibid*. Jacob vitam contemplativam tenuit, 401. Jacob postquam Dominum vidit, uno pede claudicavit, 537.

Jacobus, frater Domini, ubi vir hædos portans, 235.

Jejuniis attenuatos gulæ spiritus acrius impugnat, 259. Sæpe quidam jejunare disponunt, sed gula victi, eo die manducandum judicant, jejunio in futurum dilato. 261. Quibus exemplis jejunium nobis commendetur, 266.

Jerusalem fit civis per amorem Dei, 507. Qui dicatur sterilis Jerusalem mater nostra, 60. Civitas sanctorum est Jerusalem, quæ sursum est, 161, 508. Hujus cives sunt viri perfecti, ab amore mundi separati, *ibid*. Jerusalem visio pacis interpretatur, 410, 426, 443, 507, 544. Jerusalem sanctam animam significat, 507. Muri Jerusalem virtutes signant, *ibid*. Qui Jerusalem ædificent, 507. Hujus constructio civitatis figurata per ædificationem Templi Salomonis, 508. Dicitur civitas, Templum, et Tabernaculum, 509. Qui Jerusalem inhabitent, 544.

Jesse interpretatur Insulæ levamen, 376.

Jesui interpretatur planities, sive Desiderium meum, 333.

Jesus est Salutaris Dei, Deus, Salvator, 42. Judæi Patrem dicunt Jesum, et exspectant Salvatorem non Filium, *ibid*. In sepulcro Jesus ungitur, cum Resurrectionis ejus gloria prædicatur, 387.

Joannes Baptista ante faciem Domini præire cur describatur, 82. Cur Joannes ad Christum, quasi nesciens, discipulos miserit, 118, 231. Joannes aliis durus, sibi non erat remissus, 201. Joannes Baptista non erat propheta ad elationem, erat et plusquam propheta ad ministerium, 220. Joannes ad prædicandum veniens in manu vitulum habuit, id est carnem suam Deo mactavit, 388. Joannis parentes, justi ante Deum, 435.

Joannes Evangelista, adolescens, relicta sindone, nudus aufugit, 366. Relicta sindone, nudum profugere quid significet, *ibid*. Cur Joannes Evangelium scripserit, 25.

Job quasi Deum arguit, cum de persecutione sua, an fuerit justa, dubitavit, 546. Quasi cum Deo contendens, audita sanctorum vita, facile conquievit, *ibid*.

Joelis voce acri correptus populus, Deo prostratus, et lamentis compunctus, iram ejus levigavit, 143.

Jonas fugiens forte nascitur, 325. Clamavit ad Deum de ventre ceti, et ad aures Dei oratio ejus pervenit, 537.

Jonathas eos insinuat, qui in prædicationis ministerio doctorum adjutores sunt, 279. Jonathas columbæ donum interpretatur, *ibid*., 333. Mille viri cum Jonatha in Gabaa, quid figurent, 279. Arma Jonathæ sunt hortamenta doctoris, 298. Jonathas et armiger ejus quid figurent, 308. Jonathæ oculi ex gustu mellis illuminati quid figurent, 316. Jonathas cur post patrem non regnaverit, 317.

Jordanis interpretatur descensus eorum, 286. Jordanem transeunt, qui ad perpetranda carnis flagitia incurvantur, *ibid*. Et qui peccare incipiunt, et nequitias aliorum transcendunt, 287. Trans Jordanem habitant, qui per peccandi usum, malis pejores fiunt, *ibid*.

Josue Bethsamita, ipso nomine et dignitate, Redemptorem significat, 156. Ager Josue Bethsamitæ est amœnitas vitæ contemplativæ, *ibid*. In agrum Josue plaustrum venit, cum mens electa a sæculi amore divisa, solis cœlestibus intendit, *ibid*. Stetit plaustrum in agro, *ibid*.

Judæi. Judæorum corruptelas filiorum Heli scelera significant, 71. Judæorum peccatum nullis hominum precibus condonari poterit, 72. Idcirco divina pietas subvenit, 73. Ad scelus Judæorum in Christum, accessit prædicationis contemptus, 74. Judicii adversus Judæos lati æquitas, 75. Judæis ablatus Scripturarum cibus, 48. Gentilibus oblatus, *ibid*. Judæorum insania Salvatorem, qui Deus non sit, exspectantium, 43 Judæi non despiciant Christum, quia mortuus est, sed mirentur quia resurrexit, 48. Quantum in Christum credentibus nocere moliti sunt, 67. Persecutio Judæorum illata Ecclesiæ signatur per fuscinulam tridentem pueri sacerdotis, *ibid*. Christi confessores evertere putarunt Judæi, antequam Deo per charitatem perfectam sociarentur, 68. Divinitatem Redemptoris negare fidelibus suggesserunt, *ibid*. Judæi Christum occidere volentes, in Deum peccabant, 73. Judæorum perfidiam aperto ore revincit Ecclesia, 43. In tabernaculo perfidiæ permanent Judæi contra Redemptorem pugnando, 45. Christus de eorum sævitia resurgendo triumphavit, 47. Christum peccatorem asserendo, Deum et justum hominem esse negaverunt, 68. Victimam Dei, id est sanctæ Ecclesiæ prædicationem solo suæ feritatis impetu reprobarunt, 76, 123. Judæorum perfidiam aliqui deserentes, ad Christum confugerunt, 131. Judæorum perfidia sepulcrum custodibus munientium, 541. Judæorum Ecclesiæ minas irridentium perfidia, 123. Contra diabolum pugnare se falso putaverunt, 125. Vana futuri Christi exspectatione deluduntur, 126. In prædicatores Christianos ad prælium egrediuntur, 126. Ab eis debellati obstupescunt, 127. Præsertim majores natu, *ibid*. Judæorum legem antiquam nobis opponentium consilia, 127. Contra Christianos inaniter garriunt, 128. Eorum garrulitas et irriti conatus irridentur, *ibid*. De veteribus patribus, a quorum fide recesserunt, frustra gloriantur, 129. Amissa paternarum virtutum successione, fiunt ignobiles, *ibid*. Ab Ecclesiæ doctoribus quam contempti, *ibid*. Ab iis devicti et in fugam versi, *ibid*. Erroris sui latibula repetentes, cor perfidia circumseptum habent, 130. Spiritualis eorum plaga, *ibid*. Judæorum cæcitas, 132. Tenebræ in quibus jacent, 52. Eorum formido quando crucifixi majestatem aspicient, 52. Et apostolis judicibus adstabant, 53. Judæis de Scripturarum scientia gloriantibus Christus in Scripturis latens ignotus, 66. Redemptoris divinitatem negare suggesserunt, 68. Abnuente Ecclesia, *ibid*. Judæi Ecclesiæ inimici, 42, 67, etc. Judæi qua intentione ad Christum accedebant, 488. Ex Judæis conversi quanta ab aliis passi, 409. De Judæis Christi victoria, 490. Illorum probra in Christum, 518. In Judæos Dei misericordia, 523, 524, 527. Non Judæorum tantum Redemptor Christus, sed etiam gentium omnium, 12. Judæis sumus pejores, 180, 181, etc. Judæi dum soli ascendunt, intereunt, 238. Qui manducaverunt, sed non sunt saturati, 49. Judaicorum doctorum major ordo lucri gratia mortem Christo intulit, 77. Ideo jura primitiarum, quæ sibi servare cupiebant, ipsis ablata sunt, *ibid*. Ablata quoque templum, tabernaculum et sacerdotium, 78. Quæ ad eorum æmulos transierunt. *ibid*. Plurimi tamen ex Judæis sacerdotibus ab hac reprobatione excepti, 79. Plerique, amissa Spiritus sancti gratia, emarcuerunt, *ibid*. Judaicorum doctorum superbia, 131. Eorumdem tumultus et vociferatio, 132. Quid ipsis ad veram fidem deesset, *ibid*. Judæorum doctores non cognoscendæ veritatis studio, sed curiositate tenebantur, 133. Quid ipsos docuerit Paulus, 134. Apprehensa a Christianis Judaicorum sacramentorum scientia, dejiciuntur et corruunt, *ibid*. Corruentes in Christum impingunt, *ibid*. Sacræ Scripturæ littera ipsis est offendiculum, 135. Judæorum sacerdotes in Christum sæviendo, Dei consilium compleverunt, 13. Apostolorum opera mirati sunt, nec tamen conversi, 18. Duplex Judaicorum sacerdotum ordo, 79. Judaicum sacerdotium et magisterium quale, 15. Judæorum sacerdotum pars obedivit fidei, aliis eam impugnantibus, 21. — Judæorum reprobatio. Judæi projecti ut nec videant nec videre possint, 114. Lumen sacræ Scripturæ nobis portant et ignorant, *ibid*. Judæorum repulsio, et gentilium electio a prophetis prævisa, 66. Judæorum repulsio ejusque causæ, 120. De Judæorum reprobatione consolatur Ecclesiam gentilium conversio, 15. Æquitas judicii divini Judæos reprobantis, 75. Judæorum rejectio, et gentilium electio, sunt mysteria non discutienda, 50. Repulsis Judæis soli coram Deo ministrant gentiles, 66. Ex Judæis plurimos Ecclesia lucrifecit, 16. Judæi aliquando ad Deum reditari sunt, et veram fidem prædicaturi, 80. Christi quoque passionem imitaturi, 81. Veris sacerdotibus sociari desiderabunt et cœlesti pane vesci, *ibid*. — Judaicus populus ante fuit ab Ecclesiæ doctoribus victus et reprobatus, quam a Romanorum exercitu peremptus, 150. Cur, volente Deo, vetus populus perdiderit civitatem, templum et arcam fœderis, *ibid*. Judaicus populus per

Phinees, id est os mutum significatur, 501. Cur populus iste olim os, nunc os mutum dicatur, *ibid.* Phinees etiam interpretatur ori parcens, quia populus iste confitendo pie erubescere dedignatur, *ibid.* Judaicus populus, filii senioris domum Ecclesiæ intrare renuentis, figura signatur, 545.

Judex. Christus judex non linguæ solum, sed cordis, 47. Dominum judicare fines terræ qui dicatur, 64.

Judicaturi de spiritualibus, carnalia removeant, 188.

Judicium divinum, non humanum, sequitur Ecclesia, 25, 178. Dei judicia curiosius non scrutanda, 178. Incomprehensibile Dei judicium in reprobatione Synagogæ venerandum, 22. In judicio cum Deo quis contendit, 546. Judicia Dei occulta, 413. Judiciorum Dei custodia, 542. Dei judicio fit ut qui noluit malum cavere cum posset, postea non possit etiamsi velit, 186. Judicia Dei sic timenda, ut spes veniæ non amittatur, 275. In judicio, quæ nobis objecturi sint dæmones, 284. Dei judicia mutari nequeunt, 366. Judicio Dei mali pastores ad Ecclesiæ regimen ascendere permittuntur, 189. In judiciis suis Sancti præcipites non sunt, 177. Voluntatem Dei sequuntur, 178. In judicio nihil aut impunitum aut irremuneratum Deus relinquit, 52. Non solum verba, sed etiam cogitationes a Deo judicantur, 58. In die judicii quinam judicabuntur, 568.

Jugum Dei portandum ab adolescentia, 542.

Junior Ecclesia in charitate fuit infirma, 458.

Juramentum sollicite cavendum, 528.

Jurata incaute, non sunt implenda, 528.

Jus. De jure regis, ut a Samuele proponitur, quid sentiendum, 181. Non licere regibus quidquid in eo continetur, probat historia Achab, 182. Et Davidis exemplum, *ibid.* Hoc jus usurpant carnales prælati, *ibid.* Quid hoc in jure contineatur, *ibid.*, 254, 255. Jura Dei contemnentibus jura regis imponuntur, 180. Hæc dura et intolerabilia, illa facilia, *ibid.*

Justus nemo in conspectu Dei, 547. Justi laudibus suis teneri et capi timeant, 365. Iisque a rigore justitiæ abduci non patiantur, 366. Justitiæ studio in subditos sæviens, sibi suisque non parcat, 324. Justorum desideriis et precibus concessus Christus, 525. Lætari solis justis datur, 481. Justos custodire doctoris est officium, 26. Justorum exemplis ad Dei amorem accendimur, 137. Sic offerendum holocaustum, *ibid.*

Justitiæ comminatione quos terruit Deus, ostensione misericordiæ consolatur, 110. Justitiæ sint arma, quæ prius fuerunt arma iniquitatis, 147.

Juvenes optimi Deo mancipati qui dicantur, 197.

L

Labia quomodo Deus aperit, 504.

Labori præmium rependitur, non ordini, 221.

Lacrymæ. Lacrymis pia anima reficitur, 35. Lacrymæ ex compunctione, 38. Lacrymarum potus Deus ad mensuram dat, 146. Lacrymæ et gemitus electorum hoc in exsilio, 209. Lacrymæ spirituales unde, 237.

Lætari solis justis datur, 481.

Lætitia carnalis de virtutum conscientia damnatur, 319. Ex lætitiæ terrenæ despectu quales deliciæ, 36. Lætitia exterior abjicienda, ut interiorem experiamur, 38

Læva sponsi vita præsens, 417.

Lagena. Vir lagenam vini portans quid designet, 235.

Lampades paratas qui habeant, 169.

Lapis adjutorii, 137. Christus lapis adjutorii electis, reprobos confringit et conterit, 171. Lapis magnus Redemptor intelligitur, 157. Lapis angularis, Christus, 524. Lapides Ecclesiæ apostoli, 523.

Laquearia cypressina populos figurant, 416.

Lavare. Qui lavarunt pedes suos, prælationem metuunt, et otium amant, 437. Lavare se in luctu perseveret pœnitens, 171.

Laudare. Laudant Deum multi ore alieno, 505. Laudare seipsum quomodo licet, 573.

Laus. Laudibus optime utitur, qui talem se præbet, qualis ab aliis laudatur, 517. A laudibus Dei beati nunquam silent, 63.

Lazarus in sepulcro tumulatus, a Christo suscitatus, figura est peccatoris quem Christus ad vitam revocat, 548.

Lectulus sponsæ otii sancti quietem significat, 415. Lectulus animæ, omnium perturbationum fuga et secretum, 422. Lectulus Christi, mens a mundi sollicitudinibus libera, 425. Huic lectulo, qui excubitores et custodes adhibendi, 425.

Lenticula vas est parvum, 228.

Leonum cubilia, 431.

Levitæ interpretantur assumpti, 157. Qui sunt levitæ, *ibid.*

Lex vino significatur, Evangelium uberibus, 402. Legi Dei contrariam legem in membris suis vident tum electi, tum reprobi, 563. Lex Evangelica Mosaica perfectior, 17. Legis vet. et novæ scientia necessaria, 28. Lex vetus, carnalis; nova, spiritualis, 69. Legis asperitas, et ipsius implendæ gratia ab uno Deo sunt ortæ, 338.

Libertas et constantia Ecclesiæ, 19. Libertas animæ unde, 54. Qui liberentur a dæmonum potestate, aut liberari indigeant, 165. Liberamur gratis a Christo, *ibid.*

Libido quot modis mentem illiciat, 351. Si pravis cogitationibus occurramus, facile vincitur, *ibid.* Ejus remedium confessio, 356. Libidinis vitium quam subtiliter serpat, et mentem inficiat, 350. Libidinis motus a carne tolli nequeunt, 266. De iis dolendum, *ibid.* Jejuniis mitigari debent, *ibid.* Ut vincantur, nunquam simul orari sinamus cogitationem immundam et naturalem carnis motum, 267. *Vide* Luxuria. Libido interficit cuncta bona opera, 371. Omnes bonas cogitationes et virtutes enecat, *ibid.* Libidinis ignis qua exstinguendus arte, *ibid.* Cogitationes quibus succenditur, statim rejiciendæ, 372. Contra singulas libidinis insidias quæ adhibenda diligentia, *ibid.* Doctorum consilium necessarium, *ibid.* Libidinosi sua flagitia latere falso credunt, 355. Famæ voce publicantur, *ibid.* Eorum obcæcatio, 357.

Lilium. Lilia sunt animæ castæ quibus Christus delectatur, 421. Lilii candorem et odorem pia æmulatur anima, 416.

Liquescit mens ad verbum Sponsi, 438.

Litteræ humaniores arma nobis non suppeditant, sed divinæ, 293. Prosunt tamen ad sacræ Scripturæ intelligentiam, *ibid.* Ut sæculares litteras nesciamus diabolus est auctor, *ibid.* Earum utilitas exemplo Mosis, Isaiæ et Pauli probatur, *ibid.* Non solum prædicatoribus, sed etiam privatam vitam agentibus utiles sunt, 296. Maxime ad sacri verbi profunda perspicienda, *ibid.* Retusam ingenii aciem acuunt, *ibid.*

Locus summus, nisi summa adsit gratia, bene non regitur, 246.

Loqui in auribus Dei, quid sit, 187.

Lucra exteriora qui appetunt, interiora damna quæ patiuntur non attendunt, 186.

Luctus Ecclesiæ et gaudium, 16. Luctus perfectorum inenarrabilis, 318.

Lumen in contemplatione ad mensuram dispensatur, 39.

Luna. Ut lunæ quidam in Ecclesia fulgent, 447.

Lux quæ Deus est, et lux quam Deus inhabitat, 234. Lux divina cœlestem amorem præcedit, 313. Lux operis a recta intentione, 214. Lux boni operis, ad altiorem scientiam accedat, 220. Lucem matutinam quando recipit anima, 542.

Luxuriæ vitium non solum percutiendum, sed etiam eradicandum, 339. Ex corde præsertim evelleudum, 341. Grave Dei odium in luxuriam, *ibid.* Ad perfectionem festinantibus quantum obsistat, *ibid.* Non novitiis tantum, sed etiam viris magna virtute præditis, *ibid.* Vix luxuria superatur, *ibid.* Prostratus hic hostis rursus erigitur, si remissius agamus, 342 Contra ejus dolos continuo vigilandum, *ibid.* Ejus reliquiis non parcendum, 343. Ut perfecte dometur in carne, et radicitus exstirpetur a mente, quid præstandum, *ibid.* Futilia quibus se tuetur argumenta, 344. Ad eam expugnandam producenda sanctorum exempla, *ibid.* Contra eam qui expediti milites, 345. Quæ arma, 346.

M

Machinamenta iniquorum adversus justos, 492.

Magistri debent explorare utrum discipuli sibi dimissi, ea vivendi libertate ad majorem profectum utantur, 152. Quousque debeant eruditis discipulis curam impendere, 158.

Magisterium Judaicum quale, 15.

Magnas humilitatem significat, 279, 284. Et continentium pudorem, 280.

Magni verbo et opere a vana gloria sæpe non satis cavent. 316.

Magron quid significet, 299.

Majorum ira quam expavenda, 263.

Malus arbor designat Christum in quo cibum salutis invenimus, 416. Mala signant perfectos fideles. 417. Præsertim martyres, 433, 432. Malo punico cur Ecclesia similis, 428. Mala punica germinare quid sit, 448. In malis punicis sponsæ Sponso quomodo det ubera, 412. Sub malo granato rex residet, id est prædicator in umbra Redemptoris requiem habet, 300.

Malum. Mali quantum incrementum sit pereuntes aspicere et sequi, 181. Ex malis quæ fieri permittit, Deus bona providet, 179. A malo avertit etiam dum fieri sinit, 180. Malis admixta bona Deo accepta non sunt, 474.

Malus. Impleta mensura, ad æternas pœnas mali rapiuntur, *ibid.* Mali citra mendacii periculum, aliquando pia fraude deludendi, 376.

Manendum in eo qui manet in æternum, 540.

Mansuetudo Ecclesiæ, 19.

Manus ad Deum expandere est pro Deo bene operari, 550. Manum Christi descriptio, 441.

Maria, mons angelis omnibus excelsior, 9.

Martyres fructus Ecclesiæ, 433. Genæ Christi, 440. Sub Antichristo passuri martyres, 444. Martyrum multitudo acervus testimonii, 427. Martyres

laudantium labia myrrham stillant, 141. Martyres per charitatem viceruut, 457.

Martyrii duplex genus, 528.

Masphath dicitur speculatio, 166.

Matmi quid, 3.

Matthæus Æthiopiæ apostolus et prædicator, 198.

Matthias apostolica celsitudine dignus sorte invenitur, 325.

Medela ex perfectorum virtutibus, 453.

Meditationi internæ dediti felicius in hostem decertant, 170.

Mel et lac ita aliis propinant prædicatores ut sibi servent, 432.

Mens. Majestatis divinæ pulchritudo electam mentem aliquando mirabili pavore concutit, 105. Mentes electæ dicuntur filiæ Israel, 195. Quomodo Regis unguentariæ fiant, focariæ et pauficæ, *ibid* Mentem Deus solus excitare potest, 116. Mens virtutis operibus vacua, ad Dei cognitionem non pervenit, 144. Mentis cogitationes qui subdi Christo debeant, 193. Mentes electorum integræ per innocentiam, decoræ per virtutum splendorem, 209.

Menses septem quibus arca Dei fuit in regione Philistinorum, quid signent, 143.

Meretricius copulæ usus conjugibus interdicitur, 347.

Meridies significat fervorem charitatis, 231.

Meritorum discretio sit, non personarum acceptio, 528.

Merob quid significat, 534.

Michol quid significet, 334.

Miles. Militant sub diabolo duce innumera vitia, 282. Militum vires in bello spirituali sunt librandæ, 281. Milites Christi qui fiant, 257.

Millenarius numerus quid significet, 279.

Ministrorum numerus quando creverit, 74. Qui ministri sacri Deo et hominibus placeant, *ibid*. Nonnulli ministri sunt in conspectu Dei, non hominum, 81. Duplex ministrorum Ecclesiæ officium, 120. Ministrorum Ecclesiæ consecratio, antequam ministerium impendant oblationis, 161. Eorum eligendorum forma, 290.

Ministerium. Quo signo quis se a Deo ad ministerium sacrum cognoscat esse assumptum, 231. Fuga ministerii ad humilitatis virtutem, non ad jactantiam dignitatis referatur, 254. A sacro ministerio qui terrenis flagitiis inquinantur, abstineant, 368. Ad ministerium sacrum accingat humilitas, 59. Succingat pudicitia, 82. Hi Dei sunt adjutores, 162. Indigne ad ministerium sacrum accedentium interitus, 89. Quam serio accedentes examinandi, 269. Doctrina et virtutibus polleant, *ibid*. Qui carnales eligunt, quot peccatis obnoxii, 274.

Ministrare Domino, est in laborem prædicationis pergere, 112. Duplex ministrorum Ecclesiæ officium, 120. Ministri sacri altaris qua pœna digni, corpus et sanguinem Domini indigne tractantes, 160. Qui sacra ministeria humiliter fugiant, officio tantæ oblationis impares se æstimantes, 161. Humiles vocati, fraterno amori condescendentes Christo se non auferunt, *ibid*. Electorum Ecclesiæ ministrorum consecratio, *ibid*. Quam pauci Deo digne ministrent, 162. Alios ministrandi, aliæ contemplandi horæ, 210. Quod maxime a monachis observandum, *ibid*.

Miserationis divinæ miracula, 543.

Misericordia, lex Dei quam servare tenemur, 540. Misericordia, nomen Dei, 528. Misericordia Dei quanta, 522. Misericordia Dei etiam aversos vocantis, 512. Misericordia Dei erga justos, 480. Erga pœnitentes, 551. Misericordiæ et miserationis differentia et definitio, 494. Ex Dei misericordia æterna felicitas, quamvis secundum opera reddatur, 552, 553. Misericordia singularis in David enituit, non asperitas legis, 387. Ex misericordia Deus punit aliquando, 179.

Moab interpretatur, ex patre, 330. Concupiscentiam designat, 330. Quid sit, *ibid*.

Modestia pastorum famæ suæ consulentium, 271.

Modi et termini contemplationis, 231.

Monachus. Monachi unde dicti, 30. Monachorum sponsio et chirographum, 200. Monachorum pastor qualis constituendus, 201. Durus sit ut mollia peccatoribus non laquetur, *ibid*. Fortis virtute Spiritus sancti, non elatione et arrogantia, *ibid*. Sic aliorum lucra quærat ut nulla sui damna patiatur, 202. Cæteris præcellat, *ibid*. Qui in monasteriis tepidi sunt, non abjiciendi ut mortui, sed medendi ut ægri, 200. Negligentiæ quandoque sunt obnoxii, unde multa mala, 286. — Monachorum vita. Monachi non tam scelestis convertendis, quam conversis ad vitam perfectiorem invitandis student, 313. Sæculo militantium exemplis aliquando erudiantur religiosi viri, 315. Tunc bona sunt monachorum opera, quando a præpositorum conscientia non discordant, 360. Cetera sunt postponenda his quæ jubentur opera bona, *ibid*. Monachi abjectis mundi sarcinis qui faciant Sponso cubiculum, 424. Vitæ monasticæ sanctitas et officia, 435. Somnus vigilantiæ junctus, *ibid*. A somno eos aliquando Christus excitat ut aliorum saluti incumbant, *ibid*. — Monachorum zelus. Qui in monasterio gladius cujusque ad proximum vertatur, 312. Velut alterutro vulnere interficiuntur, dum alter alterum verbo Dei percutit, et quidquid in se carnaliter vivit extinguit, *ibid*. Et non solum prælati verbo prædicationis, sed et multitudo subditorum et verbis et exemplis alios lucrifaciunt, *ibid*. Solitariæ vitæ deditos lucrandis animabus insudare laudabile est, 313. Modo infirmi et imperfecti non sint, *ibid*. Mos illorum esse solet ut verbum potius consulentibus se, quam sibi obsistentibus proferant, *ibid*.

Montes Dei sunt summi viri, 105.

Mors illorum periculosa, qui vitæ præsentis amore tenentur, 630. Mors duplex, una qua justitiæ morimur per peccatum, altera qua peccato per pœnitentiam, 139. Mortis conjux est Ecclesia, 14. In morte brachium præcidi qui dicatur, 88.

Mortalitas Christi juncta immortalitati, 441.

Mortificatio carnis nunquam deserenda, 438. Deum mortificare et vivificare, deducere ad inferos, etc., qui intelligendum, 50, 61.

Motus duplex electorum, unus quo aversantur, temporalia, alter quo ad æterna convertuntur, 150. Cordis motus quomodo subdi Christo debeant, 198. Motus illiciti a carne tolli nequeunt, 267. De iis dolendum, *ibid*.

Moyses Deum non vidit intuitive, 235. Perfectorum figura est, *ibid*. Moyse et Abrahamo longe major Christus, 43. Quidquid Moyses virtutis ostendit, ipsius non fuit, sed Dei, 45.

Mulier. Mulier peccatrix Christum hospitio excepit, ejusque resurrectionem nuntiavit, 198. Mulieres meretrices concupiscentiæ saculares, 84. Mulieres Jesum uncturæ ad sepulcrum venientes, figurant vitam contemplativam, 336. Opus in itinere, intentionem habent in quiete, *ibid*. Tres mulieres cum aromatibus veniunt Christum in sepulcro uncturæ, 357. Quare non invenerint Jesum in sepulcro, *ibid*.

Multitudo et feritas hostium nostrorum, 282. Quot modis nos impugnant, *ibid*.

Mulus. Qui mulo similes, 480.

Mundandum cor, quomodo, 501.

Mundo moriendum ut vivificemur, 60, 61.

Munitiones animæ necessariæ ut in excelso stet, 58.

Munus. Quæ munera præfectis nostris offerenda, 258.

Murenulis monilia collo ligantur, 411. Murenulæ quid signent, *ibid*. Cur aureæ et argento vermiculatæ dicantur, *ibid*.

Mus. A muribus morderi quid sit, 139, 143. Murium similitudines quid significent, 146, 147.

Mustum malorum granatorum, quid, 454.

Mutatio sanctorum duplex futura est, 534.

Myrrha mortificationis condienda corpora, 414. Myrrham metit Christus, Sanctos mortificatione consummatos cœlo inferendo, 435.

N

Naas serpentem significat, 264, 265. Et gulæ concupiscentiam, *ibid*. Qua arte debellandus, *ibid*., 266. Ex hoc vitio innumera prodeunt, 266.

Nardus sponsæ tunc odorem suum dedit, quando Christus ascendit ad cœlos, 414.

Naturæ hum. in hac vita captivitas, 294.

Necessitatis specie gulæ vitium irrepit, 259.

Negligentes præcipites sunt, curiosi ac militiæ spiritalis impatientes, 286. Tales quandoque reperiuntur in monasteriis, *ibid*.

Negotia magna et obscura Deo inconsulto non aggredienda, 322. Negotiis spiritualibus urgentibus, ab aliis feriandum, 382.

Ner lucerna dicitur, 337.

Nescire. Se nescientium pessima ignorantia, 82.

Nobilitas Deo fortiter obsequentium, 205.

Nomen Domini, misericordia, 528.

Nosse. Aliud nosse Deum per amorem, aliud per fidem, 102.

Novacula cupiditatem significat, 17.

Nox est vita præsens æternæ comparata, 321. Nunc nox est; quando dies erit? 422.

Nummum Deo offerre quid sit, 92.

Nycticorax carnales adumbrat, 516.

O

Obcæcatio eorum, qui bonum quod cognoscunt, nolunt implere, 96. Libidinosorum et superborum, 357, 358.

Obediens et humilis Christus in exemplum electorum, 11.

Obedientia populi erga pastorem, 322. Obedientiæ perfectæ typus in armigero Jonathæ, 304. Per solam obedientiam vita, quia per solam inobedientiam mors, *ibid*. Labor et quies nobis vitam præparant, si obedientis animus nonnisi obedientiæ bonum pensat, *ibid*. Præceptum in hoc solo pensari debet, quod majoris præceptum est, *ibid*. In obedientia generatur mortificatio propriæ, et exsecutio alienæ voluntatis, 101. Nulla sunt parva, quæ æternam vitam parare obedientibus possunt, *ibid*. Majoris est meriti charitatis injuncta refectio

jejunio propria deliberatione suscepto, *ibid.* Majorum imperia reverenda, licet minus laudabiliter vivant, *ibid.* Obedientia prælatis dupliciter impendenda, 107. Cæca inobedientium superborum corda, divino projecta judicio, 187. Præter prælatorum auctoritatem nihil agendum, 198. Obedientia cæteras roborat virtutes, 199. Obedientiæ jugum excutere nunquam licet, *ibid.* Qui bene proficiunt, ante omnia tenere studeant obedientiæ bonum, 244. Ordo electæ conversationis est, ut obedientiam non injungat aliis, quam ipse impendere aliis non curavit, 244. Rota significat viam obedientium, 244. Quod obedientes inferius agunt, sursum tollunt, *ibid.* Quod sursum habent, ad terram flectunt, *ibid.* Perfectæ obedientiæ forma, *ibid.* Perfecta obedientia, quam hominibus exhibemus, munus est, Creatoris, 215. Obedientia oblatio est Domini, sed oblata hominibus a Deo accipitur, *ibid.* Victimæ sunt obsequia obedientium, *ibid.* Insignis obedientium victoria, *ibid.* Nihil studiosius vitandum, quam superbia et inobedientia, 287. Quæ imperantur, minime consideranda, *ibid.* Facilius est obedire quam imperare, 257. Ut recte aliis imperetur, Deo perfecte obediendum, 290.

Obediunt quidam dum rudes sunt; qui eruditi, ab obedientia resiliunt, 93. Quod exemplo Agar probatur, *ibid.* Ob levem culpam contra obedientiam repulsus Saul nos terreat, 287. Per obedientiam, nosmetipsos, per alias virtutes nostra Deo consecramus, 360. Consciis præpositis cuncta fiant, *ibid.* Holocaustis et victimis præstantior obedientia, *ibid.* Propriam voluntatem majorum jussis præponentes feriuntur, *ibid.* Magnis jejuniis, et compunctioni præponitur obedientia, 361. Ariolis et idololatris cur inobedientes sint similes, 361. Ab inobediente verbum Dei abjicitur, 362. Ideo ab ipso Deo projicitur, *ibid.* Homo carnem suam non habuit sibi obedientem, ubi ipse Deo non obedivit, 370. Non obedire Deo quam grave scelus, 288. Obedire detrectantium vanæ excusationes, 288.

Oblatio nostra ex devotione fiat, 27.

Obscenitas. Ab omni obscenitate caveant conjuges, 334, 347. Secus facientibus Deus æternam pœnam comminatur, *ibid.* Obscena audientes ad ea inardescere periclitantur, 350.

Octava æternam vitam adumbrat, 467.

Oculos per peccatum aperiri qui intelligatur, 303.

Odor bonus operum quæ ex charitate fiunt, 431. Ex perfectorum virtutibus, 453.

Offerre agnum quot modis explicari possit, 168.

Olei virtutes explicantur, 228.

Onus super se non levandum, 200. Onus ex honore, 253.

Opera bona gratia prævenit, 553. Operum bonorum via ad contemplationem ascendendum, 134. Operibus bonis pascitur Christus, 435. Operibus Deo respondendum, 529. Operis lux ex recta intentione, 214. Opera bona libido interficit, 371. Sæpe opere et verbo magni a vana gloria non satis cavent, 316. Operum bonorum decima qui colligenda, 195. Opera bona celauda, 502. Aliorum bonis operibus adjuvamur, 327. De boni operis studio et humilitate, non in nobis, sed in Domino gloriandum, 148. Operum bonorum studio doctrina sana comes accedat, 163. Ad opera bona solent accendi electi, audiendo Dei verbum, secus reprobi, 165, 166. Opera bona solis Ecclesiæ filiis prosunt, 31. Qui de bono opere aliquid sibi tribuit, furti reus, 319. Operibus bonis eo magis studendum quo altius in contemplatione ascenditur, 35. Infirmis non perfectiora proponantur, sed plana, 83. Inter magna opera sæpe corruunt, qui per minora vincere potuissent, 83.

Operari. Ut bene operemur, a Deo est, 550.

Operarii fortes in Ecclesia qui sint, 292.

Ophni etsi pravus, sacerdos tamen erat Domini, 12.

Optimatum peccata quandoque toleranda, 369.

Orare sine intermissione quid sit, 37. Quid ad id præstandum, *ibid.* Orant Christus et Ecclesia pro justorum perseverantia, et pro conversione peccatorum, 546. Orat pro suis peccatis omnis sanctus, quia nullus peccati expers, 477. Orandi nunc tempus est opportunum, 477.

Oratio, ut ad Deum perveniat, de humilitatis profundo ascendat, 537. Oratio comitetur opera bona, 432. In oratione transitorium nihil postulant Sancti, 477. Orationes Sanctorum nunquam sine fructu, 187. Pro reprobis tamen orantes exaudiri nequeunt, 183. In oratione perseverandum, 538. Oratio et deprecatio qui differant, 539.

Oratorum eloquentia in sacrarum litterarum interpretibus non quærenda, 5.

Orbis. Per orbem universum diffunditur Ecclesia, 42.

Oreb Dei mons, 266.

Ordo conversionis et integritas, 164. Ordo in judiciis servandus, 323. Ordo victoriæ nostræ contra hostem, 170. Ordo salvandorum, 227. Non summo ordini, sed summo labori, præmium rependitur, 221. Ordo ultimus Ecclesiæ pœnitentes, 222.

Ordines sacros ambientium hypocrisis, avaritia, et iniqua judicia, 190. Ordinati ab Ecclesiæ ministris intus a Deo sacramentorum virtute roborantur, 246. Utrum qui ordinatur, a Deo sit unctus, quibus exploretur signis, *ibid.* Qui ea signa in se non agnoscit, expavescat, 247. Et non de culmine prælationis extollatur, 248. Eum immutatum virtute sancti Spiritus admirentur cæteri, 248. Inde quod a Deo sit genitus, comprobatur, 249. Inconsulta Pastorum ordinatio notatur, 384. In ordinato conveniant contemplatio et charitas, 384. *Vide* Pastor.

Originale peccatum per carnalem concupiscentiam propagatur, 497. In causa est cur in justitia non stamus, 520.

Originalis culpa, 370. Ex qua contumeliosi carnis sensus, *ibid.* Concupiscentiæ peccata, vitia, *ibid.*

Osculatur Christum qui per amorem compungitur, 404.

Osculum Christi Sponsi est perfectio pacis internæ, 405.

Ostentatio et jactantia quorumdam doctorum, 354.

Ostia domus Dei quæ, 122.

P

Palmæ Dagon abscissæ, quid significent, 138.

Palmam, id est crucem, Christus ascendens, fructus ejus nobis obtulit, 452.

Panis hominis quis sit, 515. Panem comedere obliviscentis mala, 515. Pro panibus se locare, est sacramenta venturi Redemptoris in Scriptura sacra perquirere, 49.

Paradisus clausus ante Christum, 42.

Parcit Deus flenti pro peccatis, 472

Pardorum montes, 451.

Parere menti, et concipere quid sit, 53.

Paries. Post parietem latuit Deus in carne absconditus, 419.

Parvulis ut prosit Ecclesia dilationem suæ gloriæ patienter sustinet, 24. Parvulorum Ecclesiæ oblatio quæ sit, *ibid.* Sic ablactati, jugiter conspectui Dei sistuntur, *ibid.* Nimis ascendere non præsumant, 25.

Passio Christi in sacrificio Helcanæ figurata, 13.

Pastoris officium, 29. Quod nemo suis viribus implere posse confidat, *ibid.* Ad id continuæ preces necessariæ, *ibid.*—Pastor præstet vita, verbo, contemplatione, 203. Christum imitetur, quo nullus durior sibi, *ibid.* Ab ipso mittatur, *ibid.* Eruditis subditis quousque curam impendere debeant pastores, 158. Quo studio erga subditorum correctionem vigilandum, 164. Tentatis subditis orationem et sacrificiorum subsidia pastores subministrant, 168. In altissima contemplatione suspensi pastores ad docendos subditos descendant, 209, 255. Alium locum pro se habent, alium pro subditis, *ibid* Relinquant propria loca, ut communia disponant, *ibid.* Propriæ perfectionis amore dum ascendunt, alienæ infirmitatis compassione descendant, 223. Pastores tentatis subditis compatiantur, 262. Eosque exhortationibus roborent, 268. Magnis clamoribus fidelium salutem pastores postulent, 274. Ad quorum clamorem Dominus vocem dat, *ibid.* Pastor debet esse tantæ charitatis ut instanti desiderio non petitor, sed petitio esse sentiatur, 280. Pastor culpas corrigendo subditorum, qui surgere debeat et ascendere, 291. Tentatis subditis pastores auxilium ferre non morentur, 298. Alios in tuto reponant, alios secum ad bellum educant, *ibid.* Dum eos ad prælium provocant, ipsi priores pugnent, *ibid.* Umbraculum subditis sunt, qui ab æstu concupiscentiæ adhortationibus eos protegunt, 301. Umbraculum diminutive dicitur ut Christo nemo comparetur, 301. Peccatoribus multum compati discant pastores, 307. Pastores judicio divino in subditorum culpas inquirentes, easdem divina misericordia operiri postulent, 325. Singulorum infirmitatem, aut fortitudinem explorent, *ibid.* Pastor singulorum sortes tenet, dum cujusque subditorum conversationem videt, 326. Singulorum esse videatur, 333.—Pastores decet summa perfectio, 223. Et in bonis operibus fortitudo, *ibid.* Ut regnent crucifigantur, 224. Matura consideratione agenda disponant, *ibid.* Magna retractatione consilii sunt eligendi, *ibid.* Propriæ perfectionis amore dum ascendunt, alienæ infirmitatis compassione descendant, 223, 236. Sibi sint rigidi, subditis temperati, *ibid.* Sæcularia non curent, ut de cœlestibus solliciti sint, *ibid.* In rebus quiescant spiritualibus, 226. Tam his qui ordinant pastores, quam qui ordinantur, surgendum, *ibid.* — Pastor egreditur, cum a secreto meditationis, ad publicum operis venit, 226. Antequam dilucescat, foras non prodeat, 227. Potius ordinatur pro peccatoribus, quam pro justis, *ibid.* Proprio sensui non cedat, nec suum sequatur arbitrium, *ibid.* Pastor mediator est Dei inter et hominem, 229. Dei populum liberando, caveat hostis jugum, *ibid.* Quæ sit hereditas Domini, quam quærere tenetur, *ibid.* Ab hostibus circumstantibus quid formidare debeat

229. — Pastor humilis de suscepto ministerio trepidans, quæ signa divinæ vocationis habeat, 230. — Ita contemplationi sit addictus, et Ecclesiæ sollicitudinem gerat, *ibid.* Signum electionis habet, cum et alienæ simul et propriæ saluti studet, 232. Proficere voleus Sanctorum exempla sibi proponat, 232. In vitæ secretioris umbra refrigerium quærat, 233. Fleat peccata non solum sua, sed aliena, 236. Electorum pastorum speculum est sacra Scriptura, 251. Quam maturo consilio eligi debeant, 252. Etiam Deo auctore electi fugient, 25?. Qui sint pastorum adjutores, 257. Pastoris providentia futura peccata caveat, 297. Tentatis auxilium ferre non moretur, 297. Alios in tuto reponat, alios ad bellum educat, *ibid.* Ipse prior pugnet, *ibid.* — Pastori adsint sanctitas vitæ et eruditio sapientiæ, 144. Huic facile regendos se credunt fideles, eumque libenter consulunt, *ibid.* Bonus pastor sæpe merito plebis eligitur, 214. Multi pastores habent unde et ipsi cadant et alios erigant, 214, 215. Pastor aliquando ordinatur pro se et pro populo, 215. Aliquando nec pro se nec pro populo, aliquando pro se et non pro populo, *ibid.* Aliquando pro populo et non pro se, 216. Qua ratione pascere debeat et pasci. 218. Ac mentis delicias experiri, *ibid.* Rudis et eruditi discrimen, 221. Pastor sit acer ad arguendum, mollis ad misereu um, 384. Virtutis exempla circumquaque spargere jubetur, 385. Non sibi sed suis vivat, *ibid.* Pastor faciendo quod dicit, efficaciter persuadet, 377. Qui dicit et non facit, oris proprii gladio jugulatur, *ibid.* — Pastor in publico raro videatur, 378. Non rudibus tantum, sed etiam perfectis magnam moveat admirationem, *ibid.* Ex ipso divina voluntas requirenda, *ibid.* Ex pastorum culpa quæ damna immineant, 329. Per pœnitentiæ satisfactionem statim ad alta erigantur, *ibid.* Et hostes conterant, *ibid.* Salus populi esse debent, 376. Fluctuantes corroborent ac confirment, *ibid.* Pastor contra hostem vita et doctrina dimicet, 330. Pastores de subditorum casu affligantur, 333. Eos occulta compassione plangant, et aperta increpatione percutiant, *ibid.* Quam in regendis animabus regulam servent, 354. Quidam pastores prave vivunt, et placere Deo per aliorum profectum se arbitrantur, 354. Quam aberrent, 355. Ad pastoralem curam qui et quales eligendi, 375. In eligendis pastoribus Deus consulatur, 377. Non carnis affectus, *ibid.* Quid eorum unctione designetur, *ibid.* Gratiarum plenitudine gaudeant, ex qua cæteri accipiant, *ibid.* Ex congregatione in qua religio vigeat, assumantur, *ibid.* Quales eligendos aut reprobandos monstret sacra Scriptura, 379. In eorum electione nec scientiæ nec boni operis absque humilitate habenda ratio, *ibid.* Non sunt eligendi propter negotiorum sæcularium peritiam, 380. Imperiti humiles rejiciendi, 380. — Pastores libere ad subditos exeant, et ad mentis secretum redeant, 255. Propria infirmitate depressi aliorum vitia insequi nequeunt, 328. Tacentibus pastoribus qui pereant, *ibid.* Ad pastorum consilia confugiendum in tentationibus, 262. Pastores tentatis compatiantur, *ibid.* Quidquid contra pastores optimos fit, divinæ adscribitur injuriæ, 179. In pastoribus Deus despicitur, 352. Qua modestia pastor famæ suæ consulere debeat, 271. Quæ cavere, et in aliis reprehendere libere possit, *ibid.* Dum subditorum culpas sibi revelari postulat, eas divina operiri misericordia roget, 325. Singulorum infirmitatem et vires exploret, *ibid.* — Pastores tentatis subditis quæ subsidia subministrent, 168. Magnis clamoribus fidelium salutem postulent, 274. Quas pluvias sic excitent, *ibid.* Pastores Deus judicio suo reservat, 96. Ideo magis formidare debent, *ibid.* Pastores est oculus Ecclesiæ, 98. Qui caligat aliquando, *ibid.* Unde caligo hæc, *ibid.* Jacet ubi stare deberet, *ibid.* Non solum non videt, sed nec videre potest, *ibid.* In his pastoribus sola lucernæ testa sine lumine remanet, 98.—Pastorum malorum cupiditas per novaculam signata, 17. Eorum culpæ severius puniuntur, 85. Mali pastores Dei judicio ad Ecclesiæ regimen ascendere permittuntur, 189. Malorum pastorum rapinæ et avaritia, 270. In pastoribus lapsus carnis maximi, 349. Pastoris indigni ordinatio lethale est Ecclesiæ malum, 581. Pastori reprobo pœna cumulatur, proficientibus subditis, 89.

Pastoralem curam discrete exercenti Deus conversionum lucra multiplicat, 83. Indefesso labore quærendi qui ad animarum curam idonei sunt, 381. Qui ad pastorale officium præponendi, *ibid.*

Patientia fortitudine præstantior, 268. Patientia a Christo discenda, 489. Patientiæ incentiva, 490.

Patitur Christus iterum in membris suis, 512.

Patrem habet Deum Christus perfectiori modo, 249. A Patre injunctum Christo moriendi præceptum, 12. Patri se exhibens in carne, Christus orat pro nobis, 26.

Patrum veterum et novi Testamenti consensus, 69. Patres veteres qua lege a nobis Scripturæ interpretibus sequendi, 5. Patres a filiis, ubi necessitas cogit, caute ac humiliter admonendi, 316.

Patria æterna per domum Domini designata, 40.

Paulus quam alta de futura beatitudine doceat, 295. Pauli conversio quantum miraculum, 250. Pauli scripta. De collo apostoli Pauli processerunt epistolæ ejus, 203. Viri sapientes, in ejus eruditione quotidie proficientes, ad summitatem colli ejus pertingere nequeunt, *ibid.* Litterarum humaniorum subsidio Paulus per doctrinam forte aliis apostolis antecelluit, 295. Paulus deplorat legem in suis membris legi mentis repugnantem, 267. Quomodo Paulus erga peccatores manibus reptaret, 307.

Pauperem facere et ditare qui Deus dicatur, 61.

Pax. Qui pacem Ecclesiæ fines Deus ponat, 173. Pacis tempore qui fructus ferendi, 193. Cum antiquo hoste in hac vita pax nulla, 194. In pace mentis oculus mundatur, quo in patriam intenditur, 444. Pacem perfectam hic consequi non possumus, 459. Quam evangelizaverint pacem apostoli, 523. Multitudo pacis tantum in terra viventium inveni ur, 555. Pax Christi quæ sit, *ibid.* Pax nostra Christus, 64. Pacis multitudo in cœlo, 555. Pacis internæ perfectio, 405.

Peccantium restitutio per pœnitentiam, 172. *Vide* Pœnitentes, Pœnitentia. Quos peccantes Deus occidere velit, 73.

Peccatum nullum esse habet, 306. — Peccati conscientia morderi quid, 139. Ad cognitionem peccatorum suorum aliqui percutiuntur tantum, non moriantur, 142. — Peccatum, ut ad pœnitentiam accendamur, mente recogitandum, 146. In peccatum relabi quam cavendum, 159. Sic præterita peccata lugeatur, ut caveantur futura, *ibid.* — Peccati pœna est reprobos permitti agere quod cupiunt, 178. Per peccatum homo perditus, 203. Invenitur cum illud confitetur, 201. Peccata lacrymis tersa deformitatem amittunt, 159. Sic ad memoriam revocanda, ut a cœlestibus considerandis non impediant, 151. Peccatorum confessio sacerdoti facienda, 166, 369. Qui pro modo criminis pœnam imponat, *ibid.* Quæ dotes illi necessariæ, ut rite liget et solvat, *ibid.* — Peccati confessio. Peccatum in confessione prodendum est, non mendacio augendum, 326. Peccata sua dissimulantium vana effugia, 355. Occiduntur peccata, cum confitentibus apostolica auctoritate dimittuntur, 356. Artes quibus peccata sua tegant peccatores, 358. Coram Deo confessio sacerdotibus fit, 359. Peccata non solum confitenda sunt, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda, 359. Pœnitentiæ et confessionis vitia, 364. Peccatum quod diligitur, confitendo non deletur, 367. Confessio oris quæ fiat ad salutem, *ibid.* Signum veræ confessionis est in afflictione pœnitentiæ, *ibid.* Peccata tegimus, ea per confessionem detegendo, 474. Facies judicis humili confessione, exemplo Publicani, præoccupanda, 475. Ad perfectam confessionem, narrandæ sunt omnes peccati circumstantiæ, 476. Peccata tum omissionis tum commissionis in confessione declaranda, *ibid.* Peccati confessio coram Deo Sacerdotibus facienda, 359. Peccatorum occultorum cordis confessio, 275. Perfectissimum confessionis peccatorum exemplar, 326. Peccatorum confessionem excipientes, ad obscena quæ audiunt inardescere periclitantur, 350. Peccatum oculos aperiri qui intelligendum, 303. Sine peccato esse ne quidem electi possunt, 59, 60. Peccata omnia vitare non possumus, etsi omnia crimina, 421. Qui peccata non cavent, cum possunt, postea nec possunt etsi velle videantur, 351. Peccata confitenda et emendanda, 559. Peccati pondus, 383. Hoc pondere obruimur, 485. Peccata quibus aquis lavantur, 495. A peccatis futuris quomodo tuetur Deus, 479. Peccati fuit expers solus Christus, 440. Peccatum originale. *Vide* Originalis culpa.

Peccator cineri similis, 519. Peccator qui sileat, et clamet, 475. Peccator graviter vulnerato similis, 494. Peccatoribus adversitates precari licet ut coerceantur, 480. Peccatur tribus modis, 489. Peccatoris infelix status, 548. Ad vitam quomodo revocatur, 548. Peccatoris domus in qua quiescit prava consuetudo, 372. Peccatores impœnitentes juste excommunicantur, 373. Ita rejectos lugere debent pastores, *ibid.* Peccatoribus ostendenda tum accepta a Deo bona, tum mala in eum perpetrata, 252. Peccatores convertere doctoris est officium, 26. Per hædos peccatores designantur, 235. Peccatum eorum qui alios a Dei cultu avertunt, vix pœnitentia deletur, 69. Si propter aliena peccata, quanto magis propter propria damnamur, 106. Peccatores Pastorum constantiam adulationibus frangere conantur, 356. Quibus non cedendum, 357. Sic arguendi, ut nullus relinquatur effugiendi locus, *ibid.* Peccati summus gradus, de ipso superbire, 353. Peccata sua dissimulantium vana effugia, 355. Peccata vivunt, quandiu per pœnitentiam non delentur, 356. Occiduntur cum confidentibus apostolica auctoritate dimit-

tuntur *ibid.* Qui peccata deserunt nec plangunt, arguuntur, 358. Non majora tantum, sed etiam minora lugenda, 359. — Peccatum tribus modis admittitur, 575. Peccata quomodo arguenda, 577. Peccatorum pessimi sunt qui aliis dant exempla peccandi, 197. Prima peccatorum plaga conversio, secunda damnatio, 308. Peccatores conversi alios ad conversionem aliquando accendunt, 309. In eorum conversione Deus quædam præstat per se, quædam per homines, *ibid.*

Pedica. Pedica quasi in terra abscondi quid sit, 547.

Peditum nomine electi figurantur, 345.

Pelagus humanæ ignorantiæ, 324.

Pelicanus carnales adumbrat, 516. Pelicano similis Christus, 517.

Perfectionis tres gradus, 248.—Perfectionem ambientibus quæ consilia danda, 157. Ad perfectionis arcem tendendum, 170, 26. Usque ad vitæ terminum, 171. Perfectio pastores decet, 223.

Perfecti viri privilegia, characteres, officia, 30, 70, 100, 151, 152, 210-213.

Perfidia prius deserenda, quam prædicetur vera fides, 132. Quod ex historia conversionis Pauli demonstratur, *ibid.*

Quæ pericula circumstent ambulantes in via salutis, 554. Ab iis ut eruamur quid præstandum, 554.

Quid perit in Sanctis? 533.

In persecutionibus semper stat Ecclesia, 28. Persecutionum utilitas, 491.

Perseverantia in virtute per fimbrias aureas designatur, 346. — Perseverantiam dat Deus flenti pro peccatis, 472. Perseverantia electorum, 386. Qui perseveraturi sint ignoramus, 386. Perseverandum, carnalia desideria expugnando, 153, 154.

Personarum non sit acceptio, sed discretio meritorum, 328.

Pertranseundi homines ut ad Deum perveniatur, 423.

Petrus non solum propheta, sed summus patriarcha, 391. Vidit Christi gloriam imperfecte, *ibid.* Petro trina interrogatio facta quid significet, 383. Petræ foramina sunt vulnera Christi, 410.

Pharaoni similes et Ægypto, qui converti renuunt, 149.

Phenenna uxor Helcanæ, 13.

Philistiim quid, 125. Quid Satrapæ, 140. Apud Philisthæos arca circumducta, Evangelium apud Gentiles circumferendum significabat, 140.

Phinees et Ophni etsi pravi, sacerdotes tamen Domini erant, 12.

Pigri ad bona opera timore cogantur, 263. Ad charitatem perfectam postea perducantur, 160.

Piscatores elegit Christus ut reges subjugaret, 524.

Placere Deo et hominibus perfectio est, 85. Placere Deo soli nostris lacrymis ambiamus, 166. Placendum hominibus in rebus non prohibitis, 571.

Per plateas et vicos Christum quærere, quid, 423.

Plebs et populus qui differunt, 160.

Pluviam dare Dominum, quid, 274.

Poculum inebrians abundans est gratia Spiritus sancti, 126. Poculum ex vino conditum, quid, 454.

Pœnæ quibus homo subjacet, 482.

Pœnitentiæ characteres, effectus, leges, 145, 149, 166, 167, 222, 275, 307, 320, 321, 359, 367, 369, 467, 491, 493, 495, 549. Pœnitere Deum qui intelligatur, 352. Ipsum præsertim pœnitet constituisse pastores postea lapsos, *ibid.*

Poma qui dicantur electi, 10.

Pondus peccati, 483, 485.

Pontificis forma, virtutes, 170, 382. Summi pontifices etiam prælatorum vitam explorant, 310. Per orbem prædicatores, ordinant, *ibid.* Suis in judiciis non sint præcipites, *ibid.* A quibus consilium quærant, 311. In quibus, *ibid.*

Populi et plebis discrimen, 160. Populus spontaneus quis, 161.

Postulandum enixe a Deo, 538, 539.

Potestas Ecclesiæ a Christo collata, 41.

Præcepta alia sunt communia, alia propria, quæ violare gravius est, 289.

Prædarum initia offerre, quid sit, 355.

Prædestinare Deo facere est, 290. Quod prædestinavit Deus, id facit, 576.

Prædestinationis et præscientiæ Dei certitudo, 328.

Prædicatio Evangelii multos fructus tulit apud gentes, 21. Hujus prædicationis contemptus scelus est Judæorum, 74. Profectus prædicationis, *ibid.* Aliud nosse quæ prædicentur, aliud modum prædicandi, aliud quando prædicandum, 121. Prædicationis Evangelicæ stupendi effectus, 147. A prædicatione ad contemplationem redeundum, 204. — Prædicatio est sacrificii species, 69.

Prædicator quæ docet, opere impleat, 245, 306. Et modo ascendendum, modo descendendum, 250. Plura exemplo doceat quam verbo, 251. Quantæ charitatis esse debeat, 280. Sancti prædicatores, cum ascendunt, obvios Ecclesiæ prædicatores habent, 238. Et veteres prophetas, *ibid.* Cum quibus consentiunt, 239. Habent ante se quod prædicant, reprobi, post se, 241. Præstent tum opere tum contemplatione, 239. Cœlesti cibo pascant et pascantur, 300. Verbi comministros quales habeant, *ibid.* Umbraculum sunt ab æstu concupiscentiæ, *ibid.* Qui prædicatorum monita spernunt, eorum rodunt vitam, 303. Quæ prædicanda de Christo, 241. Quæ a prophetis prædicta, *ibid.* — Prædicatores boves sunt qui Ecclesiæ agrum arant, 808. Laudibus modo non pascantur, ut æterna gloria fruantur aliquando, 314. — Vanus prædicator, cum laudibus non pascitur, deficit, 317. Simulationem lucis accepit, non veritatem, 318. Ei proponendum Christi humilis exemplum, 320. Prædicatoris officium est culpas admissas arguere, et quomodo futuræ caveantur, docere, 319. Prædicatoribus adsit cum vitæ munditia humilitas, 151. Prædicator quos genuit Deo dat, qui de eorum generatione nihil sibi tribuit, 17. Subditorum bona temporalia non ambiat, *ibid.* Prædicator revertatur, ad contemplationem recurrendo, 22. Prædicatorum ordo Samuelis nomine intelligendus, 23. Eorum vita quibus probata esse debeat, 110. Prædicatores quidam ex Gentibus electi, et ad Apostolicæ auctoritatis culmen provecti, 51. Dici possunt cardines terræ, *ibid.* Prophetarum ministerio funguntur, 124. Ipsis Deus clarius manifestatur, Philisthæis comparantur, 126. Prædicatorum studio qui carni serviunt Deo mancipantur, 197. Prædicatores in altissima contemplatione suspensi, ad docendos subditos descendant, 209. Relinquant propria, ut communia disponant, *ibid.* Pro auditorum captu modo plana, modo alta doceant, *ibid.*, 210. Raro sint in publico, *ibid.* In secreto contemplationis thesauris cœlestibus ditentur, *ibid.* — Prædicatoris munus est delectationi carnis, concupiscentiæ mentis, et bonorum operum simulationi bellum indicere, 195. — Prædicatores eligantur qui criminis puri sint, 150. Neque tamen de sanctitate sibi blandiantur, aut securi sint, *ibid.* Prædicatori quo studio vigilandum erga subditorum correctionem, 164. Prædicatorum singularis fulgor in gloria, 172. Lucem justitiæ quam verbis ostendunt, exemplis præferant, 173. Ex omnium quoque ordinum et conditionum sanctis exempla mutuentur, quæ imitando proponant, 174. In sacræ Scripturæ lectione sic erudiantur, ut intus per contemplationem a Deo doceantur, 174. Ne labore obruantur, sanctorum societatem quærant, 175. In cordis altari amoris offerant holocaustum, 176. Optimorum prædicatorum summa merces, 221. Magnum ad laborem prædicationis incitamentum, *ibid.* Non summo ordini præmium rependitur, sed summo labori, *ibid.* Magna de se audiens prædicator suæ recordetur infirmitatis, 222. Magna virtutis insignia prædicatoribus tribuuntur, 230. Reges sunt qui a servitute nos liberant, a Deo qui eos ordinavit roborati, *ibid.* Alta sæculi despiciendo transiliat prædicator tanquam foveas, 231. Ex fervore charitatis, *ibid.* Alternis vicibus laboret, ac a labore quiescat, ut sibi vacet, 232. Quod signum electionis habeat, *ibid.* Proficere volens, sanctorum exempla ob oculos ponat, *ibid.* — Prædicatorum officium. Prædicatorum est officium, culpas admissas arguere, et qui futuræ caveantur, docere, 319. Pia prædicatorum stratagemata, 374. Christum prædicanti quid discendum, 388. Qui Jesum vult prædicando ostendere, debet per mortificationem passiones ejus imitari, 388. Prædicatoris male operantis periculum, *ibid.* Prædicatorum est vulpes, id est hæreticos Christo capere, 421. Prædicatores Scripturam exponendo, panem parvulis sicut matres masticant filiis, 428. Gemellos habent fœtus in duobus charitatis præceptis, et geminam prædicant dilectionem, *ibid.* Judaïcum et Gentilem gignere non cessant, *ibid.* Favo distillanti prædicando similes, 432. Mel et lac ita propinant aliis, ut etiam sibi servent, *ibid.* Exteriorum abdicatione verbum Dei acquirunt, 437. Divina inspiratione surgunt ad prædicationis laborem, *ibid.* Verbo et exemplo in mentibus locum sponso parant, *ibid.* Qui anima a custodibus, id est prædicatoribus salubriter vulneretur, ac spolietur, 439. Pallium tollunt dum prædicando, quod interius latebat, detegunt, 439. Quod alius propinant prædicatores, abundantius cæteris libant, 450. Prædicator propendat, quid, quantum, quando et quibus loquatur, 305. Quod docet, prior exsequatur, 306. Non leviter judicandum de his qui prædicandi gratia e suis latebris exiliunt, *ibid.* — Prædicator vita non sit minor quam fama, 212. Proprius prædicatoris locus contemplatio, *ibid.* A secreto contemplationis ad prædicandum egrediatur, *ibid.* Habeat experientiam spiritus in se loquentis, in repentina revelatione veritatis, 218. Qui ea quæ prædicat non amat, alios pascendo jejunat, 209. Prædicatores Ecclesiæ columnæ, 426. Prædicatores Christi oculi, 440, et labia, 441. Sancti prædicatoris vigilantia et fortitudo, 428. In illo quæ patent, magna sunt; quæ latent, majora, 428. Prædicatorum duo ordines, 429. Prædicatorum armatura, 429. Inspiratione divina acti, pergant ad prædicationis laborem, 437. Verbo et exemplo in mentibus locum Sponso parant, 437. — Prædicatorum mores. Lucem justitiæ quam verbis ostendit prædicator exemplis præferat, 173. Prædicatores raro sint in publico, 210. Domus prædicatoris est spiritualis ejus conversatio, 217, 222. Carnalium et spiritalium prædicatorum discrimen, 250. Prædicatores cœlesti cibo pascantur et alios pascant, 300. Duobus signantur bobus prædicatores geminæ charitatis gratia pleni, 308. Prædicatores laudibus pro fortiter gestis modo

non pascantur, 314. Prædicationis ministerium non suscipiant, nisi qui castitate sunt insignes, 346. Attendi non debet quid fuerint Ecclesiæ prædicatores, sed quid sint facti, 411. Prædicatores sapientia et religione fulgeant, 414. Cur canes dicti, 421. Sponsæ oculi, 427, et labia, 428. Prædicator ex bona voluntate, seu recta intentione filios gignit, 337. Pia prædicatorum stratagemata, 347. Prædicationis ministerium non suscipiant, nisi qui charitate sunt insignes, 345. Prædicanti Christum quid discendum, 388. Quid faciendum, *ibid.* Christi gloriam prædicare non audeat, nisi qui ad cœlestia erigitur, 392.—Prædicatorum nomina, 399. Vaccæ sunt sancti prædicatores, 150. Cur binæ et generis feminini, *ibid.* Nubes dicuntur volantes, et columbæ ad fenestras, 263, 299. Dii aliquando in sacra Scriptura electi prædicatores intelliguntur, 301. Prædicatores dicuntur boves, qui prædicando arant, 308. Prædicator cur rex dicatur, 333. Cur item salus nuncupetur, *ibid.* Cœli dicuntur sublimes prædicatores, 382. Prædicatores sunt ubera Sponsæ, 408. Sunt collum Sponsæ, 414. Cur dicantur oculi columbarum, 415, 427. Per ligna domorum Sponsæ cedrina signantur, 416. Dicuntur canes, 421. Columnæ argenteæ ferculi Salomonis, 426. Dentes Ecclesiæ, 423. Labia Ecclesiæ sunt, 428, 432, 441. Et vitra coccinea, *ibid.* Coccus significat flammam charitatis qua ardent ipsi et alios accendunt, *ibid.* Genæ Ecclesiæ, *ibid.* Fragmen mali punici dicuntur, *ibid.* Collum Ecclesiæ, *ibid.* Et turris David, 429. Duo prædicatorum ordines, per duo ubera sponsæ figurantur, *ibid.*— Prædicatores mali concubinis similes, 445. Ita prædicanda fides ut per bona opera comprobetur, 420.

Præfectis quid offerendum 258.

Prælatio spiritualis in sæcularem dominationem transferatur, 177. Prælationis onus, 162, 176. Plerique qui vivebant subditi, moriuntur prælati, 162. Quia cupiditate abripiuntur, non ducuntur charitate, *ibid.* Honorem prælationis in numeriambiunt, labores pauci, 237. Prælationis culmen pro aliis adeundum, 270. Invite conscendendum, libenter deserendum, *ibid.* Alia prælatio regum, alia judicum, 272.

Prælati in culmine Ecclesiæ positi prophetæ esse debent, 374. Prælati negligentes catervatim in flagitia corruunt, 368. Sauli sunt similes, *ibid.* Prælatis discretio spirituum necessaria, 156. Qui prælatos despiciunt, filii sunt Belial, 257.—Prælatorum cura ut abstractos a terrenis, ad cœlestia evehant, 192. Verbis et operibus doceant, 193. Prælati carnales jus regis usurpant, ut a Samuele proponitur, 182. Qui sint eorum currus, *ibid.* Qui equites, *ibid.* Quæ quadrigæ, qui quadrigarum præcursores, *ibid.* Quos tribunos centuriones que constituant, 183. Quos habeant agros agrorumque aratores et messores. *ibid.* Quos armorum fabros et curruum, *ibid.* Eorum unguentariæ fiunt linguæ adulatrices, *ibid.* Quæ suis assentationibus ipsorum superbiam impinguant, 184. Carnales prælati quanta sibi subditis mala inferant, 184. Sub reprobo prælato etiam electorum bona integra non sunt, *ibid.* Virtutes prædæ patent, 185.—Præter prælati auctoritatem nihil agendum, 199. Perfectus esse debet, 214. Fidei ac bonorum operum luce refulgeat, *ibid.* Spirituali gratia unctus alios salvare potest, *ibid.* Antequam promoveatur, exploretur ejus vita, 216, 269. Per humilitatis portam ingrediatur, *ibid.* Prælatorum qui in charitate perfecti non sunt, periculum, 228. Ad prælatorum reprehensionem non facile proruendum, 107. Ipsis obedientia dupliciter impendenda, *ibid.* Prælati etiam carnales cum rationis modum excedunt honorandi, 37. Quorumdam severitas inconsiderata, 324. Humiliter tamen ferenda, *ibid.* Prælati se subjectos aliquando cogitent, 31. Præter prælatorum arbitrium nihil præsumendum, 82, 198. Eos judicare non debemus, 96. Prælatis, qui propriis peccatis non tenentur, pro alienis formidandum, 83. Si mollius peccata subditorum redarguant, 84. Prava eorum exempla quantum noceant, 86. Qui sua potestate abutuntur, ea carere debent, 86. Deum dedecore afficiunt, 87. Prælati fortitudo universis subditis nota sit, 254. Virtute cunctis antecellat, *ibid.* Ejus potentia a Christo derivatur, 301.—Prælati præsint ut pares, 272. Ipsorum est ab Ægypti servitute nos liberare, 272. Gratiam tamen liberationis Deo adscribere debent, *ibid.* Pravorum animi motuum quibus medentur, expertes sint, 290. Sic aliorum inquinamenta respiciant, ut non sordidentur, 291. Ab inobedientium consortio se subducant, *ibid.* Justa piaque ipsorum severitate rejecti quid agere debeant, *ibid.* et 292. Eorum celsitudini non comparandus fidelium subditorum status, 243.

Prælia nostra cum vitiis et humani generis hoste, 259.

Præparare cor Domino qui dicantur, 164. Et ei soli servire, *ibid.*

Præparatio mentis necessaria ad altiora contemplanda, 217.

Præponendus curæ animarum asperam vitam sequatur, 338.

Præsentia spiritualis Christi nunquam deest electis, 21. Ex ea accepit Ecclesia ut cresceret, 123. Deus Ecclesiæ semper præsens, 124.

Præsumptio eorum qui majorum jussa in melius commutare se putant, 359. Quod sæpe in monasteriis accidit, *ibid.* Pro inobedientia debet haberi, *ibid.*

Præsulum plures sunt ordines, 150.

Precibus alienis expietur, qui propriis non potest, 92.

Principes sunt apostoli, 51.

Probatio abstinentiæ castitas, 266.

Profectus electorum characteres, gradus, modus, 95, 119, 196, 147, 148, 153.

Progressus fidei et prædicationis in Gentilium mentibus, 137.

Promissio hæreditatis æternæ qui designetur, 240. Promissionum divinarum certitudo contra diffidentiam munit, 543.

Properans ad Christi amorem carnis fervorem abjiciat, 419.

Prophetia et prophetis (de), 175, 238, 239, 241, 242, 248, 249, 257, 515.

Prophetare de corde, quid, 568.

Propinquos ad ecclesiasticas dignitates evehentium periculum, 86.

Prospera in adversis, et in prosperis adversa commemoranda, 573.

Prosperitas oculos claudit, 514.

Prospera magis metuenda quam adversa, 544.

Proximo utiliores invenimur cum altius in contemplatione suspendimur, 205. Proximis ita prosit doctor, ut Deo adhæreat, 26.

Psalterium æternorum gaudiorum prædicationem designat, 240. Psalterium quale instrumentum, quidve significet, 466. Psalterium quid, 240.

Pueri sacerdotum de Sacrificio rapientium quid significent, 68.

Pugna (de) spirituali, 263, 364, 338, 339, 346, 340.

Pugnare e curru antiqui consueverunt, 192. Pugna spiritualis describitur, 192. In ea quinam ex curru pugnent, *ibid.* Qui equites, *ibid.* Qui regis quadrigas aut subsequantur, aut antecedant, *ibid.* Qui pedites, 193. Qui tribuni sint et centuriores, *ibid.* Quæ contra hostem arma fabricanda, 194. Qui parandus currus, *ibid.* Electi hoc modo victores fiunt, *ibid.* Pugnandum continuo, 323. Unde hostes aliquos Deus nobis superstites semper relinquat, *ibid.*

Pulchritudo sponsæ genuina, unde? 415. Pulchritudo sponsæ potior quænam sit? 427. Pulchritudo Sponsi unde? 415. Qui tota pulchra sit sponsa, 429.

Pulvis. De pulvere qui suscitati, et de stercore, 50, 62. Pulvis est illicita cogitatio, stercus prava actio, *ibid.*

Puniendo hic miseretur Deus, 469.

Purgatorius ignis iræ Dei signum, 469. Purgatorii pœna, post quam ad vitam pervenitur, 94. Qui hanc evadere cupit, per pœnitentiam se affligat, *ibid.*

Purpureus ad cœlum ascensus, 426.

Putationis tempus, 419.

Q

Quadragenarius numerus ad peccatores pertinet, 135.

Quercus Thabor quid significet, 247.

Quies in cœlo nullis tentationibus turbabitur, 172. Quiete mentis prædicatores ad gratiam se parent, 116. Quiescere post Dominum, quid sit, 163.

Quinquaginta millia de plebe percussa, et septuaginta tantum viros de populo, qui intelligendum, 160

R

Ramatha quid significet, 8, 65.

Reclinatorium aureum, quid, 426.

Reconciliationis a Deo consequendæ facilitas et difficultas, 148.

Recti non sunt qui timent, sed non diligunt, 408.

Recloris vitia, dotes, munus, 191, 206, 223, 225, 229, 237, 246, 412.

Redemptor, lapis magnus, 157. In eo divinæ essentiæ incommutabilitas, 44. Redemptorem Helcana signabat, Ecclesiam Anna, 65.

Reges Christo per pœnitentiam subjecti, 431. Qui ex Deo non sunt, 565.

Reginæ sunt animæ quæ corpora prudenter regunt, 444.

Regum liber I, sive Samuelis, 1. Hujus historiæ profunditas, *ibid.* Nondum a doctoribus exposita, *ibid.* Immenso flumini similis, *ibid.* Regum historia cæteris Scripturis nec sacramentis minor, nec auctoritate inferior, 4. Regum lib. I et II adscripti Samueli, 4, 219. Uterque prophetia est potius quam historia, 4.

Regis jus, 180, 181, 182. Regum peccata quandoque toleranda, 369.

Regia dignitas Ecclesiæ nec austera nec superba, 387.

Regnum Christi Ecclesia, 54. Regnum Saul breve, etsi multis regnavit annis, 478.

Regulæ sancti Benedicti memini sanctus Gregorius, 151, 199.

Relabi in peccatum quam cavendum, 159. Relabentium insipientia, 483.

Religiosi viri sæculo militantium exemplis aliquando eruditiuntur, 315.

Renovatio interioris hominis, 93. Fiat in carne et in mente, *ibid.*

Reprobatio non credentium, 141. Aliis credentibus, *ibid.*

Reprobi habent post se quod prædicant; ante se sancti doctores. 241. Reproborum opprobium, 260. Reprobos permitti agere quod cupiunt pœna peccati est, 178. Cor suum non possident, 54. Eorum intentio ad ima deprimitur, 55. Quod eis etiam sine fructu impenditur, Deus remunerat, 15.

Requie nobis procurata post mortem, securi mortem expectamus, 56.

Resurrectio, spei fundamentum, 541. Ante resurrectionem confertur sanctis beatitudo, 499. Resurrectionem nostram quotidie debemus imitari, 399.

Retributione (de) cogitandum, 87.

Revelationis veritas ex Scriptura exploretur, 115. Revelationes superiorum judicio subjiciendæ, 103. Per occultam revelationem Deus loquitur electis, 115.

Reversurus Christus, quando? 422.

Roboramur (non) in nostra fortitudine, 64.

Rotæ currus spiritualis, 195. Rotam significat Galgal, 174. Rota rerum transeuntium in qua vertuntur, qui delectantur terrenis, 63. Duæ rotæ sunt, vetus et novum Testamentum. 149.

Rudibus qua cautione alta et profunda debeant abscondi, 117.

S

Sabaa quid significet, 296.

Sacerdotes plurimi pudicitiam amittunt, quam coluerant cum essent Clerici, 358. Eorum artes ut sua tegant peccata, *ibid.* Negligentes sacerdotes catervatim in flagitia ruunt, 368. Sauli comparantur, *ibid.* Sacerdotibus Judæorum repulsis, Christus fideles sibi sacerdotes instituit, 79. Qui ejus voluntati obtemperarunt, 80. Sacerdotes Judæorum in Christum sæviendo, Dei consilium impleverunt, 13. Victimam Dei ac munera repulerunt, 76. Sacerdotium Judaicum quale, 15. Ejus cæcitas unde, 113. Damnato veteri sacerdotio, major est gloria novorum prædicatorum, 114. Tria quæ ad sacerdotium pertinent, 75. Ad sacerdotium viri sancti non recipiendi tantum, sed etiam invitandi, 161. Sacerdotii evangelici juventus et senectus, 189. Unde consenuerit, *ibid.* Resoluto vigore nihilominus prophetat, et recte docet, *ibid.* Sacerdotio dignus non est, nisi qui Dei voluntatem ex Scriptura didicit, 91, et implet, *ibid.* Huic Deus domum fidelem ædificat, subditis obedientiam inspirando, *ibid.* — A sacerdotibus optima consilia, 322. Sacerdotes et ministri reprobi cur Betsamitæ, 160. Sacerdotes male viventes a laicis non judicandi, 191. — Sacerdotum novæ legis cœlibatus, 69. Sacerdotes mali populum in ruinam pertrahunt, 72. Hinc gravissime delinquunt, *ibid.* Sacerdotum delicta difficile curantur, 84. Sacerdotes sunt electi, quo sensu, 94.

Sacramentum Eucharistiæ indigne tractantes qua pœna digni, 160. Fideles hujus Sacramenti dignitatem formidant, 161. Hujus utilitas, 59.

Sacrificium Sanctorum in cœlo quale sit, 509. Sacrificium Helcanæ Christi passionem figurabat, 13. Sacrificio interesse non debent nisi sanctificati, 378. Quanta ergo sacrificium offerentes decet sanctitas, *ibid.*, 379.

Sagittæ peccatori infixæ, quæ, 482.

Salomonis libri tres quid adumbrent? 401. Salomonis pelles quid? 409.

Saltus quid significet, 315.

Salutis nulla expers conditio, 314.

Salute (de) aliena solliciti sunt sancti, 479. Salutem omnium vult Deus, 576. In salutari Dei lætari quid sit, 56.

Sama vel Seme, quid, 302.

Samuel sub lege positus, evangelicam perfectionem assecutus est, 277. Samuelis nomine prædicatorum ordo intelligendus, 23, 111. Pueri Samuelis exemplo cœnobitæ erudiuntur, 85. In Samuele perfectæ obedientiæ forma, 99. Samuel in tribus vitulis ad tabernaculum ductus, quid significet, 39, 40. Puer Samuel signat credentes Gentes, 65. Qui ad audiendum promptus et ad operandum, *ibid.* Qui repulsis Judæis solus coram Deo ministrat, 76. Trina ejus vocatio quid, 116. Samuel qui victor effectus, 186. A populo non auditus, a Deo meruit audiri, 187. Samueli tribuuntur lib. II priores Regum, 4. Samuelis somni quid significent, 121. Ejus dum se videntem dicit humilitas, 217. Samuel libri I Regum scriptor, 4, 219. Cur in tertia persona loquatur, *ibid.* Samuel assumens Saul, quid significet, 222.

Sancta videndo moriuntur, qui indigni sunt, quanto magis contrectando! 160.

Sanctitatis pristinæ flos quantum emarcuerit, 207. Sanctitas apostolici cœtus, 75.

Sancti omnes ex Christi munere fiunt, 44. Sanctorum pedes qui Deus servet, 51. Hi pedes, humilitas et fortitudo, *ibid.* Fides et amor, 52. Sanctorum somnus quid sit, 106, 114. Est perfectus mundi contemptus, *ibid.* Nemo tam sanctus, qui in se nihil habeat quod plangat, 159. A Deo sanctificamur, ad requiem ducimur, glorificamur, 56. Sancti viri pleriaque sunt ignoti, 216. Foris contemptibiles videri appetunt, sed agere venerabilia non desistunt, 217, 257. Spiritalis sanctorum conversatio, non nisi devotis panditur, *ibid.* Sancti qua discretione virtutes suas et abscondant et manifestent, 220. Salutant nos viri sancti, quando nobis æterna bona salutis annuntiant, 236. Bene virtutes sanctorum admiramur cum eas Creatoris bonitati adscribimus, 249. Mirandi essent viri sancti, si propria virtute, non vero si divina, mira facerent aut loquerentur, 149. Cur a superbis sancti viri contemnantur, 257. Contra hostium jacula quam cauti et circumspecti debeant esse sancti, 283. Cur post relatam in magnis tentationibus victoriam sancti levioribus succumbere sinantur, *ibid.* Sanctorum animæ capreis similes, in morte corpora deserentes, magnos in cœlum usque dant saltus, 294. Sanctorum inimici sunt immundi spiritus, 414. Deus thesauros suos, id est sanctos viros abscondit, 381. Sancti viri sunt ubera sponsi, 408. In corde sanctorum fervente charitate, recumbit Christus, 411. Sancti hic quasi in deserto myrrha, 424. — Sanctorum civitas Jerusalem, 161. Sanctorum requies in cœlo, nullis hostis tentationibus turbabitur, 172. Nihil agunt inconsulto, 204. Priorum sanctorum facta sequentium solatia sunt, 175. Illorum etiam infirmitas nos corroborat, *ibid.* Sancti suis in judiciis præcipites non sunt, 177. Illorum judicia cum divinis conveniunt, et virtute charitatis, 178. Sanctorum orationes numquam sine fructu, 187. Nisi orent pro reprobis, 188. — Sancti exterius circumspecti, ac interius providi, 207. Qua discretione virtutes suas aut abscondant aut manifestent, 220. Vix cor suum invenire possunt, 323. Quanto minus imperfecti, *ibid.* — Sancti viri sunt Christi Sponsæ ubera, 408. Sancti quærantur intercessores, 439. Sanctorum duplex futura est commutatio, 534. Sancti cur Dei vestimenta dicantur, 534. Sanctorum exempla prolicere volentes ob oculos ponant, 232. Sanctorum exemplis fideles ad virtutem adhortandi, 281. Sanctorum corda horti sunt superni Sponsi, 332. Sancti foris sæviunt, intus diligunt. 374.

Per sapientiam et charitatem a Deo collatas, electi hostes suos superant, 55.

Saturari quis nescit? 573.

Saul, quia sibi soli victurus erat, solus a solo unctus, 385. Secus David, *ibid.* Saul Samuelem non audiens, superbos et inobedientes signat, 351. Saul carnali fortitudine fretus vincitur, qua Samuel carens victor effectus, 186. Futuri regni Saul mala omina, 188. Regnum ejus quam breve, licet multis regnarit annis, 278. Quo sensu regnum sempiternum ipsi promissum, 289 Ex Saulis historia, qui bene cœpit et non perseveravit, quid discendum, 348. Saulis mors inobedientes præpositos terreat, 2. Repulsus ob levem inobedientiam timore nos afficiat, 287.

Saulus Ecclesiæ persecutor, 14. *Vide* Paulus.

Scandali peccatum quam grave sit, 84.

Scientia veteris et novæ legis necessaria, 28. Scientiarum quis Dominus, 57.

Scopuli nobis cavendi, 304.

Scriptura sacra, mons umbrosus, 399. Ad quem non accedunt carnalibus motibus dediti, *ibid.* Picturæ similis, 398. Ignis, 399. Fons et puteus, 433, 434. Scripturæ littera cooperit spiritum ut palea frumentum, 399. Jumentorum est paleis vesci; hominum frumentis, *ibid.* Ex sacra Scriptura intelligentiæ lumen, et charitatis oleum, 337. Scripturæ sacræ interpres speculatori similis, 3. Et viatori, *ibid.* Cur in ejus intelligentia decipiantur Judæi ac hæretici, 237. Scriptura sacra ex interpretum et tractatorum mensura non æstimanda, 3. Colli similis, 257. Divinitus est inspirata, 3. In ejus scientia nemo, ita perfectus, ut ultra proficere nequeat, 4. Veneratione digna est, etiam cum non intelligitur, *ibid.* Eo gratius legitur, quo quotidie discitur, *ibid.* Scriptura sacra gradus est ad Deum, 6. Tot arma nobis ministrat, quot præcepta et consilia, 10. Ecclesiæ fundamentum est, 27. In Scriptura non prophetarum et patriarcharum, sed Dei vox auditur, 115. Scripturæ sacræ sententiis, ad Dei amorem accenditur, 157. Sic offerendum holocaustum, *ibid.* Sacra Scriptura electorum pastorum speculum, 251. Scriptura sacra ignis est, 399. Quid figurent tres libri Salomonis, 401. Eorum ordo quid signet, *ibid.* Per murenulas Scriptura sacra intelligitur, 414. Cur aureæ et argento vermiculatæ, *ibid.* Per cellam vinariam Scriptura sacra figuratur, 417. Qui charitas ordinetur per Scripturam sacram, *ibid.* Cur sacra Scriptura fons simul et puteus dicatur, 433. Aqua significat Scripturæ intelligentiam, 434. Cur fons hortorum, *ibid.* In Scriptura robur panis et robur aquæ quid sint, *ibid.* Ejus aquæ quanto impetu fluant, 434. Duo ordines Scripturam sanctam utiliter legentium, 435. Scripturæ sacræ dicuntur rivuli aquarum et fluenta plenissima, 440. Christo carus non est, nisi qui sacris Scripturis delectatur, 451. Anima sacræ Scripturæ meditationibus intenta affluit deliciis, 455. Qui verbum Dei prava intentione legunt, veritatem non inveniunt, 461. In Scriptura sacra de tam vilibus et indignis animorum et murium similitudinibus Spiritus sanctus non ageret, si pretiosa valle in iis mysteria non signaret, 146. Scriptura sacra plaustri nomine figurata, 162. Per Galgal Scriptura sacra signatur, 174, 291. In sacræ Scripturæ lectione sic erudiatur prædicator, ut intus per contemplationem doceatur a Deo, *ibid.* Qui verbum Scripturæ accipit non in amore sed in scientia, de plenitudine accipit non verbi, sed libri, 219. Joannes, sive Paulus litteram scripsit; at loquens in eis verbum, eam inspiravit, *ibid.* Littera Scripturæ, sine spiritu non solum mortua, sed etiam est interficiens, *ibid.* Littera corpus est, hujus vero corporis vita, Spiritus, *ibid.* Samuel

libri primi Regum scriptor, cur in tertia persona loquatur, *ibid.* Fines Benjamin regulæ sanctarum Scripturarum sunt, 231. Perfectionem imitando sanctorum, proficimus in intelligentia Scripturarum, 237. Judæi et hæretici cur in sacræ Scripturæ intelligentia decipiantur, 238. Vetus per novum Testamentum est intelligendum, 238. Scriptura sacra secundum Patres veteres explicanda, *ibid.* Electorum pastorum speculum est Scriptura sacra, 251. Scripturæ sacræ profunda perspicere sine sæculari scientia non possumus, 296. Ner significat sermonem Scripturarum, 337. Littera sacræ Scripturæ quasi lucernæ testa est, *ibid.*

Seboim capreas significat, 294.

Secretior vita quærenda, 233. Ad illam vitam qui oculorum, cordis, et oris ostia non claudunt, minus sunt apti, *ibid.* In secreto Deus manifestatur, 244. Inde ad Deum ascenditur, *ibid.*

Sæculi blandimenta qui despiciant, 57. Eis oneri est mundus, a quo graves tentationes experiuntur, nisi Deus eum silere ac quiescere jubeat, 63

Segetes electorum addecimari qui dicantur, 196, 197.

Sensibus omnibus hostes nostri insidiantur, 329. In sensibus omnibus peccavimus, compungamur, 147.

Septuaginta viros de populo percussos, quinquaginta vero millia de plebe, quid significet, 160.

Sermo Dei pretiosus, id est rarus, 96. Sermo optimus quis sit, 208. Sermonem suum aliquando Deus non revelat diligentibus, et sibi ministrantibus, 101. Sermonis Dei veritas, 124.

Serpentes et scorpiones calcandi potestas Christi discipulis data, 170.

Servire Deo in toto corde quid sit, 275.

Servitus duplex, 561.

Sessor alius non admittendus præter Deum, 480.

Severitas inconsiderata quorumdam Prælatorum, 324.

Signaculum Christi super cor et super brachium, 456.

Signum electionis pastoris est, si alienæ simul et propriæ saluti studet, 232.

Silendi et loquendi modus, 108.

Per silentium Dei voluntas melius discitur, 204. In silentii quiete non turbentur Sancti, 213.

Simonis Magi hypocrisis, 518. Ejus hæresis, 518.

Simplicitatis encomium, 513.

Similitudines anorum et murium quid, 146, 147.

Simpliciores quomodo erudiendi, 210.

Simulacrum Dagon quid significet, 137.

Societas peccatorum vitanda, 472.

Socordes et audaces Corpori Domini susceptores non saturantur, 59.

Soli cur comparata Ecclesia, 447.

Solitariæ vitæ deditos lucrandis animabus insudare laudabile, 313. Modo infirmi et imperfecti non sint, *ibid.*

Solitarius quomodo sedebat et tacebat David, 543.

Sollicitudo Christi et ejus sponsæ de salute proximi, 453.

Somnus sanctorum vigilantiæ junctus, 436. Ut cœlestia contemplentur, dormiunt, 436. Eos Christus excitat, ut aliorum saluti incumbant, 436.

Sophim, Hebraica vox quid significet, 8. Sophim cur in monte Ephraim, 30.

Speculum pœnitentium David, 493.

Sperandum in solo Deo, 489.

Spes veniæ non amittenda, 275.

Spicæ hac in vita colliguntur, postmodum panis manducabitur, 155.

Spiritualium status, 526. Spiritalia Christianorum certamina, 125.

Spiritus sanctus in Christi discipulos effusus, in Ecclesia perseverat, 242. Scientiam simul et charitatem infundit, *ibid.* Lacrymas pias instillat, *ibid.* Cor mundum creat, 243. Sic hominem carnalem mutat in virum alterum, *ibid.* Indi ia moventis Spiritus sancti sunt humilitatis dona, *ibid.* Spiritus sancti gratia pluribus datur ad bene vivendum, quam ad docendum, 580. A Spiritu sancto dirigatur qui assumitur ad regendam Ecclesiam, 213, 218. A Spiritu Dei deducitur qui a spiritu suo defecit, 555. Spiritu Dei pleni de ipso loquuntur ut de seipsis, 487. Spiritu sancto vegetatur corpus Ecclesiæ, 54. Spiritus sancti flatu eget Sponsi hortus, 434. Spiritus sancti fragrantia odor unguentorum Christi, 403. Pervenit ad Christum, 1. — Spiritus mali quibus in cordibus castra metentur, 284. Culpas vel leviores cogitationum et verborum in judicio nobis objecturi sunt, *ibid.* Tripartito agmine nos aggrediuntur, 293. Cogitationibus insidiando, *ibid.* Linguam ad verba iræ solvendo, *ibid.* Boni operis consummationem impediendo, 294. Quantum adversus eos enitendum, 302. Quibus armis dimicandum, 304. Sensibus omnibus insidiantur, 329. Eorum insidiis qui occurendum, *ibid.* — Spiritus fornicationis a quibus virtutibus debellandi, 331, 332. Cur vastatores dicti, *ib.*

Sponsa. Sponsa per fidem amica, per simplicitatem columba, formosa fit per operationem, 419. Ut operetur surgat et properet, *ibid.* Instanti æternæ felicitatis æstate, *ibid.* Qui sponsæ vox dulcis et facies decora, 421. Quæ sit potior sponsæ pulchritudo, 427. Per oculos sponsæ prædicatores, per capillos populi designantur, 427. Cur capilli sponsæ sicut grex caprarum esse dicantur, *ibid.* Dentes sponsæ prædicatores, 428. Labia Sponsæ, iidem prædicatores, *ibid.* Quibus virtutibus sponsa Christi mundetur et placeat, 429. Qui tota pulchra sit et maculæ expers, *ibid.* Fide, spe et charitate præcipue munitur, 450. Mammæ sponsæ significant dilectionem Dei et proximi, 431. Labia sponsæ cur favo comparentur, 432. Tunica sua se exspolians sponsa quid signet, 437. Sponsa pedes suos lavit, peccata lacrymis quotidianis plagendo, *ibid.* Venter sponsæ ad tactum Sponsi contremiscens quid significet, *ibid.* Sponsum quærens, custodes adeat sponsa, 439. A quibus salubriter vulnerabitur et spoliabitur, *ibid.* Qui pulchri sint sponsæ calceatæ gressus, 450. Duo femina sponsæ duo populi Ecclesiæ, *ibid.* *Vide* Femina. Collum sponsæ sicut turris eburnea quid significet, *ibid.* Oculi sponsæ sicut piscinæ in Hesebon, ob mœrorem et luctum, *ibid.* Caput sponsæ cur dicatur ut carmelus, 451. Cur sponsa dicatur charissima in deliciis, *ibid.* Ubera sponsæ cur botris comparata, 452. Os sponsæ signat prædicationem ejus, *ibid.* Qui malorum odorem in ore perfert, *ibid.* Christi erga sponsam Ecclesiam benignitas, 506. Genæ sponsæ, et collum quid signent, 414. Cur oculi ejus dicantur columbarum, 415. Sponsæ lectulus est quies mentis a sollicitudinibus mundi vacantis, *ibid.* Sponsa inter filias, sicut lilium inter spinas, quid significet, 416. Sponsæ a Sponso in cellam vinearium introductæ quantæ deliciæ, 417. Caput sponsæ quid sit, *ibid.* In amplexus sponsæ ruens Christus, quos montes et colles transilierit, 418. Sponsæ Christi pars temporalis afflictio, 13. Sponsæ sunt perfectorum mentes, 212. Sponsæ nasus sicut turris, quid designet? 450, 451.

Sponsi decor unde? 415. Animæ gemitus præsentiam Sponsi revocantis, 439.

Stare coram Deo quid sit, 252.

Status hominis ante originalem culpam, 370. Status primi hominis felicitas, 481.

Stercore qui eriguntur, et de pulvere, 50, 62. Stercus est prava actio, *ibid.* Et perituræ divitiæ, *ibid.* Sterilem peperisse plurimos qui explicandum, 60. Sterilem significat Accaron, 172.

Stimulus dicitur increpatio prælatorum, 297.

Studium hominis præcipuum, seipsum scire, 412.

Sublevare et humiliare qui Deus intelligatur, 62.

Sublimari cornu Christi quid sit, 55.

Sublimes in contemplatione, quæ norunt, impleant, 163. Sublimes per Christum efficimur, 442.

Subtrahit se aliquando Christus, 65. Ut quam infirmi simus ipso absente experiamur, *ibid.*

Surgendum a peccato, deinde ad cœlestia properandum, 420.

Superbia virtutes alteruntur, 475.

Superbe sapientes tacere jubentur, 57. Ex superbia lapsis angelis, quid homini timendum, 58. Superbia præ cæteris fugienda, 287.

Superbi divino repleri munere nequeunt, 59. Superborum et libidinosorum obcæcatio, 357. Superborum artes, ut honoris culmen assequantur, 365. Pro ipsis rogantes, etsi boni, non debent audiri, *ibid.* Super superbos gravis est manus Dei, 475.

Superiorum judicio profectus noster subjiciatur, 40.

Suscitare dormientem in sinu Sponsi animam prohibentur carnales, 418. Suscitavit Ecclesiam Christus in cruce moriens, 456.

Synagoga æmula Ecclesiæ, 14. Contra eam sævit, *ibid.* Non peperit sexum virilem, 17. Pro insidiante sibi Synagoga Ecclesiæ preces, 18. Synagogæ repulsio, 41. Synagogæ gloriatio retunditur, 45. Synagogæ electi a Christo ad cœlestia provecti, 23. Synagogæ sterilitas, dum Ecclesia prius sterilis, fecunditate gaudet, 49. Ejusdem infelix partus, 135. Ad partum incurvata doloribus enecatur, 136. Synagoga senuerat, quæ in tanta Christi luce caligabat, 71. Deus ad Synagogam veniens non stetit, 119. Qui in Ecclesia usque ad finem mundi est permansurus, 120. Synagoga Judæorum unde pulchritudinem trahit, 443. Synagogæ de præteritis suis tenebris in fine pœnitentia, 449. Propter quadrigas Aminadab Synagogam conturbari, quid sit, *ibid.* Ad conversionem ab Ecclesia provocatur Synagoga, *ibid*, 454. Synagoga conversa strenue pro fide pugnatura est, *ibid.* Ecclesia Christum apprehensum in domum Synagogæ matris ductura est, 454. Quanta erit quorumdam e Synagoga conversa in fine mundi perfectio, 445. Synagoga Christum figens in ligno, nefando scelere se corrupit, 455. Dicitur vinea Pacifici, 455, 459.

T

Tabernacula. In tabernacula dimitti quid innuat, 280.

Tacere aut revelare bona quæ agimus discretio doceat, 299.

Tegenda sunt peccata, bona opera superinduendo, 474.

Tela magna amaritudinis quæ patiuntur conversi, 370. Tela antiqua diaboli gula et elatio, 6.

Templum Dei corpus nostrum, 509 Templum Dei profanatur immundis cogitationibus, 350. Templis idolorum arca Dei est illata, quando fides Gentilium mentibus est inserta, 137.

Temporalia quædam Deus concedit iratus, 179. Temporalium rerum amatores animam suam flocci faciunt, 191.

Tenebras spissiores nullum obducit vitium, quam libido, 358.

Tentare non semper diabolo licet, 574. Tentationes graviores quando contra nos hostis moveat, 169. Divinæ gratiæ auxilio fiunt irritæ, *ibid.* Cur superatis magnis tentationibus, levioribus succumbere permittimur, 283. Nullis tentationibus turbabitur sanctorum requies in cœlo, 172. Urgente tentatione non deserendus locus, 264. Tentamur intus ab immundis spiritibus, foris a pravis hominibus, 285. Cum tentamur, juxta est gratia ut adjuvet, 288.

Tentationibus (quibus) obnoxii simus post conversionem, 311.

Tentatis subditis orationum et sacrificiorum subsidia pastores subministrent, 168. Tentati quæ latibula quærere debeamus, 285. Tentatis pastores auxilium ferre non morentur, 298.

Teporem nostrum veterum fervor arguit, 323.

Ter venit ad Christum sponsa, 430.

Terminus. In termino, finis vitæ nostræ intelligitur, 294. Dæmones conantur impedire, ne bonum opus in terminum vitæ producatur, *ibid.* Termini Bethsamis quid signent, 151.

Terra apostolorum prædicatione fecundata, 532.

Terrenorum contemptus in Ecclesia, 19. Qui terrenis delectantur, in rota rerum transeuntium vertuntur, 63. Terrena toto corde amantibus veritas occultatur, 97. A terrenis abstrahere, et ad cœlestia evehere, cura est prælatorum, 192.

Terret Deus ut nos sollicitos reddat, 123. Non terrent dæmones imperfecta Christianorum desideria, 169.

Terribilis hostibus Ecclesia, qua ratione, 443.

Testamenta duo duæ sunt rotæ, 149. Ex utroque Testamento, quid discendum, 454.

Thabor. Quercus Thabor quid, 247.

Thesauri. Sancti sunt thesauri Dei quos abscondit, 381.

Throno (in) cum Christo qui sessuri, 62.

Tibia quid significet, 240.

Tigna cedrina prædicatores designant, 416.

Timere Deum, nisi ei serviatur, non sufficit, 273. Bona ex delectatione gratiæ faciendo, *ibid.* Qui timent nec diligunt, recti non sunt, 408. Timendo Deum mala cavemus, ei serviendo bonum agimus, 277. Quid timendum homini, angelis labentibus, 58. Reprobis qui modo non timent, quantum in futuro metuendum; 168.

Timor Dei duplex, 557. Timoris expers perfecta dilectio, 408. A timore ascendendum ad contemplationem, 34. Timor tamen aliquando contemplationem sequitur, *ibid.* Quandoque nec antecedit, nec sequitur, *ibid.* A timore incipit conversio, 309. Timor salutaris electorum, 167. Timore puniendi infirmi et carnales, 273. Cum timore Dei dona postulanda, 205.

Tintinnabula vestis pontificis quid significent, 251.

Torcular interpretatur Geth, 172.

Torpor hominis post lapsum, 397.

Transgressio prohibitionis, non res ipsa coinquinat hominem, 566.

Tribulatio Spiritus veram pœnitentiam comitatur, 505. Tribulationis tempus breve videatur, 531. Tribulatio cœlestis gaudii est introitus, 286.

Tricenarius numerus eos designat, qui eam fidem tenent, quæ per dilectionem operatur, 223, 263.

Triclinium est pulchritudo spiritalis vitæ, 223. In triclinium introducuntur, quibus charitatis latitudo monstratur, *ib.*

Tristitia duplex, 562.

Tuba novissima in die judicii, 575.

Tunica se exspoliat, qui exteriora omnia abjicit, 437.

Turturis amorem et gemitum imitatur sancta anima, 414. Turturis vox Ecclesiæ gemitus, 420.

Tympanum carnis mortificationem significat, 240.

Typicum sensum cur prætulerit auctor commentarii in lib. I Reg. VI. In typica significatione non tam accurata quærenda convenientia, 122.

Typus Ecclesiæ in Anna, 41 et passim.

U

Ubera. Per ubera Evangelica prædicatio significatur, 402. Dei ubera in incarnatione nobis admota, 403. Ubera Dei sunt humillimæ incarnationis ejus condescensio, *ibid.* Quæ sint ubera Sponsi, 405, 408. Qui Christus myrrhæ fasciculus inter ubera sponsæ commoretur, 415. Duo ubera sponsæ, duo populi sunt, 450. Duo ubera sponsæ cur duo hinnuli capreæ gemelli dicantur, 450. Uberibus sponsæ designatur Evangelium, 402. Ubera Ecclesiæ cur funibus comparata? 459. — Qui venalem sermonem et doctrinam habet, homo Dei non est, 207.

Umbra S. Spiritus recreamur, 417.

Umbraculum nobis sunt, qui ab æstu concupiscentiæ adhortationibus nos protegunt, 300.

Unctionis sacramenta in Ecclesia, 228. Unctionis sacræ fructus, 229. Quid unctione sacerdotum significatur, 375. Unctionis sacerdotalis mysteria, 384. Unctionem quæ Spiritus sancti gratia comitetur, 385. Hæc superbos et fictos fugit, *ibid.* Non vivificatur nisi qui mundo mortuus, 60.

Unguentum Christi Spiritus S. 403.

Unitas Ecclesiæ. Christus ad unitatem inter Ecclesiæ membra confirmandam, mortem passus, 431. Ecclesia, ut sit hostibus terribilis, pace se munial, unitate se vinciat, 443. Judæi conversi, sub Antichristo pro fidei unitate passuri, 444. In unitate se mutuo fovent electi, 446. Extra corpus Ecclesiæ non vivificat Spiritus charitatis, 511. Ecclesia ex multis et diversis una, 529. Extra hanc nemo laudat Deum, nemo annuntiat, *ibid.* Ad unitatem inter Ecclesiæ membra firmandam mortuus est Christus, 43.

Unum necessarium, 336.

Uva reprobæ mentis quæ sit, 173. Concupiscientia est uva visu et specie, fel sapore, 196.

Uxores duæ Helcanæ Synagogam adumbrant et Ecclesiam, 10. Vitam activam et contemplativam, 31. Duarum illarum uxorum rixæ, 36. Dum contemplativæ vitæ sterilitas exprobratur, *ibid.* Contemplativam comitetur humilitas, 41.

V

Vacandi Deo licentiam libentissime sponsa suscipit, 418.

Vaccæ portantes arcam quæ in directum ibant quid significent, 153.

Vallis in sacra Scriptura quid, 155. In valle humilitatis prægustandæ cœli deliciæ, 155.

Vana quid ad litteram significent, 276. Post vana non declinantibus quanta repromissa, *ibid.*

Vasa aurea super lapidem grandem posita, 157. Si vasis aureis Deus non pepercit, de æreis quid fiet, 58.

Veniæ spes non amittenda, 275. De accepta venia sic lætemur, ut de culpa semper formidemus, 502. Veniam consequimur, humilitatem et passionem Christi imitando, 498.

Verbum fidei usque ad mundi finem Electis prædicandum, 207. Verbum Dei est animæ cibus, 218. Verbi divini gladio qui mutuis nos plagis cædere debeamus, 312. Verbo et opere magni, sæpe a vana gloria non satis cavent, 316. Verbi incarnatio a Davide præscita, 496. Verbum Christi quantum sapiat, 442. Verbi Dei pretium, 113. Aliud est verbum Dei eloqui, aliud sentire, 206. Verbum Dei quo excipiendum et custodiendum studio, 97. Verbum Dei quibusdam ut ametur revelatum, aliis ut etiam prædicetur, 102. Verbum divinum in terram cadit, cum ex prædicatoris vita vilescit, 109. Verbum Dei intelligendum, antequam nobis appareat, 111. Verbi semen sterili terræ non mandandum, 142.

Veritas occultatur terrena diligentibus, 97. Veritatem non inveniunt qui verbum Dei prava intentione legunt, 461.

Vetera de ore recedere quid sit, *ibid.* Veterum fervor teporem nostrum arguit, 323.

Via ad cœlum non est plana et spatiosa, 535. Via vitæ est pœnitentiæ afflictio, 95. Qui omnis via bona, non sit recta, 277. Via recta incedendum discretione duce, 153. Non declinandum ad dextram carni necessaria denegando, nec ad sinistram indulgendo nimis carni, *ibid.* Hac in via pura sit et simplex intentio, *ibid.* Pergendum semper et perseverandum carnalia desideria expugnando, *ibid.*, *et* 151.

Vicos (per) et plateas Christum quærere quid? 423.

Victimæ et munera quæ Deo offerre debemus, 85. Victimas holocausto addere quid sit, 158.

Victoria Christi de Judæis, 490. Victoriæ nostræ ordo, 170. Deo non nobis adscribenda victoria, 307. Victoriæ laus posita non in verbis, sed in operibus, 354.

Vicerit (qui), cum Christo in throno sessurus est, 62.

Videre. Videmus in Deo per contemplationem et quod terreat, et quod delectet, 33. Videre Deum per speculum hic solis humilibus datur, 235. Videre Deum quomodo potest homo, 577, 578.

Videns quid significet, 217.

Vigilantiæ junctus est sanctorum somnus, 436.

Vigilavit Christus in resurr. 517.

Vigiles sunt Ecclesiæ doctores, 423.

Vindicta (sine) nullum peccatum relinquit Deus, 497.

Vinea Christi pacifici quæ sit, 459. Vinea Christi, Ecclesia, 519. Vineæ Ecclesiæ odor bona sunt exempla, 420. Vineas electorum addecimari qui intelligatur, 196, 197.

Vino designatur lex vetus, 402. Vinum optimum prædicatio, 452.

Vir a virtute dictus, 5. Vir unus cur Christus dicatur, 7.

Virilis ætas tempus est administrandi sacerdotii, 89.

Virga designat correctionis sermonem. 316. Virga in manu Jonathæ quid signet, *ibid.*, 327. Extremitas virgæ intincta in favum mellis, quid figuret, *ibid.* Virga Jonathæ prædicationis doctrinam atque disciplinam signat, 327

Virginitas per magnos labores conservanda, 383. Virginum exemplum quid præstet, 279. Virginibus debiti victoriæ tituli, 281. Virginum chorus in hostem fortissimus, 293, 345. Non minus curent virgines de custodia cordis, quam de continentia corporis, 345

Virgula (ut) fumi quinam ascendunt 421.

Virtutes multæ ad spiritum fornicationis debellandum necessariæ, 331

Vide Abstinentia, Humilitas. Frequens oratio, *ibid.* Mentis contra lascivas cogitationes custodia, castarum cogitationum satellitium, *ibid.* Virtutum quatuor cardinalium præstantia in Christo, 9. Inter magna virtutum dona custodiatur humilitas, 38, 109. Virtus omnis infirma, sine Dei auxilio, 52. Virtutum splendore ornantur contemplatione pasti, 163. Virtutum incrementa pro merito operis, electis tribuuntur, 213. Ad virtutum culmen provecti a Spiritu sancto pauperes, humiles et simplices, 250. Ex virtutibus bonus odor, 405. Virtutum odor et profectus, Ecclesiæ aromata, 433. Virtutes doctorum Ecclesiæ quæ esse debeant, 433.

Visio consummata est perfecta Dei cognitio, 8. A solis cœli civibus potest obtineri, 8, 234. An Moyses viderit Deum intuitive, 235. In æternæ visionis splendoribus paulatim proficiendum, 32. Quod humanæ non est virtutis, *ibid.* Inde terrenorum despectus, 33. In hac visione tanto amplius mens gaudet, quanto alicujus creaturæ species in sui amore hanc retinere non prævalet, 55.

Visitat Ecclesiam Christus, quanto emolumento? 443. Quo ordine? 447, 448. Visus spiritualis acuitur per humilitatem, 155.

Vita præsens, nox est; futura, dies, 552. Vitæ præsentis et æternæ discrimen, 530. Vita temporali utendum ad æternam comparandam, 349. Vitæ æternæ quale convivium, 94. In vita præsenti spicæ colliguntur, postmodum panis manducabitur, 135. Vita animæ, Deus. 470. Ad vitam æternam et ad fidem ex omni hominum genere aliqui trahuntur, 331. Curæ animarum præponendus vitam asperam sequatur, 338. Vitæ pessimæ gradus, 530. Ut superentur qua virtute indigeamus, *ibid.* Vitæ perfectioris studium et ratio, 164. Vita secretior. *Vide* Secretior vita. Vita bonorum tuta et cautissima, 286. Vita præsens æternæ comparata nox est, 321. Vitæ activæ et contemplativæ incumbendum, 31. Hæc gravi labori comparatur, 32, 334. Ne facilius habita vilescat, 32. A vita activa ad contemplativam aliquando confugiendum, 70. In vita contemplativa metuenda elatio, 117. Vitæ contemplativæ amœnitas, 156. Christi ager est, *ibid.* Ejusdem deliciæ et labores, *ibid.* In iis deficeremus, nisi Christus auxilium præberet, 157. Activa et contemplativa vita duæ sorores: ambæ fœcundæ, 334. Contemplationi pauci addicuntur, *ibid.* Ad eam per bonorum operum labores perveniendum, *ibid.* Minor soror est non dignitate sed tempore, *ibid.* Activa vita est omnium Ecclesiæ filiorum, *ibid.* Per Martham et Mariam utraque adumbratur, 335. Et per Liam ac Rachelem, *ibid.* Ad contemplationis amplexus prælati raro admittuntur, *ibid.* In quibus conveniant aut dissonent activa et contemplativa vita, *ibid.* A contemplativis Christus in sepulcro ungitur, 336. Hi rari sunt in publico, *ibid.* A Christo ad momentum recedere fornicationem putant, *ibid.* Activæ vitæ servientes non sedendo, sed stando vel transeundo solum orant, *ibid.* Qui tamen in ea perfecti sunt operarii, eo fiducialius Deum orant, quo laboriosius ei ministrant, *ibid.* In activa vita nimia sollicitudo caveatur, *ibid.* Uni necessario intendatur, *ibid.* Vitæ brevitatem intelligere donum gratiæ est, 530. Temporalis vitæ labores, 536. Æternæ felicitas, 558.

Vitia quæ ex avaritia propagantur, 191. Vitiorum innumera multitudo militat sub diabolo duce, 282. Ad vitia superanda quid necessarium? 268. Vitiis carnis qui bellum indicunt, fortitudine præstent et doctrina, 346. Vitiis singulis propriæ curationes adhibendæ, 302.

Vivere diu iniquos cur sinat Deus, 492. Non vivunt qui innocentiæ et humilitatis jacturam fecerunt, 278.

Vivificari. Aliud vivificari in æquitate, aliud vivificari æquitati, 556. Juste peccata ulciscitur solus Deus, 496.

Vocant alios ad pœnitentiam peccatores conversi, 503. Vocationis divinæ signa, 230. Vocationis suæ signa quæ Paulus quæsivit, 231. Quæ Joannis discipuli, *ibid.* Quæ explorare debeat quilibet prædicator, *ibid.* Vocat Deus cum per vim majoris gratiæ excitat, 99. Ter vocatus Samuel quid significet, 116. Cur a Deo vocatus, non ab Heli, *ibid.*

Vocantem (animæ) se Deum audientis amor et lætitia, 104. Quæ verbis explicari non possunt, *ibid.*

Voluntatem propriam majorum jussis præponentes feriuntur, 360. Pro voluntate cor sumitur, 290.

Voluptatis affectum vitare nequeunt conjuges, sed sub honestatis vinculo cohibent, 348.

Vulnera Christi, petræ foramina, 420.

Vulnerari sponsam a custodibus et spoliari, quid? 439. Graviter vulnerato similis peccator, 494.

Vulpeculæ, hæretici; maxime qui humilitatem simulant, 421. Ex illorum afflatu periclitantur infirmi, 421. Non ita perfecti, 421.

Z

Zelus animarum gratissimum Deo sacrificium, 504. Quibus convenit, 504.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Præfatio de Commentario S. Gregorii Magni in librum primum Regum. 9
COMMENTARIORUM IN LIBRUM REGUM LIBRI SEX. 17
Proœmium. *Ibid.*
Liber primus. 21
Liber II. 77
Liber III. 143
Liber IV. 217
Liber V. 313
Liber VI. 407
Admonitio in Canticorum expositionem. 467
EXPOSITIO SUPER CANTICA CANTICORUM. 471
De opere subsequenti censura. 547
EXPOSITIO IN PSALMOS PŒNITENTIALES. 549
Expos. primi psalmi pœnit. 552
Expos. secundi psalmi pœnit. 558
Expos. tertii psalmi pœnit. 568
Expos. quarti psalmi pœnit. 581
Expos. quinti psalmi pœnit. 602
Expos. sexti psalmi pœnit. 632
Expos. septimi psalmi pœnit. 642
De sequenti opusculo monitum. 657
CONCORDIA TESTIMONIORUM S. SCRIPTURÆ. 659
Præfatio in librum sequentem sancti Paterii. 677
DE EXPOSITIONE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, auctore sancto Paterio. 683
Proœmium. *Ibid.*
De testimoniis in librum Geneseos. 685
De testimoniis libri Exodi. 723
De testimoniis libri Levitici. 753
De testimoniis libri Numerorum. 761
De testimoniis in Deuteronomium. 773
In librum Josue. 783
De testimoniis in librum Judicum. 785
De testimoniis in primum Regum 789
De testimoniis in librum II Regum. 797
De testimoniis in librum III Regum. 805
De testimoniis in librum IV Regum. 813
De testimoniis in Psalmos. 819
De testimoniis in Proverbia. 895
De testimoniis in Cantica canticorum. 903
De testimoniis in librum Sapientiæ. 917
De testimoniis in Ecclesiasticum. 921
De testimoniis in Isaiam. 939
De testimoniis in Jeremiam. 967
De testimoniis in Ezechielem. 983
De testimoniis in Danielem. 997
De testimoniis in Oseam. 1001
De testimoniis in Joel. 1005
De testimoniis in Amos, Michæam et Naum. 1008
De testimoniis in Habacuc et Sophoniam. 1009
De testimoniis in Aggæum prophetam. 1011
De testimoniis in Zachariam. 1013
Excerpta in Psalmos. 1017
De testimoniis in Evang. secund. Matthæum. 1025
De testimoniis in Evang. secund. Marcum. 1051
De testimoniis in Evang. secund. Lucam. 1057
De testimoniis in Evang. secund. Joannem. 1073
De testimoniis in Act. apostolorum. 1085
De testimoniis in epist. catholicas. 1093
In epistolam I S. Petri. 1097
In epist. II S. Petri. 1099
In epist. S. Judæ. 1107
In Apocalypsim. *Ibid.*
In epist. ad Romanos. 1121
In epist. I ad Corinthios. *Ibid.*
In epist. II ad Corinthios. 1125
In epist. ad Ephesios. 1129
In epist. ad Philippenses. *Ibid.*
In epist. ad Philippenses. 1131
In epist. I ad Thessalonicenses. *Ibid.*
In epist. II ad Thessalonicenses. *Ibid.*
In epist. I ad Timotheum. 1133
In epist. ad Titum. 1135
In epist. ad Hebræos. *Ibid.*
ALULFI EXPOSITIO NOVI TESTAMENTI. 1137
Præfatio. — De quatuor Evangelistis per quatuor animalia designatis. *Ibid.*
Præfatiuncula de beato Matthæo. 1139
Expositio Evangelii secundum Matthæum. *Ibid.*
Expositio Evangelii secundum Marcum. 1177
Expositio Evangelii secundum Lucam. 1193
Expositio Evangelii secundum Joannem. 1239
Expositio super Acta apostolorum. 1269
Expositiones in epistolas B. Pauli. 1291
Expositiones in epistolas B. Petri. 1385
Expositiones in epistolas B. Joannis apostoli. 1391
Expositio super Apocalypsim 1397

FINIS TOMI SEPTUAGESIMI NONI.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC TOMO LXXIX CONTINENTUR.

Commentarii in librum I Regum.
Expositio super Cantica Canticorum.
Expositio in psalm [...] s poenitentiales.
Concordia testimoniorum S. Scripturae.
De expositione utriusque Testamenti, auctore Paterio
Expositio Novi Testamenti, auctore Alulfo.

ORDO RERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Praefatio de Commentario S. Gregorii Magni in librum primum Regum.
COMMENTARIORUM IN LIBRUM REGUM LIBRI SEX.
Prooemium.
Liber primus.
Liber II.
Liber III.
Liber IV.
Liber V.
Liber VI.
Admonitio in Canticorum expositionem.
EXPOSITIO SUPER CANTICA CANTICORUM.
De opere subsequenti censura.
EXPOSITIO IN PSALMOS POENITENTIALES.
Expos. primi psalmi poenit.
Expos. secundi psalmi poenit.
Expos. tertii psalmi poenit.
Expos. quarti psalmi poenit.
Expos. quinti psalmi poenit.
Expos. sexti psalmi poenit.
Expos. septimi psalmi poenit.
De sequenti opusculo monitum.
CONCORDIA TESTIMONIORUM S. SCRIPTURAE.
Proefatio in librum sequentem sancti Paterii.
DE EXPOSITIONE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, auctore sancto Paterio.
Prooemium. Ibid.
De testimoniis in librum Geneseos.
De testimoniis libri Exodi.
De testimoniis libri Levitici.
De testimoniis libri Numerorum.
De testimoniis in Deuteronomium.
In librum Josue.
De testimoniis in librum Judicum.
De testimoniis in primum Regum
De testimoniis in librum II Regum.
De testimoniis in librum III Regum.
De testimoniis in librum IV Regum.
De testimoniis in Psalmos.
De testimoniis in Proverbia.
De testimoniis in Cantica canticorum.
De testimoniis in librum Sapientiae.
De testimoniis in Ecclesiasticum.
De testimoniis in Isaiam.
De testimoniis in Jeremiam.
De testimoniis in Ezechielem.
De testimoniis in Danielem.
De testimoniis in Oseam.
De testimoniis in Joel.
De testimoniis in Amos, Michaeam et Naum.
De testimoniis in Habacuc et Sophoniam.
De testimoniis in Aggaeum prophetam.
De testimoniis in Zachariam.
Excerpta in Psalmos.
De testimoniis in Evang. secund. Matthaeum.
De testimoniis in Evang. secund. Marcum.
De testimoniis in Evang. secund. Lucam.
De testimoniis in Evang. secund. Joaunem.
De testimoniis in Act. apostolorum.
De testimoniis in epist. catholieas.
In epistolam I S. Petri.
In epist. II S. Petri.
In epist. S. Judae.
In Apocalypsim.
In epist. ad Romanos.
In epist. I ad Corinthios.
In epist. II ad Corinthios.
In epist. ad Ephesios.
In epist. ad Philippenses.
In epist. ad Philippenses.
In epist. I ad Thessalonicenses.
In epist. II ad Thessalonicenses.
In epist. I ad Timotheum.
In epist. ad Titum.
In epist. ad Hebraeos.
ALULFI EXPOSITIO NOVI TESTAMENTI.
Proefatio. - De quatuor Evangelistis per quatuor animalia designatis.
Proefatiuncula de beato Matthaeo.
Expositio Evangelii secundum Matthaeum.
Expositio Evangelii secundum Marcum.
Expositio Evangelii secundum Lucam.
Expositio Evangelii secundum Joannem.
Expositio super Acta apostolorum.
Expositiones in epistolas B. Panli.

Expositiones in epistolas B. Petri.
Expositiones in epistolas B. Joannis. apostoli.
Expositio super Apocalypsim
FINIS TOMI SEPTUAGESIMI NONI.